UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R. D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener. Sacramenti ...

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1629

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56262

Visual Library



Th 3313

H. VI

13.

CONCIONES,

Siue

CONCEPTVS THEOLOGICI AC PRÆDICABILES,

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus:

HABITAE DIVERSIS IN LOCIS

Coll. Soc. Jesu PER Parisiens. 1661.

R.D. PETRVM BESSÆVM, SS. THEOL. DOCT.
Regis Galliarum Oratorem:

INTERPRETE MATTHIA MARTINETZ.

OPVS NOVVM, FIGVRIS, ALLEGORIIS, SIMILIBVS EX SACRIS profanisq; Scriptoribus plenissimum, cum occurrentium fidei controuersiarum tractatione.

HAC EDITIONE, MELIVS QVAM ANTE è GALLICO CONuersum, & præfixa ad singulas conciones synopsi, & Indicibus.

EDITIO QVINTA.

NVNC DEMVM INTEGRE SVPPLETÆ, CONCIONIBVS PER Octauam Vener. Sacramenti suo ordine intersertis.

TOMVS TERTIVS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IOANNIS KINCHII,
ANNO M. DC. XXIX.

Cum priuileg. Sac. Cæs. Maiest. speciali.

APPROBATIO.

NOs infrascripti SS. Theologiæ Doctores in Vniuersitate Parisiensi certificamus vidisse & legisse sermones de Sanctorum festis & festiuitatibus solemnioribus totius anni, Authore R. D. M. PETRO BESSÆO Doctore almæ nostræ Facultatis, nihilq; in ijs Religioni Catholicæ Apost. Rom. contrarium reperisse, imo dignissimos, vt in lucem prodeant. In cuius testimonium hasce subscripsimus Parisijs 1. Aprilis, 1618.

Dauid

Magnier.

PRæsentes Conceptus Theologicos R. D. Petri Bessæi super Festiuitates Sanctorum totius anni meo iussu Venetiis examinatos approbaui.

Ego Fr Io. Dom. Vignurius S. Theol. Magist. & Generalis Inquisitor Venetiarum.

AMPLISSIMO VIRO,
AC R. DOMINO,
D. PETRO BESSÆO,
S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
REGI CHRISTIANISSIMO
A CONCIONIBVS, &c.

CONceptus tui Theologici, doctrina non minus, quam spiritu diuino pleni, Vir Reuerende, quos in Sanctorum plurimorum, atque adeo Sancti Sanctorum Redemptoris Iesu, eiusque Matris sanctissimæ festiuitatibus, ore olim ad populum pronuntiatos, publici iuris patria esse lingua voluisti; illi illi, Latina iam veste donati, vltro ad te redire gestiunt, & se tibi vt offeram, iure à me suo quodammodo videntur exposcere. Ad quem enim adeat potius, quam ad patrem sua proles, quam ad fontem aqua, quam ad opificem opus, quam ad nutricem alumnus, quam ad concipientem Conceptus, quam denique ad Theologum eruditissimum Theologica inuenta? Sane, vt libere quod sentio exponam, non exiguam nomini tuo amplissimo facturus iniuriam videbar, si absolutum hunc Concionum de Sanctis tomum ad te non destinarem, qui ipsum adornasti, concepisti, & multo labore, studio, lucubratione, industria ad eam, quam præfert, elegantiam prouexisti: quem, vti & alios, si quis omnigenæ doctrinæ promptuarium, morum gymnasium, ac vitæ disciplinam, hæreticorum malleum, Ecclesiæ etiam armamentarium dixerit, næ ille recte mihi sentire videbitur. Vt enim, quæ suis oportune sciteque locis adducuntur, historias, gnomas ac similitudines è Gentilium tum Græcorum, tum Latino-

minorum scriptis prætermittam; sane sacris è voluminibus & antiquis Patribus (è quibus solida omnis scientia atque ars petenda est) tanta tamq; varia in ijs deprompta elucet doctrina, vt si quis difficillimorum locorum allegoricos, anagogicos, tropologicos, ac sæpe etiam litterales, quos Conciones prope singulæ includunt, sensus & allusiones colligere velit, cum priscis illis Scriptoribus & præstantibus sacræ Scripturæ interpretibus non immerito te conferre posse videatur. Morum porro vitæque rectè instituendæ rationem quam scitè, quam solidè, quam apertè ostendunt!! nam

Quid sit rectum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Rectius ac melius Cratippo ac Crantore dicunt.

Omnis quippe conditionis & ordinis homines ad probitatem erudiunt; Præsules ac Sacerdotes pro rerum oportunitate instruunt, Principes, rerum gubernatores, & optimates ad vitam sanctè & ex præscripto componendam adhortantur, patres familias ac matres, filios, solutos iuxta ac coniugatos sic commonefaciunt, vt salutis à via aberrare ille nequeat, qui tibi probe monenti auscultare voluerit. Heterodoxos autem, & Ecclesiæ nostræ dogmatum aduersarios quam vehementer petis, quam acuto telo configis, quam acriter exagitas, qua verborum acrimonia, argumentorum pondere, qua doctrinæ soliditate premis? vt quibus veritatem propugnas demonstrationibus, quod obiiciant, non habeant. BESSÆVM ergo cum habet Lutetia, atq; adeo Ecclesia omnis Gallicana, habet propugnatorem acerrimum, habet hyperaspisten infractum, habet athletam inuictissimum, habet qui acceptam à maiorib. doctrinam, sinceram Patrum mentem, singula fidei capita, Conciliorum auctoritatem, ipsam denique veritatem intrepidè aduersus insultantium calumnias, & allatrantium catellorum latratus tueatur, Proteum ergo, id est, varium, veritatis nempe doctorem, morum magistrum, hæreticomastygem, & Ecclesiæ Herculem videbit, qui scripta tua & conciones imprimis inspexerit: vt taceam eloquentiæ patriæ, quo singulæ, quantæ quantæ sunt, non dico irrigatæ, sed perfusæ sunt, liquorem, mel', & lac: quas & nunc integre damus ab eadem manu, qua reliqui Conceptus tui, sermone Latino traductas. Hasce iterato iam prælo accipe, Vir Amplissime, in mei erga R. D. affectus & amoris testimonium, quem & litteris nuper humanissime scriptis erga me quoq; ostendisti copiosissime, versionem nostram approbasti,

basti, imo & spem noui operis propediem dedisti, ad quod translator vir probus & doctus non parum anhelat. Interim hocce meæ erga R.D.T. voluntatis mnemosynon habe, & absentem absens, Germanum Gallus, Concionator Typographum, pro ea, qua neminem non complecti diceris, beneuolentia complectere, & me addictissimorum nomini tuo clientum numero annumerare perge. Vale. Coloniæ Agrippinæ, Kalend. Martii, Anno vartæ salutis M. DC. XX.

Reu. Dom. Tuæ

perstudiosus cliens:

IOANNES KINCHIVS

Bibliopola Colonienſis.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΤΟΥ ΒΕΣΣΟΥ

ΔΑΙΓΜΕΝΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΔΟΓΟΥΣ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.



Ὁ Στὲ μὲν ὑψιπέτης μασκάλαις αἰετὺς αἴρει
Νοσσὺς ἠέλιον σοῦ πότε πρῶτον ὁρᾶν.
Μὴ τοῖς αὐτοπέτας μεγαλὴ αὐτοῖο γανώσις
Ἰπτῇ δυναμένους οὔ πορόεντα βλέπειν.
Ἴδρις ἀπαιδεύτοις ὥς Βέσσος Βίβλια δοῦναι
Ἠδὴ εἴδωσιν δόγματα πάντες ἄγειν.

D. D. PETRO BESSÆO DOCTORI ILLVSTRISSIMO, ET RECTORI VIGILANTISSIMO.

Omnia doctiloquo præclara volumina Bessi,
Festorum Aonio perlege digna choro.
Maxima qui tibi vis fiat dein copia mellis,
Dulcius hoc apibus nobile sudat opus.
Pluraque quam possint omnes depascere Galli,
Quisque licet tanti pendeat ore viri.
Cui par mellifluus vix vnquam visus orator;
Cum quò plus fundat, fundere plura queat.

EIDEM

EIDEM.

VT mare perpetuas fontes emittit in omnes
Orbis aquas, queis sit pinguior omnis ager.
Bessus Aristæo vasto solertior omnes
Sic doctos scriptis reddit in ore viros.
Vt qui nunquam altâ potuisset orare cathedrâ,
His doctus populum firmet, alatque suum.

EIDEM.

VIsne breui dicam, qui Bessus in omnibus vnus
Sit, benè cùm tibi Galli Herculis instar erit.
Qui facunda viros suspendit lingua catenis,
Si teneat plures, ter modò Bessus eo.

STEPHANVS FOVQVET
apud Caluicos Professor.

AVCTOR

AVCTOR LECTORI.

QVisquis Sanctorum scribere, suo dumtaxat fretus ingenio, pro dignitate gesta & magnitudine singularia, & numero infinita, voluerit, næ profundum & procellosum is sutili cymbâ conscendere oceanum videtur velle, & me præmonente, naufragium haud dubie facturus est, nisi cæleste afferat auxiliũ is, qui mutos reddit eloquentes, linguas infantiũ facit disertas, & mirabilia illa solus in sanctis illis est animabus operatus. Illud porro eo mihi adfore spero confidentius, q̃ norim, id quod molior opus, illustres scil. tot generosarũ mẽtium cœlo receptarum vitas conscribere, easq; velut sanctitatis exemplaria & imagines omnib. imitandas proponere, nec frustraneum, nec inutile prorsus futurum. Quod ea potius credamus, quę videmus, quam quæ audimus, potentioresq; ad emouendum sint oculi quã aures, sanctorumq; hominum exempla, paruis iuxta ac magnis proposita, verbis longe potiora sint, maioriq; polleant robore & potentia quadam admirabili. Hinc Archangelus Beatissimæ Virginis consensum ad incarnationis mysterium expressurus, & Dei incarnandi possibilitatem illi persuasurus, Elisabethæ vetulæ concipientis exemplum illico produxit dicens, *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* quibus Deipara mater verbis auditis, assensum haud inuita præbuit. Nã, vt Leo magnus ait, *Validiora sunt exẽpla, quam verba, & plenius docemur opere quam voce.* Idipsum & Mosi olim Omnipotens indixit, exemplum vt imitaretur propositum inuitans, *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Quod non aliud crediderim esse exemplar, quam ipsam Christi Redemptoris vitã, qui de se in Euangelio ait, *Exemplum dedi vobis, vt, quemadmodũ ego feci, & vos faciatis.* Tametsi etiam certissimum sit, tot Deum clementissimum nobis in Ecclesia sua proposita esse exemplaria & imagines voluisse, quot in eadem exstitere sancti viri & feminę, quos in omni viuendi genere & forma, quoad eius fieri posset, viui imitarẽtur. Hoc etiam sensu intel-

Lib. 1.

Serm. de ieiunio.

Exod 25.

Ioan. 3.

intelligit illa Canticorum verba Bernardus, *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis?* his enim calceis nonnisi exempla Sanctorum vult intelligi, quib. nos affectuum nostrorum pedes, illorum gestorum imitatione, calceantes, insignes gressus facimus, & securius multo ac minori cum periculo in mundi huius deserto incedimus. In eodem Canticorum libro sic dilectam suã alloquitur amans, *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Hisce vestigijs pleriq; interpretũ glorioſorum Sanctorum intelligunt exempla, qui velut greges Ecclesiæ nobis præiuêre, sanctosq; mores suos, virtutes, ac vitas, ceu omnigenæ sanctitatis reliquere vestigia, quæ sequamur: omnis porro anima, quę se ignorat, viamq; salutis nescit, solum egrediatur, pios legat libros, Sanctorum vitas euoluendo consideret, illorumq; impigerrime vestigia premat oportet. Hanc secuti doctrinam D. Dominicus Prædicatorij Ordinis auctor & princeps, & post eum Angelicus Doctor Thomas, sanctorum Patrum vitas, quib. se animarent, adque virtutum lectione illarum assidua excitarent studium, nunquam de manibus deponebant. Ipse quoq; Africæ decus Augustinus ingenue se fatetur plurimorum, qui de flagitiosa vita ad honestatem sanctimoniamque morum emerserant, exemplis menti assidue obuersantibus, numquam salutis spem consequendæ abiecisse, & ad piam vitæ conuersationem transisse.

Cant. 7.

Cant. 1.

Lib. 4. Confess. c. 1.

Hac de causa hoc ipse studiũ sum ingressus, illustres sacratissimę Matris Dei, & Sanctorum, quorum Festa Ecclesia nostra recolit, laudes, velut panegyrico quodam sacro horum quemq; celebrando, deprompturus; vt hoc pacto, ceu virorum insignium virtuteq; præstantiũ propositis imaginibus, omne hominum genus ad imitandum eximias illorũ virtutes accendam. Sublime certe molior opus, immensiq; laboris & audax, sed scopum etiã habeo glorioſum & vtilem: aliud siquidem non specto, quam Omnipotentis Sanctorumq; omnium gloriam, & Reip. Christianæ commodum ac commune bonum: quippe non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem sibi amici vendicant. vnde & id mihi semper propositum fuit, quale

Cic. Offic.

quale

quale à Deo talentum accepi, quod sentio quam sit exiguum, nõ tam id mihi soli defodere, quam in salutem animarum, honorem Sanctorum, communemque Ecclesiæ vtilitatem impendere. Nefas quippe fuerit, accensam lucernam abscondere sub modio, sed supra candelabrum ea collocanda est, vt qui ingrediuntur, lumẽ videãt. Quid porro per lucernã hanc intelligamus potius, quam viros doctos & scriptores; qui, velut candela à manu Dei accensa, ab eoq; omnigena scientia exculti, non in tenebris obscuri vitam agere, sed in summitate candelabri collucere debent, id est, in cathedris ad populũ agere, in gymnasijs lectiones & sacras scholas habere, domi ac foris concionẽs, vtiles etiam salutaresque libros in publicum edere, vt quotquot in Ecclesiam nostrã ingrediuntur vel exeunt, emicantem veritatis splendorem & doctrinę lumen videant?

Hac igitur cõmunis commodi ratione adductus, & salutari illo posteritatis iuuandę, memorię celebrandę, Sanctorũ honoris deprædicandi, salutiq; Reip. Christianæ procurandæ affectu motus iam, alijs editis in lucem scriptis, & sane (vt quidem colligere est) tibi, Lector, gratissimis; nouum hoc superaddere opus, & publici facere iuris constitui, quod fortasse postremũ manuum calamiq; mei futurum est. In cuius fabricam, constructionẽ, & cohonestamentum cum multos me impendere sumptus fuerit necesse, nec modo diuinarum scripturarum, sanctorum iuris Canonici ac Cõciliorum decretorum, ac veterum Patrum Doctorumq; Ecclesiasticorum afferre testimonia; verum etiam historias cõsulere profanas, Poetarum fictiones, oratorum gnomas, & Philosophorum axiomata depromere; beneuolum Lectorem, æquum rerũ libratorem obsecro, ne temere illud ipsum sugillans carpat, ceu nouũ quid, atq; hactenus inusitatum; sed omnia æqua lance ac stabili rationis trutina expendens, norit profanæ scientiæ cum sacra cõbinationẽ iam olim in veteri lege & apud sanctos Ecclesiæ Patres vsitatã fuisse. Ipse etenim Moses in omnigena Ægyptiorum sciẽtia versatissimus à D. Stephano scribitur fuisse: Ipse etiã Gentium Doctor Paulus Euangelium Athenis annuncians; Arati veteris Poetæ versum sacris verbis suis intermiscere nõ dubitauit, ipsum imi-

imitatos scribit Augustin. Cyprianum, Lactantium, Victorinum, Optatum, Hilarium, alios q; scriptores fideles. Si ergo sanctis illis Ecclesiæ columinibus ac fulcris fraudi ac probro non fuit Ethnicorum scripta expilare, & illorũ ex horto flosculos colligere, quibus altare Domini conuestirent, suaq; scripta condecorarent; nec horum sectatoribus quisquam vitio vertat, si in concione vel scripto interdum aliquid, ad curiosorum aures demulcẽdas, materiam condecorandam, & propositum conuenustandum, gentilium è scrinijs depromant. *Augustl. li. 2. de doctrin. Christ. c. 39. & 40.*

Huius igitur rei cum veniã obtinuero, etiam hoc à lectore doctiore litteratoq; mihi dari velim, vt, si quid in hisce meis conceptib. inuenerit, quod lima accuratioreq; anima duersione indigeat (qualia fortasse non deerunt) amice id benigneq; corrigat: simul etiam obsecrans, vt postquam erratum agnouerit, erranti labentiq; ignoscat. Honori mihi quippe & gloriæ futurum est, doctiorum scientiumq; examen subire, ab illis edoceri, deniq; ipsis magistris, quæ corpus hocce deturpant, dedoceri. Ingenue me quippe cum S. Augustino de illorum esse fateor numero, qui proficiendo scribunt, ac scribendo proficiunt: nam nimium seipsum peruerse amat is, qui ita alios vult errare, vt suus omnes error lateat. Si quid vero in hoc scripto, demptis hisce nævis, occurrerit, non mihi id velim adscribi; sed ad summi Dei gloriam omnia, ad Deiparæ Matris honorem, omnium Sanctorum exaltationem, & ad communem veterum Patrum laudem, quorum sumptu impensaq; opus hoc ingens ac vastum molitus sum, referri. Illorum scripta & libri mihi fodinę fuêre, vnde hæc eduxi, & lateres, è quibus fabricam hanc concinnaui. Inuentio quidem mea est, & struendi ratio; sed fundus, sumptus, & omnis prope suppellex aliena. Hinc, si quem conceptum, qui laudem mereatur, depromo, auctorem statim & officinam, vnde ea coempta merces, indico; semperq; honorem ei deferens, cui debetur, alienis me laborib. profeciſse ingenue profiteor, meaque superbiens inopia, benefacientium merita non illibenter celebro, qui sua mihi opem doctrina attulere; est enim benignum & plenũ ingenui pudoris (vt Plinius asserit) fateri per quos ꝓfeceris. Hinc si quos Patres Græ- *Lib. 8. epist.* *In Præfat. nat. histor.*

cos aduoco, eos honoro & nomino: si Latinos, non inuitus exprimo: si nuperos, vel veteres, fidem profeſſos, vel infideles, Hiſtoricos, vel Philoſophos; ilico, qui ſint, expono.

His igitur præmiſſis, ingens illud opus, è varijs conſarcinatum & centonatum fruſtillis, non inſcite comparari armamentario queat, omnigenis armis inſtructiſſimo: varia ſiquidem ſuppeditat exempla, ceu arma quædam, tum ad piorum conſolationem, tum ad rebellium & flagitioſorum terrorem oportuna. Simul etiam varijs in artibus incomparabilem Dei in impijs conuertendis, & ad ſalutis ſemitam reuocandis miſericordiam, nec nõ terribilem eius in iudicijs intentandis, puniendiſq; peruicacibus iuſtitiam patefacit. Deniq; ceu frequens quoddam theatrum eſt, in quo omnis generis exercitia producuntur, & è quo vniuerſi ſingularia quædam commoda queunt mortales elicere.

Hic ſcilicet meus fuit ſcopus, id propoſitum: ſi vero felicem laboris mei finem conſequantur, ſi, inquam, pii inde conſolationẽ hauriant, impii vero peruerſiq; conuertendi ſui ac pœnitendi materiam mutuentur; in æternum eum benedicam diem, quo primum hunc ſuſcipere laborem aggreſſus ſum; Deum quoque perpetuis cumulabo laudibus, qui modum, viam, ſimul & animum ſuggeſſit; denique lectori me meo infinitis quoad vixero obſtrictum nominibus profitebor, qui, cum eum relegerit, meis veniam dabit commiſſis, & ad vnum Deum, quidquid probum, laudabile, atque vtile in eodem reperiet, ceu ad primarium fontem referet.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te conuertentur.
Pſalm. 50.

INDEX

INDEX,

Siue

ARGVMENTA CONCIONVM HVIVS OPERIS DE FESTIS.

In Festo Natiuitatis Christi.

Verbum caro factum est, &c. Ioan. 1.

PRimo, De mysterio Incarnationis generatim. 2. De gemina Christi generatione 3. De generatione in tempore figura. 4. Nostra inde documenta figuris illustrata. 5. De inuoluto panniculis Iesu. 6. Quæ magna, mira ac læta in illius natiuitate acciderint.

In Festo S. Stephani Protomartyris.

Video cœlos apertos, & Iesum, &c. Act. 7.

1. De præstantia Martyrij. 2. De supplicio lapidationis, & Martyrum fortitudine. 3. De inuicto Protomartyrio S. Stephani. 4 De visis cœlis apertis. 5. De intendente in cœlum. 6. De orante pro suis lapidatoribus.

In Festo S. Ioannis Euangelistæ.

Hic est discipulus, quem, &c. Ioan. 21.

1. De gratitudine. 2. De nonnullis S. Ioannis prærogatiuis. 3. De nomine dilecti, & accubitu supra pectus Domini. 4. De tutela matris Iesu Ioanni credita. 5. De quæsito: Quid autem hic? 6. De S. Ioannis permanentia.

In Festo SS. Innocentium.

Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, &c. Matth. 2.

1. De conatu Satanæ ad Messiæ aduentum impediendum. 2. De Iosephi monito, & fugam maturante. 3. De fuga ipsa 4. De infanticidio & infanticida. 5. De cæsis infantibus.

In Festo Circumcisionis Domini.

Postquam impleti sunt dies octo, &c. Luc. 2.

1. De circumcisione veteris legis. 2. De circumciso Iesu. 3. De causis circumcisi. 4. De circumcisi sanguine. 5 De amore circumcisi. 6. De nominis Iesu admirabili dignitate. 7. De eiusdem magnitudine & merito 8 De Kal. Ianuariis, ac spirituali circumcisione.

In Festo S. Genouefæ Martyris, Patronæ ac Tutelaris Parisiensium.

Simile est regnum cœlorum decem Virginibus, &c. Matth. 25.

1. Virginitas ab Ethnicis & impijs semper impugna-

pugnata: à piis summe laudata. 2. Quomodo & quam claris miraculis illustrata. 3. S. Genouefæ patria & dotes eximiæ. 4. Virtus in homine tribus modis cognoscitur & varie sumitur in scriptura. 5. S. Genouefa Parisiensium decus & gloria.

In Festo Epiphaniæ.

Cum natus esset Iesus, &c. Matth. 2.

1. *De regia maiestate. 2. De Magorum appellatione. 3. De eorum aduentu & conuersione 4. De nati admirabilitate. 5 De nato à Magis adorato. 6 De eodem muneribus honorato.*

In Festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

Postquam impleti sunt dies purgationis, &c. Luc. 2.

1. *De vi & efficacia humilitatis. 2. De Virgine purificata. 3. De Simeone & compare turturum. 4. De oblato Iesu. 5. De offerente matre & Simeonis iubilo.*

In Festo Cathedræ S. Petri.

Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Matth. 16.

1. *Ordo rebus in omnibus necessarius, maximo Ecclesiæ. 2. De variis acceptione huius nominis* Cathedra. *3. De diuersis generibus nominis eiusdem, eiusdemq; applicatione. 4. De elogijs Cathedræ S. Petri. 5. De Festi institutione, cur & quando institutum. 6. De Monarchia necessitate. 7. De incomparabili excellentia S. Petri ex potestate clauium.*

In Festo S. Matthæi Apostoli.

Cecidit sors super Matthiam, &c. Act. 7.

1. *De natura nihil frustra agente. 2. De superbia abominanda & virtute opposita. 3. De electorum prædestinatione malorumq; reprobatione. 4. De proditore Iuda varijs figuris designato. 5. De quatuor eius sceleribus, & vocatione ad Apostolatum. 6. De Matthiæ per sortem electione & quid sors. 7. Vnde eius sanctitas colligenda.*

In Festo Annunciationis Deiparæ Virginis Mariæ.

Missus est Angelus Gabriel, &c. Luc. 1.

1. *De causis & effectibus Incarnationis. 2. De Angelo annunciante incarnationem. 3. De Virgine, cui Annunciatio est facta 4. De Virgine conceptura. 5. De nascitura cum vno duplici natura. 6. De responso Mariæ.*

In Festo S. Ioseph Iesu Christi nutritii.

Cum esset desponsata mater Iesu, &c. Matth. 1.

1. *De gratia sufficientia ad omnia imperata exequenda. 2. De mirabili dignitate S. Ioseph. 3. De causis, cur Deiparæ nupserit. 4. Rationes, quibus astruitur non fuisse decrepitum, vti pingitur.*

In Festo S. Marci Euangelistæ.

Designauit Dominus & alios septuaginta, &c. Luc. 10.

1. *De ipsis quatuor Euangelistis. 2. De quaternarij mysterio rerum Ecclesiæ multiplici. 3. De mysterio quatuor animalium. 4. De præcellentia Euangelistarum præ veteris Testamenti conditoribus. 5. De S. Marco historia. 6. De symbolico ipsius Leone.*

In Festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.

Non turbetur cor vestrum, &c. Ioan. 14.

1. *De Ecclesiæ maiestate. 2. De insigni Apostolo-*

stolorum prærogatiua & gloria. 3. De variis titulis, & figuratione duodenaria. 4. De turbatione illorum, & passionum indiciis. 5. Passionum humanarum speci stres. 6. Turbari in homine sex dicuntur. 7. De particulari Apostolorum Philippi & Iacobi commendatione. 8. Prælatorum bonorum descriptio.

In Festo Ascensionis Domini.

Et Dominus quidem Iesus postquam, &c. Marc. 16.

1. *De Ascendentis triumpho, nomine & gloria. 2. Adiuncta ascensus Domini. 3. Figuræ de Ascensione. 4. Ascensionis causa prior humiliatio Christi. 5. Posterior cœli reseratio.*

In Festo Inuentionis S. Crucis.

Sicut exaltauit Moyses serpentem, &c. Ioan. 3.

1. *Messiæ aduentus pacificus, non bellicosus. 2. De S. Crucis figuratione, & triplici cruce. 3. De titulis à SS. Patribus petitis. 4. Serpentis in deserto exaltatio cruci conueniens. 5. De Christo crucifixo, & miraculum salutis multis. 6. De S. Crucis virtute & efficacia, & à quo primum inuenta. 7. Historia inuentionis, & cur sic festiuitas appellata.*

In Festo S. Ioannis ante portam Latinam.

Accessit ad Iesum mater filiorum, &c. Matth. 20.

1. *S. Ioannes an mortuus, disputatur in vtramque partem. 2. Tenetur affirmatiua, & quomodo intelligendum: Non moritur. 3. Perfectiones in illo conglobatæ. 4. Prærogatiua singularis recumbentis supra pectus Christi. 5. Martyrium graphice descriptum. 6. De vsu & proprietatibus olei, eiusque symbola.*

In Festo Venerabilis Sacramenti, & per Octauam Conciones octo.

Memoriam fecit mirabilium suorum, &c. Psal. 110.

1. *Mysterium hoc credendum, non scrutandum. 2. De varia Ven. Sacramenti excellentia. 3. Tituli nonnulli panis Eucharistici. 4. Nonnullæ eiusdem figuræ. 5. De amore se dantis in cibum ac potum. 6. De pacto fœdere amoris. 7. De retributione amoris mutui.*

Infra Octauam Ven. Sacramenti Concio II.

Memoriam fecit, &c. Psal. 110.

1. *Quod Eucharistia sit mysterium fidei. 2. Heresum de reali existentia enumeratio. 3. Caluiniani Symboli eleuatio per figuras. 4. Cœnæ figurantis è verbis Domini refutatio. 5. Fides Catholica de præsentia corporis Scripturis astruitur. 6. Veritas Eucharistica docetur figuris & rationibus.*

Infra Octauam Ven. Sacramenti Concio III.

Memoriam fecit, &c. Psal. 110.

1. *De miranda fide Eucharistica 2. De peroso hæreticis vocabulo* Transubstantiatio. *3. Obiectiones hæreticorum contra idem. 4. Credita docetur Transsubstantiatio. 5. Rationes pro eadem confirmanda adducuntur.*

Dominica infra Octauam Ven. Sacramenti Concio IV.

Homo quidam fecit cœnam, &c. Luc. 14.

1. *Quod summa Dei liberalitas in hac cœna præcipuè reluceat. 2. Quis, quos vocet ad cœnam, &*

& cur sic dictam? 3. Cœna cur magna dicatur. 4. De inuitatis ad hanc. 5. De eandem negligentibus, cumq; mundo prandentibus. 6. De vecordia cœnam hanc negligentium.

Infra Octauam Ven. Sacramenti Cõcio V.

Memoriam fecit, &c. Psal. 110.

1. Quarum rerum monimentum sit hoc Sacramentum. 2. De existentia modo, & quantitatis loco. 3. De contento quanto & diuiso. 4. De existentia eiusdem pluribus in locis, sine loco tamen proprio. 5. De existentia accidentium. 6. Reiciuntur sensus hac in causa iudices.

Infra Octauam Ven. Sacramenti Cõcio VI.

Memoriam fecit, &c. Psal. 110.

1. Quod Dei beneficia nutrientis nos obligent. 2. De effectibus Eucharistia in anima quoad peccata & opera mortificata. 3. Effectus alij spiritales. 4. Quod communionis vis maxima sit ad charitatem. 5. Communio valet ad corroborandum. 6. De effectibus Eucharistiæ corporalibus. 7. Miscellaneum effectuum Eucharisticorum.

Infra Octauam Ven. Sacramenti Cõcio VII.

Memoriam fecit, &c. Psal. 110.

1. De honore mensæ Eucharisticæ. 2. Sub vna specie totum dari Sacramentum. 3. Præparatio communicaturo necessaria. 4. Expianti & expiato quæ necessaria. 5. De indignè sumentibus Eucharistiam. 6. Pars Epilogisat.

Infra Octauam Ven. Sacramenti Cõcio VIII.

Memoriam fecit, &c. Psal. 110.

1. Quod in vna Eucharistia sit & sacrificium & Sacramentum. 2. Missæ officium esse vere sacrificium probatur figuris V. Testam. 3. Item rationibus. 4. Ratio vna oratoria, ex more Dei, ex paruis initijs ad perfectionem ascendentis. 5. Idem docetur ex nouo Testamento scripturis & rationibus. 6. SS. Patrum consensus & vsus idem euincunt.

Appendix de vna & vtraque specie Eucharistica.

1. Totum esse Christum sub vna specie separatim. 2. De Eucharistiæ institutione & præcepto. 3. De vsu vnius speciei in Emaus. 4. De vsu eiusdem Apostoli. 5. De vsu & praxi Ecclesiæ. 6. De fructu Eucharistico quid Lutherani & Caluinistæ. 7. Obiectiones hæreticæ de præcepto institutionis. 8. De digna ad Eucharistiam accessione: an & qua necessaria.

In Festo S. Barnabæ Apostoli.

Hoc est præceptum meum, vt, &c. Ioan. 15.

1. De dilectione Dei & proximi generatim. 2. De parentum in suos amore corporali & spirituali. 3. De præcepto, cur nouum appellatum. 4. De dilectione Dei & proximi speciatim. 5. De Apostoli Barnabæ dignitate; & cur vir bonus. 6. De eiusdem humilitate aliisque dotibus

In Festo S. Ioannis Baptistæ.

Quis putas puer iste erit? Luc. 1.

1. De Baptista incomparabili excellentia. 2. De admiratione ista: Quis putas puer iste erit. 3. De dotibus gratiosis Ioannis. 4. De vita eius eremitica & facta. 5. vnde & quibus sit Magnus?

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Tu es Petrus, &c. Matth. 10.

1. Figura de mystico numero duodenarij. 2. De titu-

titulis & petra Petri. 3. Incomparabilis excellentia Petri ex potestate clauium. 4. De S. Pauli in prædicando auctoritate & scientia. 5. De gemina eiusdem charitate.

In festo Visitationis B. Mariæ Virginis.

Exurgens Maria abiit in montana, &c. Luc. 1.

1. De supereminente Deipara humilitate. 2. Visitatio quando & vbi contigerit. 3. De causis eiusdem. 4. Quam laboriosum iter per montana, & quid per hoc mysticè. 5. De præclaris eiusdem Visitationis effectis.

In Festo S. Benedicti Abbatis.

Ecce nos reliquimus omnia, &c. Matth. 19.

1. De mundi contemptu. 2. De verbis illis: Ecce nos reliquimus omnia. 3. Cur S. Benedictus mundum deseruerit. 4. De aliis præclaris eiusdem dotibus. 5. De Ordinis ipsius nobilitate.

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate, &c. Luc. 7.

1. De lacrymarum efficacia. 2. De muliere peccatrice, an publica, & soror Lazari. 3. De mulierum in genere vanitatibus & vitiis. 4. De circumstantiis peccatum huius peccatricis aggrauantibus. 5. De vanitate peccatorum vrbanorum. 6. De peccatrice pœnitente & lachrymante.

In Festo S. Iacobi Apostoli.

Potestis bibere calicem, quem, &c. Matth. 20.

1. De honorum mundanorum fucacia & nullitate. 2. Petitio indebita matris Zebedæadarum. 3. Amor inordinatus parentum in filios. 4. De responso Christi: Nescitis quid petatis. 5. De S. Iacobi titulis, cur Boanerges. *6. Alia eiusdem laudes.*

In Festo S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, &c. Matth. 13.

1. De B. Virginis perfectionibus. 2. Verum S. Anna pluribus nupta viris. 3. An plures illi, præter vnam fuerint filiæ. 4. De S. Annæ dignitate. 5. De eiusdem sterilitate, aliisq; mirabilibus in ipsa consideratis.

In Festo S. Petri ad Vincula.

Misit Herodes Rex, &c. Act. 20.

1. De Ecclesiæ splendore per figuras illustrato. 2. Iudicium diuersum mundi & Dei. 3. Festiuitas hæc cur ad Vincula dicta. 4. De nomine Vinculi. *5. Catenæ S. Petri moraliter expositæ. 6. De eiusdem liberatione per Angelos: & quid hoc.*

In Festo S. Laurentii Martyris.

Nisi granum frumenti cadens, &c. Ioan. 12.

1. De Martyrii præstantia. 2. Eiusdem elogia. 3. De Martyris Laurentii martyrio speciatim. 4. Eius in tormentis perferendis constantia.

In Festo Assumptionis Deiparæ Virginis.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi, &c. Cant. 6.

1. De supereminente B. Mariæ Virginis præcellentia. 2. De eius obdormitione. 3. De conuenien-

nientia suscitanda Mariæ, & seruanda ab incorruptione. 4. Probabilitates aliæ super eodem priuilegio. 5. Triumphus & gloria assumptæ. 6. De cultu Virginis & Matri debito.

In Festo S. Rochi Confessoris.

Sint lumbi vestri præcincti, &c. Luc. 12.

1. *Sanctorum vita & exempla imitanda. 2. De eorumdem historiarum vtilitate. 3. De vitio pestilentiæ. 4. De S. Rochi patria, ac rebus præclare gestis.*

In Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Exiit Iesus in montem orare, &c. Luc. 6.

1. *De duodenario Apostolorum numero. 2. S Bartholomæi origo, & an idem qui Nathanael. 3. De dignitate Apostolica generatim. 4. De eiusdem S. Bartholomæi speciatim. 5. De pelle eius decorticata.*

In Festo decollationis S. Ioannis Baptistæ.

Misit Herodes Rex, & tenuit, &c. Matth. 14.

1 *De feritate mulierum. 2. De dictis illis S. Ioannis:* Non licet tibi, &c. *3. Malitia Herodiadis. 4. S. Ioannis Bapt prærogatiua. 5. Crudelitas Herodis. 6. De S. Ioannis sanctitate & magnitudine.*

In Festo Natiuitatis Deiparæ Virginis.

De qua natus est Iesus, &c. Matth. 1.

1. *Infelicitas natalium hominum. 2. De nata Seruatrice, & curtam sero. 3. De gaudio ex Nata concepto. 4. Huius gaudii festiuitas. 5. De Nata meritis.*

In Festo Exaltationis S. Crucis.

Ego si exaltatus fuero à terra, &c. Ioan. 12.

1. *De S. Crucis veneratione. 2. De eiusdem maiestate figuris expressa. 3. De exaltatione ipsius multiplici. 4. De verbis illis:* Omnia traham ad meipsum.

In Festo S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ.

Vidit Iesus hominem sedentem, &c. Matt. 19.

1. *De verbi diuini efficacia. 2. De homine sedente in telonio. 3. De verbis illis,* Sequere me. *4. S. Matthæi vocatio, eiusque sequela. 5. Cur Binomius & Publicanus. 6. Eiusdem subita conuersio.*

In Festo S. Michaelis Archangeli.

Archangele Michael, constituite, &c.

1. *De Angelorum nostri custodia. 2. Angelos custodes ab hominibus deuote colendos. 3. Nonnulli effectus custodiæ Angelorum. 4. De quatuor portis humanis per vtrosq; Angelos obsessis. 5. De S. Michaelis inter Angelos præeminentia generatim. 6. In qua Hierarchia speciatim sit Princeps.*

In Festo S. Francisci Confessoris.

Confiteor tibi Pater, Domine cœli, &c. Matth. 11.

1. *De naturarum operatrice. 2. Expositio textus Euangelici. 3. Paruulorum exaltatio, & superborũ depressio. 4. De S. Francisci admiranda excellentia. 5. De vilitate Ordinis incepti & propagati.*

In Festo S. Dionysij.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, &c. Apoc. 7.

1. *Suprema summi Dei dignitas, regendique ratio.* 2. *Iustorum in hac vita afflictiones & impiorum læta fortuna.* 3. *De Areopagitæ conuersione mirabili.* 4. *De eius absolutissima in omnibus scientia.* 5. *De Prædicatorum condigno munere.* 6. *Aliæ Areopagitæ dignitates.* 7. *Eiusdem mors & martyrium fortiter toleratum.*

In Festo S. Lucæ Euangelistæ.

Designauit Dominus & alios septuaginta, &c. Luc. 10.

1. *De missis animarum curionibus in ætate gratiæ.* 2. *Modus Apostolicæ missionis.* 3. *Missi sine pera & al eis.* 4. *De S. Lucæ varijs scientijs.* 5. *De eiusdem boue symbolico.*

In Festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem, &c. Ioan. 15.

1. *De amicitiæ copula eiusque effectis.* 2. *Simonis Apostoli tituli.* 3. *De perfectione eius à virtutibus petita.* 4. *De Iudæ Apostoli vitæ meritis; & cur Trinomius.*

In Festo omnium Sanctorum.

Gaudete, & exultate, quia merces, &c. Matth. 5.

1. *De bonorum operum merito ac pretio.* 2. *Quanta Beatorum sit beatitudo.* 3. *Et qualis.* 4. *De octo beatitudinibus generatim.* 5. *De paupertate spiritus.* 6. *De mitibus & patientibus.*

In Festo Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

Requiem æternam dona eis Domine, &c.

1. *De mortis memoria.* 2. *Quam illa sit vtilis.* 3. *De cura pro mortuis.* 4. *Varia gentium variarum in mortuos cura.*

In Festo S. Marcelli Episcopi & Confessoris.

Ecce Sacerdos magnus, qui, &c. Eccles. 44.

1. *Quæ sint duæ dotes Episcopales.* 2. *Quæ item doctrina.* 3. *De vita ac virtute Episcopali.* 4. *De dicto vnum omissione Episcopali.*

In Festo S. Martini Episcopi & Confessoris.

O virum ineffabilem, nec labore victum, &c.

1. *Quales esse oporteat Episcopos.* 2. *De Sancti Martini statu militari, & admiranda charitate.* 3. *De eiusdem eremitico Monachatu.* 4. *De mundi statu & contemptu.* 5. *De fuga mundi, honoq; status monastici.* 6. *De Episcopatu S. Martini pauperis.* 7. *Eius inuictus zelus ac fortitudo.*

In Festo S. Catharinæ Virginis & Martyris.

Simile est regnum cœlorum decem virginibus, &c. Matth. 25.

1. *Virginitatis nobilitas maxima.* 2. *Comparatio variarum inter se statuum.* 3. *De præmio Virginitatis.* 4. *De S. Catharinæ patria, & donis gratuitis.* 5. *De eiusdem alijs exquisitis actibus.*

In Festo S. Andreæ Apostoli.

Ambulans Iesus iuxta mare, &c. Matt. 4.

1. *De vocatione diuina, eiusque in peccatore operatione. 2. De duplici eius diuisione. 3. S. Andreæ singularis prærogatiua. 4. Eiusdem ab aquis vocatio. 5. Crucifixio, & in pœnis subeundis constantia.*

In Festo S. Nicolai Confessoris.

Homo quidam peregre proficiscens, &c. Matt. 25.

1. *De abusu donorum Dei. 2. Expositio Parabolæ de homine peregre proficiscente. 3. De talentis. 4. Et eorum recto vsu. 5. De S. Nicolai præclaris dotibus.*

In Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis.

De qua natus est Iesus, &c. Matth. 1.

1. *De absoluta Dei potentia. 2. De Conceptione originali pura ipsius Deiparæ. 3. Variis ea figuris illustrata. 4. Rationibus Theologicis.*

In Festo S. Thomæ Apostoli.

Thomas vnus de duodecim, &c. Ioan. 20.

1. *Malorum fugiendum consortium. 2. De Thomæ incredulitate & ingratitudine. 3. Lapsus quorundam Sanctorum cur, & quomodo. 4. S. Thomæ conuersio quomodo facta. 5. De eius raptu & clamore:* Dominus meus, & Deus meus. *6. De seruatis Christi vulneribus.*

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

PARTITIO.

I. *De mysterio Incarnationis generatim.*
II. *De gemina Christi generatione.*
III. *De generatione in tempore figuræ.*
IV. *Nostra inde documenta figuris illustrata.*
V. *De involuto panniculis Iesu.*
VI. *Magna, mira & læta in illius natiuitate accidentia.*

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan. 1.

FIGVRA.

CELEBRIS ille diuinæ iustitiæ præco, & humani generis ex parte pditi reparator Noe, quem Poetæ bifrontem, & bicipitem Ianum appellant quod & mundi statum, qui ante diluuium fuerit, & qui post diluuium, viderit; cum diuino iussu arcam cum suis intrasset, vniuersum hominum quod restabat genus, diluuio & fluctibus eripuit, & in tuto collocauit. Figuram hanc hodie reipsa adimpletam cernimus, Auditores. Videmus hic namque, vt Iesus Christus, verus ille Noe, ex diuino decreto, quod ab ipsa mundi constitutione latum erat, humanitatis nostræ arcam ingrediens, ab æternæ damnationis diluuio vniuersum genus hominum eripiat, & in libertatem asserat. O diem fœlicem! ô fortunatum nuntium! diem, in qua Verbum fit caro, homo in diuinam naturam cooptatur, qua denique virgo intacto parit pudore! diem plenum miraculis & portentis, in qua vnigenitus æterni Dei filius nascitur ex Virgine, quando tugurium ei loco palatii, præsepium loco cunarum, fœnum & palea loco stragulorum, & aranearum telæ loco aulæorum, bos & asinus loco sociorum, pastores loco inuisentium fuêre, diem, qua decantanda sunt natalia, & millies decantanda, idque summo cum iubilo & exultatione. Quod vt accuratius maiorique cum fructu fiat, Christi mihi incarnatio, aduentus natiuitas, & quidquid admirabile in eodem accidit, modo cœlitus gratia suggeratur, & glorioſa illa puerpera mater Saluatoris precibus nobis suis auxilietur, latius deducenda sunt: quamobrem Bethlehem vnanimes adeamus, & communi eam salutatione compellemus:

Gen. 7.

Bessai tom 3 de Sanctis.

AVE MARIA.

Isaias Propheta cum Incarnationis Filii Dei ordinem, eiusque generationis seriem I. *Isai. 53.*

& quidquid in eiusdem ortu accidit, recensere decreuisset, communi narrandi describendique ordine relicto admirans exclamauit; *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium.* Quod ipse olim de æterna vel etiam temporali verbi Dei generatione admirans dixisti Propheta, idem hodie de illius ego natiuitate dicere compellor, atque exclamare, *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? natiuitatem eius*, partum Virginis, & admirabilem eius in hunc mundum introitum *quis* digne *enarrabit*?

Lib. de Patriarch. Benedictum. 23.

Refert Ambrosius occultum & obscurum esse, vnde Rhinoceros animal illud ferocissimum trahat originem: animali huic in scriptura collatus reperitur Deus, *fortitudo eius similis est Rhinocerotis*; vt hinc manifestum fieret, natiuitatis eius quo ad diuinitatem secreta & arcana ab humano ingenio intelligi & percipi non posse, sed obscurissima esse, ac penitus ignota. Verbum Patris, Auditores, verus Rhinoceros est, sed fortis & omnipotens, cuius origo, nec in quantum Deus, nec in quantum homo, à quoquam potest agnosci: est namque secretum penitus latens & absconditum.

Sapientissimus etiam mortalium Salomon, quippe qui cœlitus sapientiam nactus erat, hic inscitiam suam & ignorantiam confitetur: ait enim, tria se ad intelligendum difficilia, & ingenii captum excedentia reperisse, quartum autem penitus incomprehensibile. Audiamus eius verba;

Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cœlo, viam nauis in medio mari, viam colubri super petram, & viam viri in adolescentia.* Prima hæc difficultas designabat Christi in cœlum ascensum, secunda eiusdem passionem, & gloriosam illius resurrectionem; tertia, & postrema natiuitatem eius; quando nimirum humanam naturam inductus magna subtilitate & occulte admodum, per sacratissimum Virginis vterum nullo in eodem transitionis suæ relicto vestigio pertransiuit,

Psal. 76. *Et vestigia eius non cognoscentur.*

Quid porro mirum cæcutire hic Salomonem, cum ipsimet Cherubim, spiritus illi perspicacissimi, inque omni scientiarum genere versatissimi iam à primo creationis suæ tempore, nihil hic omnino intellexerint, sed aperte confessi sint, captum hoc suum penitus superare. Legimus enim in Ezechiele, portentosa illa animalia, facta in cœlis voce, attonita stetisse, alasque submisisse, *Cum fieret vox super firmamentum,* *Ezechiel.* *quod erat super caput eorum, stabant animalia, & submittebant alas suas.* Porro vox illa, quæ in cœlo audiebatur, quæque animalibus admirationem incutiebat, erat vox illa, *Verbum caro factum est*; vox inquam, qua denuntiabatur filius Dei nasciturus. Nam subiicitur mox, *Et similitudo hominis erat super firmamentum.* Ad vocem hanc Cherubim consternati & perculsi, intellectus alas submittunt, negantque sibi ad mysterii huius amplitudinem inuestigandam mentis acumen sufficere.

Et sane Cyprianus, celeberrimus ille Ecclesiæ Doctor, humano natiuitatem hanc ingenio negat comprehendi posse, ait enim, *In cæteris mirabilibus quocumque modo aliqua satisfaciunt rationes, hic solum me complectitur stupor.* Id est, aliquo quidem modo reliqua Christianæ religionis mysteria comprehendi possunt, sed incarnationis & natiuitatis filii Dei penitus nequit intelligi, omnemque humani ingenii captum excedit, vt nonnisi admirationem quandam relinquat. Vnde Ecclesia verba illa, *Et homo factus est*, pro- *Ioan. 1.* nuntians, velut in admirationem, & extasim rapta, genua in terra figens, se humiliat & prosternit. Et quis obsecro hæc audiendo non admiretur?

Ser. de Christi natali.

Salomon Rex postquam superbum illud & magnificum templum exstruxisset, & Arcam Domini sub alis Cherubim collocasset, innumerasque victimas immolasset, cum templum gloria Domini repletum cerneret, iuxta quod olim Deus promiserat, genibus in terra positis, & palmis in cœlum extensis, alta voce inclamare cœpit: *Ergone credibile est, vt habitet Deus cum hominibus terram?* Si Salomon Deum cum hominibus commorari tantopere miratus est; *2. Par. 6.*

idque

idque nonnisi in nebula, & spissa caligine quid obsecro dixisset, feciſſetque, si quo nos hodierno die videmus, vidisset, Aeternum nempe Patris Verbum carnem induere, hominem fieri, nasci, vt hominem atque inter homines, & cum hominibus conuersari?

Magi Chaldæi, cum Nabuchodonosoris somnium interpretari non possent, aut quid designaret diuinare, insciciam suam libere confitentes dixere, *Sermo, quem tu quæris, Rex, grauis est, nec reperietur quisquam, qui indicet illum, exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Non putabant ecce hi fieri posse, Deum cum hominibus commorari, sed errant, & nimium quantum errant: veniant enim mecum, & ostendam eundem è virgine nasci in stabulo, & hominem factum, atque adeo cum bestiis conuersatum: & hoc ipsum obstupescant. Quod autem vos, ô Magi, non potestis comprehendere aut credere, Propheræ nobis nostri a longo tempore designarunt. Baruch in primis: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Item Ieremias: *Habitabo vobiscum in isto loco.* Quin etiam Dauid: *Vt inhabitet gloria in terra nostra:* & post omnes Euangelistas, qui eundem cum hominibus agentem conspexit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, non quidem in rubi flamma, aut in nube, vt olim in vertice Sinai, sed in nostra humanitate, carne mortali, atque inter Virginis brachia. O sublime mysterium! ô miraculum omnium miraculorum maximum! ô torrentem imperuium & intranabilem! cuius olim Ezechiel figuram vidit.

Baruch.3. *Ierem.7.* *Psal.84.* *Ioan.1.* *Ezech.37.*

Ostendit huic olim Dominus torrentem rapidissimum, qui è domo Domini emanabat: hunc cum diuino iussu transiret, aquæ primum talorum, deinde genuum, mox lumborum tenus ascendebant, sed cum procederet vlterius, & caput vnda transcenderet, niab Angelo esset eductus, immersus periisset.

Torrens hic Auditores Sacræ Scripturæ scientiam designat: quem cum ingredimur, mundi creationem in ipsa ripa deprehendimus, quam facile quisque intelligit; & in qua aqua nonnisi ad genua vsque pertingit. Nam & Plato & Aristoteles eandem perfectam habuere.

Sequitur deinde primi parentis status, iustitia inquam illa originalis, illius amissio, & omnis posteritatis ruina: est hic torrens nonnihil profundior, sed si vlterius etiam progrediamur, nostræque redemptionis, Verbi Incarnationis, natiuitatis filii Dei, idque ex Virgine, mysterium attingimus, aqua in tantum excrescit, torrens adeo insurgit, nulla vt arte tranari possit, aut transuadari, id est, à nullo etiam subtilissimo intelligi hæc omnia queant: quotquot enim temere eundem tentare, aut ingredi præsumpsere, naufragium misero sane exemplo passi sunt. Imprimis impius Cerinthus, qui sub Traiani vixit imperio, cum hunc inconsulto ingressus esset, paruuli huius diuinitatem negans, (ad cuius hæresim confutandam Ioannes, referente Hieronymo, Euangelium suum scribere adortus est) misere submersus est. Mox infelix ille Cerdon, qui duos in rerum natura deos, bonum vnum, alterum malum constituens, (à quo, teste Tertulliano, Marcion hæresim hausit) negat hunc verum hominem esse, vt docent Epiphanius, Irenæus, Augustinus lib 10. de consensu Euangelistarum, & lib. de Hæresibus.

In catalog. de scrip. Eccles.

Hęreses diuersæ circa Dei filii incarnationē.

Manes Persa, cuius peruersa dogmata plusquam centum annorum spatio, Arabiam, Aegyptum, Africam occuparunt, nouem quoque annis Sancti Augustini mentem dementarunt; credebat, hunc non nisi imaginarium hominem esse, ac spiritum quendam in corpore phantastico conclusum.

Valentianus, qui anno post Christum natum centesimo quinquagesimo, sub Antonini imperio, Romæ prodiit, cuiusque errores Irenæus recensuit, asserebat, corpus eum suum cœlo attulisse, non vero è Virgine assumpsisse. Nestorius Constantinopolitanus Patriarcha, is inquam, qui Mariam Θεοτόκον, id est, Deiparam debere appellari, & Deum à Iudæis crucifixum negabat, quique in Synodo Ephesina, præsidente eodem Cyrillo Alexandrino, condemnatus

fuit, & in ordinem redactus impie docebat, duas in eodem personas, non secus ac naturas exstitisse. Eutyches vero è contra adstruebat, duas hasce naturas inter se permixtas esse, & vnam in alteram, humanitatem nempe in diuititatem commutatam. Arrius denique Alexandrinæ Ecclesiæ, Diaconus, quem trecentū octodecim Patres Niceæ in Bythynia congregati condemnarunt, cuiusque hæresis totum pene Orientem infecit, & trecentis & amplius annis in Ecclesia perdurauit, (donec Monachus quidam Arrianus, Sergius nomine, Alcoranum composuit, quo Mahumetanorum errores per orbem diffusi sunt) is inquam Arrius docuit, Christum non nisi meram, ac puram creaturam esse, nihilque cum diuinitate habere commune. O blasphemiarum plaustra! ah tristia horum omnium naufragia.

Hic igitur torrens tranari nequit, & vt rem apertius dicam, hoc à nemine mysterium comprehendi potest. Si enim sensus exteriores in consilium adhibeas, non vident nisi paruulum, qui in stabulo, cæterorum more infantium, plorat & vagit: si rationem adeas, dicet libere, sibi hic hærere aquam, & nescire quomodo qui æternus est, nascatur in tempore, qui impassibilis, patiatur, qui infinitus, certis limitibus & finibus circumscribatur; & quomodo homo, qui ne quidem leo fieri potest, in diuinam naturam conuerti queat. Quantæ hic voragines & abyssi? proh quanta profunditas?

Helisæus Propheta corpus suum in corpus pueri viduæ extensurus, membraque membris adapturus, occlusit ostium, ne cui hoc patesceret, sed occultum permaneret. Designabat hoc admirabilem verbi diuini cum humanitate nostra vnionem, illiusque magnitudinis ad nostram paruitatem proportionem; per quam nos, velut paruulos mortuos resuscitauit. Voluit autem omnia hæc quam secretissime peragi, ne cui hoc mysterium vel Angelorum, vel hominum innotesceret. Hoc nempe ænigma est olim à Samsone Philisthæis, id est, hominum intellectui, datum, *Verbum enim caro factum est*, tantam difficultatem includit, quantam *Leo melle plenus*. Hoc Euangelista vobis hodie ad diuinandum proposuit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: in quo & ipse interpretis munere fungens, dupliciter distinguam. Primo natiuitatis huius triumphum, & historiæ seriem latius deducam; deinde quidquid in eadem eximium & admirabile contingit, aut etiam delitescit, exponere conabor. *Iudic.* 14.

II. Duæ in Christo natiuitates.

Principio igitur, antequam longius prouehar, & sinus in ventos laxem, quo mysterium hoc melius intelligatur, scire vos inprimis velim, duas in Christo natiuitates, quemadmodum & duas generationes esse, æternam vnam, & alteram temporalem: illa, ab æterno genitus, è fœcunda Dei Patris memoria velut sinu, & Verbum natus est; hac vero in tempore de Spiritu conceptus, sacratissimo virginis vtero, & homo prodit. A priore Ioannes Euangelium suum exorsus est, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, in secundam vero desinit, *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Hac natus est, vt homo è fœmina, illa vero vt Deus è Virgine: hæc causa est, vt instar paruuli pannis obuoluatur; illa, vt velut Deus ab Angelis adoretur: hæc vt instar inopis & miselli iaceat in præsepio, illa vt Magis adoretur, à stella noua denuntietur, à pastoribus velut omnipotens ac totius vniuersi Creator inuisatur. E quibus omnibus conuincitur, duplicem illius natiuitatem esse.

Nam vt in veste aliqua auro picta, quæ byssо tenuissima cooperta sit, transparet per foramina & incisiones interdum splendor ille interior & rutilans aureorum filamentorum fulgor: Ita hodie in pretiosa illa diuinitatis veste, quæ sub vili humanitatis nostræ velamento cooperta latet, elucet interdum per foramina carnis nostræ, eiusque opera diuinus quidam maiestatis & magnitudinis fulgor. An non enim ingens splendor est, Herodem Regem potentissimum tremere, reges ab vltimo oriente ad adorandū venire, stellas occurrere, Pastores confluere, Angelos in terram descendere? an non ex his omnibus diuinitatis quidam radii elucent?

Paucis-

Pauciſſimis verbis vtramque hanc natiuitatem Pſaltes expreſſit, *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* Quod expo- *Pſal.61.*
nens Auguſtinus ait: *Quomodo ſemel locutus eſt Deus, & ſecundo ſonuit, niſi quia Verbum intranſgreſſibile procedens à corde Patris ſuſcepit carnem, vt eſſet homo in vtero matris?* *In orat. cont. Iudæos & Arrianos.*
Quibus è verbis duo myſterii huius mirabilia colligere eſt; primo poteſtatem quandam in Deo admirabilem, qua in tantum naturam noſtram exaltauit, vt eam verbo diuino coniunxerit, ſecundo miſericordiam quandam infinitam, quo verbum ſuum humiliatum exinanitum voluit, noſtræ id naturæ copulando.

Et quamuis vtrumque hoc admirabile ſit, longe tamen admirabilius eſt, diuinam maieſtatem adeo humilia, tam quam hominum naturam ad tantum decus & honorem euectam cernere. Quod & Leo magnus credidit, à quo ipſe hauſi, *Mirabilior ſit nobis in Deo humilitas, quam poteſtas; & difficilius capitur diuinæ maieſtatis exinanitio, quam ſeruilis formæ in ſummæ proueſtio.* Quod Euangeliſta duobus verbis innuit, verbum caro factum eſt.

Ait aperte, *Verbum*, & non *Filius*, vt ita generationem quandam ſpiritualem inſinuaret, nihilque carnale menti, aut corporeum occurreret, nam quamuis vere ſit filius, non tamen cogitandum eſt, eodem eum à Patre, quo ceteri, modo genitum, ſed alio quodam occultiori & nobiliori. Vnde bene vates regius, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, id eſt, in magno illo æternitatis die, quæ nocte careat, tempore illo admirabili, quod omnia complectitur, in quo nullum præteritum, aut futurum, & cui omnia velut præſentia ſunt. Addit etiam, *dixit*: quia verbum Dei illius generatio eſt, os eius mens eius eſt, atque actus ille, quo filius producitur loquela, aut verbum à ſanctis Patribus appellatur. *Pſal.2.*

Pater igitur æternus, omnem ſuam eſſentiam cognoſcens, filium quendam ab æterno progignit, qui Verbum dicitur, eo quod per modum intelligentiæ procedit, filium quoque connaturalem, quia eiuſdem cum Patre naturæ eſt genitus, atque is ipſe, qui hoc modo ab æterno natus eſt, hodie in tugurio magna in mendicitate naſcitur, *Et Verbum caro factum eſt.* Rei hiſtoria ita ſeſe habet.

III.

Glorioſiſſima Virgo cum grauida & vterum ferens è Nazareth in Bethlehem, cum fideliſſimo corporis ſui cuſtode Ioſepho deſcendiſſet, Auguſti Cæſaris edicto obſecutura; quo vniuerſus orbis deſcribebatur, & vnuſquiſque in ciuitate ſua profiteri nomen debebat; cum pariendi iam tempus adueniſſet, nec locus in diuerſoriis propter affluentem hominum à cunctis locis multitudinem ſuppeteret, ſtabulum & tugurium, in quo animalia ſtabulabantur, ô rerum inopia! ingredi coacta eſt, & in eo peperit filium ſuum primogenitum, quem pannis inuoluit, & in præſepio reclinauit.

O beatum partum! ô felix puerperium! ô tempus tot votis & ſuſpiriis veterum Patrum expetitum! Hic ſcilicet figuræ veteres adimpletæ ſunt, & quidquid olim præſignatum, hodie reipſa contigit. Videte enim, vt Noe noſter, finito damnationis diluuio, arca, vtero inquam Virgineo egrediatur, quo humanum genus reſtauret, homines in veram libertatem aſſerat, & à damnatione immunes reddat. Figuræ veteres in Chriſti natiuitate cõpletæ.

Videte laterculum, monte hodie deſcendentem, à nemine tamen impulſum, qui ſtatuam comminuet, ſuaque magnitudine vniuerſum terrarum orbem replebit. Lapis hic Chriſtum deſignat (*Petra autem erat Chriſtus*) qui hodie vtero Virginis, quæ in ſacris litteris montis nomine ſæpius appellatur, (*Mons in vertice montium*) ſine vllo hominum adminiculo, ſed cooperante tantùm Spiritu S. deſcendit, qui peccati idolũ deſtruet, atq; euertet; & nominis ſui gloria orbem replebit, nam *à ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini.* Videte hic opulentum illum fluuium, qui inſtar torrentis rapidiſſimi paradiſo voluptatis emanat: videte, inquam, Dei filium, qui è virgine, quæ vere paradiſus voluptatis eſt, hodie egreditur, fluuium illum infinitas ſecum diuitias trahentem, torrentem illum aquæ viuæ, quæ *Pſal.112.*

animas nostras perlauabit, peccatorum maculas eluet, mundumq; vniuersum fœcundum & vberem reddet, fluuium illum admirabilem, de quo in Ecclesiastico legimus:

Eccl.24. *Ego quasi fluuius Dorix, ego quasi aquaeductus exiui è paradiso.*

Nunc ad oculum patet ænigma illud obscurissimum, quod Ioannes olim in Apocalypsi sua proposuit: *Vidi*, inquit, *alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius.* Angelus hic, Auditores, Iesu Christi, qui vere Angelus Testamenti est, imaginem gessit, hic enim cœlo cum descendisset (*à summo cælo egressio eius*) nocte hac virgineo egreditur vtero, carnis nostræ nube coopertus, crucis aliquando iridem in capite gestaturus, quæ vere arcus cœlestis est, ac pacis inter nos & patrem illius initæ symbolum.

Apoc.10.

Psal.18.

Prædixit olim Isaias venturum aliquando tempus, quo Dominus super nubem leuissimam veheretur, itaque Ægyptum ingrederetur, ad cuius ingressum omnia illius simulachra comminuta in terram deciderent. Audiamus oraculum: *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingreditur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius.* Post longam disquisitionem videntur hęc omnia mihi hoc natali Domini die contigisse, hodie quippe paruulus ille, qui in præsepi vagit, humanitatis nostræ nube, & quidem leuissima, quia nullo peccati pondere grauatur, vectus Ægyptum mundi huius ingreditur, & ecce ad eius introitum omnia idololatriæ simulacra, & mundi idola prosternuntur in terram, & inimici nostri in fugam se coniiciunt.

Isai.19.

Hodie quoq; omnia omnium Prophetarum oracula finem accipiunt, & vera fuisse, comprobantur, vt inprimis illud Malachiæ, *Orietur vobis Sol iustitiæ* Non immerito autem gloriosam hanc Domini natiuitatem soli exorienti comparat: nam quemadmodum sol mane exoriens, & in nostro horizonte apparens, relictis Antipodum sedibus idem omnino sol est, qui hactenus, & ab initio fuit, quamuis nobis recenter oriens, nouus esse videatur. Ita quoque Dei filius, tametsi hodie natus ex Virgine, esse non incipit, erat quippe ab æterno: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*; hodie tamen nobis recenter exoritur, nostram indutus carnem, humanaq; e natura circumuestitus: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Eadem loquendi ratione vsus est Zacharias, quem etiam Prophetam appellare licet, *Visitauit nos oriens ex alto:* non ait tantum *orien*, sed subiungit *ex alto*: quod is, qui filius erat Altissimi, cœlo descendens, terramque visitans, homo factus hominibus sese ostenderit.

Malach.4.

Vterq; vates ecce Christi natiuitatem soli exorienti comparat, forsitan, vt innueret, idem hic omnino contingere, quod olim Ezechiæ regis tempore accidit. Hodie namq; sol iustitiæ solitum cursum interrumpit, decemque gradibus retrocedit. Ipse quippe Dei filius hominem induens infra nouem Angelorum choros descendit, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis:* & mox, *verbum caro factum est*, an non igitur decem gradibus retrocessit? O quanta humiliatio, quanta retrocessio! is, qui æterno fratris sinu egredi solebat, hodie temporali Virginis vtero egreditur: dicitur namque, *Et peperit filium suum primogenitum.*

4.Reg.20.

Hodie quoque completur, quod in ipso mundi exordio contigit, quando nimirũ Adę dormienti Dominus costam abstulit, ac nouam eius loco carnem indidit, quo facto excitatus protoplastus, oculosque in Euam cõiiciens, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* Hac de re ad Ephesios agens Paulus, mysterium hic magnum latitare insinuat, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo.* Omnes enim Patres, & imprimis Augustinus, docent maximum hic ab initio mysterium designari, quod in verbi incarnatione & admirabili eius è Virgine Natiuitate contingere debebat. Pater siquidem æternus vnam è costis suis, i.e. verbum suum, quod in intellectus eius sinu delitescebat, carne nostra mortali cooperuit, idq; vnione quadam admirabili. Nam verbum & caro post hanc copulam nonnisi vnam hypostasim constituebant, adeo vt Deus factus sit homo, & vicissim homo Deus, & verba illa Adæ vsurpare potuerit, *Hoc nunc os ex ossibus meis,*

Gen.2.

Ephes.5.

meis, & caro de carne mea. Non possum autem satis similitudinem hanc demirari, quæ tam scite Verbum carnem factum, & humanitate nostra circumdatum, ossi, quod carni & corpori vnitum est, comparet.

1. Verbum incarnatū cōfertur costę & ossi Adæ.

Primo, sicuti os vel costa sub carne semper aut pelle delitescit, ita verbum illud Dei, carni humanæ annexum semper sub eadem latitat, corporisq; nostri densitate, veluti tenebris quibusdam obsidetur: quo alluisse visus est Psalmista, dum canit: *Quipo uit tenebras latibulum suum*, ac multo apertius Isaias, *Vere tu Deus absconditus*, sub mortali humanæ naturæ pelle delitescens.

Psal.17.

Isai.45.

2.

Secundo, sicuti ossa iuxta medicos, natura sua nullum sentire dolorem quunt, cum nulla anima sensitiua, sed sola vegetatiua, prædita sint, adeo vt quamuis aliquem interdum cruciatum sentiant, hoc non è natura sua, sed propter carnem, cui vnita sunt, fiat. Ita Verbum Patris ex se nullum dolorem aut cruciatum sentire, nullum laborem perferre, nihil pati, etiam in præsepio positum, poterat. Sed penitus impassibile erat: adeo vt quidquid hodie in stabulo ferat, totoq; vitæ tempore passurum sit, carni nostræ, quam sibi adaptauit, sit adscribendum. Vnde in passione illius adimpletam illam prophetiam legimus, *Os non comminuetis ex eo:* eo quod os illlud Verbi diuini in cruce semper integrum & immutabile permansit, nulli læsioni, aut vulneri obnoxium.

Ioan.19.

3. *Arist.2. de par. anim.*

Tertio, quemadmodum ossa in corporum nostrorum compositione & compagination carnem exteriorem sustentant, vt doctissime demonstrat Aristoteles, non secus quoque Verbum illud diuinum in paruulo illo, qui hodie nascitur, instar ossis semper se gessit: ipsum namque carnem illius sustentauit, ipsum fuit, quo subnixus actiones illas admirabiles, quibus salutem nostram operatus est, edidit, vnde Dominus IESVS CHRISTVS, veluthomo, sibi ipsi, vt verbo, loquens ait apud Prophetam, *Diligam te D mine*, ô verbum æternum, in sempiternum, quia tu es *fortitudo mea*, robur & auxilium meum, *Dominus firmamentum meum*, atque Deus meus, & omnibus in rebus protector & vindex, qui portat omnia verbo virtutis suæ. Hoc igitur os, verbum hoc, Deus denique ille, humanitatis nostræ carne vestitus, hodie ventre virginali egreditur, pannis inuoluitur, & in præsepio reclinatur.

Psal.17.

Hebr.1.

Totus hic orbis obstupescat, hoc demiretur, hic præ admiratione mortales deficiat & consternentur. Abacuc quidem Propheta natiuitatem hanc & paupertatem verbi Dei demiratus animo concidit & expaueſcit: ita namq; secundum Septuaginta eius verba leguntur: *Considerauit Domine opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cognoscēris*, qui medius inter Angelorum choros versari solebas. Et quis, obsecro, non miretur, Domine, cum te in tanta paupertate nascentem videat, in stabulo loco palatii, in præsepio loco throni reclinatum, in palea loco aulæorum extensum, à pastoribus loco purpuratorum stipatum. Quid, Domine mi, quid nasceris in tugurio, viuis in deserto, in cruce denique nudus moriris? quis hic non obstupescat? quis ad tantam tuam paupertatem non expaueſcat?

Abac.3.

Admiratur Propheta vile id duorum animalium consortium, *In medio duorum animalium cognoscēris*, & merito; quis enim hoc vidit vnquam? simul etiam magnum aliquod mysterium innuebat. Vetuit olim Deus agros asino & boue vni iugo copulatis proscindi: *Non arabis in boue simul & asino.* Hoc nempe in Messiæ aduentum reseruabatur; videte namque vt tugurium subeat, præsepio se admoueat, bouem & asinum combinet, & vni iugo adcopulet, vt vastum mundi huius agrum proscindat, crucis suæ vomere inculta eius arua subigat & præparet, quo sementem Euangelii suscipiant. Quis non obstupescat hæc omnia perpendens, & Deum in præsepio reclinatum videns?

Deut.22.

Regina Sabæa, visa Salomonis maiestate, ministrantiumque decore & ornatu, adeo obstupuit, vt spiritus vltra in ea non remanserit. Quo quæso stupore eadem fuisset perculsa, si nostri Salomonis paupertatem intuita fuisset? si eum pannis vilibus inuolutum

2. Paral.2.

lutum, in fœno iacentem, in duro præsepio reclinatum conspexisset? Si, inquam, filium Dei in stabulo ventis peruio & putido natum, inter animalia constitutum vidisset? tunc scilicet præ stupore non fuisset spiritus vltra in ea.

Daniel Propheta cum Angelum splendidis indutum vestibus conspiceret, in tantum expauit, vt exanimis in terram conciderit, & dixerit: *Domine mi, in visione tua dissoluta sunt compages mea, & nihil remansit in me virium, & quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim remansit in me virium, sed & habitus meus intercluditur.* Quid? vnius Angeli conspectus si sanctissimum virum potuit percellere, quomodo omnium Angelorum Regis eum paupertas perculisset, qui tanta modo in egestate in stabulo iacet, medius inter animalia. Merito igitur hic homines simul & Angeli obstupescant. *Dan.10.*

III. Prodeant iam in scenam figuræ veteres, sed elucidatæ, & iam non amplius figuræ. Hodie scilicet Arca Testamenti sub pellibus sita est, id est, diuinitas sub humanitatis nostræ delitescit pellibus: quamobrem ad confusionem nostram merito illud Dauidicum dicere possumus: *Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & arca sit in medio pellium?* *2.Reg.7.* & illud Vriæ: Arca Domini in deserto exposita est cœli iniuriæ, ac sub tentoriis militaribus, & Dominus meus Ioab super faciem terræ manet. Sacræ scilicet humanitatis Domini nostri arca Regum & Principum palatiis electa, diuersorioque carens, in stabuli deserto commoratur: & summus ille dux Christus, carnis nostræ loricam indutus, super dura in tugurio, inter bouem & asinum iacet. Hodie Rex Israel, bello decertaturus, habitum mutat, id est, hodie Filius summus ille Regum Rex colorem, schema, & maiestatem exuit, & alium habitum assumit; cum Deus esset, homo; cum magnus, paruus; cum opulentus pauper effectus est, bellum & conflictum cum peccatis, ac diabolis initurus. *2.Reg.2.* *3.Reg.22.*

Hodie manus illa Mosis sinu educta lepra inficitur: id est, hodie filius Dei æternitatis sinu eductus, dextra illa Patris, formam peccatoris, qui spiritualiter leprosus est, induit; vnde Isaias, *Nos putauimus eum quasi leprosum.* Obseruauit idipsum Psalmographus, dum ait: *Hæc mutatio dextræ excelsi.* Ille siquidem, qui in Angelos exercere dominium solebat, bestiis hodierna die obsequitur, ille qui cœlos & cœlestia habitacula incolere solebat, in stabulum se recipere compellitur; ille, cuius maiestatem & nutum tota terrarum machina tremere solebat, coram bestiis hodie plorat & contremiscit. O rerum vices! ô subitam metamorphosim! ecquæ Deus bone hæc mutatio! Exclamare igitur cum Psalmographo potero, & cum Patre cœlesti expostulare; *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo,* vt eam mundo in summa nuditate manifestes? *Isai.53.* *Psal.76.* *Psal.73.*

Legitur Alexander Macedo, Perside subacta, Persicum etiam habitum assumpsisse, Macedonico tamen cultu non omnino neglecto, quo vtriusque sibi gentis amorem & beneuolentiam conciliaret. Ecce potentissimus ille cœli ac terræ Monarcha Christus Iesus, mundi limites ingressus, vt in hominum sese amicitiam insinuaret, eorumque animos demulceret, humano se more vestiuit, humanum schema & formam induit, vestem inquam discolorem, quæ tum ad diuinitatem, tum ad humanitatem referri queat, *Et verbum caro factum est,* & alibi manifestius, *Et habitu inuentus vt homo*; vti ad oculum videre possumus: iacet enim in præsepi pannis inuolutus. *Phil.2.*

Ionas Propheta cum Niniuen ingressus, per plateas ac vicos inclamasset, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*; Rex, vt flagellum, quod Dominus parabat, auerteret, vrbisque & regni cladem auerruncaret, purpuram exuit, sacco & cilicio lumbos accingit, cinere & sordibus caput conspergit, omnemque fastum regium repudiat, ac fastidit. Simile quid hodie videbimus, Auditores. Inclamabat siquidem æterna Iustitia, Pereat nefanda illa Adami progenies, vindictam & flagellum perfida illa præuaricatio promereatur, damnetur homo, supplicium contumaces illi luant: & ecce confestim summus ille cœlorum *Ion.3.*

Mo-

Monarcha loco se proripit, vt Patris furorem & irā mitiget, palatio suo egreditur, SS. Trinitatis thronum deserit, diuinitatis splendorem ac maiestatem exuit, & sacco se humanitatis nostræ cooperiens, ac mortalitatis nostræ cineribus caput aspergens, in præsepio extensus & pannis inuolutus iacet.

Exod.33. Hebræi cum idololatriæ mania in præceps acti vitulum aureum diuinis affecissent honoribus, eumque velut libertatis vindicē, omniumque bonorum largitorem nequiter adorassent, præcepit Deus, vt in corde contrito & humiliato ad se conuerterentur, omnem ornatum extrinsecum deponerent, aurum & monilia reiicerent, & ciliciis membra edomarent, si placato vti vellent numine, quod & ita factum est. Idololatriæ crimen incurrerat homo creaturā creatoris loco adorando, diuinamque iustitiam in se prouocauerat; & ecce vnigenitus Dei filius, vt Patris iram auerteret, furorisque illius actum exstingueret; magnificentiam illam regiam diuinam maiestatem ad tempus seponit, inque stabulo pœnitentiæ veste indutus nasci voluit.

Exclamare igitur libere potero, ô ingens humilitas! ô amor ineffabilis! ô paupertas extrema! ô mutatio penitus admirabilis! vt nimirum is, qui Angelos inter agere consueuerat, medius inter diuinas personas esse, in throno gloriæ considere; modo in stabulo habitet, in fœno & stramine extensus sit, inter bestias agat, & in præsepio aulam teneat: *Ser. de Nat. Christi.* *Heu quantum mutatus ab illo Hesore!* Explicat hanc metamorphosim egregie Cyprianus, *Panniculi pro purpura, pro bysso ornatu regio lacinia congeruntur*, vt ita humilitatem disceremus. Hinc mater eius voluntati satisfacere volens, & eiusdem cum illo desiderii, *pannis eum inuoluit.*

V. Quatuor de causis homines cōquerebantur.

Quot nobis mysteria declaratis, ô panniculi, quot occulta & arcana Sacramenta inuoluitis? Quatuor olim de causis homines de Deo conquerebantur: primo, quod esset quodammodo inaccessibilis, & non nisi magno sudore ac difficultate inueniretur. Atque hinc clamabat ad Dominum Dauid, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Optat ec-

1. *Psal.41.*

ce, vt Deus humana forma indutus hominibus sese manifestet. Deinde, quod manus 2.
eius nimis essent graues. Ita enim de eisdem conquestus est Iob, *Manum tuam longe fac à me.* *Iob.13.* Tertio, quod nimis esset in loquendo 3.
austerus & durus. Hinc Hebrei dixere Moysi, *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* *Exod.4.* Postremo, quod tametsi placidum se demonstraret, super thronum tamen plenus maie- 4.
state & gloria consideret; vnde Isaias: *Vidi Dominum super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim stabant, & clamabant, Sanctus.* *Isai.6.* At desinant iam de Deo conqueri mortales, omnia iam commutata sunt. Annuntiant siquidem hodie Angeli hominibus: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio* Quasi dicerent, Eia Pastores, nolite iam amplius de Deo vestro conqueri, inuenietis quippe eum non iam in cœlis tonitrua fabricantē, sed vt paruulum vagientem: manus etiam eius iam non amplius graues, aut plumbeæ sunt, sed pannis & laciniis inuolutæ: non iam solio sublimi sedens conspicitur, sed in præsepi durissima reclinatus: non iam circumstāt eum Angeli, sed bruta animalia. Accedite igitur ad eum, hunc Deum affamini mortales, maiestatē eius nolite perhorrescere, aut manuū illius seueritatē metuere; has namque mater, & totum simul corpusculum pannis inuoluit, & reclinat in præsepio.

O panni, ô præsepe, ô tugurium penitus admirabile! Videte, obsecro, Auditores, vt generosus ille & inuictus Samson in sinu virginis ligatus & vinctus ludat: nimius erga Dalilam, i.e. humanum genus, amor his eum vinculis irretiuit. *Iudic.16.* Quis vnquam crediderit, inuictissime Samson, amore te ita fascinandū, vt fœmineis brachiis stringereris? Itane amoris incendium in animo tuo exarsit? Dixit olim, nescio quis, *Amare & sapere vix Deo conceditur*; ad eundem quoque modum dicere possumus, amorem Dei erga humanum genus stultitiam & insaniam mundanis hominibus videri. Quod innuit Apostolus dicens: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiā.* *1.Cor.1.* Mundani nempe stultum esse aiunt, summi Dei filium nasci in stabulo, in præsepi vagire, inter bestias plorare, ac deinde in cruce sum-

ma cum ignominia emori. Sed quam perperam ac ſtulte iudicatis! *Nam quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt cõfundat ſapientes.* Quod nempe vos ſtultum exiſtimatis, paruulus hic velut ſapientiſſimum & ſubtiliſſimum amplectitur.

Iob.38. Hodie quoq; quæſtio illa Iob ſoluta eſt, *Quis concluſit*, inquit, *oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? cum ponerẽ veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?* Mare hoc Dei verbum appellare poſſumus, mare, inquam, à quo omnia gratiarum ac chariſmatum flumina originẽ ſumunt, & in quod iterum deuoluuntur. Hoc ipſum in vtero Virginis veluti repagulis quibuſdam coactum fuit ac retentum, & in eodem carnem noſtram induit: ſed nocte hac egreſſum & erumpens perque omnes mundi ſeſe regiones diffundens, pannis infantiæ obuoluitur.

Noli iam amplius, ô Adam, Dei vocem veritus ſub arboribus deliteſcere, eo quod nudus ſis, aduenit enim qui nuditatem tuam cooperturus eſt, panniculis quippe ſuis eam tegere iam cœpit. Ecce aliud; primus ille *Gen.2.* Adam Paradiſo terreſtri exactus, mortuorum animalium pellibus ſeſe veſtiuit, quo ſe mortalem oſtenderet: & ecce, ad hunc modum ſecũdus Paradiſo cœleſti vltro egreſſus panniculis inuoluitur; quo demonſtret ſe moriturum, & ſindone munda inuoluendum. Quin etiam is ipſe, qui modo pannis hic iacet obuolutus, veſtibus aliquando nudatus in crucẽ agetur: & ille qui Cherubim ſplendore circumcingit, qui liliis agros veſtit, qui auibus plumeas veſtes concedit, qui operit cœlum nubibus, non niſi vilibus pannis inuolutus ſerpit in præſepio.

Quid? naſci in ſtabulo, in præſepio deliteſcere? quot hic teguntur myſteria, & quidem arcana? Homo namque cum felicitatis ſuæ & ſplendoris ignorans, brutalem naturam induiſſet, immortalitateque & beatitudine cœleſti, ad quam deſtinatus erat, excidiſſet, mortalis effectus eſt, & miſerrimus: *Pſal.48.* *Homo*, inquit Pſaltes, *cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus.* Atque ideo Redemptor hominis mundum ingreſſus, ad ſtabulum diuertit, & beſtiarum ſodalitio gaudere incipit. Vnde idem qui ſupra, *Homines & iumenta ſaluaſti Domine, quemadmodum multipli auit miſericordiã tuam Deus.* *Pſal.35.*

Laudatur in Euangelio Samaritani pietas, qui hominem à latronibus vulneratũ & ſpoliatum equo impoſitum in ſtabulum duxit, rationemque illius haberi præcepit. Hæc hodierna die parabola vere contigiſſe dicenda eſt, puer hic quem videmus Samaritanus eſt, & quidem benigniſſimus, & in miſeros mortales propenſiſſimus: hunc miſerum humanum genus, à peccato & diabolis, animæ prædonibus ſpoliatum gratiis, & miſerrime ſauciatum, in ſtabulum duxit, vt ab eodem ſalutem & ſanitatem conſequatur, vulneribus medelam, & gratiarum recuperationem inueniat. Ideo eum Mater reclinauit in præſepio, & exclamare compellor: *Luc.10.*

VI.

O ſtabulum regium, ô pannos diuinos, ô præſepium aureum, ac longe ſplendidius & auguſtius quam Romana Capitolia! Equorum curriliũ præſepia quadraginta millia, & duodecim millia equeſtriũ erant Salomoni: at nihil hæc omnia ſunt, ſi cum Chriſti tugurio & ſtabulo conferantur. Extollit ſplendorem eius, omnibuſque regum palatiis anteponit Bernardus, dicens: *Abſconde Maria noui fulgorem ſolis, pone in præſepio, inuolue pannis infantem: nam & ipſi panni diuitiæ noſtræ ſunt, pretioſiores ſiquidem panni Saluatoris omni purpura, & glorioſius hoc præſepe auratis regum ſolijs, ditior paupertas cunctis opibus, cunctiq; theſauris ſæculi.* *Serm.14.in vig.Natiu. Dom.* O meditationem tanto viro dignißimam. Aliam non minus piam & luculentam habet de eodem ſtabulo Fulgentius Epiſcopus Afer, *Archelaus* Herodis filius *natus eſt in palatio, Chriſtus in diuerſorio; Archelaus natus in lecto poſitus, Chriſtus autem in præſepio eſt reclinatus, ille pretioſis inuolutus eſt ſericis, iſte vilißimis inuolutus eſt pannis: & tamen ille contemnitur, iſte quæritur, & inuentus ſupplicíter adoratur.* Id eſt, maiori in pretio ſunt ſtabulum Chriſti, q̃ Archelai palatium, viles laciniæ, quam vela byſſina & aulæa aulæ; præſepium illud mucidum, quam ſolia Principum; maioris denique æſtimantur bos & aſinus, quam tota Herodis cohors. *In ſer.quodã.*

Egre-

Insignis meditatio.

Egredere igitur anima mea, egredere superbis illis mundi palatiis, & stabuli huius limen supplex & in terram prostrata exoscula re: descende cum pastoribus de vanitatum tuarum collibus, & ad præsepium hoc accede, hic paulisper morare, & res penitus admirabiles intelliges. Ille namque paruulus, qui in præsepio iacet recens natus, qui vix ocellos aperit, qui panniculis inuolutus est, qui tam tenere vagit, & plorat, in quantum homo, nouit quidquid scire potest, sapientissimus est ac peritissimus, Platonem confunderet, Aristotelem argueret insciriæ, Angelos doceret, de illo namque scriptum est, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Verum in quantum Deus, tametsi in præsepio iaceat, humeris vniuersam mundi machinam sustentat, totum orbem numine suo flectit ac moderatur, cœlestes orbes impellit, ventorum habenas remittit & contrahit, denique omnia regit atque administrat. O puer vere admirabilis! inspice, obsecro, anima, intuere propius & accuratius, ille quem cernis digitulus cœlos condidit, illa lingula, quæ nondum fari potest, legem quam omnes obseruent, necesse est, promulgauit, ocelli illi semipatuli limbum Patrum penetrant, atque inspiciunt, quidquid rerum in orbe agatur: *Oculi eius super gentes respiciunt.* O prodigia, ô mirabilia! Sed heus, secundum me orationis stadium ingressum aduerto, cursum igitur prosequar.

Ioan. 1.

Psal. 65.

Sane cum omnia quæ in admirabili Saluatoris nostri natiuitate contingunt prodigia perpendo, nullum esse diem censeo, qui cum hoc conferri queat, ille namq; omnium pulcherrimus, ille dies nouus ac penitus admirabilis. Quidquid enim hic perspicio, miracula & prodigia sunt, naturæ siquidem hic leges & iura violantur, & omnia mysteriis scatent. An non enim admirabile est, Dei filium hominis filium fieri? an non portenti simile, eum, qui ante omnia sæcula fuit, in medio sæculorum nasci? eum, qui fœcunda Dei patris memoria egressus est, vtero prodire virginali? eum, cuius magnitudinem cœlum non capiebat, stabulo contineri? eum, qui posuit in sole tabernaculum suum, hodie in præsepio thronum figere? de eo denique, de quo ante occinebatur, *In principio erat verbũ*, iam cani, *& Verbum caro factum est.* O res penitus nouas & admirabiles!

Hodie scilicet omnia mutata sunt: ipsa nempe temporalitas in æternitatem, seruitus in libertatem, mors in immortalitatem, humanitas in diuinitatem, peccatum in gratiã, contemptus in gloriam, paupertas in affluentiam, infirmitas in robur transiit. O admirabilem metamorphosim! sed audiamus & aliam longe magis admirandam. Hodie siquidẽ hinc Deus fit homo, immortalis mortalem se reddit, impatibilis ad patiendum se disponit, qui infinitus est, certis vult limitibus ac finibus circumscribi. Illinc vero homo in Deum transformatur, creatura in creatorem temporis subditus spatio in æternum, seruus fit Dominus, & qui pauperrimus erat, diuitiis amplissimis donatur. Hodie quin etiam Angeli descendunt cœlo, nouæ in cœlo stellæ collucent, virgo parit, anima quædam vnico momento gratia repletur, hodie denique Deus per filium nobis locutus est, vt bene obseruauit Apostolus, *Nouissime autem locutus est in filio.*

Hebr. 1.

Quid igitur mirum, totum hodie mundũ in admirationem rapi? Vniuersus terrarum orbis Augusti edicto describitur, pax per omnes mundi angulos dominatur, atque ideo vt scribit Orosius, Iani templum ab Augusto occlusum est, vt nimirũ Psalmographus veritatem dixisse cõprobaretur: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Idem Imp. vetat, ne quis Domini sibi nomen arroget: Tres Magi stellæ ductu ab extremis orbis finibus in Bethleem proficiscuntur, Herodes Ierosolymis tremit, Doctores legis & Scribę Prophetarum oracula consulunt. Nouus adhæc in oriente Planetes exoritur, pastores Angelicam symphoniam audiunt, bos & asinus infantem proni adorant, vineæ Engaddi flores emittunt, idola ad terram deiiciuntur, sol in tres scindi partes visus, fons Romæ oleum scaturit, in Tiberim sese exonerat, ô diem prodigiis & portentis plenum!

Lib. 6. contra gentes.

Sap. 22.

Psal. 71.

Diem, inquam, qua quidquid olim de Virgine gloriosa iam ab ipso mundi exordio prę-

Gen. 2. dictum est, completum cernimus. Primus humani generis parens Adam è terra virgine formatus est; secundus è Matre virgine nascitur Primum Isaac sterilis vetula genuit, secundū tenera virguncula: hodie rubus ardet, & non cōburitur: hodie vellus Gedeonis circumcirca irroratur, & tamen non madescit. Hodie Maria porta fuit, de qua in Canticis. O igitur dies felicissima, dies quæ hominibus lætitiā attulit, quod Redemptorem inuenerint, Angelis quod Dominum nacti sint, Patribus limbo detentis, quod Messiam aduenisse iam sciant. Quodnam enim illos sensisse gaudium putatis, cum desideratum illum cunctis gentibus natum audiuere, de illis scripsisse censeo Psalmographū, dum canit: *Vox exultationis, & lætitiæ in tabernaculis iustorum.* Quosdam eorum audire dicentes videor, vt in primis Adamum, Ecce hic arbor vitæ. Ecce hic arca, inquit, Noe, quæ nos omnes diluuio eripiet. Ecce, dicit Abraham, seminis mei benedictio. Ecce, addit Iacob, scala, cuius vnum cacumen vidi cœlum, alterum terram ferire. Ecce hic, exclamat Moses, rubus meus ardens. Ecce hic, subnectit post omnes Daniel, lapis de monte auulsus. His autsimilibus inter se verbis illos vsos meditari possumus, sibiq; mutuo de Saluatoris aduentu gratulatos. Hæc scilicet apud limbi incolas exultatio & iubilus.

Exod. 1. Iudic. 6.

Psal. 117.

Annon & tu iubilare potes, ô homo, & io pæan concinere, cum videas hodie naturā tuam ad tantam dignitatem euectam? In posterum enim Angeli huic sese submittent, hominibus cultum & venerationem exhibebunt, cum ipsi prius homines honorem exhibuerint. Tantum enim abest, vt Angeli ante hunc diem ad pastores accederent, vt ab ipsis ducibus, regibus, & Prophetis adorari se permiserint. Vnde Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Verum cum post Domini natiuitatem Ioannes vnum eorum adorare voluisset, inhibuit ille, & ait, *Caue nefeceris, conseruus tuus sum.* Hinc Lucifer, teste Bernardo, inuidiæ suæ & æmulationis sumpsit exordium, & aduersus dignitatem coniurationem iniit: cum enim reuelatione didicisset, Deum aliquando in humana forma cum hominibus conuersaturum, videretque sibi eandem sub Deo latitantem adorandam esse; iam (quia legem tulerat Pater æternus: *Et adorent eum omnes Angeli eius* similiter) secum statuit, cœlo cœlestiq; beatitudine carere potius, quam Deum incarnatum adorare, hominumq; ideo fœlicitati, ac forti inuidere.

Gen. 18.

Apoc. 19.

S. rm. 17.

Hebr. 1.

Celebrem igitur hodie cum gaudio Natalem Domini, quia dies hic in causa est, vt iam de illo, de quo canebatur, *Lumen de lumine*, canatur, *Et homo factus est.* Inualescet in posterum in omnibus mundi academiis verax illa propositio, *Deus est homo*, & è conuerso illa, *Homo est Deus.* In posterum siquidem Athenis Deus ille ignotus annuntiabitur, Romæ verum esse cōprobabitur, quod fieri nemo posse existimabat, Virginem peperisse; Hierosolymę sermo erit venisse Messiā & per vniuersum terrarum orbem spargetur admirabilis illa filii Dei incarnatio & Christi natiuitas. Dixi Romæ mentionem fore Virginis, quæ peperisset, quia Innocentius III. scriptis prodit Apollinē in templi pacis, quod Romani exstruxerunt, dedicatione, sciscitantibus quando templum hoc interiturum esset, respondisse, quando Virgo sine virginitatis violatione pareret. Quod cum Romani fieri non posse crederent, illud æternum fore augurabantur, sed hodiernus virginis partus ipsum ad solum prostrauit & euertit.

Hæc igitur curiosis prodigiorum huius diei indagatoribus dicta sufficiant; satis sit hodie Verbum carnem factum esse, hodie temporalem filii Dei natiuitatem esse, quæ quam proxime ad illam æternam accedit. In hac enim Pater seipsum inspiciens, sui ipsius conceptum generat, qui cum accidens esse nequeat (nulla enim accidentia in Deo) manet substantia, cumque alia substantia, quam sui ipsius esse non possit (Deus enim simplex est, non compositus) Deus est non secus ac Pater. In illa vero cum vna natura iam indiuiduata sit, seque supponere cupiat, diuina eam hypostasis sustentat, & eam in se terminans, & subsistere faciens, efficit, vt quoniam vna eademq; persona duabus naturis est insignita, & homo fiat Deus, & Deus homo. Hic scilicet omnium mirabilium abyssus est.

Præterea in hac æterna Dei Verbi generatione & natiuitate manifestum est, diuinā essentiam

essentiam ad intra tribus personis communicari, tresque personas in vna eademque essentia communes esse: verum in illa temporali vnam personam duabus se naturis ad extra communicare, duasq; naturas vni personæ communes reddi: illic verbum consideratur increatum, at hic incarnatum; illic pure Deus & solus Deus, hic Deus simul & homo. Ab æterno nonnisi vnus est Deus, & tres personæ, in tempore vnicus est Iesus Christus, & duæ naturæ. In magno illo æternitatis die, Pater & Filius, ac Spiritus S. non nisi vnum creatorem constituunt, ac celebri & admirabili Natalis Domini die Deus & homo vnũ constituunt Redemptorẽ: in priori omnia naturæ iura violata sunt, tria non nisi vnam efficiunt essentiam, tres qui sunt Deus, tres tamen Deos non statuunt, vna quoque eademque natura in tribus personis subsistit, aliaque accidere admirabilia: in posteriori omnia mundi huius euertuntur, duabus scilicet substantiis in vna hypostasi consistentibus, vna vero natura sine propria substantia subsistente, duobus Esse perfectis, non nisi vnam eandemque personam constituentibus; aliisque prodigiis miraculisque accedentibus quæ quatuor hisce verbis continentur: *Et verbum caro factum est.* O natalem prodigiis & mirabilibus scatentem! equidem toto vitæ meæ tempore nihil tantopere prædicabo & demirabor.

Vestras quoque hic partes agite, Christiani, in aduentu Messiæ cantate, cum Angelis concinere, eorum vos cantui adaptate; iubilate Deo in natali Filii Dei, verbi incarnati mirabili, per omnia diuulgate, merita passionis nati promulgate, eius gloriam decantate, cum pastoribus eum inuisite, & in stabulo hoc iacentem eum adorate. Hic discite humilitatem, paupertatem, ac mundi contemptum, sublimem hanc philosophiam etiamsi mutus sit, edocebit, stabulũ ipsum schola est, præsepium suggestus, lachrymæ gestus, ipse vagitus eloquentia. Discite præclaram hanc ab Doctore lectionem: & vti varii præceptorum suorum mores & naturam imitati sunt, vt Aristotelis gibbum Peripatetici, Cyri nasum Aquilinum Persæ, ita vos humilitatem, ac cęteras Iesu Christi virtutes, quas hic in stabulo demonstrat, æmulamini.

Alexander Macedo Persidem subiugaturus, magnam niuium vim in itinere offendit, adeo vt totum agmen retrogredi fuerit coactum; sed cum omnes itineris difficultate perculsos & deteritos videret, equo descendens, primus se in niues coniecit, viam parauit, obstacula remouit; & ecce omnes mox regia constantia animati, eiusque gloriam æmulantes, subsecuti sunt, ac difficultatibus sese exposuere. Respicite, ô Christiani milites ducem vestrum, regem vestrum niues calcantem, respicite, vt acerrimum frigus patiatur, mundi vanitates conculcet, humilitatem ac paupertatem complectatur. Quis obsecro eum non sequatur? quis hic honore non ducetur? id est, Quis non erubescet superbiam consectari, & insolescere, cum regem tantum adeo humiliatũ cernat? quis mundum ad exemplum Principis sui non contemnat? *Curt. lib. 5.*

Puer Ionathæ filii Saul dominum per saxa & loca confragosa serpentem, quo Philistæos inuaderet; magna cum fiducia & constantia sequebatur. Armiger quoque Saulis cum dominum gladio incumbentem vidisset, eadem temeritate ductus incubuit, & suo, suiq; tortor & carnifex exstitit. Et ecce dominus noster, Princeps noster, ac Rex noster Iesus Christus nos deducit non per montes & rupes, sed ad solam humilitatem, non ad mortem, verum ad vitam; vanitatem, superbiam, diuitias profligare gestiens; quis vero adeo vecors & iners erit, qui eum sequi detrectet? ipse quum paupertatem amet, quis diuitias ambiat? ipse eum humilitate gaudeat, quis honores mundi desideret? vestrum igitur Ducem sequamini generosi milites, ac toto vitæ tempore natalitium Domini ac genethliacum concinite. *1. Reg. 14.*

Æquum est, ô desideratissime & exoptatissime Messia, ô vnica spes ac desiderium nostrum, æternum vt cantemus, cum ipse sis, qui toto mundo salutem attulisti, cum ipse sis, qui humanitatis nostræ arcam ingressus, ab æternæ nos damnationis naufragio eripuisti; cum tu sis, qui cũ ante & post diluuium,

uium, id est, peccatum vixeris, Ecclesiæ tuæ vineam plantasti, eiusque vino, id est, amore inebriatus, mortis somno in crucis arbore, & hodie patientiæ sopore in stabulo oppressus iacuisti, ac nuditatem tuam, paupertatem omniumque rerum contemptum ostendisti, atque ideo à scelerati Cham progenie, id est, infidelibus, perfidis Christianis, atque adeo vniuerso mundo delusus fuisti. O Christe, olim Verbum increatum, & mundo Verbum incarnatum; Verbum quod fit caro, vt nos Spiritus efficiat & Angelos; Verbum quod humanitatem induit, nobis vt diuinitatem conferret; quod se humiliat, quo nos exaltet, quod fit homo, quo nos efficiat Deos, quod cœlo descendit, quo nos eodem ascendamus, quod in stabulo iacet, nos vt cœlo inferat, quod in præsepio reclinatum est, nos vt in regio throno collocet; quod inter animalia conspicitur, quo Angelorum consortio gaudeamus. O Messia, Christe ac Domine vere admirabilis, ac digne, qui in perpetuum celebreris, gratiam obsecro nobis concede, vt humilitatem tuam agnoscere, paupertatem imitari, vitæ tuæ seriem sequi valeamus, vt laudes tuæ nostra sint in posterum carmina, tua mirabilia, quę edis opera, nostra admiratio, tuæ virtutes nostra imitatio; tuaque agendi ac viuendi ratio nostra disciplina, ac toties Messiam & Natalitia Domini in hoc mundo in stabulo nati decantemus, vt eadem in cœlo quoque, vbi regnat in gloria, aliquando canere valeamus, ad quod nos perducant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Partitio.

1. *De præstantia Martyrii.*
2. *De supplicio lapidationis & Martyrum fortitudine.*
3. *De inuicto Protomartyrio S. Stephani.*
4. *De visis cœlis apertis.*
5. *De intendente in cœlum.*
6. *De orante pro suis lapidatoribus.*

Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Actor. 7.

FIGVRA.

INNOCVVS Israelita Naboth, cum perfido Regi Achab, quam à maioribus acceperat vineam nollet cedere, impiæ Iesabelis astu accusatus & circumuentus, regio tandē edicto lapidibus obrutus fuit, & extinctus. Hodie nouus quidam Israelita, Leuita scilicet Stephanus, ob Ecclesiæ, quæ vere Iesu Christi Patris nostri cœlestis, vinea est, defensionem nefarie accusatus, perfidæ Synagogæ, quæ gentibus dominatur, iussu & imperio ad lapides cōdemnatur, & condemnatus occubuit. O iudicium iniquum! ô cruentum martyrium! ô mortem nimis ah attrocem! cetera, quæ ad eandem spectant, scietis, si Spiritus S. opem inuocauerimus, ac Deiparam solitis verbis salutauerimus; dicamus igitur omnes vnanimi voce: 3. Reg. 15.

AVE MARIA.

I. Martyrii dignitas.

Tanti semper à Sanctis olim Patribus, Auditores, in Ecclesiis diuinum illud martyrii priuilegium habitum est, nihil vt aut excellentius, aut quod maioris meriti foret, in Christiana posse religione reperiri censerēt. Huius opinionis fuit Angelicus D. Thomas, qui nimirum Martyrum triumphos ipsis Cōfessorum ac Virginum trophæis & coronis, aliorumq; Sanctorū gloriæ longe anteponit. *art. 1. q. 11. art. 4.*

Et

Et merito, hoc namque & ipse Redemptor mundi Christus olim confirmauit, dicens: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro inimicis suis*: hoc porro faciunt glorioſi Chriſti Martyres, qui ob amorem & honorem Dei, & ad zelum ſuum demonſtrandum, vitam ſuam prodigunt, gladioque carnificis exponunt. Sunt igitur illi omnium Sanctorum maximi ac perfectiſſimi. Vel dicere forſitan voluit, Charitatem omnium meritorum principium ac fontem eſſe, & quo illa maior eſt & amplior, eo & meritum maius eſſe & efficacius; quique maiorem in hoc mundo charitatem demonſtrarunt, maiores quoque in gloria ac beatitudine in altero ſore. At præclara hæc virtus in Martyribus maxime renitet ac ſplēdet: *Maiorem namque charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis.* Per tranſennam vos hic notare velim animam hic pro vita capi, vt & in illis verbis: *Qui diligit animam ſuam, perdet eam.* Vnde efficere poſſumus, nobiles illos athletas, qui in charitate primi ac ſummi ſunt, in meritis etiam primos eſſe. Quod ita demonſtro: Quid enim in mundo haberi queat generoſius, nobilius, excellentius, aut meritorium magis, quam vitam & ſanguinem vltro prodigere? quid maiori in hac vita mercede dignum?

Ioan. 15.

Martyrum charitas cęterorū Sanctorū charitate maior.

Chriſtus cum in Euangelio de Apoſtolorum præmio ac mercede ageret, ait, *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem & filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Nihil de illis ais Domine qui propter gloriam nominis tui vitam propriam relinquent? quas illis laureas, quas coronas, quam mercedem conſtituiſti? Nemo dubitet. Si enim tantum præmium daturum ſe ſpondidit iis, qui vel domum, agrum, vxorem relinquerent, maiora profecto ſeruauit vitam offerentibus, vt meritum hoc maius eſt & amplius, ita quoque merces illius maior & amplior ſit oportet.

Matth. 19.

Cum Abrahæ Deus olim zelum & amorem vidiſſet, quo vnicum filium Iſaac immolare decreuerat, tanti eum fecit, tantiq; meriti cenſuit, vt dixerit, *Per memetipſum iurauī, quia feciſti hanc rem, & non pepercīſti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Si tanti Deus vnicam Patriarchæ huius voluntatem obedientiamque fecit, quanti obſecro faciet promptitudinem Martyrum, qui vt eidem obedirent, amoremque ſuum teſtarentur, ſe ipſos in Sacrificium & holocauſtum obtulere? de quibus verba illa Pſalmographi vſurpare debemus, *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.*

Gen. 22.

Pſal. 43.

Promiſit olim Chriſtus ampliſſimam mercedem iis, qui in nominis illius honorem vel vnum aquæ frigidæ calicem pauperi darent. Audiamus promiſſum: *Et quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Vnde efficio, ſi Dominus propter vnum aquæ frigidæ hauſtum tam amplam ſe mercedem daturum promiſit, ampliorem profecto dabit eis, qui propter amorem & gloriam nominis illius omnem ſuum ſanguinem effundent, vitamq; crudeliſſimo Martyrio finient. Ecquæ namque inter aquā & ſanguinem, inter eleemoſynam & vitam comparatio aut ſimilitudo? annon enim plurimum inter ſe differunt dare frigidam, & calentem effundere in ſignum amoris ſanguinem? Nihil igitur eſt, quod Martyrum meritis æquiparetur, aut quod maiorem à Deo mercedem exigat.

Matth. 10.

Sephora Moyſis vxor, cum, vt mariti vitam conſeruaret, qui Deum negligentia ſua ac tergiuerſatione offenderat, filios circumcidiſſet; ait, *Sponſus ſanguinū tu mihi es*, quaſi dixiſſet: Iam reipſa oſtendi, ô marite, quo te affectu proſequerer, filiorum ſcil. ſanguinem in vitæ tuæ defenſionem effundendo; æquū iam igitur eſt, vt reciproco me amore diligas. Si fœmina his apud maritum verbis aliquot ſanguinis guttas in circumciſione effuſas, & propter aliquot doloris aculeos, qui eandem comitabantur, vti potuit, quanto maiori eadem ratione repetere apud Deum, verum animarum ſponſum, poterunt Martyres, cum propter illius fidem honorem, eiuſque gloriæ defenſionem omnem ſanguinem effuderint, ſeipſos

Allegoria insignis.

Exod. 4.

seipsos non doloribus circumcisionis, sed crudelibus mortis suppliciis exposuerint. Horum igitur est dicere, *sponsus sanguinum tu nobis es:* si enim Virgines & Confessores ames, Martyres profecto maiori te amore & affectu prosequi oportet, cum ob honorem & nominis tui gloriam sanguinem profuderint, & venas omnes euacuarint.

Gen. 4. Initio Geneseos dicitur sanguis Abel iniuste à fratre interfecti in cœlum clamare, vt eiusdem etiam clamore excitatus Deus dixerit, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Primus Martyr fuit Abel, idque in lege naturæ, eiusque sanguinis clamor ab eo tempore designabat, sanguinē Martyrum de terra clamaturum. Et quid? generositatem quandam singularem, animum infractum, caritatem admirabilem, patientiam incredibilem, ad hæc meritum infinitum, quodque omnia merita antecelleret. Quod Euangelica parabola manifestum faciam.

Martyrum merita parabola designantur.

Agricola cum semen in terram iaceret, aliud cecidit secus viam, quod volucres cœli comederunt, aliud in loca saxosa & sterilia, in quibus præ humoris defectu exaruit, aliud *Matth. 13.* inter vepreta & dumos, quod quidem excrescens exsurgere non potuit, sed suffocatum est, aliud cecidit in terram bonam, & dedit fructum, sed tamen varium, aliud scilicet centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Hæc quidem nonnisi parabola est, sed quæ veritatem tamen aliquam includat; ager siquidem ille mundum hunc designat, in quo magnus ille colonus, qui in altis habitat, tot creaturas, de rationalibus loquor, seminauit; sed omnes in idem solum non ecciderunt: aliæ enim in latam perditionis, infidelitatis, & idololatriæ viam delapsæ, à diabolis, tetris illis auibus, harpyisque rapacibus deuoratę sunt: videlicet Ethnici & Gentiles. Aliæ in petram obstinationis, ac peruicaciæ; & exaruerunt: Iudæos intelligo. Aliæ hæresum spinis & errorum vepribus implicatæ crescere quidem cœpére, sed tandem ab illis suffocatæ excrescere non potuere. Etiam me tacente intelligetis hic hæreticos designari. Reliquæ vero, quæ in terram bonam cadunt, ipsi sunt fideles, qui in terra Ecclesię crescentes fructum adferunt vel tricesimum, vt Doctores, vel sexagesimum, vt Virgines, vel centesimum, vt gloriosi Martyres, qui pluspuam cætera Euangelii & Ecclesiæ semina excrescunt & fructum adferunt. Confiteamur igitur nihil cum Martyrio vel merito, vel dignitate conferri posse.

Gentium Doctor Paulus tanti olim Martyrium fecit, vt cæteris id rebus anteferret, quique se Apostolum prius nominare solebat, cum carceris sordes, imo delicias expertus esset, compedes tetigisset, eculeos gustasset, relicto magnifico Apostoli nomine, aliud longe magnificentius assumpsit; vincti sc. & captiui, nomen scil. Apostoli Martyris appellationi postponens: *Ego Paulus vinctus Christi*; *Eph. 3.* & *Ego vinctus in Domino*, & in Epist. ad Phi- *Eph. 4 ad* lemonem ciuem Colossensem, *Paulus vinctus* *Philem.* *Iesu Christi.* Imitatus sc. nobiles huius mundi, qui cum solito Baronum, Comitum, Marchionum, nomine appellari soleant, si Ducatum aliquē adipiscantur, relictis prioribus nominibus, nomen ab eo mutuātur: qui enim modo se Apostolum Christi Iesu, modo vas electionis, modo tubam Euangelicam, alias Doctorē gentium nominare consueuerat, cum in proxima ad martyrium via esset, cæteros titulos repudiat, & hunc velut eminentissimum & dignissimum assumit.

Dicta sunt hæc, & prædicta, quoniam hodie B. Stephani protomartyris solennitatem celebrat Ecclesia, qui cum in mortis articulo esset, lapidibus scil. ab antiqua & perfida synagoga obrutus oculos in cœlum sustulit, & antequam animam redderet, alta voce inclamat, *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Hæc mihi hodie ex Epistola verba delegi, ad glorioſi huius Martyris præconia decantanda, quæ in tria membra dispertiui: primo scil. de eius Martyrio acturus sum: deinde de diuino, quod in tormentis sensit; solamine: postremo illius erga inimicos charitatem, affectumque demonstrabo, simulque vos exhortabor, illius vt exemplo iniuriarum obliuiscamini. Hæc autem ad Beati Stephani gloriam, præconiumque non parum momenti allatura sunt.

Quod ad primum igitur spectat, tragici huius

huius ac cruenti Martyrii historia in Apostolorum Actis descripta legitur: *Surrexerunt scilicet quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano:* cum vero argumentorum illius efficaciæ, rationum roburi, spiritui; qui in illo loquebatur, resistere se posse diffiderent, indigne ferentes à Diacono sibi ora obturari, à verbis venere ad verbera, inque vitam eius conspirantes summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & Deum. Ad lapides itaque condemnatus fuit, & saxis impetitus occubuit. *Et eicientes eum extra ciuitatem lapidabant.* *Actor. 6.*

Hocce porro supplicii genus, quo nullum apud Hebræos erat crudelius, ad solos blasphemos castigandos destinatū erat. Ita namque in Leuitico scriptum legimus: *Qui locutus est ad Moysen dicens: Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum vniuersus populus.* Ipsa porro blasphemia, vt hoc obiter significem, homicidio anteponitur, tanquam peccatum grauius & magis detestandum: de hoc enim solum scriptum est: *Qui percusserit & occiderit hominem, morte morietur:* de illa vero: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi.* Sola ecce mors homicidis intentatur, sed saxeus imber blasphemis. *Leuit. 24.*

Blasphemi olim ad mortem lapidabantur.

Imo vero idem omnino in hos decretum erat supplicium, quod in idololatras. Si mihi autem credere detrectatis, credite sacræ scripturæ aperte id profitenti: *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum.* Et quoniam idem vtriusque peccati supplicium est, necessario fateri oportet, eandem vtriusq; malitiam & peruersitatem esse: solet enim supplicii grauitas delicti enormitati vt plurimū respōdere. Tanta tamē seculi nostri nequitia est, nihil vt in plateis blasphemia audiatur frequentius, hæc sc. Gallica eloquentia est, hæc nobilium & aulicorum schemata & flores, hæc adolescentiū rhetorica. O tempora, ô mores, ô sæculi labem & dedecus! ô agendi rationem nihil minus quam Christianam! vbinam modo lapides sunt & saxa? vbinam consueta illa supplicia? cur non obturentur fauces illæ tartareæ blasphemias tam horrendas eructātes & euomentes: sed conglutinemus sermonem abruptum, & intra lineam redeamus. *Leuit. 20.*

Eodem quoq; supplicio contumaces olim milites & imperio parere detrectantes à ducibus in castris castigabātur. Hinc Iosue dux in obsidio Ierichuntico vnum è suis nomine Achan filium Charmi ad lapides condemnauit, quod solus iniussu ducis vrbem deprędari ausus fuisset; omnia vero, quæ abstulerat, igne consumpta sunt. *Ios. 7.*

Idem etiam suppliciū populus iniquis tributorum exactoribus, harpyis illis regię gazæ erogauit. Hinc Adurā, qui super rationes regis Roboam constitutus erat, sed populum tamen exhauriebat & depascebatur, ab vniuerso populo saxis obrutus exspirauit. *3. Reg. 12.*

Nullum quippe apud Hebræos supplicio lapidum erat acerbius, nullumque crudelius adeo, vt cum Dominus pœnas, quibus iniquitatem Israel castigaturus erat, recenseret, lapidationem cæteris anteposuerit: *Iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium sanguinem, & dabo te in manus eorum, & adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis.* Lapidatio crudelissimum in lege Mosaica supplicium. *Ezech. 16.*

Quin & Apostolus Paulus cum in epist. ad Hebræos tormenta ac supplicia enumerat, quæ martyres perferebant, lapides inter cætera velut præcipua ac maxime crudelia recēsuit: *Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tētati sunt.* Ipse quoq; populi dux Moyses hoc in primis exhorruit; cum enim in populi seditione turbas in se concitatas videret, magnoque res suas in discrimine versari, cum lacrymis ad Dominum conuersus obsecrauit hoc vt à se supplicium auerteret: timebat enim ne populus efferascens lapidibus in se sęuiret: *Quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me;* tu igitur me defende, ac protege, eorumque furorem mitiga. *Hebr. 11.* *Exod. 17.*

Ceterum supplicii huius crudelitatem magnitudinemq; exaggerare volui, quod hoc ipsum & Protomartyr noster Stephanus subiret, verum tanto animo ac cōstantia, nullū vt ex eo tormētum sustinuerit, sed potius omni sentiendi vi priuatus fuisse visus sit, ac saxa in rosas cōuersa, *Lapides torrentis illi dulces fuerūt.* Stephani patientia admirabilis.

Quantoque magis sæuientium rabies inualescebat, tanto & illius robur magis crescebat: quoque plura tormenta patiebatur, quo & maiores ei cœlitus vires subministrabãtur. Prædixerat scil. de illo, ac de omnibus in genere Martyribus Psaltes, *Mirabilis Deus in Sanctis suis. Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ*, vt tormentis infracta & immobilis persistebat. *Psal.67.*

Atq; ideo sacra scriptura fortitudinem, quę vna è Spiritus S. donis est, Martyribus adscribit potius quam ceteris; atq; in primis Apost. Paulus, qui hoc eos nomine compellat, Martyres *fortes; acti sunt in bello* vitæ huius. Hunc quoque lectulum Salomonis sexaginta fortes ex fortissimis Israel ambiunt, omnes tenẽtes gladios, & ad bella fortissimi. Mysterii huius abyssum, qui curiosius indagare voluerit, reperiet ipso in limine per lectulum illum & thalamũ regium, Ecclesiæ statum designari, per fortissimos illos Israel sanctissimos Martyres, qui exercitati ad prælia, & certaminib. assueti, sanguinem suum pro Ecclesiæ tuitione profuderunt, vitamq; impendere, quã de eiusdem statione decedere maluerunt. Hos Deus velut excubitores constituit, arma iis tradidit, robur & animos subministrauit. Iterãm hæc ipsa alio loco in Canticis explicata & figurata reperimus. *Hebr.11.* *Cant.1.*

Videre quippe licet, vt illic sponsa turri vndequaq; communitæ comparetur, quæ ædificata est cum propugnaculis & munitionibus, ex qua mille clypei & vmbones dependeant, atq; omnis armatura fortium. Per turrim hanc intelligite Ecclesiam, per munitionem & propugnacula charismata, & dona Spiritus S. per clypeos, fidem, fortitudinem, patientiam, constantiam & animum quæ sunt fortium, id est, martyrum, heroum illorum Ecclesiæ arma. *Cant.4.*

Israelitis cum Chananæis præliaturis, terramq; promissionis armis paraturis præcepit Deus, fortissimos quosq; ex vniuersa multitudine, ac nucleũ totius Israel vt segregarẽt. Ecce mandatum, *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel, omnium virorum fortium ex Israel.* Quod olim Moſi in deserto Sinai mandauit, in Ecclesia quoq; sua quotidie vult obseruari. Carnẽ quippe, mundũ, diabolos debellaturus, simulq; regnum cœleste suis paraturus Martyres, veluti populi florem & totius agminis generosissimos eligit. *Num.1.*

Iosue, qui populi Dei aliquanto etiã tempore conductor fuit, prælium commissurus, fortissimos totius exercitus admonuit, vt ceteros præcederẽt, ab hoste tuerẽtur, pro aliorum se salute discrimini offerrent. Vt hoc ipsum proposito adaptem, allegorice omnia capienda sunt. Deus quippe noster Iosue erit, armati illi & Herculei, qui præcedere iubentur, Martyrum imaginem gerent, qui virtute & constantia armati cœlitus euocantur, vt Ecclesiæ totius agmen ducant, prælium auspicentur, inimicorum cornua proterant, inq; fideliũ defensionem arma semper velut primipili præferant. *Ioſ.1.*

III.

Eius hodierna die euidens exemplum in S. Stephano pleno gratia & fortitudine videre est, qui à Deo velut ceterorum fortissimus electus primus in stadium prosiliit, saxa transgreditur, vitam, sed non animũ, sub glorioso Martyrio amittit. O generose tantorũ futurorum pugilum ductor! ô tot Martyrum, qui hoc in bello sequi debent, Princeps! ô generose Christi athleta, qui hodie mortem explodis, qui mundi tormenta exsibilas, qui tyrannorum rabiem eludis, qui seditioni populari solus resistis, & victor ne quidquam frendentibus omnibus euadis. *Actor.6.*

Iam ad oculum videre licet, quod Poeta olim aliud agens ait:

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animus ignobile vulgus.
Iamq; faces, & saxa volant, furor arma ministrat. *Vir.Æn.6.*

Videmus hic enim populum furentem ad arma concitatum, videmus innocuo parari insidias, Diaconũ vinciri, ferro ad palum alligari, lapidibus obrui, aerem saxis repleri, furorem vultu emicare, oculos ira scintillare, blasphemias ore nefando egeri, à furore quoque arma subministrari. Hodie quoque verum illud Lyrici fuisse comprobatur:

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Quantum enim inimicorum rabies crescit, tantum quoq; & martyris animus, & generosum illius pectus. Et sane cum infractũ hunc Martyrem in tormentis, eiusq; robur nullis tormentis concussum conspicio, rupem aliq; in medio mari constitutam, quæ fluctuum vento-

ventorumque rabiem exsibilet, vel montem Atho, qui trisulcum fulminis telum irrideat; & vt figuras omittam, columnam quandam ferream, aut murum æneum, qui nullam oppugnationem perhorrescat, videre videor; verbaq; illa Ieremiæ Prophetæ identidem vsurpare compellor: *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram: bellabunt aduersum te, & non prævalebũt, quia ego tecum sum, dicit Dominus.* Stephanus profecto noster columna ferrea est, & murus æneus, quem nulla tormenta euincere, aut frangere potuerunt, sed cuius cum tormentis creuit & robur, & fortitudo.

Gen. 8. Arca Noe ingens illa nauis, per quã totus orbis seruatus est, quo magis a procellis exagitabatur, eo etiam ferebatur altius, & Aquilonari rabiei magis resistebat, cœlo & nubib. inuidiam facturа. Idem de Stephani nostri anima esto iudicium: in tormentorum namq; pelago hodie fluctuans, quanto magis a cruciatibus & persecutionibus impellitur, tanto & melius eadem suffert, tormenta explodens cœloque quam proxime accedens; in eius namq; portu constitutus exclamat: *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* O egregium pugilem, ac martyrem vere generosum, cui nullus par reperiatur!

Gen. 28. Vidit Iacob dormiens scalam, cuius vna extremitas terrã, altera cœlum tangebat, per quã Angeli ascendebant & descendebant. O mysteria nimium vera! Heri admirabilis illa scala Incarnationis toti mundo demonstrata fuit, quæ extremitate diuinitatis suæ cœlum, & altera humanitatis terram feriebat, per q̃ magni consilii Angelus Iesus Christus, vt eũ Isaias vocat, cœlo descendit, & cum eo vniuersus cœlestis exercitus; hodie vero Stephanus eandem velut Angelus ascendit, *Isai. 9. Actor. 7. Exod. 28. intuentes autem omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.*

Inter omnia summi apud Iudæos sacerdotis ornamenta & insignia eminebat ipsum rationale, quo pectus illius muniebatur, cum Sancta Sanctorũ ingrederetur, eratq; ex auro mundissimo, quatuorq; gemmarum ordines continebat. Vestra mihi venia liceat Auditores Stephanũ nostrum huic Rationali parem dicere, qui Domini nostri Iesu Christi pectus exornat: ille nimirum rationale fuit ex purissimo caritatis auro cõflatum, & varias virtutum gemmas & lapides cõplectens. Quot enim hodie eum lapides circumdant? quot saxa eum cingunt? vnde de ipso illud vsurpare liceat, *Omnis lapis pretiosus ornamentum tuum, & in medio lapidum ignitorum ambulasti,* caritateque ardentium, quantum ad se, sed furore & rabie, quantum ad Iudæos accensorum. O Martyr victoriis turgide, ac trophęis nobilis! ô Martyrum omnium Princeps! ô omnium Ecclesiæ Cæsarum & Alexandrorum primus!

Stephanus comparatur Rationali Pontificio.

Ezech. 28.

Iacob Patriarcha cum in mortis articulo filiis benedicens singulis valediceret, primogenito hæc verba habuit: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, tu prior in donis, maior in imperio.* Equidem omnia hæc de Stephano nostro iure vsurpem, & vocem cœlitus audire hodie videor, *Stephanus primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, &c.* primogenitus scil. Martyrum, Ecclesiæ fortitudo, & initium persecutionum, quas fideles mei passi sunt; tu *prior in donis*, & charismatibus, tu namque primus cœlos apertos vidisti, eris quoque *maior in imperio*, omnium Martyrum videlicet maximus, summus in gloria, & in regno cœlesti primus. Nemini autem exotica, aut peregrina hæc expositio videatur, quid enim Ruben denotat aliud, quam *videns filium*, quod optime Stephano nostro quadrat, qui cęlo aperto Iesum filium Dei in gloria conspexit. Audiamus, qui exclamet, *Video cœlos apertos, & filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* Deinde ille Martyrum omnium, qui Iesu Christi Patriarcharum omnium regis filii sunt, primogenit⁹ extitit, q nimio afferere ausim de ipso versum illum Psalmistæ intelligendũ: *Ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Ille quippe primus est, quẽ in doloroso & amaro Martyrii puerperio peperit, quẽ supra Hercules, Cęsares, Alexãdros & reges vniuersi Deus euexit, ô honor summus & immortalis!

Item Ruben filio Iacob. *Gen. 49.*

Act. 7.

Psal. 88.

Solẽt ad summos honores euehi, qui in vrbis alicuius excidio, tam ariete muris deiectis primi periculo se obiiciunt. Hinc Ioab, q̃ in excidio Ierosolymitano primus vallũ cõscendisset, toti⁹ exercitus Dux a Dauide beneficii memore est declaratus. Ita quoq; Stephanus

1. Paral. 2.

noster in expugnatione Ierusalem illius cœlestis, quæ nonnisi præliando capitur (*nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*) cum primis periculis se obiecisset, a Christo iam aditu parato, Martyrum omnium princeps, omniumq; fidelium primus & ductor à summo regum Christo est constitutus.

Matth. 11.

Aminadab, Princeps totius trib. Iuda, is inquam, qui in recta linea & sexu masculino à Iuda immediate descendit, vt è libris Paralip. colligere est, cum vt Rabini veteres ex traditione maiorum & cum iis Genebrard. edocēt Israelitarū Aegypto exeuntium primus mare rubrum ingressus esset, & cęteros omnes, qui fluctus metuebant, mariq́ue se committere diffidebant, vt sequerentur, adhortatus esset, omnesque incolumes traduxisset; Dominus beneficii huius & constantiæ memor nomen illius immortale reddidit, familiæ regnum dedit, posteritatemq; illius sanctam reddidit. Expressit hoc Psalmographus in Psalm. *In exitu Israel de Ægypto, &c.* dum ait: *Facta est Iudæa sanctificatio eius.* Stephanus, velut nouus quidam Aminadab cum primus in mundi huius, qui velut Ægyptus est, egressus in rubrum Martyrii mare se coniecisset, post quem innumeræ Martyrum centuriæ ac myriades secutæ sunt, immortale sibi nomen peperit. Deusque memoriam illius ab interitu vindicauit, *In memoria æterna erit iustus*, imo & nomen illi regium tribuit. Stephanus enim Gręce aliud non sonat, quam corona, ideoq; eum vt omnium Martyrum primum ac Regem voluit haberi, *Excelsum præ regibus terræ.*

1. Paral. 2.

Psal. 113.

Psal. 111.

Ceruorum industria in flumine tranando.

Cerui fretum aliquod tranaturi, vt Plinius & alii tradunt, quo in insulas desertas deueniant, hac vti solent industria: qui cæteris in robore præstare videtur, primus in vada se cōiicit, huic mox alter cornuum onus imponit, secūdo tertius, tertio quartus, sic de cęteris, atq; ita primi auxilio & ope mare tranando ad insulas perueniunt. Quid vetat hanc animalium industriam proposito nostro adaptare? Transuadandū erat procellosum illud Martyrii mare, vt in beatas, ac fortunatas insulas ita aditus daretur, & ecce Stephanus, qui instar generosi cerui plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo, primus in hunc Oceanum se coniicit, primus suppliciorum tormentorumq; vndas ingreditur, & impetū earum frangit, huic Iacobus innititur, Iacobo Bartholomæus, huic Petrus & Paulus gloriosi illi Apostoli atque ita Stephano agmen ducente & aquarum impetus retundente, omnes Martyrū manipuli rubrum illud mare tranabunt, terramq; beatitudinis tandem obtinebunt. Ita namque de se ipsis testantur, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Psal. 65.

Ipse denique Stephanus est, qui callosum martyrii tramitē facilem reddidit, qui primus vastum hunc Oceanum tentauit, qui primus iter difficile ingressus est. In lege naturæ primus Martyr fuit innocuus Abel, in lege Mosis primus Achimelech, quem cū octoginta aliis sacerdotibus vestibus sacris indutis Saul rex nefarie occidit; inter Prophetas Zacharias, inter Apostolus Iacobus in lege Euangelica: atq; omnium primus Stephanus mortem oppetiit, corpus ictibus obiecit, tyrannorumq; rabiem elusit.

1. Reg. 20.

1. Reg. 22.

Laudatur in sacris literis summopere Banaias filius Ioiadæ viri fortissimi, quod nimirum brumali tempore, cum omnis hominem fortitudo & vires solent deficere, ac manus præ frigore rigere, leonem nihilominus manibus suffocarit. Et est profecto actus quidam heroicus ac singularis fortitudinis argumentum, tam cruentam belluam profligasse, manibus superasse, idq́ue hibernis diebus, quibus imbecilliores homines videntur, ac velut viribus destituti. Verum si Israelitæ illius fortitudo deprædicanda est, Stephani nostri robur maiorem profecto laudem meretur: ecce enim hic alterum Banaiam, qui in media hyeme, & grauissimę persecutionis tempore, frigidis tyrannidis niuibus omnia cooperiētibus, mortem ipsam mori coegit, crudelem illam leænam, vel si ita vultis, Satanam Leonem illum ferocissimum suffocauit, adeo vt eum debellarit, & supplicem sibi redderet, lapidibus, quibus se petebat, obruens. O factum heroicum, ac vere masculum! ô facinus Samsone dignissimum! Audiamus vt opere peracto triumphet, vt victoriam cantet, vt plena voce intonet, *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.*

2. Reg. 23.

IV. Stephanus cœlos apertos videt.

Cum Martyr itaq; noster palo affixus staret manus pedesq; vinctus, nudatus, à carnificibus circumuallatus, lapidum imbre perplutus

oculis

oculis cœlum versus sublatis, & cor sursum erigens, nouum quid conspicatus clamare cœpit, *Video cœlos apertos, & Iesum, &c.* Perinde ac si dicere voluisset, Sumite iam animos, mortales, cœli, qui iam à quinque annorum millibus occlusi fuere, modo patent, ferramenta & repagula ablata sunt, cardines & vectes ferrei remoti, nullusque amplius ante eorum introitum custos, Cherubin cum flammanti illa romphea ante Paradisi aditum collocatus abscessit, liber datur aditus. Video namque ianuas apertas, & Filium hominis, hominem illum morti aliquando diuidi eatum, qui tanto tempore iratum Patrem sensserat, hominem Verbo vnitum æterno, qui modo Deus est, & cœlo continetur ad dexteram virtutis Dei collocatum, ac proinde supra omnes Angelos, Cherubim, ac Seraphim euectum infinitæq; gloriæ consortem. O conceptus admiratione dignissimos!

Gen.28. Iacob lapidi indormiens prodigiosam scalam vidit, angelos quoque in eadem descendentes & ascendentes, aliasque visiones singulares. Hic vero Martyrum Patriarcha Stephanus, caput, pectus, totumque corpus lapidibus habes impeditum, vidit scalam illam admirabilem, quæ ad beatitudinem ducit, quam Christus ipse erexit; videt non Angelos, sed Angelorum Regem Christum, videt cœlos apertos, & gloriam quæ nobis destinata est. An non auditis, vt inclamet, *Video cœlos apertos, &c.*

Ios.10. Allusisse mihi videtur ad visionem, quam vidit dux Iosue, quando in prelio constitutus solem media die stantem & hærentem conspexit, Domino nimirum voci hominis motem gerente. Stephanus enim, velut alter Iosue, medio in certamine positus, & lapidum grandinem expertus, solem iustitiæ in summo cœlo stantem videt, eius scilicet virtute constantiaque in admirationem raptum, ipsos quinetiam cælos aperientem, & omnes spiritus cœlestes tam inuicti athletæ robur obstupescant, quod ipse testatus ait, *Video cœlos apertos, &c.*

Doctor Gentium Paulus, cum de tribulationibus, quas secum fideles omnes paterentur, ageret, tantopere eadem exaggerauit, vt dicere non erubuerit, Angelos, hominesque

1.Cor.4. iisdem in admirationem raptos fuisse: *Spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus.* At Stephanus non modo ab Angelis aut hominibus, omnibusq; creaturis se in martyrio visum ait, sed ipsummet Creatorem, Deum ipsum, eius patientiæ spectatorem adfuisse: *Video Iesum*, inquit, *stantem à dextris virtutis Dei*: quam in rem nouos conceptus proferamus.

Quando igitur eum hunc in modum clamantem audio, dixisse eum saltem innuisse autumo: Abrumpite vitam hanc carnifices, abrumpite, ictus ingeminate, saxa duplicate, obruite, sub lapidibus me sepelite, ossa hæc confringite; vt nimirum anima carceribus mundi huius egressa, cœlum, quod modo patens conspicio, sine vllo obstaculo ingrediatur. Rumpite moras, nolite mortem differre, properate, viam cœlu versus adaperite: quænam illic gaudia parata mihi contemplor? *Non sunt condignæ*, dixit olim Paulus, *passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in cœlis*, quod & Stephanus prius verbis illis, *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, significauit. Stephani verborum sensus exponitur. *Rom.8.*

Cum lætam hanc vocem percipio, impetus & bullientes quosdam vapores animæ gaudio nimio transuersum actæ audire videor, quæ præ delitiarum ac lætitiæ magnitudine exclamet. Et vt qui longa ac diuturna tempestate p Oceanum iactati venus & fluctibus huc illucque agitati, quamprimum vt eminus terram aspiciũt, Terra, Terra, Terra, inclamant: (Cuius rei exemplum Maro in Troianis dedit) cum enim aliquot annis per mare Mediterraneum & Ægeum errassent, multaque discrimina adiissent, labores plurimos exantlassent, quamprimum vt Italia se in conspectum dedit, Italiam, Italiam inclamare cœperunt: sæpius nomen rei exoptatissimæ repetentes. Inhærent adhuc Poetæ verba eorum clamor,

Italiam, Italiam primus cõclamat Achates,
Italiam socii lato clamore salutant.

Ad eundẽ modum Stephanus, cum longo tempore in tormentorum Oceano iactatus, & Martyrii tempestate agitatus esset, eminus terram viuentium conspicatus, alta voce inclamat, cœlum, cœlum, apertum illud eminus video; *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextra virtutis Dei.*

Cum auribus ſonus ille inſonat, dicere mihi viſus eſt, quanta, Deus bone, beatitudo mea! & q̃ mea gaudia! quanta mea felicitas! qua nimirũ video, q̃ ante me vidit nemo; video per apertas cœli ianuas Angelos, qui me intuentur, & innuunt, vt fortiter hocce ſupplicium perferam: video quinetiam Ieſum ſtantem, qui inclamate videtur, Bono animo es Stephane, *Per multas tribulationis oportet intrare in regnum cœlorum.* Sume animos athleta, ſuſtine ſaxa, equidẽ crucem ſuſtinui; te quidem lapidibus obruunt, me cruci prius affixerunt: tu vides cælos apertos, ego eoſdem tenebris coopertos: tu extra Ieruſalem exſpiras, ego in monte Caluariæ animam exhalaui, tu ſecus pedes adoleſcentis Sauli martyrium pateris, ego in medio latronum in crucem actus ſum. Erit igitur glorioſum, ducem tuum imitari, eamdem cum illo ſortem ſubire. Quam in rem egregiæ mihi hiſtoriæ in mentem veniunt. Act. 4.

Phocion dux Athenienſis cum ab ingrata patria ad mortem eſſet cõdemnatus, videretque in carcere alium, Tudippum nomine, ſimili ſupplicio adiudicatum, ſed qui ſortem ſuam non vſque adeo fortiter ferret, his eum verbis eſt conſolatus: *Non tibi ſatis eſt, Tudippe cum hoc ione mori?* Iiſdem mihi verbis Dominus Ieſus Stephanum viſus eſt cõſolatus, cum lapidibus eum obrutum videret: Sume animos Stephane, eſt tibi non parua futura gloria cum Chriſto mori, eandum cum filio Dei fortunam ſubire, & ſub ſaxis ſepeliri, vti ille in monte Caluariæ in cruce exſpirauit. Verbis itaq; eum & ſignis eſt conſolatus: de verbis quidem nullus in Scriptura ſermo, ſigna autem manifeſta ſunt, videt enim cęlos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei.

Nemo vnq̃ Sanctorum vidit, quæ Stephanus vidit.

O igitur felix, ac nimium beate Martyr! ô præ cæteris dilecte Deo pugil! nemo enim vnquam Sanctorum vidit, quæ hodie tu vides. Omnes enim veteres percurre viſiones, & parem non reperies. Noe quidem vidit arcam, Abraham Angelos, Iacob ſcalam, Moyſes rubum, Aaron virgam, Gedeon vellus, Ioſue ſolem ſtantem, Ieremias virgam vigilantem, Ezechiel Seraphinos, Daniel giganteæ magnitudinis virum, atque alii alia: at nemo cœlos vidit apertos, vt Stephanus. O donum ſingulare! ô prærogatiua regia! ô priuilegium nouum, ac nemini conceſſum.

Vbinam modo es Paule? quomodo his nõ contradicas? dixiſti olim, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* 1. Cor. 2. Diaconus tamen Stephanus eademperfecte intuetur, videt cęlos apertos, officinam illam gloria & diuitiis refertam, & quidquid beatitudinis noſtrę caput ac ſummum eſt. O aquila! ô lynceus oculus! qui elementa viſu tranſſcendere, planetarum orbes percurrere, & cœlum empyreum oculis poteſt rimari, nobiſq; in eodem præparatam gloriam perſpicere: dicitur namque, *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* Act. 7.

V.

Merito oculos in cœlum leuauit, è cœlo namq; omne ſolatium & auxilium expectandum eſt. Hinc Dauid Rex in afflictionibus & anguſtiis cõſtitutus, oculos ſe cœlum verſus direxiſſe ait, *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* Item alibi: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Ipſe quoq; Dominus Chriſtus Lazarum reſuſcitaturus in cœlum intendit, quaſi auxilium & opem, ad tantum tamque ſingulare miraculum peragendum, cœlitus imploraturus, *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit.* Ipſa quoque Machabæorum mater, vt minimum natu in ſupplicis animaret, ſolaretur̃que mediis in ſupplicijs conſtitutum, ait, *Peto, nate, vt aſpiciat in cœlum, ita fiet, vt non timeas carnificem iſtum.* Pſal. 112. Pſal. 120. Ioan. 11. 2. Mach. 2.

Et ſane veriſſimum eſt, ſolum cœli aſpectum, ſolam loci tam amœni contemplationem Therſites in Hercules fortiſſimos commutare poſſe, timidos ad tormenta rapere, conſolari afflictos, eoſq; in ſuppliciis reddere inſenſibiles. Ipſe namque Hieronymus Euſtochio Romanæ Virgini ſcribens, ſola hac eam meditatione verum reperire ſolatium poſſe ait: *Egredere de carcere, & præſentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit.* Teſtis huiuſce rei ſit Apoſtolus qui cum aliquam tantum illius ſcintillam vidiſſet, præ gaudio & admiratione raptus exclamauit, *Domine, quid me vis facere?* anne mundum deſerere, mortem ſubire? Dic igitur, num cœleſtis gloriæ meditatio & intuitus Act. 9.

tultus magnopere ad animum alicuius confirmandum, aut robur suggerendum conducant? Eius rei exemplum in athleta Stephano hodie manifestum est; cum enim cœlos apertos vidisset, felicitatemque cœlestem iam ex parte gustasset, lapidum saxorumq; imbrem quasi insensibilis despexit, & clamauit, *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.*

Quod nam vestrum hac de re iudiciũ Philosophi? quid de hac cœlorũ reseratione dicitis, ô Theologi? Quomodo verba illa hyperbolicè prolata, *Video cœlos apertos*, capiẽda sunt? anne cœli aperiri queũt, anne deduci ac reserari quasi fores? anne fenestras aut ianuas habent? Nequaquam nihil horum in cœlos quadrat; sunt enim corpora incorruptibilia, quæ nec frangi, nec aperiri queunt, adeo vt quod Stephanus hic ait, non de vera quadam visione, aut sensibili corporũ cœlestium, quæ solida sunt & tanquam ænea, apertione intelligendum sit. Iob namque Propheta ait, *Solidissimi sunt cœli, & tanquam ære fusi*, quod & ipsa confirmat ratio. *Iob. 37.*

Ostenditur cœlos aperiri nõ posse.

Vt enim aliquid per fissuram quamdam cœlestem cõspiciatur, magnam sane eandem esse oporteret, ne forte visus deficiat humanus, & ipsum videri non possit, deinde splendidissimi & micantissimi coloris, is enim obiectum visus est, atque ita inutilis & frustra hæc cœlorum apertio foret, quia cum cœli diaphana & trãsparentia corpora sint, res ipsa videretur, etiam sine vlla rima aut fissura; eo modo, quo stellas quæ firmamento affixæ sunt, septem aliis orbibus interpositis, & earum aspectum non impedientibus videmus. Adhæc si hoc se ita haberet, non sine miraculo id contingere dicendum esset: necessarium namque foret, vel spatium interiectum vacuum manere, quod præter cõmunes naturæ leges est, quæ à vacuo nimium quantum abhorret: vel elementa ipsa, centro suo relicto, præter communem rerum ordinem in altum sustolli ad vacuum illud replendum.

Dicendum est igitur apertionem hanc veram nõ fuisse aut realem, deinde cœlos numquam apertos fuisse: atq; etiam cum in Scriptura iidem aperti leguntur, (vt apud Ezech. *Cœli aperti sunt, & vidi visiones:* in Apocalypsi quoque, *Ecce ostium apertum est in cœlo:* item apud Matth. in baptismo Christi Iesu *Cœli aperti sunt.*) id fieri, vel quod simpliciorum se accommodare velit captui: veluti cum dictũ est in diluuio cœli cataractas reseratas, vt ita ingentem pluuiam designaret: vel vt hinc manifestum fieret, eos quos scribitur cœlum apertum vidisse, imaginariam quandam visionem habuisse vel somniantes, vel vigilantes, per q̃ ipsis cœli aperti videbantur. Quamquam per hanc apertionem splendor quidam præter consuetudinem in aerea regione apparens, imaginationemque, quod reuera in rerum natura non existat, demonstrans intelligi etiam queat. *Ezech. 1. Apoc. 4. Matth. 3.*

Visio Stephani non fuit vera visio, sed tantum imaginaria.

Atque ita intelligenda est Martyris nostri visio, firmiterq; tenendum, præsertim accedente ratione, cœlos ei minime apertos visos, sed imaginariam tantum eorum apertionem fractionemq; oculis illius fuisse exhibitam: ita namque illos aeris partes feriebant, vt à se mutuo diuisæ & separatæ viderentur: q̃ fieri potest, si partes, quæ à se inuicem separatę vidẽtur, densiores & lucidiores fiat, adeo vt visum sistere, & ad se rapere queant, ipse quoq; aer interiectus rarescat. Hoc artificio pictores vtuntur, vt nobis ianuas fenestrasq; demonstrent, colorem album & lucidum feruiore aliqua nigredine circa extremitates obscurando. Atq; hunc in modum cœlorum apertionem in Messiæ baptismo interpretatur doctissimus Suarez. Sed noua hic difficultas sese offert; neque enim solos cœlos se apertos, sed gloriam etiam Dei vidisse ait, *intendens in cœlum vidit gloriam Dei.*

Tres sentẽtiæ inter se discrepãtes, de eo q̃ Stephanus viderit gloriã Dei.

Lyranus vir doctissimus, & in expositione difficultatum biblicarũ peritissimus, cum in hunc locum incidisset, tres opiniones adfert, quæ omnes visionem hanc Stephani diuersimode exponunt. Sunt enim aliqui, qui hanc nonnisi de visione mentali intelligũt; atq; ita Stephanũ non modo Dei gloriam, sed ipsam quoq; diuinitatem vidisse, vt & Paulus, cum ad tertium cœlum euectus est. Atque huius opinionis fuit Gregorius Nyssenus oratione de S. Stephano, Augustinus sermo. 99. de diuersis: qui ait, ipsummet Deum, quin & SS. Trinitatẽ à Stephano visam. Alii hic visionẽ quandam imaginariam capiunt: docent enim Deum in Stephani imaginatiua specie quasdam proprias, eiusq; essentiam repræsentare

valeat

valêres efformasse, vt in multis Prophetis fecisse comprobatur: atq; hos sequitur multæ virscriptionis lectionisq; Tostatus. Sunt denique & alii, qui hic visionem tantum corpoream intelligi putant, qua Martyr hic Iesum & hominem tantum vidit; non quod oculi virtutẽ aliquam habuerint, qua Iesum Christum in cœlo empyreo cõstitutum viderint, visus sui viuacitate omnes cœlos penetrantem: sed exteriorem quandam effigiem aut imaginem Christi oculis eius oblatam, huius in eo visionis causam fuisse, eo propemodum modo, quo Angeli à facultatibus sensibilibus videri perhibentur: vt hæc tamẽ effigies ipsa diuinitas, nonnisi perpuram quandam repræsentationem fuerit.

Placet hæc sententia doctissimo Caietano, eamque & alii celeberrimi Doctores amplectuntur, vt gloriam Dei vidisse, non sit pure & simpliciter Deum vidisse, quia vulgarem illam Scripturæ sententiam sequendo, *Deum nemo vidit vnquam*: sed solum claritatem quandam corpoream, vel splendorem exteriorem, Dei simul præsentiam includentem, quam Stephanus per lumen hoc agnoscebat, diuinitatis præsentiam ex repræsentatione speciei colligens. Respondet per omnia opinioni huic sacra Scriptura, quæ sæpius loco gloriæ Dei accipit aliquid, quod præstantius & eminentius sit, imo vero, vt ingentem aliquem splendorem exprimat, gloriam eum Dei interdum appellare consueuit. 3. *Reg.* 8. Atque imprimis, vt id manifestum faciam, tertio Regum legitur, templum perfectum à *Exod.* 40. gloria Dei impletum esse: item in Exodo de tabernaculo Mosis, & in Euangelio de splendore illo eximio, qui pastorũ oculos in Iudeę montibus perstrinxit. *Luc.* 2. Confirmat hoc testimonio suo Hieronymus, aitque, *Significat & aliud in Scripturis diuinis gloria, cum angustius aliquid atque diuinitus se præbet obtutibus.* *Lib.* 3. *c.* 5. *ep. ad Galat.* Concludamus igitur per omnes illas visiones, quibus diuinitas aut Dei gloria visa declaratur, & hanc, quam & Stephanum vidisse dicimus, non designari aliud, quam ingentem quendam splendorem in medio aeris apparentem, qui se oculis illius offerret, qui Deum haud procul abesse significaret. Itaque hæc, *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, intelligi debere: quod facite. Interea ipse ad vltimam orationis partem descẽdam.

VI. Stephanus pro inimicis suis orauit.

Generosus ille ac infractus Martyr, cum spiritum iam extremum duceret, contusus & collisus, totoque corpore laceratus, manus in cœlum sustulit, proq; inimicis & tortoribus deprecari cœpit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum.* Duo è Domino petiit, suam & inimicorum salutem, tamque hæc quam illa cara ei exstitit. O charitas admirabilis, & incredibilis! de inimicorum ecce salute solicitus est, & propriam negligit. Didicerat id à summo illo doctore, qui idipsum in cruce moriens, à Patre postulauit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt?* *Luc.* 23. peccatum illorum, fateor, ingens est, sed maior eorum ignorantia est, quam malitia, putantquippe se latronem, superbum, vinosum, pseudoprophetam eruci affigere, sed Messiam suum filium Dei, mundi Redemptorem occidunt.

Inuectio in inimicitias & vindictas.

Q igitur detestandæ inimicitiæ? ô abominanda vindicta! ô pestilens ac perniciosa iniuriarum memoria! anne adhuc dominabimini? adhuc in vsu eritis? Iesus Christus pro inimicis deprecatus est, Stephanus iniuriarũ obliuiscitur, & tantane alicuius erit audacia & impudentia, qui earum recordetur: Filius Dei & Protomartyr, ac Martyrum Princeps pro inimicis carnificibus supplicant: & homines eosdem oderint, & vindictam de iis sumere desiderent? An non in praxim reducetur sententia illa Euangelica, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestres?* *Luc.* 6. *Matth.* 5.

O furores brutales, ô choleræ tartareæ, ô odia cœlo exosa, & diabolo progenita! Hinc Iacob Patriarcha cum in mortis articulo versaretur, omnesque filios astantes benedictionem paternam præstolantes videret, Simeonem & Leui acriter castigauit, dicens: *Simeon & Leui, fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* *Gen.* 49. Erant quippe hi plenti iracundia & cholera, iniuriarumque illatarum obliuisci haudquaquam poterant: fuerant hi nimirum qui Principem Sichimitarum vindice manu interfecerant, vrbem diripuerant, muris denudauerant, incolas ferro deleuerant, quod in sororem eorum Dinam iniurii exstitissent.

Quam-

Quamobrem pius ille senex, cum in morte illorum reminiscereturr, indignans maledixit illis, *Maledictus furor eorum, quia pertinax, &c.* O igitur maledictus furor! ô pertinacia detestanda! ô iram nimis obduratam! Nolebat scilicet Patriarcha ille, filii vt vindictam meditarentur, deque iniuriarum vltione cogitarent.

Ipse quoque Pater cœlestis nihil tantopere à suis postulat, quam vt amicitias colant, concordiam inter se seruent, pacem & charitatem mutuam, iniuriarumq; obliuionē amplectantur. *Leuit.7.* Hinc factum puto, quod olim acetabula sibi argentea à Principibus tribuum in dedicatione tabernaculi offerri voluerit. Designabat scil. hæc figura, tunc cum Deo animam, tabernaculum illud præstantissimum dedicamus, cordis nostri acetabulum eidem offerri debere, vasculum illud amaritudine, cholera, felle, bile, vlciscendi desiderio plenum. O triste & acre acetum, quam amarum absynthium! Audite, vt hanc à nobis oblationē Deus desideret, *Fili, præbe mihi cor tuum:* *Prou.23.* *Rom.12.* vt porro demonstraret, acetabuli instar illud esse, ait, *Mihi vindictam & ego retribuam*, id est offer mihi cor tuum, da mihi acetabulū hoc, vindictas illas, iras, indignationes, iniuriarum vltiones, in me transfer furores illos particulares.

Inter cæteras quas olim leges Deus stabiliuit, erat & illa, *Vir siue mulier, cum fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino cōsecrare, à vino & omni, quod inebriare potest, abstinebunt, acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur non bibent.* *Num.6.* Non tam acetum, quod in vsu hominum est, lex hæc respicit, quam acetum illud spirituale, id est, choleram & iram, veram cordis acredinem, qua ebriatur, turbatur, cuius fumosis vaporibus & acrimonia rationis vsus offuscatur. Designat igitur lex hæc, omnes, qui se cultui diuino mancipant, à fumoso illo vino, quod caput opplet vaporibus, & cor vindictæ cupiditate, animasque inebriat, sibi cauere, & ab aceto illo teterrimo diligentissime abstinere debere. *Matth.27.* *Marc.15.* *Luc.23.* *Ioan.19.*

Cur putatis Redemptorem nostrum Christum in cruce pendentē, cum in mortis periculo & vitæ termino constitutus esset, acetū sibi offerri voluisse, cum præ suppliciorum acerbitate exhaustus plena voce inclamasset, *Sitio?* indicare voluit, se salutis nostræ siti laborantē, & propemodum mortuum inq; alterum mundum abeuntem, fel & acetum, id est, lites & rixas, vindictę cupiditatem, vltionisque sitim, furores & iras, quæ in mūdo erant, absumere ac secū deferre voluisse. Quā amaræ spongiæ, acetoq; plenæ sunt, animæ ita furore saturatæ & perpotatæ: eia agite, Iesu Christo easdē offerte, delectatur ipsum bibendo, laborat adhuc siti, refici vult, audite quæso, vt exclamet, *Sitio.*

Sponsus ille in Canticis sponsæ suæ venustatem ac pulchritudinem demiratus, inter cætera ait, oculos illius esse adinstar columbarum. Columba animal mundissimum est, quod felle & cholera careat: ita anima, quæ per sponsam hanc designatur, felle & vindictæ appetitu carens, castitatem diligens, merito laudari, & à Deo diligi ac foueri debet, atque huiusmodi cum fuerit Beatus Stephanus, idque singulari Dei priuilegio, merito cœlos apertos videt. Vnde manifeste colligi potest, patere cœlum iis, qui pro inimicis Deum deprecantur, iniuriasq; admissas in se facile remittunt. Audite namque vt clamet, *Ne statuas illis hoc peccatum.* *Cant.4.*

Romanæ eloquentiæ Parens ac Princeps Tullius cum Q. Ligarium, quod à Pompeii partibus stetisset, in senatu coram Iulio Cæsare dictatore defenderet, his apud eum verbis adulando vsus est, *Nihil obliuisci soles, nisi iniurias*, i.e. ipsa te trophęa & de hostibus partæ victoriæ, admirabilem ac celebrem reddunt, verum quod inimicis ignoscas, iniuriarum obliuiscaris, cum omnibus in gratiam redeas, longe te admirabiliorē ac prope Deū constituis. Quanto potiori iure de Christianorum Cæsare, de Martyrum Principe Stephano eadem vsurpē, *Nihil obliuisci soles Stephane, nisi iniurias*: inimicis ignoscis, pro persequentibus Deo supplicas, vitam iis postulas, qui mortem tibi inferre satagunt. O charitatem penitus admirabilem!

Immortali præconio Aristidem celebrat Græcia, hic namque cum ab ingrata patria in exilium actus, & iam vrbe egressus esset, genibus in terram prostratis, oculisque ad cœ- Aristidis in patriā amor

lum erectis deos orauit, ne iniuriam hanc in se innocuum admissam digna castigatione punirent, aut quid grauius in patriam statuerent. Noli in tuorum laudibus enarrandis insanire, ô Græcia: Stephanus namque noster amplius quid hodie præstat: cum enim non modo ad exilium, verum ad mortem crudelissimam condemnatus esset, iam in extremo vitæ constitutus, in genua procubuit, oculos, & cor ad Deum sustulit, ei supplicat, inimicis vt ignoscat, iniuriarumque admissarum memoriam deponat. Orat enim, *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Eia agite, Christiani, vt tandem aliquando optatũ portum ingrediamur. Hæc omnia in vestram vtilitatem conuertite, discite obsecro è morte & martyrio Protomartyris huius, qua ad beatitudinem peruenjatur via, alii per crucem, per gladium alii, hic per saxa eodem pertigit. Vera igitur Apostolorum sententia est: *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.* Discite, inquam, à generoso illo pugile, à strenuo illo athleta, charitate & clementia pleno, inimicos vestros diligere, ignoscere, qui vos ad iracundiam prouocatunt, iniuriarum memoriam deponere, lites & rixas euitare, vindictamq; non sitire. Hac namque ratione datur cœlos videre apertos, & ad beatitudinem pertingitur.

Tu vero, ô glorioſe & coronate Stephane, Martyrum Patriarcha, Ecclesiæ primogenite, prime fidei nostræ testis, fidelium honor, gratiam nobis impetra, tuo vt exemplo & imitatione ad fortiter agendum & patiendum inciremur, & ad virtutum tuarum prototypum vitam nostram cõponamus, tu, inquam, generose Christi athleta, sacri Martis pulle, fidelium Hercules, Heroum illorum sanctorum gloria, infracte, immobilis, inuincibilis, qui in fortitudinis signum, palmam strenuitatis, victoriæque symbolum (quo enim illa plus opprimitur, eo & sublimius erigitur) manibus & coronam capite gestas, quod & nomine tuo præfers: in signum scil. imperii, dominii ac regiæ potestatis, in signum, inquam, esse te Martyrum omnium caput ac regem. Tu itaque Deo dilecte, præ cæteris Sanctis priuilegiis donate, eoquod cœlos apertos videris, quod nulli vnquam sanctorũ datũ est, succurre, auxiliare nobis nostrumq; patrocinium suscipe. Precibus tuis impetra, vt quemadmodum Iudæorum ferocientium saxa constantia tua superasti, nos quoq; per persecutionem mundi huius saxa cum victoria transeamus: & vt ipse & vitam & sanguinem amisisti, ita nos quamuis vtrumque cõmode præstare nequeamus, carnis saltem appetitus sanguinem, concupiscentiæq; robur amittamus. Denique quemadmodum inimicis iniuriam remisisti, proq; iis Domino supplicasti, qui te ad supplicium trahebant, ita nos amemus, qui nos odio persequuntur, benefaciamus malefacientib. omnesq; iniurias, tua potissimum imitatione, obliuionis tumulo condamus: vt post crudele vitæ huius martyrium, cœlos quoq; ad tui exemplũ apertos videre, & tecum cœlesti beatitudine perfrui mereamur: cuius nos participes efficiat, qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu S. Redemptor noster Christus. Amen.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Partitio.

1. *De gratitudine.*
2. *De nonnullis S. Ioannis prærogatiuis.*
3. *De nomine dilecti & accubitu supra pectus Domini.*
4. *De tutela Matris Iesu Ioanni credita.*
5. *De quæsito: Quid autem hic?*
6. *De S. Ioannis permanentia.*

Hic est discipulus, quem diligebat Iesus. Ioan. 21.

FIGVRA.

IACOB, Patriarcharum veterum decus & ornamentum inter duodecim quos habebat filiõs, Ioseph minimum natu potissimum diligebat, maiorique quam cæteros amore & affectu prosequebatur. Ita Christus minimũ natu Ioannẽ inter duodecim Apostolos maxime dilexit & fouit. Ille nimirum carissimus illius *Gen. 37.*

illius discipulus, Christi delitiæ, amor Verbi incarnati, ac Messiæ gaudium ac solamen erat, amicitiam hanc & singularis huius amoris nexum, imo prærogatiuas illius ac priuilegia mox exponam, si Pneumatis sanctissimi opem & auxilium, glorioſæque Deiparæ patrocinium postulauerimus. Atque ideo supplices Angelicam illi salutationem impertiamur, vnanimiter dicentes:

AVE MARIA.

I. Veteres Patres beneficiorum Dei semper memoriã conseruabant.

Fuit ea Sanctorum Patrum consuetudo, nullo nõ tempore ac loco beneficiorum cœlitus acceptorum recordari, eorumque memoriam semper in animo, vt ita ingratitudinis notam subterfugerent, conseruare. Ita Dauid Rex agere solebat, qui sæpenumero omnes ad beneficiorum diuinorum memoriam excitare gestiens, dicebat: *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timebitis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Idipsum faciebat & Iacob Patriarcha: cum enim Esau frater paruulos illius vidisset, quæsiisset que, cuius omnes hi liberi forent, respondit alter: *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo*, bonorum deinde suorum partem illi offerens, ait: *Accipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donauit Deus tribuens omnia.* Animaduertite quæso, vt cuncta in Deum omnium bonorum datorem & largitorem refundat, eiusque liberalitatem deprædicet. Esau vero agrestis & barbarus, Deique oblitus nihil eidem asscribit, sed ingratitudine plen⁹ ait, *Habeo plurima frater mi, tua tibi sint:* cum dicere contra debuisset, plurima quoque mihi largitus est Dominus: at, quæ eius ingratitudo est, ait: *Habeo plurima.*

Psal. 65. Gen. 33. Iacob diuinorum beneficiorum memor.

Ioseph Deũ agnoscit omnium datorem. Gen. 41.

Hanc loquendi consuetudinem seruauit & Patriarcha Ioseph, cum enim ad regnum Ægypti euectus esset, ait: *Deus fecit me Dominum vniuersæ domus Pharaonis, ac Principem in omni terra Ægypti.* Non ait, Pharao constituit me œconomum domus suæ, aut huius me honoris sors compotem fecit, aut hanc dignitatẽ prudentia promerui mea, sed omnia mihi elargitus est Deus, ipse hanc mihi gratiam præstitit, hæc ab illo profecta sunt, huic deniq; & non alteri omnia adscribenda sunt. Hinc in Genesi præclarũ conceptũ legimus.

Idem Patriarcha cum duos filios haberet, vni nomen dedit Manasses, id est, *Obliuiscere me fecit Deus omnium laborum meorum:* alteri Ephraim, id est, *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* O insignem in viro hoc sanctissimo beneficiorum agnitionem! non satis ei visum est, Deo ob accepta beneficia & pericula depulsa immensas gratias agere, sed filiis nomina, quibus beneficii huius magnitudo designetur, quin etiam imposuit, vt perpetua horũ in animo suo viueret memoria, ipsique filii hoc nomine accepto ad gratias toto vitæ tẽpore ob beneficia Patri collata agendas, non secus ac Pater excitarentur.

Nomina filiorũ Ioseph mystica. Gen. 41.

Duo illi exploratores, quos Iosue vrbem Iericho explorandam misit, mirabili industria & stratagemate beneficia à Raab accepti memoriam conseruare conati sunt. Nam cum ipsa eos morti eripuisset, dixissetq;, *Iurate mihi per Dominum, vt quemadmodum ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo Patris mei.* Illi mox subintulerunt: *Innoxii erimus à iuramento hoc, quo adurasti nos, nisi ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eum in fenestra, per quam dimisisti nos.* Notate, quæso, stratagema, notate rei proprietatem, signum poni loco volunt, in quo beneficium accepere, vt tanto melius illius recordarentur, ingratitudinemque eo melius ex animo propulsarent.

Ios. 2.

Ipse quoque Deus, quando homines huiusmodi artificia reperire nequeunt, eadem demonstrat, & vltra suggerit, ne homines sui obliuiscantur, beneficiorumque memoriam amittant, atque ita ingratitudinem demonstrẽt, quod historia è libro Iosue demonstrare contendã. Cum populus Israel sicco pede Iordanẽ transuadasset, & Dominus beneficii huius perpetuum exstare monumentũ vellet, Iosue ait: *Eligite duodecim viros, singulos per singulas tribus, & præcipite eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotũ, duodecim lapides durissimos quos ponetis in loco castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.* Non vult duodecim hos ex vnica tribu eligi, sedè singulis singulos, vt ita demonstret, beneficium esse commune omnibus, vniuersosque

Deus vult suorũ beneficiorũ memoriam vigere in animis hominum. Ios. 4.

& singulos eiusdem debere reminisci. Non vult adhæc quoslibet lapides aut vulgares capi, sed durissimos, vt diutius superstes ita maneat memoria, ipsaque recordatio nullo vnquam æuo intermoriatur. Idem & in nouo Testamento satis insinuatur: cum enim Dominus in deserto quinq; hominum millia duobus piscibus & quinque panibus hordeaceis ciballet, Apostolos quæ superauerunt fragmenta, ne perirent, colligere præcepit. Cur putemus principem illum munificentissimum tam anxie reliquias has colligi mandasse? an eum illiberalitatis accusabimus? an vt auarum & tenacem culpabimus? nequaquam. Sed ostendere voluit, se, vt in rebus necessariis dandis liberalis est & effusus, ita & in superfluis haud esse prodigum, vel summum illum principem, postquam beneficia in nos contulit, miracula nostri causa operatus est, velle reliquias à nobis colligi, id est, eorum semper nos recordari, ac nullo vnquam tempore memoriam eorum mente deponere.

O ingens Christianorum ingratitudo! ô summa beneficiorum obliuio! qui postquam mille beneficiorum genera accepere, vix vnius recordantur, vix ob vnum aliquas da-
Esdr.6. tori gratias agunt. Assuerus Rex, cum curis grauatus, totam noctem insomnem duceret, veterum annalium monimenta peruolutauit, in quos, quæ à subditis acceperat beneficia, fideliaq; eorum obsequia relata erant: eum diligenter singula euoluisset, magnam erga omnes, quos nondum digna mercede remuneratus erat, liberalitatem ostendit. O Christiani! Euangelica lex historia quædam generalis est, & annales, quibus omnia dona & gratiæ, quas à Deo accepimus, continentur. Sed heu, quam paucas iis peruolutandis horas impendimus? quam parum tẽporis in earum compensatione insumimus? O pudor, ô dedecus & ingratitudo!

Sed videte hic, vt Apostolus, Euangelista, Propheta, vir penitus admirabilis, quo infamem ingratitudinis notam effugiat, donorumque cœlestium memoriam immortalem in animo conseruet, beneficia, prærogatiuasque, quas à Domino Iesu Christo accepit, exaggeret. Ait enim se discipulum illum esse, quem Iesus diligebat, & præ cæteris complectebatur. Nihil porro aliud hodiernum Euangelium complectitur, *Hic est discipulus quem diligebat Iesus.* Vt porro latius deducam, primo sancti huius merita ac prærogatiuas recensebo, ac deinde historiæ Euangelicæ cõtextum exponam, aurem mihi accommodate, ad rem me accingam.

II.

Ioannes hic, cuius hodie festum & memoriam celebrat Ecclesia, fuit Zebedæi filius, frater Iacobi maioris, atque vnus è duobus, quos mater ambitione flagrans, in Iesu Christi regno, cum Israel Rex constitueretur, sublimari voluit, dicens: *Dic vt hi duo filii sedeant vnus ad dexteram, & alter ad sinistram.* Inter Apostolos ille quidem fuit natu minimus, sed Euangelistarum summus, quod egregia figura exposuit Ezechiel Propheta, vidisse se namq; ait quatuor animalia, sed aquilam cæteris magnitudine præstitisse: *Et facies a-* *Ezech.19.*
quila de super ipsorum quatuor. Porro quatuor hæc animalia quatuor Euangelistas denotat, inter quos Ioannes per aquilam designatus, cæteris euolat sublimius.

Ioannem vero per aquilam, quæ imperialis auis est, designari testis est Hieron. prolog. super Matth. August. lib. 1. de Consensu Euangelistarum, cap. 6. & Hom. 1. in Apoc. & Greg. Magnus lib. 3. cap. 35. Vt enim aquila fulmina, ita nec ille tribulationes aut tormẽta exhorruit: vt illa irretorto & non conniuẽti lumine solares radios intuetur, nec splẽdori cedit, ita quoque ingenium Ioannis, q̃ nubes transcendit, solemq; iustitiæ infracto & pertinaci oculo perspexit, cedere nescivit. Est namque ingens illa aquila, quæ adusque Libanum montem, i.e. ad summum diuinitatis euolauit, & magnę illius cedri medullam, i.e. cor Verbum Patris æterni imbibit, in cuius cognitione tam sublime euolauit, vt non cæteros modo Euangelistas, sed se ipsum quoque superarit. Conceptus huius formam Ezech. Propheta adaptauit, dicens: *Aquila* *Ezech.19.*
grandis magna um alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.

Cum vero de auibus & volatu mentio incidit, de aquila nostra merito illud Psalmistæ occinere possumus, *Ascendit super Cherubim, volauit*

volauit super pennas ventorum. Per ipsos Cherubim Augustinus hic scientiæ multitudinẽ designat, atque in hunc modum Ioannes omnem scientiam tam naturalem quam supernaturalem, quæ vel Apostolis, vel Euangelistis communicata erat, longe superasse dicendus est. Deinde per duos illos Cherubim, propitiatorium alis suis cooperientes, communiter duæ in Christo naturæ intelliguntur, super quas summus hic Euangelista sublimi quadam cognitione euolauit. Per pennas has ventorum, Angelorum, & Apostololum scientiam denotari docent pleriq; quam idem Euangelista transcendit.

III. Fuit ipse Doctor in omni scientiarum genere versatissimus, edoctus in Spirit. Schola, non Platonis, Aristot. Socratis, aut aliorum, sed Iesu Christi discipulus, *Hic est discipulus quem diligebat Iesus.* *Ioan 21.*

O prærogatiua singularis, & honor cum nullo æquiparandus! ô incomparabilis discipuli huius felicitas, Iesum præceptorẽ habuisse! Si enim beatum se, & felicem existimauit Philippus, quod Alexander filius Aristotelẽ nactus fuerit, maior profecto discipuli huius gloria & beatitudo est, quod Filium Dei Magistrum illum Angelorum Doctorem habuerit. Quam merito igitur cum Propheta exclamem: *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Beatus Ioannes, qui in schola tua fuerit edoctus. *Psal. 9.*

Scripta Ioannis varia doctrina referta.

O doctum discipulum! & in omni scientiarum genere versatissimũ! doctissima illius scripta fidem faciunt, & in primis Euangelium, quod post cæteros Euangelistas scripsit, & ipsum doctissimum ac profundissimũ: tres item illæ epistolæ subtilissimæ ac Theologiam reconditam spirantes: Apocal. illa profunda, in qua tot Sacramenta mysteriaq; quot verba & apices, vt asserit Hieron. Imo tanta illius doctrina fuit, vt ipsimet Angeli, teste Chrysost. multa abscondita, & abstrusa ab eo didicerint. Ideo factum puto, vt Marcus eum filium tonitrui appellarit. Tam profunde enim de Deo deque diuinitate locutus est, vt tonitrui potius quam vox humana fuisse videatur. Ad quod Propheta alludens ait, *Vox tonitrui tui in rota.* Nam Euangelicæ prædicationis ac præsertim Ioannis vox tam alte insonuit, vt tonitruũ quoddam per rotam fremens & per orbem terrarum intonans fuisse quis dixerit, quando in omnem terram exiuit sonus eorum. *Epist. ad Paulinam.* *Marc. 3.* *Psal. 76.*

At nondum hic quieſcimus, nam præter singularem ilam doctrinam, habuit & Prophetiæ donum, quod è scriptura adstrui potest. Initio enim Apocalypseos scriptum legimus, *Beatus qui audit verba Prophetiæ huius, & seruat quæ in ea scripta sunt.* O quemnam Prophetam! non habuit vetus Testamentũ similem: quicunq; enim olim Prophetæ exstiterunt, non nisi eminus Deum viderunt: hic autem manu eum tetigit, & super pectus eius recubuit, omnia ab illo hauriens quæcunque Ecclesiæ militanti euentura vaticinatus est. *Apoc. 1.*

Quatuor Martyrii genera Ioãnes pertulit.

Potest quin etiam inter Martyres recenseri: quatuor namque Martyrii genera sustulit. Primum Dominicæ passionis tempore, cum sub cruce consisteret: hinc quippe patiebatur magister, & ipse illinc: vt quatuor Euangelistę vnanimi cõsensu tradunt. 2. Venenum mortiferum bibere coactus, quod ad mortem violentam referri debet: ita omnis testatur antiquitas, & inprimis Isidorus Hispalensis. Hinc pictores calicem ei in manus cum colubro affingunt: vel potius, quod Dominus olim ipsi vt & fratri dixerit, *Calicem meum bibetis.* 3. Imperatoris Domitiani tempore in Insulam Pathmos in mari Ægeo sitam relegatus fuit, in qua omnes Apocal. suæ visiones vidit: porro ipsum exilium ad mortem ciuilem, vt Iurisconsulti loquuntur, referendum est. 4. Nono Domitiani anno, cum Romam Epheso ductus esset, idque suadente Apollonio Tyaneo Mago, (de quo Philostratus admiranda quædam refert, præsertim ea quæ Ephesi gessit, quando nimirum Imp. obitus diem, dæmone id suggerente prædixit, ob quod statuam promeruit) Domitiani iussu in feruẽtis olei dolium coniectus est, è quo sine vlla læsione aut detrimento, non sine singulari miraculo emersit. Testatur hoc Magnus Ecclesiæ Doctor Hieron. & ante eum Tertullia. Apost. *Ioannes post eaquam in oleum igneum demersus nil passus est.* An non hæc quatuor mortis & Martyrii genera sunt? *Lib. de præscript. hæret.*

Departibus N. Testam.

Absurdum porro est, Martyris eum nomine indignum dicere, eo quod vitam non amiserit. Sed è contra dicendum nunquam Deum in Sanctorum suorum perniciem aut detrimentum edere miracula; atqui si Ioannes Martyr dici non posset, eo quod in supplicijs mortuus non fuerit: ingens illud miraculum, quo feruenti dolio ereptus est, magno illius damno contigerit, atque egregia Martyrii eum corona priuarit. Huc accedit, quod Ioānes Chrysostomus pro huius rei veritate decertans, duobus in locis asserat, Dominum Ioanni & fratri eius Iacobo martyrii coronam pollicitum esse, his verbis, *Calicem meum bibetis*: quod nonnisi de martyrio potest intelligi. Adhæc quanta illi facta esset iniuria, ecquod dedecus & ignominia foret, cæteris Apostolis Martyrum laurea coronatis soli huic eandem denegatam fuisse? Vere igitur Martyr fuit, ac penitus cœlestis ac diuinus, & quod præ ceteris æstimandum, *est discipulus quem diligebat Iesus.*

Hom. 66. super Matt. & 27. sup. epist. ad Hier.

Heb. 1. Quis vnquam mortalium, imo & Angelorum hoc nomine donatus fuit? Si enim Paulus, vt Messiæ dignitatem innueret, eumque Angelos excedere ostenderet, ait, *Tanto melior Angelus effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditauit.* Apostolus hic profecto cæteris hominū & Angelorum tanto dignior & eminentior dicendus est, quanto gloriosius & nobilius nomen, delicium scil. Christi Iesu adeptus est. Quin etiam si Sapiens olim dixerit, *Melius est nomē bonum, quam multæ diuitiæ*: nobile illud Ioannis nomen (*quem diligebat Iesus*) merito omnia hominum nomina omnesque qui in mundo sunt titulos, dignitate & excellentia antecellet, adeo vt de illo dicere non verear, *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*: nam post Messiæ nomen nullum est inter homines aut maius aut excellentius: imo vnum & idem cum illo videtur esse.

Prou 22.

Solent amici in omnibus rebus sibi similes esse, ipsaque similitudo veræ amicitiæ fundamentum est: inprimis autem Deus omnes quos amat & cōplectitur, sibi esse vult quam simillimos. Vnde Paulus, *Quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui.*

Rom. 9.

Christus igitur Ioannē è toto corde & anima diligens, idem eum secum nomē habere voluit. In veteri enim & nouo Testamento hoc semper filii Dei & Messiæ nomen fuit, nam in Psalmis legimus, *Dilectus quæ admodum filius vnicornium.* In Canticis quoq; toties hoc nomine à sponsa compellari se gaudet, *Dilectus meus mihi, & ego illi*, quin & in Euangelio summi Patris ore pronunciatū est, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et in Euangelio de Transfiguratione, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Et ecce, delicium illius idē nomen sortitus est, *Quem diligebat Iesus.* Ratio est, quod inter amicos omnia debeant esse communia, & paria, idem nomen, cor idē, voluntas vna; similitudo & communio in omnibus. Magni in libris Regum fit amicitia Chusai Architæ cū Dauide: hinc cū eius mentio fit, dicitur; *Cū autē venisset Chusai Archites, amicus Dauid.* At amor & dilectio, qua Christus Ioannē est prosecutus, longe maior & eminentior est. Quænam enim inter Dauidem & Christum comparatio? quænam inter filii Dei & Regis alicuius amorem similitudo? quid cōmune habet dilectio Regis terreni, & totius mūdi Monarchæ? Ioannes noster à Christo diligitur, *Quem diligebat Iesus.*

Psal. 28. Cant. 2. Matth. 3. Matth. 17.

2. Reg. 16

Dixit olim de Beniamin Moyses, qui Rachelis matris delicium erat: *Beniamin amantissimus Domini inter humeros requiescit.* At potius hoc de Iesu Christi delicio Ioanne dicere poterimus. Fuit ille inter filios Iacob natu minimus, hic inter discipulos Iesu Christi; ille inter humeros requieuit, hic supra pectus in cœna recubuit. O euidens amoris indiciū! ô affectum singularē! quam iucundum porro spectaculum fuit, videre Ioannē inter omnes Apostolos electum, in vltima cœna, supra sacrum Christi pectus, omnis sapientiæ fontem, recumbentē? Quid hoc est, Iesu bone, aliud non habes, cui caput inclines, quam humeros Ioannis? & ad tantā hominem dignitatem euehi, suum vt caput in pectus Dei reclinet? Annon igitur cum Apostolo exclamare liceat, *Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit huic simile?* Et cū cæco, de quo in Euangelio Ioan. 9. dicere,

Deut. 33.

1. Cor. 2.

A se-

Marc.1. *A sæculo non est auditum*, tam familiariter habitos, vt in eius pectore fessum caput reclinarent. O amor, ô honor, ô prærogatiua & paradoxa! Ioannes Baptista materno in vtero sanctificatus, in deserto viuens, quo nullus inter natos mulierum maior extitit, indignum se existimat, qui corrigiam calceamẽtorum Messiæ solueret. Maria Magdalena post tot effusas lacrymas, editaque suspiria ac singultus, secus pedes Domini prostrata iacet, nec faciem illius audet intueri. Thomas Apostolus digito vulnera illius tangere, aut summam cutem perstringere veretur. S. quoque Petrus Apostolorum Princeps accedere ad illum vix audet, sed in genua procidens exclamat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Ioannes tamen familiaritatem nouam assumit, corpus illius commune reddit, in sinu illius reclinatus dormit, super pectus illius recumbit, osculatur, amplexatur, ac mille amoris ei ostendit indicia. O noua amoris argumenta! ô familiaritas admiranda! ô dilectio incomparabilis & inaudita!

Luc.7. Ioan.10. Luc.5.

Cant.2. Sponsa illa in Canticis, quod à dilecto amplecteretur, & stringeretur, gloriatur & gaudens apud omnes ait: *Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* At maior profecto Euangelistæ nostri est gloria, cui maiorem vnigenitus Dei amorem ostendit, vt scilicet ab ipso diligatur, foueatur, stringatur, quodque communes amicitiæ limites transcendit, familiariter in sinu illius recumbat. O dilectio, cui nulla vnquam par extitit!

Gen.8. Iacob Patriarcha, cum lapidi innixus somnum caperet, admirabiles visiones habuit, Ioannes cum Petræ fundamentali, Iesu Christo, inquam, inniteretur, mirificas procul dubio reuelationes percepit. Ex hoc nimirum Oceano tot mysteria hausit; ex hoc promptuario tantam doctrinam deprompsit; ex hoc Parnasso tam præclara vaticinia & oracula deduxit; hæc eum academia tam doctum effecit, vt totus doctrinam orbis obstupescat, dicens: *Hic est discipulus, quem diligebat Iesus* quippe supra pectus in cœna recubuit.

Plutarch. Aquila cum oua excludit, pullum qui ex ouo cordi quam proximo prodit, plus cæteris diligere & fouere solet. Vt hoc materiæ nostræ adaptemus, dicendum est, cum iuuenis hic discipulus cordi aquilæ illius, de qua dictum est, *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*: tam vicinus sit, non esse mirandum, si tam tenere ab illa diligatur, tam amanter stringatur, si de eo dicatur, *Hic est discipulus, quem diligebat Iesus.*

Deut.32.

Discipulum ter ac quater beatum! annon enim magnæ felicitatis argumentum, Verbo æterno tam vicinum, diuinæ maiestati adeo gratum, mundi denique Redemptori adeo familiarem esse, vt intra pectoris eius sinus recipiatur? Nihil hæc sunt, quæ hactenus diximus, Auditores, aut saltem exigua admodum, si cum iis, quæ mox dicturus sum, conferantur. Quidquid enim dictum est, non nisi ad familiaritatem ordinariam & cõmunem referri potest: sed quod modo dicturus sum, communem familiaritatis ordinem longe excedit. Fuit, fuit Ioannes custos, ac veluti tutor Virginis, tutela Deiparæ, primus inter Reginæ cœlorum assecias & clientes. Huic scilicet vni illam Christus moriens legauit, ac commisit, illius in manus ac potestatem tam nobile pignus, thesaurum adeo luculentum, & tanti margaritam pretii consignauit. Cum enim in cruce suspensus, non nisi duo sua in potestate haberet, quorum illi dispositio libera foret, quæque vnice diligebat, animam & matrem, illam Patri, & hunc discipulo carissimo cõmendauit, quam ille tanto amore & cultu prosecutus est, vt toto vitæ tempore eandem non deseruerit, eandem circumquaque, prout Ecclesiæ bonum & necessitas fidelium postulabat, secum ducens, & in Asiam illam secutus fuerit, vt colligere est ex Epistola quadam synodali è Concilio Ephesino ad clerum Constantinop. missa. Vobiscum igitur statuite, num discipulus ille à Christo fuerit dilectus, cum eum rei tam caræ, matris inquam suæ tutorem, & custodem constituerit.

IV.

Si felicitatem suam Ioseph magnifecerit & celebrarit, quod quidquid Putiphar Ægypti præfectus possideret, suæ esset cõmissum fidei, adeo vt non sine admiratione Dominæ dixerit: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quid quam.*

quam est, quod non in mea sit potestate, quis pro merito honorem ac felicitatem discipuli huius admiretur, cui Dominus Iesus, quod in hac vita habebat carissimum, matrem inquam in tutelam custodiam ac protectionē dedit?

Figura. Iacob Patriarcha cum mortem sibi instare cerneret, vt amorem, quo Ioseph filium plus cæteris fratribus diligebat, testatum faceret,

Gen. 48. hac eum oratione compellauit, *En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetq; vos in terram patrum vestrorum, do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & in arcu meo.* Quam scite & apposite *Figura* hæc proposito meo quadrat! Iesus Christus Patriarcharū omnium Rex cum in mortis articulo constitutus esset, vt singularem, quo Ioannē natu minimum præ cæteris prosequebatur Apostolis, amorē testatum faceret, pretiosum illi pignus, Mariam Virginem intelligo, potissimum in tutelam tradidit quam in gladio crucis, & passionis arcu tulerat de manu Amorrhæi, i. e. à peccati tyrannide, & captiuitate diabolica, quæ ab Amorrhæis infernalibus descendunt, præseruauit.

Gen 44. Cum Israelitæ terram Ægypti ingressi essent, & iam domum reuerterentur, scyphum argenteum sacco Beniamin natu minimi Ioseph totius terræ dominus includi iussit. Vestra id venia propositæ materiæ adaptabo. Quod Beniamin inter cæteros Iacobi filios, hoc Ioannes inter Apostolos erat, quippe nō nisi viginti erat annorū, cū Christ⁹ à mortuis resurgeret: Virgo autē Deipara erat scyphus ille argenteus pretii incōparabilis: ita namq; interpretatur Rupertus locum illum Canti-

Cant. 7. corum: *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nullis indigen poculis.* O craterem pretiosum, sed ex argento purissimo, quod puritatis illius ac castitatis symbolum est, conflatum! Ille hodie in sacco, id est, in potestate iunioris huius discipuli & non aliorum inclusus reperitur. Anne igitur ad figuræ huius similitudinem & adaptationē aliquid videtur addi posse? Iam quanta discipuli huius dignitas sit, despiciendum restat.

Aman, quod solus inter cæteros Aulicos à Regina Esther ad conuiuium vocatus esset, felicissimum se ac superis parem iudicabat, dixit enim: *Nullum alium Regina Esther vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me.* Si vnica ad epulas inuitatio insolescentem Purpurati huius animum ita commouit & eleuauit, quid de S. Ioanne dicendum est, qui tanto tempore, tamque familiariter cum Angelorum Regina, ipsaque Dei matre comedit, bibit, & commoratus est? an non admirabilis ille ac singularis honor est? an non prærogatiua nemini concessa mortalium? *Esth. 5.*

Magni fecit Eliæ pallium Elizeus, quod illi magister, cum curru igneo in cœlum subueheretur, reliquerat. Equidem historiæ huic velut figuræ insistens, sacratissimam Virginem velut pretiosum exstitisse pallium dico, quod Iesu Christi carnem cooperuit, quod eandem texit & conseruauit: ipsa est pallium, sub quo vniuersa Ecclesia velut sub vmbra delitescit: sed pallium, quod verus Elias Christus in igneum crucis currum, amore & charitate æstuantem subuectus charissimo suo discipulo, velut amoris & dilectionis tesseram reliquit, hoc porro donum omnia quæ reperiri possint dona, pretio & valore antecellit. Exclamem igitur iterum, ô honor singularis tam nobile pignus in tutela ac protectione habuisse! *4. Reg. 2.*

Si Dominus benedixerit Obededom Gethæo, quod tribus apud eum mensibus arca Dei diuerterit: quis quæso exprimat, quot gratias, charismata, & benedictiones discipulus ille quindecim annorum spatio, quibus Virginē hanc veram arcam fœderis post Christi ascensionem, in custodia ac tutela habuit, receperit? Si enim vnica Messiæ salutatione Ioannes Baptista matris in vtero sanctificatus fuit, quantum discipulum hunc ex longa cum Messiæ matre familiaritate & vsu virtutum sanctitatisque contraxisse credendum est? an non omnibus eum gratiis & charismatibus donatum? an non larga & prodiga omnes in eum manu perfectiones collatas existimemus, cum discipulus fuerit, quem diligebat Iesus? *2 Reg. 6.* *Luc. 1.*

Hic

Hic me eloquentiam deficere doleo, Auditores, vt huius magnitudinem amoris exponam. Vtinam & lingua mihi Ciceronis, verba Demosthenis, Plutarchi facundia sit, ad dignitatem eius nobilitatemq; celebrandam! Sed quid? materia vires excedit meas & eloquentiam. Vnum hoc addam, ad discipuli huius felicitatem deprædicandam; si ad
*Ios.*10. solam Iosue vocem sol in medio axe cursum
stitit, ad Elię verba ignis cœlitus secundo de-
4.*Reg.*1. lapsus est, qui tamen non nisi de communi Sanctorũ numero erant, quid ad solum obsecro discipuli huius nutum fieret, si potentiam suam adhibere, priuilegiaque ad effectum vellet cogere? si enim tanta fuit seruorum auctoritas, quanta amici futura est, & quidem intimi, ac discipuli illius, quem diligebat Iesus? plura hic non adferam, cum ad Euangelicam historiam ipsa me trahat oratio & eiusdem dispositio.

V. Euangelii textus exponitur.

Dominus igitur Christus cum S. Petro mortem prædiceret, Martyriiq; futuri mentionem faceret, dicens, *Sequere me*, vt creatorem creatura, dominum seruus, pastorem ouis, præceptorem discipulus, ducem miles, (idque non passibus corporalibus, vt quidem putauere Chrysostomus ac Theophylactus, nec moraliter id intelligẽdo, vt sentit Theodoretus Heracleota: sed per viam mortis & semitam crucis, vt Rupertus, & alii exponunt) & Petrus hunc in modum intelligens conuerteret se vidensque discipulum quem diligebat Iesus, diceret: *Hic autem quid?* erat quippe cupidus scire, quid huic fieret, & num eandem secum subiret sortem, aut potius in vita permaneret, *Conuersus autem Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, & dixit: Hic autem quid?* Varie ac diuersimode verba hæc intelliguntur & exponuntur.

In primis videtur hæc Petri interrogatio nonnullis curiositatem quandam includere: quod vitium hominibus quodammodo congenitum est, ac naturale, dum ea, quæ ad alios spectant, scire volunt, quæ vero ad se, negligunt. Hoc in se deplorauit Psalmista,
*Psal.*37. dum gemit, *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Verbis ait, non se quidem cæcutire, sed oculos in aliorum semper negotia coniectos habere, sua vero nequaquam perspicere posse, quasi diceret, in aliorum vitiis tam cerno acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, & oculis inunctis mala mea non peruideo, imo in iisdem & talpa & Andabata sum cæcior.

Videtur porro scite curiosus mihi oculo omnium sensuum principi, visuique Domino posse comparari: vt enim ille omnia perspicit, & contuetur, deque omnibus coloribus diiudicat, seipsum vero videre non potest: ita curiosus, qui aliena perspicit acutissime, in domesticis vero cæcutit. Atque ita interpretabor verba illa Psalmographi: *Oculos habent, & non videbunt*, id est, curiosi quidem oculos in capite præferunt, vt aliorum facta explorent, seipsos vero, & quæ ad se spectant, intueri nequeunt. Curiosus oculo comparatur.

Primus humani generis parens & auctor Adam quamuis omnibus animalibus nomina, idq; iuxta vniuscuiusq; naturalem qualitatem, quam sapientissime dederit, sibi tamen nomen, quod visquequaque naturæ responderet, indere non potuit: animalium quidem cæterorum naturam perspectam habens, suam vero penitus ignorans. Adæ curiosum esse sentio persimilem. Qui omnia quidem exteriora videat, aliorum penetralia & adyta rimetur, de aliis facile diiudicet, sed in propriis stupidus sit, & visus obtusioris imperfectiones proprias ignorans, seque ipsum nesciens. Si hunc in modum verba Euangelii intelligantur, curiositatis Petrus culpandus erit, ipsaque Domini responsio, *Si eum volo manere, quid ad te?* acriorem correptionem videbitur includere.

Videtur ex aliorum sententia petitio hæc inuidiam aliquam, aut leuem saltem æmulationem præ se ferre: censent enim Petrum dicendo, *Hic autem quid?* immortalitatem Ioanni contubernali suo inuidisse. Quasi diceret, si me ad mortem & crucem destinaueris Domine, quid de Ioanne fiet? me mo-

riente anne ille futurus immortalis? me patiente ille ne à supplicio eximetur? soluſne ipſe patiar? Deinde aiunt Petrum tunc, cum Dominus ei diceret: *Pasce oues meas*, id eſt, dum totius Eccleſię caput ad Pontificem conſtitueret, ſocium non quæſiuiſſe, nec dixiſſe: *Hic autem quid?* at cum ad mortem, crucem, Martyriumque vocatur, ſtatim ſocium in cruciatibus poſtulaſſe, dicendo, *Hic autem quid?* id eſt, an non ille, quem tantopere diligis, in mortis diſcrimine te non ſecus atque ego ſequetur? anne ſolus ego ad mortem & crucem vocor?

Solatiũ eſt miſero habere pœnæ ſocium.

Ea nempe eſt hominum imbecillitas ac peruerſa conſuetudo, honores vt ſolis ſibi cupiant, in pœnis vero & cruciatibus ſocios exoptent, iuxta vulgatum illud verbum, *Conſolatio eſt miſerorum habere in pœnis pares.*

Fabula de vulpe.

Huc non inſulſe facere videtur apologus ille Æſopeius, vulpecula cum caudã, neſcio quo caſu, amiſiſſet, vnicum generis ſui decus & ornamentum, atque ideo coram cæteris cõparere vix auderet, in ſociarũ conuentu perſuadere cæteris cœpit, vt caudas velut moleſtas & indecentibus graues, quæq; non tantum ornamenti, quantum moleſtiæ & oneris afferret, præmorderent aut auellerent. Verum cum illius verſutia patuiſſet, dicere vnanimes cœpere: niſi ipſa cauda careres, nunquam noſtras vt præſcinderemus conſuleres ſed noſtra omnium infamia ac dedecore tuã velare geſtis, & tollere. Fabula hæc quamuis fabuloſa, docet miſeros ſemper in cruciatibus ſocios & aſſeclas depoſcere. Atque hæc quidem omnia quam appoſitiſſime.

Credere tamen non auſim, Apoſtolorum Principem atque omnium fidelium caput, ſocii ſui ac fratris ſorti inuidiſſe, aut æmulatione quadam tranſuerſum actum. Alias enim, & maxime in Domini transfiguratione contrariũ demonſtrauit: cum enim in monte Thabor gaudio & voluptate ebrius gloriæ cœleſtis ſpecimen vidiſſet, ſibi ſoli hanc gloriam non ambiuit, ſed Eliam & Moyſem eius participes habere voluit: *Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Non ait de ſe ſolo locutus, *Bonum eſt me hic eſſe*, ſed numero plurali vſus in communi poſtulat, charitatis ſignum demonſtrando, *Bonum*, inquit, *eſt nos hic eſſe.*

Matth. 17.

Sunt qui Petri hinc magnanimitatem, & ingentem erga proximum charitatem demonſtrati poſſe putant: quod cum ad dignitatem illam euectus eſſet, totius ſcilicet Eccleſiæ caput, Chriſti in terris Vicarius, omnium fidelium paſtor conſtitutus, amici ſui Ioannis recordaretur, & de eo eſſet ſollicitus à Chriſto petens, quid illi fieret, num vt Martyr moreretur, vel in vita permaneret, ideoque ait: *Hic autem quid?* id eſt, Eccleſiæ mihi tuæ Domine curam tradidiſti, gregem tuum fidei meæ concredidiſti: paſtor ouium tuarum iam cõſtitutus ſum & animarum cuſtos, quoniam moriturum me pro tui nominis honore prænuntias, ſcire velim, quid me mortuo de ouibus meis futurum ſit? quid paſtore proſtrato oues facturæ? quid membra ablato capite? duce quid occiſo milites? ſed imprimis quid ſocio meo, quem tantopere diligis; & quem vt alterum me complector, fiet: *Hic autem quid?* Atque hæc præ cæteris arridet expoſitio.

Mundani ad honores euecti ſuorum obliuiſcuntur.

Non imitatus eſt hic mundanos, qui ad aliquem dignitatis gradum euecti, & honores conſecuti aliorum, qui inferioris ſortis & conditionis ſunt, obliuiſcuntur, imo & eoſdem contemnunt & vilipendunt. Hinc bene tritum ſermone Prouerbium: *Honores mutant mores.* Verum peruerſa, vt dixi, ea conſuetudo eſt: Æquum namque eſſet, vt qui ad dignitates euehuntur, interdum perpenderent, non tam propter ſe quam alios, honores ſibi cœlitus dari, vt nimirum minoribus & pauperibus ſuccurrerent, quoſque iniqua ſors humi affigit, ope & auxilio ſubleuarent ſuo.

Non ita Ioſeph Patriarcha ſe in honoribus geſſit, ſed ad totius Ægypti præfecturam euectus, ſuorum tamen non obiuiſcebatur, ſed ad fratribus ſuccurrendum honores ſibi collatos opinabatur. Hic fratribus ait, *Proſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.* Id eſt: Quamuis me chariſſimi fratres, ad ſummum dignitatis gradum euectum, vos autem

Gen. 45.

autem inopia laborantes cernatis, nolite tamen existimare, vestrum me obliuisci, scio ad salutem me vestram à Deo in Ægyptum destinatum esse, nec tam mea quam vestra causa ad honores hos euectum.

Esth.5. Mardochæus quoque cum neptem suam Esther ad regiam dignitatem destinatam, à Rege Assuero adamatam, eique gratam esse cerneret, his eam litteris compellandam censuit: Agnoscisne Esther cœleste beneficium? summi Monarchæ vxor facta es: sed noli idcirco extolli aut insolescere, aut tuorum extremo in discrimine versantium obliuisci, *Nec putes, quod animam tuam liberes, quia in domo Regis es. Si enim nunc silueris*, nec populi tui necessitatem Regiæ maiestati aperueris, vt eidem succurrat, Fata viam inuenient, qua salutem ille inueniat, & *per aliam occasionem* ab interitu *Iudæi liberabuntur*: & è contra, *Tu & domus Patris tui* miserè *peribitis. Et quis nouit, vtrum ideirco ad regnum veneris*, & regia coniux facta sis, *vt in tali tempore* necessitateque *parareris*, populo tuo clypeus, tutela ac defensio fores? Ecce vt honores ei datos persuadere conetur, ne suorum, ad imitationē mundanorum obliuisceretur, sed iisdem eo magis succurreret.

Natura docet magnos minoribus debere succurrere.

Atque vt cætera omittam, hoc ipsa nos docet rerum natura & ordo. Ad quid enim creatos putamus cœlos, vt scilicet sibi agant & ferantur? Nequaquam, sed vt velut causæ generales rebus inferioribus lumine suo & splendore, motu cæterisque influxibus succurrant. Ipsa rerum domina, omniumque promptuaria & officinæ, elementa non solis sibi creata sunt, sed vt velut communes Patres & generales nutritii omnibus mundi membris adessent omniaque producerent. Ignis in sublime elatus omnia calore suo in hoc inferiori mundo conseruat, fouet & nutrit. Aer corpus illud simplex & subtile omnibus quæ hic viuunt halitum & respirationem concedit. Oceanus quoq; generalis illa officina aquarum semper operatur, flumina hominū vsibus semper & continuo emittit, quibus reficiat sitientes, & agros fœcundet, communis itaque totius naturæ caupo est & pincerna. Denique terra, illa totius vniuersi dispensatrix, totum mundum nutrit, cōmunes omnibus cibos præparat, nihil sibi seruat sed omnia apud illam cōmunia sunt. Quæ omnia edocent hominem, quo ad maiores dignitates euectus est, eo & aliis se familiariorem reddere debere: quod cum fecerit, luculentum charitatis actum & superbiæ quam maxime aduersantem demonstrabit.

Reprehenditur in sacris litteris ingens illa ingratitudo œconomi Pharaonis, cui cum Ioseph humanum se & benignum demonstrasset, interea dum ambo in carcere cōclusi gemerent, eumque libertate donandum prædixisset, & simul addidisset, *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum*: ille è contra ingratus extitit: nam quamprimum vt carcere exemptus fuit, & pristinam in dignitatem restitutus, benefactoris sui oblitus est, cuius tamen meminisse semper debuerat, & nunquam sine ingratitudinis nota obliuisci, *Et tamen succedentibus prosperis, oblitus est interpretis sui.* *Gen.40.*

Quod Cicero de hominibus olim in genere ait: *Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem sibi amici vindicāt*: ipsum ego de iis, quos fortuna ad maiorē cæteris dignitatem euexit, melius dicturus videor, quin etiam pauperum sustētatio, vt sacra profanis adiungam. Ipsa quin etiam charitas, teste Ioanne nostro, vitam vt impendamus, exigit: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*: quamuis ad honores euecti simus & summo in dignitatis gradu constituti, pauperibus nempe succurrendo, vitamque propriam ad eorum salutem & commodum impendendo. *In offic.* *1.Ioan.3.*

Horum de numero erat sponsa illa in Canticis: hanc enim cum Rex in cellaria sua inuitasset, vt inebriaretur: sodales & socias suas, quo tanti beneficii participes redderentur, sponsique; præsentia secum fruerentur, etiam inuitauit: *Egredimini*, inquit, *filiæ Sion, & vi-* *Cant.3.*

& videre Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.

Longior in his fui & prolixior, quod similem hic Petrus charitatem visus sit erga Ioannem demonstrasse. Cum enim Dominus Petro dixisset, vt in mortis sese via sequeretur, significans qua morte clarificaturus esset Deum: statim ille de Ioanne astante subintulit: *Hic autem quid?* Perinde ac si dicere voluisset: Cum honorem quo me affectum is, pro tui nominis gloria moriendo, considero, me, inquam, qui tam ingratus tibi extiti, coram Iudæis te cum anathemate negaui, qui te in primo impetu, cum comprehendereris, deserui, & fuga mihi consului, qui denique in te contumeliosus & blasphemus fui: quid huic igitur, si & quem tam tenere semper dilexisti, quem vt cor proprium amplecteris, qui fidelis tibi semper extitit, imo ad crucem vsque te secutus est, & quæsiuit in monumento te iacentem? Si blasphemus & perfidus tantam gloriam consequitur, qualem amicorum intimus promerebitur? O profunda Philosophia!!

Designare hic Apostolorum Princeps voluit, eos quos Dominus habet charissimos, maximis quoque & pluribus ærumnis opprimi & aduersitatibus probari: atque eas certissima diuini amoris esse argumenta. Hinc Psalmographus: *Potum dabis nobis in lachrymis in mensura*; id est, non effundes integra tribulationum in caput nostrum flumina aut oceanos, sed easdem moderaberis & temperabis: atqui harum mensura est, vt qui plus cæteris diligitur, plus etiam affligatur, quiq; Deo carior est, in mundo quoque maiores persecutiones toleret. Quod figura è libro Exodi deprompta manifestum faciet.

Psal. 79. Afflictiones signa sunt amoris Dei erga nos.

Exod. 24.

Cum Moyses fœdus inter Deum & Israelitas iniret, indissolubileque pactum paciscereretur, vniuersum populum sanguine lustrauit, parte reliqua altare aspersit: *Tulit itaque Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare.* Et mox, *Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Denotantur nouæ illæ & inusitatæ cærimoniæ, amicitiam Deum inter & homines effusione sanguinis firmari, non quidem Iesu Christi, sed eorum, omnia scilicet supplicionum afflictionumq; genera tolerando. Porro inter bonos & improbos ingens discrimen est, quod hi non nisi tribulationum sanguine aspergantur, illi vero, qui vera Dei Altaria sunt, sanguine toti madescant & perfundantur. Atque hoc est, quod S. Petrus voluit innuere: quasi diceret; si ego Domine, cuius tanta fuit iniquitas, Martyrio coronari debeo, quantum supplicii & tormentorum hunc maneat necesse est, qui nunquam à iustitiæ tramite deflexit: si ipse mortem violentam pati debeo, dilectus tuus Ioannes, an non crudeliorem mortem subeat oportet?. Sed pergamus vlterius.

VI. Christi responsum.

Cum hunc in modum interrogasset Petrus, ita subintulit Dominus, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* quibus verbis significabat, Ioannem omnibus Apostolis superuicturum, nec morte violenta, nec gladio tyrannorum, nec crudelitate carnificum hinc abripiendum: sesequè velle, diutius vt hoc in mundo cæteris Apostolis morte consumptis commoretur.

Dauid cum è prælio domum remeasset, omnes eum sui admonuerũt, domi vt maneret, nec se amplius bellorum discrimini, aut prælii aleæ committeret, *Non egredieris amplius nobiscum in prælium, ne extinguas lucernam Israel.* Te namq; occiso & extincto vniuersus Israel velut in tenebris & densa caligine versabitur. Vt hoc proposito adaptem, existimo Dominum idem omnino Ioanni, qui Ecclesiæ fax & lucerna erat, dixisse; imo noluisse, vt post varia ac cruenta exhausta certamina, post epotum venenum, olei feruentis dolium, in Insulam desertam relegationem, iterum in prælium sese daret, tyrannorum iterum manus experiretur, ne ipso interempto Ecclesiæ vita & fax exstinguerctur. Nam quemadmodum primi mundi incolæ, & humani generis fundamẽta & propagines loco viuebant tẽpore, vt multis procreatis liberis humanum genus propagarent: ita quoque necesse erat initio nascentis Ecclesiæ & in primordio eius,

2. Reg. 21.

ius, aliquos Apostolos diuti? hac in vita agere, vt ita Ecclesia propagaretur, ac plurimi spirituales Filii eidem nascerentur. Inter cæteros hac prærogatiua donatus fuit Ioannes noster, qui vt Ecclesiasticæ historiæ tradunt, nonaginta nouē annis, & triginta post Hierosolymorum excidium, ad vsque Traiani Imperium vixit, vt ipse tradit Hieronymus. Atque ad hanc longæuitatem referri debent verba illa Christi, *Si eum volo manere, donec veniã, quid ad te?* Id est, nolo eum Martyrio, sicut cæteri Apostoli, absumi, sed è contra volo, morte vt naturali exstinguatur. Te quidē Petre, & vos omnes, qui hic adstatis, qui passionis meæ tempore, veluti effeminati & Thersitæ fuga dilapsi estis, & me deseruistis, neu me ad mortem & ad mortem vsque Caluariæ sequi voluistis: ad vsque mortem mihi iam oportet adhęrescere, quod prius facere detrectastis, iam faciatis pro meo nomine moriendo, atque ita vestrum in me affectum testemini. Illos vero, qui mihi tunc fidelissime adhæsere & affuere, vt Ioannes & mater mea charissima ab huiusmodi mortis genere exemptos volo.

Ætas Ioannis.

Ioannes nō dūmortuus iuxta aliquorū sententiam.

Hæc verba nonnullis causam dedere dicendi, nondum Ioannem mortuum esse, sed cum Enoch & Elia in paradiso terrestri seruari, vt sub finem sæculi iterum ad vitam redeat, quo Antichristo insolescenti omnesque peruertenti aduersetur, & circumuentos ab eodem ad pœnitentiam conuertat. Ratio, cui hi potissimum innituntur, è verbis Apostolorum petita est: cum enim Dominus hunc in modum Petro respondisset: exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Deinde, quod promisit illi in Apocalypsi Angelus iterum ad vitam eum rediturum, quo populis pœnitentiam annuntiaret, *Apoc. 10.* *Oportet te iterum prophetare gentibus, linguis & multis regibus.* *Luc. 12.* Tertio ex eo quod dixit in Euangelio Dominus, *Non transibit generatio hæc, donec omnia fiant:* quasi significare voluisset, ex omnibus, tunc viuentibus fore vnum, nempe Ioannē Euangelistam, qui non prius moreretur, quam omnia fuissent peracta & completa, & quam iudicii dies aduenisset. Denique, quod quemadmodum in lege naturæ Enoch, in lege Moysis Elias, non sunt mortui, sed alio translati, ita Ioannes in lege Euangelica eodem gaudet priuilegio. At debilia admodum hæc sunt fundamenta, nec vsque adeo firma aut valida facillimeque euertenda.

Sed altera & certior, & scripturis conformior opinio est: Ioannem vere, quemadmodum cæteri mortalium, mortem gustasse, & commune omnibus naturæ debitum persoluisse: & quamuis omnes hæ rationes in speciem verisimiles videantur, satius tamen est & salutarius, eum vere mortuum credere, & vna cum anima & corpore in cœlo cum Beatis regnare. Hoc vt credam, Euangelistæ me verba inducunt: nam cum vidisset Apostolos ideo inter se dissentientes, & opinantes Ioannem nunquam moriturū, hanc vt opinionem mentibus eorum euelleret, mox adiungit, *Et non dixit Iesus, quia non moritur, sed si eum volo manere.* Deinde verba illa S. Scripturæ, *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* *Psal. 88.* & illa Pauli, *Statutum est omnibus hominibus semel mori.*

Probabilius est Ioannē mortuum esse.

Hæc sunt quæ de vita, morte, gloria, prærogatiua sancti huius Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ, Doctoris, Martyris, denique discipuli, quem diligebat Iesus, dici potuerunt. Cuius tanta sanctitas & dignitas fuit, vt ipsimet Angeli, cum adhuc in terra ageret, eum vt sodalem & gloriæ consortem agnouerint, imo illius se seruos professi sint: hinc in Apocalypsi legitur Angelus quidam ei locutus, *Caue, ne feceris, conseruus enim tuus sum.* *Apoc. 19.* Quem tantopere etiam Dominus Iesus dilexit, & à quo vicissim tam feruenter amatus est. Et si Prouerbium verum esse constat, *Omni tempore diliget, qui verus amicus est,* *Prou. 12.* vere hunc verum Domini amicum appellare decet, qui eum in prosperis & aduersis, in vita & morte, in iuuentute & senectute dilexit. Hunc igitur hodierna die inuocemus, vota supplicationesque nostras illi offeramus, eiusque preces expostulemus.

O Ioannes penitus admirabilis, p̄ cæteris sanctis à Deo dilecte, qui inter omnes Apostolos,

stolos deliciæ & amor Christi Iesu appellari meruisti, qui hoc inter cæteros Euangelistas, quod inter aues aquila, adeo vt sublime euolando soli, id est, Deo, diuinitatique vicinus factus sis. O aquila Euangelica, de qua
Iob. 39. Iob Propheta vaticinans ait: *in arduis ponet nidum suum, in petris manet & inaccessis rupibus:* in summitate scil. diuinitatis, & sinu Christi Iesu, qui vere Ecclesiæ petra est requiescens. O cœlo Deoq; dilecte! qui obtinuisti, quod tam enixe olim in Canticis sponsa postulabat,
Gen. 44. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Domini tui cordi, velut amoris tessera & symbolum infixus. Tu es, ô beate Ioannes, ad quem recurrimus, tu es, cuius hodie opem & auxilium imploramus. Filii Iacob cum Ioseph fratrem Regi Pharaoni gratum & acceptum esse cernerent, audacter ei locuti sunt, suamque necessitatem exposuere. Nos filii Iacob, cum te fratrem nostrum hodie in cœlesti aula Regum Regi gratum sciamus, ad te accedimus, opem & auxilium tuum postulamus; tuamq; intercessionem exposcimus, fratrum tuorum preces, ô mitissime Ioseph, noli reiicere, aliquid in eorum gratiam præsta, fac obsecro, vt solius Dei amor, qui semper in animo tuo eluxit & exarsit, in nostro quoque perpetuo exardeat, vt nimirum illum eo, quo olim tu, amore complectentes, in altero mundo etiam eo, quo tu eum modo vides, videre valeamus, quod beatitudinis nostræ caput est, ad quam nos sanctissima & individua Trinitas conducat.

Amen.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Partitio.

1. *De conatu Satanæ ad Messiæ aduentum impediendum.*
2. *De Iosepho monito, & fugam maturante.*
3. *De fuga ipsa.*
4. *De infanticidio, & infanticida.*
5. *De cæsis infantibus.*

Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà. Matth. 2.

FIGVRA.

DAVID Rex, cum Arcam Domini in ciuitatem Bethleem, quæ in tribu Iuda, 2. Reg. 6.
duobus à Ierosolymis & viginti à Nazareth aberat miliaribus, & in qua ipse natus erat, conduxisset, varias Deo victimas immolauit, thymiamata plurima accendit, hostias & sacrificia obtulit. Quam porro præclara hæc figura est ad diram Innocentium stragem declarandã. Vix enim sacra Humanitatis Christi Arca eam ipsam ciuitatẽ Bethleem intrauerat, quin statim infinitæ victimæ & grex immolatorum tener Domino, crudeli Herodis gladio, in sacrificium cadat: ipsi inquam innocẽtes, quos Herodes rabie & furore accensus hodie obtruncari & interfici iubet. Videre videor efferascentes carnifices, gladio tenera scrutantes viscera, ab ipsis matrum vberibus carissima auellentes pignora, sanguine natare compita, matrum ejulatum, & lamẽta audire, ac varium vbique locorum stragem editam cernere. O triste nuntium! ô crudele ac miserandum spectaculum! ô cruentam tragœdiam, & stragem tragico dignam decantari cothurno! Equidem hanc hodierna concione describere decreui. Adsis Spiritus Paraclite, qui corda fidelium illustratione superna edoces, tuque, ô gloriosa

riosa Deipara patrocinio nobis tuo succurre: interea dum Angelica te salutatione inuocamus:

AVE MARIA.

I.

Bellum inter Christũ & diabolũ.

Nullum vnquam crudelius, vel immanius aut metuendum magis bellum exstitit, quam ipsum quod Christus cum diabolo hoste suo iuratissimo gessit: cuius origo & causa non nisi immortale statui potest odium & inimicitia nullo vnquam tempore conciliabilis, quæque iam ab ipso mundi primordio cœpit & ad finem vsque illius duratura est. Vix enim cœlum conditum erat, quin statim inter se decertare cœperunt, atq; inter se atrocissime digladiari: cuius belli successum & victorias Christi Ioannes in Apocalypsi describit, *Apoc.10.* *Et factum est prælium magnum in cœlo, &c.* In Paradiso quoq; terrestri iterum congrediuntur, & prælia miscent, atq; ita miscent vt perenne id bellum fore Deus prædixerit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius*, quæ nullo vnquam æuo finientur.

Hoc nõnisi prophetice pronuntiauit Deus sed longo post tempore Ioannes Euangelista *Apoc.12.* emblematicẽs in Apocalypsi sua expressit; describit siquidem mulierem parturientem, mulierem, inquam, quæ sole vt chlamide vestiebatur, lunam vero sub pedibus tenebat, & in capite coronam duodecim stellarum habebat; hanc septiceps, pluribusq; instructus cornibus draco persequebatur: *Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem: & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret.* Ecce ænigmatis huius expositionem. Mulier hæc virginis Deiparæ sole iustitiæ circũamictæ imago est, mundum, qui per lunam designatur, pedibus calcantis, deinde virtutibus per stellas significatis coronatæ: hanc Filium Dei vero gestantem Satan, draco ille tartareus, tot capitibus instructus & cornibus, id est, mille nocendi artibus & stratagematis armatus, persequitur, & quamdiu mũdi hæc machina consistet, persequetur. Figuræ vt videtis veteris huius belli & inimicitiæ plurimæ vbique occurrunt.

Iacob & Esau sese mutuo materno in vtero calcibus impetebant, & semper quoad viuerent, inter se contendebant. Docemur hic Christum & diabolum semper inter se digladiari, & ab ipsa natiuitate, ab ipso inquam mundi primordio capitale inter se odium gessisse, & hactenus gerere, ac crudeles inimicitias fouere. Bernardus cum motuum horum ac discordiæ causam & originem inuestigaret, dicit eam à primo instanti, quo Angeli creati fuere, cœpisse, nam cum diuina reuelatione didicissent, Verbum Dei humanam carnẽ assumpturum, & vnigenitum Patris, hominis redimendi ergo, cœlo descẽsurum, simulq; iussi essent eundem incarnatum adorare, *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Lucifer, superbia, & fastu tumens associatis sibi aliquot eiusdem mentis & voluntatis Angelis hoc facere recusauit; sed omnes exinde diuinitati aduersantes, ipsam quoque ambierunt, firmiter secum statuentes, hominem hunc nunquam agnoscere, quasi penitus indignum, & à natura sua nimium quantum alienum foret, Angelorum naturam humanæ subiectam esse, homineſque vt superiores agnoscere. Ideo magna cum ignominia & infamia cœlo expulsi, & in tartara relegati, omni ratione accedẽte inuidia, impedire conati sunt, Deus ne humanam naturam indueret, verti ne ei se submitttere, ipsiq; homines Angelicæ dignitati præcellerẽt, cogerentur.

Belli huius causa.

Atque ideo quamprimum vt homo conditus est, & in Paradiso terrestri collocatus, eum diabolus aggressus est, & oppugnauit, ita vt expugnarit, & ad terrã deiecerit, eumque debellans, omnem illius posteritatem inuisibili ictu sauciarit: *In quo omnes peccauerunt, & mortui sunt.* *Rom.5.* Conabatur quidem nefandus ille sicarius omnem illam propaginẽ abolere, è qua nimirum hostis iuratissimus nasci debebat; aut illã saltem corrumpere & inficere, vt eam Deus indignam, è qua carnem sumeret, cuiusque naturam sibi copularet, iudicaret. Huc alludens in Euangelio Dominus Iudæis sanguinem suum, & interitum sitientibus dicebat: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere, ille homicida fuit ab initio.* *Ioan.8.* Ex illo namque tem-

tempore varias excogitauit rationes ad Messiam opprimendum, omnemque progeniem è qua nasci debebat, exscindendam.

Exod.2. Conspiratione illa finita aliam eadem ex causa in Ægypto adornat: cum enim videret Hebræos, è quibus Messiam iuxta promissionem Abrahæ factam, nasciturum sciebat,

Gen.22. in Ægypto captiuos detineri, Pharaonem Regem exstimulauit, omnes vt masculos interfici, & in profluentem abiici iuberet, sperans interfectis paruulis Messiæ quoque aduentum impediendum. Sed alter visum superis, nam Moyses in profluentem coniectus submersioni eripitur, spemque adfert mundo, Messiam, Satana nequidquam remoram obiiciente, venturum, atque æternum Patris Verbum carnem nostram assumpturum.

Cum nec hoc videret ad votum successisse, noua consilia machinabatur: nam furo-

4.Reg.11. re & rabie percitus Regnum Israel ingressus, impiam Athaliam excitauit, & velut in aciē produxit, vxorem scilicet Regis Ioram, & Ochosiæ matrem, quæ nescio, quo œstro in transuersum acta suggerente dæmone, omne semen regium interfecit, & Dauid posteros delere conata est: ad hoc eam Satanas impellebat. Sciebat enim Messiam de familia Dauid, iuxta quod olim ei promiserat Dominus nasciturum. Verum frustra fuit, diuina namque prouidentia euasit sicariorum manus Ochosias, filius Ioas, qui auxilio Ioiadæ Pontificis regnum paternum adeptus est.

Esth.3. Neque ideo tamen animo concidit, nam cum omnia sua machinamēta irrita esse, cerneret in Iudæa, longo post tempore Persidem ingreditur, & vnum è præcipuis Regni proceribus, Aman nomine, aggressus, tale ei aduersus Iudæos, è quibus prædictum erat Verbum Patris carnem assumpturum, odium infixit, vt non prius quiescere potuerit, quam decretum à Rege Assuero obtinuisset, quo vniuersus Iudaicus populus, qui in eius ditionibus versabatur, morti crudelissimę addicebatur: *Et litteræ signatæ ipsius annulo missæ sunt per cursores Regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos à puero vsque ad senem, paruulos & mulieres vno die.* Sed remoram obiecit Deus, nam Esther Regina Regi supplex facta populum ab interitu vindicauit, ac regium diploma obtinuit, quo omnes eorum hostes, & inprimis Aman, interficerentur.

An nondum hic rabies eius & crudelitatis œstrum quieuit? verum cum nec hoc ex voto successisset, sed ipsum semen Iacob nihilominus celebre esset, nouo stratagemate vsus est. Nam cum probe nosset filium Dei carnem ex eo assumpturum, impium Antiochū excitat & exstimulat, qui omnem posteritatem Iacob, & inprimis Machabæos, qui ex se- *Mach.2.*
mine Regio & Pontificio descendebant, abolere firmiter decreuit. Verum & hæc machina disrupta in auras euanuit, magnoque suo dedecore Rex bellum iis mouere aggressus est: *Quia Dominus dissipat consilia gentium, Sap.7.*
& non est sapientia, non est prudentia, non est con- Prou.21.
silium contra Dominum. O crudelia machinamenta! infelices conceptus! crudeles conspirationes! sed sunt profecto & aliæ longeque maiores.

Ecce namque sanguinolentus ille draco, cum sciret, quod maxime metuebat, iam factum esse, Messiam, inquam, in hunc mundum venisse, Verbum carnem induisse, in Bethleem quoque natum esse, hodie denuo noua quadam ratione furit, insolescit, efferascit, superos & Acheronta conciet, atque omnem lapidem mouet, itaque & rabie tumēs Herodem, bipedum nequissimum armat, qui paruulos omnes, qui in Bethleem & eius finibus erant, interficiat, sperans vna cum his Iesum occidendum. O odium incredibile! ô bellum, cui nullum vnquam par exstitit! Tragicum & cruentum hoc spectaculum in Euangelii hodierni theatro exhibetur: audiamus loquentem prologum; *Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius.* Vt autem ordine triste hoc argumentum repræsentem, primo de Christi fuga in Ægyptum, deinde de infanda infantium strage & exterminio, quæ duo Euangelii huius caput sunt, agendū erit. Aures benignas præbete, & lacrymas parate, interea dum lugubrem & luctuosam hanc materiam prosequor.

Euangelicus contextus & sensus hic est, Iudææ

Iudææ Rex Herodes, Antipatri Ascalonitæ Idumæi, quem Iulius Cæsar bello Alexandrino confecto, in illo regno constituit, & senatusconsulto publice Regem Iudæorum declarauit, filius, cum infantium, qui in finibus Bethleemiticis erant, cædem concepisset, Ioseph Christi, vt quidem vulgo existimabant, Pater ab Angelo in somnis admonitus fuit, vt matrem cum puero acciperet, & in Ægyptum fugeret, quo Herodis crudelitatem experiri non cogeretur, *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.*

II. Cur Angelus Ioſepho potius, quam Deiparæ apparuerit.

In historiæ huius limite stupefactus hæreo, & miror, cur Ioſepho potius, quam beatissimæ Virgini Angelus apparuerit. Et merito mirandum est; sed variæ statui huiusce rei causæ possunt. Primo, ne Virgo, audito, tam grande filio suo vitæ discrimen instare, insolito timore turbaretur; & audiens eum, quem Reges è longinquis regionibus profecti adorauerant, a Rege Iudæorum ad necem quæri, grauissimum intrinsecus dolorem sentiret, fortasse etiam ne legatus ille cœlestis, qui lætissimum Virgini de filij DEI incarnatione nuntium attulerat, triste iam de filij fuga & exilio afferret. Quare cum tristes hasce litteras matri prælegere non auderet, Patri easdem legendas tradidit.

Quid si etiam, vt hinc homines discerent, familiæ & rerum domesticarum rationem fœminis conuenire, sed grauioris momenti negotia soli viro quadrare? Hæc mihi ratio vsque adeo non displicet, cum sciam Apostolum Tito præcepisse, vxoribus & matronis vt auctor esset, viris morem gerere, rerumq; domesticarum curam habere, dicens: *Tu vero loquere, quæ decent sanam doctrinam:* & quæ? *Adolescentulas, vt filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis.* Vbi notate, domus curam habentes, quia hæc potissimum ad vxorem spectat.

Tit. 2.

Deut. 22.

Hinc veteri lege vetuit Dominus, mulier ne se veste virili indueret, nec vir veste fœminea, innuere volens, fœminarum non esse negotijs sese maritorum, quæ grauioris momenti esse solent, immiscere, aut virili veste

indui, id est, viri officia subire, & relicta colu gladium assumere.

Sapientissimum illum Roman. Catonem trium potissimum rerum, cum in extremis esset, pœnitebat. Primo, quod aliquot dies in otio transegisset. Secundo, quod nauim conscendisset, cum per terram iter conficere potuisset. Tertio, quod vxori arcana aliqua maioris momenti credidisset. Doceat tanti viri pœnitentia posteros, non esse cordati aut prudentis viri, fœminam, cum de rebus grauioribus agitur, in consilium adhibere.

Ob has forsitan causas nuntius ille cœlestis tam prægnans negotium, Christi scilicet tuitionem & custodiam nuntiaturus, præterita Virgine, Iosephum adiit. Qui mox vt triste hoc mandatum audiuit, strato membra corripit, Virginem admonet, vt collecto puero, in Ægyptum sese conferat: & dictum factum, eadem ambo nocte profecti in Ægyptum tendunt. Putat Abulensis, non ipsa illos nocte qua Angelus apparuit, profectos, sed paucis post diebus, rebus scilicet ad iter necessariis comparatis, vel reculis suis, quas in Iudæa relinquebant, prout poterant & licebat, vtcumque dispositis, quod duabus rationibus confirmat. Prima, quod nempe Ioseph domum, & aliquam, licet tenuem & curtam suppellectilem haberet, de qua eum priusquam iter se daret, disponere oportebat, alicui fido amico eandem interea dum abesset credendo. Secunda, quod honoris sui rationem habere debebat, ne quemquam repentino illo discessu & fuga nocturna, omnibus insciis, neminique suorum, imo ne vicinis quidem valedicendo offenderet: multi namque in deteriorem partem abitum illum occultum interpretati sunt. Quare vt hæc incommoda subterfugeret, aliquot eum diebus, postquam ab Angelo admonitus fuit, adhuc in Iudæa hæsisse oportuit. Sed non euincunt hæ rationes, nec mihi magnus ille scriptor persuaserit, eadem illum nocte non abiisse. Verum sanior & melior sententia est eorum, qui eadem illum, qua responsum accepit, nocte in viam se dedisse credunt, atque huc posse trahi videntur verba Euange-

In cap. 2. Matth.

Ioseph eadem nocte, qua Angelus apparet, discessit è Iudæa.

listę dicentis, *Qui consurgens*, eadem sc. nocte, *accepit puerum & matrem eius*. Hæc porro prōptitudo & alacritas insinuare videtur, eadem ipsa nocte, imo & eadem hora illos, qua nuntium accepere, profectos esse.

Dolor Ioseph & Virginis in hoc discessu.

Quot hic eos lachrymas profudisse credendum est? quot gemitus edidisse? quoties suspirasse? Tam citone (inquiebat hinc Virgo) fugere te oportet fili charissime, ac dulcissime? in exilium proficisci? è patria pelli? me ne teneram & iuuenculam in regionem ignotam & barbaram secedere? O subita ac repentina rerum vertigo! Paucis abhinc diebus Reges illum adorarunt supplices, Angeli seruierunt humiles, pastores ad eum accurrere propere, ipsa quin etiam animalia eumdem vt Deum agnouerunt! & ecce ipsi in eum Reges insurgunt, omnes illi mortales insidias struunt. O tristem discessum! ô diem vere infelicem! Itane (illinc dicebat gemebundus Ioseph) Pater omnipotens, tenellum illum infantulum recens natum, adhuc vagientem, in tam longinquas oras & ad gentem barbaram & immitem secedere? An non vereris, ne in media via exspiret? ne laboribus & ærumnis confectus emoriatur? an non cogitas, quænam ei in hoc exilio subeundæ difficultates? quot perferendæ molestiæ?

Cum Esau & Iacob simul proficiscerentur, ipseq; Esau vrgeret Iacob, vt properaret, & gregem cogeret, respondit Iacob, *Nosti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges, præcedat Dominus meus ante seruum suũ, & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse.* Si Iacob tantopere de grege suo sollicitus fuit, si laborem itineris animalib. suis grauem exhorruit; vt Ioseph nostri suspirijs mea quoq; addam, eiusq; expostulationib. meas adiungam; mirari me atq; adeo vniuersum orbem mecum dico, Pater æterne, non maiorem te filij tui paruuli, innoxij Iesu, agni illius sine macula, adeo tenelli & mollis, & ouiculæ illius dulcissimæ, Deiparæ inquam Virginis rationem habere? an non vereris, ne hæc omnia in præcipiti illa profectione emoriantur?

Gen. 33.

Quin & cum Angelo hoc expostulabo, deque eodem, quando eum dicentem audio, *Surge accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum* conquerar. Quid? quænam hodie illa tua loquendi ratio est ô Angele? quid ais? *Accipe puerum*, quin eum Deum nūcupas? cur eum non agnoscis vt Redemptorem aut mundi Saluatorem? *Accipe puerum*. O titulos nimium plebeios ac viles, sublimia tamen in se mysteria continentes! Quid eheu! suades, quando hanc fugam suades? anne adeo maturandum est? morane omnis tollenda? an non te paruuli huius miseret? dixisse, meo quidem iudicio, debebas: Vade Ioseph, comitante Deo, noli properare, puelli huius rationem habe, vide ne quid ei contingat aduersi. Sed dicis, Fuge, propera, matura; ad iter te accinge, *Surge, accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum*.

Alius sociorum tuorum cum Eliæ suggereret, vt Iezabelis Reginæ rabiem declinaret, quæ eum ad mortem quærebat, & quacunq; ea ratione insidiabatur, cum eum solatus esset, ac dato cibo refecisset, ait, *Surge, comede, & ambula, longa tibi restat via.* 3. Reg. 12. Homini perfectissimo & validissimo tam modeste ait, *ambula*, quasi dixisset, ne ita properes Elia, vide ne te defatiges, incede sedato gressu, valetudinem tuam cura: tu vero sine vlla commiseratione ais, *Surge, accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum*.

Siste lachrymas anima, interrumpe suspiria, desine ingemiscere: nihil quippe Angelus hic dicit, quod non cœlitus in mandatis accepit: causas inuestigare desine, sed sufficiat tibi Redemptorem tuum & adhuc in cunis vagientem, tui seruandi ergo tam longinquum iter suscipere, & quadringentis fortassis passuum millibus à Iudæa distantem Ægyptum, in qua septem annis agat, petere. Dixi, fortassis, quia nonnulli, quos Abulensis citat, immensam inter vtramque regionem distantiam putant, iter iuxta libros Moysis & profectionem filiorum Israel ex Ægypto in terram promissionis, quæ hodie Iudæa est, dimensi, quam nonnisi quadraginta annorum spatio confecerunt. Verum doctissimus Abulensis eosdem refutat,

tat, dum ait, Gazam, quæ in Palæstinæ finibus sita est, Cairo, quæ olim Memphis, totius Ægypti metropoli, nonnisi septuaginta miliaribus distare, & centum ipsam Ierosolymam, regni Iudaici caput, à meditullio Ægypti.

Sed relicta loci distantia, certissimum est, Redemptorem nostrum septem, aut ad minimum quinque annis in regione illa extranea mansisse, & tot annorum spatio pergrinationem illam consummasse. Atque hæc est omnium propemodum veterũ Doctorum opinio, vt Ammonij (qui Præceptor Origenis fuit) in harmonia Euangelica, Glosiæ ordinariæ, Anselmi, sancti Thomæ, Bonauenturæ, Alphonsi Tostati, & aliorum. Equidem ita temporum rationem in eo. Christus trigesimo secundo Herodis anno natus est, atque eodem in Ægyptum secessit, nec prius redijt, quam ille exspirasset, vt Matthæus tradit; tanto igitur annorum spatio cum Iosepho & Matre in Ægypto hæsit, quantum à trigesimo secundo Herodis anno vsque ad mortem eius interfluxit: atqui ille trigesimoseptimo regni anno extinctus est iuxta Eusebij supputationem. Sequitur ergo Christum non nisi quinque annis profugum & extorrem in peregrina regione mansisse.

In Matt. c. 2. *De Vita Christi cap. 13 q. 9.* *In Matt c. 2.*

III. Hæc igitur per transennam dicta sunto, & ad priorem iam meditationem redeam°, videamus inquam, vt Redemptor meus adhuc tenellus tota nocte proficiscatur, quo me & vos omnes, & quotquot viuunt vixeruntque mortales, in regionem deducat, vbi nulla nox, sed perpetuo dies. Sæpe mecum tacitus demiratus sum, cur eum Psalmista nycticoraci comparet aut noctuæ. Ita namque ipse per vatis os de se locutus est, *factus sum sicut nycticorax in domicilio*. Sed iam mirari desino. Noctua enim nonnisi noctu & luna splendente volare solet: imitatus est hanc Redemptor meus; ille enim pene semper volauit de nocte: dum nasceretur, intempesta è cœlo in terram nocte volando descendit, hodie medio noctis conticinio è Iudæa in Ægyptum volat, post triginta abhinc annos quadraginta diebus & noctibus in Palæstinæ deserto volitabit, ac paulo post, itidem sub noctis silentio, in horto oliuarum volabit, ac tunc lugubrem illum & querulum cantum edet, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*.

Psal. 101.

O igitur vere noctua! ô fili tenebrarum! id est, qui nonnisi nocte & tenebris volitas, quam eum nocte hac turbatum video? quam grauib. circumquaq; septum difficultatib. & angustijs? ante oculos occurrit iter tam longum ac difficile, à tergo imminet dira Herodis persecutio; hinc pater; illinc mater gemẽtes, eiulantes, casumq; suum deplorantes instant; deniq; vbique fatigatio, labor, ærumna, molestia, angustiæ, & hæ quidem paruulo vagienti adhuc subeundæ. O cœlum! ô terra! ô figuræ!

Moyses vix dum natus erat, quin statim ad necem à Pharaone deposcitur, & in profluentem abijcitur. Ecce verus Moyses noster Iesus Christus, qui in cunis adhuc vagit & plorat, ab Herode ad mortem quæritur, & media nocte in tribulationum afflictionumque torrentem deijcitur, ac velut profugus in Ægyptum destinatur. Sed iubet Deus, Angelus denuntiat, igitur parendum est. *Exod. 2.*

Quid consilij suggeris, ô Angele, iterum vt tecum loquar, Iosepho, cum eum vt fugiat admones? quando in terram incognitam ac barbaram, & in regionem extraneam eum destinas?

Quid ais Ioseph, cum ad hoc iter te accingis? Quid cogitas Virgo, quando voluntati diuinæ morem gerendo peregrinationem hanc sine vlla contradictione instituis? itane patiemini filium extorrem in alienas oras secedere? Iacob Patriarcha, quãuis duodecim haberet filios, nonnisi summis suorum precibus fatigatus filium Beniamin in Ægyptum frumenti comparandi gratia voluit dimittere, & tu glorioſa Mater, quæ nõnisi vnicum hunc filium habes, itane quamprimum sine vlla difficultate permittes, vt tam longinquum iter instituat, & quidem in Ægyptum? An ignoras in Ægypto maiores olim tuos tam graui seruitute pressos? An ignoras huius paruuli delendi ergo omnes Ægypti primogenitos interfectos: Eheu! sacratissima Mater furorem & rabiem

quidem deuitas Herodis, sed illic Pharaonem crudeliorem longe & truculentiorem reperies.

Sed cessent iam inanes speculationes meæ, omnia hæc mysterio non vacant, erat siquidem iter hoc in primis necessarium, vt verum fuisse Prophetæ oraculum comprobetur, dum ait: *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Et quamuis hoc sensu litterali de exitu populi Israel de Ægypto dici & intelligi queat, qui inter omnes mundi nationes, vt filius charissimus à Deo fouebatur; allegorice tamen de Iesu Christo intelligendum est, qui postquam diu in Ægypto permãsit, post Herodis mortem in terram Iuda à Deo per Angelum reuocatus fuit. Aliquid quoq; innuit Psalmographus, *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*, in Ægypto scilicet, Religionis & cultus Dei experte, idololatria infami, in qua serpentes, Apis, Anubis, Crocodili, aliaque monstra adorantur: adeo vt vasta & horrida quædam solitudo & desertum monstris plenum ipsa fuisse videatur. Necesse igitur erat, Christum in Ægyptum deferri, vt Prophetarum oracula complerentur.

Oseæ 2. Christi iter in Ægyptũ à Prophetis prædictum fuit.

Psal. 54.

Demonstratur rationibus necessario Christum Ægyptum ingredi debuisse.

Erant adhæc rationes quædam prægnantes & validæ, quæ Christum in Ægyptum regionem illam barbaram vocabant. Prima, Fuerat Ægyptus olim grauibus & insignibus plagis percussa; necesse igitur, magnum illum medicum eamdem visere, qui passiones morbidas depelleret, vulnera sanaret, & perfectam sanitatem eidem afferret. Secunda, Omnes illius primogeniti olim ab Angelo interfecti fuerant, requirebatur igitur primogenitus creaturarum, qui eandem ingressus damnum prius repararet: Tertia, Vexauerant eam tenebræ spississimæ, quæ & manibus poterant palpari, oportebat itaque solem iustitiæ eidem affulgere, qui tenebras dispelleret, & nouam lucem induceret.

Non igitur frustra Ægyptum ingressus est, aut inanis eius introitus fuit: tradit enim Hieronymus, Christo eamdem intrante, omnia mox idola non sine miraculo ad terram concidisse, quod dudum antea prædixerat Euangelicus Prophera Isaias: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur omnia simulachra Ægypti à facie eius.* Quod & variis figuris confirmabo.

Isai. 14.

Arca Domini cum terram ingrederetur Philistinorum, qui idolis immolabant; Dagon simulacrum protinus ad terram corruit in varias partes comminutum. Ita quoque Christo vera arca Testamenti, hodie Ægyptum ingrediente, non Dagon, sed omnia totius regni idola ad terram concidere- runt. Et vt filius Israel Ægypto egredientibus nulla in vniuerso regno domus exstitit, quæ non cladem persenserit; ita Christo Filio summi Patris hodie Ægyptum intrante, nullum ibidem templum aut fanum fuit, cuius idola non fuerint ad solum deiecta. Cæterum hanc simulacrorum euersionem præter sacræ Scripturæ & sancti Hieronymi auctoritatem, confirmant magnæ auctoritatis Doctores, Bonauentura de vita Christi, cap. 12. Dionysius Carthusianus in Isaiæ cap. 9. D. Athanasius oratione de verbi incarnatione, S. Cyrillus Hierosolymitan. Catechesi. 10. & Origenes Hom. 3. de Diuersis.

1. Reg. 5.

Iaceant idola in terram prostrata, & ad Christi fugã nostra se conuertat oratio. Fuit hæc ipsa lõgo ante tempore in Dauide præsignata. Hic cum in ciuitatem Naioth in tribu Beniamin in Ramatha sitam veniset, vt eam ab inimicorum obsidio liberaret, fuga sibi consulere coactus est, eo quod Saul teigo immineret. Quam vere per illam Regis fugam, Christi veri Dauid fuga designatur? hic enim cum è cælo in terram Israel, vt eam à dira captiuitate solueret, descendisset, statim vt in murorum illius conspectu fuit, recedere, fugaque sibi consulere coactus est, ne in crudeles Herodis manus incideret. An non vestro iudicio figura hæc cum figurato optime coincidit? & an non fuga hæc maiori etiam admiratione dignissima est, ac diligentissime sequenda?

1. Reg. 4.

Exod. 12.

1. Reg. 20.

Quid est enim, vt, Domino fugiente, & quidem in exteras Regiones, innocentes pueri tyrannicæ crudelitati victima cadant? quid hoc est, Domine, vt iugulatis militibus dux se prælio subducat? anne agnos innocen-

nocuos mactari, & pastorem procul ab ijs recedere? Illene Dux est, Pater æterne, quem olim exercitus tui ductorem futurum prænuntiasti? *Ecce testem populorum dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Isa. 55. Tune ille pastor es, Christe, quem te olim in Euangelio esse dixisti? *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit, quia mercenarius est* illene dux dicendus, qui fugit, cum in prælium descendendum est? cum manus conserendæ? Illene pastor? qui vbi lupum videt, fugit, oues lanienæ destinat, & se in tutum proripit? O profunda diuinorum iudiciorum abyssus! ô secreta impenetrabilia! Imitatur siquidem paruulus ille cordatum ac prudentem reique bellicæ peritissimum ducem, qui cum pedites strenue pugnantes videt, quamuis aliqui hoste sæuiente, ad terram concidant, non ideo animum percellitur, aut animum contrahit: sed prælio sese ad tempus subducit, vt equitatum in prælium aduocet, quo cum illo vehementius in arma ruat, & hoste profligato victoriam amplissimam referat. Paruulus ille, sed tamen sapientissimus, ad eundem prorsus modum agit, videns enim peditatum suum, id est, innocētes, strenue decertare, quamuis plurimi tyranni gladio cadant, animo tamen non concidit, sed ad tempus in Ægyptum secedit, vt equitatum, nobiles, fortissimos quosq; milites, Apostolos, Martyres, Confessores, Doctores, & Virgines ad præliandum hinc inde sparsos colligat, quibus strenue pugnantibus & inimico suo capitali profligato, victoriam nobilissimam reportabit. Sed jam satis superque de peregrinatione hac Ægyptiaca locuti sumus; tēpus postulat, vt de innoxiorum strage latius agamus, vt initio promisimus. Vos solita me beneuolentia prosequamini, equidem auspicabor.

Herodes Rex rabie tumens, & crudelitate efferascens, audito Iesum Christum natum esse, & quidem Regem Israel, & totius mundi Monarcham, metuens, ne ab eodem regno pelleretur, coronaque & sceptro priuaretur, & cognito à scribis & legis doctoribus, in Bethleem eum Iuda nasciturum, prout Prophetæ prædixerāt, elusum se à Magis videns, quibus per Ierosolymam reuertentibus certiorem se futurum sperabat, adeo commotus est, vt præira & inuidia parnulos omnes, qui erant in Bethleem, & omnibus finibus, à bimatu, & infra, occidi præceperit, sperans scilicet in communi hac strage & Christum interficiendum, at tot inter cadauera & hunc futurum.

Tristem hanc & lugubrem tragœdiam prosecuturus, Hieremię Prophetæ verba mihi video or posse repetere, quibus ille Ierosolymitanum excidium deplorauit, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei?* & parodice dicere: Quis caput in Oceanum conuertat, & oculos meos in flumina, vt tot innocentes gladio tyrannico interfectos deplorem? Ierem. 9. Thren 2.

Idem Propheta eum stragem Ierosolymitanorum per Chaldæos editam, qui & paruulos ab vberib. matrum auulsos interemerant, describeret, his verbis vsus est: *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, cum deficeret paruulus & lactens in plateis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Quanto potiori iure verba hæc de strage Bethleemitica vsurpem? quam nefarius ille carnifex Herodes circumquaque edidit, dicens? *Deficiunt præ lacrymis oculi mei, conturbantur viscera mea*, cum tot paruulos tyranni gladio concidentes, tot tenellos è cunis raptos, & ab vberib. matrum auulsos sanguine madētes, vulneribus deformes, vel intra matrum brachia interemptos, vel per agros sparsos video?

Numquam similem me apud vllum historicum stragem legisse memini, nusquam gētium tot pro Christi nomine occisi traduntur, Menologium Græcorum quatuordecim millia interfecta tradit. O crudelitas! ô crudelis impietas! Ioannes centum quadraginta quatuor millia eorum in Apocalypsi enumerat: ne autem in numero, qui decipit, multos fallat, eius hic verba producam: *Et vidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis.* Vt autem certo illi constaret, quinam hi forent, vocem cœlitus audiuit: *Hi empti sunt ex omnibus*

bus (aliis hominibus) *primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non est inuentum mendaciũ, sine macula enim sunt ante thronum Dei.* O stragem crudelem! ô lanienam inauditam!

4. Reg. 24. De Manasse Iudęorum Rege scriptum est, *Impleuit Ierusalem cruore innocentum* : verum hoc de Herode, sicario illo sanguinario, de sanguisuga illo Innocentum, de homicida illo truculẽtissimo, qui hodie vrbem Bethleemiticam cruore infantium complet, potius dicendum est. Est hoc namque quoddam furoris tyrannici, & regiæ crudelitatis indiciũ. Vnde Euangelista, *Iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros* O maledictus furor! ô crudelis ira, quæ tot infantium stragem causatur! Ita olim exclamauit Iacob Patriarcha, audita cæde, quam Simeon & Leui filij eius in ciuitate Sichem patrauerant, cuius incolas ferro deleuerant, *Gen. 49.* *maledictus furor eorum* Sed melius ita exclamaturus videor in ira & truculentia Herodis, adeo, vt Augustus Cæsar, illa audita, in qua ne quidem proprio pepercit filio, *Macrob. li. 2. Satur. ca. 4.* jocans dixerit: Herodis se porcum, quam filium esse malle, eo quod vt rigidus Iudaicę legis obseruator sues ne quidem tangere auderet, in filium tamen cruentas manus inijcere non vereretur.

Iudic. 9. Crudelitas Abimelech. Abimelech, filius Gedeonis ducis, cum septuaginta è fratribus occidisset, vno superstite Ioatham, qui in spelunca delituit, quo postea ad dignitatem ampliorem eueheretur, is isquam, tyrannus Sichimitis deinde exosus fuit, qui eũ velut impium ac sceleratum fratricidam detestari & abominari cœpere. Si ciues illi videntes tot fratrum funera adeo indignati sunt, si tyrannum exosi sunt, quod septuaginta fratres iugulasset, quo ita regni compos fieret, quis nostrum quæso impium Herodem non detestetur? quis in illius immanitatem non debacchetur? quis ob illius furores non indignetur? qui non septuaginta adolescentes, sed plus quam centum Innocentium millia per sicarios suos hodie jugulari præcepit, quo stabilem regni sedem efficeret. Christus tamen illius rabiem euitauit, quem nimirum Deus ad Israel & totius mundi regnum reseruauit.

Apoc. 12. O nimis! ah cruentum Principem! ô truculentum Herodem! eius figuram & typum ad oculũ videre qui desiderat, Apocalypsim legat, vbi draco tot capitibus & cornibus minax, mulierem parietem persequitur, vt cum peperisset, filium illius deuoraret. Mulier hęc Ecclesiæ typus est, quæ post tot eiulatus, & veterum patrum clamores tandem aliquando Messiam enixa est, sed fera illa bellua Herodes editum perdere, & gladio consumere satagit. Sed in irritum cadent hæc omnia, eiusque molimina prorsus inania futura sunt. Ita namque è veteris testamenti figura augurari licet.

Exod. 23. Vetuit olim in Lege Dominus hœdum occidi, quamdiu materna adhuc sugeret vbera. Multi summæ auctoritatis doctores modo hoc figuram, modo Prophetiam esse dicunt, omnes tamen vnanimiter de Christo intelligunt, quod agnus ille sine macula aut contagio, cum cæteris innocentibus mori nõ debuerit, aut quamdiu maternis adhuc ab vberibus pendebat, neu prius, quam ad virilẽ ætatem peruenisset, ac tum demum morte crudelissima afficiendum. Huius opinionis sunt Augustinus, & S. Thomas. Ipse porro *q. 90 in Exodum.* Herodes est, qui hanc tempestatem ciet, id est, qui tot paruulos neci tradit. *1 q. 102. c. 6.*

Ion. 1. Ionæ Prophetæ mare conscendentis, sed exorta tempestate in mare deiecti casum hic renouari video. Verus enim Ionas Christus mundi huius mare hodierna die conscendens turbulentam & grauem tempestatem experitur, *Psal. 68.* quæ in Ægyptum vsq; eum detulit, atque hanc Herodes impius concitauit. Vnde vaticinatus Dauid ait: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* *Ioan. 12.*

Ecce hic etiam gladium, quem se in terras inuecturum dixit Dominus, *Non veni pacem mittere, sed gladium* Nam à primo Natiuitatis eius die nonnisi de cæde, strage infanticidio, sanguine profundendo fit sermo: ex eo tempore grassari cœpere carnifices, plateæ natare sanguine, cadauera per agros spargi, lachrymis domus perfundi: Vrbes quoq; perturbari, ac noua quadam ratione concitari, reges sibi metuere, Herodes rabie efferascere, quia mox vt viuere cœpit, gladij tortorum sanguine stillantes, per vrbes & agros desæuiere, innoxij paruuli ad necem quæruntur, matrum in brachiis, nutricum ad mamillas, patrum

patrum in thalamo, ipsis deniq; cunis obtrũcantur. Adeo vt merito de Bethleem, quod olim de Ierosolymis Psaltes dicere queat, *Posuerunt* satellites Herodiani *morticina seruorũ tuorum* Innocentium, *escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Bethleem, & non erat qui sepeliret.* Psal. 78.

Sunt hi primi Ecclesiæ fructus, qui quamuis nondum maturuissent, ab arbore tamen persequutionum insurgentium violentia auelluntur, aut decutiuntur. De quibus olim locutus videtur Propheta Michæas, dicens: *Præcoces fructus desiderauit anima mea.* Primæ quoque victimæ Christo immolatæ, ante illius namque aduentum filios suos ad omnem impietatem parentes erudiebant, ac sæpe etiam idolo Moloch vltro immolabant, vt in Psalmis legitur: *Immolauerunt filios suos dæmonijs, & non Deo.* Verum hi vere filij cœlestes vero Deo in sacrificium offeruntur & immolantur. Quam bene id olim prædictum erat, *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* Ita ab Euãgelista; *sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* & in Apocal. *Hi sunt, qui sequuntur agnum quocunq; ierit.* Sed addam & alia. Mich. 7. Psal. 103. Isa. 24. Matth 19. Apoc. 14.

V.

Hodie quoque prima Ecclesiæ Christianę fundamenta iacta sunt, vt quidem Isaias olim prædixit: de Euangelicæ namq; Ecclesiæ statu vaticinatus ait: *Paupercula tempestate coüulsa, & absque vlla consolatione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphiris.* Inops profecto & paupercula erat Ecclesia, donec eam Christus ditauit, varijs dein hæresum & persecutionum procellis fuit agitata, sed saphiris fundata conuelli non potuit. Lapis hic, teste Plinio, cœli calorem imitatur, aureis item venis & notulis interpolatus est, qui lumen ei & splendorem admirabilem conciliant, huiusmodi lapidem esse dico Innocentes, qui propria quidem voluntate Martyres non fuere, sed cœlo volente & disponente, atque à cœlo, vt saphiri omnem colorem mutuati sunt. Porro venulæ illæ aureæ sanguinis guttas designarunt, qui effusus magno ijs ornamento fuit, meritumque incomparabile peperit, veri igitur saphiri sunt, quibus Ecclesia fundata est: sanguis siquidem cœmentum, caritas & amor calx, corpora & tenella illa membra, lapides maiores & antes, è quibus ædificium Ecclesiæ compactum est. Aliud quod magis ratum sit, adiungamus. Isa. 54.

Insignis conceptus.

Cum ignis aliquis ingens accendendus est, paleæ prius & festucæ lignaque minora flammam concipiunt, atque ita paulatim ille ad ligna maiora progreditur, & magnum parit incendium. Ad eundem plane modum, persecutionum ignis, qui tantum per orbem in iustorum afflictione excitare debebat incendium, hodie ab Innocentibus velut à sulphuratis & festucis incipit, qui paulatim excrescens, ipsa tandem ligna maiora, Apostolos & Papas alios q; innumeros Martyres corripiet, omniaq; exurens admirabile tandem incendium, & conflagrationem quocumque locorum & gentium sparsam excitabit. Atque huc forsitan respexit Dominus, cum in Euangelio diceret: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Intelligite hoc, quomodocunque tandem placuerit, equidem de igne persecutionis commode exponi posse existimo: hunc hodie excitat & accendit Herodes. Quis igitur tantam truculentiam & barbariem non damnet ac detestetur? Luc. 12.

Benadad Syriæ Rex cum morbo afflictus grauiter decumberet & vnum ex optimatibus suis nomine Hazael cum quadraginta camelis auro onustis ad Helizæum Propheteam in Israel, vt eum de morbo sciscitaretur, destinasset, Propheta, vt eum vidit, lacrymari cœpit, quod mala plurima filijs Israel esset illaturus: Cumque diceret Hazael, *Quare dominus meus flet?* ait, *Quia scio, quæ facturus sis filijs Israel mala: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, prægnãtes diuides.* Quibus Syrus auditis indignatus ait, *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Hæc, obsecro, ponderemus Christiani, si Elizæus, Spiritu Prophetico mala, quæ Hazael facturus erat, præsagiens, fleuerit, ipse quoq; carnifex his auditis, non hominem, sed canem censuerit eum, qui talem feritatem exerceret, qui nos à lacrymis temperemus, cum truculentam Herodis tyrannidem oculis videamus? vbi- 4. Reg. 8.

nam

nam modo sunt lachrymæ, suspiria, gemitus? an nō hunc cane & angue peiorem, furibunda tigride truculentiorem, Panthera ferociorem existimabimus? *Qui iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, &c.*

Horresco referens hæc prodigia. Vidisses in tristi hoc infanticidio sæuientes carnifices, furentes milites, in innoxia illa corpora stricto gladio grassantes, hæc parieti illidentes, illa pedibus proterentes, ventremque conculcantes, alia suffocantes. Hos vidisses è cunis rapi, illos à matrum vberibus auelli, alios à nutricibus violenter extorqueri. Quis talia fando temperet à lacrymis? audiuisses eiulatum lugubrem per vniuersam Bethleem, vidisses miseras illas matres passis crinibus, manibus ad cœlum sublatis, oculis madentibus, gemebundas, eiulantes, & vicos & plateas discurrere, ruere, totaq; vagari vrbe furibundas, Tigris vt amissis catulis. Præuiderat hæc Prophera, cum diceret, *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus, Rachel plorans filios suos &c.*

Ierem. 31. Si mater illa, de qua in libris Regum mentio, audita Salomonis Regis sententia, qua puer, de quo cum æmula contendebat, gladio diffindendus iudicabatur, intrinsecus commota fuit, si Regi ad pedes procidit; neiam crudeli in innocuum sententia animaduerteretur, dicens, *Obsecro Domine, date illi infantē viuum, & nolite interficere eum* Quem sensisse dolorem animique angustias putatis miseras illas matres, cum suos coram oculis filios jugulari viderent, & ad supplicium prius rapi, quam casum suum deplorare valerent? an non hoc ad miseras illas exanimandas sufficiat?

Gen. 21. Si enim Agar Abrahę ancillę viscera commota sunt: vbi Ismaelem expirantem vidit, adeo vt morienti adesse noluerit, sed furenti ac lymphatæ similis & vagans; aera clamoribus, gemitibus nemora repleuerit: de qua scriptura ait, *Non videbo morientem puerum, & sedens contra leuauit vocem suam & fleuit* Quot obsecro lachrymas fudisse? quot planctus & suspiria edidisse verisimile est matres illas Bethleemiticas? quem in animis dolorem, cruciatum, afflictionemque sensisse, cum ante oculos charissima sua pignora tam crudeli sacrificio iugulari viderent?

Dum sacrificuli Moloch paruulos viuos idolo suo offerrent, ne parentes audito eorum clamore, fletu & eiulatu ad commiserationem commouerentur, eosque manibus occidentium eriperent, tympanis strepebant & sistris. At nihil horum in Bethleemitica strage & infanticidio peragitur: audiunt siquidem suis matres auribus eorum planctus, eiulatus, ploratus, & miseras nænias, atque oculis vident ceruicibus eorum gladios inseri: vident viscera ferro nudari, & sanguine puerili solum madescere. Quem hic dolorem sensisse? quem cruciatum pertulisse credendum est? *3. Reg. 11.* *1. Reg. 25.* *Ierem. 32.*

Felices animulæ, beata tenella corpuscula, quæ lucis ipso in limine ceu turbo nascentes rosas Christi insecutor sustulit: felices vos iterum ac tertio felices voco, qui mundi huius mare vix ingressi, & corporis huius naui vix conscensa, ad portum peruenistis, & procellas contempsistis. O ter beatos martyres! hoc enim mihi vos appellare nomine licet: nam quamuis vobis ad Martyrium propter ætatem credendi in Deum defuerit voluntas, habuistis tamen carnem, quam pro nominis eiusdem gloria offerretis. Ita namque vos allocutus est Augustinus, *Non habebatis ætatem, quam in passurum Christum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis* Nec dicendum est, rationis vsum, vt Martyrium sustinerent, ijs ante tempus datum esse, aut discretionem præuenisse ætatem, vt aliqui, quos D. Thomas refutat, credere voluerunt: verum ipsa diuina gratia ac fauor cœlestis in effusione sanguinis propriæ voluntatis actum suppleuit, vti in paruulorum baptismo solet contingere. Et quoniam Martyrium, vt idem Doctor ait, vim confert ex opere operato, non secus ac Sacramenta; in proprio idcirco sanguine baptizati fuere, iisdemque gratiis donati, quæ recens baptizatis conferuntur, quibus tamen rationis vsus, aut propria voluntas, diuina dispensatione cum paruulis, nullo modo necessaria est. Vere inquam Martyres, atque præ cæteris Martyribus honore & gloria digni: cæteri enim nonnisi ob fidem & gloriam

Innocentes vere sunt Martyres.

2. 2. q. 124. art. 1. ad 1.

Simile.

no-

nominis Christi passi sunt; vos vero propter ipsummet Christum, & vitæ eiusdem defensionem. Et quemadmodum capite in discrimine versante, brachium occulto quodam naturæ instinctu, ictui se, in illius defensionem obijcit, omniaq; membra periculo se, vt ipsum defendatur, opponunt; Ita quoque Christo vitæ discrimen hodie adeunte, ac mortis in periculo versante, Christo inquam, qui fidelium omnium caput atque Ecclesiæ vertex est, ecce innocentes, diuino quodam instinctu, velut membra quædam pro eiusdē defensione arma capiunt, pro eodem martyrium subeunt, vtque ei vitam conseruent, suā prodigunt, ac mortem æquo animo patiuntur.

Sed jam desino, Christiani, hora jam elapsa silentium mihi indicit, vtq; finem imponam, suadet. Hæc igitur animo insculpta gerite, hæc diligenter perpendite: cogitate quęso fugam dulcissimi Iesu, ac triste illius exilium ac peregrinationem in Ægypto. Videte vt jam inde à teneris vnguiculis, ab ipsa natiuitate vestri causa laboret, vt ab ipsis cunis, ab ipsa infantia pro vobis pati & affligi voluerit. Ita namq; de se apud Prophetam locutus est: *Pauper ego sum, & in laboribus a iuuentute mea*, ait *in laboribus*, non *in labore*, fuit enim in labore, cum Herodes eum ad necem conquireret, in labore, cum matrem laborantem & afflictam, Ioseph sollicitum & anxium, Innocentes sui causa ad necem deposci, & crudeliter iugulari cerneret: Atque hæc omnia ab ipsa infantia; vos tamen nihil pro eius nomine pati, nisi dum grauior ætas ingruit, desideratis. Christus vestri causa ab ipsa natiuitate pati incipit, vos vero omnem pœnitentiam prorsus reiicitis. O ingratitudinem incomparabilem!

Perpendite ad hæc, & oculis quodammodo vestris subijcite tristem illam innocētium stragem, & cogitate, vt Samson è maxilla leonis examen apum prodire vidit, ita Christum è truculenti Herodis manib. Erimanthio leone crudelioris, nobile illud Innocētium examen, qui vetæ quædam apiculæ sunt, eduxisse, quæ hodierna die alueari corporis huius egredientes, aera petunt, vt ad æternam beatitudinem euolent. Laudate igitur strenuos illos pugiles, animum eorum extollite, Martyrum obstupescite virtutem, & fortitudinem imitamini, denique eorum preces & auxilium postulate, ac mecum omnes dicite:

O beati Innocentes! ô felices paruuli, primitiæ natiuitatis Filii Dei, fructus præcoces nondum maturi. O egregij athletæ! qui prius coronam quam comam in capite habetis, qui in sanguine vestro baptizati prius cœlum quam terram tetigistis, prius potiti triumpho quam militiam ingressi. O generosi milites, qui sine conflictu palmam, & sine certamine aureolam promeruistis! O cœli deliciæ! ô primi flores Ecclesiæ Dei, quos turbo quidam persecutionis, priusquam emarcuisseris, deiecit. O saphiri rutilantes & splendentes, quos quamuis tyrannos mundo velut quisquilias eiecit, cœlorum tamen Rex velut Ecclesiæ suæ fundamenta delegit. O illustres martyres, qui corpusculorum vestrorum stolas hodie in sanguine agni lauistis, & glorioſi iam in cœlo ante thronum maiestatis eius viuitis! pro nobis omnibus apud Deum intercedite, vos, qui Herodis minas & rabiem contemnentes, ad mortem vsque constantes permansistis. Habemus & nos tyrannos decuplo truculentiores, qui nobis imminent, & comminantur. vestris igitur precibus obtinete, vt iisdem prostratis, victoriam obtinentes, ac triumphum agentes, tandem portum, quem vos feliciter ingressi estis, ipsum inquam æternæ Beatitudinis portum ingredi mereamur, ad hanc igitur vitæ nostræ cymbam SS. Trinitas dirigere dignetur.

Amen.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI.

Partitio.

1. *De circumcisione veteris legis.*
2. *De circumcisione Iesu.*
3. *De causis circumcisi.*
4. *De circumcisi sanguine.*
5. *De amore circumcisi.*
6. *De nominis Iesu admirabili dignitate.*
7. *De eiusdem magnitudine & merito.*
8. *De Kalend. anuarij, ac spirituali circumcisione.*

Postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, Luc. 2.

FIGVRA.

Exod. 12. VOluit olim in veteri lege Deus, vt primo mensis die, quem principium mensium deinde esse jussit, agnus absque macula, masculus, & anniculus immolaretur, eiusq; sanguis effunderetur: idque in perpetuum liberationis argumentum, qua Israelitæ ab Angelo exterminatore incolumes, solis Ægyptijs plagam sentientibus seruati sunt. Hodie quoque totius anni mensium primi est initium, quo Christus Iesus, agnus ille sine macula, diuina ita disponente voluntate, sanguinem suum pretiosum cœpit effundere; vetum sanguinem redemptionis nostræ augurium, salutis nostræ pignus, atque euidens inimicorum nostrorum ruinæ spirituumque exterminantium ab anima nostra depulsionis signum & præsagium. Hæ sunt strenæ, quas Iani Kalendis Iesus paruulus amicis mittit. O beatæ Kalendæ! ô bona ac dextera auguria & strenæ Rege summo dignæ! Pluribus de ijsdem agemus, si solitum S. Spiritus auxilium, & Reginæ nostræ interceſſio, antequã prouehamur in altum, & vela in ventos laxemus, non defuerint. Salutationis igitur Angelicæ strenam vnanimes ad eam destinemus.

AVE MARIA.

Inter omnia legis Mosaicæ Sacramenta nullum aut nobilius, aut magis necessarium ipsa paruulorum circumcisione exstitit. Cuius decretum jam inde ab ipso diluuio sanctum est, idque, ne fieret, in æternæ damnationis pœnam. Ita namque Abrahæ Patriarchæ Dominus in Genesi legitur locutus, *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Vnde colligi facile potest, quam necesse foret paruulos circumcidi, cum tam graues minæ in circumcisis intententur. Variæ autem institutionis illius rationes dari possunt. 1. Circumcisio in veteri lege in primis necessaria. *Gen. 7.*

Prima sit, vt per hanc filij Dei à gentibus & barbaris dignoscerentur: ita quidem Chrysostomus, *Ex circumcisione*, inquit, *hæc fuit vtilitas, & quod ex hoc signo esset notum cognoscibiles, & ab alijs gentibus sequestrarentur.* Item Irenæus dicens, *Deus circumcisionem in signo dedit, vt cognoscibile perseueret genus Abraham:* & Epiphanius. Damascenus quoque libro 4. Fidei capit. 26. Hinc est quod Israelitæ quadraginta illo annorum spatio, quo in deserto commorati sunt, non fuerint circumcisi. cum enim nullas inter gentes, à quibus eos distingui & dignosci oporteret, versarentur, signum hoc vsque adeo necessarium non videbatur: sed deserto egressi, atq; in medio aliarum gentium commorãtes, hoc sese semper signo ab alijs distinxerunt. *Hom. 40. in Genesim.* *Lib. 4. de hæres. c. 30.*

Nam vt belli tempore milites, quo à ducibus suis cognoscantur, & ab hoste discernantur, signum quoddam & notam gestare solent, quo ita manifestum fiat, sub quorum mereant insignibus. Et vt pastor, cui multæ sunt oues, eadem signo aliquo notare consueuit, ne cum aliorum gregibus permiscean-tur, atque ita pereant. Ita magnus ille cœli Rex jam ab ipso mundi exordio voluit, vt in vitæ huius militia sui notam quamdam & insigne gestarent, circumcisionem scilicet, vt ita alij agnoscerent, sub quo duce aut insigni-

gnibus in stipendium faceret: & magnus ille Pastor oues suas hac nota signatas esse voluit, quo eas ab alijs dignosceret: Vnde in Euangelio ait, *Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Prima quæ signum hoc gessit, fuit domus Abraham Patriarchæ.

Iosue. In excidio Ierichuntino domus Raab meretricis funiculum coccineum in signum habuit, quo ab aliis domibus internosceretur. vt nimirum alijs omnibus euersis aut flāma consumptis, sola hæc ab omni clade immunis foret. Non secus quoque Deus, magnus ille regum Rex à communi illo generis humani excidio, cuius peccatum originale causam appellare possumus, Sanctam illam Abrahæ domum immunem esse voluit, deditq; ideo ei signum funiculum purpureum, ipsam, inquam, circumcisionem, quę propter sanguinem illic effusum vere purpurea dici potest, atq; inde ad omnes fideles sancta hæc consuetudo pertransiit.

Exod. 12. Filijs Israel, cum Ægyptia adhuc seruitute premerentur, præcepit Deus, vt sanguine agni postes & superliminaria domuum suarum tingerent, quo ab Ægyptiorum domibus dignoscerentur. *erit autem sanguis vobis in ædibus, in quibus eritis.* Erat quidem signum hoc illis in liberationem & distinctionem ab aliis gentibus, circumcisionem tamen aliquo modo designauit, per quam animas suorum ab infidelibus distinctas voluit, ac per quam semper illi se redemptos, & ab aliis populis discretos, veriq; Dei cultui mancipatos esse, agnoscere poterunt.

Ezech. 7. Præcepit Ezech. Deus, vt per plateas Ierosolymorum incidens, gementium & dolētium super abominationibus, quę ibidem fiebant, frontes signo Thau notaret, quæ vltima littera est Alphabeti Hebraici. Idem institutæ circumcisionis finis videtur. Præcepit namque Abrahæ eiusque posteris Deus, vt nepotes suæ peccata in vasta mundi ciuitate deplorantes, & qui soli inter omnes populos pœnitentiam agebant, signarent, non amplius in fronte, sed in præputio, magno illo charactere circumcisionis, qui alphabeto, id lege Mosaica postremus fuit, Sacramentum hoc igitur semper loco signi fuit.

Portentosa illa bestia, quæ è profundo maris egrediebatur, septem capitibus & decem cornibus instructa, quæ pedes quidem vrsorum, & fauces habebat leonis, signum omnibus, qui eam sequebantur, imprimit, & infaustum ijs characterem inurit. Quod monstrum hic cum suis agit, quo eos melius ab aliis discriminet, longo ante tempore æterna sapientia in populo suo vsurpatum voluit, inter cæteia electorum signa circumcisionem instituens, vt tanto eos melius agnosceret. Hactenus quidem figuræ, sed jam exempla producamus. *Apoc. 13.*

Princeps Sichimitarum cum Dinam in matrimonium deposceret, fratres eius patriæ legis æmulantes missa legatione responderunt, *Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum & nefarium apud nos est.* Videtisne igitur circumcisionem signū fuisse, quod fideles & electi ab idololatris distinguerentur. *Gen. 34.*

Parentes Sampsonis cum viderent filium illicitis alienigenæ amoribus irretitum, his verbis aggressi sunt, *Nunquid non mulier in filiab fratrum tuorum & in omni populo tuo, quia vis accipere vxorem de Philistijm, qui incircumcisi sunt.* Perinde ac si dixissent, Nosti Sampson nos, qui circumcisi sumus, ab incircumcisis, quales sunt Philistijm, quarum filias adamare diceris, toto cœlo distare: non sunt cōnubia illa honesta, ne dum licita. An non igitur circumcisio signum, quo electi à reprobis dignoscuntur? *Iud. 14.*

Cum Hebræi, deserto egressi, circumcisi jam essent, Deus his ducem Iosue verbis allocutus est: *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis*: id est, Hactenus barbaris Ægyptijs similes exstitistis, adinstar eorum non circumcisi, sed hodie omne hoc opprobrium per circumcisionem abstuli, quę immortalem vobis apud omnes, qui vos visuri sunt, gloriam afferet, cum vos non barbaros, non paganos, non idolorum cultores, sed veri Dei cultores confitebuntur. Circumcisio igitur semper signum & nota fuit: atq; hæc prima institutæ illius ratio est, jam alteram proferamus. *Ios. 5.*

Circumcisio erat velut fidei professio.

Erat adhęc aperta fidei protestatio, ac publica veræ religionis, & veri Dei cultus professio, qualis modo baptismi sacramentum est. Ita id esse testatur D. Thomas, quod ab Apostolo Paulo didicerat, dum Rom. 4. ait, *Abraham accepit circumcisionem tanquam signaculum fidei.* Omnis enim qui circumcidebatur, integram totius legis obseruationem hoc ipso profitebatur, vt qui baptismo tingitur, totius legius Euangelicæ. Quod Apostolus Galatis scribens, latius insinuauit, *I est si cor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*, & in primis, quod sacramentum hoc sit signum fidei, quod & ipse credo., nam sine fide impossibile est placere Deo. Atq; hanc Dominus semper signo quodam exteriori testatam voluit.

3.3 q.70. a.1.c.3.

Gal.5.

Doctissimus juxta ac sanctissimus Rupertus in Cantica Canticorum commentatus, ait pulchram illam Abisai Sunamitidem, quæ Dauidi ad calefaciendam membra prę senectute frigida, data erat, fidei typũ exstitisse, quæ velut filia quædam cœlestis, sub symbolo circumcisionis, legi Mosaicæ, in qua omnia frigida erant, ad ignem charitatis accendendũ, & frigida cæremoniarum membra calefaciendo donata fuit. Ecce & tertiam rationem.

Accedit huc, quod ipsa circumcisio signũ esse debebat eius, quam Christus octauo vitæ die in tenello suo corpore pertulit. Ita docet doctissimus Galatinus, dum ait, Circumcisionem Moysis nonnisi vmbram & typum Euangelicæ fuisse, id est, eius, quam Christus suo in mundum aduentu terminaturus aduenerat, atq; hoc modo intelligenda sunt verba illa Ioannis, *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* item Pauli: *Cum venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est*: id est, cum lex Euangelica mundo affulserit, Mosaica finem habebit, & quam primum vt circũcisio in Messiæ corpore peracta fuerit, prior illa velut imperfecta abolebitur.

Lib.10.c.8.

Ioan.1.

1.Cor.13.

II.

Atque hęc omnia hodie completa sunt, legimus siquidem in Euangelio: *Postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* Vt Euãgelii huius sensum breuiter & ex ordine exponam, primo de hac Christi circumcisione, ac deinde de nominis illius Regij & penitus admirabilis impositione agendum erit, ac duobus hisce capitibus strenam, quam hodierna vobis die dare decreui, circumscribam.

Vbinam Christus circumcisus fuerit.

Quod ad primum igitur attinet, Lucas Euangelista cum totius rei seriem referret, ait, Dominum octauo post natiuitatem suam die circumcisum, sed non addit, quo in loco, aut à quo. De loco errauit Hilarius, Pictauorum Episcopus, Aquitaniæ nostræ decus, tantæq; doctrinæ & auctoritatis vir, vt eum in dialogo contra Luciferianos Hieronym. mundi tubam, totius orbis Deucalionem, & in epistola ad Galatas, Romanæ eloquentiæ torrentem appellare non dubitarit; falsus est inquam, cum in Psalmum C X VIII. commentans ait, in templo eum fuisse circumcisum. At tantum abest, vt hæc ab omnibus opinio suscipiatur, vt nullam vel minimam veritatis speciem habeat. Puer enim recens natus ante quadragesimum post natiuitatem diem templo inferri non poterat, nam interea temporis templi ingressum & puero & matri lex prohibebat. Fieri deinde non poterat, vt omnes, qui per orbem nascebantur pueri è Iudæis, octauo ad circumcisionem recipiendam die ad templum properarẽt, nam qui in remotioribus orbis partibus commorabantur, tantillo dierum spatio Ierosolymam venire non valebant. Excipiebantur igitur illi ab hoc itinere, vel, vt verius fortasse, necesse non erat, omnes circumcisionis recipiendæ ergo Ierosolymam accurrere: omni siquidem in loco illa peragi poterat. Verum probabilior Epiphanij videtur sententia dicentis, Christũ in stabulo, in quo natus fuerat, fuisse circumcisum: in quam & ipse libens concedo.

Quantum vero ad circumcidentem spectat; satius est dicere, à gloriosa eum Deipara circumcisum. Ita namque docent Hieronymus, libro de vera circumcisione, & Bernard. in tractatu, qui dicitur Lamentatio Virginis: ipsa quin etiam id suadet ratio: eo quod certus circumcisioni peragendæ minister non esset in lege constitutus; sed quouis in loco & à quolibet illa peragi poterat,

Hæres.2.

nam

ham quamuis veteris ea legis Sacramentum fuerit, nusquam tamen scriptum legitur ad solos sacerdotes aut Leuitas, cæteris exclusis, eandem pertinuisse, sed promiscue omnibus ad circumcidendum potestatem factam esse, vt ait in quintum Iosue caput Abulensis, adeo vt ipsæ etiam mulieres id sibi muneris interdum arrogarent. Sephora namque Mosis vxor filios suos circumcidisse legitur, & sub Antiocho rege matres, quæcunque natos circumcidissent, iugulari præcipiebantur. Cum igitur ad omnes promiscue circumcisio spectauerit, etiam matres, verisimile, imo rationi consentaneum videtur, à sacratissima Matre Iesum fuisse circumcisum, tum quod illa nollet ab alijs Filium Dei tangi & attrectari, tum vero quod minori cum dolore id se facturam putaret, vtpote quæ manus teneriores & molliores haberet.

Exod.4. *2.Malac.2.*

Ierem.2.

His igitur positis, dicendum est, Christum octauo post natiuitatem die circumcisum esse, sed summa cum admiratione dicendum: adeo vt verba illa Prophetæ hic vsurpare compellat, *Obstupescite cœli super hoc.* Quid enim? Filius Dei nascitur vt pauper, circumciditur velut peccator, vt seruus redimitur, vt latro cruci affigitur. O paradoxa noua & inaudita! Hodie igitur verum dixisse Ioannes Baptista putandus est, *Omnis mons & collis humiliabitur*: cum Verbum illud æternum, mons ille in vertice montium, in tantum se esse deiecerit, vt instar peccatoris sceleribusque obnoxij, voluerit circumcidi. O prodigia! Hic igitur vere se admirabilem paruulus Iesus reddidit, quod notari à nobis voluit Psalmographus, *Scitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum.*

Luc.3.

Psal.4.

Quid te opus Domine Iesu circumcidi? hoc ad alios Adæ, non vero ad Filium Dei spectat: conducit circumcisio peccatoribus, non vere innocuo & niue puriori: circumcidi habent mortales & caduci, tu vero permanes in æternum, & verbum æterni es Patris. Obstupesco & suspicio quidem humilitatem tuam Domine, sed ipsa tua circumcisio me non mediocriter offendit. Hæc enim aduersus peccatum originale instituta est, tu vero nullum vnquam peccatum admisisti. Tu namque es serpens ille æneus in deserto in sublime sublatus, serpentis quidem figuram habens, nullum tamen in se virus continens, peccatoris quidem habitum & formam assumpsisti, nullum tamen peccati venenum. Vnde vnus ex Apostolis tuis ait: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Tu quoq; es agnus ille sine macula, cui rigitur legi, quæ non nisi peccatores sceletum næuis inquinatos respiciebat, te subijcis? Verissima quidem hæc omnia, anima mea; sed tace, tibique persuade, plurimas eum ob rationes circumcidi se permisisse.

Num.11.

Exod.12.

Rom.8.

III. Rationes ob quas Christus circumcidi voluerit.

Necesse quippe ac par erat, communi eum Iudæorum legi subiici, qui vniuersam legem adimpleturus in mundum venerat. Ita namque de se ipso coram Pharisæis & Scribis testatus est, *Non veni legem soluere, sed adimplere.* ideo in Iurisconsultorum Pandectis scriptum legitur: *Vox digna maiestate regnantis, se legibus obnoxium Principem profiteri.* Et apud Plutarchum in septem Sapientum conuiuio, in quo de optimi Principis conditionibus disceptatur, ille scopum tetigisse dicendus est, qui ait, Imperio illum ac Principis nomine dignissimum, qui se publicis patrijs legibus & institutis subijcit. Christus igitur, vt bonum se principem ostenderet, ijsdem, quib. subditi legibus, imo graui & duræ circumcisionis legi subiectus esse voluit, ipse quamuis esset beatus ille vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, sed cuius in lege Domini fuit voluntas, & qui in lege eius meditatus est die ac nocte, vnde merito Psalmistæ illud vsurpare potuit: *A lege autem tua non declinaui* & cum Patre æterno expostulare dicens: *Tu mandasti mandata tua custodire nimis.*

1. *Matt.3.*

Psal.1.

Psal.118.

2.

Deinde circumcisus est, vt circumcisionem aboleret, hancque legem obseruando, cæteras abrogaret, & non sine honore cæremonias veteres cumbaret ac sepeliret. Exaltat igitur hodie veterem hanc circumcisionis legem, vt postea repudiet, & mucrone aureo mortem ei infligat: ad imitationem scil tedæ, quæ cum propemodum con-

sumpta est, & ad finem vergit, elucet magis, ac flammas maiores eiaculatur. Par namque erat, vt quod sub Abrahamo cœperat, sub Christo desineret; & vt ille figuram, ita hic mysterium ostenderet: vt ille vmbram, ita hic corpus veritatis propagaret. Gladius cum in saxum impingit, obtusus reddi- 1. Cor. 10.
tur, & prorsus inutilis: ita circumcisionis culter Ecclesiæ petram Christum, quomodo eum Apostolus nuncupat, feriens hebescit, adeo vt nulli vsui in posterum futurus sit, ac penitus obtusus. Vsurpare igitur hic scite liceat verba illa Ecclesiastici, *In carne eius* Eccl. 44.
stare fecit testamentum, eo quod in Christi circumcisione vetus testamentum finem accipere, eiusque leges ac cæremonias repagula sentire, ne vlterius progrederentur, oportebat.

Cyrillus, vt hanc rationem magis adhuc stabiliret, ait, Iosue mortuo, omnes cultros Lib. 4. super Ioan. c. 15.
lapideos, quibus filij Israel circumcisi fuerãt, sepulchro eius illatos fuisse; atque hoc designasse, Christo moriente, cærimonias illas circumcisionis, vel potius vetus illud legis Mosaicæ Sacramentum, extinguenda, tumuloq; eius omnes obseruationes legales tam iudiciales, quam sacras inferendas. Hodie igitur ad finem vergere incipiunt, lex in extremis versatur, & circumcisio ad summum peruenit. Iam adimpletum est desiderium illud sponsæ, dicentis, vtinam *aspirent dies, & in-* Cant. 4.
clinentur vmbræ. veritatis namq; dies incipit elucescere, & vmbræ legales accedente luce euanescunt.

Legi se circumcisionis subijcere voluit Redemptor peccatoribus impositæ, suam vt humilitatem demonstraret, & eandem homines edoceret: atque inter cætera quæ exhibuit humiliatis opera, primum hoc merito locum vindicat. Humilis quidem eius natiuitas fuit, cum nasceretur in stabulo, in præsepi reclinaretur, atque inter animalia iaceret: honore tamen, & quidem amplissimo illa non caruit; nam auditi sunt illic Angelici concentus, reges è longinquis profecti regionibus eundem adorarunt, stellæ insolitæ exortæ sunt. Maior & illa, cum in crucem actus, spineo serto redimitus, medius inter latrones exspirauit: Sed diuinitas tamen hic etiam eluxit, cum Sol ille mundi oculus deliquium passus est, terra tremuit, cœlum tonuit, & petræ scissæ, ac monumenta aperta. At nihil hic huiusmodi, nonnisi pura & integra hic videtur humilitas: infans videlicet vagiens, singultiens, cruorem emittens, instar peccatoris circumcisus, atque hac humilitate insolentiam ac superbiam Satanæ hostis sui compescit, eiusq; manipulos in fugam compellit. Christi humilitas in circumcisione.

Solet vt plurimum Diabolus tres bellantium turmas sub signis habere, quæ eius nutui parent, eumq; vt ducem suspiciunt ac reuerentur. Has in Epistolæ suæ campo explicat Ioannes, *Omne quod est in mundo, aut est* 1. Ioan. 2.
concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum; aut superbia vitæ. Has Daniel Propheta egregio emblemate describit, dicens: *Ecce alia bestia similis vrso, & tres ordines erant in* Dan. 7.
ore eius, & in dentibus eius. Portentosum hoc monstrum diabolum designat, tres illi dentium ordines auaritiam, superbiam & luxuriam: voraces profecto dentes, quibus miseras animas deuorat. Christus igitur crudelem hunc hostem debellaturus, tresq; hasce turmas eneruaturus, Circumcisionis suæ die tres alias opponit & obijcit, auaritiæ nempe paupertatem, superbiæ humilitatem, sacramenti huius dolores delicijs & carnalibus voluptatibus, quas concupiscentia denotat. Tres Diaboli turmæ.

Præuiderat hæc Isaias Propheta, dum ait, *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur simulacra Ægypti à facie eius*: Per nubem hanc leuem Hieronymus sacram Christi humanitatem designari putat, quæ instar nubis leuis admodum erat, quod nulla peccatorum sarcina grauata esset; & ad eius in orbem ingressum omnia vitiorum simulacra corruunt. Quam nefanda porro simulacra sunt, quæ mundani proni adorant, auaritia, inquam, concupiscentia carnis & superbia! at hæc paruuli nostri in mundi huius Ægyptũ introitu, ac præsertim sacræ circumcisionis die ad terram prostrata sunt, cuius humilitatis Isai. 19.

fitatis abyssus omnia hæc monstra absorbuit.

Adhæc circumcidi se passus est, vt verum seſe hominem demonstraret, hæreticosque, qui eius humanitatem negaturi essent, conuinceret: refutare hic voluit Apellem, Cerdonem, Bardasanem, Manetem, Marcionem, & alios sacrilegos impostores, qui asseruerunt CHRISTVM, nonnisi purum Deum esse, nihilque cum hominibus habere commune, & nonnisi aereo & phantastico eum corpore indutum fuisse. Sed cum hodie circumcisionis lanci impositus est, cultrique acerbissimos dolores experitur, qualis sit, omnibus demonstrat, atq; manifestissimo exemplo se verum hominem esse conuincit.

Plutarch. Fulmen illud Martis Alexander, ille orbis terror, ac regnorum prædo, cum se quodam in cõflictu sauciatum cerneret, sanguinisque guttas in terram profluere, amicis, qui eum vt Deum coluerant, supraque hominem quid habere crediderant, iratus ait, Anne hæc signa immortalitatis sunt? sanguis ille, vulnera, plagæ, anne diuinitatem innuunt, anne iam credetis Alexandrum hominem non esse? nequaquam, fallimini, fallimini, nam hæc sanguinis effusio veros vos palpones & adulatores fuisse arguit, aut etiam mendaces. Quod Alexander apud suos verbis efficere conatus est, hoc Christus reipsa nos omnes edocuit, simulq; hæreticos, qui aliter sentirent, coarguit, nam hodie circumcisus & sanguinem è tenellis suis venulis effundens, manifeste demonstrat, verum se hominem esse, & vere humanitatem cum diuinitate habuisse coniunctam.

Simile. Aurum cum fodinis educitur, priusquam excoquatur & sublimetur, aurique pretio iudicetur dignum, lydium lapidem aut scalprum subeat necesse est, ne forte adultera quædam nulliusq; pretii materia sit. Iesus, qui inter homines, quod aurum inter cætera metalla, recens sacro Virginis vtero, velut aurifodina eductus, circumcisionis hodie cultris subiicitur, & lapidem lydium (nam & cultri hi lapidei erant) subit, vt hinc liquido appareret, num purus esset Deus, ac nihil cum humana natura commune haberet: & ecce dum fit experimentum, sanguinem fundit, verumque se hominem esse omnibus aperte demonstrat. Adeo vt quod Psalmista olim ait, merito dicere potuerit, *Domine probasti me*, omni ratione ac modo, in natiuitate per paupertatem, in circumcisione per cultrum, in passione per crucem: *& cognouisti me* tibi morem gessisse, mundoque demonstrasti, vere me hominem extitisse. *Psal. 138.*

Quando chymicus aliquis lapidem Philosophicum se iam putat inuenisse, secreta quadam metallorum transmutatione æs in aurum, ferrum in argentum conuertendo, periculum faciat & probet necesse est; si tunc materia sincera est ac proba, scalpro & flammis non cedit, si adulterina & fucata, omnis in fumos euanescit. Natura humana verum iam lapidem Philosophicum inuenerat, quo nullus vnquam melior & eminentior fuit, ex homine scilicet fecerat Deum, & ex Deo hominem, aiunt enim duo magnæ auctoritatis & artis Chymici, *& homo factus est*, item, *& verbum caro factum est*: ô præclara rerum conuersio! Periculum fieri iam erat necesse. Circumcisio, & culter probent: & ecce quamprimum euidentissime apparet, nullum subesse fucum, omnia constare, & verum hic hominem circumcidi, eadem indutum carne, eodemque corpore, quale hoc nostrum est, vestitum, iam figuram à veteris Testamenti archiuis depromptam proferre est animus.

Deus cum summi olim apud Iudæos Pontificis ornamenta describeret, hunc in modum Mosi locutus est: *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino, ligabisque eam vitta iacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* O mysteria admiranda! ô figuræ mirabilibus, quorum hodie veritatem producitis, refertæ! Iesu Christi humanitas, de sancto Spiritu concepta, lamina erat ex auro purissimo conflata, sculpta adhæc & exarata, & mirum in modum contusa, *quia exinaniuit semetipsum*, & ieiunijs, laboribus persecutionibus, & fatigationibus *attritus* *Exod. 28.*

est

est propter scelera nostra. Porro vinculum illud iacinthinum vnionem hypostaticam designat, quæ laminam auream cum tiara, id est, humanitatem cum diuinitate copulet. Hodie igitur sanctum Domini eidem insculpitur cum circumcisionis cultro, qui instar scalpelli est, sanctum Iesu nomen paruuli, qui summus aliquando sacerdos futurus est, iuxta oraculum Dauidicum, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, fronti inciditur. Atque hæc omnia, vt hinc manifestum foret, verum eum hominem esse.

Psal. 109.

IV. Ob has igitur aliasque rationes circumcisionis legi subijcere se voluit: vix enim natus est, quin sanguinem suum pretiosum offerat in sacrificium. Noe diluuio ereptus, & arca egressus, cœlo statim ob collocatum beneficium gratus extitit, & Domino in gratiarum actionem victimas immolauit: quo sacrificio diuina maiestas adeo recreata fuit, vt nunquam amplius terræ propter homines se maledicturum promiserit. Quam proposito meo figura hæc quadrat? Ecce verus noster Noe Iesus, vix sacra Virginei vteri arca post damnationis nostræ diluuium finitum egressus est, quin cœlum intueatur, & in corde contrito & humiliato, oculisque lachrymantibus Patri suo cœlesti pretiosum suum sanguinem offerat in sacrificium. Psalmographus hæc omnia præsagiens, & ad Patrem æternum orationem conuertens, hunc in modum locutus est, *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ*.

Gen. 8.

Psal. 50.

Solet oculus mundi sol, naturæque fax splendidissima mane & vesperi apparere rubicundior, quod Astronomi serenitatis futuræ prognosticon arbitrantur. Ita quoque verus sol iustitiæ, lucida illa fax, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, sub vitæ suæ auroram apparet rubicundior, & sanguineo rore hic in circumcisione purpurissans: & eosdem colores sub vitæ vesperam, in mortis inquam hora, induet, cum in cruce in monte Caluariæ sanguine perfusus pendebit. Hinc omnis præsagit & auguratur mundus, serenitatem, pacem, redemptionem, hominisque & adeo totius generis humani cum Deo conciliationem instare. Iam læta scilicet auguria sanguis hic in circumcisione effusus adfert. Sed pergamus vlterius, & alia producamus.

Simile. Cum tempus nubilum & pluuiosum est, priusquam densæ illæ nubes, aquarum vtres, resoluantur, & in terram sese effundant, nimbusque spissior & vehementior ingruat, leuior & rarior quædam pluuia solet præcedere. Ita quoque è corpore Iesu Christi, quod penitus diuinum ac cœleste est, ante, quam ingens sanguinis diluuium in passione sese effundat, quo omnia hominum peccata obruantur, minuta quædam pluuia in circumcisione hodierna excidit: vnde præsagire licet aliam longe vehementiorem in passione effundendam: guttulæ iam aliquot effunduntur, densior amber & nimbus in Caluariæ monte effundetur. Huiusce rei figuram putate visionem, quam olim Elias Propheta vidit, *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari, cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis*. Nam videte vt parua quædam sanguinis nubecula corpore Iesu Christi, quod gratiarum & chatismatum mare est, egrediatur, quæ postea in magnam pluuiam excresceret, quam interea dum expectatis, alios conceptus proferam.

3. Reg. 18.

Insignes conceptus.

Mercator aliquis cum plurimas merces coemere satagit, quam primum vt nundinas ingressus est, plurimos sibi datis arrhis deuincit, vt postmodum, antequam domum reuertatur, singulis data pecunia satisfaciat. Mercatorem hunc imitatus Iesus paruulus, è cœlo in terram non coemendi, sed totius mundi redimendi, animarumque nostrarum comparandarum ergo delapsus quam primũ vt mundi huius mercatum ingressus est, manu in loculos suos inserta, sanguinem sudat in pignus & arrhas, solutionem integram in aliud tempus differens, vt antequam ad Patrem è mundo abeat, cunctis plene, omni profuso sanguine, vitamque in redemptionem hominum in cruce offerens, satisfaciat.

Et quoniam mercantium incidit mentio, addo

addo Dominum hanc olim in Leuitico legem tuliſſe: *ſi attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus eius, poteſt redimere, quod ille vendiderat.* Eheu! Adam protoplaſtus, opum ſuarum & gratiarum dilapidator, cœleſtem poſſeſſionem, ſimulque omne noſtrum ad eam ius viliſſimo pretio vendiderat, in eamdem tamen reſtitui poteramus, ſi ſolutam pecuniam aliquis è propinquis illius vellet refundere. Plurimos quidem ille propinquos habebat, (omnes enim homines ad eum velut ad caput referuntur) verum omnes extrema inopia laborabant, adeo vt nemo inter eos, qui pretium perſolutum refunderet, reperiretur. Ipſe quidem Deus opulentus erat & locuples, ſed non erat de ſtirpe & cognatione Adami: atque ideo miſeriæ & calamitatis noſtræ miſertus, homo, quo in hominum familiam adoptaretur, fieri voluit, itaque, velut vnus è nobis, hæreditatem à longo annorum ſpatio nobis debitam redimere. Vnde Dauid: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*: & melius ac plenius Diuus Anſelmus, *Conueniebat, vt eſſet qui nos redimeret Deus & homo, homo quidem, vt hominum propinquus eſſe, & pati poſſet, Deus autem, vt ſanctiſſimæ humanitatis operibus infinitum daret valorem.* Hodie igitur manum crumenæ indit, ſummam taxat, Redemptionis noſtræ opus tractat, debita noſtra diſſoluit, in hæreditatem nos paternam conatur reſtituere; ſanguinem porro nummorum loco offert, atque illo redemptionem noſtram peragit. teſtantur id ipſum duo Apoſtolorum principes, *Non corruptibilibus, auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi Agni immaculati, & empti eſtis pretio magno.* Ecquis ille amor eſt, Auditores, Deum ſoluere pro homine? creaturæ debita à creatore diſſolui? mancipium ſanguine & vita Domini in libertatem reſtitui?

Lib. cur Deus homo.

1. Petr. 1.
1. Cor. 16.

V. Christus in circumciſione amorē, quo nos proſecutus eſt, demonſtrauit. 1.

Et ſane hæc Ieſu Chriſti circumciſio ingens amoris erga mortales argumentum eſt ac nota, quod egregiis conceptibus, & ſimilitudinibus declarabo, quorum hic primus ſit, ſolent ſtulti illi puellarum amaſii, quo earum beneuolentiam obtineant, grati acceptique iiſdem ſint, & in clientes earum admittantur eoſdem cum illis colores geſtare, earumque veſtiendi rationem quam proxime imitari. Nihil vos hic obſcœnum aut leue cogitare velim, ſed quamuis hoc apud mundanos in vſu ſit, Chriſtum adhuc paruulum hoc imitari voluiſſe, naturæque humanæ amore captum, vt ſuum in eam affectum inſinuaret, eoſdem quos illa colores geſtaſſe: inter quos erat rubicundus ille circumciſionis velut dilectæ inſigne. Hinc de dilecti ſui amore gloriata in Canticis ſponſa ait, *Dilectus meus candidus & rubicundus.*

Sichimitarum princeps Dinæ Iacob filiæ amore captus, vt eam ſibi in vxorem copularet, ſuumque in eam affectum teſtaretur, circumcidi ſe, legem Iudaicam amplecti, & extremos illos cruciatus, quamuis delitiis aſſuetus, perpeti velle ait. Princeps ille cœleſtis Chriſtus, naturæ humanæ Adami filiæ amore irretitus maiorem ei haud dubie amorem demonſtrauit cum vt eius coniugio frueretur, incarnatus & circumciſus eſt, ſanguinemque ſuum pretioſum pro eadem effundere voluit, cum rex potentiſſimus, ac Deus maxime metuendus eſſet. 2. Gen. 34.

Sephora Moyſis vxor, cum illius vitæ conſeruandæ ergo infantes circumcidiſſet, in magni amoris teſtimonium, dilectionisque argumentum, mox vt eum vidit, *ſponſus ſanguinum tu mihi es*, ait, id eſt, amare me quidem debes, ô Moſes, amore coniugali, iam vero multo magis mihi deuinctus eris, cum tui ſeruandi ergo, tuique ab interitu vindicandi præſentiſſimo, proprios ipſa filios circumciderim, vitamque illorum ſanguinis emiſſione aperto expoſuerim diſcrimini, quo amorem conſeruarem. Si hoc Sephora argumento ad amorem erga coniugem demonſtrandum vſa eſt, velut efficaciſſimo; quanto potiori iure hoc ipſum repetere poterit Chriſtus, & homini velut exprobrans dicere quotidie, *ſponſus ſanguinum tu mihi es*; id eſt, Quanta tua erga me obligatio eſt homo? quis meus in te amor & dilectio? cum tui ſeruandi cauſa graues circumciſionis dolores ſubire non dedignatus ſim, vixque in miſerum hunc mundum venerim, 3. Exod. 4.

nerim, quin tenellum meum corpusculum incidi sim passus, quo sanguinem in vitæ tuæ cõseruationem emitterem? Quamobrem si me vt creatorem diligere teneris, maiori profecto ratione, vt redemptorem agnoscere necesse est.

4. *Ioan* 11. Iudæi viso, Christum in Lazari resuscitatione illachrymari, & in fletum prorumpere velut euidentissimo conuicti argumento, amorem illius in virum quamprimum agnouerunt, quem lachrymando testatum faceret, *Ecce quomodo diligebat eum*? Dicite mihi Logici, qui argumentandi formam & modos nouistis, & consequentia optime ex antecedentibus colligitis, dicite inquam candide, num synagogici hi argumententur in debito modo & figura, & num bene è lachrymis velut antecedenti, sequatur amor vt consequens, & num bona sit conclusio, fundit lachrymas in illius funere, ergo virum diligit, non melius argumentabuntur Ecclesiæ discipuli, & potiori profecto modo? amor in Christo erga hominem maximus fuit, quia illius causa sanguinem effundit, & venas sibi patitur incidi. Sane si lacrymæ communes & aqueæ testes & indices amoris sunt, potiori id iure de sanguineis poterit lacrymis affirmari, nam maior haud dubie harum vis & efficacia.

Serui cuiusdam Romani erga Dominum amor. Magnus sane omnium historicorum iudicio fuit serui illius Romani erga herum suum amor, qui, dum eum à lictoribus ad necem conquiri cerneret, heri vestibus indutis, à lictoribus velut reus comprehensus, hero vitam seruauit, suam vero perdidit, cuius gratitudinis memoriam ænea apud posteritatem statua herus conseruatam voluit. Ex hac dilectione Iesu Christi amorem quæso agnoscite. Eheu miserum illud peccati mancipium homo ab æterna iustitia conquirebatur, circumcisioni, morti, damnationique perpetuæ addicendus. Eius in locum se Christus subiecit, naturæ eius habitum assumsit, ac serui locum herus suppleuit, *Formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Circumcisionis se gladiis subiecit, vtque seruo vitam conseruaret, suam vltro libens prodegit. Ecquod amoris indicium! an non igitur ei arctus, sta-

V. *Ioan.* 1.

tuas, pyramides in anima nostra ponemus? *maiorem* enim *charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

O admirabilis dilectio! vere igitur amanti huic verba illa Canticorum adaptari queunt: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Vere Iesus amore languit, & præ languore tandem emortuus est, amor quippe eum cœlo elicuit, in lectum deiecit, in præsepi collocauit, ardore eum corripuit. Quam vehemens Deus bone hic amor est! cœlum censet sanguinem ei minuendum esse, atque ideo in circumcisione vena inciditur, cumque culter vulneri faciendo sanguinique eliciendo non sufficiat, neve hæc operatio satis sit, alia proculdubio incisio erit decernenda, spinæ capiti, flagra tergo, lateri lancea, manibus claui ad aperiendas venas applicabuntur: & tamen, his non obstantibus, moriatur necesse est. *Cant.* 2.

Sume igitur animos, ô homo, ecce vt Dominus tuus, Redemptor tuus, Messias tuus sui erga te amoris incendium testetur: ecce vt Iesus adhuc paruulus tam tempestiue sanguinem suum in sacrificium offerat, quo Deum iratum placet, & diuinæ te maiestati reconciliet. Solebant Arcades, teste Plinio, quotannis Ioui paruulum immolare credentes, hac ratione diuinam iracundiam auerti. Hæc quidem gentilis erat superstitio: verum hic mysterium aliquod delitescit, Christus enim paruulus, vt iram Patris sui æterni in nos conceptam auerteret, in sacrificium se hodie patitur offerri. Sed iam satis superque de circumcisione actum est, de regii illius nominis impositione nunc agendum: hoc namque restabat, quod vbi fecerimus, finem faciemus. *Lib.* 8. *cap.* 2.

VI. Nomina apud Hebræos in circũcisione imponebantur. Solenne erat Hebræis in circumcisione infantibus nomen imponere, vti modo in baptismo Christianorum fieri consueuit, hinc demonstretur, vt obiter hoc admoneam, hominis eum nomine indignum, à quo peccatum originale nondum ablatum fuerit: cuius fœditas olim per circumcisionem, vt apud Christianos per baptismum modo eluitur. Atque ideo Domino circumciso,

cisо, cœlo volente, nomen Iesus impositum est, *Et vocauit nomen eius Iesus*, nomen penitus admirabile, quod dudum antea Pro-
Psal. 8. pheta, cum vaticinans ait *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!*

Scio nullum diuinæ essentiæ conueniens nomen posse imponi: cum enim ipsa infinita sit, non potest in mundo nomen, quo digne nominetur, aut quod amplitudini eiusque æternæ maiestati respondeat, reperiri. Docuit hoc me Dionysius Areopagita & Gregorius * Nazianzen. qui hoc similitudine quadam explicat: *sicut fieri nequit, vt hominis paruum os totum Oceanum sorbeat: fieri quoque nequit, vt item hominis paruum os, aut mens infinitam Dei essentiam nomine aliquo definiat, aut complectatur.*

De diuin. Nom. c. 1.
** Orat. 9.*

Atque ideo nomen illud admirabile, & tetragammaton, apud Hebræos ineffabile erat, cuius hanc rationem dat Galatinus,
Lib. 2. c. 10. *Quia Deus trinus & vnus, qui omnino ineffabilis est, atque incomprehensibilis, per hoc nomen significatur, idcirco nomen ineffabile dicitur,* & Dionysius vno velut fasce complectens omnia, Græce ait, ἀνώνυμός ἐστι Θεὸς.

Et quamuis hęc se ita habeant, perfectumque Deo nomen dare nequeamus, imperfectum tamen aliquod dare quid vetat? Hinc variis eum nominibus nominamus ex ingenio effórmatis, modo *Sadai*, quo illius fortitudo virtusque declaratur, eo quod omnia ex se possit efficere, modo *Adonai*, id est, Dominus meus, quod illius potentiam designat, interdum *Cados*, id est, Sanctus: alias nomine illo ineffabili tetragrammato *Iehouah*, id est, ex Epiphanii quidem sententia,
Lib. 2. c. 10. Qui erat, est, & semper est, vel, vt nonnulli Hebræi, teste Galatino, interpretantur, Qui gignit, omnibusque esse suum elargitur: & alias aliis. Verum nobilissimum & dignissimum omnium est ipsum sacrosanctum nomen Iesus, quod ei hodie in circumcisione, idque nutu & directione Patris æterni, impositum prodit Euangelista.

Lib. de diuin. nom.

Insignis conceptus

Nomen illud Iesu nomen nouum est, quod Deus in nouo hoc incarnationis opere voluit assumere. Nam quemadmodum Pontifices Romani, cum ad summum illum Ecclesiæ principatum promouentur, nomine proprio omisso, aliud nouum assumunt, vt Clementis, Pii, Gregorii, Bonifacii: Ita quoque paruulus hic, qui in summum sacerdotem tandem assumetur, hodie nomen immutat: nam antiquis nominibus relictis, nouum assumit, Pii, Clementis, & Bonifacii, nam Iesu nomen & pietatem, & clementiam, & bonitatem complectitur.

Solent Reges & Imperatores militares, quando prouincias aliquas subegerunt, ab iisdem nomen mutuari. Quod ex historiis & Annalibus Romanorum satis demonstrari potest, cum enim regnum aliquod aut prouinciam subiugassent, eius quamprimum nomen induebant. Sic Scipionum vnus dictus est Africanus, alter Asiaticus, quod ille in inaccessibiles Africæ arenas penetrasset, hic vero Asiam Romano imperio peperisset. Ita quoque Christus, Regum omnium Rex de diabolo & mundo triumphum certissime acturus, nouum penitus nomen assumit, symbolum inquam, & testem victoriæ, ac perpetuum trophæorum futurorum monumentum.

Iacob Patriarcha cum tota nocte cum *Gen. 32.* Angelo luctatus, in femore vulnus accepisset, Israel deinde dictus est. Nouus ille Iacob aliquando cum diabolo ac morte, tota passionis nocte luctari debebat, & ex eadem lucta sauciatus, vulnere scilicet in humanitatis femore accepto, sese propripere: idcirco nomen illud admirabile in augurium triumphique significationem hodie accipit, quo eum pater cœlestis, Angeli Gabrielis *Luc. 10.* testimonio donauit, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* O nomen magnificum, admirabile ac penitus diuinum! Prædixerat idipsum Isaias, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est no-* *Isai. 9.* *bis: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri consilii, Princeps pacis.* Vere inquam admirabile, cum in virtute eiusdem Reges saluari cupiant, *Deus in nomine tuo saluum me fac.* *Psal 55.* cum idipsum vniuersum regnum Israel admiretur, ac suscipiat, *In Israel magnum nomen eius.* cum totus id mũdus colat ac veneretur,

Psal.75. Psal.10. *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini*, cum omnes id populi metuant & horrescant, *Timebunt gentes nomen tuum, Domine.* cum sanctum sit ac terribile, *Sanctum ac terribile nomen eius.* O nomen iterum admirabile! cum ab eodem omne nostrum auxilium & solamen dependeat; *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* cum ad nudam illius pronuntiationem dæmones in fugam compellantur, *In nomine meo dæmonia eicient.* cum eius adminiculo cœlitus quidquid petimus assequamur, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* cum per ipsum iustificemur, cœloque velut filii inseramur, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi.*

Psal.112. Psal.110. Psal.12. Marc.16. Ioan.15. 2.Cor.6.

VII. Cæterum nomen illud Iesu adeo diuinum est, vt omnia, quæ veteribus in antiquo reuelata fuere Testamento nomina, in se comprehendat. Innuisse aliquid Deus ipse Mosi visus est, dum ait: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui illis*, perinde ac si dixisset, Nemo vnquam meum nomen naturale, aut ipsum, quod inter nomina mea fert primas, agnouit: sed veniet tempus, quo illud reuelabo, filioq; meo, quando in mundum venturus est, reseruo: nomen quippe eius omnia nomina transcendet, atque præ cæteris erit admirabile.

Exod 6.

Simile. Vnaquæque nola suum ab aliis differentem, iuxta magnitudinem aut paruitatem, sonum habet: sed cum omnes deinde in vnam funduntur massam, ingentem quandam campanam constituunt, quæ vastum quendam sonitum editura est: Non secus omnia diuinitatis, quibus olim appellabatur, nomina non nisi velut nola quædam erant, & non nisi exiguum in veteri Testamento sonum edebant: at vbi in vterum Virginis, velut in fornacem caritate æstuantem, omnia simul coniecta sunt, & in vnum conflata: magnum illud nomen Iesus constituerunt, quod cætera omnia sono superans, velut campana princeps, tam alte insonuit vt per omnia mundi climata exauditum sit, in oriente scilicet & occidente, quin & apud ipsos etiam Antipodes. Confirmat idipsum Rex & Propheta, *A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Psal.112.

Dixi, nomen hoc regium cætera in se nomina complecti, & bene dixi, nam Zachariæ argumentum præbuit, dum ait: *In illa die nomen Domini vnum*, id est, modo quidem plurima Deo nomina sunt, sed venient tempora, quibus nonnisi vnum nomen habeat, quod tamen cætera omnia in se contineat. Quod vero Propheta hic futurum prædixit, reipsa Paulus vidit completum, ait namque in epistola ad Philippenses, *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*, id est, nomen Iesu, quod inter cætera nomina primas fert, quod præ reliquis nomen magnum appellatur, *Magnus es tu, & magnum nomen tuum*: vere magnum, eius namque amplitudinis & maiestatis est, vt cætera infinitis ei partibus cedant, ipsaque Regum, Principum. Magnatumque nomina vnum hoc adorent, *Reges terræ & omnes iudices populi, principes & omnes iudices terræ laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.* Zach.14. Phil.2. Ierem.10. Psal.148.

Tantæ inquam maiestatis auctoritatisque, vt ad solum hoc caput aperiamus, & ad eius auditum genu flectamus, *In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Atque hæc forsitan sit ratio, quod parui reliqua Dei nomina constent, solo namque verbo nomen sibi acquisiuit Creatoris, *dixit, & facta sunt*, ita & de cæteris, at hoc non nisi per cruciatus adeptus est, *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, vel quod cætera eiusdem nomina terrorem & metum incutiant: solum hoc nomen dulcedinis, bonitatis, & clementiæ sit. Verum & proprium diuinitatis nomen. Phil.2. Ibid.

Martinus Doyza, ex ordine Minorum, magni in Hispania propter doctissimas conciones nominis, refert ex Quelamo folio 77. Vespasiani Imper. temporæ Romæ in senatu disceptatum fuisse, quis Deorum esset optimus, & quonam ille potissimum nomine nuncupandus foret. Censebant aliqui, eum potentem, bellacem, & Martium

tium nominandum, eo, quod eius virtus & potentia cuncta perfringat, alij vero nomen ei diuitiarum dandum putabant, eo quod pecuniæ obediunt omnia, fuere & alij, qui Deum scientiarū dici eum oportere arbitrabantur, eo quod norit omnia, sed nullum horum conuenire visum est, atque ideo in varia senatores studia distracti ampliandum censuere, dicebant enim, si Deus armorum, potentiæ, bellorumq; appellandus sit, quem quæso Deum timidi aut meticulosi habebunt? si diuitiarum, ergo inopes & egeni Deo carebunt, & ad quem confugiant, non habebunt, si scientiarum & artium, Oratores & Philosophi felices erunt, non vero ignari & rudes: qui quia artium expertes, Dei quoque expertes futuri sunt, ad quem in necessitatibus confugiant. Cum itaque hærerent anxij, & quale tandem agnoscerent numen, ignorarent, ecce tibi adstantem adolescentem, qui Dei, quem cæteri adorarent, imaginem collo suspensam gereret, lateri incisam, quam vnicuique mox demonstrauit. Pictus erat quidem extensis brachiis, in cuius dextra legebatur, *Promitto*, in sinistra *Exspecto*: latus quoque apertum habebat, adeo, vt pateret, cui inscriptum erat *Remitto*. Circum laterem porro, velut elogium aut epigraphe insculptum erat, *Deo clementia*. Hanc cum Senatores imaginem vidissent, dicere cœpere singuli; hanc veram Dei, quem adorare vellent, imaginem esse, firmiterque asseuerabant, nullum alium se Deum velle agnoscere, quam qui probis felicitatem & bona promitteret, improbos ad pœnitentiam expectaret, & iniurias in se admissas libenter remitteret, cuique nomen, Deus clementiæ, foret: nomen diuinitati maxime proprium, quodq; omnes ad se tam bellaces, quam meticulosos, diuites & pauperes, cum doctos, tum indoctos alliciat.

Eheu, antequam Dei filius humanam naturam assumeret, dubitabant mortales, magis credo, quam Romani, quem inter cæteros sibi Deum deligerent, quo eum tandem nomine appellarent. Hinc delegere sibi Romani Martem, atque eum armorum, bellorum & præliorum Deum nominarunt, Africani Plutum, & eum diuitiarum præsidem constituerunt: Græci Apollinem, quem scientiarum Deum arbitrati sunt, atque alij alios, sed hominibus, ita de Dei nomine & cultu disceptantibus, cœlum puellam hodie vniuersis hominibus spectandam proponit, quæ è collo & inter brachia veram veri & æterni Dei ab omnibus adorandi imaginem suspensam habeat, de quo scriptum est, *splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris*. Qui deinde laminæ crucis insculptus fuit, brachiis extensis, & manu dextra promissionem bonorum præferens, quippe, qui latroni gloriam cœlestem promiserit, *Hodie mecum eris in paradiso*: sinistra vero patientiam, qua peccatoribus pœnitendi tempus indulget: atq; ideo exclamat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Latus quoque apertum, adeo, vt circum cor hoc misericordiæ & clementiæ symbolum insculptum legatur, *Nolo mortem peccatoru*. hinc quoque cœlitus hodie nomen Jesu ei impositum est, quod bonitatem & misericordiam denotat: vt hinc euidens fiat, hunc Deum misericordiæ & bonitatis esse, quique ab Angelis & hominibus adorari debeat, nomen quod cœlum & terra adorent, suspiciant & venerentur, nomen ipsis Januariis Kalend. Mariæ filio impositum.

Tamerlanis consuetudo admirabilis in anni primordio.

Solebat Tartarorum Imp. Tamerlanes anni primitias celebritate quadam inaudita condecorare: ipse quippe sacrorum administer, cui ex lamina aurea, maiusculis literis principis nomen inscriptum legebatur, idipsum coram omnibus adstantibus primatibus, & populo magna cum reuerentia, dignitateque pronuntiabat, quo audito omnis se mox multitudo in terram quasi maiestate quadam tacita perculsa prosternebat. At hodie nouum quid, sed tamen penè simile contingere videmus: Hæc scilicet dies est, qua cœlum annuam memoriam colit, celebritatis, qua sacrum & regium hominum atque Angelorum omnium Regis nomen, magnis characteribus aureæ humanitatis nostræ laminæ inscriptum, publice coram Judæis & Gentibus profertur, quo audito omnes, idipsum reuerenti & venerati, in terram genu flectunt, iuxta quod Paulus ait; *In nomine Iesu omne* Phil. 2.

genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

VIII. Veterũ Romanorum mos.

Primus, qui Kalendas Januarij in anni principio dedicauit, fuit Numa Põpilius secundus Romanorum Rex: primus item, qui instituit, vt noui magistratus magistratum, ipsique postea consules consulatum eo die inirent, ac purpurati præcedentibus fascibus, in potestatis & iustitiæ signum per vrbem incederent. Vnde Poeta: *Iamq; noui præeunt fasces, noua purpura fulget.* Quanto maiori celebritate hodie eædem Kalendæ à cœlo, veteribus cæremoniis quam proxime inhærendo, condecorantur? vult enim vt Dei Filius in Seruatorem mundi electus, ab æterno totius vniuersi dictator constitutus, hodie magistratum ineat, nomen edat, nostræque humanitatis purpura amictus appareat, sanguine scilicet in circumcisione effuso rubescens, fasces & secures, dominationis & potentiæ datæ symbola, ante eum præcedant, vnde ipse de se ait, *data est mihi potestas in cœlo & in terra.* At potissimum Kalendis hi ce nobile illud nomen Jesu Messiæ impositum est.

Matth.21.

Nomen sanctissimum, augustissimum, & maxime venerabile, de quo Esaias ait: *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ*, id est, desiderat summopere nomen tuum anima mea, velut perpetuum beneficiorum tuorum monumentum & indicium. Cæterum quotquot vmquam fuere sancti, nomen hoc maximopere semper admirati sunt, & amarunt. Mirum enim quoties id in epistolis suis vsurpauit Paulus; Jesus hic, Jesus illic, Jesus in omnibus sententiis & periodis, denique vbique: imo & in Actis aperte professus est, ob nominis huius honorem non modo se vincula, compedes, carceres & ergastula, sed ipsam etiam mortem pati velle, & ne putetis nugas me vendere, eius verba producam, *Non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu.*

Esai.26.

Act.21.

Lib.3.c.4.

Confitetur in Confessionibus suis Augustinus, incredibilem se in Ciceronis Hortensio legendo voluptatem cepisse, adeo, vt vix satiari posse videretur, sed lectionis tandem tædio affectum librum è manibus abiecisse, quod in toto libro disertissimo alioquin Jesu nominis ne vel minima mentio fieret: & Bernardus in Cantica libere profitetur, omnia sibi hoc nomine iucundissimo non condita insipida fuisse, imo & sordu isse, quin & nauseam ac fastidium peperisse. Vnde vt plurimum dicebat,

Serm.15 in Cant.

Iesu decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In corde nectar cœlicum,
In ore mel mirificum.

Maledicti igitur, ac diris omnibus deuouendi, qui sanctum hoc nomen ore blasphemo prophanant. O detestandæ linguæ, quæ toties illud in vanũ assumitis! O fauces tartareæ, imo & dæmonibus deteriores! ecquod obsecro supplicium, tormentum quis inquam cocytus, aut styx hanc irreuerentiam, & impietatem expiet? si enim Romæ morti addicebantur, qui Senatus iniussu, aut non præsente flamine, per Jouis nomen iurabant, ipsi sacratissimi nominis Jesu profanatores enne impune habebunt? tamne vile nomen hoc habebitur! & in ipsum blaspemi indemnes abibunt? O cœlum! ô terra! ô indemnitatem intolerabilem!

Apostrophe ad blasphemos.

Impius ille Nabuchodonosor, cum tres illos Hebræos æstuanti fornace illæsos exeuntes vidisset, edicto cauit, ne quis in posterum in nomen Dei Israel iniurius aut blasphemus existeret, & principes Christiani, visis tot, quæ a tanto iam tempore nomen illud regium & augustum edidit, mirabilibus nullum maledicos & Dei detractores; in nominis huius blasphematores supplicium decernent, aut digna in eos castigatione animaduertent? Reges barbari & idolis seruientes nomen Dei Israel honore prosequentur, & Christiani nomen totius vniuersi redemptoris indignis habere modis, profanari, ore sacrilego proferri patientur? Anne hoc religio & pietas permittet? anne hoc fieri poterit?

Dan.3.

Clinias quidam, vt magnus Basilius testatur, tria aureorum millia cum consequi posset, iuramento per nomen Dei veritatem stabiliendo, nunquam id in animum, quamuis absque vllo id piaculo facere licuisset, voluit

Rom.24.

voluit inducere: indignum ratus Christiano, Deum obluellum aliquod in testem adducere, tantaque irreuerentia Dei nomen vsurpare. At quantum tempora nostra à tuis discrepant sancte Præsul? quam differunt hominum nostrorum mores à Clinia? Hodie namq; propter aureum, florenum, assem, quadrantem, imo meras nugas millies sacrum Dei nomen à paruis & magnis, fœminis iuxta ac viris impie proferetur, & sacrilego ore profanabitur. O vitam religionis expertem! ô ætatem contaminatissimam! ô seculum vitiosissimum! sed finem iam facere oportet.

Quid sit spiritualis circumcisio.

Hactenus igitur de sancti nominis huius impositione egimus, ac de circumcisione Judæis ad salutem necessaria: iam de alio & nouo prorsus circumcisionis genere agendum prior illa exoleuit & sepulta est, alia dignior ac nobilior successit, cuius prior illa vix vmbra fuit: illa nonnisi carnalis, hæc penitus spiritualis: illa iam vetita est, hæc omnibus in locis Scripturæ commendata, denique paucis vt concludamus, literalis obseruatio desiit, & spiritualis sensus adhuc viuit, illa fugienda, hæc vero sequenda, atque ecce præclarum huius rei in Deuteron. conceptum.

Illic namque scripta legitur lex, cuius hæc sunt verba, *si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis desuper incubantem, non tenebis eam, sed abire patieris capto, tenens filios, vt bene tibi sit, & longo viuas tempore.* Deut. 22. Expositio eius hæc est. Sacra Scriptura procera & opaca quædam arbor est, quæ ad cœlum vsque ramos extendat, in ea varij ac plurimi reperiuntur nidi, in quibus mater, id est, obseruatio literalis, sensum intelligo literalem, paruulis, id est, sensui mystico & spirituali, incubat: accipiendi sunt paruuli sub alis matris, & mater dimittenda. Abeat igitur & in auras euolet, cæremonia illa Judaica, ac spiritualia documenta retineantur. Hunc porto mihi conceptum suggessit D. Thomas de Aquino. 1.8 q. 102. art vlt.

Est igitur circumcisio quædam spiritualis, de qua loquens Paulus, *Circumcisio*, ait, *cordis in spiritu, non littera*, quæque in primis necessaria est, quæ non vnicum modo membrum concernit, vt Judaica, sed omnia & singula, sensus singulos, & facultates animæ singulas: Quæ nihil esse potest aliud, quam dissolutionum refrenatio, vitiorum & prauorum affectuum præcisio. Deus bone, quam hæc necessaria est? Quomodo namque silueseit & luxuriatur vinea, quando non putatur? quæ sordes in capite congeruntur, si crines non resecentur. Si enim rebellis Absalon comam ita non laxasset, aut in humeros promisisset, non fuisset ei in restim aut laqueum. Crines symbolum sunt superfluitatum, quas nisi sæpius cultro circumcisionis spiritualis præscindamus, verendum est, ne in eadem nos pericula præcipitent. Eia igitur, vt veteri more loquamur, *circumcidite præputium cordis vestri*, & verbis Jeremiæ, *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda*, præscindite superbiam, resecate auaritiam, præcidite luxuriam, atque omnes prauos affectus & concupiscentias auferte. Hoc anno ipsum agite, & feliciter eum expleueritis, atque has cœlo strenas afferte. 1. Reg. 18. Deut. 10. Ierem. 4.

Tu vero puer Jesu, cui nomen hodie impositum est, cui nullum aut in terra, aut supra terram simile reperiatur, quod Angelos exornat, homines recreat, dæmones terret, nomen sacrum, diuinum, cœleste, in quo totus orbis, vt docuere Apostoli, se salutem consecuturum sperat, puer plane cœlestis, qui mundo hodie pretiosissimam, & pulcherrimam strenam misisti, sanguinem inquam pretiosum in lucrum, insignemque tuam humilitatem in exemplum offerens. Act. 4.

O ecquod exemplum! quod vtinam totus orbis imitetur, qui nempe octauo vitæ tuæ die pœnitentiam, quo nos ad eandem exstimulares, egisti, tenellum tuum corpus circumcidi passus es, sanguinem effudisti, quo æternæ iustitiæ satisfaceres. Vere igitur per Prophetam tuum dicere potuisti, *Pauper sum ego in laboribus à iuuentute mea*, nam ab ipsa natiuitate, ab ipso propemodum partu in cruciatu fuisti, laborasti, passus es. Quamque merito te Benoni, Psal. 87.

id est,

id est, filium doloris vocemus, quomodo Rachael filium suum appellauit, quem tamen pater filium dextræ censuit vocandum. Nam quamuis te pater tuus filium dextræ nuncupet, quod ei in diuinitate æqualis sis, mater tamen Benoni te merito appellare potest, quod filius doloris sis, non quia te ipsa cum dolore pepererit, sed quod nostrã ex ea naturam assumpseris, in qua tot dolores & ærumnas nostri causa sustinuisti. Fac igitur puer obedientissime, qui hodie ad legis præceptum circumcisus es, vt ad tui imitationem corda nostra circumcidamus, vitia cuncta præscindamus, & quoniam hodie amici amicis strenas mittere solent, & tu tam pretiosum tamque nobilem hodie mundo dedisti, eãdem erga nos liberalitatem noli obliuisci, sed vnicuique nostrum eadem manifesta. Da strenã, ô munifice puer, regi nostro Christianissimo, Reginæ illustrissimæ, Delphino huius regni amplissimi hæredi, gratiam inquam tuam & benedictionem cælestem elargire, vrbi vero huic prosperitatem, regno Galliarum pacem, mundo vniuerso misericordiam: nobis vero omnibus post circumcisionem spiritualem, æternam beatitudinem cõcede, quam nobis elargiri dignetur, qui trinus in personis est Deus, Amen.

IN FESTO S. GENOVEFÆ MARTYRIS, PATRONÆ AC TVTELARIS PARISIENSIVM.

Partitio.

1. *Virginitas ab Ethnicis & impiis semper impugnata; à pijs summe laudata.*
2. *Quomodo & quam claris miraculis illustrata.*
3. *S. Genouefæ patria & dotes eximiæ.*
4. *Virtus in homine tribus modis cognoscitur, & varie sumitur in Scriptura.*
5. *S. Genouefa Parisiensium decus & gloria.*

Simile est Regnum cœlorum decem Virginibus, &c. Matth. 25.

FIGVRA.

PRinceps militiæ Regis Assyriorum Holophernes, & vniuersus eius exercitus iam olim ingenium, sapientiam, venustatem, & cæteras Judithæ viduæ virtutes demirantes, extra se præ stupore vehementi rapti, dicebant ad inuicem, *Non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum, &c.* Quod Satrapa ille Assyrius cum suis olim in viragine illa Hebræa deprædicanda obstupuit: hoc ipsum S. Germanus inter Christianos Episcopos non postremus, & omnis Ecclesiæ Gallicanæ cœtus & proceres, postea in S. Genouefæ laudem protulerunt. Cum enim eam quodam tempore ipse Antisiodorensis præsul, aliiq; complures intuerentur, & admirabiles illius virtutes non sine stupore considerarent, admirati (Spiritu sancto ad hoc de ipsa iudicium eos instigante) nullum tota Gallia, Europa, orbe forsitan vniuerso, huic parem Virginem dari posse, dicere non sunt veriti. Quin etiam quotquot postea successerunt, in eiusque vitam & agendi rationem maturius inquisierunt, idem de ea tulere iudicium, numquam scilicet huic in orbe parem exstitisse, & veram hanc Galliæ suæ Juditham esse. Judith namque Hebræa sua ætate Judæorum decus fuit & gloria, Genouefa porro sæculo suo nostræ Galliæ ornamentum. Illa vrbem Bethulienſem ab hostili olim incursu & protritione semel vindicauit; hæc vero sæpius à Lutetia hostium insidias & molimina diuertit. Illa regni Israel, hæc Gallicani imperij tutatrix & protectrix habita est. Hoc tamen nomine hæc illa superior fuit, & dignior, quod Judith in statu viduali, & matronali apud Hebræos; hæc vero apud Gallos in sancta virginitate & puellari statu, quem Spiritus sancti charismata, & mirandorum patratio condecorabant, laudem sit consecuta. Hæc latius & diductius vobis ob oculos ponam, vbi cœleste subsidium, eiusque tam illustre patrocinium inuocauerimus, & Deiparam solito suffragio compellauerimus, suppliciter cum Angelo dicentes, *Judith.*

Ave

AVE MARIA.

Ethnici & hæretici Ecclesiæ virtutes impugnãt.

Quemadmodum cantharides, erucæ, bruchi, scarabæi, & alia immundorum vermium genera hortorum & agrorum pestes, quæ nonnisi immunda sectantur, herbis fœtentibus insident; pulchros odoriferosque flores, vt puta lilia, rosas, tulipas, & si quid aliud in hortis magni fit & suspicitur, depascunt, & naturali quadam inuidia, & ex mera malitia (si quam huiusmodi habere infecta queunt) illorum colorem conantur inficere, odorem tollere, splendorem rapere, & cum iis marcorem afflare, mors vt mox & interitus flacceſcẽtibus subsequantur. Non secus etiã Ethnici, barbari, idolorũ cultores, tyranni, hæretici, aliiq. peccatis, & sordibus infames, qui regiorum Ecclesiæ hortorum pestes sunt & contagio, fœtidas carnis voluptates semper sunt consectati, inque mundi deliciis volutati, ad olidas semper sordes & immunditias aspirarunt, & cœnosum, porcorum instar volutabrum, maleolentes, vt bestiæ immunditias, & vt corui putiscentia cadauera, quomodocumq; potuerunt, adamarunt: quin etiã egregias virtutes, solida decora, mores bonos & laudabiles, vitæ puritatem, animarum sanctitatem, quæ veluti quidam flores, rosæ, inquam, & lilia Castitatis Ecclesiæ sunt, numquam non impetiuere; & hæc ipsa decora ei auferre, illorumque splendorem & odorem offuscare omni studio conati sunt; hoc vnum spectantes, vt boni odoris loco olidos naribus omnium fœtores afflarent, rosas in algam, & violas in vrticas, & pulcherrimas quasq; virtutes in peccatorum & vitiorum dedecora commutarent.

I. Hostes Ecclesiæ virginitatem semper oppugnarunt.

At si quam vnquam Christianam virtutem virulento dente impetiuere, sane aduersus sanctum virginitatis decus, primarium Ecclesiæ florem, acies suas semper direxere. Hic scilicet flos venustate & odore eminens, primum in oculos illorum incurrit, hunc marcorem inducere, hunc profanare, euellere, & stirpitus eradicare studuerunt. Inter ethnicos porro agmen duxit Hermes ille Trismegistus, qui mille quingentis & triginta ante Christi natiuitatem annis floruit hic, inquam, primus in aciem descendit, manu calamum & animo malignitatem arripiens, qua regiam hanc virtutem impugnaret. Libro namque, qui *Sermo vniuersalis* inscribitur, hæc genuina eius verba legere est: *Maxima in vita & piissima cura est prudentibus filiorum procuratio: & maximum infortunium & impietas sine filiis aliquẽ ex hominibus excedere, & pœnas iste dat post mortem damonibus, &c.* *Trismegistus lib. 9.*

Eodem virginitatis odio exarsit Plato, & vt iuratus cœlibatus hostis veluti legem quandam & decretum immortale in bene formata sua Repub. esse voluit: *Quod si quis, inquit, in cœlibe vita ad annum trigesimum quantum vque perduraverit, damnis, & multa quotannis plectitor: si de maximo censu est drachmas centum, &c. Si quis singulis annis mulctam non oluerit, decuplum debeto, omnino honorem nullum iuuenes ei debent, &c.* *Lib. 6. de legib.*

Illustris ille Romanarum rerum scriptor & morum indagator Dion, inter cætera, Cæsarem Augustum, voluptatis venereæ mystam, & virginitatis cœlibatusq; aduersarium matrimonium inire detrectãtes grauiter mulctasse, & contra magna vxorem ducentibus præmia constituisse scribit. Hæc ethnicorum insania fuit, & dementia matrimonium tantopere deprædicantium, vt tanto virginitatem magis profundiusq; deprimerent. Maior tamen & infestior fuit hæreticorum violentia. *Lib. 4. & 56.*

Nicolaus siquidem Diaconus, Nicolaitarum, veterum Ecclesiæ aduersariorum, quique in suis eam cunabulis, quinquagesimo circiter post Christum anno impugnarunt, caput & antesignanus eo venit impudentiæ & nequitiæ, vt S. Irenæo, Epiphanio, Augustino testibus, doceret, neminem, nisi quotidie rei venereæ vacaret, vitæ æternæ compotem esse, aut salutem consequi posse. O impudentiam intolerandam, virginitatem inferis addicere, & infamibus voluptatibus cœlum reserare! Audite sanctorum illorum Patrum verba: *Nicolaus Diaconus dicebat, nisi quis venerem singulis diebus exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri.* Nicolaitarum impudentia.

Hær.26. Aliquot post annis secutis Gnosticis, teste Epiphanio, castitas ita ingrata fuit, & inuisa, vt continentes ludibrio haberent, ac velut vanum in cœlibatu ac matrimonij abstinentia viuentium studium, piamque intentionem, ac religionem suggillarent.

Error Eunomij. Eunomius voluptatum carnalium patronus ac defensor, insciciam suam brutalem prodidit, dum virginitatem matrimonio præstare, & maioribus dignam esse præmijs negat; hinc monasterio ipse egressus, & monastica statuta & vota proculcans, etiam alios eodem pellexit & compluribus virginibuus antea sanctis facem prætulit, vt virginitati valedicentes matrimonio iungerentur; vt Hieron. & August. scripto prodiderunt; virginitatem & matrimonium paria esse inuicem, dictitans.

In Osea 4. lib. de hæres. hæresi.54.

Vigilantius, quem Hieron. tam acriter oppugnauit, quique quarto prodiit sæculo, decessores suos & maiores omnes brutalitate, impudentia nequitiaq; longe anteceſſit: *dixit* (siquidem *continentiam hæresim, pudicitiam libidinis seminarium, virginitatem impugnauit, nullique pudicitiam credidit*, vt ait Hieron. Doctrina hæc pecudis potius cuiusdam quam hominis, ne dicam diaboli; aut hominis saltem salutem prodigentis.

Aduerſ. Vigilant. c.1.

Faustus Manichæus, quem triginta libris scriptis ventilauit & petiit Augustinus, honoris pudorisque omnis perfringens limites ac repagula, Catholicos reprehendebat, quod ad Virginitatis professionem certatim neminem nõ incitarent, & illud dæmoniorum doctrinam, dæmonio ipse plenus, vocabat.

Lib.30.c.4. contra Faustum.

Epist. ad Wolfgangum. Iisdem insistens vestigiis, & eandem multa post sæcula camarinam mouens Lutherus, puritatem virginalem adeo est detestatus, vt scribere non sit veritus, qua erat fronte perfricta, *Votum continentiæ contra verbum, & opus Dei susceptum, vt impossibile & impium, nullius momenti est: Deus reprobat illud, non secus, ac si vouissem Dei matrem fieri me velle, aut nouum cœlum condere velle, &c.* Deinde libro, quem de vita coniugali inscripsit, hæc Geneseos verba, *Crescite & multiplicamini*, commentando exponens eadem non præceptum modo esse ait, sed & plusquam præceptum, quod nec impedire, nec prætermittere cuiquam liceat, nec minus id esse necessarium, quam edere, bibere, purgare aluum, exspuere, dormire, vigilare, aut alias quascumque functiones naturales exercere. Ac veluti in mea potestate situm non est efficere, quo minus sim vir, ita nec, quo minus sine vxore cœlebs viuam.

Lib. de vita coniugali.

Longius etiam vlteriusque progressus est: nam contra Ambrosium Catharinum scribens, horrenda quadam cum blasphemia ait: *Decima facies Antichristi, est insignis ille cœlibatus* papisticus, *& castitatis monastica multitudo plane angelica facies, sed diabolicares.* Libro quoque, quem Germanicorum colloquiorum inscripsit nomine, eo prorupit dementiæ, vt scriberet, etsi quis daretur dono castitatis insignitus, in odium tamen Romani Pontificis cælibatum adeo efferentis, & Clericis coniugium interdicentis, eum ipsum matrimonium contrahere debere. Quin de se ipso palam profitetur, *Ego*, inquit, *priusquam matrimonium inieram, omnino mecum statueram, si forte opinione celerius me mori contingeret, velle me vel in ipso mortis agone cum aliqua puella saltem sponsalia contrahere.*

Contra Catharr.

In Colloq. German. c. de vita coniugali.

Magnus ille Joannes Damascenus sacerum virginitatis decus pro virili aduersus hasce ethnicorum, & hæreticorum blasphemias ac deblateramenta propugnans, hoc vmbone simul cuncta repellit tela, *Virginitatem carnales homines insectantur, & qui voluptati student, testimonij loco illud proferunt, Maledictus omnis, qui non suscitat semen in Israel*, perinde ac si diceret: Carnales quales fuere Gentiles & Pagani, virginitatem oppugnant; qui vero voluptatibus indulgent, vt hæretici, quo suam honesto prætextu nequitiam velent, hæc scripturæ verba in sui tutelam producunt, *Maledictus omnis, qui non suscitat filios, aut semen in Israel.* Quibus ille verbis vnum hoc efficere vult, à sola voluptate, & nequitia humana contra sanctam virginitatem conspirari. quæ sane sola virtus est, quam colunt Sancti, honorant Angeli, diligit Deus, orbis vniuersus demiratur, & quam denique in virginis alicuius sanctæ, qua-

Fid. Orthodox. l.4.c.25. Deut.25.

qualis est S. Genouefa, præconia Euãgelium nostrum deprædicat, dum ait : *Simile est regnum cœlorum decem Virginibus.* Quoniam vero ad laudem & decus sanctæ huius Virginis cuncta spectant, duplicem, Auditores, vobis missum hodie proferre decreui, primo, virginitatis in genere honorem, excellentiam, ac merita complectar, altero Genouefæ nostræ virtutes, merita, & eximia ornamenta singulatim proponam.

Concil. Gangrens. c. 11. Primo igitur, de tam sublimi & egregia virtute, qualis est ipsa virginitas, locuturo non abs re mihi videtur, iisdem vti verbis, quibus olim in sacro quodam Concilio collecti Patres ad eius præconium vsi sunt, *Nos autem virginitatem cum humilitate admiramur.* Et sane spiritus tum humani, tum angelici sublimitatem hanc eminentem, & sublimem eminentiam non maxima cum admiratione & stupore suscipiunt. Inter omnia siquidem ipsa supereminet, virtutibus omnibus excellit, omnis est perfectiones complementum, primarius Ecclesiæ flos, deniq; nobilissimus propemodum Ecclesiæ nostrę status.

In cuius rei figuram in Exodo hoc Mosi Deus præceptum dedit: *Facies & operimentum aliud tecto, de pellibus arietum rubricatis,* *Exod. 26.* *& super hoc rursum aliud operimentum de pellibus ianthinis.* Pelles arietum rubricatæ tropologice viros Apostolicos, & Martyres, qui sanguinis sui effusione Ecclesiam texerunt, eius fidem & mysteria aduersus infidelium procellas & turbines stabiliuere, designant; rubeo vero colore tincti sunt, eo quod sanguinis sui pretio tum sibi, tum Ecclesiæ vitam beatam comparārint.

Historiæ Romanæ prodūt, Marium cum contra Cimbros & Teutones loco arido & sterili castra collocasset, militibus aquam poscentibus fluuium haud procul ab hostili vallo demonstrasse, ac dixisse : *Ishinc peti à vobis potest potus sanguine venalis :* Idem & Martyribus suis & Ecclesiæ Christus ait; omnes quippe hic in terra sub crucis vexillo militantes & depugnantes, sanguinis & vitæ pretio beatitudinem, ac cœlestem gloriam sibi pararunt. Aliud porro operculum de pellibus ianthinis sanctarum Virginum

Martyres sanguinis sui pretio vitam æternam comparārunt.

statum denotat, quæ sub colore quodam cœlesti, carnique & mundo mortuæ, quamdiu scilicet in mortali hac vita degunt, nonnisi pellem quamdam mortuam secum trahunt, defixum in cœlestibus animum habentes, & cum Apostolo clamantes, *Nostra conuersatio in cœlis est.* Hæ in Ecclesia omnibus eminent & supremo sunt loco, eamque noctu & interdiu orationibus, sanctis exercitiis, precibus, meritisque tuentur. Adeo, vt ipsæ Christianorum omnium sint principes, & primum quodammodo in Ecclesia sancta statum constituant. Et reuera cum Psaltes dixisset: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato* (quibus de Ecclesia verbis loquitur) mox subinfert; *adducentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* quasi diceret, Primo adducetur loco regina, & Christo Jesu Ecclesia reconciliabitur; deinde, vbi per populos & prouincias Apostolorum prædicatione fides dissēminata fuerit, virginum cœtus carnem suam edomantium subsequetur, qui primus fidelium in Ecclesia status est. Mox vero & proximæ eius & sociæ, quibus aut nuptas, aut viduas Hieronymus putat designari, afferentur.

Virgines in Ecclesia eminent.

Esai. 44.

Virgines sunt Ecclesiæ principes.

Hanc ob causam virgines in Apocalyps. Dei, qui Agnus factus est, *primitiæ* appellatæ sunt : vidit quippe S. Joannes quoddam Beatorum genus particulari quadam nescio qua gloria donatorum, Agnum semper intuentium, & ab ipso vicissim conspectorum, quem omni illi loco, & quocunque pergeret, sequebantur : *Et vidi, &c. Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen nouum, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis, &c.* *Apoc. 4.*

Deinde hocce mysterium aperiens, & quinam hi forent, declarans, *Hi sunt,* inquit, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati : Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit ; hi empti sunt ex omnibus primitiis, Deo & Agno, &c.* quasi diceret, Hæ sunt primitiæ Dei, qui factus est Agnus, id est, primus ex arbore redemptionis humanæ fructus fuit virginitas, fructus, inquam, quem Jesus Christus, verus Deus & homo

Virginitas primitiæ redemptionis mundi.

sacratissima morte si a è mundo decerpsit. Ipse namque vt virgines essent, in causa fuit; ante namque paucissimi virtutem hanc amplecti, eamque matrimonio præferre studebant.

Iud. 11. Quin imo male passim apud omnes audiebat, & maledictio esse quædam putabatur, & abominatio. Hinc filia Jephte, vt è libro Judicum discimus, à suo se patre morti videns addictam, dolens & afflicta, bimestre sibi postulauit spatium concedi, quo suam cum sodalibus virginitatem, montana Judææ circumeundo, plangeret. Lachrymarum causa erat, quod innupta & nondum mater, & maledictioni proinde, vt putabat, obnoxia moreretur. *Dixitq; ad patrem, Hoc solum mihi præsta, quod deprecor, dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis, &c.*

Maledictio sterilitatis ablata. Verum ex quo vnigenitus Patris hominem induit, illustrem hanc virtutem delegit, virginitatem extulit, matrimonio prætulit, & vetus maledictum in æternum decus & benedictionem commutauit; selegit inquam illam, vt diuinitatis suæ templum, & Messiæ incarnati adyton foret & Basilica.

Lib. 1. Offic. Hæc dum Magnus Ambrosius considerare attentius, admirans exclamat: *Quanta, inquit, est virginitatis gratia, quæ meruit à Christo eligi, vt esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutem, Virgo peperit vitam vniuersorum.*

Lib. de virginit. Eodem propemodum sensu Athanasius, sed verbis elatioribus & prægnantioribus scribit: *Magna virtus continentia, ingens glorificatio puritas, magna encomia virginis, O virginitas opulentia indeficiens! ô virginitas corona immarcessibilis! ô virginitas templum Dei, & domicilium sancti Spiritus! ô virginitas margarita speciosa, vulgo inconspicua, & quæ nonnisi à paucis inuenitur! &c.* Ex Athanasij ergo opinione virginitas monile est mundo incognitum, corona, & aureola nunquam flacescens, aut euigorata, & thesaurus diuitiarum indeficiens, denique sacrum diuinæ maiestatis templum, & regale palatium.

Iisdem vsus epithetis D. Hieronymus, eximium hocce decus mirifice deprædicat dicens: *Grandis fidei est granduq; virtutis, Dei templum esse purissimum, totumq; se holocaustum offerre Domino, & iuxta Apostolum sanctum esse corpore & spiritu*, id est: Illustre & eximium est, & supra communem hominum opinionem quid maius, in carne omnis carnis expertem viuere; nec aliter in terra viuere, quam si in cœlis conuersaremur, in mortali hoc corpore puritatem angelicam æmulari, & proprium in holocaustum Deo & victimam offerre corpus: quod à virginibus fieri certissimum est. *Lib. 1. contra Iouin.*

Illustris quidam sanctitate iuxta & doctrina scriptor, qui ab hinc quingentis circiter annis viuere desiit, cui nomen Radulphus Ardens, hæc Hieronymi verba videtur aut mutuatus, aut quam proxime augendo imitatus; quod enim Hieronymus virginitatem holocausto aut sacrificio comparet, hac ipse paraphrasi amplificauit: *Culmen*, inquit, *omnium virtutum est virginitas, vtpote quæ omni virtute, omni merito, & martyrio cumulatur, quæ enim maior est virtus, quod meritum maius, quam viuere in carne non secundum carnem? quam esse in igne, & non ardere? manere in luto, & non contaminari? & inter malitias huius mundi angelicam ducere vitam: quod martyrium maius, quam seipsum crucifigere, quam secum quotidie luctari, & suis voluptatibus & voluntatibus abrenunciare?* Hisce inferre verbis auctor vult, virginitatem vti in virtutum & meritorum regno primas fert & supereminet, ita & quoddam sacrificij & martyrij genus esse. *De virginit.* Virginitas regina virtutum. Species est martyrij.

Video vnue sum veterum Patrum chorum certatim in aciem prodire, vt quam quisque potest maxime, virginitatis laudes decantet, merita euchat, decus efferat, eiusque mirabilia deprædicet. Cyprianus in primis Angelorum eam esse sororem dicit, aliaque infinita in eum præconia effundit, quæ simul hic producam: *Virginitas*, inquit, *est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio bonorum omnium, flos est Ecclesiastici generis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi, &c.* *Lib. de virginit.*

Veteris

Veteris huius vestigiis conceptibusque insistens suis in epistolis Petrus Cluniacensis, ait solius virginitatis inter cæteras virtutes proprium esse, Angelorum sororem & germanam dici: vnde scribit, *Non patientia, non humilitas, nec ipsa charitas, non qualibet alia virtus, soror dicitur Angelorum*, sed vnica virginalis castitas, quasi diceret: Sola virginitas hunc honorem cæteras inter virtutes, etiam supra charitatem, habet proprium, vt homines Angelis proximos, imo fratres & germanos quidem efficiat. *Lib. 6. epist. 40.*

Pius & mellifluus Bernardus pie de castitate, cuius nobilissima species est virginitas, loquens, hanc ait solam in hoc mortalitatis loco & tempore quendam immortalitatis & gloriæ statū detegere. Et Doctor Angelicus D. Thomas postea docuit, virginitatem aliud non esse, quam perpetuā incorruptionis meditationem in carne corruptibili, id est, firmum & stabile eius intemeratæ semper conseruandæ propositum. Dicere vero vterque voluit egregiam hanc virtutem velut odoriferum quoddam balsamum esse, cuius vi corpora mortua à putredine & corruptione conseruantur, quod ipsa membra sensusque ab omni corruptela ac contagio inuiolatos tueretur, suauem illis, & gratum odorem afflans.

Serm. de castitate.

Plura his addit S. Ephrem, & nonnisi insigni cum admiratione & exclamatione de eadem loquitur: inter alia porro hæc habet: *O Castitas, quæ homines Angelis similes reddis! ô castitas donum Dei beneignitatis, disciplina cognitionis, atque scientiæ plena, ô castitas portus tranquillus.* & ab omni procella ac tempestate tutus! Nec sane immerito: est quippe virginitas reuera angelica quædam virtus, & purum Dei charisma, sancta quædam philosophia, & aduersus omnes tentationum ventos & carnis ac mundi procellas secura statio ac portus.

Castitas reddit homines Angelis similes.

De virtutibus & vitiis c. 18.

Idem prope habet Alcuinus, qui anno DCCC. in Ecclesia floruit, docuitque castitatem vitam esse angelicam, eamque humilitati associatam Spiritus sancti habitationem promereri, quā libidinis expelleret immunditia: ab hac hominem cœlo affigi, cœlique conciuem & Angelorum socium effici.

Castitas vita est angelica.

Alius quidam auctor, eadem de re agens, Hildebertus inquam Cenomanensis, quam ab hinc quingentis & amplius annis Doctorem Ecclesia habuit, suam quoque adfert symbolam, dum scribit: *Virginitas curarum est silentium, pax carnis, vitiorum redemptio, virtutum principatus. Virginitas Angelorum redolens conuersationem cantat canticum nouum, canticum felix, canticum quod nemo potest dicere praeter eos, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* An non enim virgines nouum concinunt canticum? Illarum quippe sermones & colloquia nonnisi honestatem spirantia, de honestate sunt, cogitationes omnes puritatem spectant, actiones & mores sanctitatem redolent, illarum denique exempla & conuersationes solam modestiam & simplicitatem sanctam loquuntur. Cogitant siquidem virgines, quomodo soli Deo placeant, non loquuntur, quam quomodo honestè vitam instituant. hoc vnum spectant, quomodo nimirum corpus suum doment, carnem suam crucifigant, de deliciis omnibus triumphum agant; hinc præter ipsas nemo hocce canere canticum potest. *Epist. 36.*

Virginitas curarum silentium est pax carnis.

Apoc. 14.

Quam beati ergo & felices, qui sanctis cœlestis huius status legibus se submiserē! Quantum ille est homo honorem consecutus, qui hac vitam ratione instituere potest? Cecinit olim Psalmographus: *Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Magno profecto in honore est homo, dum castimoniam sectatur, & in statu virginali vitam traducit. At qui honorem hunc non comprehendit, nec intelligit, bestiis brutisque assimilatur, & insipientia in illis par est: *Computruerunt*, inquit Ioel, *iumenta in stercore suo.* quem locum in suis in Psalm. 50. commentariis, hoc modo explicat Gregorius: *Computrescere iumenta, est carnales homines in fœtore luxuriæ finire vitam.* Dicere meo quidem iudicio vult, quemadmodum carnis immunditiæ in fœtore libidinis magnam malcolentiam, & mephitim quamdam causantur intolerabilem: ita virginitatis honorem ac decus iucundum, suauem, & hominibus iuxta ac Angelis gratum odorem efflare. *Psal. 48.* *Ioel. 1.*

Singulariter Deus virginibus fauet.

Quin & ipsi gratum Deo: cui virtus hæc adeo placet, vt particulari semper sit fauore prosecutus eos qui virginitatem coluere; adeo vtà mortis eos iaculo defenderit, & vitam honeste traducendam illis elargitus. Exemplo sit, quod in libro Numerorum legitur, cum enim in idololatras Madianitas bellum à Deo Israel denuntiatum esset, & duces cunctos internecione delere iussi, solas tamen virgines à morte exemptas reseruari voluit Deus: *Cunctos*, inquit, *interficite, puellas autem & fœminas omnes virgines reseruate.* Quo loco hæc commentatur Oleaster: *Accepta fuit Domino semper virginitas, nec solum cordis, sed etiam corporis munditia illi semper placuit, ob quam solam ista seruata sunt à morte, &c.*

Num. 31.

In libro Iudicum idem facere iussi sunt duces Israel in bello aduersus Iabes Galaad: *Hoc est quod obseruare debetis, mulieres quæ cognouerint viros interficite, virgines autem reseruate,* &c. Repertæ porro fuere virgines in Iabes Galaad quadringentæ, quibus omnibus hostilis pepercit ensis. An non ergo hinc manifestum est virginitati peculiarem cœlitus honorem exhiberi, cum hac eam ratione colat Deus?

Iudic. 21.

II. Virginitas dono miraculorum honorata, *Lib.* 4. *de fide cap.* 25.

Quidni? sed maiore etiam virginitatem honore affecit, cum & miraculorum suorum dono eam voluit cohonestare. Cuius rei præclara tum è sacra, tum è profana historia exempla passim obuia sunt. Quantum ad sacram quidem: Damascenus vnicam, cur Daniel in lacum leonum coniectus in Babylone, sospes, integer & à belluarum morsibus tutus permanserit, (quod profecto non sine miraculo factum) causam esse existimat, quod illibata in castitate vitam conseruasset, audite loquentem: *Danielis,* inquit, *corpus ita virginitate obduratum, vt leonum dentes illi infigi nequiuerint.* Idem & illæsam trium illorum puerorum in fornace Babylonica conseruationem, & ab ignis violentia & flammis tuitionem vni virginitati, quam coluerant, ascribit, quam hoc scilicet miraculo honoratam & cultam voluerit Deus.

Tom. 2. *libr.* 1. *contra Ioui.*

Non minora sane profana quoque dabit historia. Sanctus Hieronymus lib. contra Iouinianum ob solum virginitatis decus prophetiæ donum decem Sybillas ait accepisse: *Quid referam,* inquit, *decem Sybillas, quarum insigne virginitas est, virginitatis præmium diuinatio?* Addam & his aliquid longe magis admirandum, quod de Claudia virgine Romana eodem loco refertur: quæ cum violati pudoris suspecta esset, sola ipsa in pudicitiæ illibatæ, integritatis & innocentiæ omnium testimonium & argumentum zona nauem ingentem in medio Tibridis hærentem ad ripam pertraxit, quam plures alioquin viri omni adhibita arte ne mouere quidem loco potuerant.

Miraculum in virgine Vestali.

Idem Hieronymus eodem loco Iosue sepulturam cum Mosaica comparans, notat, in morte Mosis, non vero in Iosue Israelitas planxisse; cuius rei rationem hanc solam esse putat, quod in morte finiatur matrimonium, virginitas porro post mortem demum coronari incipiat: *Quamobrem,* inquit, *& Moyses moriens, plangitur à populo Israel, Iosue autem victurus nõ plangitur, nuptiæ enim finiuntur in morte; virginitas post mortem incipit coronari.* E quibus elicere verbis possumus Iosue perpetuo in cœlibatu vixisse, & ob hanc integritatem post mortem gloriæ corona in alia vita coronari meruisse. Moyses qui matrimonio iunctus fuerat, mortuus ab vniuerso Israele plangitur, non autem Iosue, quod cum perpetuam castitatem coluerit, post mortem ad coronam euocetur.

An non hæc præclara & illustria virginitatis sunt donaria & priuilegia? sed nondum hæc sufficiunt; addam & alia. Epiphanius Ecclesiæ Græcæ decus, & inter Doctores sacros non postremus, dicere non erubuit, virginitatem Ecclesiastici ordinis totius basin & fundamentum esse, *Ecclesiastici ordinis veluti fundamentum est sancta virginitas, quam multi sancte, magna cum laude perpetuo conseruant.* Dicere scilicet voluit, maiestatem diuinorum mysteriorum, sacerdotii eminentiam, sacramentorum sanctitatem, & omnem Ecclesiastici ordinis honorem à sola Virginitate dependere, eique velut columnæ primariæ & principi inniti.

In compend. doctrin. fid. Cath.

Virginitas fundamentum ordinis Ecclesiastici.

Sanctus

In Apolog. ad Imp. Constantium. Virginitas veræ religionis nota.

Sanctus Athanasius aliud Orientis lumen latius per virtutis huius præconia diuagans, eaque apud imp. Constantium deprædicans, tria habet notatu sane dignissima. Primum virginitatem Dei donum esse, ideoque potissimum nobis datum, vt inde angelicæ sanctitatis imitationem mutuaremur. Secundum, *atque in eo*, inquit, *magnum documentum est apud nos esse veram religionem.* Tertium: Imperatorem Constantinum, huius patrem pietatis & castitatis amantissimum & studiosissimum, virgines præ reliquis omnibus in pretio habuisse. Hinc ergo efficiatis licet, sanctam virginitatem semper in pretio, & apud reges & imperatores cultam & magni habitam fuisse, eamque nonnisi in vera religione haberi, denique eamdem nobis à Dei filio post orbis redemptionem, velut prototypon & exemplar, è quo Angelorum sanctitatem perspiceremus, datam esse.

Diuin. decr. cap. de virg.

Restat igitur, quo ita coronidem huic parti imponamus, vt quæ Theodoretus de eadem scripsit, in medium etiam afferamus: virginitatis scilicet altitudinem infinitam esse, nec commune quid, sed omnes naturæ limites transcendere: *Intellexit*, inquit, *Deus, virginitatem rem esse supra naturam.* Hinc eam ipsa nemini præscribit singillatim. Eadem prope Ambrosius: *Quis*, inquit, *humano eam potuit ingenio comprehendere, quam nec suis natura legibus inclusit? aut quis naturali voce complecti, quod supra ipsum naturæ sit?* Eiusdem opinionis est & Sanctus Cyrillus suis in Catechesibus: *Non ignoramus castitatis gloriam; Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio.* Dicere, mea quidem sententia, id voluit; eum qui virginitatem, quæ naturam transcendit, colere studet, naturam ipsam superare debere; & humanam exuere, vt ita angelicam induat, quod angelicum quid sit castitas, quod ipsum, nonnisi auctore & præeunte Damasceno, dico, dum quodam loco ita scribit, *Virginitas Angelorum munus est, ac peculiaris omnis incorpoream naturæ nota*, id est, qui illustrem hanc virtutem sectatur, omnis se expertem corporis reddere, & spirituale quid & naturam Angelorum debet induere.

Lib. 1. de Virgin.

Catech. 12. illumin.

Lib. 4. fid. Orthod. c. 2.

Verum finem non haberet oratio, si in adeo admirabilis virtutis laudum campo longius progrederer, & in infinitum excresceret, si adeo fœcundam vberemque segetem diutius peruagarer. Huc porro abripuit me, & tot producere testimonia coegit meritorum & priuilegiorum sanctissimæ Virginis Genouefæ honor & dignitas; quam vobis describere pollicitus eram. Proinde iam materiæ huius inchoandæ, & secunda concionis parte laudum illius enarrandarum tempus est.

III. S. Genouefa in Gallia haud procul à Lutetia nata.

Vt ergo exordiar; S. Genouefa, sapiens, pia, Dei metuens, si quæ vnquam exstitit, ac Iesu Christo per virginitatis votum & professionem dedicata virgo, in Gallia nostra est haud procul à Lutetia regni capite, nata parentibus quidem, si sæculi æstimationem spectes, humilibus & tenuibus, sed reuera secundum Deum & virtute maximis, nobilissimis & illustrissimis. Incidit ortus eius in tempora Valentiniani III. Imperatoris, & ad Clodouei Galliæ regis peruenit. Multi iique graues auctores eiusdem suis in scriptis meminere, & miracula posteritati prodiderunt. Inter alios Venerabilis Beda, Ado, Vsuardus, & Cardinalis Baronius, qui suo in Martyrologio hoc illi adscribit elogium: *Lutetiæ Parisiorum Sanctæ Genouefæ Virginis, quæ à B. Germano Antisiodorensi Episcopo Christo dicata, admirandis virtutibus, & miraculis claruit*, &c.

Lib. de gloria Confess. c. 91. & hist. Francor. l. 4. c. 1.

Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum, & lib. quarto de gestis Francorum, nonnisi quam honorificentissime de illa locutus est. Surius vero tomo 1. de vitis Sanctorum, multis morum eius & vitæ sanctitatem est prosecutus. Multa quoque Sigebertus in Chronicis ad annum Domini 437. memoriæ prodidit: nec non & Constantius in vita Sancti Germani Antisiodorensis, quam posteritati conscripsit.

Equidem post tot illustres & inclytos sanctæ huius Virginis deprædicatores, vnum hoc de illa dicere animus est, quod de casta vidua Iudith in Iudæa olim dictum fuit, *Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde.* Certum quippe est, Sanctam Genouefam, non minus quam Iudi-

Iudith. 8.

Iuditham celebrem apud omnes exstitisse, & immortale sibi tum sanctitate, virginitate & timore Dei, tum vero aliis virtutibus & miraculis nomen pepetisse, iuxta illud Sapientiæ: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, & apud Deum nota est & apud homines.* Sap. 4.

Holofernes olim huic Hebrææ, amore captus, assentans, hæc in eam præconia effudit: *Et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.* Iudith. 1. Non quidem assentando, sed vere loquendo, idem de sancta Genouefa dixero, & vobis audientibus declararo, illam & fuisse, & modo esse, & sequentibus post sæculis, magnam in Dei Regis Regum domo futuram, nomen quoque eius vtroque sub axe, & per quatuor mundi climata vt illustre & inclytum deprædicandum. Virtutum siquidem illius compensatio est seculorum æternitas.

Psaltes de homine iusto vaticinando loquens ait: *In memoria aeterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit*, & post mortem nulla nomen eius infamiæ macula inficietur. Psal. 3. Quod de omnibus in genere iustis Propheta loquitur, non incredibile videatur, singillatim de hac virgine sancta, puella iusta & virtutibus plena, si quæ vmquam exstitit, velut vaticinium & præsagium, & diuinæ prouidentiæ argumentum & actum intelligi posse: nam memoria eius iam mille & amplius annis viguit, & in æternum vigebit, neve vmquam honorem eius & famam detractionum & obtrectatorum virus atteret, illustris illius nominis gloria semper integra & illæsa perstabit, quamdiu vniuersi huius machina subsistet.

De eadem Iuditha scriptum legimus, illam ob virtutum suarum decus, insigne apud omnes nomen & famam esse consecutam, ac neminem aut de illa viuente, aut iam mortua autum esse malum loqui verbum, aut nomen eius deterere calumniis. Iudith. 8. Tantundem & de Genouefa nostra dicere queo: vtpote quæ tam illustrem & iucundum post se odorem reliquit sanctitatis, & tam inclytum nomen, vt ab hinc mille & centum annis nemo tantæ sit temeritatis repertus, illius vt honorem conuellere, reputationem commaculare, sanctitatemque eius, & puritatem ac reliqua eius merita calumniari ausus fuerit.

Sacra Scriptura Rebeccæ illius venustæ dotes ac perfectiones exaggerans, hoc de illa modo locuta est: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro*, Gen. 24. in quorum expositione verborum hanc quæstionem mouet Origenes: *Nonne sufficeret dicere, virgo? quid opus est dicere, Et incognita viro? quia non sufficit animæ, vt casta sit corpore, opus est vt vir ille pessimus, qui in Euangelio dicitur inimicus homo, non cognouerit eam.* Laus hæc & elogium quam æquissimo iure in sanctam Genouefam quadrat: nam præter innatam illi venustatem eximiam, virgo erat, & anima corporeque castissima, & numquam eam inimicus ille homo cognouit, vel vt oculos eius vanitatibus, verba lasciuiis, & impudicitia, cor deniq; peruersis cogitationibus peruerteret.

Tertio Tobiæ capite de Sara Raguelis filia scriptum legimus, *Virgo fuit mente & corpore placens Deo*, &c. Tob. 3. quod & ipsa sua in oratione, quam ad Deum effudit, confiteri palam non est verita: *Tu scis Domine, quia numquam concupiui virum, & mundam seruaui animam ab omni concupiscentia.* Liceat nobis tantumdem de sancta Genouefa & credere & dicere: Virgo fuit perpetuo tum mente, tum corpore, nec virum vllum concupiscens religiose semper & inuiolate puritatem & integritatem cordis cogitationumque conseruauit.

Quod vt faceret commodius, & thesaurum virginitatis suæ securius posset, ab anno quintodecimo ætatis mundo se subduxit, matrimonium repudiauit, & hominum vitauit commercia; conscia scilicet, nihil adeo vitæ sanctitati, quam libere nimis cum hominibus conuersari, aduersari. Videntes Assyrii, quid suis in castris opera muliebri contigisset, magna cum admiratione ad inuicem dixerunt, *Vna mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis.* Iudith. 14. Et sane sicut lasciua familiaritas, & nimis frequens cum vnica fœmina indiscreta conuersatio

S. Genouefa ab ann. 15. mũdum fugit.

uersatio, ad faciendam confusionem & malum odorem in Dei, Regis Regum domo, id est, Ecclesia relinquendum, satis est, ita quoque nimia cum vnico viro virginum conuersatio.

Ob hanc forsan causam solam has virginibus leges præceptaq; præscripsit Ambrosius: *Virginem*, inquit, *mihi prius grauitas sua nuntiet, pudore obuio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænuntia integritatis anteeant signa virtutis*, &c. Longius etiam prouehitur sanctus Ioannes Chrysostomus; quodam namque in loco ait: *Cum in publicum*, inquit, *se virgo recipit, oportet vt omnis Philosophiæ specimen præ se ferat, & omnes in stuporem conuertat. Sicut Angelus si nunc è cœlo descenderet: & sicut Cherubim aliquis, si in terris appareret, omnes homines in stuporem conuerteret, sic virginem omnes qui vident, in admirationem & stuporem suæ sanctimoniæ adducere oportet*, &c. Sancta nostra virgo hoc se gessit modo; nam quotiescunque in publicum prodibat, Angelus cœlo descendens maiorē hominibus admirationem & stuporem non moueret, quam virgo hæc singulis causabatur.

Li. de virgin.

In Orat. quod regul. fœmina viris cohabit. & c. tom 5.

Virgo in publicum prodiens instar Angeli se gerat.

Omnes siquidem qui eam vel publice, vel priuatim videbant; ore in laudes, & corde in stuporem conuerso illud ipsum occinebant, quod de sapiente Ruth olim dictum legimus, *Scit omnis populus, qui habitat intra portas orbis, mulierem te esse virtutis.* Quotquot enim intra portas magnæ huius vrbis Parisiensis habitabant, quotquot in florentis Galliarum regni agro commorabantur, quotquot in Europa agebant, denique quotquot per orbem vniuersum sparsi erant; sciebant sanctam & piam Virginem quamdam Genouefam esse.

Ruth 3.

IV. Quod vt melius intelligatis, tribus perspici modis sciendum est, num quis virtutis sectator aut cultor sit. Primo, è coniecturis, verbi gratia, aspectu incessuue statim cōiicere licet, qualis vir quislibet sit, aut fœmina. De qua in Ecclesiastico scriptum legimus, *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* & eodem loco. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur insensatus.* Hinc in Physiognomicis ait Aristoteles, *Animæ sequuntur corpora*, corporumque motum, pulsum & dispositionem. In Prouerbiorum namque libro legitur, *quomodo in aquis resplendent vultus perspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

Tripliciter hominis perspicitur virtus.

Eccl. 9.

Prou. 17.

Secundo, per experientiam, quæ primaria rerum omnium magistra est, per opera inquam & actiones bonas & laudabiles, de cuiusquam virtute aut meritis fertur iudicium. Hinc Philosophi Aristotelis hocce est axioma, *Per actus cognoscitur habitus.* In libro vero de interpretatione voces & verba, conceptuum interiorum signa & interpretes esse docet. Ipse quoque Redemptor per experientiam sceleſtos & flagitiosos cognosci docuit oportere, *A fructibus eorum cognoscetis.* Verum hæc signa iudiciaque certa minime sunt; sæpe namque humana iudicia & notitiæ falluntur: hæretici enim & hypocritæ multa quidem exterius bona agunt opera, vt quidem apparet; non idcirco tamen virorum bonorum nomine censendi: sunt quippe homines larvati, forinsecus quidem ouium habitum præferentes, intus autem lupi sunt rapaces.

Arist. 2. de anima.

Matth. 7.

Tertia porro ratio, qua certo & infallibiliter ad virtutem cuiuslibet perspiciendam ducimur, est diuina reuelatio. hæc porro via certissima est prægnantissimum ad perfectiones occultas latentesque cognoscendas iudicium. Atque hoc signo Sanctus Germanus Antisiodorensis sanctam Genouefam inter plurimas alias conspectam singularis esse sanctimoniæ statim iudicauit: eiusque virginitatis votum excipiens, parentibus illius ait, *felices vos tam venerandæ sobolis genitores.*

S. Germanus Genouefæ virtutem diuinitus agnoscit.

Exinde Iullicus, illustrium Parisiensium Præsulum in numero non minimus, quique ea ætate diœcesi huic præerat, inter quamplurimas egregias & eximias virgines quodam illi die oblatas, vt eas Deo offerret & consecraret, rari & diuini quidpiam in hac præ cęteris Virgine contemplans, statim eam sanctam & virtutis studiosam censuit. Quin & Simeon Antiochenus, virtutum illius meritorumque, quæ toto percrebuerat orbe, fama motus, eius se orationi ac precibus commendabat. Vniuersus ergo terrarum orbis

Iullicus Episc. Paris. de eadem quid sentiat

tam domi, quam extra Galliam S. Genouefam *Virginem esse virtutis* agnoscebat & deprædicabat.

Virtus varia significat.

Virtutis nomen diuersimode in Scriptura accipi certum est, ô docti: modo namque in proprio acceptũ sensu quemdam animæ denotat habitum ad benefaciendum inclinantem, & laudabiles efficientem eos, in quibus reperitur. Hoc intelligenda modo est laus, qua Salomonem Regem ornat Regina Saba, *Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus & sapientia tua*, & paulo post: *Vicisti famam virtutibus tuis.* Eodem etiam sensu cape hæc Pauli verba: *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*, & alio loco. *Virtus in infirmitate perficitur.* & illa, *In omni virtute confortati.*

2. Par. 9.
1. Cor. 4.
2. Cor. 13.
Col. 1.

Alias & frequenter etiam, nomen *Virtus* confunditur, & idem omnino denotat quod miraculum, cuius rei sexcenta depromere exempla queam. Psalmographus vt Deum mirandorum patratorem esse designet, virtutum Deum illum nominat, *Dominus virtutum ipse est Deus* & Psalm. 79. *Domine Deus virtutum.* & Psalm. 77. *Et virtutes eius, & mirabilia.* quo loco virtutes & mirabilia connectit. Apertius quoque in Euangelio: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quo loco *virtutes facere* tantumdem est ac miracula patrare, & cap. 11. *Quia si in Sodoma factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque ad hanc diem.* Eodem etiam sensu vtitur Apostolorũ princeps Petrus Iudæos alloquens: *Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, & prodigijs, & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri*, &c. Apertius etiam capit. 8. de Simone Mago: *Videns etiam signa & virtutes maximas fieri stupens admirabatur.* Eadem significatione verbum hoc vsurpat, *alij operatio virtutum:* & alibi sæpius, quæ prætereo, vt rem cœptam prosequar, & orationis filum deducam.

Psal. 13.
Psal. 79.
Psal. 77.
Matth. 7.
Matth. 11.
Act. 2.
Act. 8.
1. Cor. 12.

Denique *virtus* pro robore & fortitudine, & hæc vicissim pro virtute, vtroque in Testamento vsurpatur: Hoc sensu vsi sunt Israelitæ, dum ad Deum clamantes orant, *Et præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias* Et Psaltes: *Confirmasti in virtute tua mare.* & alibi: *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos* Et apud Sapientem, *Et virtuti brachij tui quis resistet*: Apud Baruch: *Ostentantem virtutem suam.* In Euangelio quidem apud D. Lucam: *In potestate & virtute imperat*: & cap. 9. *Conuocatis autem Iesus duodecim apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, &c.* In Apocalypsi Angeli throno Agni assistentes canunt, *Honor & virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum.* & infra loquens de portentosa illa bestia, quæ de mari ascendebat: *& dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam.*

Iudith. 6.
Psal. 73.
Psal. 88.
Sap. 11.
Baruch. 6.
Luc. 4.
Luc. 9.
Apoc. 10.
Apoc. 13.

His ita præmissis, quacumque demum significatione virtutis nomen accipias, semper de sancta Genouefa vere dictum esse cõperies: *Scit omnis populus qui habitat intra portas mulierem te esse virtutis.* Primo namque si verbum hoc in propria & genuina notione, qua moraliter sanctos illos, honestos & laudabiles habitus ad bonum nos instigantes, denotat, vsurpes; Genouefam nostram vere filiam fuisse virtutis comperies: filiam, inquam, in qua omnia virtutum genera concurrerunt, profunda scilicet humilitas, feruens & ardens charitas, incomparabilis modestia, & imprimis incredibilis prope abstinentia. Ab anno enim ætatis quintodecimo ad vsque quinquagesimum quotidie, præterquam Dominicis & feria V jejunabat. Viuendi ratio adeo austera & abstinens erat, vt ab omni prorsus vino sibi temperans, solo pane hordeaceo, & leguminibus victitaret. Cum vero jam præ ætate imbecillior, Episcoporũ suasu consilioque, vt vires suas naturales restauraret, ad solitum cibum paululum lactis & pisciculorum adderet, non ante ex ijs gustabat, quam oculis in cœlum sublatis, vbertim lachrymaretur.

Ruth. 3.

S. Genouefa omnibus dotata virtutibus.

Illius abstinentia.

Secundo, si pro miraculis nomen virtutis adhibeas, videbis & hoc in illam quadrare: nam & viuens & mortua infinitis miraculis claruit. Cum enim adhuc inter mortales ageret, matri cæcæ vsum oculorum precibus resti-

restituit; à duodecim energumenis terra stupente & inferis, dæmonem expulit, puerum in puteo submersum vitę reddidit: Parisios ab insultu & moliminibus Regis cuiusdam de numero illorum, qui regnum vniuersum inuadere parabant, inuocata liberauit: denique Sequanam æstuantem & exundantem refrenauit, intraque solitos fluendi limites redegit: hoc namque flumen ripas transcendens vicinos deuastabat agros, & eluuionem vniuersalem minabatur. Mortua vero longe plura & maiora patrauit; quorum commemoratione nesim longior, vnum quod omnium sit loco, commemorabo, Ardentium scilicet curationem, quam ob causam etiamnum inuocatur; quod sane miraculum tantum est, vix vt sciam an Sanctorum quisquam maius vnquam patrarit. Hoc porro modo res accidit: Anno millesimo centesimo nono ignotum quoddam medicis morbi genus passim vagabatur, sed quod *Ignem sacrum* vulgus vocitabat. Cum ars humanaque in illis medela satisceret industria, ad superos visum fuit cõfugere, & ad hanc imprimis virginem, quæ patriam & natale solum cõmiserata & amans, precibus apud Deum obtinuit, mali vt finis esset, quin etiam centum, qui eodem correpti, eius opem inuocarant, vna vice sanitati reddidit. Adeo vt vere & honeste vsurpare illud Psalmistæ sancta hæc virgo queat, *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutẽ*: id est, virtutum mearum decus & pulchritudinem miraculorum virtute condecorasti.

Ardentium medela.

Psal. 29.

Tertio, si virtute robur & potentiam denotari velis, vix vllum vmquam sanctum aut sanctam jam cœlo regnantem tantum habuisse aut promeruisse virtutis crediderim. hanc ob causam voluit Deus, vt pulcherrimę simul & nobilissimæ toto orbe vrbis, Parisiorum inquam, Galliarum metropolis, & omnium forsitan vrbium principis & dominæ, patrona & protectrix foret.

Parisiorum elogium.

Hæc namque Regum sedes, Christianitatis omnis arx, Religionis fulcrum, Musarum Parnassus, scientiarum Academia, virtutum theatrum, omnis elegantię aula, consiliorum oraculum, infidelium terror, exterorum stupor, mundi oraculum, denique paradisus quidam terrestris: cuius sancta Genouefa, velut altera Iudith Bethuliæ, & noua quædam Esther totius Iudææ, curam gerit.

V.

Potentissimæ ergo vrbis huius conseruatio & duratio sanctę huius Virginis meritis & protectioni inprimis adscribenda est. Quo enim res prouehuntur longius, quo magis senescunt, & steterunt diutius etiam vrbes & oppida, eo in maiori lapsus versantur periculo; & ruinæ sunt propiores, quodque præsertim uentur, & in statu pristino ac vigore permaneant, nonnisi cœlesti singularique fauori, & opi Diuinę, Sanctorumq; adscribendum est; in quibus, & per quos semper se admirabilem reddere consueuit: Scriptum est enim, *Mirabilis Deus in sanctis suis*. Nulla porro vrbs Lutetia antiquior (Veterum monumenta Scriptorum per me euoluatis licet) nullæ quę stetit diutius, omnes namque quæ pulchritudine, magnitudine, fortitudine, opulentia, nomine celebres toto orbe sunt vrbes, & nomen habent, antiquitate huic cedãt oportet. Troia, inquam, Babylon, Roma, Cõstantinopolis, Niniue, Tyrus, Hierosolyma, Lacedæmon, Athenæ, aliæque innumeræ. Nisi enim Annalium, historiarumq; vacillet fides, scripto proditum est, Lutetiam octingentis & triginta ante Christi in orbem aduentum annis fundatam esse; id est, bis mille quadringentis annis stetisse & viguisse, quæ conseruatio vti antiqua est, ita & prodigiosam fuisse fatendum est.

Parisiorum cõseruatio S. Genouefæ precibus debetur.

Psal. 67.

Lutetię antiquitas.

Fatendum inquam, & quidem iure meritissimo, Deo primum, deinde Sanctis eius, & cumprimis sanctæ Genouefæ eam adscribendam. Certissimum siquidem est, Sanctos jam glorioſos, esse velut columnas, bases & fundamina prima, quibus orbis vniuersus, regna omnia, & vrbes sigillatim innituntur. Exemplo sit iustus Loth, quo Sodomis egresso vrbs illa confestim igne cœlesti deflagrauit: quæ iusto in eadem agente velut columna & fulcro florebat & stabat. Hem Lotho antiquior Noe, quo terram deserente & arcam ingrediente, illico diluuium per vniuersam terræ faciem inundauit. Ita & filiis Israel Ægypto egredientibus, mox Ægyptus ex par-

Sancti sunt bases vrbiũ, & regnorũ.

Gen. 19.

Gen. 6.

te perijt. Hinc manifestum est, Sanctos velut rupes quasdam moueri nescias, & columnas esse æreas, aut potius Atlantum instar, fauoris sui & intercessionis humeris vrbes, respublicas, regna, & terræ imperia sustentare, vti sancta Genouefa Parisiorum, qui velut integra quædam prouincia, & paruus quidam in Gallia paradisus est.

Quam vero vos beati, Parisienses, talem patronam nacti? quanta vestra felicitas, tam admirabilis virginis in tutela & protectione versantium?

Vt taceam, quantum ob conseruationem vestram in genere illi debeatis, quãtum profecto illi ob alia beneficia particularia debetis? Murorum vestrorum defensio, ægrorum medela, rerum prosperitas, armorum finis, religionis integritas, hæresum exstirpatio, & publicæ pacis bonum, cui potissimum post Deum, nisi vnicæ sanctæ Genouefæ adscribenda sunt?

Apud Isaiam Hierosolymæ ostendens Deus, quam singularem illius conseruationis curam gereret, & quam proinde vicissim illi gratitudinem deberet, hoc eam modo est allocutus, *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Idipsum de vrbe vestra cogitate Parisienses, & credite, eumdem Deum, vt incredibilem, quam vestri curam gerit, testatam faciat, super muros vestros tot constituisse Sanctos velut excubitores & vigiles, qui die ac nocte non cessant, nec vmquam cessabunt pro commodis vestris excubare, & saluti animarum vestrarum inuigilare, S. Marcellum inquam, S. Eligium, S. Maglorium, S. Germanum, & S. Genouefam inprimis. Quid enim aliud hi sunt, quam fideles à manu Dei ad vrbis vestræ conseruationem, & animarum vestrarum salutem collocatæ excubiæ? Quantũ sane beatis illis debetis, & præ cæteris sanctissimæ huic virgini? quo eam honore afficere; quantopere erga illam affici, quam vos felices credere, qui plenum, nec imminutum sanctarum reliquiarum eius thesaurum in vrbe vestra habetis?

Isa. 62.

An non reuera meritoque; sanctissima Virgo, omnis tibi honor, cultus, & reuerentia debetur? Et quod olim Ioachim summus sacerdos, cum omnibus Leuitis, qui Bethuliam venerant, ad Iudithæ laudem & gloriam dixit, *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, &c. & ideo eris benedicta in æternum*; hoc ipsum tibi beatissima Genouefa, omnis diœcesios huius clerus occinere, inque gloriam tuam repetere debet, *Tu gloria Lutetiæ, tu lætitia Galliæ, tu honorificentia populi tui, confortatum est cor tuum*: virginitatem dilexisti, ac propterea in perpetuas generationes celebraberis, omnis te terrarum orbis benedictionibus cumulabit, & Gallia nostra perpetuis te laudibus celebrabit. Tu, inquam, vere Lutetiæ nostræ gloria; nam inter omnes Sanctos Sanctasque cœli gloria donatos, te potissimum rerum suarum patronam, naui suę helicen, in consiliis oraculum, in aduersis propugnaculum, in persecutionibus asylum, in omnibus necessitatibus refugium delegit. Tu Galliæ jubilus & exultatio: omne siquidem regnum non minus sanctitatis tuæ nomine & fama gaudet & plaudit, quam origine & natiuitate gloriatur: hinc potentissimi eius Reges te semper coluerunt, principes & proceres admirati, & plebs vniuersa & omnium ordinũ status particulari te cultu prosecuti sunt. Perge ergo, sancta, beata, & admirabilis, Virgo, fauores tuos & dona effundere, & da, vt intercessionis tuæ sentiamus effectum, tum in Vrbe hac Parisiensi, tum in regno vniuerso, & omni omnino populo, qui noctu diuq; ad te vota orationesque dirigit, teq; non minus hic in terra colit, quam in suprema beatitudine Deus glorificat: ad quam nos Deus Pater, Filius & Spiritus S. perducat,

Amen.

Iudith. 15.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Partitio.

1. *De regia maiestate.*
2. *De Magorum appellatione.*
3. *De eorum aduentu & conuersione.*
4. *De nati admirabilitate.*
5. *De nato à Magis adorato.*
6. *De nato muneribus honorato.*

Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt, Matthæi 2.

EIGVRA.

1. *Reg.* 10. POtentissimus Regum Salomon mox vt ad Regnum Israel euectus fuit, Regina Saba, ac varij ad eum Reges exteris regionibus profecti, salutatum, regiamque dignitatem gratulatum venere, & regiis eum muneribus cumularunt, fuit hoc figura mysterij, quod hodie nobis recolendum proponit Ecclesia. Vix enim verus Salomon Christus natus erat, ad totius orbis monarchiam à Patre æterno destinatus, quin statim ipsa Gentilitas, omnium idololatrarum Regina, & tres exteri Principes stellæ ductu, extremo Oriente excita ad eum adorandum Ierosolymam venerint, aurum, thus & myrrham, munera profecto regia, secum ferentes, quæ in grati animi ac venerationis signum offerunt. Est hoc subiectum vere regium, hodie quoque sunt regalia, in quibus clamandum est, viuat Rex, Regem quippe natum, alij Reges adoratum veniunt, sed Regum Regem, & Regibus omnium imperantem. Vt igitur regie hoc subiectum deducamus, ad Virginem Mariam Reginam Matrem, inuocato prius paracliti spiritus auxilio, opem postulaturi confugiamus, eamque obtestemur, fauorem suum regnum nobis vt demonstret, atq; ideo salutationem illi Angelicam offeramus,

AVE MARIA.

I.

Disceptarunt olim inter se tres Persici Satrapæ, quid ex omnibus mundi rebus fortissimum foret: cum alij alia afferrent, tertius ait fortitudinem Regis cæteris præcellere, cuius & auctoritas & potestas sit infinita, & ad cuius nutum omnia contremiscant. Et sane dum attentius sententiam huius perpendo, non multum à veritate mihi visus est aberrasse: nihil enim est, quod maiorem potentiam, aut fortitudinem præ se ferat, quam maiestas regia, adeo vt quicumque de regibus locuti sunt, non secus ac de mundi columnis, naturæ basibus, solibus terræ, cœli filijs, Dei vicarijs, diuinæq; maiestatis hoc in mundo imaginibus locuti videantur. 1. *Esth.* 3.

Imprimis Plato, ille ab omni adulatione alienus, & solius veritatis studiosus, diuinum quid in regibus eluceseere, atque eos nonnisi Deos humano in corpore ambulantes esse asserere non erubuit. Verba eius sunt hæc, *Rex Deus quispiam humanus est*: Plutarchus tantus in historijs, quantus alter in Philosophicis, non minus Regibus elogium tribuit, *Princeps simulachrum est Dei administrantis vniuersa.* *Lib. de doct. Princip.* *Plutarc. in vita Themistoclis.*

Post duumuiros hos rei litterariæ, prodeat Artabanus magnus ille Dux Persarum, qui idipsum coram Rege Xerxe & Themistocle Athenis in Persidem profugo confirmauit, hac apud eum oratione vsus: Honori Persis erit Themistocles, te apud se habere, te, inquam, qui tantum tibi nomen re bellica & armis peperisti. Sed scias velim, nos hic Græcorum more non viuere, qui Democratiam amant regna exosi: sed qui Monarchiam probamus, Regem nostrum ex animo ac magno affectu amantes, eumque vt imaginem Dei viuentis, omnia in hoc inferiori mundo gubernantes suspicientes.

Et sane Reges natiuæ ac veræ diuinitatis imagines ac simulacra sunt: nam vt Deus Esse quoddam perfectum, atque omnibus numeris absolutum est, ita Reges ad exemplum prototypi perfectissimos & ab omni animi contagio immunes esse oportet. Hinc forsitan Alexander Macedo edicto vetuit, *ne quis se prater Apellem pingeret, aut alius Lysippo du-* *Pet. Crini. lib. 16. c. 1.*

po duceret ære: (quem alij Pyrgotelem nuncupant) quorum ille in pictoria, hic in statuaria arte excelleret. Indignum scilicet putabat ac regiæ maiestati indecorum, vt ipse Rex aliquid se indignum in imagine præ se ferret, quod imperita forsitan manus vitium commisisset.

Reges Olympo mõti comparati.

Hæc fortasse fuit ratio, cur Principes aut Reges mundi Olympo similes quidam esse dixerint: qui cum præ altitudine ab omni impressione meteorologica immunis sit, nullis agitatur turbinibus, nullis impeditur fulminibus, aut procellis exagitatur, quod ita probari aiunt. Spargantur in eius cacumine cineres, in iisque characteres efformentur, ad finem anni si redieris, easdem notas inuenies, quippe quas nullus disperserit ventus, aut procella loco mouerit. Ad eundem modum & Reges, qui tantum reliquis hominib. auctoritate, quantum Olympus montibus altitudine præeminet, quorum animæ tranquillæ sint oportet, iudicia matura, affectus sine affectu, procul ab omni humanarum perturbationum turbine semoti, atque hoc demum est diuinitatem in humana natura quam proxime imitari.

Equidem addo, Reges, Dei in terra imagines appellari, nam vt omnipotens iustitia & misericordia cœlum & vniuersam hãc mundi machinam moderatur, vnde epinicium illud ei cecinit vates: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi* ita & Reges easdem dotes, quibus subditos regant, præferant, necesse est. Designauit hoc aperte in Prouerb. Salomon, varia coaceruans animalia, è quibus boni Principis naturam colligat: *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter, leo fortissimus bestiarum, gallus succinctus lumbos, & aries, & Rex, nec est qui resistat ei.* Ille siquidem Rex prorsus admirabilis ac propemodum Deus quidam in hoc mundo dicendus est, qui iustitia leo, misericordia agnus, sollicitudine & vigilantia gallus est.

Prou.30.

Hinc Ægyptiorum Reges sceptrum gestabant, cuius summitati caput ciconiæ, clementiæ symbolum, extremitati hippopotami iustitiæ nota, adiunctum erat, quod sceptrum Osiris Rex semper tenuit. Innuere scilicet volebant, Reges qui summi DEI, iustitia & clementia cuncta moderantis, simulacra & imagines sunt, velut eiusdem vicarios, in subditos & seueros, & benignos esse debere.

Cassius, qui cum coniuratis Cæsarem interfecerat, quod patriam libertatem perditum iret, cæde peracta nummos signauit viola & gladio inter ramos oliuarum interposito. Viola Rempublic. gladius iustitiam, & oliua clementiam, quibus ipsa velut vinculo quodam continebatur, designabat, adeo vt qui sine his dominari, aut Rempubl. regere vellet, non Rex aut consul, sed tyrannus & prædo dicendus foret. Vtraq; enim virtus ad Reip. administrationem cumprimis necessaria est, ipsaque iustitia sine misericordia nonnisi mera crudelitas & tyrannis, & misericordia socia altera destituta nonnisi fatuitas ac stoliditas iuxta Chrysostomum dicenda: ambæ igitur coniungi ac connecti debent, ac præsertim in Rege ac Principe.

Cassij symbolum post mortem Cæsaris.

Hinc Dominus olim summum Sacerdotem, qui in suo ministerio non secus ac Rex quidam præsidet, primo oleo sacro voluit inungi, deinde sanguine conspergi, oleum hoc misericordiæ, sanguis iustitiæ signum erat. Quin & populo Regem postulante, suscitauit Dominus Aod, qui erat ambidexter: quo facto innuere voluit, eum qui à Domino ad populi regimen deligitur, ambidextrum esse debere, tam iustitia, quam misericordia instructum: alioqui si alterutrum desit, mancus ille dicendus est.

Exod.2.9.

Iud.3.

Quid enim denotasse putatis Cherubinum illũ, quem Ezechiel Propheta vidit, qui hinc humanam, illinc leoninam faciem habebat? aliud nihil, quam naturam Regum & Principum, qui instar Cherubini huius, aliquando faciem hominis ad benignitatem & clementiam erga subditos demonstrandam: aliquãdo leonis assumere debent, quo iustitiæ se tenaces & obseruantes demonstrent, ad improborum delicta, flagitiaque digno supplicio castiganda.

Ezech.3.

Reges à Deo stabiliti.

Verum Reges non modo Dei imagines

nes sunt, in vasto mundi huius theatro erectæ, sed ipsius etiam manibus efformatæ, qui nempe ab eo omnem quam in subditos habent potestatem accepere. Ita namque de iisdem Scriptura ait, *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*, perinde ac si dixisset: Obedite regibus, honorem & fidelitatem ijs exhibete, ego enim eosdem stabiliui, ego sceptrum ijs in manus tradidi, ego denique, qui diadema capiti eorum imposui. Agnoscit hoc ipsum pius ille Rex Dauid, & in grati animi signum ait, *Ego autem sum constitutus Rex ab eo super montem sanctum eius*. Et quoniam hoc ad Christum etiam referri potest, aliud in Psalm. 4. habet, quod nonnisi de se intelligi potest: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*.

Prou. 8.

Psal. 2.

Psal. 4.

M. Aurelij numisma.

Marcus Aurelius Imperator Romanorum hoc ipsum intellexit, hinc numisma cudit, in quo aquilam, quæ sceptrum è manibus Iouis vnco raperet, Imperatorique traderet, efformauit: quo emblemate designauit, non ambitione se aut malis artibus ad Imperium peruenisse, sed diuina clementia & indulgentia præesse, ab ipsis inquam dijs, non vero hominibus, diadema & sceptrum accepisse.

Lepida de rege quodã Siciliæ historia.

Rex quidem Siciliæ, aut Lusitaniæ, non enim rite recordor, Ioannes nomine, cum subditos in se videret insurrexisse, mutauit vexillorum elogia, iisque, quo se cœlitus electum & stabilitum scirent, atque vt verum Regem reciperent, verba illa Euangelij inscripsit, *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*: quod cum rebelles legissent, suis è contra inscripsere, *In propria venit, & sui eum non receperunt*.

Ioan. 1.

Hæc in gratiam Regum dicta sunto, ecce n. vt tres hodie Reges ex Oriente ad Regum Regem adorandum properent, quorum iter & profectionem Matthæus describit, dicens: *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis: Ecce Magi ab Oriente venerũt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*.

Vt hanc vobis ipse hodie graphice depingam, primo dicam, quomodo è longinquis regionibus profecti sint, ac deinde, quomodo Regem natum adorauerint: atque ita cõcionem hodiernam terminabo, & vela complicabo.

II.

Cum historia huius diei habeat, Magos ab Oriente ductu stellæ venisse Bethleem, & nos inprimis illa respiciat, ad nosque pertineat, æquum est, vt quid proponat, quidve commendet, cæteris diligentius inspiciamus. Primo igitur, antequam eos Bethleem venisse, & cœlorum Regem adorasse describam, quinam fuerint, disquirere volui, quia alij alia de iisdem sentiunt, eorumq; iter diuersimode exponunt sunt enim qui eos Magos, qui Philosophos, qui Reges fuisse dicãt. Alij ex Arabia, alij ex Æthiopia, è Chaldæa alij, alij è Perside, aut India etiam nonnulli eos venisse volunt. Ab ipsis rem exigam, idque verbis Iosue, quib. Legatos Gabaonitarum allocutus est, *Quinam estis vos, aut vnde venistis?* è Perside aut Arabia? Philosophine, an vero Reges estis?

Ioſ. 19.

Opinio quorũdam Reges hos incantatores fuisse.

Et sane res difficilis est: plurimi namque summæ auctoritatis viri, à veritate deuiantes, & sententiæ cuidam exoticæ inhærentes, hos nonnisi sortilegos, Astrologos, & veneficos fuisse, inter quos fuit magnus Augustinus, qui in 2. de Epiphania homilia hoc eos nomine appellauit, audiamus eius verba: *Prævalet imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegiis magorum*. Et ante eum Origenes, qui contra Celsum scribens, ait, Philosophos hos & astrologos, cum insolitam & nouam hanc stellam vidissent, sortes consuluisse, & incantationss adhibuisse, quo scirent, quidnam astrum hoc portenderet: cumque cernerent, dæmones, Christo prædominante, obmutuisse, statim coniecisse, vt reuera erat, hunc quem stella designabat, dæmonibus longe superiorem, & fortiorem esse, hincque proposuisse eumdem inuestigare, & quocumque tandem orbis in angulo latitaret, indagare. Idem omnino habet in hom. 13. super Numeros. Horum sententiam plurimi alij magni nominis Doctores secuti sunt, vt in primis Basilius, homilia de generatione Christi Iesu, Iustinus Martyr contra Tryphonem, Sanctus Ignatius Martyr epistola 15. ad Ephesios,

sios, atque alij innumeri, quos recenset Angelicus meus Doctor Thomas. Abduxit hos in deuiam hanc sententiam Magiæ nomen, quæ apud Romanos legibus interdicta erat, ac grauissimis castigabatur supplicijs.

Magi vere Reges fuerc.

Verum non placet mihi hæc sententia, & quamuis multum antiquitati tribuam, hic tamen ab eadem discrepabo, & contrarias partes sequar, dicendo, tres hosce Magos vere Reges exstitisse, non quidem è Persarum Monarchis, quales Cyrus, Darius, Alexander, sed Regulos ac Principes ciuitatum suarum, qualis forsitan fuit Regulus ille, de quo Ioannis quarto, ac tres illi amici Iob, qui eum in ærumnis & afflictionib consolatum venerant, qui in Tobiæ historia Reges appellantur.

Tob 2.

Plurimi huic opinioni Patres adstipulantur, vt imprimis Tertullianus libr. 3. contra Iudæos, cap. 9. Isidorus lib. de passione Domini, Leo Papa, S. Hieronymus, Athanasius, Cyprianus, Chrysostomus, Hilarius, Anselmus, Theophylactus, & ipse Augustinus, qui agnito errore; principes eos ad fratres in eremo scribendo, appellare non dubitauit, *audistis sanctissimos Reges Dominum diligenter quæsiuisse*. Accedit huc & sacræ Scripturæ auctoritas, ac præsertim Dauidis vaticinium, *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent* & Isaiæ: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui* Huc quoque coniecturæ, eæque certissimæ faciunt. Primo, quod ex Oriente venerint, idque itinere adeo longo & difficili, & tantis quidem impensis, quibus pannosi Philosophi non sufficiant. Secundo, quod nouum Regem visitauerint, quod solis Regibus dictum. Tertio, quod thesauros habuerint, quod apud Magos, & Astrologos, & Prognosticos vix in vsu. Quarto, quod Herodes eos in carcerem non coniecerit, aut ad mortem condemnarit, cum alium in regno illius præter se quærerent Regem. Quinto, quod Herodes Rex Israel eos vt Reges agnouerit, & cum ijs velut sui similibus locutus fuerit, dicens, vt Rege inuento sibi renuntiarent, vt & ipse veniens, adoret eum. Quibus omnibus inductus dicere audeo, quamuis de fide non sit, liberum quodcumque visum fuerit credere, præsertim tot coniecturis innixus, Magos hos vere Reges, non autem aliquos de triuio exstitisse.

Psal. 71.

Isaiæ 64.

At cur Euangelista hoc eos nomine non appellat? cur regiæ huius dignitatis non meminit? cur Regum eos titulo non decorauit, præsertim cum hoc in Christi gloriam redūdet? rationes variæ sunt, & quidem pulcherrimæ, quarum hæc prima est. Necesse erat, Regum Rege nato, omnes alios honoribus & titulis suis exui.

Et quemadmodum sol, pulcherrimum illud mundi astrum, diei præses, luminis totius dominus, cum mane exoritur, stellas omnes offuscat, lucemque ijs eripit. Ita quoque magnus ille iustitiæ Sol terræ nostræ horizontem conscendens, tantum splendorem edidit, vt reges & principes, mundi huius sidera lumen amiserint, ipse vero solus Rex rutilauerit, cæteris regale nomen subtricentibus.

Et quoniam solis mentio facta est, fertur Alexander Magnus bellum Persis inferens, cum Darius rex mediam ei regni partem vltro offerret, gloriæ siti æstuans respondisse: Nec duos in cœlo soles, nec duos vno in regno reges posse consistere. Ablata, quæ supernatat ambitione & inani gloria, videtur responsum hoc non insicite proposito nostro adaptari posse: Christus enim natura totius vniuersi Dominus & Monarcha, in hoc mundo nascens, omnes coniuales & competitores tituli huius exclusit, cumque regia maiestas in ipso solo comprehenderetur, nemo hoc præter illum nomine in terra dignus extitit. Sol quippe & regnum non patiuntur parem.

Atque hunc in Apocalypsi sua Ioannes vidisse se ait 24. seniores, coronatos ante thronum agni stantes, procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mitrebant coronas ante thronum, dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem.* Præsignabat aut potius designabat, quod in natiuitate filij Dei, agni illius immacu-

Apoc. 4.

maculati contigerat, qui vt magnificum Bethleemitici præsepij thronum conscendit; omnes mox seniores, id est, mundi reges; maiestatis se suæ pudentes, & coronas deponentes, atque ad pedes agni abijcientes, eum velut verum & summum Monarcham adoratum venere. Ita namque id prædixerat Isaias: *Et erunt reges nutritij tui, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulueremdum tuorum lingent* & Psalmista: *In conuertendo populos in vnum, & reges, vt seruiant Domino.*

Isai. 49.

Psal. 110.

Orosius. Augustus, audito, cœlestem hunc Regem natum edicto vetuit, ne quis Domini nomen assumeret. An non hinc diuina mirabiliter prouidentia elucet? vt nimirum illo nato, in cuius humanitatis femore scriptum est, Rex regum, & Dominus dominantium, nemo eũdem sibi titulum arrogaret: atque hoc lex Augusti Cæsar respiciebat. Hinc igitur factum est, vt Euangelium de his agẽs Principibus regio eos nomine appellari noluerit, sed potius indigniori Magorum. Hæc quidem prima, iam secundam rationem proferam.

II. Lib. 1. de diuin. Appellati sunt Magi, non vero Reges, non quod essent incantatores aut maleficijs infames, sed docti ac sapientes: atque ita interpretatur verbum, *Magi*, Anselmus: *Non malefici*, inquit, *sed sapientes astrologi fuerunt* Verum quod in Chaldæa & Persida soli Magi ad regnum promouerentur. Quod duorum testimonijs confirmabo, Gentilis & Christiani. Cicero primus sit, *In Persis augurantur & diuinant Magi, nec quispiam rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam, scientiamque perceperit.* Hieronymus alter, qui in 2. Dan. hæc verba scripsit: *Magi apud gentem suam, sicut Philosophi Chaldæorum, & ad artus huius scientiam, Reges quoq; & Principes eiusdem gentis omnia faciunt, vnde & in natiuitate Domini Saluatoris ipsi primum eius ortum intellexerunt, & venientes in sanctum Bethleem, adorauerunt puerum stella desuper ostendente.*

Sap. 6. Sap. 17. Tertia, vel quod nomen sapientiæ nobilius sit regno & sceptris: quod Salomon confirmat, dicens: *Melior est Sapientia, quam vires.* Item alibi: *Præposui illam regnis & sedibus, &*

diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. vel quod satius sit sapientem, quam regem dici; per sapientiam enim reges regnant; vnde ipsa de se ait: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ob hanc quoque rationem in Euangelio dictum est: *Simile est regnum cœlorum homini regi*, vbi *homini* præponitur *regi*, prius enim quam dicaris, hominẽ & virum te monstres necesse est, ergo magis Sapientem quam Principem? Magi igitur nostri vere reges fuere.

Prou. 6. Matt 22.

III. Vnde Magi venerint. Verum vnde venere? quo ex orbis anguloʔ climate, ex quo mundi cardine? Chrysost. eos è Persida venisse existimat, idque verbis poetæ inductus:

Ille peres Persas magus est, qui sidera nouit,
Qui sciat herbarum vires cultumque Deorum.

Hm. 7. in Matth.

Econtra Iustinus Philosophus & S. Cyprianus putant ex Arabia eos profectos: idque verba scripturæ innuere videntur: *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Chrysologus & D. Maximus è Chaldæa descendisse volunt. Annales deniq; & historiæ Indicæ, cum de regno Calecut agunt, ex India eosdem venisse tradũt. Verum verior, & magis vulgata opinio est, è Persida profectos, tum propter nomen Magorum, quod apud Persas in vsu est, tum vero quod Euangelista dicat eos ex Oriẽte venisse: Persis enim media inter Orientem & Austrum sita, ad Orientem tamen pertinere dicitur.

Quo tempore Magi Bethleem venerint. Iam disquirendum restat, quonam tempore venerint. Epiphanius & alij nonnulli existimarunt, nonnisi post biennium à Christi natiuitate eos in Bethleem venisse, his scilicet inducti rationibus: prima, quod Herodes omnes paruulos occidi iussit *à bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis.* ergo inquiunt, iam duos effluxisse annos à nato Christo, & ex quo se in viam dedere, à Magis acceperat. Secunda, ipsa Purificationis die paruulum, vt paupercula, Deipara obtulit. Vnde manifestum putant, nondum appulisse reges, qui autem Christo nato obtulerant, quo illa paupertati suæ mederi potuisset. Tertia, venerunt ex Oriente, necesse igitur est fuisse longum

ac difficile, & plurimos in ipsum menses insumptos.

Sed futiles hæ rationes, quæ si cum veritate componantur, facile cedant robur illius pati nesciæ. prima quidem si examinetur, in fumum euanesceret, cum enim Euangelista ait, tyrannum infanticidium iussisse à bimatu & infra, sciendum est id ad maiorem cautelam ab eo factum, vt tanto melius quod intendebat consequeretur. Item secunda. Cum enim sanctissima virgo paupertatis iam inde à primis annis fuisset studiosissima, pauperum semper vitam consectata est: imo crediderim eam statim ac munera filio oblata accepit, in pauperes illa distribuisse; quamquam alij putent eadem in septenni Ægyptio exilio vsu venisse. Tertia vero nihil cum veritate commune habet: neque enim tantum interuallum locorum est, vt duos in itinere annos consumi oportuerit: cum tanto totus circuiri orbis spatio queat. Quin & nostra ætate Magellanes, magnus ille Vlysses, vix duorum annorum spatio totum orbem, vtrumque lustrans polum, quamuis variis in locis adhuc moras traxerit, circumnauigauit.

Alij cum prioris opinionis absurditatem vidissent, docuere, Reges hos tam sero quidem in Bethleem non venisse, sed biennio ante Natiuitatem Christi è patria profectos. Hos inter fuit auctor operis imperfecti, cui succenturiatus videtur & August. Hom. 7. de Epiphan. Alii autem opinati sunt, stellam quidem biennio ante illis apparuisse, sed iter tamen eos distulisse: eo quod stellæ huius exortum curiosius indagare propositum haberent, scire prius cupientes quid portenderet, quis illius horoscopus esset, quam iter hoc longum instituerent. Sed nullus eorum mihi veritatis scopum visus est antigisse. *Homil. 7.*

Reges non nisi post Christum natum è patria discessere.

At verior sententia quamque Ecclesia cum suis sequitur, est, hos Reges ante natum Christum regnis non excessisse, sed illo nato, stellam quamprimum apparuisse, quæ natiuitatem illius indicaret, ac tum, primum illos in viam se dedisse, illaque duce tertiodecimo post Christum natum die in Bethleem venisse, adeo vt vix nouem aut decem dies in iter hoc insumpserint. Credibile namque est, non eadem illos quæ stellam videre die, viæ se commisisse, cum ea quæ ad profectionem necessaria forent, prius essent comparanda: hæserunt deinde aliquot dies Hierosolymis, quo Herodem alloquerentur, & à Scribis & Sacerdotibus de nato Rege inquirerent. Quæ omnia si simul conferantur: dicere oportebit, nouem illos aut ad summum decem dies in itinere hæsisse, quod & verisimile videtur: primo, cum non ab extremis Persidis finibus, sed proximis venerint, adeo vt nonnisi ducentorum milliariorum iter ad summum esse potuerit. perinde cum camelis & dromedarijs, cursui assuetis, insederint, qui quamuis grauissimas sarcinas humeris gestēt, quadraginta tamen millia passuum in diem conficiunt.

Adhæc, vt reliquorum opiniones vna fidelia inducantur, dicendum videtur, Deiparam ac Ioseph̃um non nisi quadraginta in Bethleem dies, donec Purificationis, quę quadragesimo, iuxta legis præscriptum, die peragebatur, dies aduenisset, mansisse, ac deinde Hierosolymam, *vt sisterent eum Domino*, vti Lucas ait, properasse. Atqui ex Euangelio colligi potest. Iesum in Bethleem à Magis adoratum. Certissimum igitur est, ante quadragesimum à natiuitate diem ipsos aduenisse. Accedit huc, quod nimis absurdum videatur dicere, post duos primum annos illos appulisse, cum Iesus Iudæa tunc exularet, & in Ægyptum iam dudum secessisset. Ipsi tamen in Bethleem, & quidem recens natum, cum in præsepio adhuc iaceret, eum inuenerunt. Imo videtur Euangelista innuere vix Iesum natum fuisse, quin statim Magi cum suis aduolauerint. *Ecce Magi ab Oriente.* *Leuit. 12.*

Hoc namque aduerbium admirandi, sensum illum, sicut & alibi alios, videtur includere: vix enim vnquam in sacris litteris vsurpatur, quin noui semper aliquid innuat. Hic enim cum ponitur, *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, denotat miracula, prodigia, paradoxa, res nouas & inusitatas, quod Reges Christum adoratum veniant. Est enim mirum & prodigio quodammodo simile, Reges

Reges difficillime conuertuntur à peccatis.

ges ad Christum conuerti, eorumque pietas & religio vere admiranda est. Primo quod ingentia, imo maxima saxa sint, quæ cum semel solo prostrata fuerint, resurgere & erigi nequeunt. Atque vel elephas animalium Rex cum semel ad terram conciderit, sese in pedes erigere non potest; ita de Regibus mundi huius sentiendum est, illos, dum in peccatorum voraginem prolapsi sunt, non sine singulari miraculo posse resurgere. O casum metuendum & fugiendum, resurrectionem vero suspiciendam ac penitus admirabilem!

Et veluti orbis Saturnius, omnium planetarum summus & maximus, omnium se mouet lentissime, adeo vt aliquot annorum millia in cursu conficiendo insumat; orbis vero Lunaris, qui omnium minimus & infimus, nouem & viginti diebus cursum suum peragit: sic de motu spirituali, conuersione inquam animarum etiam sentiendum; popularium scilicet conuersionem celerrime & quasi in puncto & momento fieri, at Magnatum, ac præsertim Regum, ac Principum, nonnisi summa cum difficultate, magnis laboribus & sudoribus. Quare cum huiusmodi ad Dominum conuertuntur, *Ecce* velut admirantes vsurpare possum⁹, vt hic Euangelista, *Ecce Magi ab Oriente venerunt*.

Secundo, Regum conuersio admiranda ac magnifacienda est, quod ad eorum imitationem & cæteri conuertantur, subditique vt plurimum ad mores principum sese componant.

Testis sit Rex ille Niniuitarum, qui cum ad Ionæ prædicationem peccata agnosceret, pœnitentiam ageret, vitam in melius commutaret; subditi eamdem mox viam vitæq; rationem inierunt. Omnes quippe Regum & Magnatum exemplum sequuntur. Quin & in corporibus illud cælestib. fieri videmus, primo namque mobili sese mouente, omnes alij orbes & corpora mouentur, idemq; stadium decurrunt. Rex inter homines velut primum mobile dicendus est, qui in quam se dederit viã, regnum mox vniuersum & subditi eamdem, velut manu ducti, ingrediuntur. vnde Poeta, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*.

Prodigium est igitur, videre hodie ex Oriente venientes reges, qui Christum in stabulo quærant & proni adorent. Ecce vero & aliud miraculum longe admirabilius. Hi nãque Reges, Gentiles & idololatræ vocationem Gentium ad Euangelium, quæ toties à Prophetis præsignata fuit, designant. Vidit enim Ezechiel splendidum templum, quod ab Ortu ingentem habebat portam, quę semper patens erat; quo viso denotabatur, Christi Ecclesiam, cuius hoc templum ab ortu patens imago & figura erat, aliquando Gentes ad se admissuram. Hinc hodie tres illi Magi, ostio ab Oriente reserato eamdem ingrediuntur, ait enim Euangelista, *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Vocationis gentium signum fuit aduentus Magorum. Ezech. 40.

Et quoniam templi mentio incidit, legere in Sacris libris memini, lapides & saxa, è quibus sumptuosum illud ac magnificum templum Salomonis constructum erat, Iudææ fodinis educta, sed ligna & trabes ac cætera ligna, monte Libano, qui haud procul à Sidonijs & Tyris idololatris distabat, fuisse aduecta. Quo denotabatur, Ecclesiam Euangelicam è Iudæis & gentib. simul construendam, quarum hodie primitias in Bethleem cernimus: *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. 3. Reg. 5.

Petrus Apostolus vidit olim cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentia, & volatilia, aliaq; animalia immunda. Cum hodie reges hos idololatras, indomita & ferocientia animalia, in Persidis solitudine educata, in Ecclesiæ vas descendere video, idem omnino cernere me existimo. Erro Auditores, erro, non est hoc amplius figura, sed res ipsa. Hodie quoq; celebres illæ nuptiæ, quib. Christus Ecclesiam sibi in coniugem copulat, peraguntur, quando nimirum per omnes mundi incolas ad hasce nuptias inuitent, ne dicam compellant. Stella noua legationem obiit in oriente ad conuocandos Reges, Angeli in Iudæa ad inuitandos Pastores, Principes in ci- Act. 10.

uitate Ieroſolymitana ad admonendum Herodem, quo ſe ad haſce nuptias præpararent.

Dixi hodie celebres & regales illas nuptias celebrari, & iterum dico, & verum dico; adſunt enim legati à parte ſponſæ, qui ex Oriente venere, qui conuenta & conditiones matrimonij confirment: *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præuenit manus eius Deo.* Solent namque parentes, quum nuptias filijs ſuis aut filiabus, quæ tamen non vſque adeo æquales ſunt, parare & conciliare conantur, eos adhuc iuniores matrimonij vinculo ſociare, tum vt creſcente corpore creſcat & amor, tum vero ne ſponſus futuræ ſponſæ ſuæ deformitatem, næuos & vitia agnoſcens perſpectaque habens, eandem auerſetur, nexũque matrimonij periurus abrumpat. Imitatus eſt hoc Pater æternus, filium namque ſuum Eccleſiæ pauperculæ & deſertæ ſociare cupiens, quæ nullam cum illius magnitudine ſimilitudinem habebat, à primis eam incunabulis filio deſpondet, vt nimirum creſcente ætate creſceret & affectus; ne fortaſſe etiam, viſa eiuſdem turpitudine ac deformitate, ab eadem fieret alienior. Noſti, infans ſapientiſſime, tu ſapientia æterna cum ſis, ſponſæ tuæ defectus, decipi nequis aut falli, ſed amore intellectum offuſcante, & rationis te lumine priuante, agnoſcere te eoſdem fingis: & quamuis nulla inter vos ſit ſimilitudo, quamuis inquam ipſe ditiſſimus ſis, ſponſaque tua pauperrima & omnibus deſtituta; quamuis ipſe pulcherrimus & ipſa turpiſſima; matrimonium tamen contrahis, & nexum inis, oſtendiſque te hodie primis hiſce legatis, *tamquam ſponſum procedentem de thalamo ſuo.* O nuptias, exclamem igitur, feliciſſimas ac vere beatiſſimas! exclamet mecum etiam Euangeliſta: *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

Ecce Magi; ecce etiam figuræ. Vix enim Adam natus erat, quin omnia eum animalia vt dominum totius naturæ Principem agnouerint, illiuſque ſe paritura imperio promiſerint. Et ecce ſecundus Adam Chriſtus vix natus in præſepio reclinatur, quin vniuerſa animalia, bruti illi gentiles & pagani, tam qui Orientem incolebant, quam qui in Occidente commorabantur, quique vtroque ſub axe latitabant, ad eum venerint, eum adorauerint, & velut Principem agnouerint. Verum me dicere comprobabunt Euangeliſtæ verba, *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

Vix compacta erat Arca ab eximio illo Naupego Noe, quin omnia in eam animalia ſe receperint, quo à diluuij rabie præſeruarentur. Docemur hic; Sacram Eccleſiæ arcam à Noe ſecundo, Chriſto inquam, vix compactam, quin omnia animalium genera, ethnicos intelligo & cultui falſorum deorũ deditos, ad eam confugerint, diluuij procellas declinantia, damnationiſque æternæ rabiem ſubterfugientia. A ſolis ortu aliquot venientia intueor, *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

IV.

Hæc quidem Theologica ſunt & ſacra, iam è Phyſicorum quædam ſcrinijs depromam. Panthera animal illud ferociſſimum, tam iucundum odorem ſpirat, vt omnia animalia, etiam monſtroſiſſima, quotieſcunque in apertum prodit, odoris ſuauitate illecta, cauernis prodeant, eiuſque veſtigia conſectentur. Nos vero relicto quod brutale eſt, myſticum hinc ſenſum eliciamus. Chriſti Saluatoris humanitas eiuſdem omnino naturæ eſt; vix enim in apertos ſeſe naturæ humanæ campos effundit, quin ſuauiſſimo omnia odore complet, vt omnes creaturæ, etiam monſtroſiſſimæ, id eſt, peccatis quam maxime coopertæ, vitiorum antris & ſpeluncis egreſſæ, incredibili gaudio perfuſæ, eumdem quocumque ierit ſequantur; adeo, vt quod olim in Canticis ſpõſa dicere queant: *In odorem vnguentorum tuorum curremus.* Quam porro prodigioſa monſtra cauernis Orientalibus prodeunt? quales idololatriæ? quales pagani? *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

Magnes ferrum ad ſe trahere perhibetur, quocumque etiam loco inueniatur. Hinc Auguſtinus in libris de ciuitate Dei velut miraculum quoddam narrat de magnete, qui plurimos ferreos annulos catenæ innexos ad ſe trahebat. Naturæ hocce miraculum, gratiæ adaptans, dico hunc paruulum magnetis.

Psal. 6.

Psal. 18.

Gen. 3.

Gen. 6.

Cant. 1.

1. Cor. 10. gnetis modo naturam assumpsisse. Cõfirmat opinionem meam Paulus, dum ait, *Petra autem erat Christus*, sed lapis magnes, primus quẽ attraxit annulus fuit sacra illa humanitas, deinde pastores, quos montibus Iudææ pellexit, ac mox Magi, quos Oriente exciuit, vniuersus deniq; orbis, quem ad se trahet, adeo vt ingentem in Ecclesia tum ex Iudæis tum è Gentibus, eamque indissolubilem catenam confecerit: est scilicet lapis ille angularis, qui vtramq; maceriem in vnã conflauit. ex Gentilismo scilicet ac Iudaismo nonnisi vnũ cœtum constituit, *qui fecit vtraq; vnum*. Ipse quoque huc alludens olim apud Euangelistam ait, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum*. An non ingens vis sit oportet lapidis huius, quæ ex vltimo Oriente Reges exciuerit, & in Iudæam duxerit. Narrat hoc velut miraculum Euangelista, *Ecce Magi ab Oriente venerunt*.

Ioan. 12.

Ecquę pueri huius diligentia? ecquæ cura, aut potius amor? Vix enim natus est, quin legatos in vniuersum terrarum orbem destinet, quo mundum aduẽtus sui certiorem reddat. Stellæ in Orientem properant, Regesq; commonefaciunt, vt in iter sese dedant. Angeli montes petunt, pastoribusque Iudææ natum Saluatorem annuntiant. Apostoli mox per omnes mundi angulos discurrent, eumque de Messiæ aduentu certiorem reddent, si dubiteris, audite Prophetę verba: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

Psal. 18.

Isaias Propheta hoc à longe præsagiens, nomina ei imponit, quæ hanc diligentiam ac festinationem satis innuant: *Voca*, inquit, *nomen eius, Accelera, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ*: quæ postrema Septuaginta ita interpretantur: *Auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ*. quod exponens Beatus Augustin. ait; tum completum esse, quando Magi & Reges illi gentium ab Oriente venerunt, fortitudinemque Damasci ei obtulere, aurumque, id est, diuitias & spolia Samariæ attulere. Porro nomen habet, *Accelera, festina*, & merito quidem, cum ab ipsis incunabulis legatos per omnes terræ angulos emittat.

Isa. 8.

Serm. 4. de Epiph.

Quam scite huc quadrant verba illa sponsæ in Canticis, *Ecce iste venit transiliens colles*: è cœlo nimirum empyreo descendens in crystallinum, deinde in primum mobile, hinc in firmamentum, mox in septem planetarum orbes, illos transiliens peruenit in sphæras elementares, illasque prætergressus in vterum Virginis, ex vtero in stabulum & præsepe saltauit. O ecquis saltus! ecqui colles! Salit etiam vsq; in orientem, atque ideo: *Ecce Magi ab Oriente venerunt*.

Cant. 2.

Audiamus iterum loquentem sponsam: *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles, simile est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*, id est, Quanta sponsi mei diligentia est, ac festinatio? salit in montibus Patriarcharum, Regum, & Prophetarum, transcendens cœlorum colles, saliens in montibus Sion, Thabor, Caluariæ: tantaque illius festinatio, vt capreas hinnulosque cursu exæquet.

Ibid.

Caprearum & hinnulorum proprietas.

Hęc Theodoretus verba exponens, ait capream visus esse perspicacissimi: ceruum vero animalib. venenatis quam maxime aduersari, adeo vt quam primum atque editus est, serpentes, aspides, viperas ac colubros persequatur, anhelituq; suo eadem cauernis & antris educat. Dispicite hic allegoricorum sensuum indagatores, num Christus paruulus hic vere sit caprea, quanta namque in eo perspicacia? oculis quippe in orientem vsq; pertingit, queis Magos ad se pellicit; num ceruus quoq; dici possit; quippe qui jam inde ab incunabulis illos dracones, reges inquam gentiles, idololatriæ cauernis solo misericordiæ suæ spiritu exciet. Videte vt eisdem egrediantur: *Ecce Magi ab Oriente venerunt*.

Anne totum me hodie tenebis, ô E. ce? nondum tamen adhuc de te conceptus proferendi. Tres illi amici Iob, qui Tobiæ secundo reges nuncupantur, cum eum in sterquilinio vlceribus plenum sedentem conspexissent, lacrymari cœpere, oculis & manibus cœlo erectis, & admiratione nimium quantum perculsi. Et ecce tres etiam Reges Christum hodie inuisunt, quos credibile est, dum eum in præsepio

Iob. 2.

jacentem, & intra animalia vagientem, in ſumma inopia & egeſtate cernerent, perculſos ſtetiſſe, & vbertim præ commiſeratione
Pſal. 47. lacrymatos eſſe. Innuere hoc videtur Pſalmographus: *Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum: ipſi te videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt commoti ſunt, timor apprehendit eos.* Ac merito quidem admirari poterant ac percelli, cum filium Dei, Regem Regum in ſtabulo inter animalia offenderent.

4. Reg. 25. Inter omnes Dauidis Regis milites palmam & præconium tres illi merentur, qui hauſtam è ciſterna Bethleem aquam, per media hoſtium caſtra penetrantes, in ſpeluncam Odollam ſitienti illi attulerunt. At videmus hic non tres milites, ſed reges ad Dauidem noſtrum Chriſtum in ſpeluncam Bethleem venientes perfracto hoſtium, id eſt, falſorum Deorum cultus agmine, gratiæ aquam inde educere.

3. Reg. 1. Nathan Prophera cum ad Dauidem regem ingreſſus eſſet, hac eum oratione allocutus eſt, *Domine mi rex, tu dixiſti, Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meũ: Quia deſcendit hodie & immolauit boues, & pingua, &c.* Quid auditis? Dauid, vocata ad ſe Bethſabee, promiſſum quod olim fecerat, renouauit, & Salomonem filium eius, regem ac ſucceſſorem denuo deſignauit. vtque hoc foret euidentius, tres ad ſe viros vocari iuſſit, regni fulcra & robora, Sadoc, Nathan & Banaiam, qui per vniuerſos regni limites diuulgarent, non Adoniam ſed Salomonem ad paternum ſolium euehendum. quo audito Adonias, & quotquot eius partes ſequebantur, mirum in modum perculſi ſunt. Promiſerat, auditores, toties naturæ humanæ Pater æternus, ipſe quin ẽt angelus Marię filiũ illius fore regem: *Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* cumque videret Herodem, non vero Ieſum filiũ
Luc. 1. pacificum, dominari, jurauit, non illum, ſed hunc, vti promiſerat, regnaturum Atq; ideo ſtellam in Orientem deſtinat, quæ tres reges inuictiſſimos gentium omnium decora & ornamenta ad ſe vocet, qui verum Salomonem Ieſum Chriſtum adorarent, eumque per vniuerſum orbem regem eſſe promulgarẽt, muneraq; ei & xenia, vt principi ſummo ac legitimo, non vero alienigenę Herodi, afferrent. Hinc aiunt, *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Quo audito Herodes Idumæus, omniſq; eius aula perculſa eſt, *Turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo.* An non omnia exactiſſime conueniunt, & optime coincidunt? ſed addam & alia.

In Ezechiæ regis gratiam decem gradibus *Iſa. 38.* ſolis vmbram in horologio retrocedere per- *4. Reg 20.* miſit Deus: quod cum Aſtrologi Babylonij *2. Par. 3.* percepiſſent, Rexq; eorum audiuiſſet ob Ezechiam regem Iſrael hoc factum, legationẽ in Iudæam vna cum munerib. deſtinauit, quę ſimul amicitiã illius expoſceret. Arrigite aures & animum Chriſtiani, idipſum & hic contingere videbitis. In gratiam nati Ieſu idem Deus ſtellam Magis in Oriente demonſtrauit, qui cum ob Meſſiam natum eandem apparere intellexiſſent, vna cum muneribus eũ adoratum veniunt. Sed non cuncta in hac figura cum figurato ſint paria. Legati ſiquidem regis Babylonij Ezechiam in ampliſſimo ac ſplendidiſſimo palatio, auro & gazis referto repererunt, Magi vero Chriſtum in ſtabulo in ſumma egeſtate & inopia. Illis Ezechias diuitias demonſtrauit, theſauros aperuit, in ijſque gloriatus eſt; at Chriſtus his nonniſi prę-
V. ſepe, paleas & animalia oſtendit. Hiccine honor eſt, Saluator mundi, quem regali huic legationi exhibes? itane principes illos externos excipis? ſed ſiſtẽdum hic, nec profundius myſteriorum horum abyſſus penetranda. Sed jam ſatis ſuperq; primam hanc partem proſecuti ad alteram veniamus, & quomodo Principes hi Regem natum adorarint, diſpiciamus.

Multum jam itineris confecerant, & Ieroſolymam vſq; peruenerant, palatium Herodis ingrediuntur, inquirunt, *vbi eſt qui natus* *Dan. 5.* *eſt Rex Iudæorum?* Herodes turbatur, & omnis ciuitas cum illo. O rem nouam, ſed admirabilem! Paruulum in præſepio vagientem regibus, vrbibus, ipſis quin etiam regnis timorem incutere? Mirabile & prodigii ſimile videatur, digitos ad luminis vmbram apparentes regno Babylonico metum inijcere, nec non

vero

vero mirabilius est, paruulum in stabulo jacentem, in præsepio reclinatum Iudam vniuersam percellere ac turbare? Et nunc reges intelligite; si solorum digitorum tanta potentia sit ac fortitudo, quanta totius manus, quãta brachij futura est? si metuant Herodes eiusque sequaces, quid alios facere par est?

O Iudæi, ô Scribæ, ô legum Doctores & Rabini, itane tremitis & trepidatis in ædibus vestris commorantes adeo vt foras prodire non audeatis? hæccine audebitis, & puerum cum illis adorare detrectabitis? Misistis olim legatos ad Zachariæ filium in solitudinem, & ad Messiam vestrum in Bethleem nullos destinabitis? Bene dicitis, idq; iuxta Prophetas, in Bethleem eum Iuda nasci debere, nemo tamẽ vestrum credit. Similes estis Achitophe-
2. *Reg* 16. li, qui alijs quidem optime, sibi vero pessime
serm. 16. *de* consulebat. Augustinus vero fabris vos com-
diuersis. parat, qui arcam Noe compegerunt, qua ille cum suis diluuio eriperetur, ipsi vero excluderentur. O insensati & excæcati Iudæi! Ecce Magi, Philosophi, Astrologi, nudæ Prophetiæ Balaam, qui vnus è maioribus eorum fuit, *Orietur stella ex iacob*, innixi, regnum & suos deseruere, longum iter instituunt, paruulum Messiam adoratum veniunt: & vos, tot Propheticis illustrati vaticiniis & oraculis, domo vestra non egrediemini, vt vbinam locorum inueniendus sit, inquiratis?

Ecce, subierunt jam stabulum, hoc indicant stantes præ foribus cameli & dromedarij, de quibus locutus Isaias ait: *Quando fortitudo gentium venerit tibi, inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Ephra.* Ecce Mariam proni salutant, ac puerum supplices adorant, *Et intrantes, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* Non legitur Ioseph in stabulo tunc fuisse: disponente ita temporum vices sanctissimo Spiritu, ne imbecilles illi neophyti, in fide non vsq; adeo confirmati, illum vt Patrem pueri haberent. Hinc etiam colligere possumus, Beatissimam Deiparam dono linguarum à Spiritu S. donatam fuisse: quis enim hos reges excepisset, quis ijs locutus fuisset, quis intelligere, nisi illa omnium linguarum cognitione illustrata eorum idiomata intellexisset? Præsertim cum Ioseph non adesset, ipseq; paruulus elinguis & infans esset, nullumque ad manum interpretem haberent. Sed ad lineam.

Vix intrauerant stabulum Magi, quin confestim proni paruulum adorarint, omneq; illi obsequium exhibuerint, *Et procidentes adorauerunt eum* O regia humilitas ac submissio! Prædixerat hoc olim Isaias: *Erunt reges nutritij tui, vultu terræ in terram adorabunt, & puluerem pedum tuorum lingent.* ac tu Psalmista: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Quanam obsecro de causa, ô Principes tantum puero huic honorem exhibetis? cur ita vos submittitis? proni in terram caditis, aut eum adoratis? vbinam est illa diuinitas, maiestas, vbinam Angeli, vbinam miracula, quę demiremini? Illene est, quem coram Herode regem Iudæorum nominastis? Vbinam illius palatium, vbi aula, vbi corporis stipatores & laterones? vbi omnis nobilitas? vbi splẽdor & dignitas? quid hic præter stabulũ, præsepe, animalia, bouem & asinum intuemini? quam inops equile?

Isa. 49. *Psal.* 71.

Tacendum hic est ô anima, hæc quidem exterioribus, sed internis & mentis oculis sublimiora & altiora contemplantur. Sensus exterior paruulum ijs ante oculos ponit, sed fides eum depingit, vt Deum. Et quemadmodum senecio ille Isaac cæcutiens & caligans Iacob filium, licet in mentito habitu, agnouit: Ita Magi hi quamuis oculi eorum præ lippitudine gentilitatis nimium quantum caligarent, Deum tamen verum in hominum latentem habitu, & vilibus humanæ naturæ pannis coopertum agnoscunt. Similitudine quadam nota rem notiorem faciam.

Gen. 27.

Accidit interdum reges & Principes in ementito habitu per regni sui prouincias, ne à subditis agnoscantur, oberrare, vt plurimos Franciæ Reges olim factitasse historiæ monumentis proditum est: verum si penitus eorundem & agendi & loquendi rationem quis intueatur, videbit quamprimum sublimius quid sub vili illo pallio delitescere: manuum siquidem mollities nobilitatem & otium arguet, verba aulam sapient,

om-

omniſq; motus & actus regiam dignitatem, non vero mechanicam artem prę ſe ferent. Ecce ſummus ille RegumRex cum in fictitio hominum habitu per mundi huius regnum incederet, (*formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo*) naturamq; humanam aſſumpſiſſet, reges hi Eoi propius eum conſiderantes, eiuſq; manus inſpicientes, ij opera illius contemplantes, quod ſcilicet adoratur ab Angelis, ab Herode Rege timeretur, aliiſque in rebus potẽtiam ſuam declararet, ſtatim judicant, nihil hic vulgare, ſed diuina omnia ac ſupra hominum ſapientiam ſubeſſe. Deinde verba illius attendentes & loquelam illam faſcinatoriam, qua & omnes in admirationem rapere, ægris mederi, mortuos ad vitam reuocare, ac dęmonibus metum incutere debebat, cõſiderantes, quamprimum cenſent hęc omnia aulam, palatium, nobilitatem ac dignitatem regiam ſpirare.

An non meminiſtis, quam ſincere & liquide judicauerit latro ille in cruce de Chriſto, quamuis namque eum miſerum, plagis huidum, vulneribus coopertum, ſanguineos ſtillantem riuos, in crucem in medio latronum actum, morti proximum cerneret, oculos vlterius tamen ſuſtulit, adeo, vt diuinitatem ſeſe occultantem perſpexerit, magnaque animi conſtantia dixerit, *Mẽmẽto mei, dum veneris in regnum tuum.* Ecquæ illa fides fuit? at non minor Magorum extitit, quilicet nonniſi paruulum pannis inuolutum cernerent, eundem tamen vt Deum adorant, ſub illa paupertate latentem quandam maieſtatem agnoſcunt, & cum Iſaia exclamare coguntur: *Vere tu Deus abſconditus.* *Matth. 27.*

Ecquæ cum paruulo hoc verba habuiſſe eos oportuit? quos ſermones miſcuiſſe? Innuit aliquid Ieremias, dum ait, *Ad te gentes venient ab extremis terræ & dicent, Mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit*, id eſt, Araui & proaui noſtri magna in cœcitate & caligine obſcura verſati ſunt, cum vero relicto Deo, idolis immolarunt. Tu enim ſolus Deus es, tu Deorum omniũ ſummus, tu dignus, quem vniuerſa mundi huius machina adoret, qui vnus es eſſentia, & perſonis trinus. *Ierem. 16.*

Cum hæc, pedibus interea oſcula infigendo, ſtringendo, amplexando, ſalutando, adorandoque eum velut numen, proferunt, oculos circumquaque ferentes loci, in quo naſci voluit, vilitatem ac paupertatem demirãtur, atq; in admirationem rapti verba illa Dauidis, quæ pudore confuſus Nathani ait, vſurpaſſe viſi ſunt: *Videſne quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita in medio pellium?* Idem pudor Magorum ore verba eadem videtur elicuiſſe, atque huiuſmodi ſermonem efformaſſe. Æquumne videtur Domine, in ſtabulo te naſci, in præſepio reclinari, frigori & aeris inclementiæ exponi, à ſolis animalibus ſeruari, nos autem in regnis noſtris palatia ſplendidiſſima incolere, deliciis abũdare, magna nobilium cauerna circumagi? Atria noſtra trianthina ſunt, aurata ſunt, domus noſtræ aulæis conueſtitæ, tu vero ô ſumme regumRex in ſordibus volutaris, in pręſepio jaces, in palea reclinatus es, in ſtabulo commoraris. O ingens humilitas noſtram coarguens vanitatem! ô paupertas noſtras culpans diuitias! Etramus igitur, inſanimus, atq; hoc dicendo, *procidentes adorauerunt eum.* *2 Reg. 7.*

Prudens illa iuxta ac pulchra Rebecca cum pretioſis induta monilibus, cameloque vecta, futurum ſponſum Iſaac, magni Abrahę filium vidiſſet, protinus deſcendit: indignum ſcilicet arbitrata, ſe ſuperbe indutam camelo inſidere, dilectum vero ſuum peditem iter confitere. Prudentes illi Principes, qui diuitijs & auro onuſti, cameliſq; & dromedarijs inuecti patria egreſſi erant, cum paruulum Ieſum ſummi Dei filium in terra jacentem inter animalia in præſepio reclinatum cernerent, ſtatim camelis deſcendunt, indignumque cenſent, Creatorem tanta in humilitate & paupertate nudum incedere, ſe vero Creaturas tantam vanitatem, ſuperbiamque amplecti & conſectari. Quamobrem confuſi & erubeſcentes, *Procidentes adorauerunt eum.* *Gen. 24.*

At non hic eorum ſtetit humilitas, ſed poſtquam animo demiſſo eum adorarunt, *apertis theſauris, obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham*

myrrham, credibile porro est hæc eos verba muneribus adiunxisse: Cœlorum terræque Rector ac Dominator amplissime, cuius natiuitatem stella magistra didicimus; Regum omnium summe ac prime, benigno quęso oculo munuscula, quæ Vasalli Principi suo clemẽtissimo offerunt, intuere, ac grata tibi sint ea & accepta. Thus tibi velut Deo, aurum vt Regi, myrrham vt Messiæ offerunt; thus diuinitatis, aurum humanitatis, myrrha sacerdotij tui symbolum est. Quod Poeta succincte complectens ait,

Aurum, thus, myrrham, Regi, hominiq;, Deoq;
Dona ferunt.

Magi & adorant Christum & munera ei offerunt.

Hæc ad nostram doctrinam dicta sunt Auditores; Non enim sufficit his Christum adorasse, sed munera quin etiam offerunt, non satis quippe est, diuinam adorare & credere potentiam, sed charitas etiam exercenda est, eleemosynæque in pauperes erogandæ, fides & opera plerumque coniunguntur, adoratio & misericordiæ opera simul semper progrediantur necesse est. Plurimi siquidem fidem & adorationem in ore habent, misericordia vero ab anima penitus exulat.

Figura.

Nullum in vetere lege animal mundum habebatur, nisi quod ruminaret, atq; vngulã bifidam haberet. Ad eundem modum illa demum anima sancta ac pura dicenda est, quæ vngulam bifidam habeat, id est, quæ eleemosynam & charitatem consectetur. hæc namque fissura eleemosynas, aliaq; opera misericordiæ denotat, quarum vero pedes bifidi non sunt, immundæ censeri debent.

Luc 7.

Ficus illa Euangelica, quæ fructu, sed non folijs carebat, à Christo velut anathemate percussa, quamprimum exaruit. Ita qui fidem habent, & non charitatem, qui Deum constãter adorant, proximo vero misericordiam denegant, aridæ ficus sunt, atq; à Deo maledici maledictæq; exarescere, magna sui infamia merẽtur. At quotnam, Deus bone, huiusmodi hodierna die reperire est arbores? sed non ita profecto magi nostri fecisse visi sunt, qui postquam Christum adorarunt, munera quoq; eidem offerunt.

Notãdum porro hic est, omnem Deo thesaurum eos aperuisse: vnde discimus, Deo soli omnia nostra, possessiones, bona, & quidquid demum hic habemus, accepta referenda esse; ac pessime agere eos, atq; erga Deum ingratos existere, qui pauperi sua occludunt, arcis eadem includentes. Considerandum hic item, Christo illos, non autem Herodi, thesauros aperuisse. Multi vero, proh dolor! hodie penitus contrarium agunt, qui sc. thesauros, diuitias, arcas suas, non Deo vel pauperibus, sed Herodi, mundo, lusui, vanitatibus, inaniis reserant. O rem deplorandam!

Hinc à Propheta Ezechias Rex castigatus est, quod diuitias, thesauros, similiaque legatis Babyloniorum ostendisset. Docentur hic illi ac corruptione censentur dignissimi, qui bona sua, diuitias, possessiones, reditus, idololatrie Babylonicis, id est, dissolutionibus, laruis, lusui, ineptiis, stoliditati mundanæ, & tripudijs demonstrant, id est, in res vanas impendunt. At nõ ita Reges nostri, qui soli Deo thesauros suos reserant, *Et apertis thesauris, obtulerunt ei, &c.*

Magna & opaca illa arbor, quam Nabuchodonosor vidit, cuius rami vtrumq; mundi cardinem tangebant, quęque frondibus & fructibus luxuriabat, tandem excisa fuit, eiusque fructibus animalia saginata. Opulenti & pecuniosi mundi huius, (qui instar ingentis cuiusdam arboris cæteris hominibus videntur, auro, inquam, argento, pecunijs, reditibus onusti; at qui nonnisi in brutales vsus eadem insumunt, quo nimirum gulæ & sensualitati aliisq; brutalibus appetitibus satisfaciant) ingens profecto discrimen adeunt, ne instar arboris huius excindantur, libro vitę deleantur, vindicem diuinę justitiæ securim experiantur, itaq, in flammas æternales conijciantur. *Dan. 4.*

Epulo ille Euangelicus, qui loculos euacuabat in delitias, in voluptates, in canes & aues, in vestes splendidas & magnificas, atq; in luxum pecunias prodigebat, non vero in pauperes, aut in Lazarum, in inferno tandem sepultus gemuit. Verendum profecto est, ne qui similem hoc in mundo vitam ducunt, similem quoq; apud inferos cruciatum experiantur, qui nimirum Reges hos non sunt imitati,

mitati, qui apertis thesauris suis Christo recens nato obtulerunt aurum, thus, & myrrham.

Sed filum orationis jam abrumpamus, eorumque iter & munera seponamus: quin eos potius imitemur, exemplar eorum quam proxime sequamur. Tria nos illi docent, promptam obedientiam, munerum oblationem, ac per illud iter in patriam reuersionem. Obedientiam, inquam, quamprimum enim vt stellam videre, quæ eos ad iter suscipiendum inuitabat, in viam se dedere. Hos nos imitemur oportet, nō desunt enim stellæ, quę nos ad Deum vocent, at nos easdem vel non videmus, vel earum nutum aut monita non sequimur. Stellæ siquidem sunt exempla Sanctorum, vt Leo Magnus ait: sanctæ item prędicationes & inspirationes internæ, quibus nos Deus ad se vocet, iuxta opinionem Gregori Pontificis. Sed quæ nostra malitia est, oculos occludimus, earumque ductum sequi detrectamus.

Tria in regib. his imitanda sunt.

Ser. 3. de Epiph.

Hom. 36. in Euang.

Munera quin etiam imitanda sunt, & imprimis quod primo aurum obtulerint: hoc symbolum charitatis est, quæ inter cæteras virtutes, non secus atque aurum inter metalla prima est. hæc igitur præ cæteris Deo offerenda. nam, vt D. Thomas ait, amor omnium donorum primum est, ac velut janitor, cuius admiriculo & auxilio cęteræ virtutes in scenam prodeunt. Secundum donum thus est, per quod ipsa designatur oratio, quæ animo charitate erga Deum incenso profecta, Deo jucundissimum odorem dirigit, ac velut thymiama gratissimū adolet, quod omnes alios odores longe superet. Vltimum est oblatio myrrhæ, quæ mortem designat, & qua mortuorum corpora condiuntur. Docemur hic, sensus, concupiscentias, voluntatem deniq; nostram mortificandam esse, ac veluti gladio jugulandam, adeo vt vitam & omnem ergа res mundanas gustum amittat. sequendum hic est consilium Caiphæ Pontificis, qui de Christo morti adiudicando dicebat, *expedit vt vnus homo moriatur pro populo.* Vt igitur vniuersa sensuum nostrorum multitudo morte eripiatur, vnum hominem mori necesse est; id est, voluntatem, quæ præcipua eiusdem pars est, mortificari. Passiones stirpitus euelli non posse fateor, & radices sensualitatis penitus præcidi posse nego, sunt tamen refrenādæ, ac mortificandæ, & Iesu Christo, in modum myrrhæ, piorum horum imitatione, offerendæ.

1. p. q. 38. a.

Leuitis olim in veteri lege præcepit Deus, omnes vt corporis pilos raderent: noluit eosdem stirpitus euelli, sed tantum abradi. Pili superflua naturæ excrementa sunt, & simul figura passionum nostrarum, quæ vna cum natura & ætate excrescunt; has non euelli, sed sancta mortificationis nouacula abradi, sibique in oblationem, velut myrrham quandam regiam, dari vult Deus. *Num. 3.*

Reditus adhæc Principum horum in patriam imitandus est: nam teste Euangelista, per aliam viam reuersi sunt in regionem suā. Venerant siquidem per latam idololatriæ & infidelitatis viam, per regiam vitę emēdationis, conuersionisq; viam reuersi sunt. Hoc ipsum nos imitari oportet: cum enim per difficiles illas ac molestas scelerū vias ambitione, libidinibus, auaritia, inuidia & rancore plenas, per viam illam latā, quæ ad perditionem & infernum ducit, ad Ecclesiam accedimus; per aliam redeundum est, & iter gratiæ, contritionis, pœnitentiæ insistendum, iter inquam, quod recta ad æternam beatitudinem ac gaudia cœlestia ducit. Hoc scilicet fecere Magi nostri, qui per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Dominus apud aliquem Propherarum, (Ezechielem puto) præcipit, vt quicumque templum ingrederetur, per aliam portam eodem egrederetur. Sensus mysterij est, vt quicunq; ad confessionem accedunt, vel Deo in Ecclesia se repræsentant, per aliam quam intrauerant portam egrederentur, id est, eadem peccata quibus onusti intrauerant, non exportent. Contra autem Pharisæus ille Euangelicus, qui eadem, qua templum intrauerat porta exiit, domum scilicet eadem qua venerat ambitione, fastu, & vanitate grauatus reuersus est. At non ita Reges nostri, viam namque mutant, peccatores siquidem venerant, iusti redierunt, ac per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. *Luc. 12.*

Et quo-

Et quoniam de reditu verba facimus, glorioſum mihi futurum eſt, pios illos Principes in patriam tam longo itinere redeuntes comitari, & æquum, ijs ſua conualantibus, ſarcinaſq; colligentibus, me mea conualare; æquum eſt inquam, vt receptui jam canam, vobis valedicam, & cum Lycurgi facto finem concionum mearum faciam. Hic cum optimis Rempubl. Lacedæmoniorum legib. ſtabiliſſet, variaſque conſtitutiones Reip. ſalutares edidiſſet, in concione publice ad populum ait, velle ſe Delphos, vt de legibus ſuis Deum conſulat, proficiſci; ſed non prius ſe in iter dare velle, quam ſancte ſe omnes, quidquid decretum eſſet, donec Delphis reuerteretur, obſeruaturos juraſſent. Quod cum omnes libentiſſime feciſſent, in via ſe dedit. Delphos cum veniſſet, Deum conſuluit, nũ Lacedæmonij, quamdiu leges ſuas obſeruarent, proſpere agerent. Acturos reſpondit Deus, nec prius peſſum, & in deterius abituros, quã eaſdem neglexiſſent, & reuera quingentis aut amplius annis, quibus ſancte eaſdem & aperte obſeruarunt, eorum Reſpubl. Græciæ caput & princeps exſtitit. Lycurgus autem audito tam præclaro oraculo, gratijſq, Deo actis in patriam reuerti noluit, ſed fame emori maluit: imo & a morte cineres ſuos, ne mortuus forte in patriam rediret, in mare ſpargi voluit, vt nimirum Lacedæmonij, ipſo nec viuo, nec mortuo in patriam redeunte, promiſſis ſtantes, eiuſdem leges in perpetuum obſeruarent, nulloque vnquam tempore, vti iurauerant, eaſdem violarent.

Plut in Lycurgo.

Equidem Lycurgi exemplo, à longo jam tempore conſcientiarum veſtrarum Remp. conſtituere conatus ſum, eaſq; in optimum ordinem redigere, atque ideo varias & quidem grauiſſimas leges produxi, non quidem domi meæ natas, aut fornace eductas mea, ſed cœleſtes, diuinas, Deoque auctore promulgatas, leges quæ mortem, iudicium, infernum, ac gloriam cœleſtem reſpiciunt, ſcil. omnibus fatalem moriendi legem impoſitam, corpora noſtra violenter hinc letho abripienda, cœmeteria tam Reges quam colonos recipere. Deinde omnes coram ſummo iudice conſiſtere debere, & in tribunali illo ſeueriſſimo de tota vita rationem exactiſſimam reddendam eſſe: infernalia ſupplicia impiis, diuinæque maieſtati repugnantibus ſuſtinenda, ignem apud inferos paratum flagitioſis, qui corpora ſimul & animas adurat, & non comburat, quiq; ſemper ardeat, & non conſumatur. Denique in nouis & probis gloriam interminabilem in cœlis præparatam vitam perennem, à qua mors exulat, vbi nulla ærumna, nulla moleſtia, ſed voluptas, delitiæ, jubilus, exultatio honor nunquam finem habiturus. O leges ſanctiſſimas! Adieram oraculum illud veteris Teſtamenti, Salomonem conſulturus, num eæ æquæ forent, & ad ſalutem conducerent; reſpondit ille, felicem, qui eas obſeruaret, fore, vitamq; nullis peccatis ducturum contaminatam, ſed Angelorum in terris puritatem imitaturum. Ecce reſponſum eius: *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* *Eccl. 7.*

Cum igitur jam in procinctu ſim, quo à vobis diſcedam, prius diſceſſum inſtituere nolui, quam ſancte mihi omnes & ſolemniter juraueritis, vos harum, vſque in reditum meum fore obſeruantiſſimos. Et, ſi mortem optare fas eſſet, equidem libenter eandẽ ſubirem, vt, me non amplius ad vos redeunte, promiſſio ac iuramentum veſtrum, quod de obſeruandis legibus meis præſtiteratis, perpetuum foret.

Illa fuit valedictio Lycurgi, quam hodie & mihi aſſumo, cui & aliam Apoſtoli Pauli, magni illius doctoris & præconis Euangelij per vniuerſum orbem, cum Mileſiis valediceret, ſubnecto: *Ecce nunc ego cio, quia amplius faciem meam non videbitis vos omnes, per quos tranſiui, prædicans regnum Dei: quapropter conteſtor vos, quia mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ubterfugi, quo minus omne Dei conſilium annuntiarem vobis: attendite vobis.* *Act. 20.* Non abſurdum autem videatur Auditores, ſi eiſdem vos hodie verbis compellem, ab vrbe veſtra diſceſſurus, in qua tanto jam tempore concionatus ſum, & Euangelium annuntiaui, quique ignorem vtrum vos alias viſurus ſim. Quapropter conteſtor

vos omnes, quia mundus sum & innocuus; si enim sanguis homicidium spirituale, id est, peccatum, inter vos adhuc dominetur, mihi eadem imputari non debent: non enim subterfugi, quo minus omnem veritatem annuntiarem, scelera vestra reprehenderem, consilium & voluntatem Dei sincere vobis aperirem. Igitur attendite vobis, vitam in melius commutate, ad Deum conuertimini, & diligenter cauete, ne quod pater ille familias in Euangelio in agro suo deplorauit (qui cum
Matth. 13. bonum semen seminasset in agro suo, *venit inimicus homo, & superseminauit zizania*) in animarum vestrarum agro deplorare cogar, cum enim hoc illi nunciaretur, dolore & amaritudine plenus modeste ait: *Inimicus homo fecit.*

Quam graue mihi putatis, foret, postquā tot bona semina in nobilis parochiæ vestræ agro seminarim (*semen est verbum Dei*) tot vitia eradicauerim, peccatis denuo succrescē-
Ibid. tibus, audire à quoquam, *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde habet zizania?* nonne tot sanctas conciones easque efficaces instituisti, tot præclaros conceptus produxisti, toties ad virtutum exercitiū Auditores adhortatus es? vnde ergo lolium, paliurus? vnde adhuc inimicitiæ, vindictæ desiderium, auaritia & immoderatus erga diuitias amor? vnde viuit adhuc luxus, libido ac dissolutio? Quid hic replicem aliud, quam quod pater familias gemens ait: *Inimicus homo* id est, diabolus, *hoc fecit*? Satan hæc zizania superseminauit. Nolite pati, hocce mihi vt eueniat, hocce vt in vobis videre cogar: vt scilicet peccatis destructis eadem in animis exsurgant, & exstirpata repullulent.

Hebræorum Dux Iosue cum ad sonum tubarum sacerdotalium vrbis Ierichuntinæ muros destruxisset, maledixit ei, qui eosdem reædificare conaretur: *Maledictus*, inquit, *qui*
Ios. 6. *reædificauerit mœnia Iericho.* Toto hoc Aduentus tempore Iosuam egi, tubaque Euangelica peccatorum muros & propugnacula vitiorum dejicere conatus sum, & reuera eadem jam ad terram prostrata puto: quin etiā omne maledictionum genus imprecor ijs, qui eadem reparabunt, & ad priora delicta velut canis ad vomitum, reuertentur. Hoc igitur jam prohibeo, atque hoc est, quod imprimis vobis curæ esse velim.

Deinde immensas vobis gratias ago quod ad hanc me cathedram euexeritis, inque audiendo diligentes & assidui fueritis. Vobis quidem hoc gloriæ magnæ fuerit, at me singulari ratione deuinxeritis, vestram vt vbicumq; locorum pietatem deprædicem, merita erga me vestra exaggerem, affectum laudem, vestraque in me officia obsequio atque memoria sempiterna celebrem. Adhęc, si minus forte vobis satisfecerim, vt disertior alius & doctior forsitan satisfeciisset, aut si gratus vsq; adeo vobis non exstiterim, aut si me affectus, id est, maior & insolitus feruentis concionatoris impetus extra debitos decori & officij limites interdū abripuit, excusate me obsecro, ac cogitate vehementiores illos ebullientis animi feruores & æstus mihi naturales esse, bonum publicum animarumq; salutem, nullā vero malitiam respicere. Si quid denique inter tot argumenta, ac conceptus Theologicos dignum reperietis, dum tempus & ratio postularit, vsurpate, vtilitatem inde aliquam colligite, Deum laudate, omniaq; ad gloriam eius dirigite.

Tu vero ô æterne Deus solus es, cui omnis honor debetur & gloria, tu es, in cuius nominis honorem laborem hunc suscepi, & ad quem solum omne eius meritum & gloria referenda est; hanc igitur omnem tibi acceptā refero, te laudo, tibi gratias ago, supplexque rogo, nobis vt gratiam nullo tempore deneges, sed inuiolatam semper eam conserues. Equidem summe Deus qui instar periti nauarchi totum hoc iter direxisti, efficiam, nunquam vt me ingratitudinis arguas, sed omnē dabo operam, vt singularem hanc, quam à te accepi gratiam, digne expendens, in æternum laudes tuas deprædicem: *Benedic itaque anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancti eius.* Tibiq; etiam ô sacratissima, augustissima, glorioſissimaque Virgo singulares me gratiarum actiones debere profiteor, scio enim, quantum mihi intercessione & precibus tuis vtilitatis accesserit, scio, quam mihi apud filium patrocinio tuo profueris.

fueris. Exstitisti nimirum ô lucidum sydus, quod mundi huius mari imperat, in nauigatione hac mea velut cynosura, & nauicula mea suò tuo semper horoscopo hoc in æquore nauigauit, quæ cum modo tam feliciter portum ingrediatur, æquum est, vt tibi etiam ex voto gratias agam, post Deum, vt te honorem, laudem, celebrem, decantem, milleque tibi nominibus maneam deuinctus. O Virgo cõcionantium Dux, Doctorum tutela, Philosophorum magistra, laudum mearum sacrificium benigno hodie vultu accipe, tuisque feruentibus precibus mihi impetra, vt cum totum hoc opus ad illius, cuius tu mater es, gloriam tendat, ipse auctor omni vana gloria exclusa, & agnoscens omnia cœlo descendere, suiipsius quoque salutem operetur, non vero damnationem incurrat, *Ne cum aliis*, iuxta Apostolum, *prædicauerit, ipse reprobus efficiatur.*

Nunquam hocce mihi quæso accidat infortunium, sed eam quam alios docui viam insistam, viam scilicet quæ ad æternam beatitudinem conducit, cuius nos, qui omnia nutu suo temperat, & in sæcula sæculorum viuit DEVS, compotes reddat.

AD LECTOREM.

Aduerte, Lector amice, hanc de tribus Regibus Concionem habitam sub Aduentus finem, atque eo die, quo Prædicator valedicere, & gratias agere solet Auditoribus suis.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Partitio.

1. *De vi & efficacia humilitatis.*
2. *De virgine purificata.*
3. *De Simeone & compare turturum.*
4. *De oblato Iesu.*
5. *De offerente matre & Simeonis iubilo.*

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.

FIGVRA.

CVM Anna, mater illa Samuelis, quæ de numero illustrium veteris Testamenti matronarum fuit, prius sterilis, filium diuinitus impetrasset; obtulit illum Domino, vt seruiret ei in ministerio templi omnibus diebus vitæ suæ; simulque cum oblatione filij, vitulum in gratiarum actionem immolauit. Hodierna porro die videas hic non Annam, sed Mariam matrem Iesu Christi templum ingredientem; quæ concepto præter naturæ ordinem filio, eundem hodie in templum defert, Patri æterno oblatura, atque vna cum oblatione prolis, par turturum, vti lex præscribebat, offert in sacrificium. Hoc est mysterium, quod totus hodie terrarum orbis demiratur, in eo namque senes cantant, viduæ prophetizant, luminaria resplendent, & cuncta vndequaque musica & cantu perstrepunt. Quare, age, anima, vt rem tam admirabilem pro dignitate dicendo explicare queas, accede ad lucidam illam lampadem, recurre ad splendidum illum mundi solem, qui quidquid est, radiis illustrat, & cuius splendore omnia coruscant. At ne fortassis magnitudo illa luminis & splendoris aciem tibi oculorum præstringat, ac quandam veluti caliginem solares illi radij visui superinducant, ad Lunam potius properandum est,

& prius Maria salutanda, cui cum Angelo dicamus:

AVE MARIA.

I.

Esdr. 1. Contentio inter tres Persicos Optimates.

Fuit olim non modica inter tres Persicos purpuratos in atrio Darij Regis contentio, quidnam ex omnibus, quæ in mundo existunt, videretur esse fortissimum. Primus esse dixit vinum, quod summos æque atque infimos, diuites simul & pauperes sibi subijciat. Cui refragatus secundus asseruit, omnium fortissimũ esse Regem, qui quidquid est, vi armorum potentiaque concutiat & percellat; cuius verba instar legum habenda sint; cuius voluntas decretum; & cuius vel minimus nutus, præceptum. Tertius vero, qui Zorobabel fuisse perhibetur, dixit esse mulierem, at fortiorem his omnibus vnicam esse veritatem: quippe qua nihil in mundo aut fortius, aut potentius inueniri queat; *super omnia autem vincit veritas.* Verum vestra mihi venia, viri Persæ, liceat in hunc disputationis campum ingredi; finite me meũ quoque symbolum in medium proferre; nondum, mihi credite, vestrum aliquis scopum tetigit, nemo veritatem adhuc reperit. Equidem fortissimam omnium esse dixerim humilitatem. Illa, illa namque est, quæ Reges potentissimos edomat, diabolos coercet, de Angelis triumphat, Deo arma è manibus eripit, eumque superat, ac deniq; mori cogit.

Humilitas omniũ fortissima.

3. Reg. 20. An non Benadad Regis Syriæ nuntij, vili sacco & cilicio induti, Achab Regem humilitate flexerunt, quem armis superare nequiuerant; & eum, qui nihil nisi sanguinem, mortem & exitium præ furore & rabie spirabat, an non hac agendi ratione *2. Reg.* 24. mansuetum reddiderunt? Dauid in corde contrito in terram prostratus, Angelum, qui ferro & gladio in populum crudelissime sæuiebat, exarmauit. Iob sedens in fimeto, seseque deijciens, satanam insultantem deiecit & prostrauit. *3. Reg.* 12. Impius Rex Achab sese coram Domino humilians, eidem multa mala interminanti, arma violenter quodammodo è manibus eripuit. An non & te, ô Deus meus! eadem illa humilitas mori coegit, de quo scribitur: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* O vere admiranda trophæa! Nihil est ô humilitas, quod cum tua fortitudine aut potentia queat comparari. Quemadmodum enim ipsum zero, aut nullo, quod vocant, Arithmeticorum, ex se nullum prorsus constituit numerum, at alijs numeris appositum eos facit denos, vicenos, centenos, imo & millenos. Ita quoque & ipsa ex te quidem nihil es, instar zero; verum vbi te operibus nostris semel accedere contigerit, mox ijs pondus & pretium incomparabile addis. hinc ait Apostolus, *Pondus humilitatis nostræ.* tu quippe eadem præter naturam recta ad cœlum subleuas, vt vitam æternam promereantur. *Phil.* 2.

Non ineleganter sane crinibus Samsonis etiam comparari possit humilitas: omnis fortitudo & robur inuicti illius ducis, si forte meministis, quibus Philisthæos expugnabat, in crinibus sita erant; quibus tamen nihil est in homine, aut vilius, aut imbecillius. Ita quoque omnis animæ nostræ potentia & virtus, qua dæmones expugnamus, & sternimus, in sola humilitate sita est, cum nihil tamen in mundo, aut contemptum æque aut abiectum. Dauid adolescens, armis & lorica regia grauatus potius, quam indutus, ingentem illam molem, spurium illum gigantem non potuit expugnare, & Saulis gener fieri; verum inermis penitus in aciem procedens, sola funda & lapidibus armatus, pastoritio amictus habitu, & Goliath superauit, & gener Regis factus est. Fuit hoc, Auditores, fuit insigne huiusce humilitatis præsagium, præsagium inquam, è quo liquido appareat, nos armis & insignibus mundanis indutos, superbia sc. vanitate, & ambitione infernales illos gigantes minime vel oppugnare, vel expugnare, aut etiam filios Dei fieri posse, verum humilitatis armis circumdatos, vtrumque facile nulloque negotio consecuturos. *Iudic.* 19.

O sancta & diuina humilitas! etiam sublimius multo te efferam, & maiori te etiam præconio celebrabo: te namque sentiunt

tiunt fulmina, ignes, tempestates & tonitrua. Etenim *feriunt* vt plurimum, sicuti olim cecinit Horatius, *summos fulmina montes, & celsa grauiore casu decidunt turres*; valles autem camporumque planities intacta relinquuntur. Ad eundem plane modum, diuinorum iudiciorum fulmina, sublimia illa superborũ capita (qui mundi huius montes fastigiaque vere nominari possunt) frequentissime feriunt, humiles autem & dimisse de seipsis sentientes, intactos prætereunt.

Præclarum veteris Philosophi apophtheg.

Atq; hoc ipsum est quod insignis ille Philosophus Æsopus olim petenti, quid super æthereos orbes Iupiter ageret, respondit *Excelsa*, inquit, *humiliat, & extollit humilia*. Hausisti id forsitan sacris è libris Æsope, in quibus scriptum legimus, *Luc.1.* *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Item: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. *Psal.137.* Et alio loco: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* *Iac.4.*

Mira succini natura. *Scalig.exer. 140.nu.12.*

Succinum, rerum naturalium scriptores omnia festucarum genera ad se attrahere perhibent, excepto Basilico, herba scilicet, quæ Capitalis vulgo nominatur, quæ caput & cerebrum fumosis exhalationibus oppletre consueuit. Succinum dicere poterimus DEVM, nosipsos vero festucas: trahit nos quidem supernaturale illud succinum ad se, suaque dona, virtutes thesaurosque gratiarum omnibus communicat, ac veluti prodigit, non tamen superbis, qui sunt instar Basilici huius, quique caput inanibus ambitionis, prauorum affectuum, vanitatum inaniumq; desideriorum fumis oppletum habent.

Parabola veteris anachoretæ.

Narrat Onuphrius vetus ille Anachoretes parabolam, quæ huic rei optime visa est quadrare: Arbores scilicet olim de feritate hominum, quotidie sese amputantium, & ne altius excrescerent, impedientium, expostulantes, concilium inter se coegisse, quo ratio aliqua statueretur, qua huic malo remedium adhiberi, atque huic feritati occurri in tempore, opportuneque posset. Cum iam omnium sententiæ rogarentur, & quid quæque faciendum decreuisset, exquireretur, ecce tibi aliquam è sublime nutantibus cedris Libani, velut cæteris eminentiorem assurgere, communique omnium voce demonstrare, nullum ad hominum feritatem impediendam, & res suas in tuto collocandas, præstantius remedium excogitari aut suggeri posse, quam si arbores omnes communi voluntate ligna denegarent, è quibus manubria securium edolentur: cum enim illæ manubrijs caruerint, arbores ab hominibus non amplius amputandas. Audita est hæc cum silentio & stupore vniuersarum: illis autem ob tam inexspectatum consilium in admirationem raptis, ecce tibi ex angulo adrepentem exiguũ quendam rubum, qui in locis humilibus dumosisque succreuerat, quique silentium indicendo, audiri postulabat:

Ne pergite, inquit, vlterius ô sociæ; neq; enim tam è re nostra hocce cedri consilium, quam fortasse arbitramini: nam ab hominibus quidem securę esse poterimus, securibus manubrio iam carentibus: at à fulmine tutæ quomodo erimus? Non est, mihi credite, melior aut præstantior, ad libertatem nostram obtinendam, nos ipsas ab hominum violentia defendendas, homines simul & cœlum eludendum ratio, quam non adeo sublime crescendo caput efferre, at per terram potius serpere. Diuinum plane consilium, quod animabus nostris optime conueniat, ipsæ namque sunt plantæ, plantatæ *in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri*: dæmones eam amputant & scindunt, nec non omni ratione destruunt & euellunt. Ad hanc itaque rabiem, ad hanc veritatem immanitatemq; superandam vnicum profecto consilium est, non adeo sublime excrescere, aut sese superbiendo efferre, at humilia potius vbique sectari. Videlicet hoc ipsum est, quod in Euangelio toties Dominus consulit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Discite à me, vt explicat Augustinus, non mundos è nihilo creare, non mortuos ad vitam reuocare, miracula patrare, sed humilitatem toto animo amplecti. *Isa.33.* *Matth.11.* *Aug serm. 10 de verb. Dom.*

Ideo autem humile hoc & exiguum de humilitate loquens fundamentum posui, quod hodiernæ diei Euangelium nihil nisi humilitatem spiret: videbitis namque hic duo insignia humilitatis exempla, qualia auda-

audacter dixero, in mundo nunquam visa aut audita, vnum in matre, & alterum in filio. Mater ipsa purior, mundior, imo perfectior angelis, sese legi Purificationis, ac si de numero immundarum fuisset, subijcit. O admirabilem humilitatem! filius autem legislator, & conditor, lege omni superior, legem seruat, sinit se offerri, & vt mancipium diuendi. O duplicem humilitatem! *Luc.2.* *Postquam impleti sunt dies Purgationis Mariæ.* Primo vero de humilitate matris, ac deinde filij eius Iesu Christi verba faciemus.

II. Quod ad primum quidem spectat: Contemplor hic in limine Euangelij Virginem expleto quadraginta dierum tempore, quos in stabulo Bethleemitico permanserat, templum Hierosolymis intrantem, dilectum filium, *Psal.44.* *speciosum forma præ filijs hominum*, vlnis gestantem, quo eundem Deo præsentaret, & sacrificium simul ad purificationem offerret. Memineritis oportet, Auditores, inter cæteras leges cæremoniales Iudæorum & legem fuisse de fœminis, quæ peperissent; vt nimirum ea, quæ masculum peperisset, septem diebus hominum consortio abstineret; eo quippe tempore immunda habebatur; & octauo deinde die circumcideretur infans, ipsa vero triginta tribus diebus domo maneret inclusa, nec sanctuarium intraret, donec implerentur dies purificationis. Quo tempore euoluto, filium ad templum portabat, ac sacrificium Deo pro se offerebat. Lex exstat Leuitici 12. *3.Reg.10.* capite: *Mulier quæ suscepto semine peperit masculum.*

Figuræ, quibus introitus Virginis in templum declaratur. *Prou.31.* Gloriosa igitur Virgo huic sese legi vltro subijciens, cum iam quadraginta è beato suo partu dies templo abstinuisset, hodierna die templum, hostiam pro purificatione sua oblatura, ingressa est. Hodie potens illa Regina Saba, de longinquis regionibus veniens, post omnes Prophetas scilicet, post Patriarchas, post Reges Iuda, intrauit palatium Salomonis, omni diuitiarum & aromatum genere onusta, *filiæ* quidem *multæ congregauerunt sibi diuitias*, at *tu* Reginarum filia, ac filiarum Regina, deferens pretiosam illam margaritam Euangelicam, Redemptorem scilicet mundi Iesum Christum, *supergressa es vniuersas.* Hodie scilicet splendida illa Luna, quæ quadraginta dierum spatio veluti eclipsi quadam laborans, inter palcas, in stabulo, ad præsepe Bethleemiticum, obscura delituerat, completam sese iam & perfectam in medio templi demonstrauit. Hodie Arca illa fœderis, quæ tanto tempore in castris sub tentorijs & papilionibus inter Philistæos habitauerat, in tugurio inquam & stabulo, interque animalia ad templum Salomonis delata est, & super alas Cherubim collocata. *3 Reg.8.*

Agite nunc animæ, animæ inquam sanctæ, comitemini Virginem ad templum properantem, piis deuotionis passibus eam stipantes. Videte obsecro, quanta humilitate, quantaque paupertate filium, suumque simul conditorem vlnis gestet, considerate, inquam, attentius, & ad incomparabilem illam animæ submissionem, voluntariamque illam purificationem defixi obstupescite. Non aliter legi se subijcit, ac si de numero immundarum foret, quæ nullam tamen ex partu maculam contraxerat.

Quid agis, ô virgo, ô nimium humilis virgo? quid cogitas? tene hisce legibus subijci? tene fœminis peccatoribus commisceri? Michol quidem filia Regis, petulantia quadam muliebri, Dauid Regi indumentis regalibus exuto, ac plebi commisto, ante Arcam Domini saltitanti insultauit. at Synagoga, subsannans nimirum illa Michol, longe maiore cum ratione te exsibilare poterit, vbi te vestimentis regijs innocentiæ & iustitiæ indutam, ab alijs mulieribus non viderit discrepare, seruando scilicet purificationem & sacrificium coram Arca fœderis, nempe humanitatem filij tui offerendo.

Tradunt Auctores, ô virgo beatissima, *Sueton.in* Iuliam Augusti Cæsaris filiam, cum quo- *Augusto.* dam tempore admonita fuisset, vt fastum deponeret, superbiam exueret; ac fucum mundumque muliebrem eliminaret, patrem quippe intolerabilem illum ornatum diutius ferre non posse, magna proteruia & arrogantia respondisse: Pater non amplius memi-

meminit se Cæsarem esse, cuius nutum totus orbis veneratur: at ego memini me Cæsaris filiam, ac proinde primam omnium, quæ in mundo sunt reginarũ: quare æquum est, vt quæ sim, exterius quoque demõstrem. At tu, virgo beatissima, infinitis partibus Iuliam hanc & nobilitate, & dignitate antecellis; fuit illa quidem Cæsaris filia, tu vero mater & sponsa Dei.

Virg. 1. Æn. *quæ diuum incedis Regina Deique*
Et soror & coniux.

Atque hæc cum ita sint, filius tamen tuus se circumcisioni vt peccator, & tu te purificationi vt peccatrix subiicis. Ille se Deum esse oblitus est, & tu te Dei matrem. *Vere tibi*, ô Virgo, ait præclare D. Bernardus, *non opus fuit purificatione, sed nunquid filio tuo circumcisione?*

Nunquid, ô superbiens anima, ad tantæ submissionis intuitum erubescis? tu, quæ nihil es, & merum nihil, te te effers, iactas, & cœlo caput conaris inferre: & ecce, Virgo hæc, quæ omnibus præcellit, demittit se, humiliat se, & vsque ad infimum sese deiicit? Tu quæ peccatis es immersa, & quotidie clamitas, *Et in peccatis concepit me mater mea*, superbis, & ecce, quæ sine vlla est macula, de qua totus orbis canit, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, se vilissimam facit. *Psal. 50.*

Obstupeo humilitatem tuam ô vere beata, & millies beata Virgo, laudo & deprædico pietatem, sed offendit me non nihil ista hæc tua purificatio, faciant hoc filiæ Adam, faciant id mulieres immundæ, faciant hoc fœminæ peccatrices: te vero Reginam Angelorum, Matrem Dei, imo ipsam puritatem hocce facere, præter omnem rationem est. Nullo vnquam peccati næuo aut venialis, mortalis, etiam originalis, animam ô Virgo coinquinasti: quid ergo tibi cum hac purificatione? Vixisti semper instar Salamandræ inter flammas peccatorum perpetuo versata, & tamen absque vstulatione vel minima, ad quid igitur hæc purificatio? Fuisti semper viridis sacra illa laurus, æterno dedicata numini, quæ nullo vnquam peccati fulgure vel minimum tacta est: ad quid igitur hæc purificatio? Fuisti arca illa Noe, arca scilicet Iesu Christi, quæ super vndas diluuii originalis semper natitauit, nec vnquam in peccatorum oceano naufragium passa est: quid ergo necesse fuit purificari? *Figuræ quę declarent Virginem à peccatis semper immunem vixisse.*

Quam bene de te ô Virgo, dilectus tuus dixit, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; cum te liliis semper candentibus, cæteras vero filias spinis pungentibus assimilat, aperte demonstrauit, cæteras creaturas rubos esse, quarum peccata spinarum instar pungant: te autẽ solam lilium esse, quod instar niuis semper candet, iucundum semper odorem spirat, in medio spinarum illæsum manet: & quod, paucis vt dicam, in medio peccatorum sine peccato perseuerat. Insigne plane hoc est encomium. Quid igitur tibi purificatione opus est?

Stellæ & sidera, quæ in firmamento defixa sunt, nunquam eclipsim patiuntur. Tu autem ô Virgo, hocce es firmamentum virtutis diuinæ, de quo olim regius cecinit vates: *Laudate eum in firmamento virtutis eius*: cuius virtutem & splendorem peccata nunquã obscurare potuerunt. Ipsa enim olim aliquã do dixisti: *Nondum erant abyssi, & ego iam cõcepta eram.* Per quas abyssos mortem, peccatum, damnationemque æternam denotabas. Ante hæc omnia tu eras concepta, & tamen absque macula, & peccati næuo cum sis, purificari postulas? *Psal. 150.* *Prou. 8.*

Quid vero ô Simeon, tu qui doctorum es sacerdos & doctor sacerdotum & legis, hodierna die Virginem hanc legi tuæ subiicis? Quomodo communem cæteris mulieribus sortem eam subire cogis? An ignoras lege hac Virginem nostram non comprehendi: loquitur illa de conceptione secundum communem naturæ ordinem, & qua semper reliquæ mulieres concipere consueuerunt: at talis Virginis nostræ conceptio non fuit: vtpote quæ nec suscepto semine, nec quæ commixtionem virilem, sed spiritu S. cooperante mater facta est. Omnia namque in illa præter naturæ ordinem, noua quadam ratione, mirabili & diuino quodam modo, contigerunt. An non etiam meministi, ô sacerdos & Pontifex, figurarum, per quas Prophetæ illi tui nostram hanc Vir-

ginem præsignarunt? Equidem tibi eas, si forsitan effluxissent, in memoriam reducam.

VI. Figura, qua demonstratur virginē immunem à peccatis fuisse.

Exod. 25. *3. Reg.* 10.

Præcepit olim Deus Moysi, vt arcam de lignis incorruptibilibus fabricaret, ac mundissimo eam intus & foris auro circumuestiret. Hic, hic porro vides arcam è corpore & anima peccato corruptionique minime obnoxiis compactam, caritate circumundique coopertam: & audebisne illam legi purificationis includere? Salomon thronum construxit eburneum, grandem nimis, eumque auro splendidissimo vestiuit, cui, vt sacræ literæ perhibent, nihil toto terrarum orbe simile vnquam extitit, aperi iam oculos tuos Simeon, & contemplare magnificum hunc thronum non Regis Salomonis, sed Regis Regum Iesu Christi, non aliunde quam ex ebore puritatis, virginitatis & innocentiæ compactum: cui simile nihil orbis vnquam vidit: *Nec primam visa est similem, nec habere sequentem*: interea tamen eam legibus & cæremoniis tuis audes comprehendere, Anne oblitus es magnum illum Orientis Monarcham Assuerum decreto quodam publico omnes virgines & puellas forma speciosas per vniuersas regni sui prouincias conquiri iussisse, atque inter cæteras puellam Esther, decoram facie, & pulchram nimis, de stirpe Israel, à Mardochæo annunculo diligentissime educatam, ad Regem perductam fuisse; cuius pulchritudo & venustas adeo Regi placuit, vt gratia in eius conspectu inuenta, ab eo in vxorem adoptata fuerit, eiusque capiti diadema regni imposuerit: inque eius gratiam & Mardochæum à morte & omnem populum Iudaicum ab internecione liberarit. Ecce tibi hic eam ipsam, Propheta sanctissime, quam figura præsignauit; contemplare formosam hanc Esther, quæ inter omnes filias, quotquot à mundi primordio hactenus fuere, ita oculis diuini illius, illius veri & æterni Assueri, sola complacuit, vt eam ipsam in sponsam ac reginam adoptarit. Erit, erit eadem illa, quæ hominem perditum, alterum scilicet Mardochæum & naturam humanam, id est, eius populum, ab interitu vindicabit: & tu ab illa ipsa, ô Simeon, purificationis debitum audes deposcere?

Esth. 2.

Non est porro, Auditores, his ita rapi necesse, quin animos vestros ad noua adhuc & maiora etiam audienda præparetis: iam enim alia, & nondum audita humilitatis opera, quæ virgo nostra præstitit, declarabo. Cum iam illa templum intrasset (quia lege decretum erat, vt ditiores agnum annieulum in sacrificium offerrent, pauperes vero duos turtures, aut duos pullos columbarum) ipsa, quæ paupertatis erat studiosissima, de pauperum numero sese reputans, duos turturesin sacrificium obtulit. Quid agis, ô Virgo? anne hoc sacrificium te dignum, dignum Filio, & dignum Deo? vbi iam thus illud est, vbi illa myrrha, vbi denique aurum illud, quod tibi ad præsepe Magi obtulerunt? Dedit ô Virgo centum talenta Anaxarcho Philosopho Alexander Macedo, ob id solum, quod Alexander esset: Hecatombas diis obtulit Pythagoras, vnica tantum figura Mathematica inuenta: Salomon, vnus è maioribus tuis ipsa dedicationis templi festiuitate immolauit Domino boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia: & tu in tam felici & festiuo omine, in oblatione, inquam, primogeniti tui, Mater Dei cum sis, par turturum offeres? ô rem nouam & inauditam! ô insigne miraculum! ô humilem inopiam! ô inopem humilitatem!

3. Reg. 8.

Vos porro turtures quid denotatis? non ignoro turtures à casta turture offerre debere: scio etiam agnos & bestias terræ ab hominibus terrenis immolari: at prolem cœlestem & diuinam animalia decebant cœlestia, & huiusmodi ei quadrabant turtures. Quin & alia non mediocria mysteria denotatis auiculæ: tu modo *reuela oculos meos Domine, & considerabo mirabilia de lege tua.* Quando enim vos, ô casti turtures, à Virgine ad sui purificationem oblatos considero, statim mihi connexionem illam duarum in vna hypostasi naturarum, quas Virgo in vtero gestauit, vt in arbore crucis ac scelerum nostrorum expiationem, & totius mundi redemptionem offerrentur, in memoriam reuocatis. Quin & pulchræ illius Rebeceæ, quæ geminos vno concluſit vtero, memoriam

Quid turtures significent, quos Virgo obtulit.

Psal. 118.

Gen. 25. *Luc.* 13.

moriam refricatis: ac mihi statim in mentem reducitis, hanc esse pauperem illam viduam, quæ duobus obulis, hoc est, duabus
Num.17. naturis in Gazophylaciũ tẽpli coniectis, magis laudata est, quã potẽtes illæ fœminæ magnas opes thesaurosque offerentes. Quin & amplius significatis; etiam hic terram illam promissionis adesse, in qua tandem aliquando præclarus ille & ingens redemptionis nostræ botrus colligeretur, quem in vecte duo viri, hoc est, naturæ, humeris portauerunt, botrus inquam, qui crucis postea torculari exprimendus immensi pretii nectar exsudabat. Ite vos nunc turtures, iam enim multa satis mihi mysteria aperuistis: iam tempus est, vt hinc vos auoletis, & ego me ad alterum concionis membrum conuertam.

IV. Lex antiqua de primogenitis. *Exod.12.*

Altera quoque apud Iudæos lex erat, vt omne primogenitum Deo offerretur & consecraretur, cuius legis verba Exodi 13. scripta reperiuntur, *Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus quam de iumentis, &c.* Inde porro lex ortum habuit, quod scilicet Angelo vna nocte omnes Ægyptiorum primogenitos percutiente, soli Hebræorum, diuino beneficio immunes seruati sint. Itaq; Christus mundi, vt gallice dicam, Delphinus, Mariæ & omnium creaturarum primogenitus, vt Paulus eum vocat, non aliter huic
Ephes.1. sese legi voluit subiicere, quam mater legi puerperarum; atq; ideo eum mater hodie in templum Deo Patri eundẽ oblaturaportauit.

Iesu bone, decus & princeps humilium, an non satis est & plusquam satis est, te hominem nostri causa factum esse? in paupertate natum, in stabulo loco palatii commoratum, in præsepi loco conclaui reclinatum, & ipsa animalia pro sociis & domesticis tuis habuisse? denique in illa tua tenella ætatula humi recubuisse? an non hoc inquam satis est? anne hæc adhuc oblatio facienda restabat? Anne hoc vnum tibi ad præceptum adimplendum deerat? Peccantium est, seruorum est, mancipiorum est, hisce collum legibus subiicere, non qualem te reuera confitemur, filii Dei. O felix oblatio! ô ter & amplius beata præsentatio! sume animos iam peccator, & tu, ô munde: ecce vobis hic victimam,
Gen.22. quæ olim in monte Caluariæ immolanda est. Quantum putatis fuit gaudium Isaac, cum gladio iam ceruicib. imminente, morte iam vicina, arietem vidit inter vepres cornibus hærentem, qui in eius locum sacrificio subiiceretur? At quantum nunc tuum gaudium sit oportet, ô peccator, cum sub sanguineo diuinæ iustitiæ gladio capiti, vitæq; tuæ minitante cruuatus, prodeunte hodie è vepribus humilitatis nostræ agnum sine macula vides, qui pro reo iuguletur & immoletur?

Scitis Auditores, duo in lege vetere sacrificiorum genera fuisse, vnum matutinum, *Num.28.* vespertinum alterum, quod vtrumq; hic videtis offerri: matutinum scilicet in oblatione pueri Iesu, alterum vero circa vitæ eius vesperam in Iesu, alterum vero circa vitæ eius vesperam in ara crucis peragetur. O quantũ inter hæc sacrificia discrimen est, ô Virgo, quantaq; differentia! Hodie filium in medio templi cum gaudio, iubilis, & canticis offers: & ecce post triginta trium annorum spatium in medio montis Caluariæ, ærumnis, tormentis, opprobriisq; saturatum, immolatum conspicies. Hic illum vlnis iusti Simeonis stringi vides, tunc eum in lateribus crucis distentum & extentum videbis. Hic eum quinq; argenti siclis redimis, illic ipse quinq; vulneribus sanguinum riuos stillantibus totum mundum redempturus est. Cuius quidem doloris hoc tibi loco senex hic initium dedit dicens: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Deus bone, quam crudeles *Luc.8.* hæ sunt minæ, & quam tristia præsagia! hisce tu tamen ne minimum moueris: in quo te *Suet. in Neron.* Agrippinæ Domitii Neronis matri non absimilem ausim dicere, quæ superba vt quæ maxime, & magnitudinis filii sui nimium quãtum sitiens, cum oraculum consuluisset, num aliquando filius imperium esset aditurus: eiq; oraculo Deus respondisset, regnaturum quidem, sed in Imperio matrem necaturum, tumore cœca, & auida diadematis, statim subiecit: *Occidat, modo imperet*, materno scil. sanguine manus fœdentur, modo caput eius diademate cingatur. Ad eundem plane modum, cum oraculum illud Propheticum Simeon, tibi vaticinans, prænuntiat filium tuum, non Neronem illum sanguinolentum, sed mitissimum Iesum Christum toto

quidem terrarum orbe regnaturum, sed eius durante imperio, animam tuam doloris gladio (mille inquam vulneribus) transfigendam, inclamare mihi, velut altera Agrippina videris, *Occidat, modo imperet*: mille ego gladiis transfodiar, mille mortis generibus vita mihi auferatur, modo Iesus filius, & Deus meus rex sit, saluator sit, denique totius orbis redemptor sit.

V. Ecce tibi, pater æterne, hic oblationem, qualis tibi nunquam ab vllo hominum à tot retro sæculis oblata fuit, Contemplare hic victimam, in qua tibi bene complacuit, & ad quam totus terrarum orbis à tot annorum millibus anhelauit. Non videbis hic amplius dona Abelis, non oblationes Abrahæ, tuus hic iam filius primogenitus, filius, videlicet sanctissimæ Virginis, offertur; non delectaris altaribus fumantibus, non holocaustis boum, non immolatione taurorum aut ouium, atq; ideo nouum hic sacrificii genus, diuinum plane, omnino admirabile, contemplare, *oblationem & holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio.* Nihil igitur cælo gratius nostra offerre potuit humilitas, aut nihil patri æterno desiderabilius.

Psal. 30.

Refertur in Euang. historia, quæ hac abs re non erit admodum aliena. Herodes propter implacabile, quo in Christum ferebatur, odium, omnes pueros, qui erant in Iudæa, & omnibus terminis eius, occidit, vt hac misera infantium strage, innocentem simul Iesum inuolueret. Rex quoque ille æternus Deus, scilicet Pater, propter immensum, quo filium prosequebatur amorem, in veteri testamento omne sibi primogenitum præceperat offerri, vt inter tot primogenitorum oblationes dilectus quoque filius semel offerendus accederet. Hodie igitur, Pater æterne, sopientur ignes tui, tua hodie ira subsidet, hodie iudicia tua tandem finem accipient, paradisi hodie portæ reserabuntur, hodie mundus coram oculis Maiestatis tuæ gratiam inueniet, aquæ diluuii cessabunt, hodie denique vincula captiuitatis nostræ dissoluentur, & omnes in libertatem vindicabimur. En tibi hic pignus, quod offerimus, en tibi satisfactionem nostram: paruulus hic pro toto mundo præstat vadimonium, hunc tibi hodie Virgo in redemptionem prò vniuerso mundo offert & donat.

Matth. 30.

Prudens illa Abigail, cognoscens Dauidem, in Nabal coniugem grauiter commotum, ad omnem eius substantiam perdēdam cum omnibus suis copiis descendisse, illi obuiam processit, oblatisque cibariis & commeatu humanis eum verbis allocuta est, dicens: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo*, qua re illa emolliuit iratum, adeo vt rex suiipsius victor iracundiam cohibens, harum se iniuriarum memorem nunquam fore iurauerit. Proh dolor! Maior sane fuit ira magni illius Dauidis, Patris scilicet æterni in stolidum illum & vecordem Nabal, hominem scilicet, & totum mortale genus: quotidie namque iras suas iudiciaque sua & vindictas in eum de cœlo denotabat. At accurrit ei hodie Abigail nostra, offert ei panem Angelorum, offert ei proprium & vnigenitum filium: itaque eum demulcet, vt eum exarmarit, veterumque iniuriarum immemorem penitus reddiderit.

2. Reg. 15.

Agrestis ille & barbarus Esau, cum quadringentis equitibus contra fratrem suum Iacob, ad iniuriam, quæ iam à viginti annis illi facta fuerat, vindicandam descendens, statim ac faciem Rachelis paruulum suum Ioseph ei monstrantis, & manu scalam mariti sui Iacob offerentis conspexit, emollitus est, & cum fratre suo in gratiam rediit. Audeamne, ô Pater æterne, te barbaro Esau assimulare? Verissimum quidem est accinctum te iustitia, stipatum suppliciis, vallatum flagellis ad punlendum aduersus miserum Iacob, hominem scilicet descendisse, vt iniuriam, quam tibi olim in paradiso deliciarum irrogauerat, hac ratione castigares: at conspecta hodie speciosa nostra Rachele, filium suum Iesum vna cum munusculis, id est, lachrymis, suspiriis, & pœnitentiis miseri huius Iacob, id est, homine offerente, coactus es arma deponere, eundem amplexari, gratiam elargiri, & quidquid prius in te commissum erat, magna animi benignitate remittere. Quantum igitur debes, ô anima Virgini, filium hodie suum pro te Patri offerenti? quid porro Patri æterno cum ad

Gen. 33.

te

Exod. 4. te redimendum offerenti in cruce: Exemplum est in Exodo, quod huic rei illustrandæ non parum facit, cum Deus Mosen in via interficere decreuisset, quod præceptis Domini non vsq; adeo prompte, vt par erat, obsecutus esset: vxor eius Sephora his auditis, filium suum confestim circumcidit, vt maritum morti eriperet, diuinamq; vltionem auerteret: quibus peractis ait Moysi, *Sponsus sanguinum tu mihi es:* ac dicere voluisset: Moses, si me diligere teneris, quod tua sim coniux, iam quidem multo magis, quod ad vitæ conseruationem proprij filij mei sanguinem effuderim. Age iam anima, hic cogitationes tuas defigito, de his meditationem instituе: si Deo scilicet cultum exhibere teneris, atq; eum perfecte diligere, quod tuus sit sponsus, tuus Pater, tuus Deus, & creator tuus: multo quidem magis, quod sanguinem vnigeniti filij sui pro te effuderit, quod eum cruci, suppliciis, morti deniq; ipsi pro peccatis tuis subiecerit. Quis quæso tuus ille amor est, cui omnia hæc veluti pro meritis impendantur? quænam tuæ gratiæ? quænam merita?

2. Paral. 9. 3. Reg. 9. Relictis porro, Auditores, omnibus hisce figuris videamus, quid hodie in templo peractum sit. Olim quidem Arca fœderis in templo collocata, ornamentis decorata, ac maiestate Domini & gloria repleta fuit: at hodie res longe sublimior accidit. Intrante quoque olim arca domum Domini, omnia cantu & organis personabant, atque ipsa omni instrumentorum genere & hymnis in locum suum deducta est, at hodie præclara hæc Arca humanitatis Jesu templum intrante, longe suauior & iucundior auditur concentus: nihil nisi prophetiæ, nisi laudes, & mirabilia vndequaq; audiuntur: An non videtis octoginta annorum viduam, honorem & obsequium nato Messiæ exhibentem? an non auditis veneranda canitie decorum Simeonem, redemptorem mũdi vlnis cõstringentem, iubilo & canticis exultantem, interque lachrymas & gaudia diuinum illud canticum modulantem? *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Ecce vobis nouum hic Athlantem, brachiis suis illum gestantem, qui humeris potentiæ suæ vniuersam terræ molem sustentat. Ecce vobis hic cygnum iucundo carmine mortem suam prænuntiantem.

Luc. 2.

O quanto gaudio, quanta lætitia, quantaque iucunditate affectum magnum illum Patriarcham Jacob iam grãdæuum putatis, vbi filium suum Joseph, quem velut mortuum diu eluxerat, viuere, & dominari in tota terra Ægypti intellexit? tanto quidem gaudio dicitur delibutus, vt super collum eius irruens, & plenis vlnis stringens, dixerit cum lachrymis: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Quid faciet igitur venerabilis hic Simeon, vlnis eum amplexans, cuius nutum omnis terrarum orbis pertimescit; qui in hæc tandem verba prorupit: Venisti tandem ô captiuorum Redemptor, peccatorum Saluator, mortuorum vita, salus & iubilus totius mundi. Hactenus in ærumnis vitam egi, & amaritudine deduxi canos meos exspectans semper & sperans, vehementer pro redemptione Israel sollicitus, nunc vero dimittis seruum tuum, iam sollicitudine mea liberatus, lætus iam & consolatione repletus, dies meos finiam, cupio iam dissolui vinculis huius, vt tam iucundi, tamq; expectati apud inferos nuntij baiulus esse queam. Nunc igitur dimitte seruum tuum Domine.

Fateor, bone Jesu, fateor, cœlum & terram, purgatorium & limbum, totum deniq; orbem in aduentu tuo exultare: at vero iam multo magis in hac oblatione, qua æterno Patri oblatus es, exultabunt, è qua præsagire licet, te pro mundi redemptione in arbore crucis aliquando offerendum: in qua pro tota humana natura persolues. Sanguis tuus pretiosus erit aurum, Caluariæ mons locus rationum, in quo hocce pretium persoluetur. Nunc igitur dimittis seruos tuos in pace, ô lux hominum! iam læti morimur, certi nimirum portas cœli, quæ hactenus clausæ fuere, patentes iam nobis & apertas fore, vt gloria cœlesti vna cum gloriosissima Virgine matre tua perfruamur, cuius nos compotes reddant, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Partitio.

1. *Ordo rebus in omnibus necessarius, maxime Ecclesiæ.*
2. *De variâ acceptatione huius nominis, Cathedra.*
3. *De diuersis generibus nominis eiusdem; eiusdemq; applicatione.*
4. *De elogiis Cathedræ S. Petri.*
5. *De festi institutione, cur & quando institutum.*
6. *De Monarchiæ necessitate.*
7. *De incomparabili excellentia Petri ex potestate clauium.*

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16.

FIGVRA.

Num. 7. INter mirabilia, quæ in admirabili Pontificis Aaronis olim electione contigerunt, vnum hoc Scriptura præ cæteris in Numeris & recenset & extollit; quod inter duodenas Principum duodecim tribuum Israelitarum virgas, sui quamque Principis nomine insignique notatam, & noctu simul in tabernaculo & sanctuario conclusas, vnica Aaronis virga geminarit, floruerit, & simul amygdala protulerit. Quo cœlitus testimonio illius Pontificatus Sacerdotiumque est confirmatum. Hinc etiam, vt prærogatiua hæc constaret, & rei huius adeo mirabilis memoria in futuras retro generationes propagaretur, Moysen DEVS hanc conseruare virgam, & ad perpetuam rei memoriam, magna solennitate in tabernaculo iussit collocare. Quod olim in lege Judaica figurate contingit, idem rursus, sed reuera in Ecclesia factum est. Cum enim duodecim Christi Apostoli, velut duodecim omnium tribuum & nationum orbis principes, in terra constituti essent, & suam quisque virgam, cathedram, potestatem & auctoritatem haberet; sola Petri floruit, & supereminentiæ fructum tulit, vt hac ratione pontificatus eius declararetur. Atque hinc solam hanc sedem in æternum coli, in Ecclesia sua conseruari, semper ab omnibus fidelibus honorari, & ab ethnicis & barbaris timeri voluit Deus. Hæc festi hodierni materia est, de qua vt quid maiorem Dei gloriam, & altiorē cathedræ huius sanctæ exaltationem promoturum depromamus, cælicum imploremus auxilium, & ab intercessione Deiparæ ordiamur, magna animi demissione Angelicam recitantes salutationem.

AVE MARIA.

Quicumq; de vniuersi huius rebus & mirabilibus rerum creatarum scripserunt, verissime illud asseruerunt, omnem earum honorem, decus ac pulchritudinem, quin imo integram conseruationem ab ordine, quem Creator ipse, dum easdem primo moliretur, & suum illis esset daret, ipsis initio indiderat, dependere. Inter cæteros agnouerunt illud ipsum & poetæ, quorum vnus dicere non est veritus: I. Totius vniuersi conseruatio à suo dependet ordine

Ordine cunctarum stat gloria maxima rerum;
Ordine subuerso vertitur orbis iter.

Ex hocce testimonio, cui nihilominus omnes ad vnum scriptores in quacumque facultate communi suffragio subscribunt, facile colligere est, quam sit omnibus in rebus ordo quidam & scita dispositio necessaria. vt enim taceam eum, quem reipsa in rebus naturalibus in quibus omnia quam scitissime composita sunt, nemo non videt; ipsemet naturæ auctor eumdem seruauit, & notari videriq; ab omnibus voluit, quando res creatas omnes certo in numero, mensira & pondere produxit. vnde in Sapiente legitur. *Omnia in mensura, & numero, & pondere dispo suisti.* Deus omnia ordinatim condidit. *Sap. 11.*

Cui suum addēs calculum Apostolus, hoc modo Romanis scribit, quod velut indubitabile fidei & religionis esse axioma voluit, *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*: quasi diceret: Amate, obsecro, Neophyti Romani obedientiam, & sciatis velim, omnem omnino *Rom. 13.*

nino hominem potestatibus superioribus subiici debere, neq; enim vlla omnino potestas est, quæ non à Deo descendat; quin & omnia, quæ existunt, Deus ipse ita vt sunt, esse voluit, & eum illis quem habent ordinem, locum & seriem dedit.

Longo etiam ante tempore Psalmographus admirabilem hunc demiratus rerum ordinem ait, *Ordinatione tua perseuerat dies.* quasi diceret: Magne Deus, quã admirabilis es! Tu fundamenta terræ primum iecisti, & exinde semper mansit immobilis. Tu ordinem dierum constituisti, qui nunquam violatus est hactenus, quique tua veritus iussa, per tot sæcula perseuerauit numquam interruptus, hinc omnia tuis parere non minis iussis, quam humile obsequium & cultum præstare natura sua tenentur, *quoniam omnia seruiunt tibi.*

Psal.18.

Hinc & Deus Jobo suo loquens, & iustitiæ suæ magnitudinem apud eum deprædicans, & per omnia operum suorum mirabilia eum seriatim deducens, inter cætera insignem illi vniuersi huius ordinem ob oculos ponit, & illum imprimis, qui in cœlis ipsis elucet, per quem & ipsi tam suauiter impelluntur, astra suum ita ordinatim habent cursum, & stellæ tam placide procedunt. Ait igitur, *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Profundas sane & sublimes hic Jobo quæstiones proponit, vt ita hominis imbellicitatem ostendat, rogatque vbinam is esset, cum terrarum orbis fundamenta poneret? quis quatuor mundi angulos dimensis sit? quis eorum quantitatem nouerit? quis abyssorum clauserit cataractas, & intra limites suos mare cohibuerit? vbinam lateat lux? quis tenebrarum locus & habitatio? & alias innumeras. Verum omnium postremam & profundissimam de cœlorum stellarumque ordine proponit, *Numquid nosti ordinem cœli?*

Iob.38.

Quæstiones sublimes Jobo propositæ.

Eandem ob caussam, cum Sisara regis Jabin præfecto fuso profligatoque, vt in libris Judicum narratur, Debora & Bararch epinicion carmen concinerent, quo mirabilia Dei, in stellarum ordine & serie relucentia, mgais innotescerent, hæc carmini suo verba inserunt: *De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ & manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.*

Iudic.5.

Atque hac de causa factum est, vt tot tamque eximiæ in lege Mosaica cæremoniæ tam sedulo, exacteque obseruarentur, vt nimirum ordo quidam debitus, tam in vestitu Pontificio, quam tabernaculi & templi Salomonici fabrica & constructione, vti toties sacris notatum est litteris, seruaretur. Vestes quidem Pontificis videbis in Exodo, eleganter opere plumario & phrygionico depictas, auro interlitas, gemmis pretiosis quadruplici ordine, auro insertis, & tunicæ pontificiæ annexis, conuestitas, *In veste sacerdotali quatuor ordines lapidum inclusi auro erant per ordines.* In templi vero fabrica, tot in libris Regum columnas legere est, tam egregio ordine & symmetria dispositas, tot lapides ad perpendiculum, regulam & mensuram collocatos & aptatos: *Trium ordinum de lapidibus duo ordines sculpturarum.* Tot itẽ ordines ministrorum in templo ministrantium, *Et ordines ministrantium.* Seruatus ergo ordo in vestium concinnatione, in fabricæ dispositione, insculptura, acu pictura, in ministris domus Domini, ordo denique omnibus in rebus.

Exod.28.

3.Reg.6.

3.Reg.10.

Ordo igitur vbiq; necessarius est, & quidem ita necessarius, vt vbi is fuerit, perfectionem denotet, & terrena ad instar cœlestium dirigat & componat; verum vbi is abest, horribili confusione cuncta perturbata sint, & chaos quoddam infernale videas. Idipsum & è Jobo hausi, qui infernum describens, hoc illum colore ante omnia depingit, vt eum velut chaos, & locum horroris ploratusq; omnis expertem ordinis describat, *Vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Ordo omnibus in rebus necessarius.

Mundus sine ordine nonnisi infernus est. Iob.10.

Porro, si omni in re tantopere ordo requiritur, in Ecclesia sane inprimis necessarius est: hinc in Prouerbiis legitur ipsa *ab æterno ordinata,* & ordine disposita. & in Canticis dicitur: *terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Et Apostolus ad hunc subalternatum ordinem Romanos exhortans, ait ante omnia, vt potestatibus superioribus obediant, nulla namque potestas est, quæ non à Deo stabilita sit, & quidquid est, suũ à Deo ordinem

Ordo in Ecclesia maxime necessarius.

nem & seriem accepit, sed in Ecclesia potissimum.

Ecclesiastici ordinis figura. *Dan.4.*

Egregium hunc ordinem vidit ænigmatice, ac velut in emblemate mystico adumbratum, Assyriorum Monarcha Nabuchodonosor: vidit inquam arborem maximam, radices ad inferos vsque, & ramos cœlo tenus extendentem, in ramis eius volucres cœli, & inferne ad truncum omnigena animalia & bestiæ agebant. Scio ad litteram optimam regni & monarchiæ Babylonicæ regendi rationem hac arbore denotari, in qua nimirum is seruabatur ordo, vt, qui dignitatum maiorum capaces erant, sublimioribus muniis præficerentur, at bardi, asini & bestiæ ad inferiora reiicerentur, & ima subsellia. Tropologice tamen beatum Ecclesiæ statum hocce spectro puto præsignatum, quæ tum floret, & legitimo in statu comparet, cum probi, digni, capaces, & numeris omnibus absoluti ad suprema munia velut aues promouentur, rerum vero omnium ignorantes, & nullius meriti viri, minoribus admouentur. Tum inquam Ecclesia splendet & lucet, quando nimirum hic seruatur ordo, vt superiores & capita ratione, æquitateq; ducti motique imperent, subditi vero & inferiores magna cum humilitate & modestia iussa excipiant.

Corpus naturale sine ordine nequit consistere.

Quid, obsecro, corpus hic hominis foret, si nullus in eo seruaretur ordo: si brachia laborem, pedes motum, stomachus digestionem, sanguis per omnia membra communicationem detrectarent, si partes nobiles functiones suas peragere, facultates inferiores egerere, sensus tum exteriores tum interiores operationes suas exercere, & caput imprimis dominium & superioritatem suam seruare nollet; non enim iam viuens corpus, sed mortua quædam statua foret. Ecclesia, auditores, ingens quoddam corpus est, teste Apostolo, *in ædificationem corporis Christi quod est Ecclesia.* & alio loco, *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et rursus, *Pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Quid vero ipsa foret, si ordine careret? si in ea Doctores non docerent, Confessores non exhortarentur, Prælati non gubernarent, Sacerdotes non sacrificarent, Religiosi non orarent, plebs non obediret, & se submitteret; & imprimis si non supremum quoddam caput omnibus imperaret? Non n. Ecclesia quædam foret, sed mera Babylon: non bene instituta monarchia, at publica confusio.

Ephes.4. Co ossi.1.

Ecclesia sine hierarchia mera foret confusio.

Turbarum & schismatum, quæ in synagoga Judæorum olim exstitere Judicum tempore, vnica scribitur fuisse ratio, quod caput non esset in Israel & rector, sed singuli, prout sibi videbatur, vellent viuere, & suo se regerent iudicio: *In diebus illis, non erat rex in Israel, sed vnusquisq; quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Eadem confusio & dissolutio in Ecclesia daretur, si hierarchia in eadem non haberetur. Si suum quisque sequeretur arbitrium & voluntatem, si nullum Ecclesiæ caput, & Monarcha foret, qui absolute omnibus imperaret, & Imperij moderaretur habenas, nonnisi schismata, turbines, & seditiones, bella & pugnæ in eadem apparerent.

Causa schismatis olim apud Hebræos. *Iud.vlt.*

Ordo Ecclesiam conseruat in pace.

Hoc vnum quippe eius inimici mortales spectant, vt mera in ea appareat confusio, nihil adeo quam egregium hunc ordinem abhorrentes. Sunt scilicet Libertini illi, & insolentes, qui tam elate exclament, *Quis noster Dominus est?* & supremum Pastorem detestantes, vt Judæi Dei filium, ore impio & blasphemo vociferari non verentur: *Nolumus, hunc regnare super nos.* Sunt scilicet superbi illi ganeones, de quibus olim Job locutus est. *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat.* nullam disciplinam subire paratus, & omne excutiens iugum, fuit hoc plurimarum hæresum occasio, initium & origo, fuit grauissimarum, quarumcumque Ecclesiæ persecutionum seminarium, hæc prima fuere fomenta & alimenta, quæ tanta passim toto orbe Christiano excitarunt incendia. Atque hoc, quod vnum odissent caput, quod sedem Apostoli eam & Petri cathedram infestam haberent, supremam eius potestatem, & summam in omnes negantes potestatem; quam omnes hactenus tyranni & hæresiarchæ semper impugnarunt, & euertere penitus conati sunt; nonsecus atque ij, qui dum remp. & regnum aliquod delere ac perdere satagunt, in Principem eius ac caput vires omnes conuertunt,

Inimici Ecclesiæ pacem eius odere. *Psal.11.*

Matth.27.

Iob.21.

Inuidia ordinis, qui in Ecclesia est, causa est hæresum & persecutionū, quæ eamdē impetiere.

Ad

Ad imitationem & exemplum Philistinorum, omnem armorum molem in vnum Saulem Regem Israel conuertentium, à quo omnem dependere victoriam non ambigebant, *Totumque pondus prælij versum est in Saul, &c.* 1.Reg.31.

Catholici hierarchiã Ecclesiasticam suspiciunt.

Econtrario Catholici optimi quique, ac veri Dei filij hunc quam maxime in Ecclesia ordinem iuspiciunt, sanctam hanc hierarchiam venerantur, varioſque in eadem gradus, superioritates, & dignitates, & vnum, quod his omnibus imperet caput, verum quendam primatum, supremam auctoritatem, verbo vt dicam, Cathedram quandam Petri, agnoscunt: cuius hodie festum celebramus, & cuius occasione hoc nobis Euangelium proponitur, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* In illustri & tam digna materia duo vobis hodie proponere decreui: primo cathedram hanc celebrabo, deinde festi huius instituendi causas & rationes producam: ex quibus duobus membris magna haud dubie commoda in vtilitatem vestram & documenta depromentur.

II.

Nomen cathedræ diuersimode in Scriptura accipitur.

Verbum porro *Cathedra* diuersis accipi posse modis è variis S. Scripturæ locis manifestum est: sæpe tantumdem denotat ac sonat, ac proinde consequenter sæpe confunditur cum hisce verbis, *sedes, solium, sella, thronus, tribunal*, & aliis, quæ omnia cum verbo cathedra quodammodo coincidunt, & illi Synonyma sunt. Vt enim de cæteris taceam, ipsum nomen *Cathedra*, primo quamdam tam in sacra quam ciuili repub. auctoritatem magistratꝰ, dominij, iurisdictionis denotat; aut, vt clarius exponam, in Ecclesia præsulatum, in regnis regalitatem & coronam. Quæ omnia è sacris litteris facillimum fuerit astruere, & primum ea, quę ad ciuilem gubernationem referuntur.

Cathedra interdum regnum denotat.

Lib. 1. Regum legitur, *Cum sedisset Rex super cathedram suam secundum consuetudinem, &c.* & lib. 2. *Dauid sedens in Cathedra sapientissimus princeps.* & in Job: *Procedebam ad portas ciuitatis, & parabant cathedram mihi.* In hisce locis *cathedra* velut regalis dignitatis aut dominij nota accipitur, atque ita suis in Moralibus interpretatur S. Gregorius. Idipsum & nominibus *thronus* ac *sedes* denotatur, vt lib. 3. Regum sublimis ille & magnificus Salomonis thronus nonnisi regiam auctoritatem quamdam designabat. Quin etiam Archangelus Deiparam cõpellans, dum ait, *Dabit illi Dominus sedem Dauid*; idipsum postea de regno exposuit dicens, *Et regni eius non erit finis.* 1.Reg.20. 2.Reg.27. *Lib.19. Moral.* 3.*Reg.*10. *Luc.*1.

Non minora pauciora ue sunt testimonia, quibus sacram cathedræ dignitatem notari efficiamus. in Psalmis legere est, *Et in cathedra seniorum laudent eum.* In nouo item testamento: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi*: quæ D. Hieronymus verba plane aperteque de dignitate Episcopali Ecclesiasticoque sacerdotio cum ligandarum ac soluendarum iniquitatum hominum potestate interpretatur. Adeo vt quicumque sapientissimum principem Dauidem, & Scribas & Pharisæos super Cathedram cõsidentes, & Salomonem suo in throno conspicit, vere regiam eorum dignitatem & potestatem videat: qui vero seniores in suis cathedris, & Job ante portas ciuitatis in cathedra sedentem videt, eos velut Præsules & Pontifices in Ecclesia videre se credat. Cathedra interdum Prælaturas notat. *Psal.*106. *Matth.*23. *Ierem.*21.

Interdum *cathedra* in sacris litteris quemdam honoris gradum, & præ aliis præeminentiam prærogatiuamque designari videas; atque hoc modo apud Ecclesiasticum sumi, qui honorum fugam & contemptum suadens, dicit: *Noli quærere ab homine ducatum, neq; à Rege cathedram honoris.* Eodem quoque in sensu accipiendem, quod Pharisæis ambitione tumidis in Euangelio Redemptor dixisse reprehendendo legitur, *Diligitis primas cathedras*, & primum in Synagoga locum. Ad eumdem etiam modum exponenda est ambitiosa matris illius pro filiis suis petitio, *Dic, vt duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram, alter ad sinistram*: quasi diceret: Veniat quæso in in mentem consanguinitas, quæ tibi cum filiis meis est communis, vt dum ad regnum Israelis, (vti certo speramus) perueneris, ad dextram vnum, ad sinistram tuam alterum constituere ne graueris, id est, primum in regno tuo locum, & honorem præ aliis maximum obtineant. Cathedra interdum pro aliquo dignitatis gradu accipitur. *Ecl.*7. *Matth.*23. *Marc.*12. *Luc.*11. & 20. *Matth.*20.

Verum eadem in significatione verbum hoc clarius & proposito aptius in aula Persarum vsurpatum est. Ostendere namque sacra Scriptura dum cupit honores, quibus Amanum purpuratum præ aliis regni principibus ac Satrapis affecerat Assuerus, vti ex historia Esther manifestum fit hoc locuta est modo: *Esth.3.* *Post hæc Rex Assuerus exaltauit Aman, & posuit solium eius super omnes Principes quos habebat.* quo loco nomen *solium*, quod cathedræ æquipollet, nonnisi maximos honores, priuilegia & dona singularia, quibus à Rege maximo insolens ille & elatus ornatus erat, designat.

Cathedra auctoritatē docendi notat.

Tertio, interdum & naturæ suæ conformius *Cathedram* pro docendi, & Euangelij prædicandi auctoritate potestateque accipi noris. atque hoc modo Rupertus & alij illustres Doctores id accipiunt, idque sacram Scripturam secuti, ac potissimum hunc Matthæi locum, *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi.* id est, Scribæ & Pharisæi & legis interpretes, eamdem legem eadem docuere auctoritate, qua olim Moyses. Huic etiam expositioni significationique quadrare videas supra prolatum Psalmorū locum, *Rupert.lib.3. in Ioan.* *Matth.23.* *Psal.106.* *Et in cathedra seniorum laudent eum:* nam per illam seniorum cathedram nonnisi auctoritatem docendi in Ecclesia, qua veteres Patres & Doctores claruerunt, intelligere oportet.

Nonnisi seniorum est cathedram conscendere.

Cui opinioni non minus fideliter accedo, quam libenter ex ea infero, magno sæculi nostri probro & dedecore, vosq; mecum notare velim, de senioribus dumtaxat hoc loco dici, vti cathedram conscendant; vt hinc discamus, nonnisi seniorum, & quidem prudentium, longoque rerum vsu, experientia doctrinaque excellentium, non vero iuuenculorum vanitate inflatorum esse, cathedras occupare, vt in iis Deum laudent, & populum doceant. In cuius rei figuram, dictorumque confirmationem in Apocalypsi circumhorrendum Dei thronum viginti quatuor magna videas sedilia, sed quæ seniores, canitie venerabiles, occupent. nulli porro iuuenculi: *Apoc.4.* *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores, sedentes, &c.*

III.
Quatuor cathedrarum genera in S. Scriptura.

Cæterum varia hæc Cathedræ per sacras literas passim notio aliam mihi cathedrarū, quatuor in veteri Testamento à Prophetis, in nouo per Euangelistas & Apostolos collocatarum, & ea multo digniorem pluralitatem in mentem reducit. Et quidem noto quadruplicem. Prima & altissima cathedra est Dei Primus hanc vidit & notauit Ezechiel: videte & notate eius verba aduersus Regem Tyri, Deo Deiq; populo aduersantem & superbe elatum, in præsagæ cuiusdam comminationis modum prolata: *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, Dic Principi Tyri, Hæc dicit Dominus Deus, eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris, cum sis homo, & nō Deus, &c.* Cathedram aut aliud sedile Deo affingere, nihil est aliud, quam, teste Origene in Genesin, hom.1. & super Isaiam hom.1. supremi cuiusdam creatoris imperium, & maiestatem, magnitudinem, dignitatem & excellentiam, quæ soli Deo, nulli porro creaturæ conueniat, significare.

Cathedra Dei. *Ezech.26.*

Deus cur in cathedra sedere fingatur.

Hoc vt denotetur, variis nominibus Deo hęcce cathedra per sacra volumina nominatur, variisq; modis & sitibus Deus ipse sedere fingitur. Psalmista sedentem illum describit in sede, quam sanctā esse dicit, *Deus sedet super sedem sanctam*; alias super Cherubinos, *Qui sedes super Cherubim.* Propheta Esaias vidit illum in solio excelso, cui Seraphim superstabant: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim stabant super illud.* Ezechiel aliter eum describit, & vidisse se in throno Sapphyrino ait sedentem, *Quasi aspectus lapidis Sapphyri similitudo throni.* Ad throni huius diuini ornatum, decorem & admiranda, plura adiungit Daniel, ac vidisse se scribit Deum veluti senem quēdam, alba indutum veste canitie venerabilem, solio ignito & flammiuomo, infinitisque circumecus Angelorum millibus stipato insidentem, *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flamma ignis, &c.*

Deus diuersimode sedere scribitur. *Psal.46.* *Psal.97.* *Esai.6.* *Ezech.1.* *Dan.7.*

Magnæ huius sedis dignitatem, decus & splendorem sublimius etiam cuehit Joannes dum

dum ait: *Ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens, & , qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidu, & sardinus, & iris erat in circuitu sedis, & in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, & de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei, &c.* An non hæc insignis & admirabilis quædam sedes? sed iam ad alias transeamus.

Apoc.4. Descriptio throni Dei.

Secunda sedes, quæ in sacris voluminibus describitur, sedes est diaboli: atque huius meminit sua in Apocalypsi Joannes, *scio, vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ.* Sedes, inquam abominanda, sedes peccati, sedes mendacij & blasphemiæ, sedes denique hæresum. At quæ variis vocatur nominibus, & diuersimode in Scriptura depingitur. Psaltes suo eam tempore sedes vocabat pestilentiæ, ac beatos prædicabat eos, qui in eadem non sedissent: *Beatus*, inquit, *vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit.* Quod plerique Patrum de noxiis hæreticorum dogmatis, quæ reuera pestilentia sunt & contagiosa, exponunt. Ita sanctus Basilius hoc loco, Clemens Alexandrinus libr. 2. Stromaton, S. Hilarius hoc loco, S. Hieronymus, Sanctus Augustinus, & alij interpretes huius loci.

Sedes Diaboli. *Apoc.2.* Sedes hæreticorum sedes est diaboli. *Psal.1.* *Super Esaiã 24. super Psal.1. & Apoc. hom. 12.*

Idem Propheta sceleſtam hanc sedem aliter etiam describit, nominatq; sedem iniquitatis & abominationis: *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis?* Huius imago & figura fuit thronus Pharaonis, scriptum quippe in Exodo, filium eius in eodem considentem, ab Angelo illo exterminatore, qui vniuersos per Ægyptum primogenitos nocte vna interfecit, percussum interiisse. Audite verba genuina: *Factum est autem in nocte medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat.* Sane, sicut thronus Pharaonis, & solium Regis Ægypti, mortem principibus attulit, & vindictæ diuinæ & angelis iustitiæ eius administris & executoribus patuit, ita & sedes hæc diaboli, & insolẽs hæreseos thronus animabus exitium creat & perniciem, diuinæque castigationi & flagellis obnoxius est, quin etiam sæpe temporalem magistratuum vindictam in se prouocat.

Psal.93. *Exod.12.* Thronus Pharaonis figura Cathedræ hæreseos.

In Apocalypsi bestiæ sedem depingens Joannes, inter cætera ait: *Et quintus Angelus iratus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est regnum eius tenebricosum;* bestiæ autem cultores furore rabidi, *manducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli.* Compertum & indubitatum penitus mihi est, terra & abominabili ac bestiæ ferocis & monstrosæ sede iam tum execrandum sceleſtæ hæreseos cathedram designatam esse. Vbi enim omnes irarum & vindictarum diuinarum phialæ in eam effusæ fuerint, regnum eius ilico penitus obtenebrescit, inuolutum erroribus, ignorantiisque plenum, iustaque cœli vindicta fieri videmus, vt quotquot hanc bestiam adorant, & eius sedi appropinquant, præ dolore & rabie efferascant, adeo, vt suas sibi linguas euellant, continuoque in Deum cœli, & Ecclesiæ eius Sanctos blasphemias horrendas euomant.

Apoc.16. Cathedra hæreseos collata cũ sede bestiæ in Apoc.

Sapiens in prouerbiis lasciuam quamdam & pellacem describens ad viuum mulierem tam scite intus & in cute eam depingit, vt, nisi in hæreseos id probrum cederet, eam ipse describere præ verecundia vererer. Ita porro eam describit: *Mulier stulta & clamosa plena, illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super cellam in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes per viam, & soli vecordi locuta est.* cui nimirum animus ad altum quid suscipiendum deest. Vestrum hic iudicium, Auditores aduoco. An non hic vere hæresis & sedes illius delineata est: an non enim hæresis meretrix est & lasciua? sed stulta nihilominus & clamosa, stulta inquam suis in dogmatibus, & clamosa in concionibus; plena item illecebris, pellaciis, illiciis, cum non nisi mellitis dulcibusque verbis, sermonibus mollibus, voluptatum oblationibus, libertatum laxamentis & sponsionibus, & aliis incantationum modis in fraudem, ac ruinam pertrahere animas saragat: fœmina adhæc plena ignorantiæ, nihilque penitus sciens: nihil quippe ministris & seminiverbiis fingi stupidius, ignorantius, brutum magis ac bardum haberi potest.

Prou.9. Hæresis ignorantiæ plena.

Ac proinde nullos ad se, præterquam trâseuntes, errones, vagabundos, & nullius celebri homunciones, excucullatos aliquot hinc inde monachos, Sacerdotes dissolutos & infames, aliosque eiusdem farinæ ad se allicit. Denique non alios alloquitur, quam idiotas & rerum ignaros, vt eos in fraudem pertrahat incautos, & vecordes, vt illos decipiat, & gulones ganeonesque libertatem sectantes, vt eos in casses suos alliciat. At nobiles, generosæ & sublimes animæ, quæ iudicio valent, & rem perspiciunt, denique omnes, quibus vel mica salis, iudicij, meriti, decipi inescarique se venenatis pellacis huius meretriculæ laqueis retibusque non sinunt.

Ingenia insignia ab hæresi non se sinunt decipi.

Cum sedes illas pelliceas, quas in morborum suorum occultorum leuamentum construxere Philistæi, de quibus primus Regum meminit liber, attentius mecum examino: (*Inierunt q; Gethæi consilium, & fecerunt sibi edes pelliceas*) illico menti se offerunt delicata illa ac infarta sedilia hæreticorum nostrorum: vt enim infirmitatibus ac morbis succurrant, vt libidinem foueant, suæ libertatem vitæ non violent, & occultas turpitudines alant ac nutriant, sedilia eorum ad instar Philistinorum, suauibus mollibusque adeo verbis, sermonibus gratis plausibilibusque, vita lasciua ac placida leuiter suffarta sunt, nihil vt sit, quod conscientiam torqueat, nihil quod lædat corpus, nihil quod voluptatibus obstaculo sit, nulla auctoritatis, nulla pœnitentiæ apud eos mentio, confessio, quadragesima ab ipsis exulat, via salutis adeo plana illis & facilis, peccatorum condonatio leui negotio comparanda, Dei denique misericordia omnibus communis & patens. Hem quam suaues mollesque pelliculæ; ô læuis infartura! ô iucundæ ac delicatæ cathedræ! Sed rem cœptam prosequamur.

1. *Reg.* 5.

Sedilia hæreticorum similia sedibus Philistinorum pellibus mollibus conuestitis.

Tertia, quæ in sacris litteris describitur sedes, est cathedra Moysis, cuius Redemptor ipse in Euangelio meminit, dum ait, *super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi.* Hæc porro cathedra, vt quidem Rupertus ait, legis doctrinam designabat: atque vt in Euangelium mutata lex est, in gratiam ri-

Cathedra Mosis.

Matth. 23.

Rupert. 3. *super Ioan.*

gor, in rem ipsam vmbræ, in veritatem figura, in vera mysteria ipsæ cæremoniæ transierе, ita quoque cathedra hæc in Cathedram Petri commigrauit. Præsignatum hoc fuit in sella Pontificis Heli, qui retrorsum de sella sua lapsus fractis ceruicibus ilico exspirauit, decrepitus enim erat & prouectæ ætatis, vt in primo Regum libro legere est. Præsignificabat hoc ac faustum velut omen fuit & augurium, Sacerdotij Judaici honorem & decus iam veterascens ac velut putidum, breui finiendum, & Jesu Christi summi Pontificis sacerdotium eius in locum surrogandum.

1. *Reg.* 4.

Cuius rei vetus quidem, pulchra nihilominus in libro Esther figura memoratur. Aman quod apud Regem Persarum Assuerum insolentius se gessisset, & aduersus caput regium conspirasset, ad summam ignominiam decidit, omnibus quas nactus erat dignitatib. exutus; humilis vero Mardochæus ob fidum & dignum Regi exhibitum obsequium, eius in locum & dignitatem summo cum honore subrogatur: *Tulit itaq; Rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo.* Ita Pontifex ille superbus Caiphas, cum in Synagogæ rebus insolescceret, & arroganter se gereret, & in Regis, Messiæ, ac Dei sui necem coniurasset, honoribus suis excidit, in ordinem redactus; & humilis è contra Petrus eius loco est exaltatus. Prædixerat hoc apud Matthæum Redemptor: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, &c.*

Esth. 7. Præsagium finiendi sacerdotij Judaici.

Matth. 21.

IV. Cathedra S. Petri. Elogia Caiugulatur mendacium, hæc est, in qua iam thedræ S. Petri.

Denique quarta & vltima cathedra occurrit, ipsa S. Petri, Mosaicæ succedens, quæ eadem plane est cum cathedra Redemptoris. Hæc illa est cathedra in qua docetur veritas, mille sexcentorum annorum spatio ducenti quadraginta & amplius sederunt Pontifices, hæc sedes Apostolica, quæ tot pestilentia & noxia dogmata falsitatis, impostura & hæreseos condemnauit. Hæc illa sedes est deniq;, quæ toties omnia orbis tribunalia & consessus, omnes Christianitatis nationes in generalia illa parlamenta, quæ Concilia appellamus, coegit.

Hæc regia illa est sedes, quam tyranni poten-

tentissimi semper timuerunt, & Reges maximi sunt venerati. hæc est cathedra, cuius auditores homines sunt & Angeli, quã omnes quos sol aspicit populi consulunt, quæque omnibus prouinciis vtroque sub axe positis leges fert & decreta. Hæc est illa potens & triumphans cathedra, quæ infidelibus terror, Christianis refugium & armamentarium, peccantibus flagellum, afflictis solatium, pœnitentibus spes, diabolis denique formido est.

Hæc est alta & inexpugnabilis illa cathedra, quæ iam mille sexcentis stetit annis, & ad finem vsque seculorum infracta permanebit, sedes, inquam, in petra impenetrabili fundata, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc denique cathedra est, à qua censuræ & excommunicationes Ecclesiasticæ velut fulgura & tela ignea emicantia procedunt. In cuius rei signum dicuntur in Apocalypsi *de throno fulgura, & voces, & tonitrua processisse.* fulgura tonitruaque terrorem, voces consolationem immittunt: quo mysterio docemur, ab hac Petri sede, quæ verus Ecclesiæ thronus est, interdum peccatoribus per excommunicationum fulmina terrorem incuti, interdum quoque consolationem per absolutionum voces illis dari. Hanc ergo Petri cathedram vniuersus hodie Christianus orbis exaltat, & festo instituto celebrem habet: cuius si rei causas scire velitis, eas iam prosequar: est quippe altera propositi instituti pars & membrum.

Matth. 16.

Apoc. 4.

Figura.

V. Prima festi huius causa.

Prima igitur instituendi & celebrandi festi huius causa est, vt hac ratione Ecclesiæ auctoritatem, & ordinem eius hierachicum, & primatus eiusdem supremi dignitatem orbe vniuerso fideles tuerentur & conseruarent. Quod primum in petra fidei & legum naturæ infallibilitate & certitudine fundatum est. Quicumque enim monarchicum Ecclesiæ statum euertere, & abolere conatur, næ hic eadem opera non modo fidem ipsam, sed & rationem omnem naturalem impugnat.

VI. Monarchica regendi ratio in fide & ratione naturali fundata.

Hic namque ordo, & nobiles hæc regendi ratio qua nimirum vnum alteri subalternum est, & plurima vnius legibus & imperio reguntur, in omni rerum creatarum statu dari inuenirique potest. Inter animalia siquidem rationis expertia principes quosdam imperare videas; Regem habent formicæ, volatilibus præest aquila, quadrupedibus Rex est leo, serpentium crocodilus caput, piscium delphinus. Quin & Angelici exercitus vnius capitis ductum directionemque sequuntur, ita namque in sancti Michaeli honorem canit Ecclesia, *Michael princeps militiæ cœlestis exercitus.*

Animalia ordinem monarchicum agnoscunt.

Angelorũ monarchia.

Ordo hic homini adeo naturalis & essentialis est, vt etiam in primi rerum incunabulis, & in statu innocentiæ primatus quidam & dominium inter homines fuisset: testem huiusce sententiæ habeo Doctorem Angel cum Thomam, qui multis id adstruit; primaria autem rei huius ratio est, quod cum homo natura sit animal sociale, & creatus, vt in tali statu in societate viuat; societas autem consistere sine capite aliquo, quod scilicet commune & publicum procuret bonum, nequeat, haud dubie in primo illo sæculo aureo, & in statu innocentiæ imperiis & dominatibus opus fuisset, id est, imperare aliquos & præesse oportuisset.

In statu innocentiæ fuisset primatus.

1. p q 96. a. 4.

Hæc mihi ratio summopere placet; è qua hasce elicio consequentias. Primo, si capitis alicuius primatus, & superioritatis tituli, vna cum mundi principio simul existere cœperunt, cur mundo non desinente illi desinerent? cur mundo stante, non simul stent illi? Secundo, si in statu perfectionis, qualis erat status ipse innocentiæ, necesse fuisset principatum reperiri, multo potius in statu corruptionis superioris alicuius imperium & auctoritatem summam locum habere par est. Tertio, si in paradiso terrestri, in quo primum cœpit Ecclesia, & nisi per peccatum stetisset, semper vlterius ab omni persecutione immunis, à rebellionibus libera, ac sine vllo hæresum periculo, progressa esset, hierarchia & monarchia aliqua stabilienda fuisset; an non potius, & maiori iure in eamdem iam mediis in afflictionibus constitutam, tempestatibus & procellis vndiquaque concussam, hinc exorientibus schismatis, illinc pulsante hæreticorum tyrannide, eadem inducenda?

Rationes quib ordo primarius in Ecclesia astruitur.

Secunda; Poterat Deus aut per se, aut Angelorum ministerio homines regere, & in diui-

Deus vult homines ab

hominibus dirigi.

diuinorum decretorum & legum iugo eosdem continere: at noluit, sed homines hominibus subiicere maluit, dando iis caput, quod eiusdem sit cum iis naturæ, gubernatorem, qui eodem sit natus climate, & superiorem suis ortu naturaque parem. In quo egregia hominis dignitas & perfectio perspicitur, & quo quam proxime ad Dei sui imaginem accedit. Vbi primum hominem condere decreuit Deus, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Si quid vero diuinitatis, & in quo creatori similis sit, homo habere, credatur, quod volucribus animantibusq; dominatur: quanto maius diuinitatis indicium erit in homines dominari, eisque præesse & imperare?

Gen. 2.

Magna hominis dignitas homini imperare.

Hanc ob causam crediderim sanctum Paulum, etsi aduſq; diuinitatis thronum raptus fuisset, & multa polleret scientia, ad Ananiam discipulum cœlitus destinari, vt ab eo quid facere se oporteret, disceret, eius iussis pareret, & voluntati eius monitisque se subderet: *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Quin & in Euangelio dudum ante Redemptor hominum Christus leprosos ad sacerdotes destinat, dicens: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus;* se quodammodo honore, qui hac è purgatione & miraculo resultabat, priuare cupiens, quo is ad homines deriuaretur.

Actor. 9.

Luc. 17.

Historia quæ docet homines ab hominibus regendos.

Egregia è Prato spirituali Sophronii, qui in Concilio Nicæno liber approbatus est, hoc confirmabit historia. Sacerdos vitæ simplicitate conspicuus, sacra celebrans, verba parum catholica, sed orthodoxæ fidei aduersantia proferebat. Sæpe illum huiusce rei commonuit Diaconus celebranti adstans; sed ordinaria Angelorum, quos inter celebrandum conspiciebat, visione nixus, probe monentem negligens, suo in errore permansit: donec importunitati monitoris cedens, eumque sequens; Angelos compellauit, de eisque conqueſtus, quod eum errare cernentes, non correxissent, sed assidua præsentia quodammodo in errore confirmassent. Sed hanc à se culpam remouentes Angeli, palam dixere: *Ita Deus disposuit, vt homines corrigantur, & vt homo ab homine discat & gubernetur, nec putet propter Angelicam visionem se hominis doctrina non indigere.* Quemadmodum hac ex historia manifestum fit, quo hominem Deus honore affecerit, vt vni in alterum imperium & potestatem dederit; ita quoque colligi hinc potest, quam sit hæc dignitas & perfectio in statu Ecclesiastico, cuius gubernandi ratio monarchica sit oportet, necessaria, quantique refert.

Cap. 19.

Tertia & vltima sit hæc probatio. Inter omnia dominia, magisteria, superioritates ac gubernandi rationes ea & nobilissima & omnium habetur perfectissima, in qua supremus aliquis conspicitur princeps, quæque ad rerum naturalium gubernationem quam proxime accedit, in quibus scilicet, & circa quas quædam ad primam causam & simplicissimam essentiam, à qua status, gubernatio & motus cæterorum dependet, analysis & reductio datur. Atque hanc ob causam huiusmodi eam in Ecclesia sua stabilire debuit Redemptor: & quidem eo magis, suæque sapientiæ accommodatius: quod Iudaicarum figurarum tempore eamdem gubernandi regendique rationem in Synagogam induxerit, summum in ea & absolutum sacerdotem, cum plena & absoluta de omnibus iudicandi potestate constituens.

Monarchicum dominium omnium est perfectissimum.

Synagoga ad monarchicum imperium redacta.

Quin & Christus, qui humilibus simplicibusque parabolis sublimia sua dogmata sæpe proposuit, sæpenumero Ecclesiæ suæ statum rebus monarchico imperio regi solitis assimilauit. Modo namque exercitui, cui vnus castrorum præfectus præest; modo regno, in quo nonnisi vnus regit, alias naui, cui vnus nauarchus imperat; alias vineæ, quæ nonnisi vnum habet patremfamilias & dominum, interdum quoque caulæ, quæ vnum pastorem agnoscit, dicens: *Vnus pastor, & vnum ouile.* & hodierna die cathedræ, in qua nonnisi vnus doctor, id est, S. Petrus, considet, cui soli dictum fuit, *Pasce agnos meos, pasce oues meas*, id est, pasce & refice pabulo spirituali, doctrina, documentis, agnos simul & oues, id est, paruos iuxta ac magnos, populos & regna, fideles, reges & Episcopos. Sed ad causas nostras redeamus.

Christus Ecclesiam sæpe comparauit rebus monarchice regi solitis.

Ioan. 16.

Secunda

Secunda causa festi huius instituendi.

Secunda instituendi festi huius causa ad S. Petri, qui totius Ecclesiæ caput est, honorem, & exaltationem refertur. Mos in aulis Principum obtinet, vt qui ab illis ad amplissimos honores euehitur, & ad primam dignitatem sublimatur, ab omnibus regnicolis vicissim honoretur. Figuram rei huius dabit Genesis. Volens Pharao Ioſephum virum sapientissimum & Deo apprime charum exaltare & euehere, ait: *Tu eris super domum meam, & ad tuum imperium cunctus populus obediet.* simul quoque sigillum, quo litteræ regiæ obsignari solebant, in datæ auctoritatis & potestatis signum, illi in manus dedit: quo viso omnes eum Ægyptii toto regno diffusi colere & reuereri cœperunt. Eodem plane modo Iesus Christus, Regum Rex, sanctum Petrum, Deo dilectissimum ad summos honores extulit, eumque suæ domus, id est, Ecclesiæ, œconomum, & præpositum constituit, huius illi curam administrationemque concredidit, suum illum vicarium creauit, cœli ianitorem, & totius vniuersi principem esse voluit, iuxta communem illam omnium promotionem, *Constitues eos principes super omnem terram.* Hinc officii nostri est, nostri inquam, qui Dei filii sumus, & partium nostrarum, in terra eum colere, & singulari officio cultuque prosequi.

Gen. 41.

Figura.

Psal. 44.

S. Greg. ad Mauritium Imp.

Egregium S. Petri elogium è S. Gregorio.

Monuit idipsum & olim Magnus Pontifex Gregorius Mauritio Imp. scribens, eumque ad honorem Petri successoribus exhibendum exhortans: *Dignum est*, inquit, *vt vestra sanctitas & pietas honorare dignetur illos, quibus suo loco Deus honorem tribuit, & Angelos aut Deos appellat, & signanter beatum Petrum, quem constituit Dominus super omnes principes dignissimum principem, sicut hodie canit Ecclesia, Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, &c.*

Et sane mirifice & imprimis coli laudarique S. Petrus debet & meretur, vtpote cui post Redemptorem Christum similem terra non vidit. De Ioanne Baptista dixit quidem olim Seruator, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*; non tamen is honores, dignitates, cæterasque prærogatiuas habuit, quæ S. Petrum admirabilem reddidere; quales sunt aquis inambulare, vmbra morbos pellere, nauem in altum ducere, ad diuinitatis abdita penetrare, cœli claues gestare, principem esse Apostolorum totius Ecclesiæ caput, Dei deniq; filii in terris vicarium. Cui enim pares vmquam in mundo honores actituli obtigerunt?

Matth. 11.

S. Petrus dignior Ioanne Baptista.

Magna haud dubie beati Petri est dignitas, & honorari præ cæteris ipse meretur, cum per eamdem Christo Domino assimiletur. De Redemptore dixit olim Archangelus *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius.* Eamdem porro sedem, eumdem thronum regiū, eamdem auctoritatem, & primam potestatem deinde in Petrum transtulit. Ad quam magnus Gregorius alludens, & Psalmistæ verba vsurpans exclamat: *Ideo merito exaltent eum in Ecclesia plebes, in cathedra seniorum laudent eum, &c.*

S. Petrus Christo par in dignitate, *Luc 1.*

Ad Maurit. Imp.

Prophetæ quoq; & Isaias imprimis Messiæ futuri, Iesu Christi inquā, honores & prærogatiuas exaggerans, ita Dei patris nomine ipsum affatur, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & claudet, & non erit qui aperiat aperiet, & non erit qui claudat.* Petro vero hodie dicitur, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, &c.* Ingens sane dignitas, & honor hominis eximius est, & inter homines solius Petri, vt cæli gestet claues, aperiat & claudat, quoties & cui voluerit, & de portis illis æternis, put libuerit, disponat.

Isai. 22.

Magnus Petri honos, esse cœli clauigerum.

Gen. 41.

Si omnis Ægyptus, & omnis adeo postmodum terrarum orbis Ioſephi fortunam ita est demiratus, quem humilem & plebeium ad summum honorum apicem Pharao Rex euexit, vicarium suum generalem constituit, cui regium annulum, & horreorum regiorum curam concredidit; quanto potius sanctum Petrum Christiani omnes obstupescant & suspiciant, quem à Rege Regum, & vnigenito Dei filio, Ecclesiæ suæ vicarium ac præpositum constitutum, regium ad dimittenda peccata, gratias distribuendas, obtinuisse annulum, regniq; cœlestis claues vident accepisse, quasi homo Deus factus esset, & regni cœlorum ab hominibus collatio dependeret?

Petri dignitas collata dignitati Ioſephi.

Dan. 5.

Propheta Daniel Nabuchodonoſoris Babylonii magnitudinem & potentiam apud filium eius deprædicans, hisce vtitur verbis: *Deus*

Dan. 5. *Deus altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo, quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat.* Si Diuo Petro hicce panegyricus recitaretur, illustrior haud dubie & verior foret. In ipso quippe singula eius membra reperire est, quæ proinde omnis terrarum orbis obstupescat, huic enim idem Deus *Regnum* dedit, sed æternum, aduersus quod portæ inferi non prævalebunt, *Magnificentiam* quoque & splendorem, ecquæ enim maior illustriorque fingi cogitative potest, quam Ecclesiæ, cuius Princeps Petrus est constitutus, mysteriorum, inquam, magnitudo, Sacerdotii potentia, Sacramentorum mirabilia, & cæremoniarum varietas? &c. *Honorem* item & *Gloriam*, gloriam in cœlo, & honorem in terris; honorem, inquam, quod aquis inambularit, mortuos ad vitam reuocarit, Apostolorum collegio præfuerit, à Christo *Beatus* sit dictus, regnique cœlestis claues acceperit, quam insignis in his omnibus honor elucet? *Quos volebat, exaltabat.* Cœlos scilicet aperire, & claudere, purgatorium euacuare, & tartarum vincire, sanctos inuocandos decernere, & hæreses condemnare; sanctum Matthiam euehere, & Simonem magum deiicere; an non libertatis ac voluntatis signa, & purum sancti Petri velle sunt?

Petri gloria assimilatur gloriæ Nabuchodonosoris.

Honor Petro datus.

Hominis in eo dignitas & prærogatiua non parum elucet, quod illius potestati dominioque creator iam inde ab initio creata omnia subiecerit, quod admiratus Psaltes exclamat, *Quid est homo quod memor es eius? gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, &c.* At maior longe est honor & admirabilior à Rege Regum in sanctum Petrum collatus. Quem cum Redemptor gloria & honore coronasset, & omnigena benedictione, & mirabilibus variis exornasset, omnium illi creaturarum dominium concredit, supremum rerum suarum œconomum ac dispensatorem constituit, & in omnes imperium, auctoritatem, potestatemque est elargitus; in corpus nimirum & sanguinem suum in consecratione, in merita & thesauros Ecclesiæ, in indulgentiis, in delictorum remissione Ecclesiæ suæ Sacramentis; *omnia* denique; *subiecit sub pedib. eius*; non bestias, non aues, sed homines, sed fideles, sed dæmones, sed Angelos, quem sibi honorem & collega eius Paulus asscribit, de eoque gloriatur, *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia?* 1. Cor. 6.

Psalm. 8.

Christus omniū creaturarum dominium Petro contulit.

Ioseph Patriarcha de felici rerum suarum successu gloriatus, & quantum hero suo Putifari deberet, agnoscens, ait: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habet in domo sua, nec quidquam est, quod in manu non sit potestate.* quasi diceret: Mene quis in orbe viuit felicior? melioremne quam ego magistrum quis nactus? ecce Dominus omnium rerum suarum cura mihi concredita, quid domi suæ sit, vix compertum habet; adeo me colit & diligit, nihil planè vt possideat, quod non meæ commiserit fidei. Maiori sanè cum ratione suam Petrus deprædicare sortem poterit, & de honore & affectu, quo eum Iesus Christus Dominus eius semper est prosecutus, gloriandi potiorem ratione habet: nihil siquidem in Ecclesiæ domo possidet, quod non illius in manus tradiderit, & potestati subiecerit, vti sunt, dæmonia pellere, animas saluare, Euangelium annunciare, Sacramenta administrare, peccata condonare, miracula patrare, &c. An non eximius hic honor, & magna prosperitas? Gen. 39.

Quidquid in Ecclesia est, Petri est.

Dictum olim à Deo Ieremiæ Prophetæ, quod non parum ad eius honorem facit: *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & dissipes, ædifices & plantes.* Idem, sed longe maiori cum gloria postea sancto Petro dictum fuit: Orbis quippe Redemptor cum gentibus & regnis præfecit, & ligandi soluendique peccata, idola, hæreses euellendi, & dissipandi auctoritatem ac potestatem dedit; potestatem item veritatis, fidei, Euangelii, virtutum, crucis pœnitentiæ ædificandæ & plantandæ. Quodque olim Dei filio dictum, *Da o tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, idem illius Vicario Petro collatum est, quando illi simul & aliis Apostolis Redemptor ad Patrem abiturus ait, Ieremi. 1.

S. Petrus potestatem habet euellendi & plantandi.

Psalm. 2.

Sicut

Ioan 19. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; eadem auctoritate, potestate, eodem cum iure, eisdem cum mandatis, eodem cum honore & gloria. Sed in causis nostris pergamus, & cœpta prosequamur.

3. Causa festi huius.

Tertia celebrandi huius festi causa fuit, vt hac ratione sancti Petri auctoritas & magistratus declararetur & magnificaretur, qui interdum clauibus, interdum etiam cathedra exprimi solet. Audiens ergo Petrum cathedram habere, & claues gestare, hinc colligas licet, datam illi & docendi auctoritatem, & Ecclesiæ regendæ imperandique potestatem. Si sedem habet & thronum Pontificium, eius est ea quæ fidei sunt decernere, Scripturas interpretari, hæreses proclamare, inter lepram & lepram discernere; si claues manu gestet, ei incumbit aperire & claudere, ligare & soluere, excommunicationis fulmina eiaculari, leges & statuta condere, populi vero eum colere & obedientiam præstare.

Cathedra & claues symbola sunt auctoritatis & potestatis.

Notandum hic venit, quas Christus dat claues, molestę in humeris portandas, non vero probrose pedibus cõculcandas. In Isaia siquidem leges, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*, & apud eundem alio loco de Messia scriptum, *cuius imperium super humerum eius*. Vt hinc discant Præpositi sapienter, prudenter, & circumspecte, auctoritate & potestate Ecclesiastica vti, non vero stolide & indiserte eadem abuti. Quicunque enim proprio studens quæstui, & rem suam curans, clauium potestate male vtitur, Iesu Christi locum non tenet, nec Petri successor est, sed sui ipsius velut quidam imperio indignus. Rex propria sectans commoda, de publicis nequaquam sollicitus, Regis nomine plane indignus est, sed tyranni nomen meretur, & rem publicam prodigentis. Iterum igitur dico, & repeto, præsulem omnem clauium harum regalium & potentium auctoritate abutentem, non cœli, sed tartari claues gestare censendum, non inquam, sancta & legitima iurisdictione præesse, sed tyrannica & impia. Insignem rei huius figuram suggerit Apocalypsis, in qua lego; *Stella magna cecidit de cœlo, & data est illi clauis putei abyssi, & aperuit puteum, & ascendit fumus sicut fornacis magna, & obscuratus est sol, &c.* Magnæ huic stellæ comparemus licet præsulem male præsidentem; qui toties cœlo cadit in præceps, quoties suo male fungitur munere: clauem tum putei abyssi habet, quando auctoritas & potestas eius ad auaritiam & ambitionẽ (quę veræ sunt voragines putei, & abyssi) dumtaxat respiciunt. Inde porro fumus velut à vasta fornace ascendit, infamia inquam intolerabilis, maxima scandala, exempla noxia, & fama sinistra, quæ aerem & solem, id est, dignitatum Ecclesiasticarum decus offuscat & inficit, viros probos turbat, iisque non exiguam molestiam affert & dolorem.

Ecclesiæ claues humero gestãdæ, non pedibus subiiciendæ. *Isaia 22.*

Isaia 5. Omnis qui clauibus Ecclesiæ abutitur, Petri successor non est.

Præsul clauibus Ecclesiæ abutens, non cœli, sed tartari claues portat.

Apoc. 9.

VII.

Aliud hisce in clauibus noto, nimirum solas claues regni cælorum, non vero regni terreni sancto Petro datas, *tibi dabo claues regni cælorum*. Magnum hic latet mysterium è quo disco, eos qui in Ecclesia præsident, honores & vanitates consectari terrenas minime debere, idque ad imitationem Redemptoris, qui à Pilato interrogatus, *Rex es tu?* ingenue respondit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, quin & vrgentibus Pharisæis, liceretne censum dare Cæsari? respondit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Denique, quamdiu inter mortales egit vt summus Pontifex, nonnisi spineam tiaram in crucis arbore, inque vltimo vitæ articulo gestare voluit.

Claues regni cœlorũ Petro datæ, non terræ.

Matth. 29.

Matth. 22.

Prodit se hic & aliud mysterium, quod non inferni, sed cœli claues S. Petro sint traditæ: vt hinc discamus, nisi quid iudicans fallor, Ecclesiam non infernalis abyssi, sed regni cœlorum claues habere; *Tibi dabo claues regni cælorum*: Cuius rei hæc est ratio: eo quod inferni Peclauis inferorum potestas quædam sit tartarotro datæ nõ ri reserandi & obserandi, in bonam hoc sint. nempe partem accipiendo: non quod reseretur, vt in eum homo deturbetur, sed potius, vt inde emergat; obseratur vero, vt cum semel inde egressus fuerit, numquam dein eodem redeat. Hoc porro per gratiam fit, quam reuera, realiter & ipso effectu, Ecclesia non confert, etsi exterius ministerialiter, vt quidem Scholastici Doctores loquuntur, cooperetur & allaboret; nam solus Deus eam confert, iuxta id Psalmographi, *gratiam & gloriam dabit Dominus, &c.*

Cur claues inferorum potestas quædam sit tartaro datæ nõ ri reserandi & obserandi, in bonam hoc sint.

Ecclesia gratiam nõ confert effectiue.

Psal. 83.

Deus solus claues inferorum habet.

Solus ergo Deus inferorum claues & seras gestat, qui hoc se nomine in Apocalypsi cõmẽdat, *Viuo ego & fui mortuus, & habeo claues mortis, & inferni.* Numquam Ecclesia, aut creatura aliqua hisce vti verbis potuit, vti nec potestatem arrogare sibi potest, quam sibi soli assumit Redemptor, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, inter Angelos nempe & homines, in spiritualia inquam & temporalia.

Apoc. 1.

Matth. 28.

Duæ Ecclesiæ claues denotant duplicem potestatem ordinis & iurisdictionis.

Quam porro artificiosæ hæ sunt claues, quot in se concludunt mirabilia; quam nouos mihi conceptus suggerunt, cum numero multitudinis eas S. Petro a Saluatore dari audio? *Tibi dabo claues*, & non *clauem*. E duabus hisce clauibus videlicet colligere est, duplicem Ecclesiæ authoritatem esse, & duplicem potestatem, vnam ordinis, alteram iurisdictionis: hanc solis Episcopis reseruatam, illam omnibus communem presbyteris. Atq; vt olim in summi Sacerdotis pectore legebantur duæ hæ voces, *Doctrina & veritas*, ita & in Pontificis Maximi Ecclesiæ manu duas reperire est claues, iurisdictionis videlicet & ordinis.

Differentia inter claues Christi, & claues Episcoporum & Sacerdotum.

Sed nondum hic subsistimus. Offerunt se nempe & alia his clauibus mirabilia. Ad quid enim Petro putatis Dominum non dixisse, *Tibi dabo claues meas*, sed in genere, *dabo claues regni cœlorum.* Equidem mysterio illud minime carere arbitror, sed data opera & studio ita Redemptorem locutum esse: vt ostenderet nimirum, Sacerdotum & Episcoporum potestatem parem non esse: clauis namq; Christi claui pastorum ministrorumque Ecclesiæ longe est excellentior ac dignior. Primo quod ipse Christus regnum cœleste, quod vniuersæ hactenus clausum erat hominum naturæ, reserarit: Sacerdotes vero & Præsules huic quidem & illi singillatim gratiam aliquam præstent, vt cœlos ingrediatur, sed non omnibus simul hominibus, nec vniuersæ naturæ, humanæ quod sane diuinum quid & eminens est, & soli Christo, nulli alteri conuenit, iuxta id, *Aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.*

Apoc. 3.

Sacerdotes dispensatores sunt bonorum Christi.

Secundo, quod delictorum remissio vere à Christo in forma meriti dependet; hinc cum gratiam & absolutionem delictorum ipsi accipimus, aliquid Iesu Christi, id est, ex passionis eius meritis quippiam realiter & reuera accipimus: Sacerdotes vero nihil suum dant, sed œconomorum ac dispensantium instar, bona & thesauros Iesu Christi nobis communicant ac elargiuntur, quibus & ipsimet suis in rebus & conscientia propria opus habent.

Tertio, quod Christus vt homo, non modo delictorum remittendorum, sed Sacramentorum etiam instituendorum, per quæ delicta tollerentur, potestatem habeat: quod excellentissimæ sane perfectionis est, & superabundantem gratiam spectat. Certissimum porro est, nullum Ecclesiæ ministrum Sacramenta posse instituere, aut noua inducere, vtpote quorum institutio pure & simpliciter ad Deum spectat: quin imo ne vniuersa quidem simul Ecclesia nouum condere Sacramentum, quo nempe ex opere operato, vt Scholastici loquuntur, gratia conferatur, posset.

Christus potestatem habet remittendi peccata, & Sacramenta instituẽdi, per quæ remitterentur.

Quarto, clauis & potestas Christi ceteras omnium claues & Ecclesiæ ipsius potestates excellentia & perfectione in eo antecellit, quod scilicet Sacramenti effectum, etiam ipsum non adhibendo, conferre posset; eiusque potestas ad omnia se extendens, Sacramentis alligata non esset, neve ab eorum vsu exercitiove dependeret, quo sane omnium Præsulum & Ecclesiæ Ministrorum potestas, & iurisdictio non pertingit, qui sine Sacramentorum, quæ sola gratiæ instrumenta sunt, & canales a passionis fonte dimanantes, ad sanguinem & merita Iesu Christi inter fideles distribuenda & communicanda, vsu circa peccatores, & in foro conscientiæ nihil penitus agere possunt. At filius Dei abluere peccatorem sine aquis Baptismi poterat, sine Sacramento pœnitentiæ peccatum tollere, adesset modo contritio & verus de commissis dolor: satisfactionem quoq; non exigere poterat, quod ipse pro mundo vniuerso esset moriendo satisfacturus. Hinc quoties gratiam cuipiam conferebat, & delicta remittebat nunquam pœnitentiam alicui iniunxit. Hinc & Magdalenam peccatricem in misericordiæ suæ sinum admittens, illi dũtaxat ait: *Mulier vade in pace, fides tua te saluam*

Potestas Christi Sacramentis alligata nõ erat.

Luc. 7.

Ioan. 8.

Saluam fecit. Hinc & apud Ioannem adulteræ delictum condonans, *Vade*, inquit, *& amplius noli peccare.* Exitum non inuenirem, si omnia clauium harum diuinarum indagare mirabilia vellem; abrumpendum ergo filum, quo causas nostras, quas ante cœpimus, prosequamur.

Quarta festi huius instituendi ratio.

Quarta & vltima celebrandi festi huius ratio late patet, multasq; & varias considerationes comprehendit; inter quas prima sit, vt scilicet primi S. Petri Pontificatus Antiochiæ instituti, qua in vrbe, velut vniuersale Ecclesiæ caput septennio præsedit, memoriam nobis refricaret. Antiochia vero postmodum, diuina, (vt Marcellus Papa & Martyr ait) reuelatione ac iussu Sedem ac Pontificatum Romam transtulit, vt quæ vniuersi terrarum orbis regina & caput erat imperio, primaria quoque magistra, & capitalis esset inter Ecclesias; & quo mundi totius moderator, Imperator, inquam residebat, eodem Ecclesiæ vertex & Pontifex loco commoraretur: & quo omnes eius deinde successores continua inuicem serie, sine interruptione succedentes, hactenus commorati sunt, & ad sæculorum vsq; consummationē posthac sedem sint habituri. Secunda, quod Antiochiæ, post S. Petri patriarchatum & sedem institutam, fideles & in Christū credentes, illustri Christianorum primum sint nomine donati. Tertia, quod tonsura & corona sacerdotalis eadem in vrbe, idq; ad Apostoli huius exemplum, ortum & originem habuerit, idq; hac occasione. Cum enim hunc Ecclesiæ principem Antiochiæ ethnici in vincula coniecissent, illi in Iesu Christi, quem suum esse magistrum & caput ipse confitebatur, contumeliam & opprobrium, capitis verticem raserunt: quo cognito fideles, hanc capiti suo spirituali illatam iniuriam indigne ferentes, vt huius ignominiæ aliquatenus redderentur participes, ad eundem plane modum comam raserunt. Exinde idem hoc ipse Petrus signum gestare voluit, gloriæ sibi ducens & honori, quod velut iniuriam & probrosum Christi hostes irrogarant, atq; hinc continuo res hęc in vsu manſit, & apud Sacerdotes & Ecclesiæ Ministros consuetudinis & legis inuiolabilis vim obtinuit. Quarta, in memoriam Messiæ

Primus Petri Pontificatus Antiochiæ fuit institutus.

Christiani Antiochiæ primum fideles dicti.

Antiochiæ primū cœpit tonsura clericalis.

à D. Petro primum Antiochiæ in Pontificalibus & debita solennitate celebratæ & cantatæ, vti Ioannes in Asia, Iacobus Hierosolymis, S. Marcus Alexandriæ primum sacra mysteria celebrantur. Hæ sunt ergo festi huius celebrandi & instituendi causæ ac rationes.

S. Petrus prima Antiochiæ sacra celebrauit.

Considerationes morales.

Cæterum, vt quæ mores spectāt, nonnulla proferamus, Auditores, quemadmodum hodie cathedram & exaltationem S. Petri considerauimus & admiramur, cōsideremus & eadem opera nostram. Intueamur inquam honorem, quo nos Deus opt. max. exornauit & quousq; nos euexerit, dū nos è peccati mancipiis filios suos effecit adoptiuos, & à scelerum voragine ad cælestem beatitudinem extulit, nam vt Apost. ait, *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* & alibi: *Qui facit peccatum ex diabolo est.* & è contra, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* De hac exaltatione iam tum Mosis tempore scriptum legimus in Deuteronomio, *Dominum Deum tuum hodie elegisti, vt sit tibi Deus, & ambules in viis eius, & elegit te hodie Dominus, vt sis ei populus peculiaris, & faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem & gloriam suam &c.*

Hominis exaltatio. 1. *Ioan.* 3. *Ioan.* 8. *Ioan.* 1. *Deut.* 10.

Sed nostram ipsi exaltationem procuremus, & nos ipsi exaltemus, à terra sustollamus, caput erigamus, & sensus, cœnosa illa volutabra & limosas paludes deseramus, cogitationes nostras sublimemus, alta & montana conscendamus, cœlestia sapiamus & gustemus, iisq; oblectemur, vt quas terra propinat molestias & morositates, iis diluamus. Hæc porro exaltatio fiet, si honestum quoddam & laudabile vitæ genus amplectamur. Fiet inquam, si electionem hanc regiam Dauidis imitemur, dicentis, *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*; aut illam castæ matronæ Susannæ, *Quid eligam ignoro, melius est mihi incidere in manus hominum, quā derelinquere legē Dei mei.* Fiet quoque, si Spiritus sancti radiis illustrati, & tacti intrinsecus, oculos mentis adaperire incipimus, quibus vitam nostram intueamur, bonū ac malum consideremus, cœlestia ac terrena contemplemur, cœlicas delicias, & tartari supplicia inter se comparemus, deniq; mundi huius voluptatum breuitatē cū duratura suppliciorum, & pœnarum æuiter-

Exaltatio spiritualis est homini necessaria.

Psal. 83. *Dan.* 13.

nitate in altero conferamus. Quibus inter se omnibus collatis, videamus, vtrum eligere velimus, electum vero sequamur, sequentes autem diuinæ iustitiæ vias ingredi statuamus, idq; imitatione eius, qui dicebat, *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

Psal. 118.

Exaltatio per bona opera.

Electionis huius egregiæ exaltationem sequatur & altera per bona opera exaltemus ergo nos, & ad perfectionis apicem connitamur, incipientium tyronum & discipulorum ludo iam egredi festinemus, quo priuilegiis ipsis potiri incipiamus, & veluti perfecti magistri in virtute progrediamur. Fiet hoc, si heroica magnitudine animi, & generosa quadam mente, manum operi admouemus; fiet, si vis quædam & impetus feruens sancta sequitur exercitia, si languor omnis & tepor fugatur; sed si è contra in rerum piarum prosecutione omnia allaborant, omnia connituntur, ardent omnia, & flagranti quodã conatu efferuescũt. Hæc porro nostri supra nos ipsos exaltatio tum demũ fit; quando cõmunem populi agendi viuendiq; rationẽ transcendentib. satis nobis haud est, si communi quodã amore Deũ prosequamur, & ordinaria in eo diligendo via procedamus; sed pro eo ac possumus, pro virili, toto conatu & cõtentione, excessu quodã discreto, extraordinaria quadam ratione, cũ Sapiente dicentes: *Magnificaui opera mea*, & cum Psalte; *In mandatis eius volet nimis.* Hoc sc. opus suũ, cor, amorem, & omnẽ animi motum eleuare & extollere, faeere nimirũ plura quam iubeat Deus.

Eccles. 2.
Psal. 125.

Exaltatio spiritualis, quæ fit passione.

Duo hæc exaltationis genera parui sane momenti non sunt; sed est & tertia, quæ prioribus non est inferior, quæ scilicet in patiendo, & laborum & aduersitatum tolerantia & passione consistit: passione inquam, quę eiusdem plane generis est cum illis, de quibus loquitur Apostolus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Hoc porro modo exaltamur, dum conflictibus quibusdam & exercitiis, quæ aduersitatum & aliarum rerum ex se dolorem incutientium & grauium, passioni tolerantiæque æquipollent, exercemur, de hac exaltatione loquebatur Iob, cum diceret: *Suspendium elegit anima mea, & ossa mea mortem.* Vbi enim intentio & impetus spiritus terram

Rom. 8.

Iob. 8.

deserens in altum se librat, tum corporis ossa confringuntur, & omne carnis robur emoritur: dum vero quis se supra humana extollit, & quadam mentis alienatione, à terrenis se abstrahens, ad diuina se euehit, an non pendet, aut saltem suspenditur à terra in aerem, intra nubes, quin imo intra cœlestia domicilia habitans?

Exhortatiõ moralis.

Sic igitur, sic inquam, Christiani, in terra nos humiliemus, vt in cœlis exaltemur, ita S. Petro in Ecclesia militante docenti aures præbeamus, vt per eius doctrinam in triumphantem recipi mereamur; ita eum in hoc mundo colamus & honoremus, vt in altero nos agnoscat & admittat: ita ipsum eiusque successores in mortali hac vita sequamur fideliter, vt æternæ nobis ianuam aperiat. Deniq; ita eum in terra oremus, vt, quo in cœlo preces nostræ admittantur, & in æterna tabernacula animę nostræ suspiciantur efficiat.

Egregia cathedræ S. Petri epitheta.

Te vero iam compellamus glorioſe Apostolorum princeps, supreme fidelium Pastor, generalis Filii Dei in terris Vicarie: tuũ duntaxat honorem spectamus, tuam nonnisi gloriam quærimus, tuam tantummodo sedem agnoscimus, tuum solum Pontificatum magnificimus, tuam deniq; tantum auctoritatem & primatum in terra deprædicamus: nostra quoque obsequia semper tuum in honorem cedere, & offerri optamus. Tuæ ipsi ones sumus, magne gregis Christi Pastor, tuam sequimur doctrinã, summe totius vniuersi Doctor, in tua solum claritate viuimus, illustris orbis Sol. Numquam, ô solida & incõcussa fidei petra, immobilis religionis columna, veritatis fulcrum, magne Atlas Ecclesiæ polos humeris tuis fulciens, ab hac fide, ab hac potestate, ab hac prærogatiua, ab hac denique cathedra diuellemur! O vere illustris & regia cathedra! ipsa scilicet regius Salomonis nostri thronus, præsidialis Christianismi sedes, fidelium schola, Pontificum tribunal, hominum simul & Angelorũ Academia, orbis totius prima Rudimenta, ipsa veritatis arx, religionis propugnaculum, mendacii mors, Euangelii vallum, pietatis fomes, telorum excommunicationis fabrica, bilanx denique & lapis lydius, ad quem hæreses examinantur.

Tè

Te porro S. Petre, qui hac in cathedra sedisti, præsedisti, & imperasti, qui ex eadem gentes docuisti, infideles fidei asseruisti, & idololatras erroris coarguisti, obsecramus, vt hanc nauim regere, in hoc influere corpus, hanc authoritatem conseruare, hunc principatum, & monarchicum statum tueri non desinas. Tuos, ô magne Jesu Christi Vicarie, adhuc oculos in Ecclesiam eius coniice, respice tuos successores; & qui eandem ad dignitatem assumuntur, tuo eos fauore prosequere, benedictione reple, nosque omnes precibus & orationibus iuua; & præsta, vt intercessionum tuarum & suffragiorum adminiculo & ope, postquam hic in terra te in cathedra coluerimus, digni fiamus, qui in æternæ gloriæ throno in regno te cœlorum conspiciamus: ad quam Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus omnes nos perducere dignetur, Amen.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Partitio.

1. *De natura nihil frustra agente.*
2. *De superbia abominanda & virtute opposita.*
3. *De electorum prædestinatione malorumq; reprobatione.*
4. *De proditore Iuda variis figuris designato.*
5. *De quatuor eius sceleribus & vocatione ad Apostolatum.*
6. *De Matthiæ electione sorte & quid sors.*
7. *De eius sanctitate, vnde colligenda.*

Cecidit sors super Matthiam, &c. Actor. 7.

FIGVRA.

Leuit. 16. MEminit Leuiticus, qui liber verum cæremoniarum & antiquitatum Mosaicarum theatrum vocari potest, duorum hircorum; quibus coram Domino ad ostium tabernaculi testimonij simul oblatis, & sortibus super vtrumque iactis, vnus Domino immolabatur, alter in desertum emittebatur. Quod olim apud veteres in figura contigit, idipsum vere in Ecclesia deinde videmus accidisse. Videas enim hic non iam duos hircos, sed agnos tenellos, duos inquam homines iustos & sanctitate conspicuos, S. Matthiam, inquam, & sanctum Josephum cognomento Barsabam, Deo quodammodo in Ecclesia sisti, & sortibus commissis, vnũ, id est, Barsabam, Domino quodammodo sacrificari & immolari, vtpote super quem sors non cecidisset; alterum vero, Matthiam, in Apostolorum cœtum coopratum, & in Judæ proditoris ac scelesti locum surrogatum, foras in desertum velut emitti, cum scilicet ad Apostoli munus electus, ad Gentilium desertum, & remotam, & iniuiam idololatrarum solitudinem destinatur. Sublime hoc arcanum est, & adusq; diuinæ prædestinationis adita pertingit. Quod vt perspectum aliquatenus habeamus, oculos mentesq; cœlo obuertamus, Spiritus S. gratiam implorantes, Deiparæ Virginis suffragia ad hanc impetrandam adhibendo; quam ideirco omnes in genua prouoluti supplices inuocemus:

AVE MARIA.

I. Natura nihil vult amittere.

Cui non admirationem moueat, quod nihil omnino in rerum natura corrumpatur, quin mox aliud generetur, quod in demortui locum succedat. Adeo quippe ipsa prouida, & in rerum suarum directione sagax est, vt, cum nihil amittere è suis velit, dum hinc aliquid aufertur, mox aliud sibi comparet, & de nouo producat. Quam prudentem eius œconomiam perspicientes & demirantes Philosophi veteres, hoc eiusdem rei occasione axioma concinnarunt, *Corruptio vnius est generatio alterius.*

Quatuor primæ qualitates sunt causa ruinæ rerum naturalium.

Experientia doctrinæ huius ad oculum nemini non passim patet. Videmus enim statim ac quatuor illæ vniuersi prædatrices, quatuor, inquam primæ qualitates, inter se contrariæ & oppositæ, omnia in rerum natura destruunt, & corrumpunt; prouidam hanc œconomiam velut superueniendo præ-

dantibus & repressalia consectando, suas ruinas reparantem, nouis quibusdam generationibus totidem nouas speciesreproducere, quot ante hostiliter corruptio destruxerat. Adeo, vt mortem vnius semper & indubitate sequatur vita & creatio alterius, vt ne musca quidem vermiculusque vilissimus & obscurissimus intereat, quin melioris reparationem suum in locum causetur & inducat.

Quod in rebus naturalibus contingere videmus, idipsum & à naturæ auctore in rerum spiritualium ordine obseruari indubitate patet, ita quidem, vt nusquam aliquod patiatur damnum aut detrimentum, quin maiori id fœnore compensetur: id est, interdum nescio quo casu aliqui in exitium sempiternum ruant, mox alios diuina excitat bonitas, qui eam ipsam, qua priores exciderunt, beatitudinem assequantur. Tam immensa namque eius est benignitas, numquam, vt aliquos cadere sinat, quin illico alios in locum aliorum substituat, & aliquorum prædestinatio æquo semper passu aliorum sequatur reprobationem. Si vero huius lapsum & ruinam Deus permittat, *iudicia eius abyssus multa*, illum vero conseruet: & à ruina subleuet: *Misericordia tua præueniet me, & subsequetur me.* Reiicere ergo & reprobare potentiæ & dignationis diuinæ est argumentum; at gratiæ est effectus, misericordiam exercere, denuo iustificare, & altius, potentius & melius quam ante eleuare.

Anima nulla perit, quin aliam in eius locũ suscitet.

Psal.35. *Psal.22.*

Cum Jeremiam Prophetam suum mitteret Deus, hanc commissionis illius articuli potestatem, quæ super regna & nationes terræ se extendebat, continebant, euellendi scilicet & dissipandi, deinde plantandi & ædificandi, *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas & destruas, & dissipes, & ædifices & plantes.* Videte, vt iussus sit tantum ædificare rursus & plantare, quantum euulsurus & destructurus esset; vt hinc disceremus, quemadmodum Deus permittit, vt hinc destruatur & euellatur, suã vt iustitiam & potestatem ostendat, ita iubere, vt illinc ædificetur de nouo, & plantetur, bonitatem suam & misericoroiam hoc pacto declarando.

Ieremi.1. Figura egregia.

Hunc conceptum pius ille senecio Simeon respexit, cum in templo Hierosolymitano Redemptorem vlnis complexus circumstantibus ait, *Hic erit in ruinam, & resurrectionem multorum, &c.* quasi diceret, Puer hic, qui toti vniuerso legem ponit, plurimis miros casus abit, suamque bonitatem & potentiam diuersimode patefaciet; his namque in ruinam erit & mortem; illis in resurrectionem & vitam. Forsitan sanctus hic senex, quadam mentis alienatione extra se raptus, & per inscrutabilium iudiciorum Dei profundum nauigans, ad æternorum de prædestinatione & reprobatione hominum, quarum hæc animarum ruinam, & damnationem, illa salutem & conseruationem, includit, arcanorum adyta allusit, fieri quidem potuit. Equidem crediderim illum in suis extra hominem raptibus mundo declarare voluisse, filium Dei, postquam iam in terram venit, etsi damna interdum & detrimenta in suis pateretur, luculentius mox eadem & compendiosius reparaturum; & qua inimici sui mensura animas & res sanctas destruerent, perderent, & pessundarent, eodem illum tempore maiori honore, commodo, & gloria damna resarturum, & noua emolumenta reproducturum. Hinc apud Prophetas, ac præsertim Isaiam hoc sibi tribuit elogium: *Ecce ego facio noua, &c.* perinde ac si diceret. Quod inimicus destruxit & dissipauit, hoc ipse reparo, & veteres ruinas & ruderamenta instauro.

Luc.1. Christus in mundum venit ad resurrectionem multorum.

Esai.34.

II.

Diu ante Sacerdotem hunc sanctum, patientiæ speculum Job idẽ de Deo Patre prædixerat. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*

Iob.34.

Eodem item sensu Deipara Virgo Dei mirabilis mirabilia in præclaro illo cantico suo celebrans inter cætera ait: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles* Id est, magnus ille Deus omnipotens potentiæ suæ & misericordiæ diuersimode argumenta producit; hos namq; prosternere, illos sustollere gaudet: assiduum bellum gerit, quo superbos throno suo deturbat, & ad ima redigit subsellia: è contra humiles exaltat, benedictionibus complet, & honore prosequitur. Deiectio siquidem priorum, aliorum est eleua-

Luc.1. Deus superbos prosternit, & exaltat humiles.

tio,

tio, bonorumque salus semper impiorum comitatur ruinam. Atque vt alij ad infamem perditionis scopulum & petram naufragium patiuntur, ita alij feliciter nauigant, & per vias rectas à Domino deducuntur.

Figura. *Ierem.18.*

Huius rei figurã suggeret Jeremias: huic enim ostensurus Deus in sua esse potestate perdere & dissipare eos, qui verbum suum negligerent, è contra vero eiusdem amantes, & de peccatis gementes, reparare & extollere, ad figuli eum destinat officinam: in qua vasa nonnulla manibus figuli in rota eadem concinnantis delapsa dissipari vidit; sed eadẽ ilico à figulo ad aliam formã redacta restaurari: *Et descendi* inquit, *in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto in manibus suis, conuersusq; fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret.* Quo visu Jerem. quid hoc mysterio denotaretur ignorans, confestim ab ore Dei audit: *Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel,* & absolute à mea dispositione & absoluta voluntate dependeris. Sensus ergo est, sicuti figulus vasa nonnulla confracta & luxata, commista denuo in massam argilla, eadem reparare, & reuocare potest, aut relictis humi fragminibus & frustis, alia ex eadem materia coagmentare, quæ inpriorum locum substituat: ita magnus ille opifex & supremus figulus omnipotens & æternus Deus, aut iustificare peccatorem, & animam ab obedientiæ iugo se subducentem reparare, in priorem illam statum & pristinam perfectionem, qua ante lapsum gaudebat, restaurãdo potest; aut impios vndiquaque cõfractos, & humi abiectos derelinquendo, alios etsi ex eadem massa, cum homines sint non secus atq; alij, condere, vt ad eosdem honores sublimentur, & priorum locum obcupent. Ruina ergo & perditio vnius sublimatio & euectio est alterius.

Homines in manu Dei, vt lutum & argilla in manu figuli.

Nouam huius rei figuram dat Genesis, in qua scalam Jacob dormiens vidit, cuius vna extremitas terram, altera cœlum tangebat, per quam magno numero Angeli & ascendebant & descendebant: *Vidit q; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoq; Dei ascendentes, & descendentes per eam, &c.* Mirabilis & mystica hæc visio magni nobis Dei mirabilia denotabat; per cuius potentiam, præscientiam, prouidentiam, prædestinationem, reprobationem, iustitiam, & misericordiam; velut per scalam è gradibus constantem alij ascendunt, alij vero descendunt, alij sublimia petunt, alij ad ima deuoluuntur, illi ad beatitudinem & gaudia sempiterna hi ad damnationem & æterna supplicia rapiuntur.

Gen.28.

Mirabilis rerũ mundi mutatio.

Ecquæ vicissitudo? ecquæ mutatio? ecquæ mirabilia? Vix aliquis iã lapsus est, quin ilico alius se erigat, vix loco vnus excidit, quin is ab alio mox occupetur. Vix de gradu suo & honoribus deturbatus est arrogans ille purpuratus Aman, & morti probrosæ addictus, quin confestim pauperculus, & obscurus Mardochæus ad eius solium euehatur, & locum vacantem occupet. Hoc è signo videat mundus, quomodo cum rebus suis agatur; & omnium, quæ ab illo destruuntur, quam primum ruinas à Deo reparari, iuxta id Psalmographi, *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Et sane vix aliqui in perditionem præcipitarunt, quin alios exsuscitet, qui saluentur. Deus; neque vmquam salutis sedes vacant: nam vbi hi eisdem excidunt, alij eas occupant.

Esth.7.

Psal.109.

Homines Angelis succesſerunt, inque sedibus eorum collocati sunt.

Esai.14.

Luc.10.

S. Auguſt. 1. ſent. diſt. 10.

Sexcenta rei huiusce exempla subministrãt sacra volumina. Vt Angeli cœlo deturbati datum à Deo locum & sedem amisere, homines statim prædestinantur, vt in eadem admittantur. Luciferi lapsus, quem Isaias describit, *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaru?* & Lucas Euangelista, *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem:* humanæ naturæ in cælos aditum patefecit. Testem huiusce rei habeo magnum Augustinum suis in sententiis ita loquentem, *Superna Ierusalem mater nostra, ciuitas Dei, nulla ciuium suorum numerositate defraudabitur, aut etiam vberiore fortasse copia abundabit: neque enim numerum immundorum spirituum nouimus, in quorum locum succedentes filij Catholicæ matris, in ea pace, de qua illi eiecti sunt, sine fine permanebunt.* Ergo, ex Magni Augustini mente, spirituum malignorum lapsus & ruina

ruinâ hominum fuit felicitas & emolumentum.

Hæc quidem ruina in cœlis; prima quæ in terris visa est, fuit Caini cum vniuersa sua gigantum progenie & scelesta propagine, quæ ob nequitiam & corruptos mores (*omnis enim caro corruperat viam suam*) diluuio fuit inuoluta; cuius in locum pius successit Seth cum electis, qui de eius stirpe propagati sunt. Rei huius historiam scire, qui cupidus sit, Geneseos legat initia.

Exinde impio Chanaan & triginta Regibus ab eo descendentibus, qui omnes in ore gladij consumti sunt, & bello deleti, loco pulsis, Josue Caleb, aliique principes & duces de tribubus Israel, pij probique, à Deo delecti, succedere, & ad gubernacula eorum admoti sunt, inque terris eorum imperarunt. Vnius scilicet calamitas & infortunium alterius progerminat beatitudinem.

Cladem hanc & ruinam longe prius præcessit alia non inferior. Esau siquidem, etsi Isaacum patrem, Abrahamum haberet auum, vna cum Idumæis suis perditionis viam ingreditur, & ecce Jacob frater eius in locū surrogatur, & in sortem illius vna cum duodecim filiis suis succedit. Ad quod alludens, & in diuinæ prædestinationis pelago natitans Apostolus in ea, quæ ad Romanos est epistola, quemdam Malachiæ locum in testem producit, *Sicut scriptum est*; inquit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, &c. hunc enim pro æquitate tractaui, meam vero erga illum bonitatem ostendi, & misericordiam, ille fauorem, hic vindictam meam expertus.

Multo exinde post Core, Dathan, & Abiron, & alij Hebræorum proceres, ambitione turgidi, in Deum concitantur, sacerdotij primatum ambiunt, & ruinæ suæ viam sternunt; & eodem ecce momento Deus & animas & vota illorum ad nihilum redigens, Aaronem, Eleazarum, alioſque Sacerdotes in cœlo delectos, vt in terra Sacerdotium administrarent, in aciem producit, & loco illorum confirmat. Videmus ergo, quomodo quod vnus amittit, alius meliore sorte recuperet?

Si hæc vobis exempla minime sufficiunt, depromam & alia. Primo Regum libro Heli Pontifex eiusque filij Ophni & Phinees vita scelesta vniuersum Israel offendentes, Deo iuxta ac hominibus odiosi dignitate excidunt; sed eorum sedes non diu vacant: nam ingens Prophetarum numerus à Deo missus illorum & locum inuadit, & munia exercet. 1. *Reg.* 6.

Eadem non minus in Regibus, quam in summis Sacerdotibus vicissitudo apparet, nam statim vt à Deo Saul est reiectus, & regno declaratus indignus, Dauid illius in locum, vt regnet, cœlitus electus destinatur. Audi quid de eo dicat scriptura, *Dixitq; Dominus ad Samuelem, vsquequo tu luges Saul; cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? imple cornu tuum oleo, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem, &c.* 1. *Reg.* 13. & 16.

Hæc quidem priuatorum exemplа sunt & singularium: sed si generale quid videre cupiatis, videte vt Judæorum reprobationem secuta sit Gentium secuta vocatio, & illis cœlo excidentibus, hæ eodem admittantur exemplo sint Job, Centurio, Cornelius, bonus latro in cruce, Chananæa, Samaritana, aliique innumeri. quare & ipse Deus gloriatus hæc apud Psalmistam profert *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi.* Deinde, an ignoratis Scribis & Pharisæis nimium insolescentibus, honore exutis, & in ordinem redactis successisse Apostolos & in munia illorum intrasse? erant hæc porro, legem docere, Synagogam dirigere, Scripturas sacras exponere, Sacramenta administrare, Sacerdotium gerere, & animarum curam habere. Quæ omnia certissima signa sunt numquam perdi aliquos, quin alij è contra saluentur, & si aliquos à tartaro absorbentur, cœlo alios donari & gloria. Vnius ergo reprobatio alterius prædestinationi & saluti viam sternit.

Judæorum reprobationem secuta est vocatio Gentium.

Apostoli eā in Ecclesia potestatem habent, quā in veteri Synagoga Pharisæi.

Hæc vt stabiliatur veritas, aliena & externa petenda non erant, nec longius diuagandum, cum, quod hodie in Ecclesia nostra recolitur, luculentum de eo ferre testimonium queat. Hic siquidem cernere est, vt scelestus infelix, infidus, & perfidus Judas Apostolatu excidat, honorem & sortem suam amittat,

amittat, à Deo deferatur; & mox eius in locum Matthias vir iustus & Deum timēs surrogatus: ad eiusdē honores & insulam promoueatur. De vtroque iam olim vaticinans dixerat Psalmista, *Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter*, cuius hodierna ex Actis Apostolorum Epistola rei memoriam refricat, *Cecidit sors super Matthiam*. Vt certa quadam & ordinata ratione materiam hanc prosequar, primo de nequissimi Judæ reprobatione, deinde sancti Matthiæ electione sum locuturus; è quibus duobus membris, si modo attente patienterque dicentem audiatis, non contemnenda in rem vestram, Auditores, documenta depromam.

Psal.108.

Primo ergo, cum quid vtroq; in hoc membro, in Judæ inquam proditores reprobatione, & admirabili Apostoli sanctissimi electione factum sit, ob oculos pono, non possum, quin cum Propheta regio exclamem, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, sed cantu, qui toto vitæ meæ sit duraturus tempore; quasi diceret, Confiteri & agnoscere debeo, summe Deus, pollere te iustitia simul & misericordia; ambas in te virtutes parem locum habere, nec minus esse te iustū quam misericordem; nec minus misericordem quam iustum.

Psal.100.

In Deo duo sunt magna attributa, misericordia & iustitia.

Vere hoc ita se habet, & huius rei testimonia & argumenta in arca testamenti nonnulla videre est, in qua scilicet vrna est aurea, cuius in ea, quæ ad Hebræos est memini Apostolus: vrna vero pauxillum manna, quod Hebræis in deserto depluerat Deus continebat: & virga Aaron, in perpetuam concitatæ ab Hebræis seditionis, & eiusdem vindictæ memoriam asseruata. Quo, vt neotericus quidam interpres exponit, figurate designabatur diuinorum thesaurorum in arca duo contineri, suaue nempe & sapidum illius misericordiæ manna, & rigidam metuendamque iustitiæ eiusdem virgam aut flagellum. Vti enim mercedem & compensationem habet piis & iustis, ita & rudem ingratamque scelestis castigationem & flagellum. hoc quidem reprobationis est nota, & Judæ similes tangit, illa vero prædestinationis, & Matthiæ æquales manet. Miseri-

Heb.9.

Bernardinus de Iustit.

cordia scilicet paruulis exhibetur, in arrogātes vero ac superbos iustitia & vindicta exeritur.

Sublimem hanc Philosophiam Dei filius spectauit, cum hisce Deum Patrem verbis est allocutus, *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terra, quia abscondisti hac à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Non est hæc delictorum aut peccatorum quædam confessio, vt bene notauit Augustinus; (nam qui hic confitetur, peccare nequit) sed mera confessio laudis: quasi diceret, Est cur te laudem & celebrem, Pater æterne, est cur tibi immensas agam gratias, quod superbos & arrogantes mundi huius amatores sublimia fidei mysteria celaris, & humilibus ac simplicibus ea detexeris. Æterna Patris sapientia duo hæc in diuinitate attributa notat, misericordiæ scilicet & iustitiæ; misericordia paruulis, iustitia fastuosis se manifestat: illa humilem Matthiam eligit & extollit, superbum & arrogantem Judam hæc deprimit & repudiat. Cæterum alia huiusce rei non est inuestiganda ratio, quam merum beneplacitum, & libera, & non coacta Dei voluntas, quæ non curiose indagari, sed laudari vult, vti & Christus Patrem laudauit, dicens, *Confiteor tibi Pater, &c.*

Matth.11. Misericordia Dei humiles spectat & superbos iustitia.

III Prædestinationis alia non est causa, quā pura Dei voluntas.

An non verissimum, Auditores, aliam prædestinationis esse aut dari causam non posse, quam solam Dei voluntatem & beneplacitum libere prædestinantis? Meritorum præuisio nihil hic efficit, ac prorsus sine vllo bonorum operum intuitu peragitur; hinc simplex, purus misericordiæ est actus. In cuius rei confirmationem Mosi olim ait Deus: *Miserebor, cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*; hinc alia à me quærenda non est ratio, hoc in genere liber sum. Parabola illa Euangelica, libertatem cuiusdam patrisfamilias repræsentatura, hanc conclusionem eodem respicientem continet: *An non mihi licet facere, quod volo?* an non in actionibus meis liber sum? num voluntas mea curiositatis humanæ calculis subiicienda? nequaquam Domine, sed totus liber es, & omnipotens; & quidquid agis ad extra præter merum beneplacitum tuum nullam causam habet. Si vnum prædestinas

Exod.33.

Matth.22. Deus est liber & omnipotens.

stinas, & alium reprobas; si hunc illuminas, & illum excæcas; si vnius cor emollis, & alterius obduras; si Apostolum condemnas, & latroni salutem offers; si Judam reiicis, & Matthiam eligis; aliam rei huius rationem non exquiro, sed suppliciter in terram prouolutus, & oculos ad te conuertens cum Saluatore meo Christo exclamo, *Confiteor tibi Pater, &c.*

Rom. 9. Magnus ille Theologus Paulus hæc mysteria tractans, & eorũ causa Jacobi electionem producens, quomodo scilicet fratrem supplantarit, & primogenitorũ iura sibi vindicarit, nullis Deum præuiis meritis ad hoc inducentibus aut emouentibus, velut obstupescens, & libera eius iudicia demiratus, ait: *Cum nondum nati fuissent*, Jacob & Esau, *aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex voluntate dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Vlterius progredi non ausus Apostolus sublimem hanc materiam humili hac conclusione finit, *Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Et ego vanas curiositates & curiosas meas indagationes hisce Domini verbis præscindo, *Confiteor tibi Pater, &c.*

Diligentia omnis humana nihil facit in electionibus diuinis.

Judicia Dei inscrutabilia.

Ea sunt Dei arcana & mysteria, vt intelligere humanum illa nequeat ingenium, ea maris iudiciorum eius est profunditas, vt ad fundum eorum nemo queat attingere. Hic perplexus & intricatus est labyrinthus, quem cum fueris ingressus, exitum non inuenis, quin nulla mens est humana aut iudicium, quod non hic erret, & à via deflectat. Hic scilicet ille Ezechielis torrens est, quem quo magis ingrederis, eo maius pereundi discrimen imminet, ingredienti aqua peruadatur, sed vlterius progressus, & incuriositatis abyssos se induens naufragij periculum incurrit. Silere hic multo satius est, quam multis verbis & rationibus rem velle exponere: maiorisque hic meriti est humilitas tacite rem admirata, quam humana ratio eam penetrare gestiens & indagare. Hinc semper mihi satis fuerit dicere, *Confiteor tibi Pater, &c.*

Prædestinatio sine meritorum intuitu, non tamen in impiorum reprobatione id locum habere: hæc siquidem vitam illorum nequam & opera praui semper præsupponit. Prædestinatio namque misericordiæ est actus, reprobatio vero iustitiæ, illa sine vllo fit intuitu, aut hominum fauore, & à nudo Dei beneplacito pura dependet; non vero hæc, vtpote sine causæ cognitione fieri numquam solita.

Prædestinatio fit præuisione, non vero reprobatio.

Aliquos quidem suorum Rex extollere, & ad honores amplissimos euehere, sine vllo generis, animi, rerumque gestarum intuitu poterit; quod ita velit, & clementiæ id eius sit argumentum, quæ meritorum magnitudinem multitudinemq; minime spectat: aliquos tamen nec aut suspendio addicere ei non licet, nisi id ante delinquẽdo meruerint, & mortis rei iudicio conuicti sint; iniustitiam id namque saperet. Ad eumdem plane modum Regum ille Rex Deus aliquos quidem sine meritorum intuitu eligere & adoptare poterit: nam id misericordiæ suæ partes exigunt: at neminem condemnare aut reprobare, nisi id ante promeruerit, iniustitiam alioqui suam peccaret. Hoc sequens, hodie sanctum Matthiam delegit, quod ita voluerit; sceleste m & impium Judam abiecit, quod eius id peccata exigerent.

Reprobatio sine causarum cognitione non fit.

Hanc eius calamitatem & ruinam denotasse apud D. Matthæum videtur, dum improbis omnibus comminatus ait: *Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Terribilis huius comminationis effectus in Juda completus est; etsi enim perfidus hic proditor Dei manu in Ecclesiæ viridario plantatus sit, & ad dignitatem Apostolicam assumptus, nõ idcirco tamen bonos fructus tulit, hinc excisus, in ignem coniectus, & æternis est supplicijs adiudicatus. *Matth. 3.*

IV.

Hæc arboris mentio alterius mihi refricat memoriam, ficulneæ inquam, quæ cum in vinea plantata fructum non afferret, eam ilico Dominus exscindi iubet, dicens: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio; succide ergo illam, vt quid enim terram occupat?* Infelix Judas arbor erat in Ecclesiæ vinea consita, & iam à triennio ad Apostolatum vocatus, speculatus mala *Luc. 13.*

Judas collatus mala

rabat,

ficulneæ apud S. Lucam.

rabat ab eo fructum Deus, sed frustra, demum inferacem & sterilem videns, & alterius, qui in sancto hoc officio maiores afferret & diguiores fructus, locum occupare, iratus eum æternũ à se reiicit, exscindi iubet indignũq; censet, qui terram occupet, & aliquo sua in Ecclesia sit ordine.

Dan.4.

Alterius item arboris, quæ exteriori quidem specie insignis apparebat, quæq; proposito nostro apprime quadrat, meminit Daniel; hæc quidem in cœlum ramos & brachia extendebat, & radices in terrę viscera emittebat, sed succensus Deus eam excidi, fructus eius dissipari, & per terram sterni iubet: *Succidite arborem, præscindite ramos eius, excutite folia, & dispergite fructus eius.*

Allegoria.

Non aliam porro excisionis huius rationem adducit Propheta, quam quod *ex ea vescebatur omnis caro*, id est, bestias omnigenas fructus eius pascebat. Negari autem non potest, quin magna quædam arbor fuerit Judas, quamdiu scilicet inter Apostolos est commoratus; potestatis namque eius brachia in cœlum extendebantur, cum illius claudendi aperiendique claues & auctoritatem haberet, radices ad vsque tartara penetrabant, cum diabolis imperandi, eosque pellendi esset potestate donatus. Fructibus etiam scatebat, vtpote varia ornatus gratia, miraculorum nempe patrandorum, Euangelij docendi, Scripturę exponendę, & potestatis in Ecclesia exercendæ. Honore quoq; & dignitate eminebat, erat enim Christi discipulus, è terrę Principibus, è totius vniuersi Pontificibus & Episcopis, è primariis legis gratiæ præconibus & prædicatoribus vnus, de numero denique campanarum illarum ingentium, quarum per omnes terræ plagas fuit sonus & strepitus exauditus, *In omnem terram exiuit sonus eorum*, sed frustra fuere hæc nomina. Irascitur, illi Deus diuinam in se iracundiam & vindictam prouocat, pœnæ addicitur, & in reprobationis abyssos præceps deiicitur. Fructus namque quos proferebat, quas voluebat cogitationes, quæ effutiebat verba, quidquid denique operabatur, non ad Dei laudem & proximi opem cedebat, sed inexplebili eius auaritiæ esca, & inextinguibili concupiscentiæ eius ardori fames & alimentum potius erat. Proh scelesta & feralis arbor! dissimilis illis, de quibus loquitur Psalmista, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Psal.1.

Judas arbori Nabuchodonosoris collatus.

Psal.18.

Vaferrimi huius proditoris scelera exaggerans Rupertus, de eo ad litteram Psal.108. cui initium, *Deus laudem meam ne tacueris*, exponit, notatque triginta eodem maledictiones & diras, triginta, quibus sacrilegus hic Dominum suum vendidit, denariis ex aduerso respõdentes cõrineri. Addit, quemadmodum serpens, quo dæmon velut fraudium & inescationum suarum instrumento est ad protoplastum subuertendum vsus, inter omnia terræ animantia fuit maldictus & diris deuotus, ita scelestum & infidum Judam quod Satanæ ad necem filio Dei procurandam instrumẽti & organi loco fuerit, præteliquis mortalibus, execrationibus & diris in sacra Scriptura deuotum legi.

Ruperti obseruatio circa Judã.

Judas inter omnes homines maledictus.

Hanc vero scelera eius pœnam & punitionem commerebantur. Quatuor namque horrendorũ flagitiorum, quibus vix paria queãt inter humanas offensas reperiri, reus fuit. Primo homicidij & necis intentatæ, & quidem turpissimæ & crudelissimæ, dum scilicet in vnigeniti Dei filij vitam conspirauit, & eius de medio sustollendi auctor fuit, vti post factum ficte ipse pœnitens confitetur, *Peccaui*, inquiens, *tradens sanguinem iustum*. Deinde hæreseos; nam postquam Christi fidem recepisset, eiusque se cultui dicasset, ab eodem desciscit, & apostata factus, *præuaricatus est, vt abiret in locum suum*, id est in tartara. Tertio, Simoniam admisit, & quidem grauissimam, vendito nempe, idque pretio temporali, triginta sc. denariis, Jesu Christo, quo nullum in orbe pignus sanctius, pretiosius, aut diuinius. Denique furtum & depeculationem, quod crimen in Euangelij acta relatum est, *Fur erat, & loculos habens*. Adeo vt & insignis fuerit fur, & execrandus simoniacus, & damnatus hæreticus, homicida quoque & sicarius manifestus, denique bipedum omnium nequissimus & maxime execrandus.

V.
Quatuor enormia Judæ crimina.
Matth.27.
1. Hæresis.
2. Simonia
3. Furtum
Act.1.
Ioan.12.

Verum quoniam non est animus, neci-

ipsum fer et tempus, omnia proditori huic flagitia afficta prosequi, vitamq; eius sceleribus infamem ab incunabulis & initiis ad finem vsq; deducere; primarium & maximum scelerum eius, ipsum inquam parricidium, quod aduersus Deum, Dominum, ac magistrum suum conspirando consciuit, expendere, & ei diutius inhærere constituit; vtpote quo nullum vmquam enormius in orbe commissum est scelus, scelerum inquam omnium sceleratissimum, maxime abominandum, directe Spiritui S. repugnans, & in puræ malitiæ incude procusum, ac proinde tam in hac quam in altera vita irremissibile, nullis deniq; precibus, intercessionibus, atq; orationibus condonandum.

Peccatum Judæ Spiritui S. aduersatur & è pura malitia commissum.

Quod vt intelligatis, memineritis oportet, tria esse delictorum genera, quædam namq; ex infirmitate, alia ex ignorantia, nõnulla denique data opera, & è pura malitia committuntur. Prima Patrem æternum, cui potentiam attribuimus; secunda Filium, cui sapientia asscribitur; postrema deniq; directe Spiritum sanctum, cuius propria est bonitas nequitiæ ac malignitati contraria, oppugnant. S. Petrus ex infirmitate, per ignorantiam Paulus, (vti ipse confiteri non erubuit, *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*) Judas vero ex omnigena peccauit malitia. Hinc Apostoli pro eo non orarunt, etsi peccasse scirent; quod omnes orationi, misericordiæ, & precibus fores, aditus, & accessus id peccati genus occludat.

Tria delictorum genera.

1. Tim. 1.

Noë Deum pro diluuio impediendo non orauit.

Hinc efficio, probabile videri, & ipse vel ut fidei minime repugnans admitto, Noë virum alioqui iustum, centum ipsis annis ne semel quidem Deum rogasse, vt à terra iram auerteret, mundo peccatis inuoluto parceret, diluuiumque orbi non immitteret: quod ætatis illius homines ex mera peccarent malitia, vt ex ipsa Scriptura discere est, *Multa malitia hominum erat in terra*: quasi diceret; qui ea ætate viuebant hominum summa erat nequitia, vtpote perditi, honorem omnem exuti, timoris diuini expertes, quique assiduo Spiritus S. bonitatem, maiestatem, & magnitudinem è mera innataq; offendebant malitia. Occasiones cur Hebræos auersaretur & castigaret Deus has Jeremiæ proposuit Deus, *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non exaudiam eos, non est anima mea ad populum istum*, nulloque erga eum feror affectu. Crediderim, mihique certo persuaserim, nonnisi de peccatis in Spiritum sanctum hic sermonem esse, de iis, inquam, quæ è mera commissa malitia, nullam merentur veniam, & omnem tum suffragiis sanctorum, dum diuinæ misericordiæ, indulgentiis & fauoribus aditum occludunt.

Gen. 6.

Ier. 14.

Peccata in Spiritum S. indigna venia.

Vt vero malitiæ peruersi huius proditoris excessus melius intelligatur, in mentem reuocandæ dumtaxat sunt inuentiones & artes, quibus eũ Christus Dominus demulcere, delinire, & è tot pravis eius molimínibus contextum funem abrumpere conatus est, nihil dum proficiendo, nullumque resipiscentiæ aut pœnitentiæ argumentum ex eo elicere valendo. Pridie est passionis, & feria V. cœnæ Domini, ipse Dei filius profunda quadam humilitate perfidi huius proditoris pedes lauit, conuiuam suum esse voluit, magna verborum lenitate ruit, & nam illi exitium prædixit, eius honoris & famæ patrocinium solicite suscepit, illius proditionem detegere nolens, ne eum apud alios Apostolos, qui cognita vafra eius conspiratione de eo vltionem cepissent, infamem redderet, tam honorifice eum pretioso corpore suo pauit, placide illum suaui amici nomine in horto, cum latronum & militum agmen duceret, compellauit, dicens, *Amice ad quid venisti?* His tamen incentiuis & fomitibus frigidum illud traditoris pectus accendere, animum immutare, scelesta molimina auertere minime potuit; neu tot amoris & honoris oblati, affectus declarati argumenta eminentẽ hanc & excedentem malitiam euincere, aut emollire potuerunt.

Judæ malitia extrema ostenditur.

Mirabilia artificia Christi ad Judæ malitiam emolliendam.

Plinius, Solinus, Albertus, aliique mineralium naturæ Scriptores prodidere, Chalaciam gemmam eius esse naturæ, vt mediis iniecta flammis non incalescat, sed, nequidquam circumsecus crepitantibus ignibus, naturale frigus retineat. Cuius rei rationem dare

Lib. 37. c. 9. Cap. 50.

Lib. 2. c. 7. Chalacia gẽma mediis in ignibus manet frigida.

dare conatus Albertus, eam pororum eius restrictioni attribuit. Audite vt eam Poetæ descripserint:

Est quæ candorem fert grandinis atq; figuram
Ignibus omnimodis inuicta chalacia gemma,
Cuius naturæ vis tanta probatur, vt omni
Tempore frigida sit nulloque calescat ab igne.

Gemmam hanc vbi diligentius considero, eius naturæ crediderim Iudam fuisse, & cordis eius glaciem ac gelu gemmæ huius algore algidius ac frigidius extitisse: inter medios namque ignes constitutus, in feruentissimo pietatis æstu agens, in maximo charitatis feruore, quin & apud ipsum solem adeo æstuantem, & tam agnitum, vt de se ipse dixerit, *Ignem veni mittere in terram*, imo & ipsa eius verba totidem erant velut flammæ, quæ calefaciendo ardebant, & ardendo corda discipulorum apud D. Lucam calefaciebant, dum dicunt, *Nonne cor nostrum ardens erat, cum loqueretur nobis in via?* nunquam tamen ignem concipere, numquam amore Dei potuit succendi, frigidus semper, obstinatus, inque nequitia sua obduratus stetit.

Iudas Chalaciæ similis. *Luc.12.* *Luc.24.*

Tanta quoque eius erat nequitia, vt eam Dei filius cognitam habens, diabolicæ assimilarit, vtque sibi parem in homine reperiri posse persuadens, diabolum vere eum esse dixerit. nam apud Apostolos de scelesto hoc verba faciens, per ambages locutus ait, *Numquid vnus ex vobis diabolus est?* perinde ac si diceret: Inter vos Iudas est, qui tanta nequitia, feritate tãta est imbutus, vt humanã qualitatem exutus, diabolicã nequitiam induerit, & vere diabolus factus sit. O admirabile Dei iudicium! ô fortunæ ludibrium! en, qui miserante Deo inter Christi erat cooptatus Apostolos, malitia ac scelere suo è tam sublimi delapsus fastigio, factus est diabolus.

Iudas vocatus diabolus. *Matth.26.* Mirabilia Dei iudicia. *Rom.11.*

Hic mihi tuis admirationibus succurre sanctissime Paule, & tuas hac in re exclamationes adhibere me sinito; neque enim possum, quin tecum exclamem: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius!* Quid? Apostolum de sua salute nõ esse securum? Discipulum Christi Domini reprobari? prædestinationem diuinam mutari posse? electorũ prærogatiuam reuocari: Iudam in diabolum transire? ô maria! ô abyssos! Hic state de vobis ipsis præsumentes mortales, & struentes videte, semper vobis ipsis cauete, semper cum metu & tremore salutem vestram operamini, & Deo timentes seruite. Memineritis, obsecro, verborum Apostoli, *qui stat, videat ne cadat*, & Philadelphensi Episcopi factæ comminationis, *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* *Apoc.3.* *1.Cor.10.*

Verum, cur fieri dicam, vt ad Apostolatum eligatur, & à Deo vocetur is, quem eligat ad Apostolatum, postolatum Deus, quẽ proditorẽ fore præsciebat? cur tanti facit, tantisque honoribus exornat eum, cuius lapsum, exitium ac ruinam præuidebat? Idem de angelis præuaricatoribus, de primis generis humani parentibus, deque aliis plurimis rogari queat. sed perplexa & intricata hæc fuerit quæstio, si vigere, & longius eam deducere quis velit: vt pie iuxta & docte sanctus Hieronymus contra Pelagium, & Cyrillus Alexandrinus, aliique viri illustres eam prosequuntur. Cur Iudam proditorem fore præsciebat? *Lib.3.cont. Pelag.* *Libr.9.in Ioan c.10.*

Certum ergo & indubitatum id esto, nullum à Deo hominem creari, vt peccet, aut scelus aliquod conscisat; ne impium quidem Iudam ea intentione in lucem emisisse, vt proditorem ageret: singuli quippe suo ad malum feruntur impetu, liberum arbitrium & voluntatis libertas neminem non ad peccandum impellunt. Naturæ siquidem auctor esse nobis nostrum communicans, nonnisi eiusdem conseruationem spectat, ipsi vero id destruimus, ipsi in nos ipsos conspiramus, ipsi sceleri nos obstringimus, nos in nostri voluimur & currimus ruinam. Vnde hoc ipsum nobis obiicit & exprobrat Deus, *Perditio tua ex te Israel.* Etsi teste D. Ambrosio Deus interdum, vtpote infinite sapiens, & summe bonus, malum cuiuspiam permittat, vt aliquod inde eliciat bonum. Non creat hominem Deus, vt pereat. *Osea 9.* *Amb. lib. de parad. c.8.*

In cuius doctrinæ exemplum, Iudam hũc producit magnus Augustinus, duasque insignes depromit rationes, cur nimirum iam à Deo electus, post electionem in peccatum labi permissus, & post permissionem tamdiu tanta Dei toleratus cum longanimitate sit. Prima est, *vt malo vteretur bene ad opus passionis.* Secunda, *vt Ecclesiæ suæ tole-* *Lib.18.de ciu c.49.*

randorum malorum præberet exemplum. In cuius rei argumentum prouidus ille paterfamilias apud Matthæum, audito zizania inter triticum in agro suo sparsim intercrescere, noluit ea ab agricolis tam cito euelli, sed ad vsque messis tempus tolerauit, dicens: *Matth. 13.* *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*: quasi diceret, nondum ea tollite, sed adhuc sinite crescere.

Adde, Iudam, dum in cœtum Apostolicum cooptatus est, bonum fuisse, & aliquanto etiam post tempore in ea bonitate perseuerasse; non secus ac Saul, qui priusquam ad *1. Reg. 13.* imperium & sceptrum assumeretur, passim, etiam apud Deum, vir iustus ac sincerus habebatur, & aliquot etiam annis eamdem probitatem præ se tulit, vt in libris Regum legere est. De eo siquidem habemus, *filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset.* Neque vero primo vitæ anno Saulem ad regnum peruenisse fit verisimile, quod vel cogitare stolidum & puerile foret; sed hinc efficitur, ea Saulem vitæ fuisse innocentia, qua puer adhuc inter vbera nutricis & in cunis agens. Hæc quoque vitæ Iudæ fuit ratio, hæc eiusdem initia; progressus & finis pene par: sincerus enim fuit sub principium, & aliquot post mensibus, sed circa finem impius & maxime flagitiosus. Comparationem hanc Iudæ cum Saule primus sanctus Ambrosius adinuenit, qui vtriusque inter se vitam contulit, vt vero ostendat bonum aliquando & sincerum fuisse, hæc sancti Petri ex Actis verba adfert, *sortitus est sortem ministerii huius.*

Vita Iudæ comparata cum Saulis.

Hæc sententia, vtpote probabilis, & verisimilitudinem habens, etiam illustrium in *Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 30.* Ecclesia Doctorum auctoritate stabilitur, vti Cyrilli, Hieronymi, Tertulliani, Ambro- *Hieron lib. 3. cont. Pelag.* sii, Chrysostomi, Basilii, & aliorum, atque in- *Tertull. li. de anim. c. 4.* primis Euthymii in Lucam, qui id inde pro- *Ambros in ca. 9. ad Rom.* bat, quod in prima vnctione, qua Magdalena pœnitens sacros Christi pedes vnxit, mur- muraſſe minime legatur, vt qui nondum auri siti æstuabat, aut malitiam spirabat.

Chryso. hom. 48. in Ioan. *Basil. epi. ad Chilon.*

Alii Patres & Doctores de mutatione morum Iudæ, de vitæ eius inconstantia, & imprimis de laudabilibus eius principiis, & de in iisdem ad tempus continuatione longe alia & notabiliora scriptis prodidere. Anastasius Nicenus in suis in sacram Scripturam quæstionibus miracula eum patrasse refert, Olympiodorus multos fidei eum asseruisse auctor; dæmones fugasse tradit Cyrillus Hierosolymitanus. Tertullianus omnem hunc progressum vna falce succidens, in innocentia eum & sinceritate ait perseuerasse, quousque loculorum & oblatorum Domino illi cura commissa: quæ illi à Domino idcirco concredita, vt cor eius auaritia & desiderio auri æstuans, aliquatenus satiaretur, vt quidem Hieronymus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius in Ioannem, & Origenes in Cantica prodidere; vel quod ad spiritualia aliis minus esset aptus, sed ad temporalium forsan administrationem accommodatior, vel potius, vt sanctus Ambrosius ait, ne forsitan, quasi minus honoratus, aut commodis frustratus, Dominum prodere & aduersus vitam eius conspirare coactus fuisse videretur. Aliam Epiphanius loculorum ei concreditorum dat rationem, vt nimirum inexcusabilis foret, eoque maius eius peccatum, vt qui non obstante pecuniæ auri que Domino dati tractatione, nihilominus contra vitam eius & sanguinem, cupiditate auri æstuans conspirarit. Fuit ergo omnium mortalium, quos terra vmquam tulit, cauernæ & specus protulere, aut tartarus potius in mundum prouexit, nequissimus, pernicioſissimus, & maxime execrandus. Variis diuersisque eum coloribus depingunt Patres. Ambrosius, Hieronymus, Basilius, Gregorius, Augustinus, Caino eum comparant fraterno se polluenti sanguine; quiq; horrendo hoc flagitio contaminatus de venia obtinenda desperauit, indignumq; se tanto cõmisso facinore credidit, qui indulgentiam consequeretur: hinc ore blasphemo diabolicoq; ait: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Ita parricida ille Iudas, cum traditionem aduersus Dominum ac magistrum suum, quin imo Dei filium insigni quodam scelere adornasset, hinc desperandi occasionem sumpsit, & flagitii sui enormitate perspecta, misericordiæ impetrandæ diffidens, suiipsius factus tortor ad arborem suspendio vitam abrupit.

Euthym. Luc. 7. *Anast. q. 22. in Scrip. Olympiod. Tertullian.*

Homil. in Cant. 4.

1. Offic. c. 16.

Cur loculi Iudæ commissi.

Iudas Caino à Patribus nonnullis confertur.

Gen. 4.

Sanctus

Ab aliis Achitopheli.

Sanctus Hieronymus, Drogo Cardinalis, sanctus Augustinus, & Rupertus Achitopheli assimilem fuisse tradunt: Achitophel namque nobilis fuit proditor, cui cum David Rex regni arcana consiliaq; iutima commisisset, in Domini ac Regis vitam conspirauit, & vniuersum prope regnum ad Absalomi aduersus patrem & Regem Israel insurgentis partes concitauit: sed cum non eum ac voluisset exitum coniuratio esset nacta, furore & desperatione concitus, & de misericordia apud Regem impetranda desperans, suiipsius factus est carnifex, hæc vero historiæ verba sunt: *Porro Achitophel videns, quod non fuisset factum consilium suum, surrexit, & abiit in domum suam, & disposita domo sua, suspendio interiit.* Ad eumdem plane modum infelix & infamis Iudas cum inter Apostolos Consiliarios, & Secretarios Christi Domini, qui natura sua totius orbis Rex erat, esset cooptatus, & sceleſtis suis consiliis & peruersis conspirationibus omnem Iudæorum populum concitasset, vt aduersus legitimum adeoque exoptatum Messiam conspiraret; cum noxiæ eius machinationes ad votum non successissent, furore & rabie tumens, & de venia obtinenda desperans, laqueo vitam intercluſit.

2. Reg. 16. 17.

Iudas Absalomo collatus.

Ab iisdem rebelli Absalomo haud dissimilis habetur, qui furore & iracundia æstuans, fratrem suum Amnonem in insidias pertraxit, & genialiepulo exceptum & bene potum sacrilega & parricidali manu iugulari imperauit. Rem Regum historia latius deducit: *Fecerat autem Absalom conuiuium quasi conuiuium Regis; præceperat autem Absalom pueris suis dicens: Observate cum temulentus fuerit Ammon vino, & dixero vobis, Percutite eum & interficite.*

2. Reg. 13.

2. Reg. 8.

Sed indigni huius facinoris vindex Deus pœnas haud multo post exegit: mulo namque per densos arborum ordines inequitans, imis ilicis ramis cæsa iem implexus pependit. Non minori etiam Iudas iracundia ardens, non suum modo fratrem, sed Deum ipsum prodidit, & lætioris vultus sub velamine, ficto quodam osculo inimicis illum tradidit, in monte Caluariæ conspiciendum dedit; inde cruci, morti, eique crudelissimæ exposuit: sed peccatum quoque eius flagella secum trahens, ad eam vitam desperationem coegit, vt è ligno infami se suspenderit.

S. Ambrosius Iudam assimilat Doeg Prophetarum interfectori.

1. Reg. 22.

Magnus ille Mediolanensium Præsul & Catholicæ Ecclesiæ Doctor Ambrosius eum cum Doeg Idumæo, Prophetarum percussore interfectoreque in eadem bilance componit. Sceleſtus hic Idumæus Regem Dauid prodidit, atque irruptione in Sacerdotes facta, trucidauit vna die octoginta quinque viros vestitos ephod lineo, id est, Sacerdotes. Ad eundem plane modum Iudas Iscariotes eam machinans proditionem, cui parem non vidit orbis, mortis non vnius sacerdoris duntaxat, sed summi illius Pontificis, & Sacerdotum omnium coryphæi, ac cuius maximi quique Præsules nonnisi ministri & famuli sunt, causa exstitit.

S. Leo comparat cum duobus senibus Susannæ castæ accusatoribus.

Dan. 13.

Aliam insistit viam Leo magnus, & perfidi huius proditoris peruersitatem cum lasciuis illis Susannæ matronæ castissimæ pudicitiæ vitæque insidiatoribus, quos Daniel Propheta, *semen Chanaan, & non Iudæ* palam indigetat, confert, & pari cogit passu incedere.

Omnibus hiſce sanctorum Patrum inuentionibus & comparationibus, quas magni haud dubie facio, & summopere deprædico, meum quoq; visum est addere symbolum: quare dixero, cum artes, versutias, perfidiamque triobolaris huius nebulonis, mecum examino attentius, non multum à Ioabi perfidi artibus differre videri. Fuit hic inter Dauidis Regis Duces facile quidē princeps, qui aduersus Amasam fratrem ex inuidia conspirans, cum in ipsum incidisset, beneuole illum fratris nomine compellando, omniq; officii nomine prosequendo, manu eum vna est amanter complexus, altera sicam in viscera nec opinantis condidit, atque ita vita exuit: *Dixit itaq; Ioab ad Amasam: Salue mi frater, & tenuit manu dextra mentum Amasa, quasi osculans eum, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, &c.* An non hæc omnia cum Iudæ facto optime coincidunt? An non filium Dei salutando, & amice osculando mortis & infamis illi crucis parandæ fuit occasio?

Iudas & Ioab conferuntur.

2. Reg. 20.

Eusebius Cæsariensis magni vir nominis & doctrinæ singularis, hæc veterum de

Iudæ

Peccatum Iudæ scriptum stylo ferreo.

Iudæ iudicia, simul & peccati illius enormitatem examinans ipsum quidem adeo enorme existimat, vt stylo ferreo & vngue adamantino in rubricante diuinæ iustitiæ charta scriptum illud credat, ad quod hunc Ieremiæ locum producit, *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, &c.* Ierem 17.

At quem haberet exitum oratio, si quæcunque de Iudæ reprobatione, proditione, auaritia, cæterisque vitæ eiusdem probris à sanctis Ecclesiæ Patribus notata sunt, & dici queunt, huc coner offerre? funesta nimis hæc materia est, aliam longe futuram iucundiorem, sancti Matthiæ inquam electionem, illiusque in Apostolicum cœtum coo ptationem proponam; quod & secunda orationis parte me facturum spoponderam.

VI. Apostoli in vnum collecti locum ad Matthiæ electionem

Ergo postquam scelestus & sacrilegus ille Iudas prævaricatus abiisset in locum suum, sacrum Apostolorum collegium Hierosolymis conuenit, vt eius in & locum dignitatem qui succederet, iuxta id Prophetæ vaticinium, *Et Episcopatum eius accipiat alter*; alium surrogarent. Duos igitur viros ex omni discipulorum numero præstantes, probos vt qui maxime, ac fideles Christi Domini seruos, hinc Matthiam, illum Iosephum cognomento Barsabam statuendo, elegerunt: inde precibus ad Deum fusis, & diuinum iunctim efflagitantes lumen & instinctum, sortem super eos iecere; quam æquissimus rerum moderator Deus super Matthiam cadere permisit; itaque in duodecim virum est collegium coopt.tus. Actor. 1.

Hæc in electionibus hominum, vt ad officia & munia assumerentur, procedendi & sortis iaciendæ ratio causa erit, paucis vt exponam, sortes illas ita à veteribus vsurpatas, nihil fuisse aliud, quam chartulas quasdam, aut quid simile alearum in formam concinnatum, in vrnam, aut simile vasculum conie ctas, quæ deinde in sortitionibus publicis hinc educebantur. Cicero actionibus in Verrem sortis in amphoram, in situlam Plautus, in galeas, cassides militari more conie ctæ meminit Homerus; Virgilius in re quidem bellica & castrensi in galeis sortes commistas, in politicis verorebusque ciuilibus vrnas adhibitas vult. Cic. 4. act. in Verrem. Plaut. Cassina. Hom. Iliad. 8. Virg. 5. & 6. Æneid.

Ethnicis & barbaris sortiendi ratio familiaris admodum fuit, & quidem longo tempore eius seruarunt vsum: isque per omnes fere orbis populos inualuit, terra non minus quam mari. Nautæ qui Ionam in Tharsis vehebant, tempestate iactati, & naufragii metuentes discrimen, *miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.* qui sorte hac designatus in mare idcirco deiectus fuit, & ab vndis absorptus. Longo ante tempore sortes vsurpauerat Rex Babylonis: de eo namque scribit Ezechiel, *Stetit Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas, &c.* Sortium vsus apud veteres. Ion. 1. Ezech. 20.

Arrogans Aman Persa, quo vindictam de Mardochæo, & vniuerso Iudæorum populo sumeret, die ac mense, è sortibus discere voluit, *Missa est sors in vrnam, quæ Hebraice dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici.* Exinde & præsidiarii Romani Hierosolymis, in monte Caluariæ filio Dei moriente, sub cruce super vestem eius miserunt sortes, vti Euangelista notat, *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes.* quod & Propheta olim prædixerat, *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Esth. 3. Matth. 23. Psal. 21.

Hæc quidem sacris deprompta litteris, sed audite & prophana. Refert Corn. Tacitus eques Romanus, & scriptor peregregius, Romæ magistratus, prouincias, quinimo legationes, sortito decretas, ne quis ambitioni, mutuæ conspirationi, litigio, turbisq; locus esset. Obseruauit idipsum Sigonius. Lib. 10. Lib. 2. de iudic. c. 12.

Græci colonias quoq; suas sorti committebãt, quin & apud Athenienses Areopagitæ sententias suas sorte proferebant, coniectis scilicet plurimis in vrnam litteris. Testem habeo huiusce rei eumdem Sigonium, qui Lucianum, Demosthenem, & Aristophanis Scholiastẽ vt testes producit. Tradit Tullius, legẽ Syracusis fuisse, quæ Iouis Sacerdotem in annos singulos capi sortito iuberet: Lucianus, apud Spartanos sortibus gladiatores in duellum ait & arenam descendisse. T. Liuius Romanos in bellis nihil nisi sorte iacta fecisse, sortito castra metasse, ordines disposuisse, sortito quoq; duces & cẽturiones suos creasse Hebræis Inrep. Athe. lib. 3. Act. 4. in Verrem. In Herm. Li. 2. dec. 3.

Apud Hebræos item sortiũ vsus.

Hebræis eadem sortiendi ratio in vsu fuit. Scriptura sacra fidem facit, adeo vt in omni prope iustitiæ exercitio, in Regum electione, terræ diuisione, munium distributione, ipsis denique sacrificiis nihil nisi sorte decisum decreuerint.

Leuit.16. In Leuitico mitti videbitis sortes super hircos duos iam sacrificio destinatos, *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij, mittensq; super vtrumque sortem.*

Numer.17. In Numeris Aaron aliis sacerdotiũ eius ambientibus sorte præfertur. *Ios.7.* In Iosue, Acham de familia Zire furtum è tanto bellatorum numero sorte detegitur. Idem & Ionathæ contigit, *1.Reg.14.* *vt ait Saul, mittite sortem inter me, & 1.Reg.10.* *inter Ionatham filium meum, & captus est Ionathas.*

Electionem etiam Saulis sorte factam deprehendo; cum enim Samuel Propheta tribꝰ omnes Israel in vrnam commisisset, & super Beniaminiticã sors cecidisset; rursus omnes *Num.16.* eiusdem familias in vrnam conijcit, *& cecidit sors super cognationem Metri, & peruenit vsq; ad Saul filium Cis.* Video & terram promissionis *Psalm.77.* Hebræis, Deo ita iubente, sorte diuisam, *tadumtaxat, vt sors terram tribubus diuidat & familiis.* Singulatim id designat Regius Propheta dicens: *Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis, &c.* Ne vero ad sortilegium hoc adstruendum longius prouehamur, sufficiat videre, Apostoli in perfidi Iudæ locum surrogationem sortito fieri, & ab Apostolis sortes adhiberi: *Cecidit sors super Matthiam, &c.*

Notare circa hanc per sortes electionem doctiores velim, Iudaismum hanc redolere, & vsu suo & consuetudine quid sapuisse Mosaicum, ac proinde minus perfectam & excellentem esse; quæque post Spiritus sancti missionem numquam deinde in vsu fuerit.

Matthiæ electio legitima plane fuit.

Non quod taxare aut carpere velim, quod diuinitus scio quoad sancti Matthiæ electionem comprobatum, & quod Apostolos, communi voto & consensu, præmissis communibus ad Deum precibus & orationibus constat fecisse. Quin vero electio hæc omnibus suis numeris & partibus fuit absoluta. Primo quoad electores, quorum summa fuit auctoritas; vtpote qui Apostoli erant, totius scilicet vniuersi Principes, terræ Præsides, cœli ianitores, populorum Doctores, & Euangelij præcones: quibus hoc Psalmographi aptari queat, *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham* ad sancti *Psal.46.* Matthiæ nimirum electionem faciendam. Secundo, quoad electum & designatum, de quo merito dictum putemus, quod de primo Israelitarum Rege à Samuele dictum legimus: *Certe videtis, quem elegerit Dominus, 1.Reg.10.* *quod non sit similis ei in omni populo.* Quas enim sanctus Matthias habebat dotes & perfectiones, non erant illi cum alijs communes, vti sua in oratione luculenter ostẽdit Apostolorum Princeps, elucebat siquidem quædam in eo morum maturitas, dicit enim, *Ex his viris:* quin & vitæ sanctimonia, additur namque, *qui nobiscum sunt congregati*: sapientiæ quoq; & doctrinæ profunditas; norat enim quidquid ad vitam Saluatoris pertinebat, iã inde ab exordio ad finẽ vsque; extollit namque ꝑ, *Omni tempore quo intrauit & exiuit.* Tertio, quoad eligendi modum; omnes enim Apostoli antequam eam aggrederentur, preces præmisere, & orationi solito feruentius incubuere; vnde notat Scriptura, *& orantes dixere.* *Act.1.*

In Præsulũ electione oratio adhibenda.

Ab oratione suam electionem prouidi hi Electores inchoarunt, vt hinc discamus, omnem electionem, ac præsertim Antistitum, eorumque, quibus Ecclesiæ moderari habenas incumbit, multis validisque à Deo precibus ac supplicationibus postulandã. Deinde in omni re difficili ac perplexa, magnique momenti negotio ad publica esse suffragia, & litanias confugiendum. Ita id feciste legimus pium Regem Iosaphat, & posteris idipsum præscripsisse, *Cum ignoramus quid agere 2.Par.20.* *debeamus, hoc solum habemus refugij, vt oculos nostros dirigamus ad te.*

Iudith.8. Pia, mirabilis, & nunquam satis laudata Iudith, antequam generosum & heroicum hoc iugulati Holofernis facinus exequeretur, communes populo preces & supplicationes indixit, omniumque suffragia depoposcit, dicens: *Nolo vt aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum*, vt mihi propitius sit. Exinde & Apostolus Paulus communes

Iudith publicas petijt populi preces.

& publicas iunctis postulationibus orationes permagni fecit, ita Timotheo scribens, *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.*

1. *Tim.* 7.

Philosophorum axioma.

Inter cætera Philosophorum axioma non postremum hoc est, *Virtus vnita fortior est seipsa dispersa:* Idem penitus de oratione sentiendum, atque hoc precibus adaptandum. Nam reuera oratio vnita, & è pluribus suspirijs coagmentata ac compacta maiorum est virium & efficaciæ, violentiusque cœlum petit, quam aliqua priuata aut particularis. Hinc ergo efficias, communes omni in re preces non minus vtiles esse quam necessarias, ac præsertim in personarum publicarum, multo vero magis, in ad animarum regimen vocatarum electione.

Publicæ preces maxime vtiles.

Error eorũ, qui in præsulum electione Deũ non consulunt.

Hinc errare constat eos & quidem grauissime, quinimo reprehendendos esse, qui huiusmodi in casibus à cœlo consilium non petunt, ad Deum non confugiunt, eosque prouidæ illius directioni non commendant, sed proprio feruntur affectu, & brutorum ritu sensuum exteriorum duntaxat dictamen sequuntur. Tradit Glossa Ordinaria in 1. Machabæorum Alexandrum Magnũ iam morti proximum à purpuratis suis rogatum, ecquem ex omnibus satrapis, principibus ac commilionibus successorem denominaret, ilico respondisse, vt quem optimum ac dignissimũ ipsi iudicarent, hunc ad gubernacula promouerent: habebat nihilominus filium Herculẽ nomine, & fratrem Aridæum, quin & vxor Roxanes ex eo prægnans erat. Veruntamen neminem horum in regna succedere sua voluit, si indigni comperirentur. Quantum ergo Christiani complures erubescant, qui suis in electionibus ac denominationibus nullam virtutum meritorumque eligendi, longe secus ac barbarus ille Rex, rationem habent, at sæpe indignissimos quosque suorum magistratuum ac dignitatum successores habent ac relinquunt.

1. *Mach.* 1.

Generosũ Alexandri Magni responsum.

Num. 27.

In Numeris Mosi hoc modo imperat Deus, *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, & audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Hunc ergo populi sui ducem ac caput esse Deus vult, qui spiritu Dei sit repletus; mundus vero è contrario eos in Pastores & Ecclesiæ antistites assumi cupit, qui spiritum habent diabolicum. O dedecus & probrum intolerabile!

Insignis allegoria.

Sapientissimus ille mortalium Salomon (qua de causa nescio, nisi forsan illustre quod dam denotare voluerit mysterium) nullam è suis siluis trabem aut tignum excisum in domo Dei voluit collocari; sed omnia ligna maiora, quorũ in templo vsus erat futurus, è Tyrij Regis Hiram siluis & nemoribus, & aliunde peti iussit. *Itaq; Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius.* Designare scilicet volebat, Pastores & Præsules, qui Ecclesiæ bases & columnæ sunt, apud exteros potius, modo dignitatis capaces sint, quam apud cognatos & consanguineos nostros, si nulla adsint merita, esse quærendos.

3. *Reg* 5.

Ecclesiasticæ dignitates externis potius, modo dignis sunt, conferendæ.

Interim tamen hodierna die in domo Dei, quæ est Ecclesia, dignitates & munia consanguineis aut proximis, tam familiaritate quam fœdere & affinitate iunctis conferuntur. Virtutem scilic. supplantat caro & sanguis, & mundani affectus merita præeunt.

Illum Deus in Numeris in summum eligi Pontificem iussit, cuius virga floruisset: adeo vt inter duodecim in tabernaculo collocatas virgas, sola Aaronica florida apparuerit. Audite quid Scriptura dicat, *Quem ex his elegero, germinabit virga eius,* & deinde, *sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui* Quo prodigio ostendere voluit illũ duntaxat in præsulem assumendum, cuius vita flores, frondes, & fructus protulerit. per frondes vero verba, scientiam, doctrinamque intelligo; per flores bonum nomen & existimationem; & per fructus opera bona. Hæ nimirum sunt dotes & charismata eorum, qui in Ecclesia alijs præesse & gubernare volunt.

Num. 17.

Insignis allegoria.

VII. S. Matthiæ sanctitas è plurib. perspici potest.

Talis erat Matthias noster, & omnigenæ in anima eius perfectiones reperiebantur. Et quidem sanctimonia vitę eius è varijs colligi rebus potest. Primo, quod de 72. discipulorum à Dei filio electorum, quiq; iam inde à baptis-

I. Fuit è 72. discipulis.

baptismo Ioannis ad mortem vsq; eum fideliter & indeficienter secuti sunt, numero fuerit. colligas hoc ex ijs, quæ in 1. Act. e. ad reliquos Apostolos Petrus protulit, *Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus incipiens à baptismo Ioannis, vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius fieri vnum ex istis.*

II. Secundo, cum sortito ipse cum Iosepho Barsaba, qui ob vitæ sanctitatē *iustus* cognominabatur, commissus esset, inq; ipsum sors cecidisset, hinc efficias & colligas, socio illum digniorem & iustiorem, ac proinde meriti maioris exstitisse.

III. S. Matthias in Apostolū electus à Christo iā glorioso. Tertio, è noua eligendi ratione; ceteros n. Apostolos Redēptor elegit, interim dū mortalem adhuc vitam ageret, & cum hominib. in terra conuersaretur; Matthiam vero iam gloria donatus, & ad dextram Patris residens: in quo extraordinaria quędam gratia, fauor, deque virtutis eius illustre elucet testimonium & argumentum.

Amethysto assimilatur S. Matthias. Qui 12. ciuitatis illi⁹ mysticę & Hierosolymæ glorioſæ fundamenta, i. totidem lapides ac gemmas, quarum Apoc. meminit, examinant, & singulis singulas Apostolis adaptant, Matthiæ nostro amethystum assignant, idq; ob eximiam vitæ sanctimoniam, & summam inprimis animi demissionem; quæ nomini eius (sonat namque *Paruus Dei*) inclusa cum fuerit, numquam à superbia arrogantia ve inebriari potuit.

Habetis igitur virtutē & miranda Matthiæ nostri, habetis electionem, vocationem, prædestinationem, habetis deniq; eius ad Apostolatū assumptionem; è contra vero scelesti ac sacrilegi proditoris Iudæ reprobationem, perditionem, ac damnationem audistis. Quę duo directe sibi inuicē aduersantur, & exitu nimium quantum inter se distant: hoc Christum & Deum relinquit, illud ad eius cultū, amoremq; prouocat; vt idem plane in Dei domo, ꝙ in vtero Rebeccæ contingere ad oculum cernere sit, fratres namq; gemini, Iacob & Esau, eodē prope momento vtero materno prodeuntes, vt Genesis ipsa refert, diuersos subiere casus: hic namq; à Deo reprobatus & reiectus fuit, etsi primogenitus; ille vero etsi secundogenitus, electus, p̄destinatus, & dilect⁹. Hic vero duos alios videas fratres, in quantū sc. ambo Iesu Christi discipuli, & eiusdem familiæ membra, qui eadē non gaudēt sorte. Iudas n. velut alter Esau profanus, etsi quoad Apostolatum natu maior fuerit, reprobatur, Matthias vero, Iacobi exemplo, non sine miraculo, quamquam iunior, vtpote de numero duntaxat 72. discipulorū assumitur. Magno apud Persas in honore fuit regina Vasthi, Assueri magni vxor, sed sua dignitatem & coronam culpa amisit, summo cum dedecore regia eiecta, cuius in locum & solium suffecta est humilis & prouida Esther; quæ suis coronam meritis sibi peperit, quam superbia & arrogantia alteri abstulerat. Idem prope nostra in historia fieri videmus: Iudas namq; velut noua Vasthi, ob sceleratum & arrogantiam regio palatio, sacro inquā Apostolorum collegio pellitur: pauperculus vero & abiectus Matthias, velut Esther, ad eiusdem honores assumitur, locumque prius vacantem occupat.

Gen. 24.

Insignis allegoria.

Esth. 1.

Vasthi ruina compara tur cū ruina Iudæ.

Terribiles sane casus, vicissitudines nouę, & mutationes plane admirabiles; sed quę nihilomin⁹ animos sublimes, & sibi maxime de virtute & probitate plaudētes perterreant ac percellant. Iudas Christi discipulus, qui mira cula patrabat, dæmones fugabat, cœlorum gestabat claues, deficit, sceleratorū fit antesignanus, proditionem adornat, Domino suo ac Deo mortem machinatur. Ita sc. fieri cum ijs cernas, qui initio miranda præstant, & extreme sancti sunt, vt si semel labantur, à iustitiæ semita deflectant, ad extremum omnium sint scelestissimi: è contra vero qui initio morib. sunt peruersissimis, vbi resipiscere cœperunt; tandem ad summum sanctitatis apicem pertingant, vt & miracula patrent. Horum exemplum S. Maria Magdalena sit, illorum Iudas.

Qui initio minus sunt boni, ad extremū summe sunt nequam, & contra.

Nemo igitur de se nimium præsumat, ad quemcumq; demum virtutū meritorumq; gradum peruenerit, sed ruinam semper & lapsū metuat, sibi non sec⁹ ac ludę imminentē; qui è summo Apostolatus culmine tam profunde deiectus est, vt in Messiæ mortem crucemq; conspirantium factus sit dux & caput. Ergo monēte Apostolo, qui stat videat ne ca

Nemo de sua iustitia præsumat.

dat, &, quo quisq; est altior & eminentior, eo ruinæ ac lapsus periculū magis formidet. An non turres & summa quæque tempestate & fulmine petūtur? an non arbores proceriores citius à ventis sternuntur, quam humile senticetum? Ita qui ad honores altiores & excellentiores euecti sunt, maiori lapsus patent periculo.

Qui ad maxima euehuntur, sunt in maximo lapsus periculo.

Apoc. 3. Hoc animo voluite, Auditores, & probū illud in Apocalypsi datum consilium vobis datum credite, vt scilic. quod iam habemus, conseruare studeamus, ne coronam nostram alius accipiat. Hoc si Iudas considerasset, non iā in gehenna torqueretur; in qua non paruū illi cruciatum causatur, quod illam Matthiæ cessisse coronam videt, quæ sibi parata erat, quaq; in cœlo donatus esset, si aliam vitæ rationem inijsset, aut iam lapsus resurrexisset, & pœnitentiam de admissis egisset.

Semper in tremore viuendum.

Ah! non solus Iudas hoc cruciabitur modo. Fuere plures, & modo etiam sunt, qui à Deo, & quidem amplissima mercede ac præmio vocati, quinimo omni eo quod cœlis continetur, tam blande amiceq; inuitati, adeo obstinati, & peruicaces semper manent, & manserunt, nūquam vt vocantem sequi voluerint; hoc sibi proponentes, aut potius imponentes, cum semel eos elegerit; & ad amorem suum cultumq; inuitarit Deus, numquā ab eodem reijci aut condemnari se posse. Sed errāt; appellare siquidem poterit alios, quocumque demum sub mundi climate agant, ex incultis gentilissimi vepretis è media Turcarum impietate, & vltimis mundi cardinibus eos adducendo, & ad se conuertendo, vt suo illos addictos cultui præmio cœlesti beet, & gloriam, quam aliis parauerat, in hos transferat.

Præeuntem mihi hac in opinione ipsum habeo Deum, ita apud Prophetam suum loquentem, *Vocans ab oriente iustum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ & locutus sum, & adducam illud, &c.* Quasi diceret, Fluunt ordine cuncta, quo voluerint & potuerint, fideles clientes mei sint ingrati, seruitergum mihi obuertant, electi mihi aures occludāt, ne forte verba mea audire cogantur, iustis duntaxat cœlum meum cedat; si vos, qui Christiani censemini, ipsum subire detrectatis, alios ex oriente, de medio nationis barbaræ & incredulæ, & idola colentis adducā, qui Christiana sacra susc ipientes fidele mihi obsequium præstabunt, quosque intra regnū meum admittam. Loco Iudæ, qui mea gratia & prærogatiua accepta abusus est, suoq; in statu perseuerare noluit, Matthiam quemdā subrogabo, qui se geret sapientius, & fidelius mihi obsequium & cultum sinceriorem exhibebit.

Isai. 48.

Quam hasce cōminationes tuas perhorresco Domine, quam tua iudicia reformido, quā sub graui delictorum meorum fasce gemo? Scio me sępenumero ergate, vt Iudam & Ischariota deteriorem gessisse: cum enim ille non nisi semel te prodidisset, semel mortem tuam esset machinat⁹; ipse mille aduersum te proditiones procudi millies & amplius in diuinitatē tuam conspirauī; teq; insuper millies cruci affixissem, si modo ipse facere, tuque id pati potuisses. Verū tu Deus es plenus misericordiæ, generosæ ac nobilis plane conditionis, quiq; pro delictorū multitudine ac grauitate tua fi gella non exeris: cū enim iam abhinc multis annis tartaro me adiudicare, & meā alteri cuipiam coronam addicere potuisses, qui ea non excidisset, vt eadē ipse excidi; pepercisti, semper patienter me tolerasti, exspectans donec resipiscerem, deque admissis pœnitentiam agerem.

Pia meditatio.

Hanc ergo me acturum spondeo, vitæ inquam emendationem polliceor, peccata deponam, intolerabile hoc iugum humeris excutiam, captiuitatis vinculā confringam, delicta tibi mea confitebor ex toto corde meo. Obsecro itaque Domine, iterum me in gratiam admitte; susc ipe quæso misericordiarū pater filium hunc prodigum, qui tuam dissipauit substantiam, & modo totus lacer, concisus, pannosus coram te comparet, tibi se sistit supplex, reindue, & in integrum restitue Domine, tuamque in hac vita mihi gratiam recupera, vt in alia regia gloriæ tuæ veste vestiri circumdarique merear: cuius nos reddant Pater cum Filio ac Spiritu sancto compotes, Amen.

IN FE-

IN FESTO ANNVNCIATIONIS DEIPARÆ Virginis Mariæ.

Partitio.

1. *De cauſis & effectibus Incarnationis.*
2. *De Angelo annuntiante Incarnationem.*
3. *De virgine, cui Annunciatio eſt facta.*
4. *De virgine conceptura.*
5. *De naſcitura cum vno duplici naturæ.*
6. *De reſponſo Mariæ.*

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ. Luc. 1.

FIGVRA.

Gen. 24. CVm Abraham Patriarcha ſeruum in Meſopotamiam ad quærendam filio vxorẽ mittere deſtinaſſet, eum potiſſimum ad huius legationis functionem, qui ceteris & ætate & rerum gerẽdarum peritia antecedere videbatur, ſelegit, vt tanto plus ponderis, auctoritatiſque ipſa legatio haberet. Hanc porro figuram hodierna die completam cernere eſt, video hic namque à Patre æterno, Angelorum primum & præ cæteris perfectiſſimum, in mundum deſtinari, vt glorioſiſſimam Virginem Mariam honorificis verbis ſaluter; eamque in ſponſam ac matrem vnigeniti filij eligat, & adoptet. O vere diuinam & eximiam legationem, cui ſimilis nulla vnquam in mũdo extitiſſe viſa eſt! Iam ſcil. dies illa aduenit, ô Virgo, qua infelicis Euæ delictum, & errorem reſarcies; qua Dei mater efficieris. O felix nuntium! ô lætam ter & amplius legationem! hodie quoq; ô mater glorioſiſſima, ac genitrix Creatoris eminẽtiſſima, ad tuas laudes deprædicandas, myſterijq; huius magnitudinem declarandam tuo nobis auxilio & patrocinio adſis neceſſe eſt: quod vt melius à te precando obtinere valeamus, eiſdem, quibus te olim hic Angelus, verbis ſalutabimus:

AVE MARIA.

I. Neceſſe erat, Auditores, quoniam vnius hominis culpa totum mortale genus perditum erat, & diuino conſilio iam ab æterno ita conſtitutum fuerat, Filium Dei humanã naturam aſſumere, & ſublime illud myſterium, abyſſum illam profundam, Euripum illum tot fluxibus mirabilium ſubiectum, contingere Ita namq; id prænuntiauit, & præſagijt Pſalmographus in perſona Chriſti Ieſu, cum ait: *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi, & holocauſtum pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quaſi diceret, Initio magni illius rerum futurarum libri ſcriptum eſt, ego vt carnem humanam aſſumerẽ: equidem haud abnuo. Sed ecce paratum me ad deſcendendum, paratum ad ſuſtinenda ſupplicia, paratũ ad mortem ſubeundam, paratum ad ſatisfaciendum pro peccatis hominum; quæ nullis eluenda lacrymis, nullis redimenda ſacrificijs, oblationibuſq; videantur. Pſal. 39.

Vix decreuerat Rex Iſrael Achab aduerſus Syriam arma ſumere; quin ſtatim mutarit habitum, & purpura & diademate relicto, plebeium amictum ſumpſerit. Quo edocemur, præuiſo ab omni æternitate peccato, & bello aduerſus inferos ad hominem redimendum declarato neceſſe fuiſſe, Verbum illud æternum, quod natura vniuerſi rex eſt, habitum mutare, & ipſum relictis regijs diuinitatis inſignibus, humanam formam & habitum aſſumere decreuiſſe.

Tradunt rerum naturalium auctores & medici tantam imaginationis & apprehenſionis in hominum generatione vim & efficaciam eſſe, vt infans eius, quamcunq; mater eum concipiendo in mente & imaginatione habuit, rei ſignum aliquod ſemper præferat: cuius rei euidens exemplum in Geneſi legimus, cum oues Iacob virgulas diuerſicolores intuitæ maculoſos quoq; fœtus edidere. Cũ igitur magnus ille Pater Filium ſuum ab æterno generando, cum ex infinita ſui ipſius, & omnium creaturarum, quarum omniũ caput & princeps ipſe homo eſt, cognitione & apprehenſione produxerit; neceſſe profecto erat, vt filius in ſe ipſo idem præferret, & ſignũ aliquod hominis, quem Pater in mente eum Gen. 30.

Ioan. 4. Philip. 2. generando habuit, ostenderet. Hinc *Verbum caro factum est*: vt ait Ioannes: *hinc habitu inuentus est vt homo*, vt ait Paulus.

Imprimis vero sacer ille Domini aduentus hæcque eius incarnatio, quoniam homo peccauerat, necessaria erat: nulla enim in mũdo creatura, quæ hominum peccatis & delictis apud Deum satisfaceret, præter filiũ Dei humana carne indutum, apta reperiebatur. Matth. 9. Proponite, quæso, vobis ob oculos miserum illum Paralyticum, qui triginta octo annos apud piscinam probaticam languẽs, quod hominem nõ haberet, qui in eandem illum dejiceret, decubuerat. Hic ipse credite Auditores humani generis imaginẽ referebat, quod jam à quatuor aut quinq; annorum millibus ægrum, & paralysi distentum jacuerat, paralysi, inquam, peccati originalis: cum nullus prorsus mortalium, aut nulla creatura, quæ id persanare posset, reperiretur, donec tandem ipse Christus ad nos humana carne circumdatus descendit.

4. Reg. 4. Mirum est, & pene incredibile, quonam dolore misera illa Sunamitis vnico filio orbata, & quot lacrymis suffusa, ad Elizæum prophetam properarit, eiusque sese pedibus prouoluerit: cuius ille lachrymis & lamentis euictus puerum vna cum baculo ad eius ædes præmisit. Sed cum irritum esset quicquid ille tentaret, ipsum Elizæum eodem se conferre necesse fuit: qui quam primum vt eo venit, super mortui membra extensus procubuit, & manus manibus, ori os, pedibus pedes, oculos oculis applicans, seseque incuruans, omnia membra calore corporis & halitus sui refouit, & calefacta ad vitam reuocauit. Quam euidenter nobis & manifeste, ô Sunamitis, miserum mortale genus exprimis, cuius ipsa figuram videris gessisse: eius namq; primogenitus Adã, atq; adeo omnis eius posteritas, cum peccato extincta & mortua esset, tandẽ ipsa importunis & assiduis precib. apud Deũ, magnum illum Elizæum effecit, vt misericordia & pietate commotus intrinsecus, tot Giezios, tot Patriarchas, tot Prophetas, tot reges miraculorum baculo instructos miserit. Sed frustra: nunquam enim miserum illũ mortuum vitæ restituere potuere: ita vt ipsummet Deum clamore & eiulatu miseræ mortalitatis excitatum descendere necesse fuerit (clamabat namque: *Inclina Domine cœlos tuos & descende*: & alio item loco: *Mitte Domine, quem missurus es*) Qui cum mundum hunc ingressus esset, domum scilicet in qua mortuus ille jacebat, os suum ori, & oculos oculis applicans, ac eius sese infirmitati accommodans, è Deo hominem, ex æterno & infinito mortalem efficiens, potentiam minuẽs, seseq; incuruans, inclinans, & dejiciens, miseram naturam humanam ad vitam reuocauit. Psal. 143. Exod. 4.

Extremum vitæ periculum Mardochæo totique Iudæorum nationi certissime imminebat, nisi magnus ille Assuerus pauperculã & plebeiam Esther in coniugem adoptasset: quam ille tanto amore prosequatur, vt statim à nuptijs cruentum hoc de omnibus trucidãdis Iudæis decretum, jam jam executioni mandandum, reuocarit, Amanum vero Iudæorum hostem juratissimum, omnisque calamitatis Iudaicæ architectum & machinatorem è ligno suspendi jusserit. Mardochæum quoque purpura indutum regioque insidentem equo per omnes orbis vicos & plateas duci; summisque affici honoribus mandarit. Scriptura vero subitam hanc rerum faciem repentinamq; metamorphosim exaggerans addit; *Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium*: Miser hic Mardochæus, humanum genus erat: sane & ni summus ille Assuerus, Verbum scilicet Patris vilem illam Esther, nostram scilicet humanitatem, sibi in cõiugem adoptasset, omnes haud dubie ad mortem adiudicati perijstemus. Hic scilicet est Domine, hic est ô sacer Assuere, in mysterio nimirum incarnationis tuæ humanam naturam induenda, vbi ingens ille amor tuus eluxit, vbi infinita bonitas, & benignitas tua immensa apparuit. Nam post diuinã hanc copulam sacrumq; connubium diram illam mortis sententiam aduersus miserum mortale genus latam reuocasti, Sathanam velut Amanum mori coegisti, hominemq; ad sublimes diuinitatis gradus, velut alterum Mardochæum sustulisti. Tunc nempe hominibus noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium.

Iustinus & Valerius Maximus, magni vcr-

Iustin. l. 2. Val. l. 5. c. 6.

terque nominis & ponderis scriptores, ingẽtem Codri vltimi Athenienſium regis in patriam amorem magnis efferunt laudibus. Hic n. cum ingenti hoſtium exercitu Attica regio debilitata ferro igniq; vaſtaretur, diffidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum confugit: perque legatos ſciſcitatus eſt, quonam modo tã graue bellum diſcuti poſſet. Reſpondit illud non aliter Athenas victrices fore, aut bello finem, niſi rex ipſe hoſtili manu occidiſſet. Quod quidem non ſolum totis Athenienſium caſtris, ſed etiam aduerſariis percrebuit. Eoq; factum eſt, vt ediceretur, ne quis Codrum vulneraret. Verum ille depoſitis imperij inſignibus, familiarem cultum induit, ac palantium hoſtium globo ſe obiecit, vnumque ex his falce percuſſum, in cædem ſuam cõpulit, cuius interitu, ne reſp. concideret, effectum eſt.

Quam euidenter, & ad oculum nobis hęc hiſtoria incarnationis myſterium repræſentat? Erat quippe mundus turbis grauiſſimis plenus, plenus bellis, bellis ſc. aduerſus Deũ, aduerſus Diabolos, atque omnia motibus & perturbationibus exagitabantur; Verbum illud Patris toties ſacrum illud SS. Trinitatis oraculum cõſuluerat, quanam ratione omnes illæ turbæ motuſque ſedari & componi poſſent, & vera ac ſtabilis in mundo pax conciliari. Hoc tandem reſponſum redditum eſt, aliam pacis ineundæ, belliq; componendi rationem non eſſe, quam vt ipſummet Verbum mortem oppeteret. Ipſe igitur quieti & vitæ ſubditorum vita ſua poſtpoſita, ad mortem oppetendam ſeſe præparat: cumq; ſciret diabolos, cum quibus bellum gerebat, quiq; tyrannorum more toti mundo imperabant, nunquam ei mortem illaturos, ſi eum dignoſcerent, habitum commutauit, humanam naturam induendo: atq; ita mutata veſte cum hoſte in diro paſſionis conflictu decertans, in prima acie, in media crucis rabie occubuit: & ſtatim à morte eius pax confirmata fuit, quã ipſi Angeli in nocte natiuitatis Dominicæ

Matth. 2. hominibus annuntiarunt dicentes, *Et in terra pax omnib.* eius porro confirmatio in cruce

Matth. 27. peracta eſt, cum nimirum ipſe Dominus exſpirãs in cruce voce magna clamauit, *Conſummatum eſt*: quaſi diceret, Omnia nunc peracta ſunt, pax jam pacta eſt, bellum finem accepit, jam turbæ quieuere; quin & Apoſtolis eadem ſtatim à prælio confecto denunciata fuit: *Pax vobis, nolite timere.* *Luc. 24.*

Quam præclaram huiuſce rei figuram in Ionæ Prophetæ hiſtoria legimus? Cum enim vehemens in mari tempeſtas exorta fuiſſet; ipſaq; nauis qua Propheta vehebatur, ingentibus procellis aquarumq; vorticibus concuteretur; & omnes in extremo periculo conſtitutos ſeſe viderent, ac naufragium jam iam imminens pertimeſcerent, exclamare Ionas cœpit: *Tollite me & mittite me in mare, & ceſſabit mare à vobis.* Primum illud, ô Verbum æternum ac vere mundi Iona, protoplaſti peccatum tantam in mundi huius pelago tempeſtatem excitauerat, tanto impetu humanæ naturæ cymbam concuſſerat, vt generale quoddam & commune damnationis periculum omnes ſibi inſtare pertimeſcerent: At te, ô admirande Iona, hominum aſſumente naturam, & in paſſionis mare te præcipitem dari ſinente (de quo dicitur, *ceſſauit mare à nobis*) tempeſtas ſedata, ac prior illa aeris ſerenitas reuerſa eſt. *Ion. 1.*

Ecce & alium conceptum. Cum Ezechias Rex ægre ad mortem vſque lecto affixus decumberet, acceſſit ad eũ Iſaias Propheta, qui afflictum blande conſolatus eſt, & vitæ tempus ei à Domino prorogatũ nuntiauit: quod cum Rex ipſe vix crederet, ait Propheta, ſeſe in eiuſce rei ſignum & confirmationem effecturum, ſolis vt vmbra decem in horologio gradibus retrocederet. Hoc de te narratur, ô homo: cum enim peccati originalis febri vexatus ad mortem vſque infirmus decumberes, tot ad te Prophetæ, tui conſolandi ergo, venere, qui tibi certiſſime affirmarunt, te ex morbo illo infirmitateq; non moriturum: & in eius rei ſtabilimentum, & redemptionis tuæ veritatem, ſolem juſtitiæ, verbum illud diuinum decem gradib. retrogreſſurum, infra nouem ſe Angelorum ordines ſubmittendo, & humanam naturã induendo. Hæc ſunt læta illa nuntia & ſolamina, hæ ſunt ſalutationes illæ, quas Angelus Gabriel ad Mariam Virginem hodierna die defert: *Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilee.* Quam miſſionem legationemque vt pro dignitate *4. Reg. 20.*

expo-

exponere & enarrare valeamus, de Legato ipſo in primis deq; eius legatione loquendum eſt; deinde vero, vt eadem audita ſit, & quale reſponſum acceperit, aperiemus: inq; duob. hiſce polis totã myſterij incarnationis ſphęram circumagemus.

II. Legatus in myſterio incarnationis fuit Angelus.

Quod ad primum igitur attinet, Legatus & tam ſublimis myſterij paranymphus, vnus de Angelorum numero fuit, de ſubſtantijs illis intelligibilibus, immortalibus, incorporalibus, ſimplicibus & ſemper mobilib. vnus de numero beatorum illorum ſpirituum tribus hierarchijs diſtinctorum, & quorum ſingulæ hierarchiæ in tres ordines, & ſinguli ordines in mille Angelos ſubdiuiſi ſunt. Deniq; fuit Angelus, vt quemadmodum hominum calamitas & perditio ab Angeli praui molimine duxerat initium, ita quoq; eorum redemptio à bono Angelo exordium haberet, vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret. Excitauit olim Tartarus diabolum, qui Euam ſeduceret, eaq; ſeducta totum ſimul mundum calamitate inuoluerer; ita quoq; cælum hodie Angelum ad Mariam Virginem emittit & delegat, qui eam ſalutaret; eamq; ſalutando vniuerſo orbi ſalutem afferret. Angelo igitur huius legationis munus concreditum fuit, quæ paucis quidem verbis & ſalutatione Virginis, & incarnationem Saluatoris, modum ſimul & ordinem, quo humana redemptio peragi debebat, gratiarumque plenitudinem complectebatur.

Gen.3. Non eſt hic amplius Cherubim, romphęa armatus, ante paradiſi januam conſtitutus; nõ eſt amplius ſpiritus ille exterminator omnes Ægyptiorum primogenitos vna nocte interficiens; non eſt hic Angelus, qui ferro accinctus totum Senacherib exercitum internecione deleuit: non eſt hic Angelus ille, qui gladio euibrato Dauid eiuſque regno extremum interminatus eſt exitium: nõ eſt deniq; de illorum numero, qui quinq; florentiſſimas ciuitates flamma & incendio conſumpſere: ſed eſt Angelus, neſcio an Archangelus, neſcio an de Seraphim numero, qui pacem affert, qui noſtræ redemptionis tabellarius eſt, ac Meſſiam jam iam venturum denunciat. O felicem nuntium! ô fortunatam legationem! ô omnium votis & ſuſpirijs exſpectatum legatum! Deſinant igitur jam clamare Prophetæ, inhibete jam lachrymas mortales, exultate vos, qui in Limbo captiui detinemini; ecce enim, promiſſus ille in lege Meſſias jam iam venturus denunciatur.

Exod.12. *4.Reg.18.* *2.Reg.14.*

Geu.19.

O verbum æternum, itane te humiliari & deiici, vt noſtræ naturæ fragilitatiq; velis copulari, eamque in ſponſam tibi ſeligere? vilis eſt, paupercula & inops eſt, nihil habet, plus Patri æterno debet, quam ſoluendo ſit. Conſidera tecum ac perpẽde, ô Angelorum Princeps, quam vili ſit illa ſtirpe oriunda, quam plebeia eius conditio & proſapia? vide, quænam ſit eius origo? Filia ſcilicet eſt perfidi & infelicis illius Adam, cuius generatione & proſapia nulla aut deterior aut peruerſior excogitari poteſt; ſcatet ſordibus, infamis eſt, omnes pene, qui ab ea progeniti fuere, aut latrones, prædones, homicidæ, ſicarij, idololatrę, aut adulteri extiterunt. Quid? voſne ſublimes & magnificos Principes eatenus humiliari, vt in eius familiam & ſtirpem adoptari velitis, & talem filiam ambiatis? omnes namque pene maiores eius ſcelerib. infames Deo pœnas dederunt, & diuinæ ſeueritatem iuſtitiæ experti ſunt: aliqui eorum in Babylonem profugi & exulantes tranſire coacti; alii in Chaldæam & Aſſyriam captiui abducti; alij in mari rubro ſubmerſi; alij ſuſpendio interierunt, vt Aman; alij incendio conſumpti. vt Sodomitæ cum vicinis; alij terræ hiatu abſorpti, vti Chore, Dathan, & Abiron. Quodnam igitur genus deſpectius, quęnam proſapia aut vilior, aut infirmior reperiri queat? Quid? tene igitur, ô Saluator mundi, tam infames natales ambire? tam humili trunco velle inſeri & copulari?

Iud.14. Allegoriæ.

Cum Sampſon Philiſtææ cuiuſdam amoribus teneretur, eiuſque parentes eum, alio mentem vt transferret, adhortarentur, dicentes: *Nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum & in omni populo tuo, quia vis accipere vxorem de Philiſtijm, qui incircumciſi ſunt*: nõ aliam in ſui purgationẽ rationem attulit, quã amore ſeſe eius nimium quantum teneri, & aliam ſe diligere nequaquam poſſe. Ad eundem modũ verus noſter Sampſon, Dei Filius ſtatim vt mundum redimere conſtituerat, naturæ noſtræ, vilis ſc. Philiſtææ amore incen-

census; omnes SS. Trinitatis personæ, Cherubim simul ac Seraphim, & totus deniq; orbis admiratus est, quod cœlum, patriam relinqueret, in qua tamen pulchra illa Angelorum natura, formosa illa filia commorabatur, & in regione externa & peregrina miseram Philistæam adamaret, dicens: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Ipse vero amore excæcatus aliud responsum non dedit, quam magno se erga illam affectu affici, & alium dilectum adamare non posse, dicens, *Delicia mea esse cum filiis hominum.*

Psal. 8.

Prou. 8.

Veni igitur, veni hodie ô Iacob, relinque domum patris, inclina cœlos, incurua dignitates & titulos illos regios, imminue nonnihil maiestatem illam grandem, deq; throno tuo descende. Incipe iam inopiam & ærumnas pati, incipe nudis iam pedibus soli crucis baculo innixus, Iordanis nostri aquas transuadare, atq; instar vilis cuiusdam pastoris in terra aliena oues & armēta idololatræ Laban, hominis inquā ingrati & perfidi pascere. Duę te hic expectant sorores, quę matrimonio tecū copulari gestiunt. Lia videlicet & Rachel, Ecclesia nimirum triumphās & militans; Synagoga inquam & Ecclesia; at postquā multas oues & greges copiosos congregaueris, duabus stipatus turmis, hominum scilicet & Angelorum, in paternam domum reuerteris.

Gen. 29.

Veni ô Dauid paupercule & humilis: nullus est enim inter omnes Iuda, & Optimates Israel, qui sese Golię Philistæo audeat obijcere. Veni & descende; hæc te trophæa, hæc te gloria, hæc te expectat victoria: at te regios prius diuinitatis habitus exuere necesse est, ac peregrini viatorisq; vestibus circumdari, fundaque humanitatis nostræ manus tuas oportet armari; qua armatura insignitus victoriam sine dubio referes, inque mercedem & præmium, non Saulis filiam, sed pulchram illam principem Ecclesiam, scil. vna cum corona, & sceptro, non regni Israel, sed totius orbis imperij in matrimonio habebis.

1. Reg. 17.

III. Veniamus iam ad sermones & colloquia, quæ hodie cum Maria Virgine habuit Angelus. Audite quid inter se loquantur.

Aue gratia plena. Angelus ad Virginem ingressus cum esset, qui ab hominibus adorari consueuerat, Virginem quodammodo adorans & reueritus, humiliterque sese coram ea prosternens, his eam verbis allocutus est: Antequam, ô Virgo, vniuersi hæc machina conderetur, cum diuina iam mente Adamum per peccatum à gloria excisurum præuisum esset, simulq; in arcano SS. Trinitatis consilio decretum, Verbum Patris vt homo fieret, humanamq; propter hominem naturam indueret, tu quoq; eadem simul opera prædestinata es, quæ eius mater fores. id vero certis quibusdam de causis hactenus dilatum est: at hodie tempus aduenit, illuxit hodie felix illa dies, qua à tot annorum millibus decreta sententia executioni mandata est.

Hinc ego te plenam gratia, & Oceanum, in quem omnes cœlestium benedictionum riui & torrentes sese exonerant, iure meritoque appello. Tu enim es illa turris Dauid, omni ex parte communita, ex cuius fastigio & lateribus mille virtutum clypei, omnisq; spiritualis armatura dependet. Tu es thronus ille regius, in quo pacificus ille Salomon residebit, quem sexaginta fortissimi Israel custodiunt, cui sexaginta inquam Cherubinorum millia, omnium cœli primatum primi semper adstabunt. Tu denique es domus illa Sapientiæ, septem fulta columnis, septem Spiritus S. donis innixa. Hinc *benedicta tu inter mulieres*, etiam super omnes omnino viros, super Angelos omnes quin etiam benedicta: cuius tot ies nobis in mundo mentio facta est. In ipso namq; Paradiso de te dictum est, *Ipsa conteret caput tuum.* Vix natum quippe peccatum erat, vix dæmon mouerat lacertos, quin statim omnium nostrū in te oculi coniecti, quin omnes iudicaremus, quod illa Amazon & virago futura esses, quæ cruentum illum Cerberum, & tricipitem belluam contereres & ę domares.

Figurę quibus Deipara denotatur.

Cant. 5.

Prou. 7.

Gen. 2.

Disceptantibus olim tribus Persarum optimatibus, quidnā ex omnib. videretur esse fortissimum, Zorobabel mihi nō multum à scopo aberrasse visus est, dicens esse mulierem, ac simul te ô beatissima Virgo, præsignasse. Et sane, tu generosa illa mulier es, quam tantopere Sapiens videre exoptabat, dicens: *Mu-*

3. Esd. 2.

Prou. 11. *lierem fortem quis inueniet* ? Quasi dicere voluisset, Vbinam fortis illa mulier poterit reperiri ? quando generosa illa fœmina apparebit, quæ nostris malis finem, nostræq; ruinæ restaurationem allatura est? quæ nos pristinę innocentię restituet, & victoriam de tam potenti hoste, qualem hic noster referet?

Iud. 10. Quot illustres te, ô Virgo, mulieres præsignarunt ? Iudith inprimis Holoferne expugnato nobilis, & Betuliam obsidio liberans.

Esth. 7. Esther deinde in magni Regis Assueri, propter pulchritudinem, vxorem adoptata, quæ gentem suam exitio & ruina eripuit. Rebecca quoque magni illius Patriarchæ Abrahæ filiũ Isaac matrimonio accepit, qui ad montem vsque immolandus deductus est. De te etiam tot Prophetæ vaticinati sunt, & cum primis

Psal. 44. vnus è maioribus tuis Dauid Rex; *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, & obliuiscere domũ patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Sed relinque, ô Angele, hos honorum titulos, & encomiis plẽnas salutationes mitte, ac procede vlterius adque præcipuum legationis tuæ caput descende, nos vero ad alterum concionis membrum.

IV. *Ecce çoncipies, & paries filium* Ecce tua hic verba numero eadem repetuntur Isaia, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Ea ipsa & in libris Iudicum præmissa video, cum Angelus

Iud. 13. matrem Samsonis his verbis alloqueretur: *Ecce concipies, & paries filium: ille erit Nazaræus, & dabit initium liberationi populi Israel.* Egregia profecto rei, de qua agimus, figura, Auditores; videmus namque hic etiam Angelum ad Mariam veri Samsonis matrem accedentem, eique filium promittentem, qui redemptionem populo sit allaturus. Eadem hic verba, idem omnino Legatus, idem penitus mysterium: *Ecce concipies, & paries filium*, non quidem aliquem Alexandrum, vt Olympias; non Cæsarem, vt olim Aurelia; nec Salomonem, vti Bethsabee, sed Iesum Christum, qui mortem moriendo destruet, mundum potentia percellet, ac dæmones effugabit: filium inquam, qui salutem reddet ægris, indulgentiam concedet reis, lumen afferet cœcis, vitã restituet mortuis, & paradisi ianuam reserabit captiuis.

Ecce concipies & paries filium: tu scilicet eris vellus illud Gedeonis, verum inquam vellus, in quod Filius Dei in mundum roris cuiusdã cœlestis descendet. Tu eris ingens illa arca, quam verus Noe, ad omnes omnino mortales à perditionis diluuio liberandos, ingredi-

Ion. 2. & Aug. ep. 4. tur. Tu eris immanis ille cetus in gratiarum oceano natitans, qui miserum Ionam cœlo profugum, inque mundi huius mare deiectũ excipies, quem eum non dico triduo, sed no-

Exod. 2. uem mensibus sacratissimo tuo vtero complexa fueris, tandem in Bethlemiticum præsepe, velut ad littus quoddam eniteris & effundes. Tu deniq; eris illa Pharaonis filia omnium mundi huius Ægypti mulierum primaria, & princeps, quæ miserum Mosem in vitæ huius profluentem deiectum, in filium adoptabis; qui vbi adoleuerit, mũdũ à seruitute Satanica, velut à Pharaonica eripiet, eumque per rubrum passionis mare deducens, saluum & incolumem in terram promissionis sistet.

Figura. Iud. 6. Gen. 7.

Quid ais ad hæc ô anima mea? an non in admirationem raperis, cum tam expectatum hodie nuntium tibi perferri, & tantis virginẽ encomijs audis condecorari? Propone tibi quæso ob oculos Virginem, cum ad eam Angelus accederet, in conclauis sui abdito occlusam, ac sacra illa Isaiæ verba, *Ecce virgo concipiet*, attentius ruminantem, vt omnes vnanimi consensu Patres asseuerant. Audi, vt intra se ipsam dicat: Hem, quęnam, Deus bone, futura est illa? cuiusnam tanta futura sunt merita, vt mater tua futura sit? quænam obsecro erit illa virgo, cui tanta dignitas, tantaque gloria præparata est? Magna profecto fuit felicitas Esther, summo illi omnium regum Assuero, Regi inquam Persarum, matrimonio iunctam fuisse: at longe maior eius futura est felicitas, quæ sponsa simul & mater totius orbis Monarchæ futura est. Erit profecto hęc altera Iuno:

Insignis m ditatio quomodo se habuer virgo, cui Angelum loquentem audiuit.

quæ diuum incedet regina, Deúmq;
Et mater coniunxq;.

Vtinam mihi illam vel nosse contingeret, quanta ei promptitudine, quantaque solicitudine ministrarem? quam diligens illi obsequium, quantum honorem exhiberem?

quan-

quanto eam cultu & reuerentia prosequerer.

Cum his virgo esset intenta meditationib. ac de sublimi illo Incarnationis filij Dei mysterio attentius cogitans, extra se rapta esset: ecce tibi derepente Legatum cœli ingredientem, ac nuntiantem, eam ipsam, non aliam Ecclesiam esse, quæ Dei mater fieret, & è qua Deus humanam carnem assumere decreuit. Eia age anima mea, hic ingemina stuporem, hic adauge admirationem, ac tecum ipsa iudica, num magis quam antea Virgo fuerit demirata, cum subito sibi adstantem videret Angelum, & his se verbis alloquentem audiret? Quid eam hic fecisse, quid dixisse cogitabis? *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ecquid ais, ô Angele? quinam sunt hi sermones? quænam mihi paradoxa occinis? Noui quidem virginem parere debere, de incarnationis mysterio nequaquã ambigo: sed quonam modo, & qua id ratione peragi debeat, scire peruelim: dicito queso, *quomodo fiet istud?* quoniam virginitatem meam Deo obtuli: & quanquam Ioseph o matrimonio iuncta sim, certo tamen mihi constat certius, nunquam vel minimum ab eo detrimentum mihi inferendum, sed omnem eum potius daturum operã, vt videat, ne quod mihi ab aliquo damnum afferatur. Nam quemadmodum castus ille olim Ioseph nullũ Putipharis vxoris honori præiudicium irrogauit, propter honorẽ, quo Dominum suum prosequebatur, eadem quoq; ratione hunc Ioseph um mecum facturum existimo, vt nihil scil. in me audeat admittere, propter eum quo Deum prosequitur honorem & reuerentiam. Quemadmodum etiam Sunamitis illa Abisag, puella pulcerrima, in gremio Dauidis semper dormiens nullum vnquam ab eo virginitatis detrimentum passa est: eodẽ modo & Ioseph coniux meus mecum egit. Quomodo igitur hoc fieri posse existimas? Quas hic obsecro abyssos, quã abstrusos penetras recessus ô virgo? quem moues lapidem, quas difficultates & quæstionũ scrupos proponis? Hic nempe omnes Angelos facies obmutescere: illud enim *quomodo* verbis commode exprimi potest. Adhuc te loqui opus est, ô Angele, ac pluribus rem verbis exponere, virgini que omnem dubitandi causam eripere. Dic Angele, dic ô cœlestis Legate, *quomodo fiet istud?* sed audi Virgo quid Angelus dicturus sit. Hac scil. ratione, ô Virgo, incarnationis mysterium peragetur: Assumet Verbum Dei naturam jam nunc indiuiduam, sed non subsistentem, eamq; diuinę suæ hypostasi vniet, adeo vt duæ diuersæ naturæ in vna combinandæ sint persona, diuina scil. in propria permanente, & humana in diuina. Atq; hæc omnia in sacratissimo vtero tuo peragentur. Cuius rei innumeras si liberet, possem producere figuras. Vidimus in deserto Sinai rubum ardentem, eundem vidimus & incombustum: quæ potissimum recenseo designari, sacratissima Virgo: quæ scil. desertum es, in quo nullum vnquam peccatum, nulla maledictio, nulla viri mixtio resedit, in qua demum rubum ardentem huius mysterij videre licet, atq; ignem diuinitatis in rubo humanitatis nostræ ardentem, & hęc omnia sine vllo concupiscentiæ ardore, sine ignis læsione, sine vllo virginitatis detrimento. *Exod. 3.*

Figura qua incarnationis mysterium designatur.

Duos edidit gemellos Rebecca, ô Virgo, Iacob, scil. leuem & placidum, & Esau pilosum & agrestem. Idem tibi eueniet ô Virgo, quæ secunda futura es Rebecca: ex sacratissimo namq; vtero tuo gemini prodibũt, Deus nempe omnibus numeris absolutus, cuius Iacob figura extitit: homo pilosus, & multis imperfectionibus deformis factus, quem Esau repræsentabat. Si memineris ô Virgo, Bethulia, quæ nũquam hostili manu capta fuit, duę olim mulieres egressæ sunt, Iudith scil. venustate singularis, & eiusdem Abra, i.e. ancilla, ambæ in mortem Holofernis conspirantes: Ex te vero ô Virgo, velut è Bethulia, quam nunquam peccatum expugnauit, quęq; ciuitas illa es, de qua olim Psalmista cecinit, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*: duæ naturæ egressæ sunt, diuina, scilicet ipsa Iudith longe formosior, & humana, quæ veluti ancilla est; quarum vtraque armata est, vtraque caput Sathanæ per Holofernem repræsentati præscindere paratissima, atq; ad mundum captiuitate eripiendum promptissima. Duo quoque exploratores à Iosue ad terram Iericho explorandam missi, aliquot diebus apud Ra- V. *Gen. 25.* *Iudith. 10.*

ab meretricem delituerunt. Ad eundem modum, ô sacratissima Virgo, magnus ille Iosue, Pater æternus, muros Ierichuntis, peccata inquam, & mundi idola destruere volēs, duos exploratores, naturam scilicet diuinam & humanam mittet, qui aliquot mensib. in sacratissimo tuo vtero delitescent.

Num. 58. Tres ex his figuris in concione de Purificatione B.V reperiūtur, sed quoniā hic quoque quadrare videbātur, hic reperire sunt, adhibitis etiam tribus nouis, ne quis forte putet, alias non suppetere. *Gen.* 8. *Exod.* 25.

Quonam ô paranymphe Gabriel figuras depromis, quibus Virgini mysterium hoc declares? Depromunt tibi & vnam ipsi viri, ô Virgo. Duo namque illi ad terram promissionis profecti, cum ad castra reuerterentur, racemum in vecte euidens vbertatis argumentum retulerunt: vnde factum est, vt omnes viso tam egregio indicio, miro gaudio efferrentur. Hæc terra promissionis tu eris, ô Virgo, ad quam duæ naturæ profectæ, meritis ingentibus onustæ redierunt, magnum illum & pulchrum redemptionis nostræ botrum portantes; vnde ingens omnibus omnino mortalibus gaudium exortum est.

Quomodo fiet istud? Ex arca Noe, ô Virgo beatissima, duæ aues euolarunt, coruus scilicet & columba, quarum illa in aquis mansit cadaueribus insidens, & mortuaria consectans, hæc cum ramo virentis oleæ ad arcam reuersa est. Docet me Sanctus Spiritus, te illam arcam esse, è qua post nouem menses, nō duæ aues, sed duæ naturæ, humana nimirum & diuina exibunt: quarum illa in monte Caluariæ expirabit, & in sepulchro inter mortuos collocabitur; hæc vero semper victura est, perpetuo olim instar oliuæ virens. In Propitiatorio, auro mundissimo incrustato, duo Cherubin visebantur, sese mutuo versis vultibus respicientes, aliisq; totum propitiatorium obuelantes. Designabat hoc te, ô beatissima Virgo, quæ verum propitiatorium es, auro, virtutum coopertum, duos aliquando Cherubinos in vtero gestaturam, Deum scilicet atque hominem, qui se mutuo in vna eademque persona complectentes, & stringentes, te alis mirabilium operum suorum aliquando cooperirent. Aliam & quidem recentem adhuc depromam. Protulit pius ille Samaritanus duos è crumena denarios, quos in medelam curationemque miseri illius fauciati impendit. Non videor mihi procul ô Virgo, à vero aberraturus, si opulentam te, magni illius Samaritani Iesu Christi, crumenam esse dixero, è qua duæ naturæ veluti duo numismata proferendæ sunt, quæ in humani generis redemptionem per languidi curationem designatam impenderentur.

Quomodo fiet istud, ô Virgo? Nestorius quidem & Theodoretus aiunt, duas personas accidentaliter sibi vniendas, sed errant toto cœlo. Eutyches vero & Dioscorus penitus hic tradunt contraria: duas scilicet naturas in vnam miscendas & confundendas, sed falluntur, hæreticorum hoc est dicere, & non recte de fide sentientium. VI.

Porro veritatem dicit Angelus, atque ita fides nostra tradit, duas scilicet naturas diuersas, realiter distinctas fore, quæ in vna tamen hypostasi, in vna persona subsistent. Non igitur mirum est, ô Virgo si dixeris, *Quomodo fiet istud?* Neque enim minor in hoc, quam in sanctissimæ Trinitatis mysterio latet difficultas, in Trinitate namque tres personæ in vna sunt essentia, & natura: hic vero contraria ratione duæ naturæ in vna hypostasi.

Figura Mathematica, quæ mysterium Incarnationis denotat.

Scio te, ô Virgo beatissima, omnes callere scientias, inque omni artium genere esse versatissimam; ac propterea reuoca in memoriā figuram illam Mathematicorum, quæ incarnationis mysterium ad viuum adumbrat, triangularem illi figuram habent, quam Scalenum appellāt, quę duo latera habet inæqualia, & eandem basim. Ita quoque mysterium hoc triangulare est, tribus constans naturis, anima scilicet, corpore & verbo, sed triangulum Scalenum est, cuius duo latera, natura inquam diuina & humana, inæqualia sunt, vna scilicet infinita, & altera finita. O magnam inæqualitatem! & tamen ambę nonnisi vnam basim, vnam nimirum personam habent. Iam satis superque Virgo sanctissima de tuo *quomodo* me locutum existimo, & tibi dubitanti respondisse.

Quamobrem, *Ne timeas Maria*: Noli metuere sanctissima Virgo: ne timeas quod tibi

tibi falsa nuntiem : nihil quippe certius est : hoc ab æterno decretum. Ne timeas Maria peccatum originale, mortale, veniale : noli metuere dolores partus : paries quidem filiũ tuum in gaudio & ridens, vt olim Sara peperit Isaac: filius autem tuus nascetur ridens, vt magnus olim Bactrianorum Rex Zoroastes. Ne timeas, ne sis de perdenda virginitate sollicita : parce metu, Spiritus sanctus superuenier in te, ille totum hoc opus diriget, illius auspicijs omnia & non eximio fine miraculo peragentur.

Zoroastes ridens natus est.

Sueton. in Cæs. Videamus, quid in hanc referat Suetonius. Cum Iulius Cæsar nauem conscendisset, ac vehemens tempestas ingruisset, adeo vt nauarchus formidine perculsus expalleſceret, ad eum conuersus Cæsar, ait: *Quid times? Cæsarem defers, & fortunam eius.* Iisdem ego te hodie verbis compellabo, ô Virgo *Maria. Quid times? Christum defers, & fortunam eius.* filium inquam Dei, & gratias eius, merita, corpus, animam, diuinitatem, atque omnem denique fortunam.

Insignis super verbis Deiparæ meditatio.

Sed, ô beata Virgo, iam satis superque tecum Angelus ille legatus locutus est, iam aperuit, quod in mandatis habebat, tempus est, vt vnde venit, reuertatur, expectat responsum, quod ad Regem suum deferat, è te iam, ô Virgo; salus nostra dependet: tibi ecce iam pretium Redemptionis nostræ offertur : si enim id benigne accipias, & Dei petitioni annuas, ecce redempti sumus. Hoc est, hoc inquam est, quod infelix Adam, atque omnis eius posteritas, magna cum infamia è paradiso expulsa, iam à tot annorum millibus obsecrat, & enixe contendit. Hoc est, quod Prophetæ & Patriarchæ omnes, quod Reges in limbo terræ captiui detenti, à tot retro annis à te expectant. In te, ô pulcherrima Esther, omnem spem suam collocat afflictus ille Mardochæus. In te domus inclinata recumbit. A te & ab ore tuo iam dependet miserorum consolatio, captiuorum redemptio, condemnatorum gratia ac deniq; totius mundi salus. Audite ergo, quid ad hæc Virgo responderit.

Responsum Virginis ad verba Angeli.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Diutius te nolim morari, ô Angele, iam tempus est te reuerti, omnes namq; cogitationes meas in admirationem rapuisti. Equidem nonnisi humilis ancilla Domini sum, fiat mihi secundum verbum tuum. Ecce huiusce rei figuram in Regum libris Cum Abigail se à Dauide Rege in vxorem peti intellexisset, in terram se prostrauit, & humiliter respondit: *ancilla Domini mei.* 1. *Reg.* 10. Noua hæc Abigail iisdem hodie verbis vtitur, dicens: *Ecce ancilla Domini*: quasi dicat, Ne me huiusmodi elogiis condecores, ô Angele, ne quæso, matrem Dei appelles : sed hoc vtinam mihi concedatur, vt perpetuum ei & fidelem famulatum exhibere queam, ac fida ei ancilla existere. Hoc est responsum, quod tanto tempore è cœlo, terra & inferis expectatum est. Iam nuptiæ illæ regiæ, diuinæ naturæ cum humanitate nostra, in Mariæ Virginis vtero, initæ sunt & peractæ. Omnes iam figuræ completæ, iam omnia veterum Prophetarum vaticinia verissima fuisse intelliguntur.

Iam totus tibi mundus, ô sacratissima, augustissima & sanctissima Virgo, propter immensum, quod hodie per te munus accepit, deuinctus est : iam scilicet tempus est, quo te colere & adorare debemus, cum nimirum humilitate nos tua ab omnibus ærumnis & calamitatibus, quas Euæ superbia, & fastus inuexit, liberaueris. Hic scilicet Patriarcharum vota & suspiria cõpleta sunt. Hic paruus ille lapillus de montibus æternis in sacratissimum vterum, sine vllo humano opere; delapsus est, qui lapillus adeo tandem excreseet, vt magnitudine sua totum sit orbem repleturus. Hodie Dominus nouum creauit super terram, cum tu Virgo, mulier illa facta es, quæ sine vllo viri commercio, *Ierem. 31.* aut admistione virum circumdedisti, Filium, inquam, Dei, quem delicata ac molli carne vestisti, & circumdedisti. Quis te igitur non colat, Virgo? quis non honore prosequatur? quis te non vt matrem Dei agnoscat? Equidem meritorum tuorum magnitudinẽ exprimere nequeo : tu namque es cœlorum Regina, sanctissimæ Trinitatis infans, Domina Angelorum, hominumque Patrona. Tu es paradisi porta, maris stella, & mundi luna, imo vero *pulchra vt Luna, electa vt Sol,* *Cant. 6.*

quin etiam sole & luna pulchrior, numquam enim deliquium passa es. O luna & sol mundi, precum tuarum influxibus nos irriga, meritorumque tuorum lumine nos illustra, vt postquam te vna cum charissimo Filio Domino nostro & Redemptore, in mundi huius deserto, debito honore fuerimus prosecuti, in supremis sedibus aliquando te videre, ac sempiterna tecum beatitudine perfrui possimus. Amen.

IN FESTO S. IOSEPHI IESV CHRISTI NVTRITII.

Partitio.

1. *De gratia sufficientia ad omnia imperata exequenda.*
2. *De mirabili dignitate S. Ioſephi.*
3. *De cauſis, cur Deipara nupſerit.*
4. *Rationes, quibus adſtruitur non fuiſſe decrepitum, vti pingitur.*

Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph. Matth. 1.

FIGVRA.

Gen. 40. LAudat Geneſis quemdam Ioſephū de domo Iacob, tum quidem ob caſtitatem ac continentiam, tum vero quam maxime ob fidem Domino ſeruatam, cum enim in Putipharis Ægyptij domo ageret, & dominæ pergratus eſſet, illaque laſciuos in caſtum adoleſcentem oculos coniecisſet, pro eo tamen, quo in herum ferebatur amore & cultu, dominæ pellacis preces reiecit, tantamque hoc in caſu prudentiam & diſcretionem oſtendit, vt eam intactam illibatamq; hero, à quo cuſtodiendam acceperat, reddiderit. Similem hodierno in Euangelio hiſtoriam legere videor: videas hic namq; virum, eiuſdē quidem nominis, ſed de domo Dauid, ob caſtitatem fidelitatemq; nō minus apud Deum quam homines deprædicandam. Hic cum virginem matrimonio ſibi iunxiſſet, quam Deo in matrē deſtinatam nouerat, in quam etſi per matrimonij leges ac iura poteſtatem haberet, pro eo tamen, quo Deum, magnum illum Dominum, honore & cultu proſequebatur, numquam eam voluit attingere, atq; idcirco incredibili pudore, honeſtate, ac fide cum eadem vixit. Ioſeph filius Ioſeph illuſtris fuit Patriarcha, noſter vero Ioſeph de ſtirpe Dauid admirabilis fuit Confeſſor: ille frumentum & panes in Ægypto cuſtodiuit, hic vero puerum Ieſum, qui vere vitæ eſt panis, in Iudæa, ille regiorum ſomniorum expoſitionem meruit, hic vt Angeli in ſomnis illi apparerent. Vtrumque beatum video, vtrumque ad alta magnaque euectum. Synagoga Hebræorum ſuum olim Ioſephum ſumme deprædicauit: Eccleſia & Chriſtiani noſtrum magnificant, eiuſque maieſtatem, magnitudinem, gloriam ac merita deprædicant. Cui vt noſtram adiungere ſymbolum liceat, ad cœlum oculos ſuſtollamus, ſolita Deiparæ ſuffragia depoſcentes, quæ eo poſtulantibus annuet libentius, quod ad eius celebrandas laudes efflagitentur, quem illa in ſponſum & coniugem delegit. Cum Angelo ergo eam ſalutemus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Sufficientē Deus dat gratiam ad exercendū ea, ad quæ homines vocat.

In rebus ſpiritualibus certiſſimum & exploratiſſimum eſt axioma, ſemper gratiam officio & muniis hominū à Deo ad aliquid faciendum electorum, vocatorumque ex æquo reſpondere, quo eos capaces idoneoſq; ad eadem reddat. Docuit hoc olim Apoſtolus: ſcribens ſiquidem ad Corinthios, ſuumque illis officium ac miniſterium, quod cum reliquis Apoſtolis commune habebat, commendans & extollens; omnes ait à Chriſto idoneos miniſtros noui Teſtamenti factos eſſe, *Qui idoneos*, inquit, *nos fecit miniſtros noui Teſtamenti*. q. d. quemadmodum diſcipulos ſuos elegit Deus, & ad ſublimia digniſſimaque miniſteria eos euexit, vti Eccleſiæ regimen, Sacramentorum adminiſtratio, Euangelij prædicatio, Gentium conuerſio, idolorum euerſio, dæmonum fuga, Philoſophorum confuſio, aliaque plurima; ita & iiſdem gratias officij magnitudini pares reſpon- *2. Cor. 3.*

spondentesque contulit. Hinc in ea quæ ad Romanos, Apostolus ait *primitias spiritus* accepisse, prima inquam & excellentissima Spiritus sancti charismata, puta gratiam maximam, scientiam profundissimam, & admirabilem ad omnigena patranda miracula potestatem; quæ omnia ad officiorum suorum exercitia & executionem necessaria erant.

Rom. 8.

Exod. 3. Deus Mosē ad Pharaonem legās; eū dignum reddit.

In huius rei figuram legimus Mosen, dum ad Pharaonem à Deo legatur, vt populi liberandi causam ageret, vt qui obscurus erat, & ouium duntaxat pastor, quique se hoc indignum munere sciebat, vt à se hoc onus remoueret, Deo summa cum modestia dixisse: *Quis ego sum; vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Cui ilico Deus: *Ego ero tecum*, q. d. Vade, noli metuere, iter hoc perhorrescas, noli onus hoc aut munus ab humeris excutere, ego tibi adero, ego dignū te reddam, vires & capacitatem; & quidquid ad digne legationis hoc munus exercēdum necessarium est, suggeram. Rursus instans Moses ait: *En incircumcisus labiis ego sum, quomodo audiet me Pharao?* Sed omne hoc impedimentū dimouens Deus, & animum abeunti addens, dicit: *Ecce constituite Deum Pharaonis*; q. d. Vere, quam tibi iniungo, legatio grauis est ac difficilis, Moses, & onus magnū humerisque tuis impar: sed te ipse eius capacem reddā; eam namq; linguæ eloquentiam dabo; eam manib. potentiam, & auctoritatē tibi apud omnes conciliabo, vt mei adinstar, vti Deum te barbarus ille Rex sit habiturus. Ostendere hoc facto Deus voluit, nemini se quidquā oneris muneriscq; imponere, quod in cultum suum & obsequium cedat, quin ad ipsum exercendū eum dignum reddat, gratiaque ad exequendum sua succurrat. Eodē quoque modo Ieremiam diligens Deus, vt Gentibus prædicaret, & ad alia ministeria assumeret, ilico à Propheta sese excusante audijt, *A, à, à, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*, cui & animus, & ratio, & iudicium, & lingua deest. Cui respondit: *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & dissperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes, &c.*

Exod. 6.

Exod. 7.

Deus gratia sua adest iis, quorum ad ministeria sua vti opera vult.

Ierem. 1. Vires & animum dat Deus ijs, quos ad opus suum destinat.

Ne vero rursus, proprijs diffidens viribus, onus hoc à se reijciat, addit, *Ne formides à facie eorum: ego quippe dedi te hodie in ciuitatē munitam, & in columnam, ferream, & in murum æneum super omnem terram, &c.* Munitio hæc bellica, ferrū, æs, columna, murus, & omnis hæc armatura supernaturalis, aliud quam variarū gratiarum, quas Prophetæ suo ad eum munere iniuncto dignum reddendum dederat Deus, robur & auxiliū non denotabat; simul etiam vt hinc cuiq; manifestum fieret, neminem vnquam à sapientissimo illo Deo ad aliquam functionem exercendā assumi, quin ilico ad digne & pro debito eam exercendam dispositiones & gratias necessarias consequatur.

Qui à Deo ad aliquod munus assumuntur, eius gratia iuuantur.

Inter Philosophorū axiomata & hoc numeratur; *Qui dat esse, dat & quæ consequuntur ad esse.* Hoc quidē in rebus naturalib. habere ipsi locum docent, in quibus ipse naturæ auctor adeo suam patefecit prouidentiā, vt sieuti & quomodo dat esse, eo det quæ esse huic coniuncta sunt & consequuntur: sed in spiritualib. idem quoque intelligi, & dici in mysteriis potest: *Qui dat esse, dat & quæ consequuntur ad esse*, id est, idem Deus, naturæ & gratiæ auctor opus quodpiā alicui iniūgens, simul quoq; gratiam & media ad ipsum rite exequendum necessaria adiungit, & est hoc quam verissimum.

Philosophorum axioma. Deus dans esse dat quę consequuntur ad esse.

Hæc cum ita sint, & quidem certa & indubitata, gratiam scilicet semper officio respondere, & Deum iuxta onerum & dignitatis magnitudinem dona sua elargiri solere; S. Iosephus cum in B. Virginis, matris verbi æterni sponsum electus fuerit, quantam qualemque ei cœlitus datam ad munus hoc adeo honorabile gratiam credendum? Colligi hoc è paucis his Euangelij verbis potest: *Cum esset desponsata mater Iesu Ioseph* Quæ hodie vobis expositurus, & panegyricū quodammodo illustri huic viro, Iosepho, inquā, dicturus, bimembrem eum faciam, primo eum vt sanctissimæ Virginis sponsum, altero membro eum vt putatitium & vulgo creditum filij Dei patrem describam: circa quæ multa, quæ admirationem vobis allatura sunt, audietis.

II.

Primo ergo, Regius Propheta Dei miran-

Psal. 67.

da.

da enarrans, in sanctis eadem potissimum elucere & emicare eauit; *Mirabilis*, inquit, *Deus in sanctis suis*; atque adeo quidem mirabilis, vt plura in sanctorum infimo minimoque quam in tota naturæ vniuersitate cernere sit: Si vero in quopiam sanctorũ vnquam Dei magnitudo, maiestas & mirabilia apparuere; in Iosepho sane nostro noua & insolita quadam ratione eluxere, seque vniuerso mundo spectanda præbuere. Cum n. à Deo delectus esset, qui filij Dei in terra matris sponsus foret; credendum haud dubie, omnia in illo condecorando, nobilitando, extollendo, ac ditando mirabilia, ac thesauros eum suos effudisse.

S. Ioseph. præ omnib. sanctis admirabilis.

Dixit olim in matrimonij laudem Salomon, virum qui probam nactus fuerit coniugem, beatum esse; *Mulieris bonæ beatus vir*, & alio loco; *Beatus qui habitat cum muliere sensata*. Quæ si vera sunt, vti sunt verissima, quantam Iosephi nostri fuisse felicitatem ac beatitudinem credemus, qui glorioſissimæ Virginis, adeo probæ, sanctæ, piæque coniux fuit, & cum eadem semper meruit agere & habitare?

Insuper, si superioritatis & dominij in fœminam ius maritus habeat, & vt Apostolus loquitur, *vir caput sit mulieris*: & S. Ioseph, in quantum coniux, eam in B. Virginem auctoritatem & præeminentiam habuerit, vt quæ illum vti caput suum honorarit; veluti superiori obedierit, & de fuga in Ægyptum, & reditu in terram Israel reuelationes illi velut patrifamilias factæ sint ab Angelo, quis, quæso, huius honos, quæ gloria, quæ dignitas, à tam illustri Virgine honoratum, cultum, & auditum fuisse, dum quid iuberet?

Ephes. 1.

S. Iosepho Deipara velut capiti subfuit & honorauit.

In tabernaculi fabrica duos vtrimque ex auro Cherubinos fieri iussit Deus, qui versis in propitiatorium vultibus se inuicem contuerentur: *Duos qui que Cherubim aureos & productile facies ex vtraq; parte oraculi, respicientque se mutuo versis vultib. in propitiatorium.* Cum aureum hoc opus foris & circumsecus vndique contemplor, Christum Dominum propitiatorio, vt qui pro peccatis nostris propitiatio factus fuit, & *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*; Cherubinis vero Deiparam & Iosephum mihi fit verisimile designari, Cherubinis inquam aureis, cum charitate, sanctitate, & illustribus ambo virtutibus vndique rutilarint. Mutuo quoque se respicientibus, idque ob incredibilem & summum, quo erga se inuicem feruntur, amorem, & mutuam cordium coniunctionem, vt dicere vterque cum sponsa amante potuerit: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

Exod. 32.

Glorioſa Virgo & S. Ioseph comparati cum duobus Cherubim Exodi.

Rom. 3.

Cant. 7.

Nec plane absre aut præter decorum est, Cherubino Iosephum parem dicere; vt enim Cherubim inter reliquos Angelorum ordines & altissimi sunt, & perfectissimi, & dignissimi; ita & Ioseph inter summos, maximos, & celeberrimos merito viros est connumerandus. Et sane si gratiæ in Deiparam collatæ magnitudo hinc erui potest, quod in Iesu Christi sit matrem delecta: ita quoque & S. Iosephi inde colligi gratiæ eminentia potest, quod in eiusdem Virginis, & Iesu Christi matris sponsum à Deo secretus sit. Atq; hoc pacto quædam inter vtrumque hunc coniugem, perfectionum & excellentiarum si non æqualitas aut similitudo, saltem quam proxime accessio & proportio dari potest. Vt quemadmodum eandem natura iis dederat productionem, vtroque scilicet è regia stirpe ac domo Dauid descendente; ita pariter & gratia illos in perfectione & maiestate pares quodammodo & æquales reddiderit, idque ob filij Dei proximitatem, cuius Virgo Deipara erat mater, Iosephus vero pater, & sanctæ huius matris coniux habebatur.

Proportio & similitudo inter Iosephum ac Deiparam.

Hanc potissimum ob causam, & hoc veluti fulcro opinionem suam confirmans doctissimus Vniuersitatis huius Parisiensis Cancellarius Gerson, quem hac in re ducem plures magni nominis Doctores sequuntur, docere non veritus; Iosephum hunc nostrum ad instar Ieremiæ ab vtero matris sanctificatum fuisse, & ante quam lucem intueretur, Deum vidisse & agnouisse, inque gratia fuisse confirmatum, vt hoc pacto sacratissimæ Virgini, cuius futurus erat sponsus, aliquatenus æqualis fieret. Atque vt in naturæ perfectionibus & donis sibi pares erant, ita quoq; in gratia & mirabilibus spiritualibus mira inter vtrumque similitudo fuit & correspondentia.

S. Ioseph in gratia confirmatus, & ab vtero matris sanctificatus.

Adeo

S Ioſephus nunquam mortaliter peccauit.

Virginitatē ſeruauit.

In anima ſimul & corpore reſuſcitatus in feſto Aſcenſionis Dominicę.

Adeo vt ſanctus Auguſtinus & Rupertus Abbas mirabiles ſancti huius viri perfectiones & charismata indagantes, nunquā mortale aliquod delictum eum admiſiſſe aſſerāt; in quo & Apoſtolis fuit ſuperior, & ad B. Virginem quam proxime acceſſit. Sanctus Hieronymus ſingularem inſiſtens viā, ſemper eum illibatam virginitatem conſeruaſſe auctor eſt. Alij eum cum anima ſimul & corpore ipſo Aſcenſionis Dominicæ die reſurrexiſſe produnt, vt vna cum eo cœlos peteret, cui in terra pater creditus eſt fuiſſe. Nō tamen opinioni huic vt fidei articulo innitendum eſt, ſed iuſtum fuiſſe certiſſimum & exploratiſſimum eſt; de eo ſiquidem in Euangelio legitur, *Ioſeph autem cum eſſet iuſtus, &c*

Luc.1.

Ex his ergo, Auditores, ſanctiſſimi huius viri dignitatem, virtutes & gratias colligite. Sin. Eliſabeth virtutibus omnigenis dotata, ac Deo gratiſſima, ſortem ſuam magni fecit, ſeque beatiſſimam prædicauit, quod à matre Redemptoris domi ſuæ inuiſeretur, vt ſcilicet admirando exclamarit, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quo quæſo Ioſephus honore fuit affectus, ecquæ eius beatitudo, ſacratiſſimam hanc Virginem ſemper in ſociam ac contubernalem habuiſſe?

Matt.27.

Magnus profecto Ioannis Euangeliſtæ fuit honor, eiuſque ſors inter cæteros mortales perbeata, quod in ipſo paſſionis ac mortis die ſuam illi matrem Dei filius curandam, dirigendam, conſeruandam commiſerit, dicens, *Fili, ecce mater mea.* Sed non niſi poſt Ioſephum noſtrum, cui is honos obtigit, vt triginta circiter annorum ſpatio fideliter eam non modo vt tutor, conductor, director, gubernatorque, ſed etiam vt ſinceriſſimus, amantiſſimus, & fideliſſimus coniux cuſtodierit.

30. annos Virginem Deiparam ſeruauit Ioſeph.

Hem quam ſublimis hæc dignitas! quis ei maior obtingere honos queat, quam Virginis perfectiſſimæ ſponſum eſſe, & ad eius merita quam proxime accedere? vt ſua matrimonio pax conſtet, & inter coniuges recte conueniat, morum æqualitas inter eos habeatur oportet, iuxta illa Geneſeos verba de primi matrimonij fœdere, *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Vbi vero humores, cōditiones & perfectiones coniugis vtriuſque non omnino concidunt, nec pares ſunt, defectus a parte fœminæ tolerabiliores potiusve excuſandi ſunt, quam viri. Hinc ſancta illa ſponſa ſuas libere imperfectiones in nigredine quadam cutis, quæ eximiæ pulchritudini plurimum deterebat, ſitas, in Canticis aperiens, dicendo, *nigra ſum*; mox ſubinfert, ſponſi candore cum rubicūdo colore permiſto vitium hoc qualecumque compenſari: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus è millibus.* *Cant.5.*

Æqualitas coniugū in matrimonio potiſſimum ſpectanda. *Gen.1.*

Eamdem quoque ob cauſam cum duobus illis amantiſſimis coniugibus Abrahæ & Sarę nomina mutaret Deus, huius nominis litteram abſtulit, vt illius nomini adiungeret; idq; non ſine myſterio & plane diuine, vt nimirum hoc modo doceremur, fœminarum quam virorum defectus eſſe magis tolerandos. Cum vero longe ſecus ſe res in ſanctiſſimo hoc Ioſephi & Deiparæ matrimonio habeat, quod ſcilicet Virgo infinitis partibus eſſet perfectior, & omnigena excellentia Ioſepho dignior, cum mortalium nemo ei par daretur; S. Ioſephus tamen in coniugem eius delectus fuit, vt qui illius merita & perfectiones quam proxime attingeret. Credendum proinde ac veriſimile eſt, reliquis omnigena perfectione & dignitate ita virum hunc ſanctiſſ. præcelluiſſe ſanctis, vt omnigenis benedictionibus, & gratijs, præ ijſdem, cœlitus completus & dotatus fuerit. *Gen.17.*

Omnibus ſanctis perfectione & meritis præcelluit Ioſeph.

Allegoria.

Cum fidelis ille Abrahæ œconomus in Meſopotamiam Iſaaco hero ſuo futuro vxorem quæſiturus cimelia varia ſecum trahens, abijſſet, & venuſtam Rebeccam præ aliis terræ puellis in coniugem illi ſegregaſſet, varia eum monilia, inaures, armillas, & brachialia, veſteſque pretioſas, aliaque ingentis pretij donaria protuliſſe Scriptura refert, eaque tum Rebeccæ, tum matri fratribuſque dediſſe, heri ſui bona inter eos diſtribuendo. Credebat ſiquidem prouidus hic famulus, cui omnia ita ex voto acciderant, & qui re feliciter peracta tam lætanter domum redibat, iniquum & impar videri, puellæ ſoli munera largiri, fratres vero eius & parentes indonatos eſſe. Ita cum Dei filius in Deiparæ vte-

ro naturam noſtram ſibi in coniugem deſpõdit, & ſacram hanc puellam in matrem ac ſponſam delegit; omnes in illam theſauros ſuos Deus contulit, omnigeniſq; eam donis ac chariſmatibus cumulauit. Credibile porro fit iucundo hoc ſponſalium Ieſu Chriſti die, die inquam lætitiæ eius & gaudij interioris, illuſtria etiam dona & quam ampliſſima munera in omnes parentes & vniuerſam cognationem eius eſſe diſtributa. Cum vero Ioſeph & cognatus & ſponſus eius fuerit, dubitare ſane nemo poteſt, quin præ reliquis mortalibus gratia tunc & benedictionib. fuerit ditatus, & Deipara permagna accipiente beneficia & gratias, ſuas etiam Ioſephus receperit, non quidem pares, plurimas tamen. hoc ſcilicet ſponſi, quod gerebat, merebatur nomen, vtpote quod omnem dignitatẽ, honorem, ac magnitudinem mundi infinitis partibus ſuperabat.

Si vel hæc duntaxat Ioſepho cœlitus gratia præſtita eſſet, vt in Virginis huius ſeruum deligeretur, multis ſane infinitiſque Deo ob hanc prærogatiuam & honorem deuinctus fuiſſet nominibus; vti ſapientem illam Abigailam feciſſe proditum eſt, quę ſe beatiſſimam credebat fore, ſi vel in famulorum Dauidicorum ancillam aſſumi mereretur, cum eam ipſe in coniugem ac reginam delegiſſet, ſe namque humilians dicebat: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei* Cõmunis quippe ſanctorum omnium, etiam quo ad ſanctitatem, virtutem, aut alium quemlibet meritorum gradum maximorum vox fuit, tametſi Patriarchæ, reges, prophetę, & Apoſtoli etiam forent, minimos ſe ſanctæ & inæſtimabilis Virginis huius clientes ac famulos confiteri. Cum vero ſanctus Ioſephus ſingulari quadam prærogatiua non in famulum illius ſolum, verum etiam amicum, maritum ac coniugem digniſſimum delectus fuerit, ſingularis ſane is honor, gratia perilluſtris, ac dignitas omnibus omnium dignitatibus præcellens ac ſupereminens fuerit, neceſſe eſt

1. Reg. 25.

Dignitas S. Ioſephi ſuperat omnes omniũ dignitates.

III. Multæ vero inſignes, & notabiles, tum à parte Chriſti Ieſu, ac ſanctiſſimæ eius matris, tum vero à parte noſtra occurrunt rationes, ob quas ſanctum ac ſacrum hoc matrimonium cũ Ioſepho Deipara cœlitus inire iuſſa ſit. Ex parte quidem Redemptoris, primo, ne velut illegitimus ac nothus contemneretur, omnium expoſitus ludibrio, illiuſq; proinde lex & prædicatio parui fieret ac vili penderetur. Secundo, vt nutritium, tutorem, cuſtodem, & in tenera ætate protectorem ac conſeruatorem haberet. Tertio, vt incarnationis eius ratio & œconomia diabolum lateret; atq; hæc ſancti Ignatij eſt ratio, quam & ſanctus Ambroſius, ſanctus Baſilius, ſanctus Ioannes Damaſcenus, & Origenes amplectuntur.

Causæ cur Deipara Ioſepho nupſerit.

1.
2.
3.
Lib. 1. c. 5.

Quoad Deiparam vero. Primo, vt omne fornicationis opprobrium & infamiam hoc pacto euitaret, vt in S. Lucam ſcribit Ambroſius; ac ne à Iudæis iuxta Deuteronomij legem lapidaretur, ſi innupta prolem peperiſſet. Secundo, vt ſuis in laboribus, rebus domeſticis, & ad vitam tolerandam neceſſarijs auxiliatorem adiutorem, cooperatoremque haberet; & in fuga in Ægyptum ducem ac ſocium, vt in Matthæũ commentatus teſtatur Hieronymus. Tertio, vt è Ioſephi ſtirpe & proſapia de Deiparæ etiam progenie conſtaret, itaq; cognatio, familia, maiores & alię affinitates naturales vtriuſque innoteſcerent.

1.
Deuter. 22.
2.
3.

Quæ nos ſpectant rationes, non minus egregiæ ſunt. Prima quidem, vt è Ioſephi teſtimonio admirabilis Virginis Mariæ puritas & pudicitia omnibus probaretur, & innoteſceret; ita quidem ſanctus Baſilius, & ſanctus Ambroſius, qui hoc modo in Lucam ſcribit, *Locupletior teſtis maritus adhibetur; qui poſſet & delere iniuriam & vindicare opprobrium, ſi non agnoſcerent Sacramentum.* Secunda fuit propter myſterium, vt ſicut prima peccati radix à Virgine nupta immorigera & rebelli pullulauit; ita viciſſim gratia & iuſtitia ab alia Virgine nupta, humillima, & obedientiſſima ortum haberet. Tertia, vt cum hac ratione matrimonij ſanctitas ac dignitas innoteſceret, Manichæorum error & hæreſis iugularetur, qui nuptias damnabant, & ſolas virgines ſalutis participes fore docebant.

1.
2.
3.
Manichęorum circa matrimonium error.

Hæ ſcilicet ſancti huius matrimonij ratio-

tiones sunt; ceterum non est verisimile aut probabile Ioſephum adeo decrepitum & exhaustæ ætatis fuisse, vt eum pictores nostri vulgo suis in imaginibus repræsentant, quasi plus in eo naturæ frigiditas, aut senectutis decoctio, quam sancti Spiritus gratia, aut Deiparæ coniugis suæ honestas ac pudicitia potuissent. Prælertim cum non defuerint olim & senes lasciui admodum ac salaces; quales fuere duo illi profligatæ nequitiæ senes, Susannæ matronæ honestissimæ pudicitiam expugnare conati: & è contra permulti adolescentes, in flore ætatis, singulari quadã Dei gratia pudore conseruato illustres & honestatis studiosi. Adolescens Ioseph in Ægypto ab hera sollicitatus nobis sit instar omnium. Tum vero sanctę huius Virginis honori & famæ non satis apud Iudæos consultũ fuisset, si marito decrepito & ætate prouecto iuncta fuisset. Dubitare siquidem nonnemo de impotentia viri huius potuisset, atque hoc pacto Virginis sanctissimæ honor & nomen opprobrio non mediocri patuisset: quinimo de adulterij insimulata fuisset crimine, quod longe maiori cum infamia coniunctum, quam si innupta vterum gestasset; innupta namq; fornicationis duntaxat, iam vero adulterij notam incurrisset. Accedit, quod & Iesu Christi fama non exiguam è decrepito hoc patre apud Iudæos maculam cõtraxisset. Neque enim verisimile sit, hanc eius calumniãdi & eius natales sugillandi illos occasionem prætermissuros fuisse; quinimo nunquam non infames illi parentes & illegitimam ac spuriam propaginem obiecissent: Cum tamen secus se rem habuisse ex Euangelio pateat, in quo passim omnes eum per Iudæam vt verum ac legitimum Iosephi filium credidisse scribitur. His omnibus hoc velut corollarium rationibus accedat, Ioſephum, si adeo exhaustus fuisset, laboribus, officiis, & obsequiis tam puero quam matri impendendis ineptum plane futurum fuisse, in Bethleem quippe proficisci, in Nazareth redire, in Ægyptum fugere, in terram Israel reuerti, & labore manuum victum sibi suisque comparare eum oportuit. Hinc ad verum quam proxime illorum accedit sententia, & rationi innixa, qui eum, dum Virginem duceret, quadragenarium aut paulo prouectiorem putant fuisse, vt in ætate virili, matura, masçula, & prudentiam spirante, Virgini commode iungi potuerit; hinc semper in Euangelio vir, nunquam vero senex aut vetulus nominatus legitur.

Pictorum error in S. Ioſepho repræsentando.

IV. Rationes quib ostenditur Ioseph non adeo decrepitus fuisse, vti vulgo depingitur. *Luc.3.*

Ætas Ioſephi, cum Virginem duceret.

Denique ideirco potissimum Ioſephum pauperem & obscurum fabrum à beatissima matre sua duci voluit Deus, vt per infirma & obscura mundi huius, vt Apostolus ait, confunderet fortia ac sublimia: simul etiam vt mysterio, quod Prophetæ suo Zachariæ olim reuelarat, hoc pacto responderet, ait is ergo: *Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor cornua* Reuelauit porro illi Angelus à cornibus his terram Iuda & Israel detrimentum omne passam esse. Cornibus porro quatuor mundi imperia denotabantur, quæ velut efferi & ferocientes quidam tauri Iudææ opes & copias prostrauissent. Hanc ob visionem cum non parum animo propheta affligeretur; Angelus eum consolaturus, confestim, per quos ruina hæc & clades reparanda esset, *ostendit, quatuor*, inquam, *fabros*. Rogat ergo, quorsum huc illi? quid facturi veniunt? audit ilico: *Veniunt isti de terra, vt deiciant cornua gentium.* Idem plane aduersus matris suæ sanctissimæ calumniatores remedium adhibere voluit Deus: videas n. illi fabrum quemdam in coniugem dari, ne velut adulterio infamis lapidibus obrueretur, arcanum incarnationis mysterium diabolo innotescat, vtque in itinere Ægyptio consolatorem habeat, & fabri huius opera bestiæ cornua, i. diaboli potentia & robur eliderentur.

Cur matris suæ maritũ Ioſephum fuisse Deus voluerit. *Zachar.1.*

De sacra hac Virgine in Prouerbijs legimus, *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem*, & sane sancta hæc Virgo Ecclesiæ fuit nauis, at nauis regia & prætoria, quæ verum illum panem, qui de cœlo descendit, ac proinde *de longe* venit, esurientib. attulit: in nauarchum vero, & gubernatorem eius electus fuit Ioſephus, cui vtpote sponso sacræ huius Virginis cura & directio concredita fuit. *Pron.31.*

Cura inquam dignissima, dignitas incomparabilis & directio plane regia, quæq; diu-

Triginta annis cura

Virgine Ioſephus vixit.

turna admodũ fuit triginta aut amplius annorum; tamdiu enim cum ſacratiſſima Virgine eſt cõmoratus: nam iuxta Auguſtinũ, quem huius ſententiæ teſtem ac fidejuſſorem do, Ieſum iam reſuſcitatum in monte Garuſim adorauit: ac tum ſomniũ Ioſephi, quod in Geneſi legimus, vere completum fuit: quando nimirũ ſol & luna, Apoſtoli inquam & Deipara, & Sanctus Ioſephus, Redemptorem adorarunt, etſi ex aliorum ſententia, quæ multo mihi ſane veriſimilior eſt, ſub initium prædicationis & miraculorum Ieſu Chriſti, ex hac vita deceſſiſſe perhibeatur.

Gen.37.

Mortuus incipiente prædicare Chriſto.

Si ob hoc ſponſi nomen mirifice Ioſephus deprædicatur, ob aliam ſane dignitatẽ, quæ ei perfectiori quodam modo obrigit, quod nimirum in Ieſu Chriſti patrem delectus ſit, longe magis eſt extollendus, quam quidem hac ſecunda concionis parte deducere, & ex ea, quæ ad S. Ioſephi commendationem laudeſque ſpectant, depromere decreueram.

S. Ioſeph. pater Chriſti Domini. *Luc.2.*

Et ſane quod Ioſephi noſtri nomen magnopere extollit, & illuſtre cumprimis reddit, eſt; quod filij Dei in terris pater creditus ſit & vulgo habitus. In Euangelio ſiquidem mater eius ait: *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*, Ipſe etiam vti pater, nomen puero Ieſu impoſuit, ita namque illi promiſerat angelus, *Vocabis nomen Ieſum.* Eximius profecto & incomparabilis honos, & quo in puram creaturam cadere maior non poteſt, quam ſuo nomen creatori ac Deo imponere, eiuſque patrem dici ac vocari.

Adam rebus omnib. nomen impoſuit. *Gen.2.*

Adamo protoplaſto velut ſummus quidam honor à Deo datum eſt rebus omnibus nomen imponere; hinc perfecta plenaque illi earum notitia collata eſt: *Omne quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius*, legitur in Geneſi. Si vero tam illuſtra fuit animalibus omnibus & beſtijs nomen indere, ecquid erit filio Dei nomen dare? ecquid Creatorem à creatura denominationem accipere?

Pſal 146. Ioſephus Chriſto nomen dedit.

In Dei ſupremi & æterni laudem dictum eſt, *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*; ſi aſtris nomen vocare, in Dei gloriam & laudem cedit, quam homini glorioſum, ſplendidũ & illuſtre futurum, homini inquam, qualis Ioſephus, ipſi Deo nomen imponere, & primos honorum titulos conferre.

Chriſtus Ioſepho obediebat velut patri. *Luc.2.*

Sed nondũ hic eius ſtetit honos; at quod omnẽ admirationem ſuperat, ipſemet Chriſtus Ioſephum ſemper mirifice coluit; eique vt patri nunquam non morem geſſit. De eo namque ſcribit S. Lucas, *erat ſubditus illis*, Virgini inquã & Ioſepho: qui vero cuiquam ſubditus eſt, is & obedit, quin & viciſſim fidẽ hic & probus pater numquam glorioſum hunc filium deſeruit, ſemper eum eſt ſecutus, ſuo illum lucello ſuſtentauit, in omnib. eſt itineribus ſecutus, è Nazareth in Bethleem etiam antequam in lucem eſſet editus, inde in Ieruſalem, exinde in Ægyptum, aliaque loca cum eo conceſſit, eum Herodis perſecutioni & furori ſubducens, atque omnigenis eum obſequijs ac miniſterijs deliniuit.

Gen.41. Veterem illum Ioſephum ab omnib. Ægyptijs Pharao genu flexo voluit adorari, paſſim ab omnibus velut regni conſeruatorem, patrẽ patriæ & mundi ſaluatorem conſalutari, hoc ſolum nomine, quod panem & frumentum in Ægypto magna prudentia conſeruando, ab egeſtate ac rerum penuria eam vindicaſſet, *Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent.* Noſtro huic Ioſepho longe melius hoc Saluatoris mundi nomen quadraret; & ab omnib. flexo poplite adorari coliq; deberet, ille quidem vere panem in Ægypto ſeruauit, hic vero in eadem Ægypto omnibus omnino mundi hominibus panem cœlicum conſeruauit.

S. Ioſephus aſſimilatur Patriarchæ Ioſepho.

Matth 25. Quod apud Matthæum de fideli ac probo ſeruo legitur, *fidelis ſeruus & prudens, quem cõſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*; de Ioſepho noſtro merito dici poteſt; fuit enim ſapientiſſimus, prudentiſſimus, & fideliſſimus ſeruus, quẽ ſuper Mariam ac Ieſum, qui vere familiam eius cõſtituebant, Dominus ſtabiliuit, fuit, inquam, magnus domus Dei œconomus, ac *maior domo* vt vocant, vt totius redemptionis ac mundi liberationis theſaurum fideliter cuſtodiret.

Ægy-

Ægyptiorum rex Pharao Iosephi Hebræi dona & perfectiones demiratus olim ait, *Num quid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* in quem ob egregias dotes & virtutum merita vniuersam domus suæ curam & administrationem transtulit, rebusque suis omnibus præfecit, & ab vniuerso regno coli obseruarique voluit, *Tu eris super domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet.* Quod in Patriarchæ illius encomium rex ille barbarus pronunciauit, potiori hoc iure in Iosephi nostri honorem ac laudem repetere nobis liceat. anne enim quis vnquam eo extitit prudentior, sapientior, aut ei quoad dotes, perfectiones, meritaue consimilis? hanc ob causam magnus ille Regum Rex, omnipotens & æternus Deus omnem illi domus curam, ac familiæ suæ directionem ac gubernationem concredidit, omnesque omnino mortales, Deiparam inprimis & paruulum Iesum illi subesse & subijci voluit.

Gen. 41.

Sapientiorem S. Iosepho mundus non habuit.

Sacra Scriptura Dauid regis felicitatem ac prosperitatem exaggerans ait; *fecitque illi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* quis porro maius vnquam & illustrius nomen est cõsecutus, quis ad parem dignitatem est euectus, qualem Iosephus noster habuit? qui nimirum filij Dei vnigeniti pater, Christi tutor, Messiæ nutritius, & mundi Redemptoris custos ac protector factus est.

2. Reg. 7.

S. Iosephi dignitas collata cum S. Petri dignitate.

Si sancti Petri Apostolorum Principis & Christi in terris Vicarij dignitas inde colligitur, quod regni cœlorum claues, simul & potentia & in mysticum Iesu Christi auctoritas illi collata sint; quid de glorioso Iosepho nostro censendum? quanti is ipse faciendus, qui in verum Iesu Christi corpus imperium ac potestatem accepit: quid quæso sublimius, quid dignius, quid glorioſius & honorificentius, quam Verbi diuini caput & gubernatorem esse constitutum? quam Dei filium sibi subditũ, jussisq; suis obsequentem habere?

Magni olim apud Hebræos & merito quidem, habitus est, modo etiamnum habetur Israeliticum ille tribuum ductor Iosue, quod soli imperasset, & eum ad jussa stare sua fecisset, pluris haud dubie omnes Iosephum facere nostrum debent, eiusq; sortem longe extollere altius, quod solem Iustitiæ & lunam pulchritudinis obsequentes habuerit, & Iesus & Maria ad eius iussa obtẽperarint, idq; non semel, vti olim ad magni illius ducis mandatum sol, sed sæpius, quamdiu scilicet vitæ eius cursus durauit.

Iosue 10.

Iosephi fama maior quam Iosue.

Apostolorum quidem dignitas ingens fuit & sublimis, quod Spiritus Sancti primitias recipere digni sint habiti, vt quidem Doctor Gentium loquitur; ob hanc tamen & alias plures causas Iosephus illis est præponendus; illi enim multo ante quam Apostolis mysterium hoc absconditum à temporib. æternis, vt idem loquitur Apostolus, innotuit, & reuelatum est; primus siquidem ipse IESVM CHRISTVM adorauit, primus in natiuitate eius cantantes audiuit Angelicorum exercituum choros, primus eum quoq; à pastoribus & Magis adorari conspexit; vt merito ad eum referri hæc Psalmographi verba queant, *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, &c.* Quot autem & quam varias in illum benedictiones effusas esse credendum est?

Rom. 8.

S. Iosephus præfertur Apostolis.

Psal. 20.

Si domus Obededom Gethæi, vt Regum prodit historia, benedictionibus redundarit, quod trimestri solum spatio apud eum arca Testamenti diuertisset, *& benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.* quibus putamus Iosephum benedictionibus repletum fuisse, qui tot annis glorioſissimam Virginẽ, veram thesaurorum cœlestium arcam, tam fideliter domi suæ asseruauit?

2. Reg. 6.

Legimus in Exodo, Mosen ex conuersatione, & assiduo quadraginta dierum, vel anni integri, vt quidem alii sentiunt, in monte Sina cum Angelo colloquio, adeo splendidũ & lucidum induisse vultum, vt fulgorem emicantem superinducto eum velo tegere oportuerit, quo eum loquentem videre & corã audire filij Israel possent. Ecquod ergo lumen, quem splendorem, ecquas inquam gratias, charismata, & perfectiones sanctas obtinuerit Iosephus, qui tanto cum Regina Angelorum tempore est conuersatus, & toties cum Dei filio hominumq; & Angelorum Rege & Creatore collocutus.

Exod. 14. & 34.

Sed nondum prærogatiuarum eius hic finis: nam præterdignitatem paternam habuit & tutoris, custodis, ac seruatoris filij Dei; vn-

de magna eũ & admirabili sanctitate, variisq; & eminentibus virtutibus insignitum fuisse colligamus licet. Hæ enim nisi in eo eluxissent, nunquam ad tam sublime eum munus Deus euexisset, aut saltem eum ad hoc eligendo, merita ac qualitates eidem necessarias & digne administrando idoneas dare debuit.

S. Iosephus fuit tutor filij Dei. *Lib.* 4. *c* 4.

Hanc in rem peregregiam tradit historiam Valerius Maximus Ptolomæus Ægypti Rex, cum filij impuberis tutorem Senatum populumq; Romanum constituisset, ilico in M. Lepidum Pontificem Maximum, virum integerrimum ac sincerissimum, qui prudentiam integritatemq; duobus in consulatibus suam populo probauerat, hoc tutelę onus rejecit: quod tam probe feliciterq; exercuit, vt Alexandria, quæ regni caput erat, eius in honorem numismata cudi iusserit, quibus hinc

Honores M. Lepido dati.

M. Lepidus Pont. Max. Tutor Reg. legebatur inscriptum, illinc mulierem turri nixam insculptam habebant, addito verbo Alexandria. quibus Romani huius tutoris sapientiam, fidem, integritatemq; omnibus testari cupiebant & notam reddere. Si exterus ille, & infidelis ob rite principis tutelam administratam tantos meruit honores, quos promeruit, & quos dare nos oportet Iosepho nostro, qui in cœlo non in Regis alicuius, sed filij Dei Regis regum tutorem assumptus est, quiq; tam sapienter se, tam digne, tam fideliter in hoc munere gessit?

O sancte inter omnes sanctos maxime & illustrissime! sancte inquam; cuius laudibus paria dicenti non occurrunt verba. Agnoscite, obsecro, merita eius, Auditores, mirabilia eius admiremini, de illius honore iudicium ferte, magnitudinem expendite, virtutes eius imitemini, vestras deniq; illi preces offerte. Cum vero sanctus Iosephus & sacra Virgo candida fuerint lilia, inter quæ pascitur sacet ille Canticorum sponsus, quo vnum, eodem & alium honore dignemini. Non satis est filij Dei matrem nos colere, nisi simul & patrem, Iosephum inquam. putatitium redemptoris mundi, ex Iudęorum opinione patrem pari honore afficiatis. Næ ille parum religiosus est, minus reuerens, omnisq; humanitatis expers & obsequij, qui sponsam reuerteretur, & sponsum negligit.

Honorate ergo, & colite eum sanctum Christiani, quem cœli simul & terra coluere, quem toties allocuti sunt angeli, cui diuina mysteria & arcana reuelata fuere, sanctum inquam, quem Deipara Virgo tanto & affectu & honore est prosecuta, quem Redemptor ipse Christus tãtopere amauit & reueritus est; quem Spiritus S. ita sanctificauit; quem denique vniuersa S S. Trinitas tantum extulit, & omni virtutum, meritorum, perfectionumq; genere cumulauit.

Æquissimum porro & maxime par est, beatissime Confessor, te hinc in terris a nobis eo coli honore, quo in cœlis ab omnibus coleris & afficeris: sed honore quodam singulari, & quo nulla penitus creaturarũ affici meretur, coli inquam velut hominum Angelorumque Reginæ sponsum, velut filij Dei patrem, velut Messiæ tutorem, velut gubernatorẽ eius qui gubernat & regit vniuersa, velut Iesu Christi nutritium, velut magnum in domo Dei œconomum, denique vt omnium thesaurorum cælestium custodem & gazophylacem. Ob hos titulos, aliasque rationes plurimas omni te honoris genere prosequimur, & omnigenas tibi preces & suffragia deferimus. Nostra igitur vota, quæso, admittere, preces nostras exaudire, nobisq; esse propitius dignare, beatissime Iosephe, pro nobis intercede, nostri recordare, experiamur, obsecro te deprecante, quatum in cœlo, tum in terra, in Ecclesia triumphante iuxta ac militante, auctoritate polleas: præsta denique, vt per interceſſiones tuas, & deprecationes æterna potiri gloria mereamur, cuius nos sanctissima Trinitas consortes efficiat.

Amen.

IN

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Partitio.

1. *De ipsis quatuor Euangelistis.*
2. *De quaternarij mysterio rerum Ecclesiæ multiplici.*
3. *De mysterio quatuor animalium.*
4. *De præcellentia Euangelistarum præ Vetr. Testam. conditoribus.*
5. *De S. Marco historia.*
6. *De symbolico ipsius Leone.*

Designauit Dominus & alios septuaginta discipulos, &c. Luc. 10.

FIGVRA.

Apoc. 10. VIdit Ioannes in Apocalypsi nouũ quoddam Angeli genus, & qualis nullus in vniuerso Scripturæ theatro apparuisse comperitur; vt qui maximũ clamorem etiam Leonis per deserta rugienti persimilem emisisse; libellum quoq; apertum manu tenuisse, pede dextro mare, sinistro terram pressisse. Mysterium hoc mecum vbi excutio, omnesque circumstantias illius dum sigillatim enucleo, ipse mihi certo certius persuadeo, veram hic D. Marci Euangelistæ imaginem ac figuram nobis ob oculos poni. Angelus quippe dicitur, quod angelico ritu vitam duxerit, vires illius & rugitus ad prædicationem, & ad Leonis figuram, quæ vulgo ei inter ceteros Euãgelistas à pictoribus tribui solet haud inepte quis transferat, libellus quem Angelus manu gestasse scribitur, Euãgelium illius designat, quod ceterorum Euangelistarum respectu exiguum est, atq; ideo compendium & Epitome Euangelij S. Matthæi à nonnullis appellatur. Quod autem pedum alter super mare & super terram alter extensus dicatur, nõ aliam huius rei rationẽ dari posse puto, quam quod glorioſus hic Apostolus obsequio suo & cultui dedicatas duas orbis tum potentissimas, tum etiam pulcherrimas vrbes habuerit, vnã in terra & continenti constitutam, Alexandriam videlicet totius Ægypti caput; alteram vero in mari, noua sane ædificandi ratione, constructam, Venetias. Hoc vnico tantum discrimine, quod pes dexter huic innixus sit, quæ hactenus feliciter auitam maiorum fidẽ inuiolatam, integramq; conseruauit; sinister vero illi, quæ deploranda proh dolor! ruina eadem excidit, & misere in fide ac Religione Christiana naufragium fecit.

Ceterum omnia quam aptissime coincidunt, vt vero singulas similitudines conuenientiasque vobis declarem, & glorioſi huius Euangelistę cœlo jam donati triumphum deprędicem, ad cœlum oculos conuertemus, & genua in terra supplices prosternamus, gratiam sanctissimi Spiritus quam humillime deprecaturi, vt vero Deipara suis apud illũ nos intercessionibus adiuuet, nostras illi preces offeramus, & omnes salutatione illam Angelica compellemus.

AVE MARIA.

I. Celebris Hebræorum legislator Mysteriorumque diuinorum interpres Moyses, vetus Iudæorum Tabernaculum describens, quatuor vt columnas de lignis setim constitueret, easq; auro conuestiret, quarum capitella etiam aurea & bases argenteæ forent, à Deo sibi mandatum fuisse affirmat; è quibus magnum velum ex hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta, eleganter & artificioſe & pulcra varietate contextum depẽderet. *Quod appendens ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deaurata erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas*, &c. Origenes & quotquot locum hunc tetigere, eiusque mysteria inuestigarunt, paucis exceptis, per quatuor hasce columnas tabernaculi, quatuor Euangelistas Ecclesiæ nostræ designari credidere: ipsi enim sunt veluti quatuor fulcra & sustentacula de lignis setim composita, id est, viri vitæ incorruptibilis, & virtutibus varijs circumquaque deaurati; quorum capita aurea sunt, quod nonnisi mera charitas; bases vero argenteæ, quod in sapientia quadam cœlesti fundati ac stabiliti sunt; atque è quatuor his magnum secretorum

Exod. 36.

Quatuor Euangelistæ per 4. colũnas tabernaculi Mosaici designantur.

rum velamen dependet, quo sancta sanctorum reguntur, quod pro temporum, locorũ, personarumq; diuersitate cœlestia ac diuina mysteria tegant aut detegant, obserent vel reserent.

Itidem ipsi designati fuere per quatuor illos circulos, aut annulos aureos, qui in quatuor angulis mensę propositionis visebantur, de quibus Exod. 25. *Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor angulos.* Hæc est expositio Ruperti & aliorum, qui hocce mysterium explicantes, quatuor Euangelistas aurearum ansularum instar fuisse aiunt, qui circumsecus sacram Christi humanitatem, sacram inquam mẽsam propositionis, in qua nimirum Pater cœlestis gratiæ delicias proponit, sustinebant, quam diuina Ministrorum suorum verbo prædicatione sua, scriptis per quatuor mundi angulos detulere, si Psalmistæ credere voluerimus, dicenti, *In omnem terram exiuit sonus eorum.*

Exod. 25.

Lib. 4 in Exod. c. 5.

Psal. 18.

Exod. 28. Quatuor Euangelistæ denotati per quatuor scyphos candelabri tabernaculi.

Penitius etiam profundiusq; in Tabernaculum Mosaicum progrediens inter cetera superbum ibi candelabrum intueor: cuius in hastili quatuor scyphos & quatuor sphæras aureas contemplor. Textus verba sunt hæc, *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum sphærulaq; per singulos & lilia.* Singula hæc sancta quaquam meditatione examinando, crediderim, sicut per candelabrum Ecclesia, per hastile vero Christus denotatur, ita scyphis illis ac sphæris aureis Euangelistas designari, in illos enim, velut in quatuor pretiosas pateras diuina Saluator mysteria infudit; & per illos veluti per globos ac sphæras cœli nobis motus denotantur; de illis n. non minus quam de Apostolis illud Psalmographi dici queat, *Cœli enarrant gloriam Dei.*

Psal. 18. Zach. 1. Quatuor Euangelistæ quatuor fabris Zachariæ similes.

Apud Zachariam Prophetam quatuor describuntur fabri, quos Deus Prophetæ spectandos dedit, *Et ostendit mihi Dominus quatuor viros.* Magnus Doctor Hieronym. locum interpretatus ait, existimasse nonnullos per quatuor hosce fabros quatuor Euangelistas denotari, qui fabrorum instar sancta quędam arma aduersus hęreticorum rabiem, paganorumque superstitionem & gentilem cœcitatem fabricarunt. Audite quid sanctus hic Doctor scripserit: *Legi in cuiusdam commentario per quatuor fabros quatuor Euangelistas intelligi.* Ipse quidem scio per quatuor hosce fabros quatuor virtutes cardinales designari, quas quatuor animæ passionibus, per quatuor cornua, quæ eodem tempore Prophera viderat, denotatis opponit, sed hoc non impedit, quo minus quatuor etiam Euangelista per fabros hosce denotentur.

Sub alterius ænigmatis vel potius emblematis inuolucris spectãdos eos proponit Propheta Abacuc, cum de quadriga & curru triumphali, quo Dei diuinitas inuehitur, & à quo hominum salus ac liberatio dependet, agit, verba sunt, *Qui ascendis super equos, & quadriga tuæ saluatio.* Sanctus Augustinus inter primos locum hunc explicans, & quidẽ mystice, ait, generosos hosce equos & currum triumphalem quatuor rotis inuectum, Euãgelij Dei imaginem præferre, quod quatuor magni secretarij, id est, quatuor Euangelistę, scripsere & diuulgarũt, qui & manu & lingua Christum triumphantem & gloriosum per quatuor mundi plagas detulere: currus autẽ hic *quadrigæ saluatio* nuncupatur. Euangelium enim Dei omnibus, qui credere in ipsum voluerint, saluti est.

4. Euangelistæ per quadrigam Abacuc denotantur.

Cum hac expositione coincidit sententia veteris cuiusdam scriptoris, cuius S. Hieron. in sextum Zachariæ caput commentatus meminit; qui quatuor illos currus, quos olim Propheta vidit (quorum primus equos habebat rufos, secundus nigros, tertius albos, & postremus diuersicolores) examinans, quatuor Euangelistis accommodat.

Legi, inquit Hieronymus, *in cuiusdam volumine, quatuor has quadrigas quatuor esse Euangelia, & equos Apostolos, per diuersitatem cœlorum diuersas gratias possidentes.* Ac deinde quatuor hos equorum colores morali sensu exponens ait, primos ob martyrio effusum sanguinem rubicundos esse, alios ob difficilẽ & tenebricosam mysterrorum fidei prædicationem nigros, tertios ob virginitatem candidos, postremos denique ob donorum, gratiarum virtutumque cœlitus collatarum diuersitatem diuersicolores.

Hactenus hæc exordij & introitus loco egre-

gregiis figuris & tropis condecorata, idq; occasione sancti Marci, qui vnus de numero quatuor horum Euangelistarum: cuiusq; hodierna die solennitatem celebramus. Hoc autem Ecclesia Euangelium hodie legit, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos.* Ad huius honorem vt egregium quid & festo dignum afferam, idq; methodo ordinaria, primo in genere de quatuor Euāgelistis loquar, deinde singulatim ad S. Marcum velut ad cœlestis huius cohortis primipilum descendam.

II. Nonnisi 4. Euāgelistę. *Lib de opif. mundi & l. 3 de vita Mosis*

Primo igitur cum Ecclesia vniuersali credimus, nonnisi quatuor Euangelistas esse, velut quatuor diuinos notarios & generales totius reipubl. Christianæ religionis secretarios. Non sine ratione autē Deus in hunc eos numerum cōtraxit, nam, vt ait Philo Iudęus, numerus quaternarius perfectissimus est, ac primus eorum, qui de natura corporis solidi participant; vnitas respondet puncto, binarius lineæ, ternarius, qui ad latitudinem spectat, superficiei & quaternarius, qui altitudinem signat, corpori solido. Atq; ideo aliasq; ob rationes, sancti Euangelistæ sæpenumero per hunc numerum in sacris denotantur: vt in primis in ipso Geneseos limine, vbi de quatuor magnis fluminibus sermo est, quæ è paradiso terrestri scaturientia, aquis suis omnē terræ faciem irrigabant, *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandū paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Terrestris hic paradisus Ecclesia est, ingens qui ex eo prorumpit fluuius, ipse Christus, de quo scriptum: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Quatuor porro capita, in quæ dispertitur, quatuor Euangelistę sunt, qui magnorum ac turgentium fluminum instar, doctrinę suę irriguo omnia terrarum climata irrigant. Atq; hoc modo interpretatur S. Hieronym. *Ecclesia quatuor flumina, paradisi instar eructans, id est, quatuor Euangelia.*

S Hiero in Prol. Matt. Exod. 28.

Venit mihi hic in mentem eius, quod in Exodo scriptum est, in quo habetur Moysi Deum præcepisse, vt rationale iudicij faceret quadrangulum, cui duo illa verba, doctrina & veritas insculperet, vtq; summus Pontifex Aaron in pectore suo hoc gestaret. *Rationale quoq; iudicij facies opere polymito, &c. quadrangulum erit & duplex* Excellentius modo iudicij Rationale habemus, Euangelium, inquam, quod rationem instruit, docetque sincere & candide de omnibus rebus diiudicare. Huic tisicis, quod insculpta sunt Doctrina & veritas: quæ enim erat quadrā dignior & eminentior doctrina Euangelica? quæ veritas etiam certior & diuinior? quadrangulum porro est, id est, quatuor formas ostendit, quod nonnisi quatuor sint Euangelistæ, quæ figura solidissima est, quæ nec inferni machinas, nec mundi persecutiones reformidat.

Euangeliū collatum rationali Pon tificis, quod quadrā gulum.

In huius rei signum refert in Apocalypsi Ioannes, vidisse se ciuitatem admirabilem in quadro fundatam, *& ciuitas in quadro posita est*, &c.

Ecclesia vera quædam ciuitas est, & ciuitas, de qua tot mirabilia referuntur, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei* Atq; hæc in quadro posita; tum ad firmitatem immobilitatemq;, tum ad quatuor Euangelia, quibus illa velut validis quibusdam columnis innititur, designanda.

Quibus egregie admodum illud Gregorij de Conciliis generalib. prolatum aptari queat, *In his velut in quadrato lapide sancta fidei structura consurgit* Fidei enim quatuor Euangelistarum omnis fides & Ecclesiæ religio innititur. *Li. 1. epist. c. 4*

Augustinus libro 1. de consensu concentuque Euangelistarum, quatuor hosce Secretarios quatuor totius orbis terrarum partibus assimilat; ait enim, *Ob hoc fortasse quatuor sunt Euangelistæ quoniā quatuor sunt partes orbis terræ: per cuius vniuersitatem Christi Ecclesiam dilaturi, ipsi sui numeri sacramento declararunt* Atque hoc ipsum Principi Apostolorum sub alia quadam figura repręsentatum fuit, Actorum capite 10. cum Deus linteum quoddam magnum cœlo descendens omni animantiū genere refertum, & quatuor extremitatibus in terram dependens illi ostendit. Quatuor hæ extremitates, ceteris omissis, Apostolo huic significabant, quatuor mundi angulos omne hominum genus complectentes, ad Christi fidem conuertendos, & Christiana religione imbuendos. *Lib. 1. de consensu Euang. c. 2.* Quatuor Euangelistæ quatuor orbis partibus assimilantur. *Actor. 19.*

Inuentū hoc approbauit iam olim sanctus Irenæus, atq;, quemadmodum quatuor vni- *Lib. 3. c. 11.*

uersi partes sunt, Oriens, Occidēs, Septemtrio & Meridies, & quatuor venti principes, qui è quatuor hisce partib. spirant; ita quoq; Deum statuisse, vt in Ecclesia quatuor spiritus vitæ dominarentur, & quatuor bases forent primariæ, quibus omnis illius moles incumberet, quatuor inquam Euangelistę. Verba quę proferantur digna sunt: *Quoniam quatuor sunt regiones mundi, in quo sumus, & quatuor principales spiritus, & dissemināta est Ecclesia super omnem terram: columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium spiritus vitæ, consequens est, quatuor habere eam columnas*, quatuor inquam Euangelistas.

Quatuor Euangelistæ sunt 4. venti & Ecclesię bases.

Hosce conceptus prosecutus assero, quod quemadmodum in mundo quatuor elementa sunt, quę veluti summi præsides, à quorum nutu omnis rerum natura dependet ac regitur; Ignis, aër, aqua & terra, quæ in omnium rerum compositionem ingrediuntur, & sine quibus nemo in orbe viuere potest; ita quoq; Ecclesia quatuor habeat Euāgelia, velut propria sibi elementa, à quorum virtute & influentia omnis animæ salus hic dependet: inter hæc S. Ioannes maxime sublimis est, & igni ardenti similis, qui ad vsque diuinitatem pertingit, & profunda mysteria enucleat. S. Lucas omnium infimus, terramq; repręsentans, perq; bouem, quod animal terrestre terramque excolere natum, designatur; Noster autem Marcus per aerem denotatur, vtpote qui à clamorib. & rugitu Leonis, quæ voces suas & sonitus per aera reboantes in aere efformati, inque aerea regia dominantes, Euangelium suum exordiatur.

Quatuor item elementa Ecclesiæ.

Apoc. 7. A Physicis conceptus hic præceptionibus efformatus est, at ecce jam alium è Theologorum scrinijs depromptum. Septimo Apocalypseos cap. scripsit Ioannes, apparuisse sibi quatuor Angelos, stantes super quatuor orbis cardines, quatuorque ventorum habenas manu tenentes; *Postea vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenētes quatuor ventos terræ.* Quatuor hi spiritus cœlestes quatuor haud dubie Euangelistas designant, nam velut nuncij legatique quidam diuinitatis, mundo vniuerso, Filij Dei in mundum aduentum natiuitatemq; nuntiarunt.

Quatuor Euangelistæ per 4. Angelos Apoc. denotati.

In Exodo jussit Moysi Deus, vt quatuor aureas ansulas faceret; easq; arcę angulis, quo de loco in locum facile deferri posset, insereret, *Et quatuor circulos aureos, quos pone per quatuor arcæ angulos.* Quid hoc sibi mysterij vellet, mecum ipse perpendens, Patresq; veteres in consilium adhibens, inter ceteros video Gregorium dicere, per Arcam hanc Ecclesiā designari; per quatuor illos circulos quatuor Euangelistas, quorum adminiculo sancta illa Dei arca, velut ansulis quibusdam, à Doctoribus & Prædicatoribus, per vniuersum terrarum orbem circumfertur, audite eiusdem verbis quæ ipse concepi, exponi, *Ecclesia quatuor angulos habet, id est, Euangelia, per quos quasi arca testamenti, & custos legis Domini vehitur.* *Exod. 28.* *In Prolog. Matth.*

Omnes hæ figuræ egregiæ mihi & exquisitæ videntur, sed quo profundius scripturarum adyta ingredior, admirabiliores etiam alias reperio; & inprimis vnam in libro Apoc. quæ quamuis communis & omnibus aperta videatur, tamen bene considerata & mature perpensa, ceteris videtur antecellere. Hic vidisse se Ioannes ait circa thronum agni quatuor animalia plena oculis ante & retro & intrinsecus, sex alis cooperta; quorum primum simile Leoni, secundum vitulo, tertium homini, & quartum simile Aquilæ volanti; *Et in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro, & animal ad primum simile Leoni, & secundum simile vitulo.* Visio hæc nō multum ab Ezechielis visione discrepat, quam is primo Prophetiæ suæ capite vidit. *Apoc. 4.*

III. Quatuor sedes Patriarchales per 4. Apoc animalia denotatæ.

Scio Lyranum, dum quatuor hæc animalia mystice exponit, per eadem quatuor sedes Patriarchales intelligere, Hierosolymitanam scil. in Leone figuratam, idq; propter constā tiam Apostolorum, qui audacter & confidenter sine vllo tormentorum minarumque metu Iesu Christi resurrectionem prædicabāt: deinde Antiochenam in boue denotatā, quod obediens, & morigera, iugum Apostolorum, Hierosolymis commorantium, subire non detrectauerit, atq; hac in vrbe discipuli, vti in Actorum historia describitur, credētes primum Christiani appellati sunt. Tertiam Alexandrinam, quam facies hominis designa- *Act. 10.*

signabat, eo quod plurimi viri docti, & in omni scientia ac disciplina celebres Alexandriæ floruerint, eamq; celebrem reddidere, inter quos eluxere Athanasius, Clemens & Cyrillus Alexandrini. Quartam deniq; Constantinopolitanã, cuius imago fuit Aquila, quod illa viros rerum diuinarum contemplatione celebres, ac sublime euolare meditando assuetos educarit, quales Ioannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolcos, tametsi Antiochiæ natus, S. Gregorius Nazianzenus & alij plurimi.

Li. 3. de Virg. Aliter hoc exponit Ambrosius, aitque per quatuor hęc animalia quatuor virtutes significari cardinales; per Leonem quidem fortitudinem, qui fortissimus & potentissimus animalium est; per vitulum justitiã, per aquilam temperantiam, adeo enim sobria & temperans esse dicitur Aquila, vt etiam stimulante fame nullam sit prædam deuoratura, nisi quam ipsa ceperit; per hominem vero prudentiam: homo enim hac virtute si caruerit, non homo, sed bestia est.

4. Virtutes Cardinales per animalia Apoc. denotãtur.

In Proœm. D. Hier super 4. Euang. Huic opinioni refragatur Abulensis, aliamq; viam longe diuersam insistens, quam tamen Rupertus Pannonius, Aretas & Glossa ordinaria institere, credit: per quatuor hęc animalia, adeo & moribus & schemate externo à se inuicem discrepantia, mystice Christũ ipsum designari, in quo solo omnes illas facies simul contineri ait. Verus n. homo fuit, dum carnem humanam induit; bos, qui solita Sacrificiorum victima, in passione, Leo in resurrectione, aquila vero in ascensione.

Christus in 4 his animalibus designatus.

Omnes hosce conceptus expositionesq; magni, vti debeo, facio; tamen communis opinio, quam sequi oportet, quamq; plerique Patrum etiam secuti sunt, est, quatuor hisce animalibus, quatuor Euangelistas designari. Ceterorum testimonijs omissis vnicum producam Hieronymum, qui mysteriũ hoc exponens, ita hæc animalia vnicuiq; applicat,

In proœm. super Euang. Matth. *Prima hominis facies Matthæum significat, quia quasi de homine exorsus est, Liber generationis Iesu Christi, &c. Secunda Leonis Marcum, in quo vox Leonis in eremo rugientis auditur, cap. 1. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini Tertia bouis Lucam, quod à sacrificiis & sacerdote Zacharia exorsus sit Euangelium suum. Quarta deniq; Ioannem, quod velut aquila alis assumptis ad sublimia euolans, de verbo æterno disputauit, deq; diuina Messiæ generatione late disseruit.*

Hæc quatuor Euangelistarum figura ac repræsentatio mirum in modũ mihi arridet, eamque alijs infinitis præponderare censeo, tum ob rei ipsius dignitatem, tum ob circũstantias, quæ eidem adhærent; imprimis in eo, quod dicuntur hæc animalia plena esse oculis ante, retro atque etiam intus, cuius mysterij egregiæ & luculentæ adferuntur à multis rationes. Prima ob perfectam mysteriorũ fidei sacris Euangelistis communicatam cognitionem; ante quidem, quod scientia rerũ futurarum donati essent: retro vero, quod præterita vt præsentia intuerentur ac perspecta haberent; intus denique, quod cogitationes & animi conceptus pura & recta discretione moderentur. Huius expositionis auctores habeo S. Augustinum, Venerabilem Bedam, & Richardum de sancto Victore. Altera, animalia hæc habebant oculos antrorsum, & retrorsum, vt hinc euidenter appareret, Euangelistas omnia tum veteris tum noui Testamenti mysteria Sacramentaq; continere, quod fides, quam vtrumque hoc testamentũ denotat, omne tempus tum futurum, tum præteritum, tum proximatum distantia complectatur.

Cur hæc animalia oculos habuerint intus & ante, & retro.

Occasione quatuor horum animalium egregium in libro Numerorum detego mysterium: Trib. Israeliticæ cum in terram promissionis per desertum Arabiæ contenderẽt, & castrametanda circa vesperam esset, in quatuor partes ac veluti signa vniuersas copias dispertiuerunt. Ad Orientem regia trib. Iuda cum Issaschar & Zabulon castrametabantur, ad Meridiem Ruben, Simeon & Gad; Occidentem spectabant Ephraim, Manasses & Beniamin; Dan vero & Aser & Nephtalim in Septentrionem vergebant: adeo vt ingens hoc agmen in quadrum semper esset dispositum, ac velut sub quatuor ducibus primipilisq; constitutum; quib. Rabbi Abraham, referente Abulensi, quatuor illas Ezechielis figuras, & Ioannis animalia accommodat; Iudæ vexillo appingens aquilam, Rubenitarum

rum hominem; Ephraimi leonem; Danitarũ vitulum, aitq; hæc reuera animalia in omnibus hisce vexillis inscripta fuisse. Alij etiam aliter interpretantur, dicentes, in vexillo Iudæ fuisse leonem, ob id quod in Genesi scriptum

Gen. 49. legimus, *Catulus leonis Iuda*: hominem in Rubenitarum, quod primus homo fuerit è stirpe Iacob prognatus, & filius illius primogenitus, vituli in Ephraimitarum, quod filius Ioseph fuerit, cui hoc Moyses in Deuteronomio elogium dedit, *quasi primogeniti tauri pulchritudo ei*

Deut. 33. : serpentis vero in Danitarum, ob

Gen. 49. id quod in Genesi legitur, *fiet Dan coluber in via, cerastes in semita.*

Figura. Qui propius fundum, essentiam, & omnes mysterij huius circumstantias perspexerit, videbit haud dubie Ecclesiæ hanc aciem figuram fuisse, hoc enim modo de illa Salomon in Canticis locutus est: *Terribilis vt castrorum acies ordinata* Iam vero sub quatuor primarijs vexilliferis, i. e. in fide & doctrina

Cant. 6. quatuor Euangelistarum in mundi huius solitudine locata est, primum castrorum vexillum hominis imaginem gerit, id est, sanctus Matthæus, secundum leonis, quod Marcus, & sic de aliis. Ad quorum honorem cum tot egregias de numero illorum figuras iam produxero, procedam vlterius, atque hic breuitatem consectando, de illorum dignitate nõ nihil agam, omnesque ad eorum laudes decantandas mirabiliaque demiranda excitabo.

Dignitas, eminentia & maiestas quatuor horum secretariorum sacrorum hinc colligi primo potest, quod dignius & excellentius Testamentum, quam olim Moyses alijque Prophetę à Deo acceperint, conscripserint & tradiderint: in hoc enim quod Euangelistæ conscripsere, omnes iustificationis nostrę codices, & remissionis peccatorum omnium hominum literæ continentur, quos Moyses articulos nunquam ausus fuit conscribere, aut Prophetæ suis promittere Neq; enim lex vetus ex se peccata remittere potuit, Euangelio enim hoc reseruatum erat. Testatur

Gal. 2. hoc Apostolus ad Galat. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, id est, nulla caro; hoc est, nullus operibus legis veteris ad iustificationem pertingere potuit. Cuius rei figuras

IV. Euangelistarum dignitas Mose & Prophetis maior.

duas in aciem producam, è veteri Testamento vnam, è nouo productam.

Giezi Elizæi seruus cum baculo Prophetico ad Sunamitidis ædes destinatus, filium illius mortuum ad vitam reuocaturus, nihil omnino efficere potuit, sed operam lusit, nec mortuus puer ad vitam reuertit; adeo vt ipsũ Prophetam venire necesse fuerit, qui nullis armis, baculo nullo instructus, in defunctum superincumbens, membraq; defuncti membris singula adaptans, dulci quodam spiramine vitam illi simul & animam reddidit. Defunctus hic erat homo peccato mortuus, Sunamitis Ecclesia, Giezi seruus quis alius quã Moyses? qui à Deo cum dura & cruda legis antiquæ virga missus nihil omnino quoad peccatorum abolitionem, & hominis iustificationem efficere potest, adeo vt ipsum Dominum, Christum Iesum scilicet descendere necesse fuerit: ipse igitur venit non virga, nõ baculo instructus, atq; inhumanitati nostræ superincumbens, naturęq; humanę membris sese accommodans, Ieuissimo Spiritus S. halitu ac cœlesti spiramine, sanitatem, salutem & vitam homini reddidit. Hoc scil. Euangelio reseruatum erat.

4. Reg. 4. Figura.

Alteram figuram in Lucæ Euangelio videre est, idq; sub tragicæ cuiusdam historiæ involucris, in qua misellus quidam per Hierichuntis deserta iter carpens, in barbarorum latronum manus incidit, quo omnibus illum vestibus despoliauerunt, grauia illi vulnera inflixere, ac semineceм in loco deseruere. Et ecce dũ plures per viam illã descẽderent, hominemq; quidem cernerent, sed non mouerentur, alios inter venit & Sacerdos, ac deinde etiam Leuites, postremo etiam Samaritanus. Primi duo nullo ad miserum respectu habito pertransiere; sed solus Samaritanus misericordia motus intrinsecus, illum in iumento posuit, ad proximum diuersorium deduxit, illiusque diligentem à Medicis haberi rationem voluit. Miser hic viator saucius & nudus fuit protoplastus Adam; latrones qui illum despoliarunt, & tam male habuerunt, peccata; despoliatio fuit gratiæ amissio, vulnera excæcatio mentis, voluntatis peruersio, concupiscentiæ infirmitas, & carnis rebellio. Atque

Luc. 10. Adam vulnerato huic similis.

que ita semianimis, nihil præter nudam naturam habens, quæ nonnisi media vita est, cum quinq; annorum millibus in loco miser iacuisset: transijt Sacerdos & Leuites, qui calamitatē quidem eius videre, id est, lex vetus & Sacerdotium, sed pertransierunt, nullumq; ægro leuamen attulere. Aaron velut summus Sacerdos præterijt, & Moses vt Leuita, neuter tamen vllam misello peccatori opem attulere. At Christus Dominus, quem toties Iudæi Samaritanū appellarunt, (*Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es?*) cum tandē Euangelij tempore transiret, miseri peccatoris misertus est, vulnera alligauit plagas abstulit, & integram sanitatem attulit. Qua figura denotatur, iustificationem & peccatorum remissionem veteri legi denegatam Euangelio reseruari: cuius cum Euangelistæ secretarij fuerint, magnam eorum dignitatem & eminentiam esse, euidenter apparet.

Euangeliū lex perfecta

Denique horum commentatorum & notariorum dignitas ex hoc etiam spectari potest. Quidquid scripsere & consignauere, perfectum instrumentum est, & legem penitus perfectam continens, cum qui scribendo illos præcessere, nihil omnino recepere ac scripsere præter legem imperfectionibus & erasionibus obnoxiam, qualis Mosaica fuit, & qualē Prophetæ prædicarunt. Quod ex mente D. Pauli affero dicentis, *Reprobatio fit præcedentis mandati* (id est, veteris Testamenti & legis) *propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* at dum de iis quæ Euangelistæ nostri scripsere loquitur, legem potentem, virtute plenam, salutemq; omni, qui eam amplexus fuerit, afferentem appellat. Ita enim in epistola ad Romanos loquitur. *Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est, ad salutem omni credenti.*

Heb 7.

Rom 1.

Euāgelium lex est filialis, vetus seruilis.

Tertio, honor, gloria, & excellentia Euangelistarum hinc patet; quod contractus & Testamentum, quod scripsere, omni orbi vtile fuerit, adeo vt cœlestia & æterna promittat, cum vetus nonnisi temporalia & terrestria sponderet. Deinde quod hoc testamentum Patris pro Filio, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*; illud vero nonnisi Domini pro Seruo: ita quippe mihi præiuit Apostolus, *non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore*, inquit, *sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Quem locum Theodoret. exponens, ait: *Appellat Apostolus seruitutem veram, qua sub lege veteri agitur.* S. Augustinus vtrimq; complexus ait, *in veteri Testamento erant onera seruorum, in nouo gloria liberorum.*

Ioan 1.

Rom. 8.

In cap. 8. ad Rom.

Contra Adimantum. c. 16.

Quarto, sanctorum Euangelistarum eminentia eo etiam nomine extolli debet, quod Deus illos ad legem amoris, gratiæ, remissionis, & omnium criminum indulgentiæ & amnestiæ conscribendam selegerit: cum quidquid alij ante illos scripserint, timore, rigore, iustitia, decretisque grauibus & intolerabilibus plenum fuerit. Atque ideo fortasse hæc amoris lex in die Pentecostes promulgata fuit, quo die Spiritus sanctus cœlo descendit, qui est amor & simul illius auctor & origo, quin & legislator eam promittens, ait, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis* grauissimo legis veteris onere; *& ego reficiam vos*, Mosaicarum constitutionum pondere excusso. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, videte vt iam non amplius cingar ignibus, nubibus & tempestatibus, videte me iam non in sonitu buccinæ & tonitrui, vt olim in monte Sinai, loqui ac docere, sed benigne ac suauiter vobiscum agere, verbis mellitis & corde gratiam & misericordiam spirante.

Quod Euangelistæ scripsere, amore plenum est.

Matt. 11.

Atq; ideo nouum Testamentum per Euangelistas receptū, onus leue dicitur, Mosaicum vero, iugum graue, intolerabile & durum. Quod etiam confirmo: inprimis enim in Euangelio de lege sua legislator ait, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Deinde in Actis Apostolorum Princeps ita illos, qui Christianos ad legem Mosaicam seruandam compellere conabantur, alloquitur: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus?* Quare in huius rei signum Moysis manus graues & onerosæ fuisse dicuntur, quod grauem & intolerabilem legem hominibus attulissent. Atque huc habito respectu dixit olim Augustinus, legem veterē *sarcinam esse veteram observationum.* Iam grauepor-

Nouum testamentum onus leue.

Act. 15.

Exod. 17.

Serm 9. de verb. Dom.

Legis veteris mandatorum numerus.

ue porro & durum onus hoc legale fuit, vt in Mosaico digesto sexcenta & tredecim præcepta contineantur, scilicet ducenta quadraginta octo affirmatiua, & trecenta sexaginta quinque negatiua. Euangelistæ igitur fuere, qui Mosaicas à nobis obseruationes abstulere. Atq; ideo eorum dignitatem excutiamus profundius.

Euãgelistarum dignitas quod testamentum Messiæ acceperint.

Quinto in eo exstitere mirabiles, quod ipsum testamentum Filij Dei vnigeniti recipere, omnia Ecclesię negotia pertractare, Sacramenta & mysteria omnia conscribere, vitam, mortem, prædicationes, miraculaque Messiæ digerere, mundi redemptionem, pacem inter Deum & hominem conciliatam, peccatorum remissionem, cœlorum apertionem, aliaq; magni momenti notare, ac præsertim legem, quam ipsemet Christus Dei Filius attulerat, committere scripto digni habiti sint, cum vetus ac Mosaica, nonnisi per Angelos in monte Sinai lata fuerit. Testatur hoc etiam Ioannes dicens: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quin & in Apostolorum Actis. *Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Et Apostolus epist. ad Galat. *Lex,* inquit, *ordinata per Angelos.*

Ioan.1.

Act.7.

Non hic controuerto an Moyses è manu Dei legem receperit, an vero per Angelum, alijs hoc relinquo, mihi sufficerit loca hæc velut valida contrariæ sententiæ argumenta attulisse.

Euangelicum testimonium præponderat Angelico.

Sexto denique sacri hi sanctissimi Spiritus scribæ, & religionis nostræ protonotarij in hoc laudem & præconium merentur, quod quidquid scripserint consignarintque, verissimum & certissimum sit, adeo vt illorum signa testimoniaque Angelicis etiam assertionibus præferenda sint. Docuit hoc me Apostolus, qui legis Euangelicæ veritatem exaggerans, spirituum cœlestium verbo eam præferendam tradit. Audite quid ad Galatas scribat, *Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit* Anne audacius, liberius, mirabiliusque loqui poterat Paulus, & altius veritatem Euangelicam extollere? Sane Angelus ab infernis sedibus prodiens, mentiri ac fallere potest, non vero Angelus cœlo descendens. Hac tamen hyperbolica loquendi libertate & exaggeratione vsus est, vt constantem & infallibilem eorũ, quæ Euangelistæ scripsere, certitudinem demõstraret; in ore enim Angeli potius falsum & mendacium reperias, quam in verbis Euangelij; hoc enim qui diceret, næ ille Deum fallacem mendacemq; statueret, in cuius suprema ac sincera veritate omnis Euangelij veritas stabilitur.

Gal 1.

Chrysostomus hunc locum componens ait: *Etiam ipsis Angelis,* inquit, *è cœlo descendentibus præponit Paulus scripturã, idque valde congruenter, siquidem Angeli, quam ibet magni serui sunt & ministri: cæterum omnes scripturæ non à seruis, sed ab vniuersorum omnium Deo ad nos venerunt.* *In 1. ad Gal.*

E quib. omnib. efficitur, excellentiã sanctorum Euangelistarum eximiam esse, cum ipsi secretarij fuerint, qui omnes fidei nostræ articulos cõsignarunt: S. Spiritus calami, per quos omnia mysteria scripta sunt, præcones & buccinæ, q̃ per omnes terrarum regiones. Incarnationem, passionem, resurrectionẽ & admirabilẽ Messiæ ad cælos ascensum diuulgarunt; & sane illorũ dignitas singularis est, si milemq; non habuit, vtpote qui Moyse excellẽtiores & maiores fuerint. Moyses n. nonnisi imperfectã & rigidam, & grauem quæ maxime legem dedit, quæq; seruorum erat, ac tandem penitus abolita est: hi vero perfectam, amoris & dulcedinis plenam, leuem, oneris expertem, honestę libertati innixam, quæque in æternum duratura est. In cuius rei figuram vidit Ioannes in Apocalypsi Angelum per medium cœlum volantem, quique Euangelium æternum haberet, *vidit alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum.* Quin & ipse Christus legislator hoc asserit, dicens; *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni Testamenti.* Per nouum hoc & æternum Testamentum Euangelium intelligit. *Apoc.14.* *Luc.22.*

Deniq; eorum dignitas & splendor satis exprimi nequit, cum tantis eos Deus priuilegijs donauit, vt omnia Filij Dei secreta, omnem Religionis nostræ ordinem conscripserint, eorumque tanta sit veritas, vt angelico testimonio præponderet. Quamobrem hæc, quæ

quæ in genere hic dixi, modo sufficiant, atque ita priori parti satisfeci, vt singillatim ad sanctum Marcum deinde, qui vnus è numero quatuor illorum secretariorum fuit, descenderem, eiusq; merita virtutesq; separatim describerem, quæ altera concionis pars futura est.

S. Marcus dicitur S. Petri filius.

S. Marcus igitur natione Iudæus, scientia clarus, post Christi in cœlos ascensum, Iudęorum superstitione relicta, veritatemq; Euangelicam amplexus, principi Apostolorum se comitem adiunxit, eumq; Romam vsque, velut pastorem ouis, doctorem discipulus, & patrē filius secutus est: tamq; familiaris summo Pontifici fuit, suum vt filium ille diceret, ita quippe in Epistola sua scripsit, *salutat vos Marcus filius meus.* Filium dicit, quod illum in spiritu genuisset, Euangelio peperisset, suisq; eum manibus baptizasset.

1. Petr. vlt.

Alij longius à veritatis via recedentes, illius ortum inuestigare conati, existimarunt, Ioannē Marcum, affinem Barnabæ Apostoli, cuius in Actis Apostolorum habetur mentio, eundem esse cum Marco Euangelista: ita sibi persuasit Alexander in vita Barnabæ, D. Hieronymus in suis ad Epistolam ad Philemonem commentarijs, Nicephorus, Theophylactus in prologo in sanctum Marcum, Euthymius & Sixtus Senensis. At incerta est hæc opinio & nonnisi opinio, & contrarium verius esse colligitur ex actis martyrij sancti Marci Euangelistæ, mortuus enim traditur octauo Neronis anno: alter vero consanguineus ille Barnabæ etiam quartodecimo illius anno vixisse perhibetur, quod verbis Apostoli probo, hic enim in secunda ad Timotheum epistola, quam circa decimū quartum imperij Neroniani annum scripsit, vtpote iam martyrio proximus, Marcum ad se deduci postulabat: *Marcum*, inquit, *assume, & adduc tecum, est enim mihi vtilis in ministerium.*

Act. 12. & 15. ad Colos. vlt. ad Philem. Niceph. lib. 2. c. 15. Theophyl in Prol. Marc. Sixt. Senen. & l. 2. Bibl. Sanctor.

Quod autem eo tempore & anno Apostolus epistolam scripserit, ex alijs eiusdem Epistolæ verbis colligi potest: dixerat enim ante, *ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*, id est, morti iam proximus sum, quæ propediem aderit. Hinc igitur apparet, nullis aliis argumentis coaceruatis, non vnum eundemque virum esse, sed duos diuersos.

Maiorem ēt errorem astruere conatus est Niceph sed ignorantia lapsus est: adstruit enim, nescio quo nixus fundamēto, Marcum sancti Petri sororis filium esse, atque proinde illius cognatum, nisi fortasse hoc inde collegerit, quāuis perperam, q̄ Princeps Apostolorū filium suum illū appellare non dubitarit, vti iam paulo ante dixisse memini. Quod n. Nicephorum hic scribit, non minus erroneum est, quam illud fabulosum Cardinalis Baronij iudicio, quod S. Isidorus tradit, S. Marcum, ne ad sacerdotium promoueretur, pollices sibi præcidisse.

Niceph. lib. 2. c. 43.

Lib. de vita Sanctor.

His omnibus igitur omissis, dico sanctum Marcum haud multo post Matthæum Euangelium suum tempore conscripsisse: cuius proinde compilator & abbreuiator dicitur. Nam vt verum fatear, S. Marci liber nonnisi compendium est Euangelij S. Matthæi. Credit Irenæus post mortem Apostolorum Petri & Pauli Marcum scripsisse, sed sententia hæc cum veritate non coincidit: certum quippe est, Marcum teste sancto Hieronymo li. 3. de viris illustribus, & sancto Isidoro lib. de Patribus noui Testamenti, quod & Martyrologium Romanum confirmat, octauo Neronis anno occubuisse: glorioſi autem Apostoli quartodecimo eiusdem supplicio affecti dicuntur, vti ex Eusebio alisq; colligere est. Adeo vt post Apostolorum mortē (vtpote ante alios iam mortuus) scribere Euangelium non potuerit. Scripsisse igitur verisimile sit circa tertium annum Claudij, paulo ante quā Roma profectus in Ægyptum concederet, decimo circiter post ascensionem Dominicā anno: testantur hoc Eusebius in Chronico, Theophylactus & Euthymius, constat quippe secundo illum Claudij anno cum Apostolo Petro Romam venisse, ac deinde sequenti anno animum ad Euangelium scribendum applicuisse.

S. Marci Euangelium S. Matthæi epitome.

Lib. 3. c. 1.

Quo tēpore S. Marcus Euangeliū scripserit.

Quā vero ob causam id scripserit, docent Patres, atq; inter alios Eusebius ex Clementis & Papiæ testimonio, ait enim, *Non sufficit auditionis, qui Petrum prædicantem audiuerant, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exoratum, vt ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpe-*

Euseb. ex Clemente & Papia, lib. 2. c. 15.

perpetuam eorum commonitionem scripturæ traderet. idem quoque tradit sanctus Athanasius, sed aliis verbis. *Euangelium secundum Marcum Romæ quidem ab Apostolo Petro prædicatum est, editum vero à sancto Marco, & ab ipso Alexandriæ postea, & in Ægypto, & in Pentapoli, & in Libya prædicatum.* Testatur hoc ipsum & Sanct. Hieronymus, dicens: *Marcus & interpres Petri iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangelium* Epiphanius item Cypri Episcopus, qui temporibus Imperatorum Valentiniani, Gratiani, Theodosij & Arcadij floruit, quique adeo docte aduersus octoginta hæreses scripsit, eandem rem testimonio suo consignauit, *statim post Matthæum insecutus Marcus, est iussus à S. Petro Romæ Euangelium edere, & vbi scripsisset, mittitur à S. Petro in Ægyptiorum regionem.*

In synops.

Hæresi 51.

Euthymius, magni apud Græcos nominis omnibus his testis accedat, suumque symbolum proferat: *Marcus*, inquit, *à Petro totum Euangelij sermonem didicit, & postmodum Euangelium conscripsit.* Post omnes hosce testes irrefragabiles addo, quamuis Marcus Euangelium a S. Petro didicerit atque audiuerit, à Deo tamen illi id reuelatum fuisse, & à Spiritu sancto dictatum, vti & alijs Euangelistis: alioquin enim scripta illius certa & indubitata non essent, fideique inuiolatæ, nisi diuinæ reuelationi inniterentur.

In proœm. Marci.

Quo idiomate Marcus scripserit.

Diximus, quo tempore, loco, & qua occasione Euangeliũ noster hic Euangelista scripserit, discutiendum iam restat, in qua id lingua scriptum sit. S. Hieronymus inter primos semper se ad quæstiones in sacra Scriptura occurrentes dissoluendas offerens, in genere loquens ait, omnes omnino Euangelistas vnico Matthæo excepto; (qui scripsit Hebraice) Græce Euangelium scripsisse. suffragatur huic & Augustinus; ecce illius verba, *Quatuor*, inquit, *Euangelistarum solus Matthæus Hebræo peribetur scripsisse eloquio, cæteri Græco.* Credunt tamen Syri Marcum Latine scripsisse: quorum opinionem sequitur & Genebrardus libro 3. Chronologiæ cum alijs, quos citat & Cardinalis Baronius. Et verum vt fatear, crediderim vtramq; partem verisimilia dicere, ac credibile videri S. Marcum vtraq; lingua scripsisse, Latine quidem Romæ cum esset, Græce vero cum in Ægypto, Pentapoli & Libya commoraretur.

Ep. 125 ad Damasum.

Lib. 1. de consensu Euang.

Lib. 3. Chron. ad ann. Dom. 5.

Omnib. hisce difficultatibus superatis dicendum est, Marcũ nostrum quemadmodũ hodie inter summos cœli incolas recensetur: ita in mundo egregium & magnum virũ extitisse, q̃ è nomine illius colligere est, quo nominatos viros tum literis, tum armis celebres video, doctrina quidem M. Ciceronem, M. Varronem, alioſq; plurimos: armis vero M. Aurelium, M. Antonium, M. Crassum, M. Attilium Regulum, alioſq; innumeros: quibus si quod heroicum nomen, Marcus, decus & ornamentum attulit, longe profecto maius Marco nostro Euangelistæ attulisse censeo.

Marci nomine multi illustres viri ornati.

Missionem quoq; & legationem, quæ illi iniũcta fuit, magno illi ornamento ac decori fuisse cõperio: missus quippe est ad ciuitatem Alexandrinam, illam vt Christi Euangelio imbueret, quæ totius Ægypti & totius orbis testibus historicis præter vnam caput, S. Petrus Romæ, quæ terrarum caput & Princeps, cum commoraretur, & S. Marcum ad alterã, quæ ei dignitate quam proxima, Alexandriam scilicet destinauerit, credendum haudquaquam dubie est, magni illum meriti fuisse, non enim fit verisimile, Spiritum S. tam eximij loci gubernationem conseruationemque alij, quam generoso & strenuo duci crediturum fuisse.

Missus ad Alexandrinos cõuertendos.

Sancta hęc & excellens missio, qua sanctus hic Euangelista Alexandriam missus fuit, lõgo ante tempore fuit præsignata, Pierius n. Valerianus refert, cum prima vrbis huius fundamenta iacerentur, eiusq; forma magnitudoque delinearetur, nullaque creta aut gypsus circumquaque inueniretur ad loca & limites designandos, farinam mensores adhibuisse, quę quamprimum ab auibus circumquaque aduolantibus deuorata fuit. Varijs hoc augures modis interpretati sunt, sed Deus sua illos arcana celans, postea euidenter ostendit, designatum iam tum fuisse, vẽturum aliquando tempus, quo B. Euangelista Marcus hac in vrbe prima Euangelij fundamen-

Lib. 25. hieroglyph.

Mirabile quid in fundatione Alexandrinæ vrbis.

damenta ponens, ſancta hac farina & pane cœleſti, id eſt, Euchariſtia, de quo Propheta ait, *& adipe frumenti ſatiat te*: veſtigia & notas conſpergeret, ad cuius odorem magna quã primum Religioſorum, Anachoretarum, Eremicolarumque multitudo confluueret, qui auium inſtar poſt Euangeliſtæ huius aduentum & prędicationem in vaſtam ac deſertam Ægypti ſolitudinem volarunt, & ibidem ſanctiſſime vixerunt. *Pſal.147.*

Alexandria primo Leontopolis dicta.

Cum vero Alexandrinæ Vrbis mentio hic inciderit, aliud quid addam. Vrbs hęc ab Alexandro iam inde à primis fundamentis Leontopolis, id eſt, ciuitas Leonis dicta eſt, cuius nominis hanc fuiſſe cauſam tradunt. Somniauit Philippus Macedo iam olim vxorem Olympiadem, interea dum Alexandrum vtero geſtaret, leonem vtero ferre, quod augures & diuinatores de Alexandro expoſuere, qui vere leonis inſtar animoſus fuit & generoſus, atq; vt leo animalium omnium generoſiſſimus eſt, ita illum omnium hominũ generoſiſſimum fore. Ipſe quoque Alexander deinde Leonis ſe nomine appellari voluit, & leonis exuuias Herculis inſtar indutus, depingi: ideoq; etiam vrbem hanc à leone nomen mutuari voluit. Sed aliud longe intendit hoc nomine Deus: nam ideo illam leonis nomen geſtaſſe crediderim, mundo vt manifeſtum fieret, eo venturum aliquando virum, ad conuerſionem illius procurandam, cuius ſymbolum eſſet leo, Marcum inquam Euangeliſtam. *Philippi Macedonis ſomnium.*

O felicia præſagia! ô vrbem vere beatam, tam eximium quæ doctorem nacta es, tam excellentem præconem & Apoſtolum! Ita enim Petrus Damianus exclamat de S. Marci, poſtquam Alexandriam appulit, martyrio agens, deque cultu, quem reliquijs eius Italia defert: *Beata es Alexandria triumphali hoc ſanguine purpurata: felix & tu Italia corporis huius theſauro dites effecta.* De Italia porro dum loquitur, crediderim de Veneta illum loqui republica, quæ glorioſum hunc ſanctum in patronum delegit, corpus illius magna reuerẽtia aſſeruat, leonemque, qui illius ſymbolum in inſignibus & vexillis defert. *Petrus Damianus.*

VI. Quam præclari mihi hoc leonis nomine conceptus ſeſe offerunt? Primo in Prou. de leone ſcriptum legimus. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Quod nõ inepte S. Marco, præclaro Eccleſiæ leoni accommodari queat, qui fortiſſimus & generoſiſſimus quidam Dux, qui nunquam ad vllius diſcriminis, quod ſeſe obtulit, occurſum expauit, ſed omnes contra Ægypti Principes fecit contremiſcere, idola ſubuertit, ſuperſtitiones aboleuit, totiuſq; regni ſedem & caput ad Chriſti fidem perduxit. *Prou.30.*

Salomon in templo ingens quoddam vas collocauit, quod mare futile nuncupauit, q̃ duodecim boum humeris geſtabatur, ac circumquaq; Cherubinos, palmas, & leones habebat inſculptos: *Sculpſit quoq; in tabulis illis, quæ erant exære, & in angulis Cherubin, & leones, & palmas.* Vas hoc fuiſſe Eccleſiam haud dubie denotat, ac duodecim illi boues duodecim Apoſtolos: Cherubim vero doctrinam prælatorum, palmæ & leones martyrum victorias, inter quas Marcus noſter excellit, ideoq; leonis illi imago, velut generoſitatis index, attributa eſt. *3.Reg.7.* Eccleſiæ fi-gura.

In libro Iudicum de leone ſermo eſt, in cuius mortui faucibus fauus mellis & examen apum inuenta: *Et ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis.* quo viſu obſtupeſcentes Philiſtijm exclamarunt, *Quid dulcius melle, & quid fortius leone?* Exponite hoc, quomodocumq; volueritis, equidem dixero, idem omnino de Euangeliſta noſtro dici poſſe: vere enim leo fuit, illius enim imaginem gerit, qui occiſus, id eſt, martyrio affectus Alexandriæ, poſt mortem melle & dulcedine plenus repertus eſt, gratia, inquam, virtute & ſanctitate: æque & ex doctrina, quæ illius ab ore profecta erat, examen apum ortum eſt, magna ſcil. fidelium, Eremitarum, ſanctorumq; Religioſorum multitudo, qui poſt mortem eius vniuerſam Ægyptum monaſterijs repleuere, adeo vt non iam Philiſtijm, ſed Ægyptij mirati, tantæq; rei nouitate perculſi, exclamauerunt; *Quid dulcius melle? quid fortius leone?* Quid inquam dulcius melle verbi Euangelici, de quo Pſalmiſta, *dulciora ſuper mel & fauum.* & alibi: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo?* Quid etiam fortius & validius leone, id eſt, Marci Euangeliſtæ animo? *Iudic.14.* *Pſalm.8.* *Pſalm.118.*

Apoph. Diogen.

Et sane leo animantium Rex, semper hactenus symbolum & insigne fuit fortitudinis. Hinc Diogenes Cynicus animi sui magnitudinem & vires ostensurus, leoni se conferre non dubitauit, adeo vt cum quodam tempore seruus Xeniadis factus esset, & amici sortē illius deplorarent, omnemq; operam darent, illum vt in libertatem pristinam vindicarēt, illorum voluntatem impediens dixerit, *An nescitis leones non tu seruire, à quibus aluntur, sed altores potius seruire leonib.* Longe hoc Apophthegma foret venustius: si S. Marco accommodetur: nam Deus inuincibilem illius animum & robur infractum demonstraturus, leonem ei in symbolum dedit: cumq; inter idololatras & gentiles ageret, & coram Regib. & Monarchis rem & causam Christianorum ageret, eorum voluntati non cessit, prona eorum molimina demens nō est secutus: sed ipsi potius persuasionibus, & prædicationis efficacia permoti, vitæq; miraculis inducti erant, Marco morem gesserūt. Pausanias Græcus auctor tradidit Agamemnonem strenuū illum, si quis vllus, ducem ad animi robur generositatemque patefaciendam & inimicos nominis sui terrore percellendos, clypeum efformasse, cui leonis imaginem insculpsit, hoc addito symbolo:

Pausan.

Terror hic est hominum, quique hunc gerit est Agamemnon.

Clypeus Agamemnonis.

Hoc ipsum de S. Marco dici merito etiā potest, valido illo & generoso Ecclesiæ Duce, qui leonis imaginem non in clypeis modo & umbonibus, sed in calamo, & scriptis insculptum gerens, Ethnicorum Principum terror gentilium formido, infideliū pauor fuit, variaq; animi sui magnitudinis argumēta tum Romæ, tum Alexandriæ, Cyrenæ, & Pentapoli demonstrauit.

Chabriæ apophthegma.

Chabrias Athenienſium Dux, vel vt alii censent, Philippus Macedo, dicere solebat, agmen ceruorum, leone ductore, fortius ac validius esse, quam leonum duce ceruo; equidem eorum opinioni tertius accedo, ac censeo hoc esse verissimum: & Deum septuaginta duos discipulos cum elegisset, meticulosos, imbecilles, ceruoq; fugaciores, quib. vniuersas mundi vires protereret, ac subigeret, sanctum illis Marcum, per leonem designatum, ducem, ac ductorem præfecisse, atque imbecille, atq; imbelle hoc agmen maiora profecto effecisse, quam omnes Philosophorum, Tyrannorum ac Principū terræ, qui præ feritate leones erant, copiæ, certo, id est; timore, & ignorantia ductrice simul conglobatæ.

Quatuor Euangelistę quatuor Christi testes.

Hæc quidem ex humaniorum literarum horto deprompta sunt, iam Theologicam palæstram adeamus, & semper de leone agentes Agnoscit Ecclesia quatuor Euangelistas, velut quatuor Christi testes, de quo quatuor perhibenda sint testimonia. Primū de illius humanitate, quod S. Matthæus tulit, illius genealogiam & originem describens, ideoq; in hominis vultu designatur. Secundum de illius diuinitate, atque hoc Ioannes Euangelista perhibuit, *Hic venit, vt testimonium perhiberet de lumine*: qui tam sublime euolauit dicens: *In principio erat verbum, &c* ideoq; aquila illum denotat. Tertium de illius morte & passione, atq; a Luca hoc affirmatum est, qui plurib. de eisdem egit, quem proinde vitulus designat, animal in sacrificium offerri solitum. Quartum deniq; de resurrectione, ac de hac Marcus noster testatus est, qui illā egregie descripsit, ideoq; in leone repræsentatur: eo quod leunculi profundo somno sepulti, tertio demum die horrendo parentum rugitu euigilent & excitentur. De quatuor hisce testib. apud Ezechielem sermo est, vbi dicit, *similitudo autem vultus eorum, facies hominis & facies leonis, &c.* Ezech. 1.

Vlterius progredior, scriptum in Exodo legimus, in mystico summi Iudæorum Pontificis ornamento, voluisse Deum, vt è tunicæ exterioris fimbria septuaginta mala granata dependerent, & tot etiam intermixtim argētea tintinnabula. Huiꝰ cæremoniæ expositionem apud veteres Patres dum exquiro, video mala hæc & campanulas septuaginta, aut septuaginta duorum discipulorum figuram fuisse, qui pretiosum & eximium Ecclesiæ ornamentum fuere, quorumq; Princeps Marcus noster exstitit, cuiꝰ odor velut è pretioso quodam fructu profectus, omnes afflauit, cuiusq; vox, velut magna quædam campana, per omnes Ægypti, Pentapoleos & Libyæ fines personuit. Et an non putatis de illorum Exod. 25.

lorum hunc etiam numero fuisse, de quibus in Psalmo habetur mentio? *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Psal. 18.

Finem non reperiet concio, si longius in præconiorũ viri huius Oceano proueherer, ad illiusq; honorem referrem, quicquid è sacra Scriptura de illo dici potest: quamobrem portum ingrediar, contractisq; orationis velis finẽ faciam, relato prius breui hoc, sed docto alioq; D. Hieronymi de illo elogio, *Marcus Euangelista* (inquit) *Dei electus, & Petri in baptismate filius, atq; in sermone diuino discipulus, Sacerdotium in Israel agens, secundum carnẽ Leuita.* Quis vnquam maiorem honorẽ habuit? cuinam maiora decantata axiomata? electum scil. esse à Deo vas electionis vt Paulus, fuisse filium Principis Apostolorum, dici magni Christi Iesu vicarij manu baptizatũ, esse discipulum vniuersalis omnium fideliũ, & totius Ecclesiæ Doctoris appellatum, adhæc è Leuitarum stirpe descendere, & sacerdotij nomine insigniri & officio fungi? Quæ omnia cum de S. Marco dicuntur, vere illum admirabilem & omni ratione venerabilem fuisse prædicant.

Prolog. in Marc.

Insignia S. Marci præconia.

Illum igitur, Auditores, honoremus, & in illo Deum laudemus, iuxta Prophetæ adhortationem dicentis: *Laudate Dominũ in Sanctis eius.* Si quo enim in sancto laudari meretur Deus, in hoc singillatim deprædicari dignus est ob varia in illum beneficia & gratias collatas, quod scil. illum in quatuor Euangelistarum Spiritus S. Notariorum, & columnarum Ecclesiæ numerum aggregauit, quod populi Doctorem, verbi concionatorem, gregis pastorem, & agminis sui ductorem constituerit.

Egregia D. Marci epitheta.

Admiremur igitur glorioſum & admirabilem diuinorum mysteriorum secretarium, cum se in illo Deus, quemadmodum in reliquis sanctis mirabilem reddiderit (*Mirabilis Deus in Sanctis suis*) admiremur doctrinam & veritatem Euangelij illius, virtutem prædicationis, sanctitatem vitæ, miraculorum fulgorem, virtutum ornamentum, animæ zelũ, in laboribus tolerantiam & martyrij cõstantiam, admiremur obsecro, & vos ad hoc exhortor, auditores leonis huius fortitudinem, verborum illius rugitus, scriptorum profundum, peregrinationum illius labores, tribulationum impetus ac violentiam, victoriam, quam de idolis & idololatris reportauit.

Ad te, ô generose, strenue, & inuicte Christi miles, Ecclesiæ tuba, religionis scriba, mysteriorum secretarie, Euangelij doctor, vota nostra conuertimus, preces tibi nostras offerimus, tibique omnes vnanimiter hic in terra supplicamus, vt in cœlo pro nobis intercedas. Fac obsecramus, glorioſe Euangelista, qui veritatẽ nobis scripto reliquisti, beatitudinis iter demonstrasti, viam salutis ostendisti, pericula in eadem occurrentia patefecisti, fauorabili ac propitia intercessione tua, hanc vt veritatem seruemus, beatitudines has consectemur, sanctas has semitas sequamur, & ab omni periculo & infortunio liberemur.

Generose & admirabilis leo, cuius rugitus, clamores, & prædicatio per vniuersam Libyam, Alexandrina compita, Pentapolitanam regionem, & per vniuersum propemodum Ægypti regnum exaudita est: at rugitus pœnitentiæ, clamores austeritatis, & verba salutis per desertum paganismi: fac obsecramus, vt intercessione tua nobis annuat Deus: tuo exemplo leoninum animum ad mundo resistendum, ad carnis impetus retundendos, leonem illum infernalem prosternendum præferamus, imprimis vero impetra, sancte Euangelista, nunquam vt ab Euangelio, quod scripsisti, deflectamus, magni illius Dei mandata, quorum tu nobis catalogum proposuisti, seruemus, nunquam à semitis, quas tuo calamo adaptasti, & sanguine consignasti, semitis inquam salutis, & ad beatitudinem æternam perducentib. declinemus, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus deducant, Amen.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI.

Partitio.

1. *De Ecclesiæ maiestate.*
2. *De insigni Apostolorum prærogatiua & gloria.*
3. *De variis titulis, & figuratione duodenaria.*
4. *De turbatione illorum, & passionum indiciis.*
5. *Passionum humanarum species tres.*
6. *Turbari in homine sex dicuntur.*
7. *De particulari Apostolorum Philippi & Iacobi commendatione.*
8. *De Prælatorum bonorum descriptione.*

Non turbetur cor vestrum, neque formidet, Ioan. 14.

FIGVRA.

IN admirabili illa arcæ Testamenti, vel oraculi Mosaici compaginatione, quam Exodi 25. describi legimus, inter cætera eius membra & partes illustriores, duos videre est Cherubinos aureos, superne productiles, ingentes, alis expansis se inuicem intuentes, & ijsdem propitiatorium obumbrantes. Mox vt oculos mentemque ad vetus hoc opus, & par Cherubinorum conuerto, ilico mihi occurrit, iam tum illos duorum nostrorum Apostolorum, Philippi & Iacobi imaginem & figuram fuisse. Quod enim duo illi olim in Mosaico oraculo fuere, hoc hodierna die hi sunt in Ecclesia Christi, ambo noui quidam Cherubini, ambo charitate aurei, cœlesti sapientia pleni, se mutuo fraterna quadam societate respicientes, & prædicationis per orbem diffusæ alis, & doctrinæ virtutisq; plumis Ecclesiæ propitiatorium velantes. Equidem hodierna die hæc singillatim deducere decreui, & duorum horum Apostolorũ honorem, gloriam, meritorumq; splendorem ac decus dicẽdo prosequi. Vt vero gratia nobis tua succurrat Omnipotens, ad Virginem nos conuertamus, quo eam patronam & adiutricem experiamur, ipsam proinde cum paranympho Gabriele compellemus dicentes:

Exod. 25.

AVE MARIA.

Ecclesiæ Christianæ maiestatem, & datam diuinitus primis eius principibus i. Apostolis, potestatem spiritu fatidico propheticoq; eminus præuidens, hominibusque fideliter denuntians Psaltes, hoc de eadem modo locutus est, *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Litteralis vaticinij huius sensus est, Populorum Principes cum subditis, maiorum suorum Dijs relictis, quique cũ Deo Abraham, qui solus verus est Deus, congregandi erant, & Apostolorum prædicatione ad ei⁹ cultum redigendi: Si, inquam, Principes velut Dij quidam & numina terrestria mirifice eleuati sunt: & cum ante per idololatriam serui & mancipia essent dæmonum, modo per veram fidem filij Dei, Dei inquam veri & viuentes & regni illius constituti sunt hæredes. I.

Psal. 46. Prophetia Dauid de Ecclesiæ maiestate.

Sensum hunc aliquo modo etiam innuit versio Hebræa: in fontibus enim legitur: *Quoniam Dij scuta terræ valde eleuati sunt.* D. Hieronymus autem τὸ scuta terræ ponderans, aliud quid spectat, & ita ex Hebræo interpretatur, *Potentes siue magistratus terræ.* Principes enim, cum potentes quidam dij sint & fortes terræ, Deorum exemplo commissas ipsis terras & respubl. tueri, & manu valida aduersus vim omnem externam propugnare oportet.

Versio S. Hieronymi ex Hebræo.

Aliam insistens viam Augustinus, alioque deflectens, de superbis & arrogantib. hæc exponit, qui cũ magno Deo Abraham congregati non sunt, Euangelijq; prædicationi aurem accommodare noluere, sed ob fastum, arrogantiam ac superbiam à Deo reprobati sunt.

S. Augustini expositio.

Alij vero aliter interpretantes, per Deos illos fortes terræ, quos D. Hieronymus scuta interpretatur, Iudices, Præsides, Cõsiliarios, aliosque mundi huius magistratus designari vo-

Magistratus terræ dij appellantur.

volunt, nec sane præter rem. Illi namq; velut dij quidam minorum gentium, in justitię solium euecti, & potentiæ terrenæ moderamina tenentes, absoluunt, condemnant, quasi dij quidam, ligant & dissoluunt velut fortes; deq; honore, bonis & vita vt supremi & absoluti domini pro arbitrio disponunt. In quãtum vero innocentes tuentur, in reos & sontes animaduertunt, mala impediunt, bonum conseruant, injustitiam oppugnant, æquitatem propugnant, denique status & respubl. conseruant, regna florescere faciunt, subditis pacem tranquillitatemq; procurãt, lites proscribunt, turbas tollunt, & concertationibus finem imponunt, scuta & vmbones terrę merito nominantur. Hanc ob causam hi dij, hi protectores vehementer eleuati sunt; impij namque & scelerati eos metuunt, boni reuerentur, nobiles colunt, diuites ambiunt, pauperes & plebeij adorant, ac nemo non honoribus cumulat.

Omnes magistratibus velut dijs terrenis honorem exhibent.

Expositio S. Chrysost.

S. Ioanni Chrysostomo non arridet hæc expositio, & in alia secedens, locum hunc de Apostolis explicat, quorum ope & adminiculo Principes Gentium conuersi, & per Euangelij prædicationem ad Dei Abrahamici pedes sunt adducti, vt suos nimirum errores eiurarent, superstitiones pristinas desererent, à Gentilium deliriis recederent, idola repudiarent, atq; hunc verborum genuinum esse sensum vult, Dynastæ & populorum Principes cum Deo Abrahæ collecti sunt, eo quod dij fortes terræ, id est, Apostoli magnopere exaltati sunt; tanta namq; sapiẽtia ad cognoscenda mysteria, tot scientijs ad sacras Scripturas intelligendas, tot virtutibus, quo vitam ipsorum omnes obstupescerent, tota potestate ad patranda prodigia repleti sunt; vt mũdi huius reges ac monarchæ illis resistere minime valuerint, sed arma exuere, ferociam deponere, idola prosternere, vitijs valedicere, fidei aures & animum dare, intellectum in captiuitatem redigere, pœnitentiam complecti, humilium piscatorum iussis parere, crucis vexillum sequi, in Christum credere, & Euangelij jugum vltro subire coacti sint.

Apostoli dij terræ.

Effectus prædicationis Apostolicæ.

II. Robur Apostolorum.

Et sane Apostoli Spiritu S. pleni adeo fortes & potentes facti sunt, vt pericula omnia interriti euaserint, difficultates perfregerint, tormentis omnibus superiores fuerint, cruciatus riserint, inferos domuerint, dæmones fregerint, tyrannis insultarint, idola euerterint, regna & monarchias subegerint, ac pro libito de ijs disposuerint, omnem deniq; terræ sapientiam superarint. Quare de ipsis illud à Psalmographo dictum mihi persuadeo, *Dabit fortitudinem plebi suæ.* *Psal. 27.*

Vere igitur iuxta interpretationem hanc Græcam Apostoli. *Dij fortes scuta, & potentes terra* nominati sunt, quorum figura & imago fuere generosi illi Rubenitæ & magnanimi Gadditæ, quib. tam inclytum & illustre Scriptura in Paralipomenon libro dat elogium, *Viri bellatores, scuta portantes & gladios, & tendentes arcum, eruditiq; ad prælium.* Quæ laudes in Apostolos nostros non inconcinne quadrant. Egregij namq; debellatores fuere gladium gestantes & scutum, & in militia spirituali probe exercitati, bellarunt siquidem aduersus vitia, contra idola depugnarunt, arma ipsorum fuit prædicatio, tela oratio, scuta patientia, triumphi & victoriæ impiorum conuersio, idolorum subuersio, dæmonum fuga, tyrannorum contemptus, Philosophorum confusio, & Euangelij confirmatio.

Apostoli dij fortes terræ, scuta & potentes terræ. 1. Par. 5. Rubenitis & Gadditis collati Apostoli.

Vere inquam scuta fuere Apostoli, scuta scilicet & vmbones ad Ecclesiam protegendam, quos clypei illi, è turri Dauid circumsecus pendentes, quorum in Canticis fit mentio (*mille clypei pendent ex ea*) adumbrarunt illi item clypei, quos fieri Salomon iussit, & in templo asseruari. Notemus hic oportet, quẽadmodum cum Salomon Rex ille sapientissimus, ad templi sui decus & splendorem ducentos ex auro clypeos conflari iussisset, de quibus scriptum est, *Fecit Rex Salomon ducenta scuta aurea.* & Ægypti Rex idolorum cultui deditus, eadem inde sustulisset, vt eodẽ narratur libro, Roboam Rex Israel totidem ærea in eorum locum surrogauit; ita & Christum Dominum, de quo scriptum est, *Ecce plusquã Salomon hic*, cum duodecim Ecclesiæ suæ Apostolos velut totidem scuta aurea, Apostolos inquam charitate rutilantes & ardentes, ad eius tuitionem reliquisset; & mundus, tyrannus ille crudelitate & barbarie notissimus

Cant. 5. 3. *Reg* 10. Apostoli vera Ecclesiæ scuta. 3. *Reg.* 14. *Matth.* 12.

suppliciis & tormentis inauditis è medio eos sustuliſſet, viros obſcuriores, & prælatos æreos, scuta nullius momenti, & nonnisi flammis apta, de quibus Psaltes intelligendus loqui, dum ait, *Arma & scuta comburet igni*, in eorum locum substituisse, & successores dedisse.

Psal. 45.

Apostoli amici & secretarii filii Dei.

Porro non modo Ecclesiæ scuta & totius vniuersi arma, propugnaculaque Apostoli & sunt & dicuntur, sed & amicos suos, Auditores, & arcanorum suorum conscios, quibus scilicet quæcumq; à Patre suo didicisset mysteria, reuelarat, Dei filius eos vocauit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, nõ quasi cuncta, quæ sacrę Iesu Christi humanitati cœlitus reuelata erant, Apostolis vicissim innotuerint: (alioqui namque discipulorum scientia magni ipsius doctoris scientiæ par & æquialẽs fuisset, quod nec fit vero simile, nec vllo modo in fide admittendum est) sed illa duntaxat, quorum erant capaces, quæque ad magni illius muneris, ad quod vocati erant, exercitiũ & officij sui honorem necessaria videbantur.

Ioan. 15.

Apostolorum scientia non fuit æqualis scientiæ Christi.

Adeo vt per *τὸ omnia* intelligendum veniat, quidquid ad hominum salutem necessarium, omnia item mysteria, quæ sacris litteris quoad fidei articulos cõtinebantur, bonum proximi, & animarum conuersio; quidquid ad Legis, Prophetarum, & Euangelij intelligẽtiam spectabat; quidquid ad Euangelij prędicationem requirebatur; omnia denique, quæ hominibus vtcumque reuelari debebant, & forte multa alia, quæ Angelis ipsis erant incognita, nec reuelanda.

Quænam Apostolis reuelata.

Quonam autem modo hoc capiamus, parum refert, honori saltem permagno Apostolis est, arcanorum redemptoris mundi ex parte conscios esse, illiusq; amicos nominari. Quam dum Psaltes dignitatem perpenderet, non potest quin exclamet, *Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Mihi*, inquam, id est, meo iudicio & sententia, nimium quantum Apostoli honorati sunt, quod scilicet amici tui facti sint, à te omnia mysteria didicerint, omnisque illis potestas data sit. Infinite nimiumque eos mihi exaltatos persuadeo, quod velut totius vniuersi principes à te, Deus meus, fuerint constituti, iuxta aliam illam prophetiam, *Constitues eos principes super omnem terrã.* Principes inquam non vnicæ vrbi, non vni prouinciæ, non vni dumtaxat regno, sed vniuersis orbis rebus publicis, dominijs, & imperiis præfectos. Hinc *nimis* (id est, valde) *confortatus est principatus*, id est, potestas & auctoritas *eorum*.

Apostoli dicti secretarii Dei.

Psal. 132.

Apostoli constituti Principes super omnia regna mundi.

Psal. 44.

Quam inclyta porro & illustria in sacris voluminibus illis imposita nomina legimus; Nempe *sal* id est, omnis sapientia, doctrina, & puritas, *terræ, lux*, sol, fax & lumen *mundi, ministri noui testamenti*: hoc porro eos nomine vocat Apostolus: *Qui* inquit, Deus scilicet, non Angeli, non homines, *& idoneos nos fecit ministros noui testamenti*, & vltimæ suæ voluntatis executores. Adhęc *Ministri Christi.* Nomen hoc permagni fecit Apostolus, dum ait, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi*: quasi diceret: Quos nos esse putat homo? quid de nobis sentit? credat nos esse ministros & factores Christi Iesu. *Dispensatores* deniq; *mysteriorum Dei*, id est œconomi & curatores domus Dei, arcanorum eius secretarij, & mysteriorum sacrorum dispensatores, quod Apostolus nomen in sua ad Corinthios epistola mirifice deprædicat & extollit.

III. Tituli Apostolorum in sacra Scriptura.

2. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Ibid.

Si nomina hæc & encomia è noui testamenti scrinijs deprompta ad dignitatis Apostolicæ eminentiam designandam magnopere conducant, sanctæ è veteri Testamento figuræ, ad eorum numerum præsignandum, multo etiam futuræ sunt illustriores. Siquidem duodenus illorum numerus diuersimode expressus conspicitur. Duodecim illi principes tribuum, quos populo regendo docendoque Moses selegit, jam tum euidentissima illorum erant imago; Apostoli namque velut duodecim quidam Principes, qui omnes terræ populos dirigerent, erudirentque, ab ipso Christo immediatè selecti sunt.

Figuræ duodecim Apostolorum numerum denotãtes.

Num. 1.

Populi Israelitici ductor Iosue, qui Chananæos omnes & stirpem impiam exscindere decreuerat, duodecim viros animosos elegit, qui è Iordanis alueo duodecim tollerẽt lapides, super quibus tentoria sua explicabãt Israe-

Ios. 4.

Apostoli similes 12. viris, qui è fundo Iordanis 12. tulerunt lapides.

Israelitæ, & castra metabantur. Ducum omnium Rex, & Regum Dux Christus totidem sibi viros delegit, duodecim inquam Apostolos, animo & robore præstantes, qui è sacræ Scripturæ abysso, & mysteriorum profundo duodecim fidei articulos, è quibus vniuersale quoddam symbolum conflatum est, eduxerunt; quibus exinde vniuersa Ecclesiæ moles inædificata est.

Num. 12. Item Principibus tribuum, qui ad tabernaculi fabricã donaria obtulere.

In Numeris offerunt se duodecim tribuũ Principes, qui vltro, & eodem zelo honoris diuini moti, ad tabernaculi fabricam & dedicationem pretiosa & eadem obtulerunt donaria. Hac rursus figura duodecim designari Apostolos quis non videat? singuli namque Principes cum essent, & eadem animi pietate æstuantes, sua quique dona, vitam, doctrinã, & actiones ad Ecclesiæ constructionem dedicarunt.

Apoc. 12.

In Apocalypticis Reuelationibus duodecim describuntur portæ & totidem fundamenta cœlestis Ierusalem. Quibus duodecim nostros Apostolos adumbrari non est multis opus ostendere. Vera namque illi religionis fuere fundamenta, & duodecim ingentes Ecclesiæ portæ, per quas ad fidei adyta & Christiana sacra populi & nationes penetrarunt.

Apostoli sunt fundamenta & portæ Ecclesiæ.

Num. 33.

Cum duodecim illos fontes Elim considero, occurrit ilico menti, numerum hunc incassum, aut sine ratione minime positum esse, & quidem fontium; quare mecum ipse statuo, Apostolorum numerum jam tum designare Deum voluisse. Fuerunt enim illi Ecclesiæ fontes, & forsitan fontes illi Saluatoris, de quibus locuti sunt Prophetæ, & his potissimum verbis, *Hauri tu aquas* (gratiæ) *in gaudio de fontibus Saluatoris.*

Apostoli fontes sunt Ecclesiæ. *Isa.* 12.

Sacra percurrenti volumina occurrerunt duodecim illustres in aula Salomonis regis œconomi, qui annonam & mensam regiam singillatim curabant, domuique vniuersæ de victu prospiciebant: *Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi, & domui eius.* Et jam tum censebam certo hoc virorum numero, & hac œconomica dignitate Apostolos in Dei domo, ideſt, Ecclesia, electos & constitutos signari. Nam fuere quasi illustres quidam œconomi veri illius Salomonis, id est, Christi, vt domui & aulæ eius de doctrinæ & Sacramẽtorum ferculis prospicerent.

3. *Reg.* 4. 12.

Apostoli sunt œconomi Christi.

Inter eos porro non minimi fuere Philippus & Iacobus, quos hodie peculiari quadam ratione Ecclesia colit, eosq; exaltans & celebrans, ac veluti duos ex illustribus illis œconomis, duos è limpidis illis fontibus, duas è regiis illis portis, duos de numero Principum magnorum, alijsq; modis designatos proponens hoc de illis Euangelium legendum exhibet, *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.* More meo, primo Euangelij seriem exponam, deinde ad horum Apostolorum laudes & præconia delabar.

Primo itaq;, solent generosi in bello duces & imperatores verbis suos ad animos se cũ hoste confligendum adhortari, & iacentes metu animos heroice ac fortiter à maioribus gestorum commemoratione erigere, præclarum hinc illorum nomen, laudes quas passim ab omnibus accepere, trophæa & pyramides, statuas & arcus triumphales in gratiã eorum erectos, & quæ ad eos inde dimanauit, gloriã apud milites ac nepotes deprædicando. Illinc vero bonorum, prædæ, spoliorum, ac manubiarum ex hoste referendarum spe excitant, felicemq; belli euentum, inimicorum profligationem, pugnæ facilitatem, & certissimam victoriam spondent, & ob oculos ponunt. Ita suos in ipsa jam confligendi hora animabat rex Antigonus relatam olim ex hoste gazam & opes palam ostentans, dixitq;, *Hæc sunt propter quæ pugnabitis ô socij.*

Antigoni regis ad suos oratio.

Hoc quidem è profana pharetra depromptum est telum; sed simile omnino in sacris literis reperire est: Iudæ, inquam, Machabæi, populi Iudaici ductoris. Hic ergo *hortabatur suos, ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cœlo, & nunc sperarent ab omnipotente sibi affuturam victoriam.* Hac ille oratione & exhortatione meticulosissimos quoslibet ad fortiter etiam maxime ancipiti ac dubio in prælio agẽdum exstimulare potuisset.

2. *Mach* vlt. Iudæ Machabæi ad suos verba.

Redemptor orbis Christus, magnus ille regum

Christi ad Apostolos.

gum ducumq; rex, mundo inferisq; bellum cum indixisset, Ecclesiæ castra fixisset, & ijs duodecim tribunos & imperatores intrepidos præfecisset, vt animum ijs adderet, & ad omnigenos conflictus obduraret, metum quoq; omnem eriperet, his eos verbis ad generose & athletice decertandum excitauit: *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.* Quasi diceret, Sumite animos, Apostoli mei, nolite metu ac formidine corripi, timorem eijcite, generosos vos ostendite, animus non vacillet aut nutet, sed contra pericula enitatur audentius.

IV. Tria Apostolos turbabant.

Tribus discipulos prædixerat Dominus rebus perturbandos, & percellendos. Prima, eius erat ex hoc mundo discessus & separatio per mortem crucis, *Adhuc modicum vobiscum sum* quod extremum illis mœrorē afferebat. Secunda, domestica conspiratio Iudæ, quæ omnes perturbauit, dum audirent, *Vnus vestrum me traditurus est.* Tertia, persequendos illos fore, & magnis afflictionib. in hoc mundo exagitandos: *In mundo pressuram habebitis.* quod vehementer illos percellebat, & terribiles in animis eorum motus causabatur. Hodie porro omnem hanc formidinem discutit, & tempestates has motusque diuitiarum æternarū spe obiecta serenat, & æternam illis mercedem proponens, ad patientiam eos animat, alterius vitæ gloria in mentem reuocata, dicens, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* quasi diceret: In Patris mei æterni domicilio varia sunt habitacula, & varię eorum, qui in meum fidi obsequium, alacriter aduersus mundum pugnare parati sunt, remunerādorum rationes, quapropter *non turbetur cor vestrum.*

Passionum humanarū natura.

Habent hoc passiones omnes, & appetitus sensibilis emotiones, vt cum vehementius insurgunt, hominem penitus perturbent, & animam eius acriter exagitent. Hinc perturbationes non immerito vocantur & passiones; passiones quidem, quod hominem interdum illarum tyrannis, & violentia pati cogat, iudicium omne & rationem perturbando, sanguinem & humores interdum frigefaciendo, alias inflammando, cor diuersimode excruciando, & lancinando, & vniuersum animæ regnum perturbando. Perturbationes itaq; semper aliquam corporis alterationem, motumq; secum trahant, & humorum & spirituum in hac republ. reguantium emotiones causentur; hinc fit, vt in hominis vultu, velut in speculo, alterationum harum, motuum, mutationum, caloris, frigoris, turbationum, tempestatum signa indiciaq; compareant.

Signa passionum in homine.

Si enim quis iracundia & bili efferuescat, emicat oculis ignis; si metu correptus sit, ipse in venis sanguis congelascit, vultus pallorem induit, genua labant, & totis artubus cōtremiscit. Si gaudio efferatur, facies omnis ad risum composita est: sin tristitia prædominetur, & mentem occuparit, in ipsis ossibus medulla exarescit, frons corrugatur, agēdi ratio fracta, vultus omnis gestusq; tetricus, verba interrupta, & animus pusillanimis: atq; ita de alijs, quæ quantum intrinsece inualescunt & dominantur; tantum suam foris violentiam patefaciunt & exhibent.

Primi motus nō sunt in hominis potestate.

Certum porro est & exploratum, humorum concinnationem & actum appetitus vt plurimū in hominis manu, potestate, dominio, imperioque situm non esse; iuxta illam Ethicorum doctrinam: *Primi motus non sunt in hominis potestate.* Sed ipse voluntatis actus, qui seditiones ac turbationes has sequi, & appetitui turbulento quam proxime imminere solet, in nostra situs est manu ac dispositione, & à nostri imperij legibus iussisq; dependet. Quoniam vero, tum semel appetitus insurrexerit & omnia commiscuerit, ad rationem peruertendam, inque partes suas pertrahendam plurimum poterit, hinc Dei Filius hac Apostolos ratione adhortatur, *Non turbetur cor vestrum* perinde ac diceret, fortes vos in bellis exhibete, animum declarate, aduersis resistite, passiones coercete tristitiæ, mœrori aut pusillanimitati nolite cedere.

Timidi hominis hieroglyphicū.

Ægyptij suis in hieroglyphicis timidos & medijs in periculis consternatos per piscem polypoda designabant. Hic namq; piscis, vbi vitæ imminet discrimen, fuga se nō subducit, nec vitæ consulit fugiendo, sed scopulum aliquem aut rupem petit, in qua fixus hæret & consternatus: sępe etiā pauore correptus ipsi piscatoris, & eius, à quo impetitur, nescius

pauī-

pauidusque brachio adhęresćit. Piscem hunc olim imitatus est Psalmographus, dum pauorem, metum, animæque suæ consternationem libere testatus scribit, *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*: quasi diceret; animi me perturbationes ita stupidum reddiderunt, mihi vt animus nullus supersit, illarum vt impetum vix sustineam, nec oculos aut lumē ad miserias meas agnoscendas habeam. Hæc ergo discrimina præuidens Redemptor merito discipulis ait: *Non turbetur cor vestrum.* Psal. 17.

Magnus Apostolus Paulus, vere inquam in omnibus magnus, monitionem hanc adeo menti animoque insculpserat, vt suo fratrumque nomine gloriari honorifice non vereatur, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*, id est: In omnibus, & ex omnibus aduersa ferenda nobis veniunt, & grauia afflictionum tela in nos ingtuunt: sed non idcirco animum despondemus, non idcirco cedimus, non ideo ad extremas redigimur angustias, non propterea turbatur cor nostrum, metus nos non inuadit, timor denique aut formido nihil in nos potestatis habet. 2. Cor. 4.

Generosum & ad pericula intractum virum qui videt, næ visionem is magnam videt, qualem Moses olim, rubum scilicet ardentem & incombustum, virum scilicet igne circumdatum, non tamen vel vstulatum. Vir enim bonus, qui in tribulationum flammis versatur, non tamen ardet, ab afflictionibus impetitur, non propterea tamen cedit aut succumbit, sed patiendo imperterritus manet, admirabilis & magna est visio, vereque rubus ille Mosaicus. Talis haud dubie erat ille Israelitarum Rex, qui dicebat, *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* non propterea pauebo, aut spei meæ anchoram abiiciam. Exod. 3. Psal. 16.

Huc alludit sanctus Iob generosum describens equum, & bellis conflictuique assuetum, & ait; *Cum audierit buccinam, dicit, Vah*; quæ lætantis plaudentisque est interiectio. In locum hunc commentans Magnus Gregorius, de viro iusto, non vero equo Iobum manifeste loqui asserit: equus enim cū brutus & loquelæ expers sit, *Vah* dicere nequit. Dicere ergo vult, iustum generosum inquam Christi pugilem, vbi tribulationum aduersitatumque impetus ac tempestates ad se impugnandum videt ingruere adeo certaminis discrimine non terreri aut consternari, vt è contra interritus persistat, & animus gestiens lętitia subsultet. Hoc scilicet dogma & monita Redemptoris sequi est monentis suos, *Non turbetur cor vestrum, &c.* Iob 39.

In Deuteronomii codicem lex hæc relata est: *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem quam tu habeas aduersarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tecum est.* quod olim in lege iussu Dei scripta veteribus dictum & imperatum est, idipsum in lege gratiæ ab ipso Redemptore verbis prope similibus, sed breuioribus & succinctioribus repetitum est, dicente, *Non turbetur cor vestrum, &c.* Quid porro metuamus, si nos tuendos protegendosque suscipiat Deus? ecquæ timenda potentia aut vis, si in partes nostras ipsa excubet omnipotentia? Qua nixus beatus Iob intrepide nullasque minas perhorrescens Domino aiebat, *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* perinde ac si diceret, Tu modo mecum sis Domine, ne vniuersum quidem mundum metuo. Atque hic verborum Dominicorum, *Non turbetur cor vestrum*, sensus est. Deut. 20. Iob 17.

Insignem porro in hæc verba considerationem habet D. Cyrillus, aitque Dominum, vti nec perturbationem omnem reprehendit, ne forte turbati in desperationis barathrum ruerent, ita nec eam plane approbasse, aut laudasse, ne ab eadem superarentur, sed blāde eos placideque ne turbarentur commonuisse. Non enim eis ait: *Nolite turbari*: tum quod fieri plane nequeat, vt ab omni huiusmodi conflictu & impetu homo plane sit immunis; tum vero quod omnis passio non semper vitium aliquod secum trahat: cum & ipse orbis Redemptor Christus, Vnigenitus Patris iisdem fuerit obnoxius, (tametsi hi in ipso motus propassiones potius dicerentur) & huiusmodi commotiones senserit, & cor eius turbationibus ac procellis nonnunquā concussum sit. sed ait, *Non turbetur cor vestrum:* Egregia S. Cyrilli consideratio.

ſtrum: id eſt, ne iudicium & ratio his paſſionibus ſuccumbant, aut cedant, ne procul à boni tramite abrepta è throno iuſtitiæ euellantur. Et ſi forte potentiæ & partes inferiores, ſenſuſque nonnunquam turbentur, ſeq; eommoueri ſentiant, ratio ſaltem velut domina & princeps ſemper dominetur & ſuperior ſit, conſenſum non præſtet, videat ne ineſcetur, bonoque adhærens nunquam à virtute deſciſcat, ſed in eadem infracta permaneat.

V. Tres humanarum perturbationum ſpecies.

Tria porro in ſacris litteris paſſionum genera notare eſt, prima laudem meretur, altera tolerari poteſt, tertia denique vituperanda: prioribus commoueri Chriſtianum eſt, & virtutem inuoluunt, vltima noxia eſt & vitium. Prima quidem perturbatio honeſta admodum eſt, ac bonum & virtutem inuoluit, cum ob peccata ſua quis perturbatur: hæc ſancta quædam paſſio eſt, quæque ſummis extol enda laudibus, qualem ſentiebant illi, de quibus Pſaltes canit, *Ipſi videntes*, ſcil. peccata, *turbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos.* *Pſal. 47.*

Inſignem hanc paſſionem mirifice extollit Apoſtolus, & eam Corinthiis omnibus apprecatur, dicens; *Gaudeo propter vos, quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*, id eſt, miro me perfundit gaudio, ſummeque conſolatur extrema illa veſtrum omnium triſtitia, & cordis amaritudo, ob peccata nempe concepta, quorum vel recordatio tantopere vobis diſplicet, & pœnarum iis debitarum memoria adeo vos concutit, vt oculis lacrymantibus, pectore gemebundo, ore ſingultiente, animoque dolore & triſtitia fracto, publicam de illis pœnitentiam agatis. *2. Cor. 7.*

Honorabilis paſſio, quæ à dolore peccatorum procedit.

Eadem regium Dauidis pectus perturbatio occuparat, cum diceret, *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea*, quæ ex Hebræo & Græco verba ita verti poſſunt, *quoniã tremuerunt*, ſeu *tremefacta ſunt oſſa mea*. q. d. Quoniam iniquitatem & calamitatem meam ego agnoſco, hinc adeo conſternatus & perturbatus ſum, toto vt corpore contremiſcam, quin *anima mea* adeo ſe deformem ac miſeram cernens, & ſcelus ſuum deteſtata ipſumq; perhorreſcens, *turbata eſt valde, ſed tu Domine vſquequo?* an non mei miſeratione tangeris? an non plagæ medelam adhibebis? an non in gratiam me admittes? *Pſal. 6.*

Quin & verbis illuſtrioribus clarioribuſque, ac maiori cum vehementia hanc ipſam paſſionem alio idem pœnitens exprimit loco, *Non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum.* Id eſt, peccatorum meorum turpitudinem & grauitatem dum aſpicio & tacitus mecũ ipſe meditor adeo mente animoque concutior, nulla vt animæ pax ſit, quin & oſſa mea tremore percellantur & pauore quodammodo exanimentur. Senſibilem hanc commotionem alio etiã loco vehementius exaggerat, dum pœnitens ait, *Turbatus eſt à fu ore oculus meus*: hoc eſt, dum cogitationis oculos in meorũ enormitatẽ & abominationem flagitiorum coniicio, tantam aduerſus meipſum irã indignationemq; concepi, vt à furore & rabie oculi plane fuerint cõturbati Cũ ergo Reges, Prophetæ, Apoſtoli, aliiq; viri ſanctiſſimi interiorẽ hanc paſſionẽ concipere haud indignũ duxerint, quin potius eamdem in ſe excitare, in eaq; ſe exercere contenderint, ac permagni etiam fecerint, quin laudabilis & honeſta ea ſit, minime eſt dubitandum. *Pſal. 37.* Triſtitia quam peccati cauſatur honor, ſancta quædã perturbatio eſt.

Altera perturbationum ſpecies, quam tolerari poſſe diximus, eſt, quæ cor ita commouet, lancinat, & afficit, vt dolor inde ſequatur, idq; ex cauſa licita ac honeſta. Talis eſt, dum ob mortem parentum dolorem concipimus, eorumq; funera plãgimus. Hoc Iacob modo Ioſephum filium amiſſum lugebat, dum à fera peſſima dilaniatũ eum audiit: qui illum nuntius adeo conſternauit, vt vociferans, plangens ac lamentans dixerit: *Deſcendam in infernum lugens, quærens filium meum Ioſeph:* id eſt, ita Ioſephi me mors & interitus affliget & afficiet, vt præ dolore vitam ſim finiturus Paſſio hæc vti humana eſt ita & excuſabilis, & veniam meretur. Perturbatio alia eſt tolerabilis. *Gen. 39.*

Talis quoque luctus & mœror Dauidis Regis fuit, audito filium ſuum Abſalomum extinctum: cuius ob deceſſum ita indoluit, vt in lachrymas prorumpens & pectus plangens, ſublata voce & incredibili cum amaritudine exclamaret, *Abſalom fili mi, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te: Abſalom fili mi, fili mi Abſalom*: mors enim tua, mea eſt. Ah fata crudelia, cur me tibi relinquunt ſuperſtitem? *2 Reg. 18.* Planctus Dauidis in morte Abſalomi.

ſtitem? cur me non potius quam te fera mors corripuit? cur non tuo ipſe tum loco? Hi ſunt motus quidam naturales, ac proinde tolerabiles. Eadem paſſio inceſſerat viduam Naim; quæ filio vnico, ac ſolo ex aſſe omnium facultatum hærede, fortunarum ſpe, ſenectutis fulcro ac facula, & vnico vitæ ſolamine amiſſo, adeo dolorum procellis erat immerſa & obruta, vt cœlum lamentis compleret, ac lachrymis oculos ſuffuſa, Redemptorem ad commiſerationem commouerit, qui ſortem eius calamitoſam miſeratus, adoleſcentem vitæ reſtituere decreuit, matremque ſolatus dixit, *Mulier noli fiere*, lachrymarum habenas cõtrahe, ſiſte fletum. Plorantem porro ipſe non corripuit, quod paſſiones hæ naturales ſint, & cum hominem redoleant, tolerentur, maxime in fœminis. At ſi quis vmquam paſſionis huius violentæ aculeos & impetum ſenſit, Iob ſane eos ita ſenſit vt qui maxime: nam audito, ſobolem omnem & ſpem poſteritatis ruina inuolutam occubuiſſe qui omnium bonorum iacturam tam æquiſſimo tulerat animo, ad huius cladis nuntium ita conſtantiam omnem exuit, vt & virtutem & æquabilitatem omnem amiſiſſe plane videretur, hinc dolore adobrutus, *ſcidit veſtimenta ſua, & totondit capite corruit in terram*. Hos autem lugendi exceſſus Scriptura non reprehendit, quin imo excuſat, & velut rem bene geſtam hoc epiphonemate concludit, *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis*. Et ſane, cum naturalia hæc ſunt, & cũ diſcretione adhibentur, mala eſſe nequeunt.

Luc.7. Luctus viduæ Naim filium ſuũ lugentis.

Dolor Iobi in filiorum morte.

Iob 1.

Huius item farinæ eſt perturbatio, quæ è quodam mortis metu profecta humanos animos inuadit & percellit. Noui equidem paſſionem hanc adeo quidem interdum futioſam eſſe, vt ad deſperationis aut impatientiæ ſaltem extrema hominem redigere videatur; modo tamen rationis arx tuta, & animus à doloris impetu immunis ſit, quacumque demum violentia in nos hoſtis hic ingruat, nullum eſt vitium: ardores enim ſunt fumique illico euaneſcentes, venti ſunt, qui licet ſpirent & flent, nullum afflant periculum, modo tempeſtates non cient, & nullum cauſentur naufragium.

Mortis metus paſſio tolerabilis eſt.

Hoc ipſum libere de ſe fatetur rex ille ſanctiſſimus iuxta ac ſapientiſſimus Dauid, gloriaturque contra hanc ſe paſſionem decertaſſe, vtpote à qua vehementer impetebatur: *Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me; timor & tremor venerunt ſuper me*, quam porro motus hic, qui ab hac ratione oritur, laudabilis eſt! quam item honorabilis!

Pſal.54.

Quod eo aſſero liberius & audacius, quod Redemptorem meũ pridie paſſionis in horto oliuarum ab hac ipſa formidine correptum videam: & adeo quidem violente, vt Apoſtolis dicere coactus ſit, eius importunitatem & impetum confitendo, *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem* quaſi diceret: Cum mortem inſtantem, mihiq; ſubeundam ob oculos pono, eam ita perhorreſco, vt cor meum anguſtietur, contabeſcat, & parum abſit quin præ dolore & amaritudine exſpirẽ. Manifeſtius vero & verbis noſtris accommodatius Ioannes, *Nunc anima mea*, inquit, *turbata eſt*, cum mortem imminentem video & oculis obiicio. Cum ergo naturalis hæc emotio in ipſa filii Dei vnigeniti anima locum habeat, in aliis eam reprehendi aut vitio verti minime poſſe credendum eſt.

Chriſtus mortem timuit.

Matth.27.

Ioan.12.

Tertia & vltima perturbationum ſpecies, quæq; vituperari, & inter vitia connumerari meretur, eſt, quæ ob bonorum temporalium iacturam ex aliqua auaritiæ ſolicitudine, voluptatum & delitiarum priuationem ex luxuriæ ac gulæ irritamento ob diuitiarum & opum defectum è quadam vanitatis oſtentatione, & ſpiritu ſuperbiæ, animum mentemq; noſtram percellit. Huiuſmodi paſſionibus perturbationibuſq; concitati erant, quos deſcribit Pſalmographus, *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, timor apprehendit eos, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.*

Ob honorum temporaliũ iacturã angi doloreque noxium & reprehenſibile.

Pſal.106.

Quotquot autem ab interno hoc carnifice exagitantur & cruciantur, vere & violenter torquentur, nulla requie gaudent, noctu diuque aſſiduis ſuppliciis tormentiſque patent: cor enim illorum inſtar turbulenti atq; æſtuantis eſt pelagi, ventis tempeſtatibuſq; ſemper agitari ſoliti. Docuit hoc ante me Iſaias dicens, *Impius autem*, inquit, *quaſi mare, quod quiescere non poteſt*, ſed ſemper æſtuat, & procellis exagitatur.

Cor impiorum maſi ſimile.

Iſa. 57.

In huius rei figuram ac velut in speciem reprehendentis à Redemptore Marthæ illi sedulæ ac nobili Mariæ Magdalenæ sorori dictum legimus, *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Perinde ac si diceret: Non est bonum rebus se & negotiis secularibus tantum immergere, animus hominis quietus & tranquillus sit oportet, ratio semper dominetur, voluntas libertate gaudeat, libertas integra constet, & mens humana placide & leniter conquiescat. Atque is item est illorum verborum: *Non turbetur cor vestrum*, sensus

Luc. 10.

Eheu! cum iam perturbationum & motuum humanorum mentio inciderit, quam multos hodie reperire est, qui & in seipsis turbantur, & alios turbant? Tales inprimis sunt Principes sæculi & Præsules Ecclesiastici, quorum complures sine vlla discretione imperantes omnia perturbant, & ad inquietudinem regna sua & diœceses concitant. Figurate de hisce in patre suo Saule, illius edicta & statuta indiscreta sugillans, locutus est Ionathas princeps Israel: *Pater meus*, inquit, *turbauit terrã.* Indixerat namq; Saul, vt in vesperam vsq; cibo populus vniuersus abstineret, mortemq; comminatus erat ei, qui è suis, qui ad dena hominum millia pertingebant, ante relatam ex hoste victoriam quid gustasset. Edicti autem verba sunt hæc: *Adiurauit autem Saul populum, dicens, Maledictus vir, qui comederit panem vsq; ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* Ipse forsitan satur erat, suos tamen ne panem quidem gustare voluit, sed exhaustos & semianimes inimicis instare: quod eius statutum filius explodens, vniuersum eo Israelem turbari obiicit.

Plurimi Principes & Præsules & seipsos & alios turbant.

1. *Reg.* 14.

Quo eheu! Prælati suis ciborum indicunt abstinentiam, ipsi interim genium laute curant? quam multi Pastores & Superiores alios ad ieiunandum compellunt, ipsi totos perpotant, & epulantur dies? Quam multi similes illis Euangelicis qui *dicunt*, & aliis imperant, & iussa ipsi *non faciunt*, factaque verbis illorum non respondent; *alligant onera grauia & importabilia*, iussa, inquam, leges, & præcepta indiscreta, *& imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* An non hinc & in regnis & Ecclesiis omnia turbantur?

Matth. 23.

Magnus ille Apostolus, Prædicatorum Prælatus, & Prælatorum Prædicator, hanc imperandi rationem olim sugillans, & insolentem hanc œconomiam ad meliorem redigere ordinẽ volens, ad potestatem iis collatam, & ad primæ legitimæq; confirmationis authenticas litteras confugit, ac de seipso Corinthiis scribit, *Vt non præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi, in ædificationem & non in destructionem.* Hac abutuntur auctoritate Prælati indiscreti, nec Paulum imitantur, dum sublimem hanc potestatem ad religionem destruendam, pietatem enecandam, mundum vniuersum turbandum vsurpant potius, quam ad virtutes inferendas, charitatem colendam, Christianæ religionis limites dilatandos, salutem animarum procurandam, Ecclesiæ denique corpus ædificandum.

2. *Cor.* 13.

Præsules mali abutuntur data potestate.

Verus omnium perturbator, & sibi ipsi turbatus, & ad alios turbandos peridoneus fuit Achab rex, quem Elias, seipsum defensurus, & omnem malorum culpam in Regem retorquens, hoc modo est allocutus, *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis viam Domini*, & idolorum cultum amplexus es.

3. *Reg.* 18.

Secundo, rebelles & immorigeri & penes seipsos turbati sunt, & foris omnia turbant tam in sæculo quam in monasteriis. Cuius rei figuram liber Iosue suggerit: in quo vniuersus exercitus Israel, sexcentis armatorum constans millibus, iuxta censum in Numeris actum, vnius rebellis Achani inobedientia vehementer turbatus & commotus fuisse fertur, qui cum morti addictus esset, hæc inter alias mortis eius causa perhibetur, *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac* è castris nostris, & ex hac vita. Ita & hodierna die propter inobedientiam omnia turbantur & peruertuntur, tum in cœnobiis, tum in rebuspublicis Vno duntaxat inobedienti religioso, monacho immorigero, vno, inquam, aduersus superioris iussa refractario opus est ad integrum Conuentum destruendũ, cœnobium euertendum, sanctũ deniq; ordinem quemdam turbandum & commouendum.

Rebelles & inobedientes mũdum vniuersum turbant. *Ios.* 7.

Vnus Religiosus inobediẽs sufficit ad vniuersum ordinem turbandum.

Tertio,

Peccatores bellorum, malorum; & ærumnarum mundi causæ sunt.

spirantes, pacem omnem detestantur, quietem mundo eliminant, & vniuersum orbem terrarum turbis & motibus complent. Illi sunt malorum fontes rebellionum scaturigines, & omnium, quæ terris minantur & impendent; calamitatum causæ primariæ & incentiua. Hæc porro veritas in sacris fundata est litteris, in quibus legere est, *Vir peccator turbat amicos*, dissensiones creat, concordiam fugat, amicitiam dissoluit.

Eccli. 18.

Notabilis huius rei figura in Jona Propheta cernitur. Hic enim cum Deo parere detrectans, ac proinde enormis sceleris reus nauem cōscendisset, noxa delicti quam proxime imminente; ecce tibi subito pelagus concitari, ventorum misceri prælia, procellæ insurgere, fluctus intumescere, tempestates & fragores passim cieri: idque vnius ob noxam, quem Deus petit, adeo, vt parum abfuerit, quin communem omnibus vectoribus perniciem, & generale naufragium attulerit. Eas, quas Jonas mari tempestates magno sociorum, qui eadem vehebantur naui discrimine excitat, peccatores in terra causantur, summo vicinorum omnium dispendio. Iniquitatum siquidem vindex Deus, cum earum prosequitur auctores, & vindictam deposcit, sæpe etiam ij, qui eorum in contubernio agunt, eadem ruina & vindicta inuoluuntur, eadem subeunt iudicia, & parem pati sortem coguntur.

Ion. 1. Figura.

Sceleratorum contubernium noxium.

Tempestatum occasione multi iiq; illustres auctores fœdæ illius tempestatis, qua Apostolorum scapha quassata fuit, vt & opem à Redemptore supplices petierint, & à naufragio non procul abfuerint, causam inuestigantes, vnius Judæ delicto eam attribuunt, quem cum profligatissimum ac perditissimum mortalium cœlum, & elementa, terra marique nossent, totum vniuersum & mare inprimis concitarunt; vnde tantum crearunt periculum, vt Juda merso, integrum simul nauigium sanctos vehens viros in profundum absorbuissent. Videte ergo quas turbas, quæ bella, & calamitates malaque Judæ, peccatores, inquā, & impij mundo arcessant. Vnus nonnunquam sufficit ad tempestates, bella, diuisiones, schismata, conspirationes in familiis, vrbibus, prouinciis, regnis ciendas, ad orbem deniq; vniuersum perniciei & ruinæ inuoluendum.

Judas causa tempestatis qua Apostoli concussi.

Vnus impius sufficit ad vniuersum mundum perdendum.

Quarto deniq; & vltimo, maledici, murmuratores, calumniatores, detrectatores ingentes quoq; flammas excitant, magnam ruinam inducunt & perniciem, multarumq; & tempestatum, & magnarum tum in sæculo, tum in Ecclesia perturbationum causa sunt. Testatur hoc Ecclesiasticus dicens; *Multos perturbat pacem habentes bilinguis & susurro*: id est, calumniator & maledicus pacificas familias turbant & exagitant, diuortiaque inter eas proseminant. Exclamem ergo; ô scelestos perturbatores! ô perturbationes nimiopere funestas! Mirumne ergo indicere hodie Saluatorem suis: *Non turbetur cor vestrum &c.*

Detractores magnas causantur turbas.

VI. Sex sunt, quæ in homine turbari Scriptura notat.

Sex porro retum, quæ in homine turbari sæpe solent, meminisse Scripturam obseruo: Primo spiritum vel mentem. In Judith enim historia lego, Holoferne obtruncato omnes Assyriorum satrapas ac principes vestimenta lacerasse, & horribili quodam pauore ac metu perturbatos fuisse: *Et turbati sunt animi eorum valde.* Secundo animam, vnde in Psalmo 6. leges, *Anima mea turbata est valde.* Tertio oculos, idem namque Propheta eodem habet loco, *Turbatus est à furore oculus meus.* ita me, inquit, ita aliorsum abripuit, & succendit vt & ad oculos hæcce perturbatio ascenderit. Quarto cor, vnde idem Psalmographus, *In me turbatum est cor meum.* Quinto sensus: hinc Jeremias, *Sensus corporis mei turbati sunt.* Sexto denique ossa; Rursus idem qui supra Vates, *Quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*, & ex confusione quadam corporis loco mota.

Judith. 14. Psal. 6. Ibid. Ierem. 4. Psal. 6. Psal 142.

Nouum sane, tamen verissimum, ex omnibus hisce in homine perturbationi obnoxiis & consternationi, de solius cordis perturbatione commotioneq; Dominum laborare, vtpote, quod sollicite custodiri vult & iubet, dum ait, *Non turbetur cor vestrum*; quasi diceret, Tametsi sensus, oculi, ossa, mens, & vniuersa anima turbētur, cor saltem à perturbatione immune conseruetur & immobile permaneat, quod ipsum rationis sit thronus, consensus tribunal, decretorum curia, vitæ deniq; principium.

Cordis custodiam imprimis commendat Deus.

Rursus nouum plane est & admirabile, cum terra interdum turbetur, vt lib. 1. Reg. *Pater meus turbauit terram.* Cœlum quoque apud Esaiam, *Super hoc cœlum turbabo.* Mare item apud Psaltem, *Qui conturbas profundum maris.* Montium etiam fundamenta apud eumdem Psaltem, *Fundamenta montium conturbata sunt.* Apud Ezechielem insulæ marinæ, *Turbabuntur insulæ in mari.* quinetiam abyssi: *Timuerunt & turbatæ sunt abyssi.* Nouum, inquam, omnia hæc scilicet turbari & commoueri, solum cor immobile perstare & perturbationis expers esse Deum velle, *Non turbetur cor vestrum, &c.* quasi diceret, cætera omnia agitationibus & motibus exposita sint, omnia turbentur, confundanturq;, cœlum, terra, elementa, & omnia totius vniuersi membra; si cor modo humanum impauidum & adamante durius persistat, nec perturbationibus succũbat, satis hoc mihi fuerit, nec plura desidero. Eius erant animi, qui dicebant, *Non timebimus dum turbabitur terra*; id est, etsi fractus illaberetur orbis, etsi omnis vniuersi machina dissolueretur, numquam tamen mihi deerit animus, numquam me formido corripiet.

1. *Reg.* 14. *Esai.* 15. *Psal.* 64. *Psal.* 17. *Ezech.* 26. *Psal.* 76. *Psal.* 45.

Confidentiæ huius rationem dans Dauid, & hac ipsa gloriatus ait, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* & solus portio mea hæreditaria. perinde ac si diceret; si cor meum tranquillum & securum est, si perturbationes nullas & insultus metuet, si passionibus non succumbat, & iis, vt rupes cœli matisq; minas ridens haud consternetur; nõ est, quod mireris; Deus namq; meus est propugnaculũ, magnus ille Deus tota mea spes est & fiducia. Fauet huic interpretationi versio Hebraica: vbi namq; vulgata legit: *Deus cordis mei*, Hebræa præfert, *Deus petra cordis mei, & rupes.* *Psal.* 76.

Cor ad salutem hominũ maxime refert.

Nec reuera mirum est, Deum boni nostri tantopere studiosum, de corde nostro semper sollicitum & anxium esse, eiusque nobis custodiam tam sedulo commendare. Cor etenim humanum, etsi vel intellectum, vel voluntatem, vel solas cogitationes denotet, ad salutem hominum permagni refert, & permultum facit. Quod agnoscens Salomon ita quemq; nostrum in Prouerbiis alloquitur, *Omni custodia serua cor tuum.* omnigena, inquam, conseruatione & præsidio; noctu & interdiu; intus ac foris; per virtutes & bona opera; per opera, verba, cogitationes; per fidem, spem, charitatem; per vigilias & excubias: Aduigila ne à tentationibus corripiatur, per suggestiones decipiatur, & perturbationibus obruatur: ne, inquam, *turbetur cor vestrum.* Hæc vniuersa Euangelij medulla est, quo relicto ad duorum Apostolorum nostrorum, quorum hodie festiuitas recolitur, præconia conuertamur. *Prou.* 4.

VII. S. Philippus & Jacobus collati cum duabus Synagogæ tubis.

Cum ergo duos hos illustres Ecclesiæ Principes, ac fidèles filij Dei discipulos, Philippum & Jacobum contemplor; duas illas tubas argẽteas malleatione productas, quas in castris dissoluendis Hebræi clangebant, videre mihi videor. Quis enim neget, duos hosce viros, ob prædicationis suæ clangorem & sonitum velut duas Euangelicas in Ecclesiæ castris fuisse tubas; sed tubas argenteas, id est, viros virtutibus ornatos, & in incude patientiæ, & tribulationum, persecutionum, & aduersitatum malleo in mundi huius fabrica formatos? *Num.* 10.

3. *Reg.* 7. Sunt columnæ Ecclesiæ.

Videre rursus mihi in Ecclesiæ nostræ pauimento videor, quod olim in templo Salomonico conspiciebatur, duas scilicet columnas æreas, quibus Salomonis porticus nitebatur. Duo namq; hi Pastores, tum ob auctoritatem & potestatem acceptam, tum vero ob doctrinam, quam docuere & per orbem disseminarunt, vere Ecclesiæ nostræ bases & columnæ fuere.

Nec errauero à scopo, aut præter decorum fuerit, si rursus eosdem duobus sponsæ vberibus, quæ in se in Canticis amans ipsa dilaudat, dicens: *Vbera mea quasi turris*, pares esse dixero. Hi namque Apostoli duo videtur ob immensam charitatem, benignitatem & doctrinæ abundantiam, velut vbera, & instar patrum nutritiorum mammas virtute & scientia turgidas gestasse, quibus omnes terræ populos, & Ecclesiæ filios lactauerunt. In illis siquidem illud Isaiæ oraculum completum fuit, *Ad vbera portabimini.* ô gentes, Euangelicæ doctrinæ lacte nutriemini, ac veluti alumni ad vbera hærentes, à Doctoribus & Patribus vestris gestabimini. *Cant.* 4. 3. Apostoli fuere vbera Ecclesiæ. *Esai.* 66.

Quod

Quod autem vbera sua turri sponsa assimilarit, designare nimirum voluit, Apostolos hosce quoad fidei animique soliditatem & constantiam turrium & columnarum marmorearum super bases argenteas fundatarum instar fuisse: vere, inquam argenteas, virtutibus scilicet, scientia, & donis Spiritus S. Deniq; immutabilia, & immobilia Ecclesiæ fundamenta fuisse.

Cant. 5.

Figurarunt & eosdem olim nubes illæ loquentes, nubes illæ admirabiles, de quibus Psalmista loquens ait, *Vocem dederunt nubes:* quod ad litteram de nubibus in aerea regione suspensis nequit intelligi, vtpote quibus nec ratio, nec lingua sit; sed mystice de Apostolis, qui verarum ritu nubium per omnes orbis angulos prædicationis suæ vocem intenderunt. Hinc & designati sunt per nubes illas volantes, quas eminus conspexit Isaias dicens: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant*, eunt & redeunt discurrentes?

Psal. 6.

Apostoli dicti nubes volantes & loquentes.

Esai. 60.

Communiter hoc à Patribus Apostolis accommodatur; & ipse generali huic de omnibus expositioni nixus; de duobus hisce discipulis singillatim interpretor, qui veræ extitere nubes: Primo quidem, quod sublimes ad contemplanda cœlestia euolarunt, & à terrenis liberi, in aera cœlesti quadam conuersatione suspensi sunt. Hinc sanctus Philippus mysteria sublimia indagaturus, magna cum admiratione Domino alias ait, *Domine ostende nobis Patrem.* Videtis, quam sublime se extulerit? quãtum se à terra subduxerit? quam intime intra aera se abdiderit? nihil in terra videre amplius, nihil in seipso amplius agnoscere, nihil amplius in mundo concupiscere, nihil spectare, velle, desiderare, præter vnicũ Dei conspectum, an non est esse similem ei, qui eodem æstuans zelo, magna animi generositate aiebat, *Nostra conuersatio in cœlis est?* perinde ac si diceret: Etsi viuamus in corpore, & in mundo conuersemur, animo tamen affectuque instar Angelorum habitamus in cœlestibus.

S. Philipus & Iacobus nubibus collati.

Philip. 3.

Secundo nubibus Apostoli hi assimilantur, quod sicut nubes duplicem habent motum, & quidem duplici à principio ortum, vnum quidem ratione solis, qui eas è terræ abysso elicitas in altum librat & euehit, iuxta id Psalmographi, *Educens nubes ab extremo terræ:* alium vero à ventis, à quibus dispelluntur & reuocantur: & quocumque demum impellantur, ad dextram vel sinistram, ad ortum vel occasum, prout ventis & turbinibus agitare eas allubuerit, sequantur & obtemperent necesse est: ita & Apostoli hi duplicem experti sint motum: Primum quidem, quod è terræ limo, mortalium fece, mundanorum conditione, per solem illam iustitiæ ducti, ad summum honoris fastigium, ad animarum regimen, ad gentium conuersionem. & vsque ad Ecclesiæ imperium, atque inde ad regnum cœleste euecti sint, iuxta id Psaltis, *Qui operit cœlum nubibus.* At secundum multo etiam melius: nam Apostoli motu quodam illis proprio & naturali moti non fuere: nec ferebantur, quo volebant & animus propendebat, sed quo magnus ille ventorum Rex, sanctus inquam Spiritus, eos quo allubebat impellebat, dirigebat, inspirabat, & mouebat. Quod olim designauit in Cantico suo Moyses dicens: *Magnificentia eius discurrunt nubes.* Hinc singuli dicere de se Apostoli non immerito potuere, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Præsignarunt id ipsum & rotæ Ezechielis, de quibus dictum est, *Vbi erat impetus, illuc gradiebantur & rotæ.* Et sane Apostoli velut rotæ quædam agiles triumphalem Ecclesiæ currum prouehentes, per vniuersum discurrerunt orbem, per terram inquam & mare, quo Spiritus S. eos impetus propulit; & magni huius aurigæ ductorisque motus, propulsationem, & iussa vbique & in omnibus secuti sunt.

Nubes duplicem habent motũ.

Psal. 134.

Duo motuum genera Apostolis data.

Psal. 146.

Deut. 33.

Psal. 142.

Ezech. 1.

Tertio, nubes aqua & rore turgidæ sunt, atque instar lagenarum aut potius penus ad totius naturæ directionem & œconomiam, cum à sole dissolutæ ac quodammodo perforatæ sunt, sitientibus potum subministrant, terrestria recreant & reficiunt; & vniuersam terræ superficiem irrorant, iuxta illam Sapientis sententiam, *Si repletæ fuerint nubes, imbrem effundent super terram.* Hanc ob causam Aopstolos omnes veræ fuere nubes, ac præsertim hi duo, nubes, inquam, cœlestes, gratia & benedictione turgentes, quæ magnæ cuiusdam charitatis, & in bona

Nubes sunt naturæ cellariæ.

Eccli. 11.

piaque

piaque opera effusæ ardore dissolutæ, per doctrinæ & prædicationis rorem & assiduam bonorum exemplorum pluuiam, vniuersum irrigarunt mundum, fructumque ferre coegerunt, vt merito iis dici illud Prouerbiorum queat, *Sapientia illius eruperunt abyssi; & nubes rore concrescunt, &c.*

Prou. 3.

S. Iuda ep.

Non erant porro nubes, quales ille, de quibus in epistola sua scribit Judas, *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*; quibus Prælati ac pastores denotantur, in Ecclesia quidem nubium instar eleuati, sed humoris omnis expertes ac steriles, quique non nisi ventos procreant, & tempestates cient, in quibus scilicet nullus elucet pietatis sensus, qui præter fastum vanitatemque suis in moribus nihil præferunt, & ad congregationes omnes perturbandas, & tempestates in Ecclesiam immittendas solum prosunt. Huiuscemodi nubibus comminatur Isaias dicens: *Mandabo nubibus ne pluant super terram.* Insignem scilicet hoc Dei iram & indignationem redolet, quando Antistites omnis scientiæ & virtutis experres, qui sunt velut *nubes sine aqua*, ad Ecclesiæ regimen assumuntur.

Mali Prælati nubibus aridis comparati.

Esai. 5.

Quarto certissimum est, nubes ad totius vniuersi conseruationem conferre, terramque frequenti pluuia & influxu, quem sine vlla exceptione & discrimine vndequaque, diuersimode tamen in diuersis mundi partibus immittunt, fœcundare & vberem reddere. Apostolis hoc mirifice quadrat, qui nubium ad instar orbem vniuersum in virtutibus, pietate, bonisque operibus feracem, suauibus illustrium prædicationum suarum imbribus reddidere; quos imbres sine vllo locorum personarumque discrimine, vbique, omni in lingua, omni hominum genere, perque omnes mundi plagas effuderunt. testatur id Psalmographus, dum ait: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, &c.* Idque magna succedentium ac Præsulum, qui hodie ad Ecclesiarum gubernacula sedent, confusione & infamia: qui inter se diuersi sunt, & diuersimode varioque modo irrigant, benefaciendo, gratiasque suas ac beneficia conferendo.

Nubes terram fœcundant.

Apostoli orbem piis operibus fœcundarunt.

Psal. 18.

Aliqui enim illorum fluuium & amnium, nonnisi agros proximos humectantium in morem irrigant, quod nonnisi ad se spectantibus, & necessitudine sibi coniunctis, vti famulis, amicis, aliisque notis & familiaribus, quos extollere mirifice gestiunt, benefaciant & munificos se præbeant. Vnde verissime dixisse Prophetam ostendunt, *Pascit vnusquisque eos, qui sub manu sua sunt.*

Prælati alii qui erga amicos & consanguineos dumtaxat effusi.

Ierem. 6.

Alij vero puteis & cisternis persimiles sunt: vt enim hæc aquarum receptacula, putei inquam, nonnisi seipsos irrigant: aqua enim foras ad alia loca humectanda non prorumpit; & si quando aqua inde petenda, magna cum difficultate & labore id fiat necesse. Ita & permulti Prælati, honore, commodis, diuitiisque pleni, nihil foras efferunt, neminem illarum participem reddunt, domi manent omnia, sibi solis asseruant, & in proprios vsus aqua omnis in puteo remanet, reditus omnes aut in culinam absumuntur, aut in arca thesaurisque asseruantur; & si quam forte interdum eleemosynam faciant, quam ægerrime eadem exprimitur; imitantes hoc pacto, quod in Prouerbiis scribitur, *Habeto diuitias & scientiæ solus, nec sint alieni participes tui.*

Prælati nonnulli similes puteis & cisternis.

Prou. 5.

Sunt tertio alij mari similes: quo enim suos elementum hoc noctes & dies modo vapores & humores in altum versus nubes exhalat, quæ nulla indigent irrigatione: eodem etiam plurimi hodie Antistites Ecclesiastici humores suos, id est, beneficia emitunt, conferunt, opes impendunt, liberalitatemque exercent erga opulentos, Præsides, Magnates & Principes seculi iisdem minime indigentes: in egentes vero & inopes humoris omnis expertes ne obolum effundunt, cum tamen in Euangelio secus Saluator docuerit dicens: *Cum facis conuiuium, noli vocare diuites, &c.*

Luc. 14.

VIII. Boni Prælati nubibus similes.

Occurrunt denique & alij, qui veras imitando nubes sine vlla personarum acceptione aquam suam passim effundunt, omnemq; terram & Ecclesiæ fruticem æqualiter irrigat: quos ad vnum fons ille repræsentat, qui *ascendebat de terra, & irrigabat vniuersam superficiem terræ.* Ipsi namque à terra sublati, & interdum obscuris orti natalibus, ad ampliſſimas iam dignitates sublimati, & ad animarum

Gen. 2.

marũ regimen delecti, velut limpidi quidam fontes scientia & doctrina vniuersam regionem irrigant, omnemque Ecclesiæ agrum fœcundum feracemque reddunt. Hoc, qui modo vitam Prælati instituunt, suosque humectant, illud Prouerbiorũ executioni mandant: *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*, id est, vt moraliter interpreter, Tu, qui cæteris in Ecclesia præes, quique in ea dignitate es aut saltem esse debes scientiæ virtutis, opum & diuitiarum fons, hasce aquas tuas foras deriua, gratias & commoditates aliis communica, & potissimum externis, & in plateis illas diuide, id est, omnibus de eisdem elargire, nulla sanguinis, naturæ, amicitiæ, personarumque habita ratione, sed nubes nostras rursus repetamus. *Prou. 5.* Bonorum Prælatorũ descriptio.

Quinto, nubes tonitrua & fulgura procreant. Ita & sancti Apostoli, miraculis, prodigiis & bonis exemplis vniuerso orbi illuxerunt: vnde de illis accipiam illud Psalmistæ, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra.* nam ad illustrium, quæ Apostoli patrarunt, miraculorum coruscationem & splendorem, vniuersus terrarum orbis præ stupore & admiratione contremuit. Suis etiam prædicationibus intonuere, & quidem tanto fragore & impetu, vt per omnia mundi climata, ab Arctico polo ad vsq; Antarcticum sonus prædicationis illorum fuerit exauditus. Præ dictum hoc à Psalmographo, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Verum cæteros inter sanctos Phillippus & Jacobus maxime tonuerunt. Nubes tonitruum & fulminum origo. *Psal. 76.* *Psal. 18.*

Sancti Philippi quidem vitam, virtutem pietatem, doctrinam, patientiam magno quodam fragore per regna barbara, & prouincias exoticas intonuisse certissimum est. Natale solum ei fuit Bethsaida Galilææ oppidulum, quod & duos alios illustres Apostolos & fratres dedit, sanctos Andream, inquam, & Petrum beatũ, inquam, tam inclytorum virorum natiuitate oppidulum. Et sane dum nominis illius arcana & etymologiam penitius indago, nescio quam beatitudinem ac felicitatem noto: nam idiomate Hebræo Bethsaida tantundem sonat, quod domus venantium, aut venationis, quo designatum est, Deum hoc è loco producturum viros, qui animas venarentur, de quibus iam olim Isaias præsago prædixerat spiritu, *Mittam eis venatores multos, & venabuntur eos* per montes & valles, & nullo non loco. *Ierem. 16.*

Occurrit hic inprimis, Apostolum hunc Christo familiarem admodum fuisse: vnde ea familiaritate nixus petere ab eo ausus est, *Domine ostende nobis Patrem.* Magna quidem sancti Joannis cum Dei filio fuit familiaritas, ob quam in Euangelio passim hoc vocatur nomine, *Discipulus quem diligebat Iesus.* *Ioan. 13.* In cuius familiaritatis signum miratur Scriptura, cur cæteros inter Apostolos solus ipse pridie passionis rogare Dominum ausus sit, *Domine quis est, qui te traditurus est?* At maior mihi sancti Philippi fuisse familiaritas videtur; cum quam proposuit quæstio maior fuerit, & dignior. An non enim familiaritatem quamdam intimam & priuatam redolebat, secreta eius, & mysteria diuina nosse, ac diuinitatis adyta penetrare velle, qualia haud dubie sunt Patrem æternum primam SS. Trinitatis personam, omnis diuinitatis originem ac fontem, & rerum cunctarum conditorem cognoscere. S. Philippus Redẽptori familiaris.

Erat adhæc Philippus vir prudens, rerum peritus, & insigni prudentia præditus, & quidem tanta, vt Dei filius illustre hoc multiplicationis panum in deserto facturus miraculum, prius Philippum consuluerit rei illi difficultate proposita, & quid hac in re facto opus foret percunctatus, *Philippe, vnde emimus panes, vt manducent hi?* Valuisse quidem prudentia & ingenio inter reliquos discipulos hinc colligas, cum æterna Dei Patris sapientia illum potissimum consulat, & cum is, in quo omne consilium habitat, & sapientissimis quibusque id suggerit, ab hoc Apostolo in re tam ancipiti consilium exposcat. Christus Philippum consulit. *Ioan. 6.*

Hanc eius sapientiam, prudentiam, & probe consulendi peritiam cum perspectam haberent Gentiles & peregrini, eiusque merito ac virtute cognita, eum præ reliquis suum apud Christum patronum ac causidicum esse voluerunt, hunc scilicet primo, adierunt, huic petenda, & quod Christi videndi habebant desiderium, manifestarunt. Testatur S. Philippus Gentium & alienigenarum patronus.

Ioan.12. statur id Joannes, dicens: *Venerunt Gentiles ad Philippum dicentes, Domine, volumus Iesum videre.*

S. Philippus pietatem colebat.

Accedit quod nonnisi pietatem & deuotionem spectabat Philippus; animus enim eius totus erat in Deum deflxus, & cogitationibus extra mundũ ferebatur. In Apostolis quidem omnigenæ fuere conditiones & indolos, quod illorum postulata & petitiones satis manifestant. alij quidem honores & dignitates temporales postulant, vti filij illi Zebedei apud D. Matthæum: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram.* Alij vero futurorum cognitionem & notitiam: *Dic nobis, quando hæc erunt.* alij de inimicis vindictam, *Vis dicimus, vt descendat ignis de cœlo, & consumat illos.* alij denique mercedem & præmia operum suorum, vt qui apud sanctum Matthæum dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis.*

Variæ Apostolorũ petitiones *Matth.20.*

Matth.24. Luc.9.

Matth.5.

At sanctus Philippus ab omni ambitione, vanitate, & eorum, quæ ad mundi regimen spectant, curiositate alienus, & animo in cœlestia dumtaxat sublatus, vnicã Dei visionem, & Patris æterni cognitionem postulat, vtpote in quo omnis nostra fælicitas & beatitudo consistat. *Domine ostende nobis Patrem.*

Deniq; post infinitos labores & discrimina pro Euangelij prædicatione, Jesu Christi gloria, religionis stabilimento, pro fidei defensione & animarum denique salute exhausta, & exantlata, illustri martyrij corona non sine gloria vitam finiuit. Affixus ergo fuit cruci Hierapoli Phrygiæ metropoli, idque ad exemplum eius quem diligebat, & à quo vicissim vnice diligebatur, quo crucis supplicio nullum tunc quidem apud Ethnicos erat immanius, ac sensus magis crucians, simul & ignominiosius ac maius probrum inuoluens.

S. Philippus in Phrygia crucifixus.

Superstitiosa Gentilium de cruce opinio.

Audire quid nouum & inauditum. Adeo quidem crux & crucis supplicium Gentibus exosum, & abominabile erat, vt superstitiose domum illam plane lustratam, & ab omni sinistro omine & aduersitate immunem fore crederent, in qua vespertilio, aut aliud huiusmodi fœdum animal esset crucifixum. Quin & longius progressi, vrbes integras & respublicas tum prorsus expiari sibi persuadebant, si quando sceleratos aliquos, aut quos flagitiosos credebant, crucivelut piaculares hostias affigerent. *Bapt.Pius c.35.*

Hinc & Judæi mortis genere turpissimo & probrosissimo omnium Redemptorem tollere conati, iuxta illud maiorum olim votum, *Morte turpissima condemnemus eum* ipsum crucis supplicium illi pararunt, vti & Philippo nostro Phryges. *Sap.2.*

In cuius virtutibus, perfectionibus, meritis, laudibus producendis non ero prodoctior, vt sancti Jacobi præconiis suus etiam sit locus, Jacobi, inquam, Minoris, ita quidem vocati, non quod cæteris minus Redemptori charus exstiterit, aut minoris aliis sanctitatis, aut prudentiæ, sed dumtaxat, aut quod inter postremos à Christo ad Apostolicum munus vocatus sit, aut quod alius in Christi consilium eum sancto Petro & sancto Joanne admitteretur, non vero ipse, aut forte, quod inter Apostolos minimus foret, & humillimus.

Cur Jacobus dictus sit Minor.

Sanctus hic Apostolus, si quidem D. Hieronymo, & Hegesippo credimus, ea apud Deum auctoritate valuit, vt in vtero matris fuerit sanctificatus, & prius quam lucem aut solem intueretur, cœlos sibi viderit reseratos, & gratiam cœlitus conferri. Hanc ille sanctimoniam toto vitæ cursus tempore, & tanta quidem apud cunctos auctoritate, vt, teste Hieronymo, omnes vndequaque ad eum cognoscendum videndumque confluerent, & zelo & pietate acti, sæpe ad fimbrias vestimenti eius, è reuerentia & sanctitatis existimatione, per confertam hominum qua cingebatur tubam exosculandos proserperent.

Honorem hunc & reuerentiam causabatur vita, quam ducebat sanctitas & austeritas; numquam enim vinum bibit, numquam carnem gustauit, comam non totondit, numquam oleo balneove vsus est, vili-

Vitæ S. Jacobi austeritas.

vili vtens veste, assidue laborans, semper orationi deditus, pietate ardens, rigori pœnitentiæque semper intentus. Hæc pleraque è sancto Hieronymo deprompsi: *Vinum*, inquit, *& siceram non bibit, carnem numquam comedit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo non est vnctus, balneo non est vsus, &c.*

S. Jacobus Christum Dominum vultu retulit.

Inter cætera vero, ob quem beatum prædicamus Jacobum, non postremum fuit, quod Christo Jesu similis fuerit. Et sane vultus, lineamēta, agēdi mores, gestus, & quidquid humanum erat, adeo Christum Dominum referebant, vt vix internoscerentur, & inter se confunderentur; hinc vulgo *frater Domini* est nuncupatus, ita namque eum ad Galatas scribens vocauit Paulus, *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* vt non immerito propterea in eum quadret illud Poëtæ: *Os humerosq; Deo simile.*

Galat. 1.

Cur Judas Jesum sit osculatus.

Adeo quidem illi similis erat, vt vna hæc inter alias causa fuerit (vt quidem plurimi Patrum sentiunt) cur perfidus & perditus Judas, Dominum proditurus, Judæis osculi eum signo internoscendum dixerit, ne forte in Jacobum, facie ac vultu ei persimilem manus iniicerent; quos inter se sceleatus ipse proditor solus dignoscebat, vt, qui vtrumq; probenorat, cum ambo Redemptoris pariter in contubernio egissent.

Opinio Eusebij S. Jacobum fuisse Josephi filium.

Nonnulli huius similitudinis rationem indagantes curiosius, inde quod frater Domini appellatus sit Jacobus, nouas procuderunt opiniones, & in exoticas inauditasque abierunt sententias. Eusebius inter primos Josephi eum filium credidit, & Christo Domino natu etiam maiorem, atq; idcirco fratrem eius esse nominatum. Verum hanc opinionem confutat S. Hieronymus, simul aliam quandam Heluidij hæretici sententiam iugulans.

Aliter quidem alij senserunt, & ideo fratrem nominari, quod è paterno materno que genere Christum cognatione proxime attingeret: quod nimirum Cleophas eius pater, Josephi, qui vulgo, vt Christi Domini pater habebatur, frater esset; ipsa insuper Deipara, iuxta Euangelium, matris eius soror.

Verum securior, veroque proximior opinio est, dicentium, eum fratris Domini vocatum esse nomine ob duas rationes præcipue; prima, quæque verior, ob sympathiam humorum, morum & agendi rationum similitudinem, physiognomiæ, lineamentorum, & vultus correspondentiam; altera vero, quæ longius petitur, ob sanctitatis eius eminentiam, vti enim Dei filium vultus lineamentis referebat, ita & pietate, deuotione, vitæque sanctitate illi creditus est similis fuisse. Hanc ob causam frater eius est appellatus.

Veræ rationes, cur S. Jacobus frater Domini sit appellatus.

Hanc aliasque ob rationes miræ erga eum beneuolentiæ signa Redemptor exhibuit; vt vero nota communiaque aliis taceam, vnum hoc afferam, quod omnium maximum fuisse credo. Quod scilicet à resurrectione soli illi in singularis amicitiæ signum glorioſus & triumphans apparuerit. testatur id Paulus hoc modo Corinthiis scribens, *Visus est Cephæ, & post vndecim; deinde visus est Iacobo.*

Dominus post resurrectionem Jacobo singillatim apparuit.

1. Cor. 15.

Tantæ porro apud reliquos Apostolos auctoritatis erat, itaque eum susciebant vniuersi, vt communi sit suffragio in Hierosolymorum, Christianorum, & Apostolorum Episcobus delectum, & primo Eccle siæ Concilio præsederit. Cur autem eum potissimum Episcopum constitutum ordinatumq; putaris, Auditores, etiam ante Petrum, qui primus & caput omnium erat, & cum tunc temporis vniuersa Ecclesia vrbis illius dumtaxat mœnibus concluderetur, aut saltem extra Judæam non extenderetur, iuxta id Prophetæ vaticinium, *Notus in Iudea Deus.* Tum vero hoc præter vulgarem mundi consuetudinem fecisse videtur Christus, vbi in beneficiis Ecclesiasticis consanguineis consanguinei succedunt. Rationes, cur hoc ita factum sit, eximiæ sunt; quarum hæc prima sit.

S. Jacobus electus Episcopus Hierosolymorum.

Psal. 75.

Ob insignem scilicet & illustrem vitæ eius sanctimoniam, tum vero, quod Christo inter cæteros simillimus esset, ac proinde

Vitæ S. Jacobi austeritas.

Episcopum cæteris dignior, vt ei in Ecclesiæ regimine succederet, iudicatus, vt in Jacobo verum id esse confirmetur, quod de alio quodam scriptum legitur, *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus: simile m enim reliquit post se.* *Eccles. 5.*

electus.

2. Secunda, quam & Diuus Bernardus præfert, hæc est. In Deuteronomio iussit Deus, vt fratre sine liberis & progenie decedente, frater sanguine proximus defuncti semen, eius vxorem ducendo suscitaret. Atqui sanctus Jacobus singillatim, & insigni cum prærogatiua *frater Domini* vocabatur; hinc merito & ex iure æquitatis, sponsæ ipsius, id est, Ecclesiæ illius singularis & primitiuæ, Hierosolymitanæ scilicet, quæ deinde vniuersalis facta est, curam, & administrationem suscipere debuit, vt fratre sine liberis defuncto, Jesu Christo inquam, qui paucos admodum conuerterat, iuxta legis normam, stirpem propagaret: quoniam vero lex volebat filios nascituros non patris, à quo generabantur, sed eius, cui & ob quem excitabantur, nomine vocari, & de familia censeri; ita & omnes, quos spiritualiter S. Jacobus peperit, ad Euangelium eos conuertens, non ex eius nomine Jacobitæ, sed Christiani, vtpote ex Christi, cui & ob quem generati erant, & in Ecclesiam admissi, nomine vocati sunt. *Lib. de conf.*

Sublimis Philosophia, & illustre documentum hoc Prælatis & prædicatoribus esto, nihil vt sibi in animarum conuersione, doctrinæ fama, mirabili prædicationis & miraculorum opere ascribant, sed laudem & gloriam omnem Jesu Christo, qui summus est magister, & cuius illi nonnisi vicarij, legati, & commissarij sunt, attribuant, ad imitationem eius, qui tanta cum humilitate dicebat, *Non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Huius rei figura in historia Regum legitur. Joab namque summus copiarum Dauidis præfectus: cum vrbem Ammonitarum Rabbath tam arcta obsidione cinxisset, vt eam iamiam esset occupaturus; antequam tamen extrema tentaret, ilico ad Regem nuncios misit, dicens, *Dimicaui aduersus Rabbath*, rogans ipse, vt coram adesse ne grauaretur, quo omnis illi victoria ascriberetur, & deuictæ vrbis gloria regi hoc pacto cederet, non vero Joabo militi dumtaxat & clienti regio: *Obside*, inquit, *ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria.* Ita Prælati & Prædicatores quoties aliquam de inimicis suis in bellis spiritualibus retulere victoriam, nõ sibi honorem attribuere, sed omnia ad Regis regum gloriam debent referre, cuius nonnisi famuli, & inutiles serui sunt, secundum illam Euangelij sententiam: *Dicite, serui inutiles sumus.* Sed ad rationes nostras redeamus. *2. Reg. 12.* Allegoria insignis. *Luc. 7.*

Tertia ergo fuit, vt hinc constaret, Ecclesiam Jerosolymis stabilem minime futuram; hinc, quoniam perpetua ea futura non erat, S. Petrus eius Antistes & Præfectus non est constitutus, vtpote, qui æternæ Ecclesiæ reseruabatur, sed S. Jacobus duntaxat, qui Domini erat cõsanguineus. Quoniam vero Judæorum Pontificatus de patre in filium, de cognato in cognatum, continua serie succedebat, vtpote consanguinitati & familiæ annexus; hinc Christus aliquatenus huic se mori accommodans, & vnum vtcumq; alteri connectens, suum post se cognatum in eam Ecclesiam voluit succedere, cum probe sciret, eam ita carni & sanguini, id est, consanguinitati & proximitati carnali naturalique innixam, perpetuam nequaquam fore, sed eam in spiritualem potius omnino commutandam. 3. S. Petrus electus ad Pontificatum æternum.

Quarta, vt figura veritati respondeat. Occurrunt siquidem in Genesi tempore legis naturæ gemini Rebeccæ filij moribus ambo & indole discrepantes, & ad diuersa nati, eriam inde ab vtero matris alter alteri inimicus & aduersarius. Notandum porro in duobus hisce fratribus venit, à Iacobo iuniore Esau seniorem supplantatum esse, & primogenitorum iure excidisse. Rebeccam si quis bene cõsideret, veram Synagogæ imaginem eam fuisse fateatur necesse est, quæ bonos simul & improbos continebat, qui proinde assidua in contentione & bello agebant, sed minor maiorem supplantauit, cum Jacob paruus aut Jacobus minor, maiori natu, id est, S. Petro, prælatus est.

Jaco-

Galat. 2. S. Iacobus dictus columna Ecclesiæ.

Iacobus itaque, etsi minor nomine, magnus fuit dignitate & prælatura. Hinc eum Paulus in epistola ad Galatas vnum è columnis Ecclesiæ nuncupat *Cum cognouissent, inquit, gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* Iacobum porro primum inter tres præcipuos nominat, idque non sine ratione; fuit enim inter omnes Apostolos magnus & illustris doctor, generosus protector, ac veluti immobilis ad Sacramentorum, & primariorum fidei articulorum & mysteriorum defensionem columna.

S. Iacobus illustris doctor & Sacramentorum Ecclesiæ protector.

S Iacobus primus Missam celebrauit.

Primo namque sacrificium Missæ propugnauit, ipsum primo publice celebrando, & illustribus cæremoniis exornando, quas deinde S. Basilius & Chrysostomus suis in liturgiis adhibuerunt, inque Ecclesiam Græcam deinde transtulerunt. Acerrime deinde & honorifice Sacramentum Pœnitentiæ hæreticis adeo exosum, auricularem inquam confessionem, propugnauit, tam apertis eam verbis adstruens: *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

S. Iacobus docuit Extremam vnctionem.

Iacob. 5.

Ad hæc Sacramentum Extremæ vnctionis, quod ægrorum auxilium, solatium, recreationemque spectat, asseruit, verbis quidem adeo euidentibus, nullus vt Euangelista clarioribus de eo sit locutus aut scripserit, at solus ipse eius vsum & praxin docuerit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Clarioribus id sane verbis exprimi nequibat. Rursus, quam sincere, aperte, quin imo Catholice de bonis operibus ac fide disseruit? an non docuit & sua velut manu signauit, sine bonis operibus fidem mortuam esse?

Vidistis igitur & audistis, Auditores, vitam, gesta, virtutes, & merita horum Apostolorum. Audistis illorum præconia, non quidem quæ illorum promerebatur magnitudo & dignitas, sed quæ nostra depromere potuit tenuitas. Audistis elogia, exaltationes & panegyricum duorum horum illustrium virorum. Restat ergo, & nostrum est, idque Christiani nominis gloria exigit, vitam & sanctitatem ipsorum quam proxime imitari, quorum virtutes & mirabilia tam æquis auribus audiuimus. Ponamus hinc igitur ob oculos sanctam illam S. Philippi intentionem, diuinos affectus, atque illustria & heroica desideria, vtpote qui præter visionem Dei & Patris cœlestis cognitionem aliud nõ optauit, quęsiuit, aut postulauit, vt ipsum imitemur. illinc vero S Iacobi pietatem, orationes & assiduam in orando perseuerantiã; ipse namque adeo orationi deditus erat, vt assidua genuflexione callos poplites obduxissent, adeo quidem duros, vt camelinam duritie pellem æquarent: quod sane nisi testium omni exceptione maiorum testimonio constaret, fidem superaturum videbatur.

S. Iacobi genua assidue orando callum obduxerant.

Ad vos ergo, glorioſi Apostoli, totius vniuersi principes, terræ lumina, Ecclesiæ columnæ, religionis bases, doctores fidei, mysteriorum dispensatores, conscientiarum directores, scripturarum interpretes, Christi Domini domestici, animarum curatores, & fidelium ductores, supplices dextras tẽdimus, ad vos corda sustollimus, à vobis auxilium speramus, ad vos vota precesque dirigimus, vos inquam, sancti Apostoli, qui in mundi conuersione, Euangelii prædicatione, crucis exaltatione, & Iesu Christi gloria tam strenue & generose laborastis: qui tyrannos perterruistis, idola euertistis, Philosophos obmutescere compulistis, persecutoribus insultastis, de suppliciis triumphastis. Vos in patres spirituales agnoscimus, vos vt magistros reueremur, velut intercessores & patronos inuocamus, velut iudices nostros singillatim, & totius orbis generatim futuros, honore prosequimur. Beatissime Iacobe, tuque beatissime Philippe, nobis adeste, nostras partes suscipite, & facite, vestro vt auxilio gratiam, ac peccatorum veniam impetrare, post hanc vero vitam gloriam æternam consequi mereamur. Ad quam nos Pater & Filius, & Spiritus S. perducere dignentur,

Apostolorum epitheta.

Amen.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Partitio.

1. *De Ascendentis triumpho, nomine & gloria.*
2. *Adiuncta ascensus Domini.*
3. *Figura de Ascensione.*
4. *Ascensionis causa prior humiliatio Christi.*
5. *Posterior cœli reseratio.*

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dexteris Dei. Marc. 16.

FIGVRA.

ARCA Noe, postquam quadraginta dierum spatio diluuii aquis, ac tempestatibus circumquaq; fuisset agitata, tandem in montibus Armeniæ fixa stetit. Arca testamenti cum multo iam tempore in castris sub papilionibus & tentoriis castrensibus habitasset, summo tandē honore, magnificentia ac pompa in templum Salomonis deducta fuit. Videas porro hodie vtramque hanc adimpletam. Hodie enim sacra Iesu Christi humanitas, vera Noe arca, cum quadraginta horas in turbulentissimo passionis Oceano, vero tormentorum diluuio nataſſet, ac deinde quadraginta diebus in mundi huius mari fluctuasset, tandem summis cœli montibus requieuit.

Hodie quoque vera illa arca testamenti, cum longo tempore, non dico inter Philistiim, sed Iudæos, in agris & deserto mundi huius substitisset, tandem omni qua fieri potuit pompa, solennitate, triumpho, ac maiestate non in templum Salomonis, sed in regnum cœlorum recepta est. atq; hoc vt mysteria elucidarētur, oracula vera fuisse comprobarētur, ac Prophetas prænuntiasse constaret: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* O diem glorioſum! diem cœlorum reseratione nobilem! diem Regis Regum coronatione insignem! diem Dei Filii triumpho celebrem! diem ascensione Iesu Christi admirabilem! Tu vero Domine, vt digne de his omnibus loquamur, totque mirabilia referamus, Spiritus tui paracliti nobis gratia succurre: tuque glorioſa Deipara, vnica in huiusmodi Oceano fluctuantium cynosura, tuis nobis hic precibus auxiliare: idcirco interea dum Angeli & Cherubini filio tuo symphoniam & laudes decantant, nostras tibi salutationes quas consueuimus offeremus, magna animi deuotione tibi recitantes

Psa. 131.

AVE MARIA.

Triumphi Rom. Imp.

Historici prophani, sæculi sui mirabilium secretarii & interpretes, Cæsaris orbis terroris triumphum recitaturi, quo verborum stylo, quo sententiarum pondere ac splendore eundem expressuri sint, nesciunt. Quis enim non miretur Cæsarem hunc spoliis & diuitiis onustum, victoriis tumidum & quadriga triumphali inuectum, quem quadraginta trahebant elephanti, magna pompa & solennitate Romanum Capitolium ingredientem: & Antonium, qui subactis variis gentibus carpento insedit, cui quatuor leones adiuncti erant; Aurelianum etiam, qui ceruos ad quadrigam, equorum loco habuit? sed non minus hodierna die laborantes video sanctos nostros Euangelistas in triumpho Iesu Christi, eiusdemque glorioso in cœlestem ciuitatem ingressu describendo, qui iam non in Hierusalem terrestrem miserrimis & vilibus animalibus inuectus, vili plebecula stipante & populari solum applausu exceptus, ingreditur, sed cœlum empyreum nubib. insidens & ascendens superalas ventorum, Angelis comitatus, & magno cunctorum cœli ciuium applausu & harmonia diuina exceptus: ignorant inquam, quonam hunc describant modo, materia vires exuperat: duo ex illis nullum omnino verbum de eodem habent, alii nonnisi verbum atque alterum, quo mysterium magis tegitur quam panditur, proferunt: *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum,* ait Lucas: *Postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum,* habet Marcus.

Ingressus Christi in cœlum.

Et

Mysteriū ascensionis omnes in admirationem rapit.

Et sane materia adeo sublimis, mysterium adeo eminens, resque adeo noua est, vt admirari hanc potius quam describere fas sit, homines & Angeli stupore defixi demirentur atque omnes obstupescant. *Viri Galilei quid admiramini aspicientes in cœlum?* dictum est de hominibus. Angeli vero perculsi apud Prophetam, petunt, *Quis est iste qui venit in Edom, tinctis vestibus de Bosra.* Et omnes mundi incolæ exclamant, *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.*

Act.1.
Isai.63.
Psal.8.

Ascensio dicta est admirabilis.

Atque ideo Ecclesia vota sua ad Deum transmittens, & præcipua sponsi sui facinora recensens, perque maxima mysteria illum coniurans, de ascensione dum loquitur, admirabilem illam præ aliis appellat. Cum enim dixerit: *Per natiuitatem tuam, per crucem & passionem tuam, per mortē & sepulturā tuam, per sanctam resurrectionem tuam, te rogamus,* quam primum nouo loquendi more subnectit, *per admirabilem ascensionem tuam*: quamuis enim natiuitas illius mirabilis, crux & passio nunquam visa, mors & sepultura noua, resurrectio etiam miraculosa fuerit; sola tamen ascensio dici meruit admirabilis, quasi quid maximum admiratione dignum, atq; omnium maxime mirabilium, quæ vnquam in mundo visa fuere, aut ab omnipotentiæ brachio patrata sunt, compendium.

In natiuitate illius Angeli cœlo descenderunt: symphonia cœlestis in aerea regione personuit, nouæ in cœlo & nunquam visæ apparuere stellæ, Reges ab vltimo oriente venere, pastores è montanis properarunt, adeo vt Deipara & Ioseph. non parum mirarētur, *Erant mirantes Maria & Ioseph.* In cruce & passione Solis deliquium factum est, terra tremuit, petræ scissæ sunt, & omnes mirati sunt, *ita vt miraretur præses.* In resurrectione monumenta aperta, mortui resurrexerunt, angeli apparuerunt, inferni claustra disrupta sunt, diaboli colligati, atque idcirco Apostoli obstupuere, *Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio.* At in die Ascensionis maiora etiam miracula apparuere, vidimus corpus per aerem ludere, cœli ianuas reserari, angelos loqui hominibus, mortem in vitam commutari, paradisi hæreditatem cerni, hominem Deum fieri ac potestatem in cœlos & in terram accipere, *Data est mihi potestas in cœlo, & in terra*: vidimus illum & elementa transcendere, planetarum orbes transgredi, cœlos penetrasse, vltra Seraphinorum gloriam euectum, & in dextra Dei Patris consedisse, *& sedet à dextris Dei.* Quando & vbi rot tantaq; mirabilia visa sunt?

Enc.2.
Matth.27.
Luc.24.
Marc.vlt.

Christus Iesus Dominus dictus ob ascensionem.

Atq; hanc ob causam factū est, vt Dei Filius, mundi Saluator, qui toto vitæ tempore à natiuitatis initio ad mortē vsque, & etiā postea, alio dici noluerit nomine, quā filii hominis, ascendens in cœlum, Dominus sit nūcupatus, *Donec filius hominis à mortuis resurgat*; &, *Filius hominis tradetur*, ac deinde, *parebit signum filii hominis in nube*: &, *Væ illi homini per quem filius hominis tradetur, &c.* Apud Marcū item, *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*: & apud Lucam: *Oportet exaltari filium hominis.* Apud Ioannem & aliis locis sæpius etiam in die resurrectionis, Angeli nonnisi Iesum à Nazareth illum nominant, *Iesum quæritis Nazarenum.* At in die ascensionis nomen & titulos mutant, Euangelistæ & Prophetæ Dominum illum nuncupant, *Et Dominus quidem Iesus*, ait Marcus. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*, canit Psalmista. Quasi dicere vterq; voluisset, cœlos violenter ascensu perrūpere, Angelos triumpho percellere, mortē victoria captiuam ducere, ad Dei dextram eminentia sua considere, aliaque huiusmodi mirabilia facinora patrare, nō Galilæi alicuius opera sunt, aut simplicis filii hominis, sed absolute cuiusdā Domini & supremi Monarchæ, qui cœlum terramque imperio suo moderatur, indicia.

Matth.17.
Matth.20.
Matth.24.
Luc.3.
Ioan.12.
Marc.16.
Psal.67.

Adeo vt Dominus in natiuitate nonnisi vermiculus fuerit, de quo legitur: *Ego sum vermis & non homo*, in vita agnus mansuetus, vnde Euang. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* in morte innocens ouis. prædixere hoc prophetæ, *sicut ouis ad occisionem ducetur.* In resurrectione leo. Cantat n. Ioan. in Apoc. *Vicit leo de tribu Iuda.* In ascensione autem aquila quod ex oraculis etiam Propheticis discimus, *Ecce quasi aquila volabit.*

Psal.21.
Ioan.1.
Isai.35.
Apoc.5.
Ierem.48.

Est aquila imperialis, duobus vno in corpore capitib. id est, duabus in vna hypostasi natu-

naturis, creaturarum omnium Rex, vt illa auium; aquila inquam, quæ hodie tam sublime euolat, vt nubes transcendat, cœlos penetret, soli quã proxime accedat, & ad omnipotentis dexteram nidum suum collocet; ita quippe hoc Iob Propheta prædicit, *Eleuabitur aquila, & in arduis ponit nidum suum: in arduis*, inquam, id est, in mundi summitate; *in arduis*, super Angelorum vertices; *in arduis*, super Angelorum vertices; *in arduis*, supra omnes omnino creaturas; *in arduis* denique ad dextram Dei, non datur vlterius transeundi ratio, non potuit aliqua hæc euolare sublimius. Ratione aquilæ huius euolat etiam Salomon, & ait in prouerbiis tria esse, quæ nec à se, nec ab alio quopiam comprehendi possunt, *Tria*, inquit, *mihi sunt difficilia, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam nauis in medio maris, viam colubri super petram, & viam viri in adolescentia*, vel vt septuaginta interpretantur, *in adolescentula*.

Iob 39.

Prou. 30.

Quatuor Salomon nequit comprehendere.

Quatuor hæc incomprehensibilia, quatuor etiam sublimia fidei mysteria designãt, via viri in adolescentula, mysterium incarnationis, quod omnem humanam scientiam & cognitionem transcendit: colubri repetio super petram mysterium resurrectionis: vestigium nauis in medio mari, mortis & passionis Christi; quando velut nauis quædam prætoria, & gratia & diuitiis onerata, in medio tormentorum & dolorum oceano fluctuauit, nullo indignationis aut impatientiæ vestigio aut nota relicta. At volatus aquilæ in aere mysterium denotat Ascensionis, quæ inter alia adeo difficilis, rara, nouaque est, intelligi & comprehendi vt nequeat.

Prou. 30. Salomon quæstiones proponit, quas non soluit.

Idem quoque Salomon in prouerbiis, omnibus mundi vniuersitatibus nonnullas quæstiones difficiles & intricatas exponendas proponit; quas tamen nec voluit, nec potuit soluere: dicit enim: *Quis ascendit in cœlum, atque descendit: quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ?* Eia Salomon, equidem hic tibi exponam, ego te ab omni scrupulo liberabo, & tuas quæstiones dissoluere conabor; ipse Christus est, ipse enim solus & nullus alius, in manibus humanitatis nostræ diuinitatis suæ magnitudinem, quæ infinitus quidam Spiritus est, ponere potuit: ipse omnia peccata nostra, quæ per aquas in scriptura designantur, sub humanæ naturæ vestimento comprehẽdit, ipse suscitauit, id est, redemit homines simul, & qui longe erant, & qui prope, intermediam rumpens maceriem, ex vtriusque sibi genus electum constituens: denique ipse est, qui iam olim cœlo descendit, & hodie mirantibus hominibus, & Regibus imprimis, ascendit, ait siquidem regius Propheta, *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.*

Mirum est, quibus Scriptura verbis Eliæ Prophetæ igneis quadrigis per nubes raptũ exprimat; qui adeo mirabilis exstitit, vt Elisæus, qui rem oculis vidit, rei nouitate fuerit perculsus. Sed quid hic raptus est, si cum Iesu Christi ascẽsione cõferatur: si videamus Regem Regum, peccati, mortis, ac diaboli spoliis onustum, glorioſum, victorem, & triumphantem super æthereos axes, æternosq; fornices ascendere? si videamus Deum hominem, & hominem Deum non iam Eliæ instar in sublime rapi, nec ab Angelis instar Abrahæ euehi, non Enochi in morem, inuisibiliter transferri: sed propria virtute super omnes cœlestes sphæras ad summum vsque cœli empyrei cacumen ascendere. Audite canentem Psalmographum, *Exaltare Domine in virtute tua.*

4. Reg. 2.

Psal. 20.

Hoc Euangelii hodierni materia & triumphus, qui hodie in cœlo magno tum hominum, tum Angelorum stupore peragitur, quem sanctus Marcus quam paucissimis verbis describit, *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei*: quem vt ipse vobis hodie pro dignitate describam, rem duas in partes diuidam: prima magnitudinem ac splendorem, & omnes illius circumstantias exponam; altera causas & rationes tam magnifici introitus vobis recensebo: atque è duobus hisce punctis totam mysterii ascensionis essentiam, omniaque illius mirabilia colligere poteris.

Quod ad primum igitur spectat, Dauid Propheta omnem triumphi huius apparatum

tum prævidens, eiusque particularitates & maiestatem describere satagens, ait: *Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sinai in sancto, ascendisti in altum, captiuam cepisti captiuitatem.* En Dei in montem Sinai ad legem veterem Iudæis dandam descensum cum Christi in cœlos ad legem nouam & dona Spiritus sancti impertienda ascensu comparat, ac dicere vult, quemadmodum tunc, cum Deus cum maiestate in montem Sinai descenderet, curru decem Angelorū millibus stipato inuectus est, ita quoq; cum Christus cœlos ascendit, tanta illum pompa, & magnificentia ascendisse, vt currui triumphali insederit, Angelorum & Seraphinorum multitudine stipatus. Radix enim Hebræa, è qua vox hæc translata, quæ est, *Rabbothaim*, proprie significat, *Bis decem millia*, at Græcum verbum μυριὰς decē millia denotat, & vtrumq; pro mille millenis sumitur: adeo vt quando Christi currus decē millibus multiplex dicitur, tantundem sit, ac si dicas ab infinita illum cœlestium Spirituum multitudine tractum. *Psal.67.*

Et mirum hoc nemini videri debet, si enim ad Eliæ conseruationē custodiamq; cœlum tot equos & currus igneos emisit, totus vt mons exardescere & plenus equis & curribus fuisse visus sit: de quo scriptum est, *Ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi:* quanto potiori iure decebat filium ad triumphi honorem & introitus gloriam, magno Angelorum curruum numero stipari: *Psal.67. Currus Dei decem millibus multiplex.* 4. Reg. 6.

Currus idolorum varia trahebant animalia.

Ethnici superstitione idololatrica excæcati credebant Deorum suorum simulacra à diuersis animalibus trahi: Saturni à serpentibus, Bacchi à tigribus, Neptuni à Delphinis, Solis ab equis, Veneris a columbis. Hæc non nisi inania & fabulosa sunt, at certum est currum triumphalem Dei nostri ab Angelis trahi, *Currus Dei decem millibus multiplex.*

Angelos autem Seraphinos, Cherubinos, alioſq; Spiritus cœlestes, sedes & currus Diuinæ maiestatis esse, docet multis in locis sacra Scriptura, ac præsertim in Psalmis, *Qui sedes super Cherubim.* *Psal.79.*

Hoc igitur apparatu ab hoc mundo ad cœlos transiit, huiusque admirabilis ascensionis terminus fuit cœlum empyreum, quod omnium cœlorum extremum & altissimum est, nam post septem planetas firmamentum primum mobile & crystallinum, sequitur ex omnium Philosophorum & Theologorum sententia, cœlum empyreum, Beatorum domicilium, & Iesu Christi ascensionis finis: ait enim Apostolus, *Christus ascendens in altum*, & ante illum Psaltes, *Ascendisti in altum*, vel, vt Tertullianus legit, *Sublimitatem* Et hæc non sine ratione & certo Spiritus sancti instinctu, vt ita plurimæ hæreses confutarentur, asserentes Christum solarem sphæram non esse prætergressum, atque hic iter & ascensum terminasse, corpusque suum reliquisse, his potissimum verbis Psalmistæ errorem suum stabilientes: *In sole posuit tabernaculum suum;* & sententia illa Redemptoris, *Ego sum lux mundi.* Tales autem fuere Seleuciani, Hermiani Passioniſtæ, Hermogeniani, atque inprimis Manichæi, qui idcirco solem adorabant, atque toties erroris huius tenebris inuoluti, è creatura Creatorē constituebant, vti tradunt S. Gregorius Nazianzenus, S. Augustinus, S. Leo sermone quarto de natiuitate Saluatoris. Sed docte eleganterque errorem hunc confutarunt Magnus Tertullianus, Gregor. Nazianzenus, Theodoretus libro primo de Hæreticorum fabulis, & Augustinus capite quinquagesimo nono de hæresibus. Terminus ascensionis Christicęlī empyreum. *Ephes.4.* *Psal.67.* *Psal.18.* *Orat.15.* *Lib. de carne Christi c.24.*

Quo die Christus cœlum ascenderit.

Verissimum est, & articulus quidam fidei, Saluatorem mundi hodierna die summum cœlorum adiisse: at quo die & qua hora hoc factum sit, non vsque adeo certum est. Constat tamen è Chronologia & supputatione ætatis Christi, obiisse illū 25. Martii, resurrexisse 27. ad cœlum vero ascendisse 5. Maii, triginta trium annorum & quinque mensium cum esset; at quonam hoc die factum sit, controuersum est. Credit enim Ioannes Chrysostomus sabbathi illum die ad cœlos conscendisse: Epiphanius vero, Mercurii, atque ideo veteres Christianos in memoriam Ascensionis Dominicæ ieiunare

consueuisse: at neutrum mihi fit verisimile, aliisque accedere malo, dicentibus die Iouis illum cœlos petiisse, quod etiam verisimile est. Docet enim Tropologica & Anagogica causa æquum fuisse, aut saltem decorum & consentaneum, eo die piscatores hominum emitti, quo pisces conditi esse traduntur. Atqui primo Iouis mundi die squamati ciues creati fuere, & in maris possessionem abiere.

Pisces die Iouis creati.

Aues item.

Æquum etiam erat, magnam illam aquilam eo die sublimem euolare, quo reliquæ volucrum turbæ volare olim cœpissent: Iouis autem die aues aerem petere & alas mouere volando cœperunt. Adhæc ratio etiam docebat, magnum illum Dominum eo die exaltandum & sustollendum, quo iam ante deiecerat se ante pedes proditoris Iudæ: atqui hæc omnia die Iouis acciderunt. Denique æquius videbatur, diem illum magno & omnipotenti Deo dedicari, qui à veteribus infami Ioui dedicatus esset. Atque ideo in primitiua Ecclesia factum, vt dies Iouis non minus sanctus esset quam Dominicus, nec eodem; sine piaculo, ieiunare fas erat.

Hora qua Christus in cœlum ascendit.

De hora iam, cum de die constet, disquirendum est Magnus Doctor Augustinus, atque omnes propemodum Patres veteres credunt, meridie ascensum hunc contigisse, innixi verbis Psalmi quinquagesimi quinti cuius verba, *Vesperi & mane & meridie narrabo*, exponẽs Augustinus, hac paraphrasi vsus est, *Vespere Dominus in cruce, mane resurrectione, meridie in ascensione*, ac deinde prosequens: *Et enarrabo vespere patientiam morientis, annunciabo mane vitam resurgentis, orabo vt exaudiat meridie sedens ad dexteram Patris.*

Nonnulli credunt hora tertia pomeridiana illum ascẽdisse.

Verum tamen est nonnullos huic opinioni aduersatos dixisse, hora nona, id est, tertia pomeridiana ad cœlos illum ascendisse; quod eadem illa hora in cruce exspirasset, & quamprimum anima egressa inferos adiisset: quin & eadem illa hora primo mundi die Adam è terrestri paradiso eiectus erat. Atque, hoc satis probabile videri censeo, certum enim est, eodem die Christum cum Apostolis prandisse, *Nouissime autem recumbentibus vnde im, apparuit, &c.* Atqui prandium illa ætate apud Iudæos hora sexta, id est, in puncto meridiano sumebatur, verisimile quoque est temporis aliquod spatium elapsum esse, antequam ad montem Oliueti peruenirent, & interea dum illos compellaret, ac supremum valediceret.

Marc. 16.

III. Egregiæ figuræ in die ascensionis completæ.

Quidquid de rei veritate sit, nonnisi meræ curiositatis sunt & problemata, quæ vtramque in partem disputari possunt, cuilibet vt arbitrarium sit, quam libuerit sequi: credendum tamen certo est, Christum hodie in cœlo cum corpore simul & anima omnia diuinitate ascendisse, ad dextram Dei Patris consedisse. Hac quippe ratione Prophetarum oracula vera fuisse comprobauit, simulque veteres se figuras compleuisse. Ita enim maxima Patrum nostrorũ pars affirmat, qui veterum oracula & figuras explicantes, propemodum ad festi huius honorem adaptant. Veterrimus omnium Origenes, aliis viam patefaciens, diem hunc gloriosum & triumphantem diei veteris legis comparat, quo summus Pontifex in sancta Sanctorum ingrediebatur, atque conceptum hunc ab Epistolis Paulinis videtur mutuatus: *Habemus ergo Pontificem, qui penetrauit cœlos.*

Hom. 9. in c. 16. Leuit.

Heb. 4.

Magnus Augustinus Sampsonis historiam mystice exponens, ac cum portas vrbis Gazensis violenter ablatas in montis verticem tulit, ait Iesum Christum verum Sampsonem fuisse, qui inferni cardinibus & claustris effractis, portis ablatis, atque omni potentia illius & simul etiam mortis destructa, ad supremum montis cœlestis cacumen ascendit: *Noster hic Samson ablatis portis, imperioq; inferni & mortis, ascendit in cacumen montis cœlestis.*

Serm. 107. de temp.

Idem Augustinus idem ipsum tropologice exponens, aliam simul figuram producit, & Iacobi peregrinationem in scenam producens ait, quod quemadmodum Patriarcha hic solo baculo instructus aquas Iordanis pertransiit, & in regionem alienam secedens, diues in patriam reuersus est, duos secum populos adducens, atque summa deinde pace perfruitus est, ita Iesus Christus cum aquam

Serm. 108.

æquam & torrentem passionis crucis baculo instructus pertransiisset, & ad mundi vsque terminum, imo ad inferos vsque inde pertigisset, hodie in patriam suam & ad Patrem diues & opulentus duobus populis comitatus reuertitur. Verba sancti Doctoris proferri merentur & audiri, *Noster Iacob baculo crucis mundum apprehendit, & cum duobus populis ad Patrem rediit triumphans*

Tom. 7. Aliud quoque exemplum producit Hieronymus, figuram inquam Dauid Goliadam superantis. Nam vt paruulus ille Pastor, animosus tamen, vt qui maxime lapidibus & funda instructus, postquam carneam illam molem ac Philisthinorum Ducem, qui omnibus regni Israelitici Principibus dudum insultarat, superasset, magno cum honore, harmonia & gloria à ciuibus Hierosolymitanis exceptus fuit, ita Christus noster, postquam vasta inferni monstra, mortem, peccatum ac Diabolum humanitate nostra indutus, sed potentia singulari deuicisset, hodie victor & ouans Ierusalem cœlestem ingressus, magno applausu, canticis & gaudio exceptus est, verborum illius recordor, *Noster Dauid Goliath obtruncato in ciuitatem cœlestem cum canticis excipitur.*

Hom. 2. Euang. serm. de ascen. S. Gregorius & Cyrillus aliam de Eliæ raptu figuram producunt, hocque mysterium tractantes dicunt, quemadmodum magnus Propheta non sine miraculo per turbinem in currum igneum abreptus fuit, & per aera translectus, ita quoque Christum, magnum Prophetarum Principem nubis ad miniculo cœlos penetrasse: vnum tamen discrimen inter vtrumque fuit, quod Elias turbine subito abreptus fuerit, Christus vero sua ipsius virtute & omnipotentia in sublime sensim euectus, quo facto homines simul & Angelos, omnemque adeo naturam in admirationem rapuit. Audite illum loquentem, *Elias ascendit per turbinem in cœlum, &c.*

Bed. & Glos. sa ordinaria. Venerabilis Beda & Glossa ordinaria figuram arcæ fœderis producunt: sicut enim inquiunt, arca pretiosum illud mysterium, postquam varia adiisset pericula, multoque tempore in barbarorum regione commorata esset, tandem magna cum maiestate in medio templi Salomonici sub alis Cherubinorum fuit collocata: ita quoque Christus Dominus, cuius sacra humanitas vera fœderis arca dici potuit, postquam plurima pericula adiisset, quin & vitam amisisset, multoque tempore inter inhumanos atque immites Iudæos habitasset, hodie egressus magno honore ac triumpho in cœlum receptus est, & in loco sibi debito collocatus. *Hodie*, inquit Beda, *arca infertur in locum suum.*

Mellifluus Bernardus Isaiæ Prophetiam profert, & Messiæ nomina ac titulos, quos illi Propheta elargitur, paraphrastice exponens ait: *Hodie* inquit, *ille qui Esa. 9. cum natus fuit admirabilis predicans, consiliarius, in miraculis Deus fortis in passione, pater futuri seculi in resurrectione, ascendens Princeps pacis, fuit in perpetua beatitudine.* Serm. 10. ex paruis.

Post magnos illos viros ac Doctores meum quoque symbolum huc afferre est animus. Igitur cum video miserum illum crucifixum hodie in aere triumphare: ipse mihi persuadeo, videre me seruum illum, de quo ad Philippenses Apostolus locutus est, *Formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Hodie in libertatem assertum, emancipatum, & à Patre æterno super omnes omnino creaturas eleuatum. Hanc eius sortem prædixerat Isaias: *Ecce seruus meus exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Verba sunt Patris cœlestis de Filio suo, in quantum homine, loquentis ac dicentis, *seruus meus exaltabitur* super omnes homines, *eleuabitur* super omnes cœlorum orbes, *& sublimis erit valde* super omnes Angelos, *& adorabunt eum omnes Angeli eius.* Addo: Hodie quoque magnum illum peregrinum, de quo apud Lucam scribitur, *Tu solus peregrinus in Ierusalem*: confecto peregrinationis suæ itinere felicem in patriam reuerti. Docuit me hoc Apostolus ad Ephesios scribens, *Quid est quod ascendit, nisi quod & primum descendit*, &c. O felicem reditum! ô beatam ascensionem! Quonam Apostoli & Prophetæ peregrinum hunc ascendisse dicitis? Ascendit in locum abundantiæ & vbertatis, vbi nihil omnino requiritur, *Promptuaria illorum plena eructantia* Philipp. 3. Isai. 52. Philipp. 2. Luc. 24. Psal. 134.

ex hoc in illud, ait vnus Propheta. Ascendit in domum deliciis & voluptatibus redundantem, *Inebriantur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, ait Psalmista. Ascendit in ciuitatem auro stratam, & vndique auro collucentem, *Ipsa ciuitas aurum mundum*, scribitur in Apocalypsi. Ascendit in palatium Regium, in quo tam excellentia tabernacula, totque egregiæ habitationes, & mansiones optabiles: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel!* In Numerorum libro legitur. Ascendit in locum, in quo vox lætitiæ & cantica iucunditatis & gaudii semper audiuntur: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum*: canit Psaltes. Ascendit in locum, cuius habitatores beati sunt, *Beati qui habitant in domo tua*: canunt Principes. Ascendit denique in cœlestem illam Ieruſalem, quam describit Apostolus, *Hierusalem quæ sursum est libera mater nostra*. O felicem ciuitatem! ô patriam vere iucundam! cuius Epithetum est *visio pacis*, cuius situs *in altum*: conditio, libertas, cuiusque plenitudo, charitas, sed iam ad lineam.

Apoc. 21.
Num. 24.
Psal. 117.
Psal 16.
Gal. 4.

Christus soli collatus.

Adiungo quoque, Philosophi, hodie verum illum solem cõspici, qui oritur, qui vertitur, qui occidit, deinde eo reuertitur, vbi est ortus: vt in Scriptura legere est, *Oritur sol, & occidit*: sol hic ortus & natus in mundo est, quando carnem humanam induit: toto quo vixit tempore gyrauit: occidit vero, quando mortuus est: per resurrectionem denuo rediit, & hodie per ascensionem ad natiuitatis suæ locum reuertitur. Suffragatur conceptui meo Psalmista dicens: *A summo cœlo egressio eius & occursus eius vsque ad summum eius.*

Eccl. 1.
Psal. 18.

Natalis Comes in Mytho.ogia.

Poetę nugiuendulitradidere iam olim, quo duos heroes Bellerophontem & Perseum celebrarent, illum quod immanem belluam superasset, & fontem Hypocrenes Pegasi equi sui vngula excitasset, ad cœlum euectum: hunc vero quod Medusam occidisset, fortitudine sua meruisse in cœlum recipi, & inter astra collocari. Hoc non nisi fabula est, & gentilitatem sapit: vt Christianum est & verum Christum Redemptorem verum fuisse Persea, & Bellerophonta: immanibus enim monstris perdomitis, peccatis inquã & Diabolis, & Medusa, morte scilicet deuicta, & candido humanitatis suæ eoque fonte aquarum viuentium reserato (*Haurietis aquas de fontibus saluatoris.*) meruisse hodie cœlo recipi & iuxta Patris dexteram collocari: nemo vero cogiter imaginationes has esse vanas & nullius momẽti. Ioann. enim Euangelista in Apocalypsi sua nobis eum Bellerophontis instar, aut equitis generosi equo albo insidentis cui corona datur, describit, *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, &c.*

Isai. 12.

Apoc. 6. Comment. Pindari.

Et quoniam de monstrorum domitoribus loqui cœpimus, & fabulas recensere: quicunque is fuit, qui in Pindarum commẽtatus est, refert eodem ille die, quo monstrorum domitor Hercules obiit, Græciæ Principes & Satrapas collectos, oraculum Delphici Apollinis adiisse, consulturos, quẽ afferre mortuo honorem possent, cuius vita adeo celebris & admirabilis extitisset: Respondit Deus, illo eum die vt heroem colendum, sed sequentibus & omni post tempore, vt Deum illum honorandum & adorandum. Scio hoc nonnisi paganorum nænias & ineptias esse: ipsa tamen veritas est, nos, si vera cœlorum oracula, & S. Scripturas consulere voluerimus, vt sciamus quis honos Christo reddendus sit, quem in cruce mori vidimus, vero mundi Herculi monstrorum domitori, qui mortem moriendo destruxit, peccatum extinxit, Diabolum prostrauit, quæ tria horrenda & immania monstra, Auditores, in die illum passionis magni & generosi Herois instar honorandum, at imposterum post resurrectionem, & hodie & in sempiternum, vbi viderimus illum ad cœlum conscendere, vt verum Deum adorandum & colendum. Nam hoc facto ascendere, tanta victoria plaudere, huiusmodi triumphum recipere, Angelos admiratione percellere, super omnes creaturas collocari, naturam stupore defigere, non nisi diuinæ cuiusdam maiestatis est, & ad supremam potestatem imperiumque spectant. Sed plura circa priorem hanc partem non dicam, ne ad

Mythologia exposita.

secun-

secundam minus instructus accedã, ad quam me iam accingo, causas vobis declaraturus: ob quas Redemptor ad cœlum secedere terramque deserere voluerit.

IV. Cur Christus in cœlum ascenderit.

Nouam igitur hanc materiam vt auspicer, Auditores, notandum, è sexcentis, quæ gloriosæ huius & admirabilis filii Dei ascensionis dari possent causis, duas inprimis, velut primarias ac præcipuas notari: ob quas æquum, consentaneum, imo necessarium erat illum ab hoc mundo recedere, atque in cœlos, gloria cœlesti perfruiturum, terrenas hasce & corporis miserias pertæsum ascendere. Prima, cum enim se humiliasset, parerat atque oportebat illum exaltari. Ita quippe in Euangelio decretum erat, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Rationis huius fundamentum substernit Paulus, dum ait, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omnen men.* O sancta & venerabilis humilitas, quanta tua, tum in cœlo, tum in terra vis ac potentia! sustollis qui te confectantur, deprimis qui te contemnendo deprimunt. Tu primum mobile gloriæ & ascensionis filii Dei, iuxta Apostolum, *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos.* Dicere volebat, filium Dei cum ascendere in cœlos vellet, oportuisse descendere in terram, ac te, ô superbe! viam cœlum versus edocere: scilicet priusquam ascendere possis, esse tibi descendendum. Descenderat Christus in terras, imo ad inferos vsque descenderat: æquum igitur erat ad supremum illum locum euolare, ait enim Euangelista, *Assumptus est in cœlum.* Solent fontes tantum ascendere, quantum scaturigo & ortus eorum deprimitur. Christus noster & Prophetis fons appellatur, *Apud te est fons vitæ*, & deinde, *Ad Deum fontem viuum*, & ab alio: *In die illa erit fons patens, &c.* Insignis hic fons vsque ad terræ centrum descenderat, necesse igitur erat ad supremum vniuersitatis cacumen, & altissimum mundi gradum illum sustolli. Conceptum hunc confirmat Psalmographus, sed verbis mysticis & allegoricis, *De torrente, in via bibet, propterea exaltabit caput*: perinde ac si diceret, Eo quod mundi Saluator tam profunde descendit, vt de aquis mortis, & torrente passionis biberit, ideo & glorioso & triumphanti ascensionis suæ die caput exaltabit, cœlos ingressus, & Angelorum etiam sedes transgressus. Quod insignibus iam figuris confirmabo.

Humilitatis virtus.

Fontiũ proprietates.

Psal. 35. *Psal.* 14. *Psal.* 109.

In Horologio Ezechiæ decem lineis sol reuersus est, ac confectum iter repetiit: quod nunquam visum antea & penitus inauditum. Christus noster, Auditores, lucidus hic sol fuit, qui in naturæ horologio cum à maiestatis suæ magnitudine decem gradibus recessit, nouem Angelorum choris factus inferior, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*: ac deinde hominem induens, *Verbum caro factũ est*, (Ecce decem reuersionis gradus) hodie solitum iter arripiens, ad eandem lineam à qua digressus erat, reuertitur. Audite veritatem, *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius*: iuxta Euangelium, *Assumptus est in cœlum.*

Isai. 38. & 4. *Reg.* 20. *Psal.* 8. *Ioan.* 1. *Psal.* 38.

Iob speculum patientiæ, cum è diuite & opulento, vtpote qui in Scriptura Rex dicitur, cum ad tantas angustias redactus esset, nudus vt in fimario recubaret, vlcerosus, fame & vulneribus plenus, & variis intrinsecus repletus miseriis, cum deinde patientia sua inuicta omnem afflictionem, & aduersæ impetus eluderet: ita denique sublimatus est, vt solito factus sit opulentior, & geminato fœnore cuncta illi cœlum reddiderit, *Omnia reddita sunt ei dupliciа.*

Iob 2. *Iob* 42.

Verus Iob fuerat Redemptor noster, qui diues & locuples cum esset, (*Gloria & diuitiæ in domo eius*) ad tantam se paupertatem deiecit, vt non habuerit, vbi caput reclinaret, & mori adhæc in cruce nudus debuerit. Sed humilitas & patientia sua ita tandem eum eleuarunt, vt hodie ad cœlũ ascendat, omniaque illi duplicia sint reddita, gloria corporis & exaltatio nominis. Vnde scriptum, *Gloria & honore coronasti eum &c. Exaltatum est nomen eius solius.* Quod vtrumque amplexus Euangelista ait, *Assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei.*

Ibid. *Psal.* 18. *Psal.* 148.

Eheu Domine, cum de fortunæ tuæ mutatione iam agere cœperim, aliud quid de hac

dicere velim, sed non ausim nisi petita prius à te venia: atq; huic confisus, dicam libere & audacter, vere te illum filium prodigum fuisse, quem Euangelium describit. Tu siquidem cum olim Patris tui cœlestis domum deseruisses, in longinquam mundi huius regionem secessisti, in qua prodige & splendide cum animabus peccatricibus viuendo, omnẽ substantiam tuam dissipasti, gratias, merita, sanguinem & vitam prodegisti, atque ideo fame pressus in deserto, & præ siti aridus in cruce exclamasti. Sed hodie oculis in cœlum sublatis, ad patriam domum reuerteris, in qua tanto cum honore, voluptate & iubilo exciperis, nihil vt vnquam simile cœlum viderit, vel terra audiuerit, *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Nihil hic quam cantus in aere, quam applausus in cœlo, & sanctorum Angelorum acclamationes exaudiuntur. Sed pergamus in figuris, & in Euangelio, *Assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei, &c.*

Christus filio prodigo similis. *Luc.15.*

1.*Reg.*17. Dauid puer cum aduersus Philisthæum confligere proposuisset, Regiis indutus armis id efficere nequiuit, sed victoriam iam consecutus, & hoste profligato ad Regem se contulit, qui splendidis eum vestibus induit, omnibus illius & virtutem & animum tum mirantibus, tum laudantibus. Factum hoc ascensioni Dominicæ adaptando, dico Christum cœlo ad magnum inferni Goliadam expugnandum descendisse: sed regiis diuinitatis armis id præstare nequit, (nam in quantum Deus, mori non poterat) sed victoria in passionis conflictu obtenta, & inimico in monte Caluariæ fuso & profligato, idq; crucis baculo, hodierna die ad aulam cœlestem proficiscitur, atque coram Rege Regum regiis indutus vestimentis se sistit, mirantibus tam hominibus quam Angelis, eiusque facinora & mirabilia decantantibus, eo quod *assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.*

Christus Dauid similis.

*Gen.*41. Ioseph postquam iniquo fratrum molimine diuenditus, inique à nefaria aclasciua Putipharis vxore adulterii accusatus, & in carcerem coniectus esset, tandem Dominus carceris factus est, ianuas incarceratis aperuit, habitum simul & sortem mutauit, Pharaoni Regi oblatus, ab illo in currum regium euectus, atque vniuersi regni vicarius ac præfectus constitutus, & vulgari Ægyptiorum vocabulo mundi Saluator est nuncupatus: *Fecitq; eum ascendere super currum suum, &c. & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Quod deinde Psalmista repetens, ait: *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Nemini igitur dubitare fas est, quin Ioseph hic vera Iesu Christi figura fuerit: ipse namque Iosephi instar, à Iudæis, qui fratres illius secundum carnem, diuenditus fuit, ab adulterina Synagoga accusatus & in mortis carcerem coniectus: sed tandem absolutus Dominus factus est, & captiuos ergastulo soluit: *Factus est inter mortuos liber, & captiuam duxit captiuitatem,* & hodie curru triumphali inuectus, gloria vestitus coram Patre æterno se stitit, qui illi omnem in cœlo & in terra potestatem dedit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra,* vultque illum ab omnibus vt Principem ac mundi Saluatorem agnosci.

Video mihi, Auditores, cum hæc omnia audio, illum hodie cœlos penetrantem & vltra cœli conuexa, ea forma, qua illum olim Ioannes in Apocalypsi vidit ascendentem, videre vultu solis instar rutilante, oculis stellarum ritu micantibus, crinibus vt lana mollibus, vestibus niuis instar albicantibus, & zona aurea renes accinctum, iride velut diademate redimitũ, pedibus ære durioribus & symbolum hoc insignibus inscriptum habentem: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* *Apoc.*1.

O gloria! ô triumphe! ô admirabilis ascẽsio! Princeps hic triumphans diabolum constrictum pedibus premit, mors illum pallens ac tremens sequitur, peccatũ penitus distractum est, Philosophi conuicti obmutescunt, Reges & Imperatores coronas & sceptra abiicientes illum supplices adorant, Apostoli vbiq; terrarum triumphum illius diuulgant, & Euangelistæ victorias describunt: *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.*

O rerum vices! ô nouitatem inauditam! ô factum nouũ! Viuat, viuat igitur humilitas, cum huiusmodi triumphi causa sit, cum miserum hunc Galilæum, haud ita pridem in stabulo

stabulo natum, in cruce mortuum, inter latrones cruci affixum, tam sublime euehat, vt aquilones illi in nuncios, sanctos in stipatores, Angelos in milites tribuat.

O vicissitudinem admirabilem! qui paucis abhinc diebus latronibus proximus fuit, hodie in Dei Patris considet dextera: corona spinea in coronam gloriæ commutata est: cœli cedunt corpori illi vulnerato, liuido, sanguinolento, adorant Cherubini vultum consputum, & omnipotens Deus hunc miserum condemnatum supremum viuorum ac mortuorum iudicem constituit: *Ioan.5.* *Pater omne iudicium dedit filio*, ait Ioannes. Ego vero iam aliam triumphi huius causam commemorare pergam.

Altera ascẽsionis Dominicæ ratio.

Secunda ob quam Saluator cœlos conscẽdit, causa fuit, nobis vt aditũ reseraret, viam patefaceret, nosque ad illius exemplum eodem conscendere possimus. Hanc autem rationem è sancti Pauli verbis elicio, qui sępius in epistolis suis ita argumentatur: Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus; quod autẽ ille de resurrectione, quid obstat quo minus ipse de resurrectione dicam, Christus in cœlum conscendit vt nos eodem ad illius exemplum conscendamus. Eandem rationem *Serm.1.de Ascens.* assignat S. Leo Papa, *Christi ascensio nostra est prouectio, & quo præcessit gloria capitis, eo vocatur & spes corporis.*

V. Egregium è sancti huius Pontificis verbis conceptum elicio, scilicet, si corpus alicuius hominis scite proportionatum sit, & debita dimensione constet, capite per foramen aliquod transeunte, reliquum corpus etiã transiturum. At si gibbosum sit, si stomachus tumeat, si venter obesior sit, aut caput etiam nimis exile locum hoc non habere; proportio siquidẽ necessaria est. Caput nostrum Christus est, *Ipsum dedit caput super omnes*, ait ad *Ephes.1.* Ephesios Apostolus: & alibi, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Ecclesia enim corpus est & nos *Col.1.* illius mẽbra, *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*, ait idem Apostolus. Cum igitur *1.Cor.12.* hodie glorioſum caput cœlos penetrauerit, credendum & sperandum est, nos eodem etiam peruenturos, cum illius simus membra, modo capiti proportionaliter respõdeamus, absint modo à nobis superbiæ tubera, ambitionis tumor, & gulæ grossities.

Similia. Si quando magna nauium classis ventis, & tempestatibus agitata de salute desperat, aliã tamen nauim portum subire cõspicit, cæteræ spem concipiunt eodem pertingendi. Si quis miles ducem explicatis vexillis murum hostilem videt conscendere, animum sumit, & facta tormento via eodem perrumpere satagit, breui se vrbẽ ingressurum sperans. Mundus hic auditores mare est, Ecclesia classis, nos vero nauiculæ, at quæ quotidie in naufragii periculo versemur, sed cum hodie nauem illam regiam humanitatis Iesu Christi ad cœlum, quod salutis portus est, peruenire videamus, spem & animum concipere debemus, eodem nos aliquando post illum peruenturos, mundus hic etiam merum bellum est, nos illius milites, Christus Dux noster; Mundus bellum est. cum vero hodie illum regio crucis suæ vexillo explicato cœlorũ mœnia vallumq; transcendere videamus, hoc addere nobis animũ debet ad conflictum, & eodem nobis ingressuros, quo caput nostrum transire & ingredi potuit: *Regnum* enim *cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Arca Testamenti populum semper aditer patefaciendũ, & Iordanis fluenta peruadanda præcedebat, quo reliqui tutius ac securius in terram promissionis tendentes sequerentur: *Ecce arca fœderis Domini omnis terræ ante-* *Ioan.3.* *cedat vos per Iordanem.*

Admirabilis hæc arca allegorice sacræ humanitatis Iesu Christi figura erat, quæ cum nos, qui Ecclesiæ agmen constituimus, per vndas & fluctus torrentis passionis præcessit, atque hodie etiam recta in cœlum, quæ terra promissionis, præcedat, credere haud dubie oportet, non ob aliam id fieri causam, quam vt aditum patefaciat, nosque ad sequendum inuitet.

Cerui fluuium aliquem, aut sinum marinum tranaturi, referentibus Plinio, & D. Augustino in libris de ciuitate Dei; quo ad Insulas perueniant, pro more habent, vt validissimus & generosissimus in aquas se coniiciat, impetum fluctuum aduerso pectore perfracturus, atque cæteris ducis & ductoris vice.

vice futurus; tum secundus prioris tergo ramorum cornuum pondus imponit, ac secundi tertius, ac tertii quartus, atque ita prioris conductu cæteri omnes longa serie flumen perrumpunt, & in aduersam ripam perueniunt.

O egregium & materiæ meæ accõmodum conceptum! mundus hic mare est, cœli vero Insulæ fortunatæ, nos vero timidi cerui: mare hoc traiiciendum erat, quo ad beatorum regionẽ pertingeremus; ecce Christus velut ceruus primarius, & quo nullus vnquam in mundo validior (de quo dicitur. *Qe admodum desiderat cerus ad fontes aquarum.* & alibi: *Assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum.*) qui se iam à longo tempore in passionis oceanum coniecit, per medios fluctus mortis perrumpens, aerem hodie magis ac magis accedit, elementa transgreditur, planetas transcendit, & ad Patris dextram residet; huic proxime incubuit Adamus, Adamo Abraham, Abrahę Isaac, Isaaco Iacob, Iacobo Ioseph, Ioscpho Moyses, Dauid Moysi, & sic de cæteris, atq; omnes seriatim, qui Christi velut capitis, ducisq; adminiculo ad beatitudinẽ pertingunt. Audite quo pacto Paulus hoc describat: *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem*: quasi diceret, Christus cum ad cœlos ascendit, cæteros Patriarchas secum fecit ascendere: vtque triumphum suum magis condecoraret, omnibus Patribus, quos limbo eduxerat, stipari voluit.

Christus ceruus. Psal. 44. Cant. 3. Ephes. 4.

Naturalium rerum scriptores tradunt pantheram, præstans & maculosum animal, cum spelæo egreditur, & in apertum aera prodit, tam gratum odorẽ spargere; cæteræ vt feræ antris desertis eandẽ non vocatæ sequantur. Num hoc vere ita se habeat ignoro, scio tamen Christum pantheræ persimilem esse egregium, insignem, variisq; coloribus respersum, vtpote qui Deus simul & homo; atque hodierna die deserto mundi egressum & cœlestes agros peragrantẽ tam iucundos & gratos odores emittere, cæteræ vt creaturæ Patres inquam veteres, sepulchris suis egredi, limbum, carcerẽ, imo mundum deserere cogantur, eumq́ue ad cœlos vsque assiduo cursu sequi. Audite vt ad conceptum nostrum etiam Salomon alludat: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Solet succinum, vt docent Philosophi naturales pro naturæ suæ proprietate, paleas & festucas à terra sursum sustollere. Quod materiæ meæ adaptando, dico Christum lapidẽ esse; ita enim illum Paulus nuncupat: *Petra autem erat Christus*; &, *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Sed lapidem succinetum, nos vero festucas & paleas, & stramen (*Omnis caro fœnum*) lapis hic hodie in cœlum sublatus omnem sanctorum Patrum chorum ad se trahit, atq; à terra sursum eleuat. Audite quid hic dicat Apostolus, *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitate.* Quin & ipse Dominus apud Ioannem prædixerat, *Ego si exaltatus fuero à terra*, & quo? in crucem, in aerem, omnia vltra elementa, in cœlum ad dexteram Patris: *Omnia trahamad me.* Quid quæso trahet? corda, voluntates, corpora, animas, magnos & paruos Reges, Philosophos, Hebræos, Gentiles, diuites & pauperes, denique omnia.

Succini natura. Ephes. 4.

Et quoniam de electro & succino mentio incidit, vt conceptus meos in sacris litteris fundaros asseram, dico, virum illum, qui nubibus quadriga volans Ezechieli visus est ex electro fuisse, quod metalli species est auro argentoque intermixtos, *De medio ignis quasi electri species.* Iesu Christi hic sine dubio persona denotabatur, quæ ẽ duobus constat naturis, humana simul & diuina sine vlla confusione tamen aut mixtione: dicunt autem nonnulli electrum idẽ esse quod succinum: quod si ita sit, satis hoc apte propositæ conuenit materiæ. Succinum enim, vt paulo ante diximus, festucas & minuta quæque attrahit, ac supra terram extollit: Christus autem hodie idem omnino fecisse comperitur, hominem (quem Iob festucæ comparat dicens, *Stimulam siccam persequeris*) in cœlum sustollendo, & tantam hominum multitudinem secum educendo. Quod tantopere Reges olim & Prophetæ exoptauerant, dum tot abhinc seculis clamarunt, *Exurge Domine in præcepto, quod mãdasti, & synagoga populorum circumdabit te, & propter hoc in altum regredere.* Ezech. 1. Iob 13. Psal. 7.

O diem

O diem felicē! ô triumphum vere gloriosum! *Beati oculi*, ô Angeli, *qui vident, quæ vos videtis!* hodie igitur in cælo, non sine admiratione cunctorum Angelorum resonat Prophe- Psal. 109. ticum illud acroama, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis* Hodie magnus ille & supremus viuentium & mortuorum iudex institutus est: Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit filio*, hodie filius hominis Rex declaratus est, & super omnes mundi Reges constitutus, Psal. 88. *Et ego primogenitum p. nam illum, excelsum præ Regibus terræ.*

Dicta à Christo Apostolis in discessu.

Hodie, miseri & proscripti exules, ab exilio reuocamini: hodie in patriā redeundi libera vobis cōceditur facultas. Hodie captiui, vectes ferrei, & portę aheneę carceris vestri cōfringuntur, *Dirupit portas æreas, & vectes ferreos confregit* Hodie, peccatores, æternæ cœli fores reserantur: & acclamantes audiuntur Angeli, *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales.* Hodie eiectus, armatus ille Cherubinus, qui ad ianuam paradisi terrestris collocatus erat, fugatur, & claues illius S. Petro committuntur.

Hodie quoque, sancti Apostoli, Dominus ac magister vester vobis supremum vale dicit. Ecquæ vobis, antequam hinc digredere retur, locutus est? quos epilogos, quas doctrinæ recapitulationes, quæ documenta, quæ præcepta tradidit, & quomodo vos cōsolatus? quid non de futuro Euangelij & Ecclesiæ successu aperuit? Quomodo persecutiones Iudæorum, feritatem tyrannorum, & hæreticorum nequitiam præmonuit? Hodie per vniuersum vos terrarum orbem destinauit, suam vt doctrinam annunciaretis: illiusque mirabilia diuulgaretis, hodie vobis, idque vltimo, prædixit Iudæam breui euertendam, gentiles conuertendos, omnes Monarchias in nihilum redigendas & crucifixum ab oriente in occidentem regnaturum.

Hic sc. triumphus Iesu Christi est, paucis comprehensus: hoc admirabile ascensionis mysterium est. Exultate igitur, Christiani Auditores, cum Angelis, & canite, vestraque cantica cum cœlestibus canticis coniungite, Psal 48. *Psallite Deo nostro psallite Regi nostro, psallite sapienter.* Quid ni? *ascendit* enim *Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ*: vt Deus ab Angelis cum iubilo exceptus est, velut homo, in voce tubarum. Hoc ipsum imitamini terræ incolæ, corda vestra iubilent & cantica exultationis depromant, linguæ vero buccinarum clangore perstrepant.

Adhęc cōijcite oculos in illum, qui hodie in sublime ascendit, illius viam & progressum considerate, attendite iter quod ad cœlū ducit: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Ephes. 4. Prius enim descēdamus oportet, quam ascendamus, nosq; illius exemplo dimittamus, si in sublimia habitacula admitti velimus. Atqui vbi videritis, illum ad dexteram Patris cōsidentem, videte quantum mutatus ab illo: notate rerum vicissitudinem: videte dolorum & iniuriarum finem: qui iam nuper tot supplicia, tot calumnias, tot iniurias perpessus erat, quique tam infami in monte Caluariæ morte exspirarat, hodie Deo Patri omnipotenti proximus, ad Æterni dextram considet, super omnes creaturas euectus.

O diem mirabilibus plenum! ô triumphum vere regium! Ah mundi Saluator Christe, qui humilitate tua (alia vt interim taceam) ad tam spectabilem adeoque dignum locum euehi meruisti, fac obsecro, vt eadem nos virtus eodem deducat, scimus enim superbia animas in tartarū detrudi, humilitate vero in cœlum sustolli. Quapropter ab hoc nos vitio libera, & diuinam illam è contra virtutem concede. Cumque hodie ad cœlum ascendas, ipsum nobis aperias, viamque ingrediendi sternas, ac gratiam præsta, vt eodem etiam pertingamus, teque tandem sequi valeamus. Verum interea dum hoc expectamus, gratiam nobis tuam communica, nostri recordare, & liberalem & magnificum ob hunc ascensum te imposterum exhibe, solent enim Imperatores & Re- Regum ges terræ in die coronationis, & additionis mos in co- regni munificos se erga subditos ostendere, ronationis suamque liberalitatem patefacere, tu vero suæ die. hodie Rex Regum corona gloriæ redimitus es, hodie amplissimi cœlorum regni possessiones adire cœpisti: gratiarum igitur tuarum munificentiam declara, beneficum te erga subditos, qui legitimæ tuæ creaturæ su-

mus, exhibe, commissa iam olim benignus dimitte, in futurum benedictionem nobis tuam impertire, vt tandem aliquando ad locum, vbi tu in felicitate æterna regnas, peruenire mereamur: ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus deducere dignentur, Amen.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Partitio.

1. *Messiæ aduentus pacificus, non bellicosus.*
2. *De S. Crucis figuratione, deque triplici cruce.*
3. *De titulis à SS. Patribus petitis.*
4. *Serpentis in deserto exaltatio cruci conueniens.*
5. *De Christo crucifixo, vt miraculum factus multis.*
6. *De S. Crucis virtute & efficacia, & à quo primum inuenta.*
7. *Historia inuentionis, & cur sic festiuitas appellata.*

Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, Ioan. 3.

FIGVRA.

2. *Mach.* 1. IN signe sane prodigium, ac non minor fuit Israelitici populi, è Persica captiuitate redeũtis, lętitia, cum profundo è puteo sacrum educi ignem illum vidit, quem ante captiuitatem ibidem maiores defoderant. At longe maior Christianorum stupor sit & lætitia oportet, gloriosam Christi crucem tot annorum spatio in subterraneis fossis delitescentem, post tot sæcula euoluta prodigiose erui, & in apertum proferri. Nehemias summus sacerdos ignem detexit, Helena Imperatrix crucem inuenit. Statui ipse mecum hac matutina hora omnem rei seriem exponere, & mysterium latius deducere. Sed primo ad Spiritus paracleti opem conuertamur, quo plenã rei notitiam cõsequamur, & ad Deiparam Virginem, suis vt ipsa nobis adsit suffragiis, atq; idcirco genibus humi defixis, & animis sursum libratis, Angelicam illi salutationem recitemus.

AVE MARIA.

I. Messias vt bellator.

Sacra Bibliorum volumina, in quib. mille propemodum locis, & nusquam non Messiæ nobis aduentus promittitur, vt plurimum enim velut generosum ducem & validum bellatorem repræsentant, sed cui cũ potentibus & bellacibus sit aduersarijs acerrim⁹ conflictus subeundus, & præclara de ijs referenda victoria. Ita eum depingit regius Propheta dicẽs: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Alio vero loco vota illi precesque suas offerẽs, inuitat eũ, vt in inimicos irruat, prælium ineat, & agmen in aciem producat: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent,* eosq; sub iugum mittes. *Psal.* 23. *Psal.* 44.

Messias in habitu sanguineo proponitur.

Isaias eum vt Regem victoria de inimicis relata triumphantem, prælijs assuetum, bellandi peritissimum & sanguineis tinctum vestibus, quæ fortitudinis eius sint notæ & animi generosi indicia, spectandum exhibet, admiransque ait: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? quare rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Hocce schemate eum vt bellacem, vt generosum pugilem, & nonnisi victorias spirantem depingit. *Isaiæ* 63.

Iudæorum de Messia nænię.

Cæci Iudæi, & ad litteram crasse hæc Prophetæ verba exponentes, oculis animi velatis, & corde stupore & malitia pleno, Messiam belligeraturum fingunt, armis quoque illustrem futurum, militem conscripturum, signa militaria prolaturum, tubas inflaturum, acies instructurum, conflictus initurũ, agros & vrbes cæsorum hostium sanguine rubricaturum. Sed non hoc Propheta modo intelligendus, nec Messias, quem Prophetæ prædixerunt, bellax futurus, & nonnisi bella, sanguinem, cædes & conflictus militares spi-

rare

Messias rex pacificus & non beliax.

rate credendus, sed potius lenis, clemens, & pacificus, qui non armorum violentia, non militarium instrumentorũ impetu, sed prædicationis dulcedine, & crucis humilitate duntaxat inimicos debellarit, deque vniuerso mundo triumphum retulerit.

Isaiæ 53. Ierem. 9.

Hanc ob causam non inscite à Prophetis Isaia & Ieremia agno comparatur, animali inquam miti ac pacifico, quin se ipse describens, titulosque suos texens, prædicatorem se diuinorum mandatorum, non ducem aut armorum directorem futurum ait: audiamus loquentem: *Ego autem constitutus sum rex super Sion montem sanctum eius*, id est, Ecclesiam; non ad pugnandum, non ad belligerandum, non ad sanguinem humanum effundendum, sed *prædicans præceptum eius*, ad verbum Dei duntaxat annunciandum: quasi diceret, Missus à Patre meo sum velut pacis nuntius & interpres, non vero vt miles aut bellator.

Psal. 2. Messias missus vt prædicator: non autem bellator.

Oseæ 1.

Manifestius etiam per Oseam se prodit, dicens: *Saluabo eos in Domino Deo suo, & non saluabo eos in arcu & gladio, & in equis, & in equitib.* Quid afferri clarius potest? ecquod testimonium ad peruicacius os obstruendũ depromi euidentius, vt videant Messiam non cum armis aut armatis venturum? Eiusdem opinionis est & Psaltes, aitque in dieb. aduenientis Messiæ pacis & iustitiæ abundantiã, non bella vero aut deprædationem futuram:

Psal. 71.

Orietur, inquit, *in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.*

Bella & arma Messiæ spiritualia futura.

Fatemur tamen & verissimũ esse affirmo, atrocia & magna Messiæ bella incubuisse, in ancipiti sæpe conflictu decertasse, insignia in ijsse certamina, validos superasse hostes; sed bella hæc, conflictus & arma fuere spiritualia, & hostes eius caro, mors, peccatum, mũdus, & diabolus; arma vero illius non arcus, gladius, ensis, bestiæ, aut bombarda: sed sola humilitas, caritas, mansuetudo, & patientia:

2. Cor. 10.

qualia illa Apostoli: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, &c.* Atque per hæc ipsa Messias admirabilis factus est.

1. Reg. 17.

Victoria, quam adolescens Dauid de mole illa carnea Golia Philistæo retulit, per arma, quibus in eo profligando vsus est, multo reddita est illustrior: ferro enim, gladio, galea, clypeo, lorica relicta, & solo pedo pastorali & funda instructus aduersarium solo prostrauit, & suo eum ense iugulauit: *Et stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & interfecit eum, præcidit q; caput, &c.* Ita & arma, quibus ad hostes conficiendos vsus est Christus, maxime eum admirabilem reddidere: regium enim apparatum, munimenta, inquam, instrumenta, machinas bellicas, milites, exercitus, & alia belli propria negligens, solum crucis adhibuit baculum, qua inimicum deiecit, deiectumque suis eum armis obtruncauit. Allegoria.

Diabol⁹, inimicus ille iuratus, morte vel ut gladio ancipiti vtebatur, quem sibi ipse in peccati incude cuderat, quoq; neminem nõ iugulabat, iuxta illud Sapientis: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*: & hoc ipso gladio eum Messias interfecit: mors n. Christi Domini illius mortis fuit occasio. Vnde Psalmista magno hostis huius probro & dedecore velut exprobrans ait. *Lacum aperuit & effodit eum, incidit in foueam quam feci: conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Suis diabolis est armis victus. *Sap. 2.* *Psal. 7.*

Dauid etiam dum pastor, & Philisthæum iam prostraturus, iam tum Messiæ apparatũ & bellandi modũ prophetico præuidens spiritu, dicit: *Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus.* An non vere loqui est, & clare Messiæ aduẽtum, apparatum & morem bellandi prædicere? Anne enim machinas bellicas produxit, balistas campestres fixit, gladios cruentauit, loricas & thoraces induit, equos armauit, militem conscripsit, vt suis salutem afferret? nihil minus, neq; enim alia arma ad inimicos conficiendos; quam ipsa crucis adhibuit: ista omne eius fuit robur, ista in omnibus victoriarum eius occasio. *1. Reg. 17.*

Alius sublime admodum Propheta de his armis locutus est, & obscurissime ea descripsit, vere tamen, Abacuc, inquã, qui ait, *Cornua in manibus eius*, cornua inquam crucis in manibus gestabit: ac ne forte quis cogitet, arma hæc fragilia & inania esse; mox subdit: *Habac. 3.*

Armorum Messiæ descriptio.

Ibi ab scondita est fortitudo eius, abscondita scilicet Iudæis, sed clare fidelibus patens & manifesta. Declaraturus porro quanta armorum horum sit fortitudo & robur, illorum vim & victorias subiungit: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius*: id est, Iesus Christus, qui verus est Messias, per crucis suæ arma, in quibus fortitudo eius consistit, insigne tum dec⁹, tum admirabiles consequetur victorias: atq; inter alia ad triumphi gloriam, & armorum suorum valoris testimonium, mortem subactam subiugatãque ante se ducet, & diabolum ad pedes, velut rei bene gestæ trophæum & monumentum, vinctum habebit.

II.

Gen 32. Iacob Patriarcha Deo de felici itineris sui successu, & lætarerum omnium sorte gratias agens, dicit: *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Eodem plane modo Iacob noster Iesus Christus in crucis suæ baculo violentas & terribiles passionis aquas transijt, & in morte mersus resurgẽdo redijt; sed in admirabilis ascensionis suæ die, duabus comitatus turmis, vna hominum, Angelorum altera in cœlos reuersus est. Ita id exponit S. Augustin. à quo egregiam hanc allegoriam sum mutuatus.

Crux comparata cum Iacobi baculo.

S. Aug. ser. 76. de temp.

Cæterum admirabilis hic baculus à Prophetis in gladium est commutatus. Primus hanc ei cuspidem accudit Isaias, & gladij eum nomine nuncupat, sed gladij duri, potẽtis & fortis: *Visitauit enim Dominus in gladio suo duro & grandi & forti, super Leuiathan serpentem vectem.* Ensis hic adeo durus, magnus, & potens, vere est crux, qua Christus serpentem Leuiathan, id est, diabolum, prostrauit ac deuicit.

Isai 27.

Crux collata cum gladio duro & forti.

Finito iam diluuio pacem suam mundo spondens Deus, his vsus est verbis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Sed nostræ pacis & fœderis signum sacra Iesu Christi crux est, arcus inquam longe illustrior & insignior, reconciliationis nostræ symbolum, felicitatis nostræ nota, beatitudinis signum, pacis, remissionis, & indulgentiæ generalis delictorum argumentum.

Gen. 9.

Crux collata cũ iride.

Cœlestis arcus, vel iris, ac diuersicolor hoc signum, stulte a Platone Thaumãtis, vel admirationis filia nuncupatur, forte q̃ ob colorum picturarumque quas præfert varietatem, diuersitatem mixtionemq; oculos mẽtesq; hominum in admirationem rapiat: sed Iesu Christi crux vere & põt & debet à nobis admirationis & mirandorũ mater appellari: quid n. magis mirabile ac p̃digiosum videri audirive in mundo queat, quam Deum cruci affigi, & in Caluaria emori?

Plato in Theæteto.

Iris filia dicta admirationis.

Crux mater admirationis.

Iris nubes quędam densa est & crassa, quæ iuxta poetam; *Mille trahit varios aduerso sole colores*: Hoc quoque non ineleganter cruci Redemptori aptari potest, quid enim erat crux, antequam à magni illius solis iustitiæ, Iesu Christi inquam radijs illustraretur & tangeretur? quid præter fœdam, nigram, & densam quandam nubem? erat siquidem sceleſtorum supplicium, infamiæ theatrum, confusionis speculum, ignominiæ nota, ac quo nihil in mundo fuit probrosius; sed a Iesu Christo nobilitata, & à lucido illo sole, qui est Deus ita crucifixus, illustrata, mille trahit colores, mille honores, ac virtutes, & sexcenta mirabilia accipit.

Æneid. 5.

Crux per Deum crucifixum nobilitata.

Cum scalam illam illustrem & celebrem, quã inter dormiendum Iacob conspexit, dũ in Mesopotamiã tendit, quę extremitate vna cœlum & altera terram tangebat, per quam ascendebant & descendebant angeli; penitius contemplor, iam tum illa Messiæ incarnationem designatam fuisse agnosco, quod sane mysterium scalæ persimile est, extremitate diuinitatis cœlos & humanitatis terram feriens, & per id Angeli ascendunt & descendunt; mysterium reuera in scalæ formam cõcinnatũ, vt per ipsum cœlos petamus. S. Augustinus tamen per hanc ipsam scalam crucem Dominicam arbitratur adumbrari, quę reuera scala est, per quam sæpe homines in cœlos ascendunt, & sine qua ad tartara delabuntur; scalæ porro Deus innitebatur, quod cruci Christus affixus fuerit, qui Deus simul erat & homo.

Gen. 28.

Serm. 79 de temp.

Crux per Iacobi scalã denotata.

Item Patriarcha Iacob cum famulis Deos alienos & inaures eorum extorsisset, simul omnia

Gen 35. mnia subter Terebinthum defodit, *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus illorum, & infodit eas subter Terebinthum, quæ est prope vrbem Sichem.* Arbor hæc, ad quã idola Labani obruta sunt, vt quidem Rupertus notat, crucẽ Iesu Christi denotat, ad quam omnia mundi peccata, quæ reuera Dij quidam sunt, tumulata sunt.

Num. 21. Verba eius sonant melius: *Terebinthus*, inquit, *arbor resinam generans pretiosissimam, lignũ crucis quod virtutis est optimæ significat, subter quem omnia peccata nostra sepeliuntur, ne vltra vllum vestigium reperiatur.*

Omnia hactenus è veteri testamento velut figuræ producta egregia quidem sunt; nihil porro ad crucem Redemptoris denotandam occurrit aptius aut proprium magis, quã serpentis illius ænei, de quo in Numeris, erectio, cuius etiam hodiernum meminit Euangelium his verbis: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis* Vt historiæ seriem rite deducam, idq; ad sacratissimæ filij Dei crucis gloriam & honorem, bimembrem concionem pro more faciam, primo venerabilis huius & adorabilis crucis magnitudinem, maiestatem, honorẽ ac mirabilia deducam, deinde ad festi huius occasionem dilabar.

Triplex crux. Primo itaq; antequam prouehar vlterius, hic velut verissimum præsupponam, triplicẽ in monte Caluariæ crucem fuisse: primo crucem damnati latronis, quam gestãt, & in qua velut latrones, confixi sunt peccatores omnes & impij, qui in damnationis statu agunt,

Peccatum crux peccatoris. noctes enim & dies cruciantur, & incredibiles patiuntur cruciatus; cum omnis semper noxa pœnam secum trahat, & crucem humeris impendentem. Nouerat id Sapiens, dum scriberet: *Non est bene ei, qui assidue est in malis.*

Eccl. 12. Peccatum namque carnifex est, quod sine vlla cruciat requie animam, quæ ipsum commisit: in quo completur, quod ait Psaltes:

Psal. 31. *Multa flagella peccatoris*, id est, assidue cruciatur peccator, & tanta eius flagra sunt tormenta, & pœnæ, vt verbis exprimi nequeant. Flagellatur siquidem, antequam peccet, post commissum vero etiam agitatur & torquetur acrius, & quamdiu in peccato hæret, semper in cruciatibus versatur. Reipsa id nouerat Rex ille, qui lacrymans ac sub fasce gemens dicebat: *Peccatum meum contra me est semper.* Perinde ac si diceret: Peccatum meum inimicus meus est, sexcentas mihi inquietes & cruciatus parit, quietem nullam indulget, & assiduo in conflictu viuere me cogit.

Peccatum semper peccatorem sequitur. Psal 50.

Altera crux est latronis pœnitentis, ipsa inquam pœnitentia, in qua omnes illi configuntur, qui post furta & latrocinia varia cõmissa, id est, post ad iracundiam concitatum & exacerbatum Deum, de admissis dolentes, & creatorem suum agnoscentes, veniam è corde contrito ab eo postulant maiestatis cõtemptæ, bonitatis irritatæ, iustitiæ prouocatæ, eum Rege illo pœnitente animo humiliato, ore gemebundo, & oculis natantibus, dicentes: *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Boni latronis crux est pœnitentia.

Psal. 50.

Felici & bene ominosæ huic affixum cruci gloriari se ille potest, atque inde ad Iesu Christi regnum transire, qui cum Psalte pœnitente ait: *Dolor meus in conspectu meo semper,* id est, Adeo me pœnitet offensæ in Deum meum admissæ, vt vehementissimos idcirco in animo cruciatus experiar. Et sane quicunque ad illustre hoc peruingere supplicij vult, ac vere cor suum crucifigere, illud Propheticum seruet: *Pone te speculam statue amaritudines, &c.* id est, Excuba, omnes vitæ angulos circui, præterita omnia considera, futura prospice, & inde in amaritudines & dolores descende. Hæ porro amaritudines pacem conscientiæ pariunt, quas nouerat expertus, qui dicebat: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

Signum spiritualis crucifixionis per pœnitentiæ crucem. Ierem. 31. Isa. 38. Isa. 38.

Is, inquam, qui passionibus subactis, ac suiipsius victor vitæ infamiam summa cum laude interficere, & in præclara pœnitentiæ cruce infame peccati corpus configere vult, ijs moueatur motibus & affectibus, eo feratur ardore oportet, quo ferebatur pius ille & ardens Iudææ rex Dauid, vir secundum cor Dei, at commisso delicto, alijs haud dissimilis hominibus, & cum ipso ex desiderio charitatis faculis æstuante, quo cupiat cum

Deo viuere & mundo plane mori, dicat: *Confige timore tuo carnes meas.* Id est, sicut tu, ô Domine, mea causa in cruce fixus & vere mortuus es, hanc mihi gratiam præsta, pro te vt in cruce pœnitentiæ configi & in eadem emori merear: huic carnes, passiones, & carnales concupiscentias meas & omnia praua desideria timoris tui clauo affige & annecte. *Psal. 118.*

Timor Dei est vnus è clauis crucis pœnitẽtiæ.

Clauus enim hic imprimis necessarius est, vt in hac cruce maneamus, & vitiũ in ea extinguamus. Consulit id Sapiens & monet: *Nisi in timore Dei te tenueris, cito subuertetur domus tua.* Id est, nisi in pœnitẽtiæ sanctæ cruce perseueraueris, & quidem Dei tui timoris clauo confixus, animæ tuę domus cito collabescet, & omnis eius pietas pessum ibit. *Eccl. 27.*

Pœnitentię crucem suadet Christus.

Ipse vero Redemptor cum prope perspectum haberet, vt quantum saluti nostræ crux hæc conduceret, in Euangelio eam nemini non suasit dicens: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me.* Duo ex hisce verbis documẽta elicio: Primum, vt quis Christum sequatur, crucẽ hanc ferat oportet, & eam ante in humeris habeat, quam eum sequi possit. Secundum, quo hanc ferat, seipsum abneget necesse est; nemo enim cruci pœnitentiæ prout oportet ferendę idoneus est, qui non quicquid peccati, mundi, ac sui ipsius amorem sapit, jam deposuerit, in quo generalis quædam abnegatio consistit.

E cruce nõ est descendendum.

Tanti porro momenti hæc crux est, adeoque necessaria, vt ex quo semel eam susceperis, nunquam dimittenda sit; si eam conscenderis, nequaquam ex ea descendendum, etsi varijs impetamur modis, & mundus nobis descensum omni conatu persuadeat: idque Christi exemplo, qui tametsi instarent Iudęi: *Si filius Dei est, descendat de cruce*, in ea tamẽ ad mortem vsq; permansit. Et sane veri filij Dei à sanctæ pœnitentię cruce, ne quidquam frẽdente & ogganniente mundo, minime descisscent. *Matth. 27.*

Qui crucẽ pœnitentię non portat, non meretur esse discipulus Christianus.

Vere inquam crux hæc adeo necessaria est, vt, nisi illam in humeros sustollamus, filij Dei nominari non mereamur, & sempiterna gloria indigni penitus simus. Nam suo Redemptor ore in Euangelio, & Euangelium per Redemptorem ait: *Qui non accipit crucem suam*, crucem inquam pœnitentiæ, *& sequitur me, non est me dignus* Quid est, *non est me dignus?* id est, indignus est, qui Christiano vocetur nomine, indignus qui filius Dei dicatur, cœlestes non meretur gratias, verbo vt dicam, regno cœlorum & gloria æterna plane indignus est. Christus vero ideo in cruce fuit coronatus, & crux & corona ideo concurrerunt, vt hinc euidens fieret, in cruce filios Dei coronandos esse, & ab ea ad regnum & coronam immortalem viam sterni. *Matth. 10.*

Cur Christ' in cruce coronatus.

Tertia crux, fuit ipsa Christi, crux inquam justitiæ, quam q; gestant justi; singuli dum illud Apostoli sequuntur, & dicunt: *Christo cõfixus sum cruci:* quasi diceret: sunt qui mundo confixi sunt, & illi semper in pœnis & amaritudine versantur; sed ipse Christo saluatori meo confixus sum cruci, é qua gaudium & incredibile solamen haurio.

Crux quam ferunt justi, crux est justitiæ. *Galat. 2.*

Ad venerabilem hanc equitatis & iustitiæ crucem nos exhortatur rex ille, qui ait, *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Huiusmodi porro sacrificia offerre, est cruci Christi adiudicare, in eaq; jugulare & immolare omnia delicta & crimina, quod sane insignis iustitiæ actus est. Apostolus vero pios hoc omnes agere ait, huiusmodi iustitiæ actus rigide quidẽ, sancte tamen dum exercent: *Qui Christi sunt,* inquit, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* In quem locum ita scribit D. Augustinus. *Congruit nostræ deuotioni, vt quando Domini crucifixi passionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus.* *Psal. 4.* *Gal. 5.* *Aug. in glos.*

Pia S. Bern. meditatio.

Pius ille Bernardus ad crucis huius basin omnes eiusdem particularitates ac circumstantias pie examinans, ait eam, vtpote quadrangulam, vt hoc pacto quatuor mundi plagis responderet, significaretque vniuersso illam mundo plantatam esse Deumque se gestare, qui pro toto mũdo moreretur & satisfaceret, quatuor à Domino gemmis pretiosis exornatam fuisse, inferne quidem patientia, superne humilitate, dextrorsum charitate, & summa quadam obedientia sinistrorsum.

Christus quatuor gẽmis crucem exornauit.

De

Crucis Christi encomia

De hac ergo tertia cruce, ceteris omissis, hodie loqui decreuimus, eiusq; mirabilia deprædicare. hanc solam mortis triumphum, virtutum vitam, meritorum radicem, peccatorum ruinam, fidelium spem, orbis decus, cœli januam, hæresum auxilium, religiosorum solamen, fidei scutum, religionis basim, Christianorum fulcrum, peccantium refugium, & Ecclesiæ totius ornamentum appellare volumus.

Vires crucis.

Vere etiam Christi crux vniuersum mundum sanctificauit, tenebras fugauit, diem reduxit, lumen reddidit: ipsa in libertatem nos asseruit, vincula captiuitatis nostræ disrupit, inimicos in fugam egit, bellis finē imposuit, pacem nobis, honorem, diuitias, quietem, securitatem, & vitam attulit; ipsa errores dispulit, falsitates coarguit, veritatem docuit, idola prostrauit; ipsa ab oriente & occidente, à meridie & septentrione, & ex omnibus mundi angulis in vnam Ecclesiam & fidem sub vno capite gentes vocatas inuiolabili charitatis vnione coniunxit.

III.

Verum exigui mea encomia ponderis fuerint, si cum eis quæ SS. Patres de illa scripsere comparentur. quam enim illi in eadem celebranda vberes sunt & diserti? quam præclara crucis texunt præconia? Inprimis S. Ioannes Chrysostomus crucem omnis nostrę beatitudinis causam esse ait, per illam errorum caliginem discussam, per illam à tenebris ad lumē nos traductos, illam lassis dedisse requiē, qui gratia exciderant reconciliasse; eos qui procul erant reduxisse, exules & peregrinos veluti ciues & domesticos reddidisse: illam insuper discordiæ esse amputatricem, pacis firmamentum, omnium denique bonorum abundantem largitionem, &c.

Hom de cruce

SS. Patrum de S. cruce elogia.

Li. 2 fid c. 3.

Non inferiora, quin imo meo iudicio maiora sunt, quæ de ea scribit sanctus Ioannes Damascenus; vos ipsi, vbi verba audieritis, arbitri estote: *Omnibus*, inquit, *mirabilibus mirabilior est crux: per nullum enim aliud mors euacuata est, primi parentis peccatum solutum est, infernus spoliatus est, resurrectio donata est, & contra mundi aduersitates robur collocatum est. Per eam reditus in paradisum patefactus est, per eam cœli ianua reserata, per eam natura nostra ad dexteram DEI constituta, per eam filij & hæredes omnipotentis facti sumus, per eam denique æterni Patris potentia nobis est manifestata.* Dicine quid elegantius aut vberius potest?

Quin hæc ipsa præconia prosequens, alia crucis mirabilia adfert: *Hæc*, inquit, *dormientium resurrecti, infirmorum baculus, pastorum virga est, salus animæ & corporis, omnium malorum auersio, omnium bonorum datrix, peccati interemptio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ, lignum, inquam, adeo pretiosum, vt corporis scilicet & sanguinis IESV CHRISTI contactu sanctificatum omni cum honore & reuerentia adorari mereatur.* Euangelij scilicet hodierni occasione sanctorum Patrum de sancta cruce elogia producere sum coactus, in quo nimirum legimus: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, &c.*

Ibid.

Et sane vbicunq; locorum regium crucis vexillum fixum conspicitur, ibi IESV Christi victoria, & diaboli captiuitas insigni illius honore, & huius probro patescit. Per lignum serui constituti eramus, per aliud etiam lignum pristinæ sumus libertati restituti: per lignum paradiso pulsi eramus, per aliud in eundem aditus reseratus: arbor nos Dei reddiderat inimicos, & omnes iręe eius in nos torrentes accersierat, per Sacramentum vero crucis in gratiam cū illo redijmus, Deo reconciliati sumus, & cum Angelis amicitiam vnionemq; iniuimus. Adeo vt sicut crux nostra est gloria, ita & diaboli sit confusio & infamia.

Crux victoriarum Iesu Christi ficum gnum.

Crux diabo li confusio.

Vti patibulum, quod fastuosus ille Persa Mardochæo erexerat, illi exitium & mortem, huic vero simul & vniuerso Iudaico populo, qui vna cum ipso eandem aleam subibat, gloriam attulit ac vitam: ita & crux, quam superbus ille inferorum princeps Iesu Christo præparat, vnica ruinæ illius & confusionis fuit occasio, & è contra filio Dei & vniuerso generi humano summum decus peperit & honorem. Huius ergo nobis beneficij memoriam renouātur ab Ecclesia, & crucis magnitudinem, simul & quem eius adminiculo consecuti sumus honorem, declaratura, veterem illam de serpente figuram pro-

Esth 7. Allegoria.

producit, quæ his Euangelij verbis includitur: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.*

IV. Serpentis in deserto erectio vera Christi crucifixi figura.

Hæc porro figura omnibus passim obuia, & à SS Patribus velut vera crucis nota vsurpata, omnibus suis membris & circumstãtijs est plane admirabilis, nec esse vel in lege, vel in Prophetis aliquid ipse mihi persuadeo, quod Christi crucem euidentius & conuenientius repræsentet, quodque verum magis eius sit hieroglyphicum, quin imo serpens ille in hasta in Synai deserto eleuatus vera Christi est in Caluarię solitudine in crucem acti imago.

Num. 21. Primo enim serpens ille in spectaculum erectus serpentis quidem imaginem referebat, reuera tamen & effectu serpens non erat; veneno enim carebat: Ita Christus carnem quidem in similitudinem & instar peccatoris induit, vere tamen peccator non erat. Docet id Apostolus hoc modo de hocce mysterio

Philip. 2. locutus: *In similitudinem hominum* peccatorum *factus*, non quod docere Paulus, aut persuadere ipse vobis velim, verum hominem non fuisse Christum: vti falso id docuere Manichęi; sed duntaxat, quod peccator & similis alijs peccatoribus videretur, etsi reuera omnis esset peccati expers. Quod & manifestius in ea quæ ad Romanos missa est Apostolus declarat: *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*, quasi diceret, filius à Patre velut homo missus, carne constans & ossibus, esse etiam peccator videbatur, & ceterorum instar peccatoris gerebat similitudinem.

Christus peccatoris similitudinẽ habuit, peccator reuera tamen non fuit.

Rom. 8.

Deinde serpens hic in altum elatus erat hastili, vt hoc pacto commodius & à pluribus serpentium veneno saucijs conspici posset, vtpote, qui conspectus ægris medelæ erat & solatio. Ita & Redemptor Iesus in crucem

Ioan. 12. sublatus fuit, eiusque crucifixio *exaltationis* nomine sæpenumero in Euangelio denotatur. Ioannis decimo: *Ego si exaltatus fuero à terra*; & alibi: *Cum exaltaueritis filium hominis* Vt

Ioan. 8. nimirum peccatores à vitijs, veris inquã serpentibus saucij, ipsum, etiamsi numero plurimi, facile & commode contemplentur, cum vel vnicus Christi cruci confixi conspectus huiusmodi mederi torminibus, morbisque soleat.

Huic præterea serpenti, vero aduersus venena antidoto, illud erat proprium, vt quotquot ipsum intuerentur, quocunque etiam morsu læsi, ilico persanarentur, alij vero qui ab eo oculos è contemptu auerrerent, morsi exstinguerentur. Ita quotquot in Christum credunt crucifixum, eum libenter in cruce conspiciunt, quamcumq; demum plagam in anima habeant, à peccatis eripiuntur, & in viam salutis redeunt. Vnde Apostolus: *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti* At qui eam explodunt, & veritati oculos occludunt, nę illi perditionis iter ambulant, inque æternæ mortis versantur discrimine.

Rom. 1.

Denique vnicus hic serpens in omnium Hebræorum salutem, & omnium à quocumque serpente morsorum medelam erectus fuit: & tam qui prope erant, quam qui aberãt remotius, æquali sanabantur discrimine modo in ipsum oculos conijcerent: ita & vnicus & solus Christus in omnium nostrum salutẽ datus est, quacunq; demum peccati lue infecti sumus, quod confirmans Apostolus ait:

Rom 10. *Christus ad iustitiam omni credenti*: & tam qui distant remotius, quam qui adsunt vicinius, oculos duntaxat in hanc conijciẽtes crucem, & delictorum veniam, & vitam consequuntur æternam. Id est, tã omnes antiqui patres, qui jam inde à mundi exstitere exordio, & ad finem vsq; seculi secuturi sunt, qui nimirum fidei oculis Iesum Christum crucifixum viderunt, & videbunt (vt de Patriarcha Araham coram Iudæis ipse Redemptor ait: *Abraham pater vester vidit diem meum, vidit & gauisus est*) quam qui modo viuunt, per fidem in Christum saluantur, id est, per fidem, quam patres habuere, nepotes habebunt, & nos modo habemus, in Christum crucifixum. crux ergo eius ad totius mundi salutem sufficit. Hæc igitur est ratio, cur hoc hodie Euangelium legendum ab Ecclesia proponitur: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, &c.*

Omnes qui fuere, sunt & erunt ad finem vsq; sæculi, per fidem in Christum saluati.

Ioan. 8.

Crux Christi est in salutẽ totius mundi.

Leuit. 23.

Admirabilem hanc Christi in cruce exaltationem in Leuitico etiam adumbratam legimus.

gimus. Iussit eo loco Deus, vt dum primitiarũ manipuli offerrentur, illi in altũ Deo primum tollerentur, quo ita illius ira placaretur, seque populo & offerentibus propitium exhiberet. legis hæc sunt verba: *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabi e sit pro vobis.* Ex vniuersa messe vnum duntaxat postulat Deus manipulum: quod vnicus inter omnes homines Christus illum placare & mundo reconciliare iratum debebat. ipse siquidem verus fuit manipulus in quo diuinitas tam animæ quam corpori vinculo & nexu quodam indissolubili vnita & colligata erat: qui manipulus hoc compactus modo, in crucem sublatus Deo acceptissimus & gratissimus fuit, illius furorem leniit, iram placauit, & ad miserendum induxit; adeo vt homini commissa condonarit, in pristina naturæ suæ iura restituerit, vitamque illi æternam in mercedem ac præmia, si modo fidele illi obsequium præstet, sit pollicitus.

Allegoria.

Crux arbor valida est.

Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, &c. Exaltatio porro hæc in arbore crucis facta est. ô arbor inter arbores omnes excellens, præstans & valida! valida inquam & fortis, cum ferre potuerit illum, qui potentiæ suæ humeris omnia gestat; magnum inquam illum & generosum Atlantẽ, qui duos vniuersi totius axes & cardines nutu sustentat suo, at arbor ab omni æternitate in mundi redimendi fabricam delecta: de qua Prophetæ & Isaias inprimis loquuntur: *Forte lignum & imputribile elegit artifex sapiens.* Forte nimirum, cum pepulerit, fregerit ac subegerit fortem illum armatum, de quo meminit Euangelium, lignum quoque putredinis & corruptionis expers, non quidem natura sua, sed quod pretioso Iesu Christi sit sanguine irrigatum, & à sacrosanctis illius membris contactum. Lignum etiam in illo Dauidis, quo Philisthæum ipse prostrauit, adumbratum lignum denique, in quo erectus fuit nõ iam serpens ille æneus, sed filius hominis, nec in ipso deserto Sinai, sed in monte Calua riæ, iuxta illa Euangelii verba: *Sicut exaltauit Moyses serpentem,* &c.

Isai. 4. Crux ab omni æternitate delecta ad mundi redemptionem. 1. *Reg.* 17.

Crux signũ bellicum.

Cum ipsum *exaltandi* verbum audio, & ex altatum in cruce Christum intueor, occurrit ilico menti; curtoties crux signi ac vexilli nomine in Scriptura vocetur. reuera enim crux regium filii Dei vexillum est, de qua scilicet canit Ecclesia: *Vexilla regis prodeunt.* & signum bellicum, quod hauddubie erit illud, de quo in Matthæo legimus: *Tunc apparebit signum filii hominis* quæ verba etsi Caluinus & alii, quos in Catena sua producit Marloratus, de cruce negent intelligenda, & hunc illorum esse velint sensum: Tunc scilicet Redemptor Iesus tam clare euidenterq; apparebit, ac si dato erectoue signo aliquo mundi totius ad se oculos attraxisset; omnes tamen Patres Ecclesiæ in alia longe secedentes, & veritatis partes defendendas suscipientes, de cruce Saluatoris locum illum interpretantur: quorum nonnullos ad aduersariorum probrum & cõfusionem producam. Primus sit S. Ephrem in oratione, quam de ipsa crucis in die iudicii apparitione habuit; Secundus, Hippolytus oratione de mundi consummatione, & aduentu Antichristi; Tertius, S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 15. Quartus, S. Chrysostomus homiliis 55 & 77. in Matthæum; Quintus, S. Augustinus, serm. 130. de tempore. qui testes si reiiciantur, alii in aciem prodeant, Origenes scilicet, D. Hieronymus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, V. Beda & alii plures, qui vno omnes ore de cruce hæc verba capiunt: & huic interpretationi accedens Ecclesia hodie canit: *hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

Matth. 24. *Marloratus in Catena, c.* 24.

Quinimo Thomas Waldensis magni vir nominis & scientiæ non sine ratione ac veri similitudine docet, crucẽ eamdem ligneam, cui Christus affixus fuit, & hodie per vniuersum orbem per frustilla spar sa est, tunc rursus virtute quadam diuina coagmentandam, & integram in die iudicii in cœlo apparituram, cui opinioni & paulo ante producti Patres videntur adstipulari, quin & Sibyllæ tale quid innuunt, quarum vna hoc cruci dedit elogium: *O lignum cœli, in quo Deus ipse pependit.* Videndus & S. Thomas.

Tom. 3. Tract. 20. cap. 159.

Lib. 6. Oracul. Sibyl. 3. p. q 54. art. 4.

Ad hoc porro alluisse signum videtur Isaias scribens: *Leuabit signum in nationib sibi-*

Isaiæ 5.

labit ad eum de finibus terræ, ecce festinus velociter veniet. Etsi hoc ad litteram de Assyriis aliisque gentibus externis, quas Deus velut proposito signo & expanso vexillo ad Iudæorum destructionem euocauerat, intelligi debeat; verum tamen per signum hoc positum capi non incommode Christus ipse potest, quo in crucem elato & exaltato, omnes ad bellum euocati sunt, vt eum inimicis decertent. Crux fuit bellicum signum.

Mox autem vt signum hoc regium patuit, omnes passim concurrerunt vndique, vt sub hoc magni huius regis signo mererent, Sacramentum præstarent & obsequium, & sub cruce velut sub vexillo valde confligerent, idq; ex omnibus mundi angulis & plagis. Atque hoc significat Euangelium nostrum, dum ait: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto*, &c.

Insignis figura quoad crucis exaltationem.

Eleuationis occasione occurrit præclarum Iosuæ factum. Hic enim iamiam cum incolis Hai (quæ in finibus Chanaam sita est vrbs) conflicturus, quo sui decertarent animosius, Dei iussu clypeum suum ingentem in altum extulit; quo facto exercitus vniuersus ad cõflictum est animatus: *Dixit Dominus ad Iosue, Leua clypeum, qui in manu tua est, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam; cumque eleuasset clypeum ex aduerso ciuitatis.* Tradunt Hebræi, quos suis in comment. sequitur Lyranus, clypeum hunc longo in hastili præfixum fuisse, quo ab omnibus conspiceretur. Designabat hoc Christum Dominum in summo crucis ligno ad eundem modum eleuatum fuisse, vt ex illo ab omnibus conspiceretur; omnes ipse velut vmbo & scutum descenderet, & illo Christiani omnes spectaculo, simul & vniuersum Ecclesiæ agmen ad strenue bellandum animaretur.

Huc respexisse & alluisse visus est Apostolorum princeps, & magni huius exercitus sub auspicio imperioque Iesu Christi caput, Petrus, quando in sua epistola Ecclesiæ milites ad certamen cum mundo in eundem excitat dicens: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. *Petr.* 4. Quod Græce significantius est & acrius, τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθαι? id est, hac vos cogitatione velut armis quibusdam obarmate, vel potius, iuxta hanc cogitationem armamini, vt scilicet crucis & passionis Dominicæ robur ostenderet, cuius vel sola memoria semel, velut valido & septemplici scuto tecti, omnigenos aggredi hostes, & certam nobis spondere victoriam possumus. Ipsa scilicet Ecclesiæ clypeus, & fidelium omnium scutum est. Crux Ecclesiæ scutum.

Scutum inquam, quod tanto nobis verborum pondere Apostolus in ea, quæ ad Hebræos est, commendat; *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* *Hebr.* 12. Quis enim sub tribulationum & aduersitatum fasce fatiscat deficiens: quis in medio aduersus tentationes certamine arma abiiciat? quis persecutionibus instantibus & ingruentibus animo cadat, si crucem & passionem Dominicam sibi ob oculos posuerit? ecquis miles pauidus sub tam strenui ducis signo merens expallescat? quis adeo languidi & plebeii animi futurus, qui ictus & cõflictus declinet, tam imperuio se clypeo protectum credens? Crux animat omnes.

Hoc sub clypeo delitescebat, credo, amans illa sponsa, cum tam generose de sponso suo ait: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* *Cant.* 1. Quæ verba hoc modo exposuit Venerabilis Beda: *Christus tamquam myrrhæ fasciculus tunc inter vbera sponsæ commoratur, cum Ecclesia mortem sui Redemptoris, sine intermissione intimo corde meditatur.* *Super Cant.* 1. Beata porro anima illa, quæ tam illustribus se pascit cogitationibus: & securus ille est Christianus, qui aduersus mundi impetus & persecutiones tam forti se clypeo obarmat & communit. Beatus rursus ille, qui aliud oculis non obiicit, aliud corde non volutat, aliud ore non profert, quam Christum Iesum, & hunc in crucem sublatum, de quo in Euangelio scribitur: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet*, &c.

V. Christus crucifixus turris est fortitudinis.

O vere admirabilis exaltatio! ὅ arcana crucis myst. ria! videntes porro Christum in crucem exaltatum, nõ modo illo velut signo quodam bellico proposito ad certamen nos vocari credamus, nec clypeum duntaxat illũ putemus, quo in pugna communiamur, sed esse insuper propugnaculum inexpugnabile, & turrim quamdam fortitudinis, quæ nos

plane

plane tueatur, atque inuictos & insuperabiles reddat. Non abludit ab hoc Psalmista, dum ait: *Deduxisti me, Domine, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Quæ Augustinus verba hac paraphrasi explicat: *Vnde factus est spes nostra Christus, nisi quia passus est, & resurrexit? nos enim non noueramus nisi nasci hominem, & mori; & resurgere hominem, & viuere in æternum non noueramus suscepit quod noueras, & demonstrauit quod non noueras; ideo factus est spes nostra in tribulationibus. Sequitur Turris fortitudinis à facie inimici. Angitur cor meum, laboro inter tentationes & scandala, is est mihi turris fortitudinis, propugnaculum & ars mea.* Quæ omnia ad Christi in crucem eleuati præconium diriguntur, ytque hinc liquido pareat, ab exaltatione crucis Dominicæ omnem nostram protectionem, tuitionem, & vniuersum robur nostrum dependere.

Psal. 60.

In Psal. 60.

Huiusce rei illustre nobis exemplum hieroglyphicum Apocalypseos suæ initio suggerit sanctus Ioannes, vbi vidisse se ait: *Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem & oculos septem.* Quæcumque demum loci huius & imaginis expositiones aut scriptæ sunt, aut mente concipiuntur, certissimum est per mirabilem hunc Agnum, IESVM Christum denotari, quod agni ritu in crucis sit ara pro hominum redemptione immolatus; atque hæc Origenis est ratio, ex illis Isaiæ vaticiniis deducta. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum; sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quid porro sibi septem illi oculi, & totidem designant cornua? Oculis magna illa eius illuminatio, & sedula ac quodammodo anxia prouidentia, septem Spiritus sancti donis, per quam & qua Ecclesiam suam regit & gubernat, innixa designatur. Cornua vero iam tum quamdam obscure eminentem potentiam, & excellens illius in omnia dominium repræsentabant, cum septenario & vniuersalitas, & quædam in suo esse perfectio denotari numero soleat.

Apoc. 3.

Isai. 53.

Septenario numero vniuersitas & perfectio notatur.

Etsi vero variæ nominis Cornu sint significationes, ac diuersimode in sacris litteris capiatur. nam interdum regna denotat: hinc apud Zachariam quatuor monarchiæ & primaria totius vniuersi imperia, cornuum nomine accipiuntur: ita & in Psalmis regnum Dauidis *cornu* repræsentatur, *Illud producam cornu Dauid.* interdum magnitudinem, maiestatem, excellentiam, vel prærogatiuam quamdam, tam in bonam quam deteriorem partem notat, duplici hoc sensu illud Psalmista vno in loco vsurpauit, dicens, *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Vt plurimum tamen animos generositatem, & robur signat, vti in Psalmo 17. *Protector meus, & cornu salutis meæ*, id est, robur & fortitudo animæ meæ. Hinc in illo Apocalypseos loco per cornua illa Agni non modo sublimis quædam potētia & regnum, sed etiam maximum quoddam & excellens robur exprimitur. Septem vero cornua (quo numero mystice vniuersalitas & perfectio quædam signatur) denotat in Christo Iesu vero Agno, omnis maculæ experte vniuersale quoddam, generale, & perfectissimum robur fore.

Zach. 4.

Psal. 131.

Psal. 74.

Psal. 17.

Cornua varia in Scriptura denotantur.

Illustris hic Agnus septem hisce cornibus obarmatus omnes mundi gentes ventilauit; quod omnes olim Prophetæ, & Moyses præreliquis prædixere. Hic enim in Deuteron. suo de Messia loquens, ita de illo locutus est, *Cornua rhinocerotis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes.* Locum hunc excutiens magnus Tertullianus, ad crucis effecta eum refert, atque verba hæc de Christo vere scripta asserit, qui in crucem exaltatus, & in ea roboris sui cornibus patefactis, de vniuerso terrarum orbe triumphum egit, & omnes sibi gentes subegit.

Deut. 33.

Lib aduers. Iud. cit. quod Patriarchæ ostendant figurã crucis.

Nititur vero Tertullianus, (& sane notatu dignum est) eo, quod in illo Apocalypseos loco dicatur Agnus iam tamquã occisus cornua sua exseruisse: quod in cruce præsertim Agnus ille immaculatus Iesus Christus robur suum, virtutemq; ostenderit, & potentiam exercuerit. Prædixit & præuidit hoc iam à multis sæculis Abacuc, qui postquam in manibus eius cornua conspexisset, per quæ non inepte crucis extremitates & anguli capiuntur; mox subnectit: *Ibi abscondita est fortitudo eius*: id est, in crucis exaltatione apparēt cornua, elucet virtus, patet robur, clarescit potentia,

Robur Christi latet in cruce.

Abac. 3.

tentia, & omnigena inde prodire miracula constat.

Ezech. 9. Et sane ingens robur, eximia virtus, insig ia in cruce, & per crucem elucent mirabilia. Hinc in Ezechiele legitur, Deum, dum hinc Angelos ad terram, mare, arbores, homines perdendos emitteret, statim illinc alteri Angelo mandasse, vt frontes gementium plangentiumque signo Tau notaret, quin & aliis angelis ad stragem & excidium emissis indixisse, vt quam perdendi nocendique acceperant potestatem, cõtinerent, differrentque, donec & alii hoc signo notarentur, vti in Ioannis Apocalypsi ad oculum legenti patet, *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei in frontibus eorum.* Signum hoc, per quod serui Dei protegũtur, & quod lachrymantium frontibus insculpitur, aliud mea quidem sententia non est, quam signum crucis; signum inquam magni roboris & insignis virtutis: quod non minus quam nota illa Angelorum signatos, ab exterminatorum strage & excidio tuebatur, ita seruos Dei crux à spiritualibus dæmonum exterminiis & malis, ab æternis cruciatibus & animarum condemnatione liberet & immunes præster.

Apoc. 7.

VI. Denique verbo vt concludam, crux potest omnia, efficit omnia, ab illa omnis nostra dependet salus, & in qua quod olim Zacharias prædixerat, aut potius quod per illum Deus promiserat, completur; ait enim,

Zach. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ierusalem, in ablutionem peccatorum, & menstruatæ.* fons hic Christus est, in crucem extensus, & confixus, tot patulus vulneribus, quot sons fistulis, è quibus pretiosus eius sanguis in delictorum ablutionem, & animarum salutem, in monte Caluariæ quam copiosissime profluxit.

Apostolus porro Paulus diuinam hanc crucem tanti facrebat, eam vt culmen & apicem vniuersæ scientiæ suæ crederet, libereq; fateretur, omne suum scire in sola Christi

1. Cor. 5. crucifixi cognitione situm esse: *Non iudicaui,* Virtutes omnes cruce continentur. inquit, *me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Legem ipse percallebat, in historiis veteribus apprime versatus erat, Philosophiam non ignorabat, in Theologiæ intima penetrarat; his tamen omnibus crucis Christi scientiam præferebat; ostendere volens, humilitatem, obedientiam, fidem, charitatem, ceteraſque virtutes omnes in vno Deo crucifixo integre perfecteque contineri. Hæc nempe perfectissima scientia est, & omnis Philosophiæ magistra.

Nec tantum scientiam suam ad crucis scientiam Apostolus metiebatur, sed omnem quoque honorem & gloriam suam in eadem constituebat, & Redemptoris crucem velut vnicum gloriæ suæ celebritatisque scopum credebat, dum diceret; *Mihi autẽ absit gloriari* Galat. 5. *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Sed exi- In cruce sotum non inuenirem, si per patentem hunc la Paulus campum longius excurrerem, & per admira- gloriabatur. bilem hanc materiam latius exspatiarer: tempus est ergo canere receptui, & ad alterã partem accingi, qua primarias institutæ celebritatis huius causas deducere promiseram.

VII. Ergo vt exordiar, iure meritissimo dixerim, hodie Catholicam Ecclesiam plaudere, & in gloriosæ & beatæ crucis huius ab Helena Imperatrice quæsitæ & repertæ inuentione lætari: cuius rei seriem paucis complectar. Anno à Christo mortuo prope centesimo & quadragesimo, Adrianus Imp. idolorum studiosissimus & Christianorũ persecutor acerrimus, vt Dominicæ crucis & decus tolleret, vel obscuraret, & omne eius orbe toto nomẽ proscriberet; loco quodã obscuro & sordido vna cum aliis duorũ latronum crucib. terræ eam iussit infodi, vtq; omnem eius memoriã aboleret, obscenam Veneris statuam eodem loco erigi iussit. Verum vt Propheta ait; *Non* Ezech. 8. *est sapientia, non est prudentia non est consilium contra Dominum,* aut quod diuinorum decretorum voluntatisque cursum infringit.

Hic anno trecentesimo duodeuicesimo, regnante Constantino Imp. cœpit crux fieri illustrior, & gloria eius per omnium ora terraſq; diuagari: & ea quidem fama & honore, vt, cum potentissimi reges eam colere inciperent, suisq; eam cordibus insculptam gestarent, quam beatissimos se etiam crederent suis eam insignibus affigere & incidere. Atque inter primos is ipse Constantinus, cum enim adhuc idolis addictus cũ Maxentio ty- Imp. Conranno bello decçrtaturus de exitu eius dubi- stantinus

taret

crucis honorem restaurat.

taret trepidans ; ecce sub meridiem crucis signum in aëre rutilans & sublustre conspexit, cum hac circumsecus epigraphe : *In hoc signo vices.* Sequenti dein nocte cum ipse Redemptor orbis dormienti cum hoc eodem signo apparuisset, omnibus vexillis suis & signis ipsam insculpsit, eiusque adminiculo hoste profligato illustrem victoriam retulit, atque inde in veritatis Christianæ partes concedens, Christiana suscepit sacra, & vniuersam Ecclesiam florentem reddidit, ac mirabiliter propagauit. Adeo quidem, vt & mater eius Helena, eamdem complexa fidem, & eadem pietate mota, anno circiter CCCXXVI. nocturnis commonita visis Jerosolymam versus profectionem instituerit, ipsam Domini crucem quæsitura, suoque eam honori dignitatique restitutura ; quam tandem præuiis illustribus miraculis reperit, è quibus & certior facta est, & ipsam ab aliis distinxit. Vt vero perpetua rei huius foret memoria, & felicis huius inuentionis dies ad posteros immortali recordatione propagaretur, solemni eam celebritate colendam Ecclesia indixit, & quidem ob varias easque præclaras rationes : quarum hæc prima sit.

Imperatrix Helena Jerosolymam proficiscitur crucem quæsitura.

Per miracula reperta crux.

Prima festi huius instituendi ratio.

Ecclesia in sanctæ crucis inuentionis die exultat & gaudet, quod hæc eadem admirabilis inuentionis, qua Deus in mundo redimendo vsus est, memoriam renouet, & reficret ; crucis inquam, quam inuentionem proinde Augustinus *altitudinem diuini consilij, super salutem humani generis* nuncupat : de qua inuentione & Esaias locutus est : *Notas facite in populis adinuentiones eius*, & illas imprimis, quas ad mundi redemptionem salutemque adinuenit. Erat hæc inuentio, quam tanta cum gestientis animi lætitia Psalmista meditabatur, vt eam omne suum esse fateretur exercitium, & occupationem veluti quotidianam, dum ait : *In adinuentionibus tuis exercebor*, & illis præsertim, quas in hominum genere redimendo adhibuisti.

Psal. 79.

Deus variis vsus est inuentionibus ad honorandum.

Plurali numero dixit, *in adinuentionibus*, quod Deus suis in consiliis inscrutabilis, & in executione illorum plane incomprehensibilis, ad hominem honorandum & potentiam suam ostendendam plures vsurparit adinuentiones. Prima fuit creationis, qua omnia è nihilo producta esse & subsistere voluit, quæ sane inuentio hactenus inaudita & veteribus Philosophis fuit incognita. Secunda, incarnationis, per eandem hominem induens, vtscilicet Deus, in terram descēdens, fieret homo, quo hominē in cœlū subueheret ; paupertatem amplectens, vt homo ditesceret, quæ sane adinuentio adeo portentosa & mirabilis fuit, vt vel de eadem loqui audientes Prophetæ expauerint consternati, & is inprimis, qui tremens ait, *Audiui auditionem tuam & timui, consideraui opera tua & expaui.* Tertia, mortis, passionis, & crucis Jesu Christi, quæ reuera magna in mirabilibus, & admirabilis in potentia fuit inuentio : de qua apud alium Prophetam legere est, *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos*, quasi dicat : mundum per crucis beneficium redimere & saluare tam illustris fuit inuentio, vt Deum suam excitare & exerere potentiam opus fuerit.

Abac. 3.

Psal. 79.

Christus vt verus Dei filius in cruce agnitus.

In cruce igitur Christus magnam & insignem ostendit potentiam : in illa enim fixus cum esset, terra contremuit, petræ scissæ sunt, sol obscuratus, terra caligine & tenebris offuscata, & Centurio filium Dei agnouit, dicens : *Vere filius Dei erat hic* ; &, qui mortuos ad vitam reuocans, ægros persanans, dæmones pellens peccatores conuertens, patrans miracula, à mundo cognitus nō fuit, in cruce tandem agnitus est. Prædixerat id ipse apud Joannem dicens, *Cum exaltatus fuerit filius hominis*, in crucem *tunc* Ceaturio, vos, & mundus vniuersus *cognoscetis, quia* verus Messias, vnigenitus Dei filius, & orbis totius Seruator *ego sum.*

Matth. 26.

Ioan. 8.

2 Ratio.

Magnū diuini amoris in cruce testimonium.

Secunda festi huius inuentionis celebrandi ratio fuit ; quod ipsa crux admirabilis adinuentio, & magni, imo infiniti, erga homines Christi amoris fuerit testimonium. Sequor in hoc præeuntem mihi Apostolum ad Romanos, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Pro eo vero, quod Latinè habemus *commendat*, Græcè est συνίστησι, quod verbum non solum commendare, sed

Rom. 5.

etiam nobilitate, notum facere, & illustrare denotat. Quoniam vero illustre quid est & nobile inimicis benefacere, hinc merito illustrem quemdam & regium amorem Deus patefecisse dicitur, cum pro peccatoribus, id est, inimicis suis mortem oppetiit.

Ad amoris porro huius exaltationem hæc Apocalypseos verba de Christo prolata ferenamus oportet, *Et princeps regum terræ, qui dilexit nos* quæ per antitheta hoc sensu capiēda sunt: Magnus ille regū Rex, qui nos amauit, tam pulcher tam fœdos & deformes, ipse bonus nos sceleratissimos, ipse diues & locuples pauperculos & misellos, ipse potens monarcha nos viles, denique ipse Deus magnus, & Regum terræ princeps nos obscuros, plebeios, gregarios, & nullius numeri aut momenti.

Apoc.1.

Hanc ob causam, vt alias taceam, Apostolus ad Ephesios Dei erga homines amorem, nimium & excedentem vocat: *Eramus*, inquit, *natura filij iræ, sicut & cæteri; Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos.* Eodem item sensu ingens hic amor absolute *excessus* in Euangelio dicitur: nam verba illa de colloquio inter filium Dei, Eliam & Moysen in monte Thabor in die Transfigurationis, *Loquebantur de excessu*; potissima sanctorum Patrum pars de Christi morte & cruce explicant; quæ vere non minus quidam amoris & affectus, quam tormentorum & pœnarum excessus fuit.

Ephes.2.

Luc.9.

Crux excessus quidam amoris est, vti & pœnæ.

Eodem item sensu accipiunt illa Joannis verba: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: quæ ita exponi queunt: Redemptor cum suos ab æterno; & ante omnia sæcula prædestinatos dilexisset, dilexit quoque eos in finem, tum scilicet, cum humanam naturam assumpsit: vel, cum ita suos in incarnatione nascendo dilexerit, magis hauddubie eos dilexit in passione moriendo; fuit enim hic velut finis & vltimus amoris gradus, quo maior dari cogitarique non potest.

Ioan.13.

Amor quē in cruce Dominus ostēdit, vltimus fuit amoris gradus & finis.

Vt vero finem faciam, adeo magnus in cruce Christi se amor exeruit, vt cognosci perspicique penitus non possit, & omnem scientiam nostram, quinimo cogitationes ex cruce omnē superet, vt testatur Apostolus dicens: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* quo loco *scientiæ* dandi casu positum est, & regitur referturque ad *supereminentem*; vt is plane sit sensus, Amor & charitas Christi omnem excedit scientiam. fauent etiā verba textus Græci, qui præfert, ὑπερβάλλουσαν τῆ γνώσεως ἀγάπην, id est, charitatem, quæ omnem excedat scientiam.

Amor Christi in cruce omnē superat notitiam.

Et sane, qui veram amoris imaginem & hieroglyphicum videre vult, respiciat Iesum Christum in cruce pendentem: nam exterior corporis habitus & schema interiori amori cordis respondet. Patentibus apertisque pender brachiis, vt nos amplectatur & stringat; capite prono & pendulo, ad nos exosculandos; manibus transfixis, vt nos in gratiam recipiat; latere patulo, vt in ipsum nos admittat; clauis confixus est, fixum constantemque suum, quo nos prosequitur, amorem vt testetur, mortis causam scriptam super caput gestat, vt doceat, salutis nostræ amorem ac desiderium vnicam sibi tot cruciatuum & pœnarum causam fuisse. Scio Nazianzenum aliter philosophari, & omnia crucis mysteria ac delicti admissionem adaptare, lignum ligno, manibus manus (sed hoc cum discrimine, quod peccantis manus solutæ & inconstantes fuerint, Redemptoris vero fixæ & hærentes) fel gulæ, spineam coronam prauæ vitæ directioni, morti mortem & reliqua reliquis opponere, sed hic non fisto.

Christus in cruce verū hieroglyphicum amoris.

Apolog.1.

3. Ratio.

Tertia fundamentalis solennitatis huius, & proinde publici, quod inde promanat gaudij causa est, quod illustrem Christo gloriam & honorē & decus crux attulerit. Hinc in sua ipse ad Deum Patrem oratione ait, *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* perinde ac si diceret, Mortis meæ hora iam venit, quæ in cruce futura est, ex illa porro honorem & maximam mihi euenturam gloriam spes est. Sponsa quoque in Canticis in persona Salomonis Regis crucis & passionis Iesu Christi diem, diem consecrationis & coronationis illius, diem desponsationis, diem denique lætitiæ cordis eius nominat; ita porro loquitur, *Egredimini filiæ Sion, & videte*

Ioan.17.

Cant.3.

dete Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. Salomon hic ipse est Christus, à quo coronatur mater & Synagoga, diadema sertum est spineum, dies vero coronationis huius regiæ dies est passionis, crux vero thronus fuit. Crux ergo honori illi fuit decori, & gloriæ. Vnde & Apostolus ad Hebræos, *Eum, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, &c.* Prædixerat id multo ante Psalmographus dicens: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, in die scilicet passionis, sed mox addit: *Gloria & honore coronasti eum, &c.*

Hebr. 2.

Psal. 18.

Cœlos quidem præcones & diuulgatores gloriæ Dei esse alio ait loco, dicens: *Cœli enarrant gloriam Dei*; at de cruce hoc longe dici verius potest; ipsa namq; filij Dei gloriam per vniuersas orbis plagas protulit, maiorq; Deo è cruce, quam è totius orbis creatione honor obtingit. Et ratio quidem congruens est: nam aliis in operibus supremus ipse rerum creator non tantum bonitatis amorisq;, quantum in cruce ostendit. Eam namq; velut doctor suam fecit cathedram, velut Rex suum vexillum, velut Pontifex suam aram, velut Deus sedem & thronum, hinc illam cultu latriæ, & eo quo Deus ipse modo adorari, colique voluit. Testem huiusce rei habeo sanctum Thomam, qui sine vllo idololatriæ periculo, & sancta quadam religione lignum & crucem Dominicam à nobis docet posse adorari, non tam repræsentationis & imaginis causa, quam quod sacra Christi Christi membra tetigerit.

Crux enarrat gloriam Dei.

3. p. q. 12. a. 4.

Per crucem Christus regnum obtinuit.

Vt vero quam Christo gloriam crux attulerit manifestum fiat, dico inter alios honoris titulos regnum illi, & imperium tributum esse. Idque probatur primo ex Esaia, qui crucem Christi principatum vocat, *factus est principatus super humerum eius.* quem etsi principatum Paraphrastes Chaldeus, legem intelligat, quamquia Dominus reipsa & opere compleuit, super humerum gestasse recte dicitur; veteres tamen Patres de cruce eum capiunt. Tertullianus inprimis libro contra Judæos, & 3. aduersus Marcion. *Quis regum insigne potestatis suæ humero pro-*

Esai. 9.

Crux principatus Christi.

fert, & non aut capite diadema, aut manu sceptrum? solus nouus Rex Christus nouæ gloriæ potestatem humero extulit, crucem scilicet. Nec solus Tertullianus hunc loco huic attribuit sensum: sed & ipsum sequuntur multi & sanctitate & doctrina illustres viri, Justinus scilicet in sua pro Christianis apologia, Cyrillus Alexandrinus, S. Hieronymus in commentariis eius loci, S. Cyprianus, S. Augustinus serm. 71. de tempore, & D. Ambrosius libr. 3. de fide, cap. 4. & alij plures, qui Prophetæ verba hæc de cruce, communi suffragio exponunt, eamque vere principatum & regnum Redemptoris orbis esse asserunt.

Lib. 1. in Esai. 9.

Lib. 2. testim. contra Iudæos c. 11.

Verissimum porro maximeque in Scriptura sacra est obuium, per clauem semper magnum quid & Christo honorificum designari; sæpe etiam eam pro regno & principatu eius accipi. Atq; hoc sensu accipi illa alia Esaiæ verba possunt, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* porro clauis hæc domus Dauidicæ aliud non est, quam crux filij Dei, vera, inquam domus Dauid, id est, Ecclesiæ clauis, quamque ipse Caluariæ montem ascendens humeris gestauit. Mundi enim Saluator cruce non secus ac claui quadam cœlum iam inde à mundi initio obseratum clausumq; nobis reserauit.

Esai. 22.

Crux clauis Ecclesiæ & cœli.

Huic interpretationi subscribit S. Chrysostomus, qui crucem Dominicam veram esse clauem affirmat: item Augustinus in Psalmum 43. commentatus. Notandum porro breuiter, in illo Esaiæ loco quandam iurisdictionis, & gubernationis animarum potestatem denotari, quæ profecto clauis magna est & grauis, nec de cingulo, sed super humeros gestanda; tum quod animarum cura graue quoddam sit onus, tum vero quod Præfectus & Pastor ea quæ ipse aliis imperat, in humeros prius sustollere, & executioni mandare debeat. Sed ad probationes nostras postliminio reuertamur.

Tom. 1. hom. de diuite & epulone.

Secundo, probaturus per crucem regnum & imperium sibi Christum acquisisse, illud adfero Dauidicum: quo loco vbi cum Vulgata legimus, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, Septuaginta interpretati sunt; *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.* ita nam-

Psal. 95.

namque in iis legit sanctus Justinus dialogo contra Tryphonem, vbi & Hebræos fontes ita prætulisse ostendit; sed Tertullianus cõtra Marcionem & Judæos, S. Ambrosius in 15. c. epistolæ ad Corinth. S. Augustin. in Psalmum hunc, Arnobius, Cassiodorus eodem loco, S. Cyprianus de eleemosyna, aliique plures *& à ligno* insigni cum nequitia & scelere à Judæis è sacro codice erasum & sublatum esse docent.

Lib. 3. cont. Marcion.

Judæi multa è sacra Scriptura sustulere.

Nec vero mirãdum: constat enim Judæos suis in erroribus peruicaces & fidei nostræ semper aduersantes, multa è sacris voluminibus erasisse, quæ pro nobis facere, & fidem Christianam confirmare posse credebant. Testis enim Diuus Hieronymus est, illos è libro Josue duas integras lineas sustulisse, quas hodie in LXX. legere est, quo loco inter vrbes Juda, ipsa recensetur Bethlehem, quod iurati illi fidei nostræ hostes sustulere, ne quod inde forte aduersus eos telum & argumentum deprimatur, quo Redemptorem orbis Jesum Christum è tribu Juda progenitum esse declaremus. Et in illa epistolæ ad Galatas cap. 3. verba *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* docet duo hæc in Hebræo verba, *omnis*, & *in ligno*, minime legi, creditque textum Hebræum à Rabinis deprauatum, & interpolatum, hæcque duo verba sublata. Hæc tantum notandi causa obiter dicta sunto: interea ad probationem meas reuertor.

S. Hier. in c. 5. Mich. Ios. 15.

In cap. 3. ad Galat.

Tertio, crucem plane regiam esse, & per eã filium Dei inquantum hominem imperium & dominatum sibi peperisse, colligo proboque ex illis Psalmistæ verbis, *Induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit sibi dextra eius.* De Messia porro sermo est, qui dextera sua, id est, robore & potentia, quam in passione & cruce exseruit, Ecclesiæ sibi regnum comparauit. Simili quoque sensu locum hunc exponere videtur Apostolorum Princeps, in prima sua epistola, quo loco Ecclesiam *populum* vocat *acquisitionis*, quin & in actis Apostolicis legitur. *Attendite vobis & vniuer o gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Notate, vt Redemptorem orbis, sanguini sui effusione, & supplicio crucis Regem factum esse, & hoc pacto Ecclesiæ sibi regnum acquisisse dicat.

Psalm. 77.

1. Pet. 2.

Act. 20.

Præsignificauit hoc longe ante Isaias tempore, cum verbis inuolutis & ænigmaticis ait, ait, *Emitte Agnum dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Obsecrat siquidem Patrem, Messiam vt in agni forma emittere ac demittere dignetur, vti hoc in schemate terræ imperet. Obseruandum vero, non sine mysteriodici: *Agnum terræ dominatorem* fore. Ecquis enim nõ miretur audiens Christum sub agni, anima is adeo imbellis, & nõ potius leonis, qui tantos præfert animos, & cuius sæpius in sacris litteris illi nomen adaptatur schemate & forma, orbis vniuersi dominum imperatoremque vocitari? Duæ tamen mysterij huius se offerunt rationes, vna quidem è Christi passione deducta, alia vero, quæ ad eius benignitatem clementiamque refertur.

Esai. 16.

Cur Messias dictus sit Agnꝰ dominator terræ.

Vt vero intelligamus, Christum passione & meritis crucis, totius terrarum orbis imperium sibi comparasse, hinc iure meritoque, cum velut terræ Rex ac dominator describitur, non leo, sed agnus dumtaxat (quod animal immolabile & sacrificiis destinatum erat) nominatur. Adhæc cum vniuersum sibi orbem subigere, & omnes mundi incolas sub imperij sui leges subiicere, non armis, non bellica potentia, sed benignitate, mansuetudine, bonitate, clementia, decreuisset; recte sub agni simplicis & innocui, non vero belluę alicuius ferocis indomitæque imagine eius est monarchia repræsentata.

Rationes cur Messias dicatur Agnus.

Crux ergo verum imperij principatusque symbolum, ac prope omnis, quam hoc in mundo sibi Redemptor comparauit, gloriæ nota prinnota Ipsemet illud significare voluisse Seruator videtur, cum verbis quidem obscuris in Euangelio ait, *Cum exaltatus fuerit filius hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* & alibi multo apertius: *Si semel exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Quid porro est exaltari, quam crucem assumere? Quid vero omnia ad se trahere, quam omnium dominari, cœli terræque dominium obtinere, & totius orbis imperium nanciscei.

Crux symbolum, & cipatus.

Ioan. 8.

Ioan. 12.

Sed nolite mirari Christiani Auditores, neu

Cur Christus exaltationē crucem suam appellet.

neu mirum vobis videatur, ipsam à Saluatore mundi crucem honorem, gloriam ac decus suum, ac verbo vnico *exaltationem* appellari. Eamne crucem, Domine, tam ignominiosam, tam probrosam, crudelem, in qua tot affectus es iniuris, tot passus calumnias, tot cruciatibus saturatus & impetitus, exaltationem tuam nuncupas? Rationes autem nominis huius sunt insignes. Primo, vt stolidam mundi sapientiam confunderet & exploderet, qui eos dumtaxat magni facit & beatos iudicat, qui honoribus, diuitiis & opibus abundant, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*. Qui vindictā exigit, qui de inimicis vltionem deposcit, qui ira ac furore æstuat, qui nihil omnino perferre vult, is generosus & strenuus vulgo habetur. At ipse Christus suam è contra exaltationem, honorem, perfectionem, nobilitatem, & omnem animi sui magnitudinem in cruce sola sitam putat, in qua tantum ipse infamiæ, probri, confusionis, iniuriarumque pertulit, vt hinc manifestum fiat, opprobria & iniurias Dei causa toleratas, non quandam animi ignauiam ac vecordem pusillanimitatē, sed insignem quādam exaltationem, & heroicos generosi cuiusdam animi actus & testimonia.

Psal. 14.

Iniurias tolerare actus heroicus.

Crux theatrū fuit; in quo omnes Christi virtutes apparuere.

Vocat deinde crucem suam exaltationem, quod in ea velut in loco quodam elato, sublimi, ac velut theatro suam moriendo humanitatem, terram vero concutiendo diuinitatem, solem offuscando, mortuos sepulchris excitando, saxa confringendo potentiam, pro inimicis rogando bonitatem, iniurias patiendo tolerantiam, peccatoribus indulgendo misericordiam, aliasque sexcentas virtutes spectandas dedit.

Non ergo sine ratione crucem tanto Ecclesia cultu prosequitur, cum eam Dei filius ita honorarit, vt eam in turmarum suarum vexillum, & regni signum selegerit, ac tantum vicissim ab eadem honoratus sit. Nec vero mirum cuiquam videatur, si tanto eam Christiani honore cultuque prosequantur, cum & Gentiles & Barbari eam & venerati sint & coluerint. Etsi enim plerique idololatrarum crucis figuram, vt ominosam & abominabilem exhorruerint, Ægyptij tamen suam hoc pacto erga crucem reuerentiam testati, inter cætera hieroglyphica crucem futuræ vitæ symbolum esse voluerunt. Quin & summum apud eos numen Serapis crucem in pectore, velut pretiosum quoddam monile, & quo nullum formari poterat diuinius, gestasse scribitur, teste sancto Augustino in libris de ciuitate Dei. Ægyptios autem imitati videntur Græci, & pari crucem honore prosecuti: nam in plerisque Serapidis fanis similes repertæ sunt cruces.

Figura crucis in pectore Serapidis velut monile. *Lib. 8. c. 5.*

Sed nænias nos non referre hinc patebit. Refert siquidem Nicephorus Cosroem Persarum Regem, in gratam beneficiorum acceptorum memoriam & remunerationem, barbaros aliquot frontem cruce signatos ad Imp. Mauritium misisse, quod in fronte signum cum imperator miraretur, rogaretque cur ipsi à fide prorsus alieni, in fronte loco dignissimo crucem gestare auderent, aut vellent; respondisse feruntur, iam olim cum vniuersum regnum dira quædam contagio depasceret, nullumque naturæ scrinia illi sistendæ tollendæque remedium suppeditarent, quorumdam suasu & consilio, cruce frontem signandi consuetudinem inductam, & ab eo tum tempore luem cessare cœpisse, populumque à contagio liberatum fuisse: crucem exinde sibi semper verum salutis vitæque signum & remedium exstitisse. An non simile id vobis videatur, & quasi idem cum eo, quod in Ægypto factum olim legimus, in qua domus omnes Hebræorū agni sanguine tinctæ perhibētur, vt ab angeli exterminatoris gladio ac strage hoc signo immunes redderentur. Exclamo itaque; ô admirabilis, ô beata crux! ô crux omnigenis honoribus prosequenda!

Barbari cruce signati in fronte.

Mirabilis de crucis efficacia historia.

Exod. 12.

Dictum olim, cum abominanda, probrosa & exosa, crux erat, *Maledictus, qui pendet in ligno*: sed hodie longe secus se res habet: nam cum crux illustris iam facta sit, & ad summum honorem euecta, illud Sapientiæ illi velut elogium datur, *Benedictum lignum, per quod fit iustitia*, crux scilicet, in qua de peccato, morte, diabolo, ac mundo iustitia facta est. Iustitia, inquam, cum in summo iustitiæ rigore Patri æterno irato offensoque, per vnigenitum filium eius sit satisfactum: vt,

Deut. 21.

Sap. 14.

Iustitia in cruce perfecte facta.

quemadmodum aduersus infinitæ maiestatis Deum crimen ac scelus commissum erat, ita & per quendam, qui paris meriti foret, satisfactio ipsa fieret.

Obscurioribus id verbis innuit Psaltes, & huc allusit, cum Psalmo 5. ad Deum his orat affectibus, *Confiteor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime, &c.* Cur tam affectuosis humanisque hic veteris verbis sancte Propheta: cur tot gratiarum agendarum, affectus indicandi, laudumq; effundendarum formulas adhibes? rationem ipse nobis petentibus in sequentibus mox dat: *Quoniam fecisti*, inquit, *iudicium meum, & causam meam, sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam*; super thronum inquam crucis tuæ sedens absoluisti & remisisti, quod in iustitiæ humanæ tribunali pœnæ & condemnationi obnoxium fuisset: in illo causam meam diiudicasti, litem diremisti, ibi aduersus teipse seuerus, & erga me clemens & benignus, de peccatis meis iustitiam fecisti: ibi quoque vere causam meam, non vero tuam iudicasti; siquidem tua non intererat; neque enim peccatum admiseras, nec admittere vllum poteras. O igitur crux vere venerabilis, & omnibus modis adorabilis! tu thronus iustitiæ peccatorum meorum, tu tribunal & locus rationum, in quo redemptionis humanæ pretium annumeratum & solutum est, tu denique theatrum, in quo omnes Iesu Christi virtutes ad spectandum exhibitæ sunt.

Psal. 5.

Huc referamus licet, quod in Apocalypsi sua Ioannes vidit: *Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* Libri huius conspectus & sensus in diuersa abire interpretes coegit, & varias interpretandi vias suggessit. Crediderunt nonnulli &, sane communis prope vniuersorum opinio est, vt Origenes, S. Hilarius, S. Hieronymus, & alij plures, per librum hunc Scripturam sacram designari, quæ vere liber admirabilis, & intus & foris ob duo nimirum testamenta scriptus, vetus quidem foris, nouum vero intrinsecus, vtpote mysteriis circumuelatum.

Apoc. 5.

Hom. 12. in Exod. & hom. 14. in Ezech. In c. 22. Esa.

Et sane prodigiosus liber est Scriptura sacra, septemq; signatus & clausus sigillis: quæ Hugo Cardinalis & enumerat, & simul, quæ sint declarat: sententiarum scilicet profunditas, sensuum multiplicitas, figuratum varietas, earundem rerum incomprehensibilitas, mysteriorum obscuritas, tropologiarum pulchritudo, & veritatis infallibilitas. An non prodigiosa & mirabilia hæc sunt sigilla, quibus tot scatens mirabilibus liber est obsignatus? Putarunt hæc alij esse Sapientiæ æternæ arcanum, quos inter primas tenet Aretas illis Deuteron. verbis innitens: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in Thesauris meis?*

Scriptura sacra denotata per librum septē sigillis signatum.

Deut. 32.

Sed, qui, mea sententia, rectius sensere, & propius ad verum accessere, asserunt per librum hunc Iesum Christum intelligendum esse, cuius libri sigilla septem, septem erant Redemptionis nostræ mysteria, olim sub figurarum, & legalium cæremoniarum tecta velamine, ipsa scilicet incarnatio, natiuitas, passio, mors, resurrectio, ascensio Redemptoris, & Spiritus Paracleti demissio.

Iesus Christus signatus per librum Apocalypseos.

Porro Christum librum quendam esse, ex ipsa Scriptura colligitur; vnde in Psalmis legimus. *Et in libro tuo omnes scribentur.* Ac de seipso loquens Seruator, veluti de libro quodam loquitur: *In manibus meis descripsi te*, quasi diceret, Te in manibus meis velut in egregio & candido quodam libro scripsi, pennæ instat fuit crux, sanguis atramenti vicem subiit.

Psal. 138.

Esai. 49.

Verus inquam liber & lectu admodum facilis ipse Christus est in crucem extensus. Ita de Christo Iesu capitur liber ille, de quo ad Abacuc Prophetam Deus: *Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat, qui legerit eum.* Prophetam hic librum scribere iubet, & litteris quidem grandiusculis, eumque super tabellas coram omnibus explanare, vt ab omnibus prætereuntibus videri legiq; posset. Liber hic magnis litteris conscriptus, & super tabulas extensus ipse est Christus in crucem expansus, & cubitalibus litteris & characteribus maiusculis, id est, illustrissimis virtutum exemplis; vt omnes eadem legere commode, & vitæ recte

Christus in cruce extēsus egregius liber est & lectu facilis.

Abac. 2.

recte decenterq; instituendæ petere inde rationes queant, exaratus.

Esai.8. Eo etiam exponi sensu potest alter ille Esaiæ locus: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* Stylus porro hominis vulgarem manifestamque scribendi rationem denotat, quæ ab omnibus & legi & intelligi queat. Pater ergo æternus in Christo filio suo, stylo humano & cuiuis obuio, omnium virtutum illustrium exempla scripsit & descripsit, vt ab omnibus huius iter calcantibus videri intelligique ad, deinde exprimendum valeant.

Ante incarnationem Deus instar Angeli scribebat & obscure.

Ceterum stylus hic hominis, aut noui huius libri cõscribendi ratio alios mihi in mentem reuocat conceptus, vt mecum ipse iudicem, aut saltem cogitem, Deum ante filij sui incarnationem & passionem non stylo hominis, nec vulgariter scribendi modo, sed obscuriori & Angelico potius vti consueuisse: vix enim, & nonnisi quam difficillime, & ab illuminatissimus quibusque ac perfectissimis intelligi poterat, nempe perfectæ genus vitæ in humilitate, patientiæ, inimicorum dilectione, similibusque virtutibus consistere, nonnisi in virtute exercitatissimi ad scientiæ huius adyta admittebantur, & subtiles libri huius adeo difficilis & obscuri characteres euoluere poterant.

Perfectæ vitæ genus iam cognitu facile est.

Sed postquam carnem humanam Redemptor assumpsit, in Christo Iesu tam ingentibus descriptus est litteris & stylo hominis, tamque egregiis clarisque virtutum exemplis depictus, vt à stupidissimo & indoctissimo quoq; hodie cognosci & pernosci queat. Hanc porro crux peperit dexteritatem, hanc causata est scientiam, hanc denique docuit Philosophiam.

Firmiter ipse credo, Auditores, & vos mecum credere velim, Saluatorem meum simul & vestrum vere fuisse librum, sed qui omnium se in cruce oculis aperuerit, & velut in sublimi quodam pulpito nemini non se expanderit, conspiciendumque dederit. Docuit hoc me Apostolus, dum hoc Galatas modo coarguit, *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, & in vobis crucifixus?* quasi diceret, fascino vos quodam dementati sitis oportet, qui Euãgelio ita resistatis, vos inquam, ante quorum fidei oculos Iesus Christus est crucifixus, velut liber quidam euidentibus & manifestis amoris & charitatis erga vos & omnes omnino mortales documentis depictus & exaratus est.

Gal.3. Christus crucifixus est doctus & insignis quidam liber sed omnium paris tens oculis.

Græca vos προεγράφη, egregiam hanc expositionem mirifice confirmat, hunc que prolicit sensum, CHRISTVM videlicet in cruce expansum fuisse velut librum quendam apertum & explicatum, omnium fidelium oculis obiectum, in quo sine vlla difficultate & peccati fœditas, & gratiæ splẽdor, & virtutum pulchritudo, & Dei bonitas, sapientia, potentia, & ardens quidam erga humanum genus amor legantur. Beata autem ac felix illa anima, quæ eruditum hunc librum sæpe euoluit! Quem sane toties & ita perlegit Apostolus, vt omnem inde suam se hausisse scientiam, & præter Iesum crucifixum nihil penitus se nosse fateatur: *Non iudicaui*, inquit, *me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.*

In libro crucis oẽs legere est virtutes.

1.Cor.5.

Quicquid demum crux sit, aut liber, aut bellicum signum, vel scutum protectionis, vel schola documentorum, vel principatus nota, vel thronus iustitiæ, vel adorationis causa, aut denique aliud quidlibet; tot in se complectitur mirabilia, vt quicumque Dei filium in eadem extensum patentibus brachiis, capite pendulo, & latere patulo cõspicit, paradoxon quoddam audire, & insolens quoddam in rerum natura videre sibi prodigium persuadeat. Ita namque de se ipse Dominus apud Prophetam prædixit, *Tanquam prodigium factus sum multis.* Hic porro locus triplici legi modo potest. Vulgata namque & communis præfert, *Tanquam prodigium factus sum multis*, & is est sensus: Multi me fugiunt, & veluti monstrum, aut portentosum quid execrantur; hinc alij me Samaritanum, alij à dæmonio occupatum vocant. Atque huic expositioni suffragatur D. Hieronymus; quæ in Iesum Christum crucifixum non inepte quadrat: maximum enim reuera prodigium fuit, videre hominem tam extraordinaria quadam ratione, tanta constantia

Christus in cruce velut prodigium est.

Psal.70.

Varia lectio huius loci.

Patientia Jesu Christi in cruce fuit prodigiosa.

stantia, & tam generose pati, vere vt dici queat, patientiam eius in omnibus & vbiq; plane prodigiosam fuisse.

Alia versio habet, *Tanquam portentum factus sum multis.* Ita sanctus Hieronymus in versione Hebraica: actum sensus est, Redemptorem mirabile & terribile diuinorum iudiciorum, & iræ cœlestis in peccatores concitatæ exemplum fuisse. Adeo, vt exemplo suo præsagierit & significarit, eos, qui peccabant, in tartaro grauissima manere supplicia. Hinc cum Esaiam nudum ac discalceatum incedere iussisset, mox subnectit; *Sicut ambulauit seruus meus nudus & discalceatus, trium annorum signum & portentum erit super Ægyptum, & super Æthiopiam.* Ita apud Ezechielem populi captiuitatem & transmigrationem designaturus, Prophetam hunc iussit instar hominis domum & habitationem mutantis, per vrbis compita vagari, discurrere, & supellectilem suam de loco in locum transferre, additque, *Quia portentum dedite domui Israel:* quasi diceret, mirum tibi minime videatur factum tuum: hoc enim Israëlem docebis, & præsagiendo futuras eius calamitates præsignificabis. Ita Dei filius in crucem actus, nudus, concisus, plagis liuidus, & cruciatibus exhaustus, velut prognosticon ac præsagum quoddam documentum futurus erat, quæ pœna & tormenta peccantibus immineant, qualemque sibi iram thesaurizent, nisi ante pœnitentiam flagitia commissa expientur & deleantur.

Christus crucifixus fuit velut præsagium & documentum. *Esai.20.* *Ezech.10.*

Christus crucifixus fuit miraculum.

Tertia interpretatio est, *Vt miraculum factus sum multis*, perinde ac si diceret, multi, qui me in cruce patientem oculis conspexere, aut postea ex amore in Euangelio id considerarunt, vt miraculum me habuere. Lectionis huius auctor est Caietanus in versione sua Hebraica: qui licet locum hunc de Dauide explicet: qui vere temporis sui ætatisq; miraculum fuit, vtpote, qui etiamnum adolescens vrsos domaret, leones suffocaret, Goliadas prosterneret, & alia facinora ederet; melius tamen rectiusque de Christo Jesu capiatur, qui tum in vita, tum in morte, tum potissimum in cruce exspirans, omnium fuit sæculorum miraculum.

Quid igitur vobis de hac cruce videtur, Auditores? mirumne in eius elogiis recensendis, honoreq; deprædicando longum me adeo & effusum esse? cum ipsa mirabile sit prodigium, terribile portentum, & miraculorum omnium maxime sit mirabile. Obstupescitisne etiam, quod eius inuentionem Ecclesia tanto plauiu festaque lætitia celebret?

Scriptum in Euangelio legimus, eum, qui thesaurum in agro inuenit, gaudere & præ lætitia exultare, merito ergo hodie Ecclesia plaudit & iubilat, cum generalis totius orbis thesaurus, qui in monte Caluariæ delitescebat, hodierno anniuersario inuentus sit & in apertum productus. *Matth.13.*

Exultate ergo, Christiani hoc in festo, exultationis & plausus, & lætitiæ signa edite; agnoscite quod hodie vobis accidit bonum, ob rei adeo pretiosæ, vtilis, & ad animæ salutem tantopere necessariæ inuentionem. Lætamini, inquam, quod hodie reperta sit clauis, qua paradisi sit ianua reseranda, scala qua in cœlos ascendere possitis, baculus quo vos tueri deberis, ductor quo præeunte victoria certa manet, lignum, quod vna cum vita immortalitatem vobis adferet; thesaurus denique, quo ditescere, & ex quo omne dissoluere æs alienum potestis.

Hanc ergo crucem diuinam genu flexo adorate, ad eius vos pedes magna animi demissione supplices prosternite, debitum diuinitati ac numini honorem illi date, eius maiestatem veremini, sanctitatem admiramini, & gloriæ eius magnitudinem passim, & vbiq; per omnium aures disseminate. Amplectamini, piæ animæ, insignem hanc arborem, sub vmbra illius, Jonæ Prophetæ exemplo, requiescite vt à nimio & importuno mũdi huius æstu defendamini. Sacrum hoc lignum vsurpate, vti olim Elizæus ad amaras sæculi huius ac vitæ aquas dulcorandas. Ad pedes eius, vti olim Jacob sub terebintho, omnes deos alienos & idola, id est, omnia peccata vestra, vanitates, ambitionem, auaritiam, prauos affectus, concupiscentias, mala desideria, & carnis æstus & cupiditates, qui vera mundi huius idola sunt, obruite. *Jona 1.* *4.Reg.4.* *Gen.28.*

Omil-

O millies adoranda, omnigena veneratione digna, & infiniti pretii crux! tu cœli decus, terræ ornamentum, & totius orbis miraculum, inter cæteras tu arbores, inter thronos, thesauros, mirabilia omnia, & creata vniuersa emines & præstantissima es. O crux honore, magnitudine, & gloria plena; te laudant Angeli, glorificant homines, dæmones formidant. Tu cœlis ornamenta, terræ solutio, inferis es terrori. In te sperant peccatores, tu ægros solaris, tu afflictos recreas, per te miseri æquanimes sortem suam ferunt, in te fideles credunt, per te pugnantes sumunt animos, oppressi generose se tuentur, per te denique nemo non roboratur & animatur. O vere regia crux, ac plane diuina, te & ore & corde supplices adoramus: te velut vnicam protectionem nostram, tutelam, ac defensionem agnoscimus, ad te velut ad sacram anchoram ac spem vnicam accurrimus, ad te, veluti ad vnicum asylum nostrum confugimus: nostri ergo miserere, nos admitte, ac præsta vt quem ipse in Caluariæ monte in te recepisti, in cœlestia nos habitacula, & gloriæ sempiternæ fruitionem recipere dignetur: cuius nos participes efficiat Pater, Filius, ac Spiritus sanctus, Amen.

Crucis elogia.

IN FESTO S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM.

Partitio.

1. *S. Ioannes an mortuus, disputatur in vtramque partem.*
2. *Tenetur affirmatiua; & quomodo intelligendum: non moritur.*
3. *Perfectiones in illo conglobatæ.*
4. *Prærogatiua singularis recumbentis supra Christi pectus.*
5. *Martyrium graphice descriptum.*
6. *De vsu & proprietatibus olei, eiusque symbola.*

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Matth. 20.

FIGVRA.

BEniamin omnium Iacobi Patriarchæ filiorum natu minimus, præ cæteris fratribus in Ægyptum frumentandi gratia abeuntibus à Ioseph & bene habitus est, & maiora aliis beneficia & grati amantisque animi testimonia accepit: quod tum ad oculum patuit, cum in epulo, quo simul omnes excepit quinque illi præ aliis fercula apponi iussit, binas vestes dedit, & scyphum aureum infiniti pretii ac valoris ori sacci illius indidit. Qui singula hæc paulo secum attentius considerare voluerit, ilico iudicabit, omnia recte quadrare, & ad Ioannis nostri Euangelistæ sortem præsignificandam contigisse. Certum namque est primo, eum inter cæteros Apostolos omnium natu minimum fuisse, & Christo cariorem, qui proinde per excellentiam dictus sit *discipulus quem diligebat Iesus*. In huius amoris testimonium in beatitudinis epulo quod in cælo instituitur, quinque illi fercula missusque supererogauit, quinq; inquam sensuum gloriam, & vestem duplicem, id est, corporis & animi gloriam: quin & scyphum ex auro purissimo, id est, passionis calicem, cum nimirum hodie ante portam Latinam in feruentis olei vas coniectus est, iuxta id, quod de illo prædictū erat: *calicem quidem meum bibitis*. Verus inquam ille Beniamin, de quo prædixerat Dauid, *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu*: quod non de Paulo Apostolo, sed de Ioanne Euangelista intelligendum est, qui mirabiles mentis excessus passus est, cum, qui super sacrum filii Dei pectus requiesceret, dignus est habitus etiamnum adolescens; haud dum enim passionis Dominicæ tempore vicesimum compleratætatis annum. Sublimia hic includuntur mysteria, & materia sane per quam illustris: quam vt pro dignitate vobis exponam, cœlestem opem efflagito, & ad Spiritum Paracletum confugio, gratiam vt elargiatur, & meritum concedat; vosque eadem opera obtestor, eodem vt vota vestra dirigatis, quapropter huc preces mentemque dirigentes, simul omnes Virginem sacratissimam rogemus, suis vt suffragiis nobis adsit,

Gen. 44.

Psal. 67.

interim dum Angelica eam salutatione compellabimus.

AVE MARIA.

I. Quæstio magna circa mortem S. Ioannis Euãgelistę.

Magni sane momenti ac ponderis est inter Doctores & Patres Ecclesiasticos controuersia, Auditores, quæ de Ioannis Euangelistæ morte & mortis genere controuerti consueuit. Cœpit hæc iam tum Apostolorum ætate quæstio moueri, & varie discuti: nam in Euangelio legere est, *Exiit sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur.* Ioan. 21. Controuersia vero & disceptatio ab illis Redemptoris Petro de Ioannis amici sui statu rebusque inquirenti respondentis verbis ortum traxit, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ex hisce verbis permulti in eam venere opinionẽ Patres, qua Ioannem nondum esse defunctum, sed aduſq; filii Dei ad iudicium aduentum, & vltima mundi tempora in vita permansurum, ac tum quidem non cæterorum hominum more exspiraturum, sed viuum in cœlos subuectum iri gloria sempiterna iam donandum, astruere sint ausi. Hinc sibi persuadent, haud dum illum exspirasse, sed viuum in terrestrẽ paradisum translatum esse, vt tandem aliquando, tempore Antichristi, cum Elia & Enoch Ecclesiæ periclitanti opem ferat.

Vnde Patres nonnulli crediderint, Ioãnẽ non esse moriturũ.

Opinionis huius auctor & antesignanus est Theophylactus, qui primus eam & procudit, & calamo propugnauit: ita namque in Ioannem commentatus scribit: *Quidam dicunt Ioannem viuere, & ab Antichristo occidendum, cum Elia prædicante Christum.* Aretas Cæsariensis Archiepiscopus eandem insistit viã, & illa Apocal. verba, *Oportet te iterum prophetare gentibus*, exponens, de suo adiungit, *Ex hoc dicto opinantur multi Ioannem vsque ad sæculi consummationem viuere, ac venturum esse circa tempora Antichristi cum Enoch & Elia.* Suffragatur his & S. Hippolytus martyr, & in eadem abit, cum in orat. de seculi consumm. in 5. Biblioth. SS Patrum tomum relata hæc in aciem pro hac sententia verba producit: *Prior aduentu Domini præcursor missus est Ioannem Baptistam, posterior autem Enoch, Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit.*

Theophylacti sententia de morte S. Ioãnis.

In cap. 10. Apoc.

Orat. de consum. sæculi.

Simeon Metaphrastes, & B. Ioannes Damascenus pedibus in eamdem sententiam concedunt, & causam eamdem tuentur: primus ait, *Ioannes Enoch & Eliæ coniungitur.* & eodem sensu Damascenus, *Ioannes vsque ad aduentum Christi expers omnino mortis perstiturus est.* Catharinus & plures alii doctrina & nomine illustres Doctores tam Latini quam Græci, eamdem etiam sequuntur & exosculantur sententiam.

In vita S. Ioan.

Orat. de transfig.

Doctrina vero hæc non solis nudisq; doctissimorum in vtraque lingua scriptorum auctoritatibus & verbis nititur, sed validis etiam prægnantibusque & quidem plurimis confirmatur rationibus, à quibus vndiquaq; fulcitur & redditur aliquatenus probabilis. Prima, quæ ipsum tangit fundamentum, est, quod hoc ipsum verba Christi proprie innuere videantur, *Sic eum volo manere, donec veniam*: quorum is est sensus, si eum volo manere mortis expertem, donec ad mundum veniam diiudicandum.

1. Rationes quibus probetur Ioannem non dum esse mortuum.

Secunda instat acrius, & omnes aduersariorum obiectiones vno vmbone disiicit & prosternit. Nemo scilicet Ioannem aut mortuum vidit, aut eius ossa vel reliquias, nemo hactenus eius reperit sepulchrum, nemo cineres; nullus etiam adduci historicus vel testis potest, qui eum scribat defunctum, aut aliorum mortalium adinstar exspirasse, vnde coniiciamus & efficiamus oportet, Ioannem adhuc in viuis agere, & in paradisum terrestrem esse translatum.

2. Nemo S. Ioannem mortuum, ossa, vel eius cineres vidit.

Tertia non minus est violenta. Certum est & indubitatum, Antichristo omnes Ecclesiæ vires oppositum iri, & omnes eius status aduersus eum depugnaturos: Enoch legis naturæ status partes aget, Elias pro statu legis Mosaicæ decertabit: æquissimum igitur sane est, vt & pro statu Euangelico, & Iesu Christi, & lege gratiæ aliquis exsurgat: qui cum ceteris sit nobilior, omnesq; perfectione & excellentia antecellat; ratio ipsa deposcere videtur, vt generosissimum & maxime strenuum quem habuit pugilem, emittat, dilectissimum inquam, Iesu Christo discipulum, eius honoris perquam studiosum, & cultui illius addictissimũ. Ob hanc forsitan causam magnæ & illustres illi, quoad Antichristi

3. Enoch, Elias & S. Ioannes in fine seculi venient ad Antichristum resistendum.

christi statum & tyrannidem, reuelationes in Apocalypsi factæ sunt.

4. Apoc. 10. Quarta, ab ipsa S. Scripturæ parte irrumpit, & alterius partis propugnatores acerrime impedit. Ioanni siquidem in Apocalypsi ab angelo dictum est: *Oportet te iterum prophetare gentibus & populis, & linguis, & regibus multis.* Hoc porro à Ioanne nondum factum videtur, Epheso enim non discessit, & vix alias adiit nationes remotiores, aut linguas exoticas, aut populos incognitos, præterquam Græcos, verisimile ergo videatur, in sæculorum id fine fore vt contingat.

5. Quinta non minus damnum infert: Promisit scilicet Apostolis Redemptor, per pœnas illos, tormenta, tribulationes & aduersa in cœlum ascensuros, quid vero causæ fuit, quæ ratio, ob quam discipulo sibi carissimo honorem hunc eximium, & tam illustrem gratiam negaret? cur Dominus Ioanni non concessit, quod tanto ille desiderio exoptabat? Credendum ergo, nondum eum mortis tela sensisse, quod in Antichristi persecutione cum Elia & Enoch martyrii sit laurea coronandus; atque ita votis eius fiet satis, & Saluatoris promissa fidem habebunt, dicentis: *Calicem quidem meum bibetis.*

S. Ioannes sub Antichristo martyr futurus.

6. Sexta ferit hostem cominus. & vt se extricet negotium faceſſit. Ait ergo, Missus est Ioannes in feruens & bulliens oleum: cur ergo tunc eum mori minime Deus permisit, & eo in cruciatu vitam finire? cur tanto eum miraculo in vita conseruauit superstitem? nisi vt superuiueret, quo tandem moreretur mundo vniuerso moriente. Videtur certe id innuere Christi verba, *Sic eum volo manere* in vita, *donec veniam*, ac deinde non secus atque alii emorietur.

Dicentium Ioannem nondũ esse mortuum, satis probabilis est opinio.

Rationibus hisce rite, & vt oportet, consideratis, dicendum est, opinionem hanc non esse omnino reiiciendam, nec plane absurdam. Licet enim argumentis hisce respondere, rationes euertere, & confutare liceat; omnibus tamen recte libratis. & rationibus vna cum auctoribus & scriptoribus examinatis mentem ipsæ propemodum in partes suas cogunt descendere, & victoriam concedere.

Communior tamen ac vero consentien-

II. Vera opinio Ioannẽ esse mortuum.

tior opinio est, Ioannem vere esse vti reliqui Apostoli, mortuum. atque hæc etiam à validis patronis defenditur, & veritas ipsa generosos ac strenuos, qui pro se decertent, pugiles habet. Primus qui eam propugnauit & docuit, magnus fuit Hieronym. qui in tract. de Script. Ecclesiasticis plane & aperte hæc de Ioanne scribit, *Confectus senio Ioannes sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus est.* quid afferri lucidius & manifestius queat?

Sequitur hunc veteranus & celebris quidam miles, Polycrates nomine, quem in historia sua Ecclesiastica mirifice celebrat & extollit Eusebius, apud quem hoc loquitur modo, *Ioannes*, inquit, *qui, ut apertius Domi recubuit, Ephesi* vrbe Græciæ *moritur.* *Lib. 3. Eccles. hist. c 32.*

Ad has etiam partes accedit Tertullianus; lib. de anima enim hoc habet, *Obiit Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes.* cuius auctoritas scriptoris alienę sententiæ assertores mirifice percellit. *Lib. de anim. cap. 50.*

S. Augustinus Afer, & præclarus Ecclesiæ Doctor iisdem adhæsit, & pugnam itidem iniens, & causæ caput, verba inquam illa Domini, *sic eum volo manere donec veniam*, excutiens, eo illa modo exponit, *sine vulnere, sine cruciatu dormiat, & exspectet me*, qui deinde se ipse rursus interpretatur, *hoc est, sic volo eum manere, & mori sine martyrii cruciatu, nolo me sequatur per crucem, tu me sequere.* *Serm. 149. de temp.*

Glossa ordinaria, Haymo, Venerabilis Beda in homilia, quam de S. Ioanne scripsit, suffragantur: quorum vltimus Ioannem ait in fossam quamdam profundam, in sepulchrum paratam viuum descendisse, atque ibidem sine vllo cruciatu, post effusas ad Deum preces, omnis expertem doloris, Patribus suis appositum & aggregatum esse. S. Epiphanius vero & Dorotheus, magni vterque nominis, auxiliarias adferentes copias, eadem sentiunt. *Epiph. hæres. 79. Doroth. in Synopsi.*

Præter veterum Patrum declarationes, auctoritatem, decreta & verba, sunt & rationes quædam fundamentales, quæ ad causæ huius confirmationẽ mirifice faciunt, & ei victoriã prope consignant ac palmã: quas ordine hic depromam. Prima in ipsis Scripturæ verbis

Rationes ad probandum Ioannem vere esse mortuum.

1. Ioannem adhuc superstitem viuere, quod ipse Euangelista obscuriora Christi verba, ob quæ minime moriturus credebatur, explicans subnectat, *Non dixit ei Iesus, non moritur*: quæ expositio non alio re picit, quam vt illam de Ioanne non moriturο opinionem Apostolorum mentibus insidentem tolleret, eumque vere ac instar aliorum moriturum adstrueret.

2. Secunda validius procedit, secumque omnes Ecclesiæ vires trahit, solaque ipsa sufficit ad inimicorum aciem euertendam, palmamque reportandam. Totius, inquit, Ecclesiæ, quæ errare nequit, & veritatis tribunal & columna est, ea est sententia, opinio, & fides. Indubitanter siquidem illa credit, Ioannem mortuum esse: ac propterea festum eius annua celebritate recolat, intercessionē eius efflagitat ac suffragia: quem ipsa honorem nonnisi iam mundo egressus, cœlo regnātibus, beatis, & gloria fruentibus sanctis exhibet. At si Ioannes mortuus non esset, in mundo sane adhuc ageret, nondum beatus foret, nec proinde in sanctorum catalogum referendus; atq; hinc sequeretur, Ecclesiam hoc facto errare, falli, decipi, festo instituto eum sanctum velut mortuum, cœloque receptum recolendo & inuocando, qui etiamnum superstes foret.

Ecclesia vniuersa Ioannem mortuum credit, cum festum eius celebret.

3. Tertia vallum quoddam hostile subuertere nititur, falsitatisque conuincit argumētum illud, quo aduersariorum vires potissimum niti videbantur, quo neminem Ioannis vidisse reliquias asserebant: docet ipsa à contrario, & ostendere se paratam ait, in œcumenico illo Ecclesiæ Concilio, Ephesi celebrato, clare Ioannis reliquiarum mentionē fieri: verba eius hæc depromit: *Sacras sanctorum triumphatorumque martyrum, maxime vero beatissimi Ioannis Theologi, atque Euangelistæ reliquias videndi, easdemque complectendi desiderio flagrantibus.* Si testimonium hoc ad causæ probationem satis non esse putaret, proferret & aliud è 2. tomo Conciliorum depromptū, quo Cælestinus Papa in Epistola ad Synodum Ephesi collectam Patrib. hoc modo scribit: *Ioannis reliquias præsentes honoratis.* Reliquiæ porro nōnisi mortuorū ac defunctorum sunt. cum ergo Pontifices & Cōcilia generalia de S. Ioannis reliquiis loquantur, eum mortuum esse necessum est, aut certe erroris nostra coargui fides possit.

Tom. 3. Concil. c. 3.

Mentio reliquiarum S. Ioannis.

Concil. Ephes. tom. 2. c. 14.

S. Ioannes Chrysostomus hanc rationem etiam confirmat, veritatique auxiliatus, & Euangelistæ huius mortem, reliquias, ac sepulcrum negantes, erroris conuincens, vno omnes telo petit: *Apostolorum*, inquit, *plurimorum ossa nescimus vbi iaceant.* mox vero addit, *Petri & Pauli quidem, Ioannis & Thomæ manifesta sunt sepulchra.* quæ sane argumenta valida sunt, & hostium aciem facile euersura.

Exploratissimum ergo est, & certissimo credendum, Ioannem vere mortuum esse, vt plurimorum testimonio auctorum, præter illos, quos iamiam produxi, constat, ac post mortem ilico eum resuscitatum cum corpore virginali viuentem cœlos petisse. Testem & prædem habeo Petrum Damianum Cardinalem ita differentem: *Pium*, inquit, *est arbitrari, vt sicut de beata Dei genitrice creditur, ita Ioannem iam resurrexisse.* Eiusdem est opinionis Nicephorus, B. Isidorus item in Etymologiis, S. Thomas in 4. sententiarum, Albertus Magnus, & alii plures.

S. Ioannes mortuus est & deinde resuscitatus.

Serm. 2. de S. Ioanne. Lib. 1. hist. c 35. 4. dist. q. 43. art. 3.

Et sane rationi consentaneum & plane credibile est, Christum Dominum eo discipulum suum carissimum fauore esse prosecutum, quo non alios. Adhæc verisimile fit, corpus eius ita purum & integrum, & à terrena corruptione immune conseruatum esse, vti hodie ab igne illæsum eum Dominus & ab oleo feruente ante portam Latinam Romæ tutatus est. Miraculosa hæcce prærogatiua est, quam vniuersa Ecclesia admiratur, & festo indicto celebrat, in Euangelium nobis illa consignans verba: *Potestis calicem bibere:* in quæ duo hodierna in concione adferam; primum Ioannis tanget laudes, secundum eius Martyrium causasque festi prosequetur.

III.

Primo igitur, quicumque magni huius Ioannis panegyristam ac præconem agere, eiusque diuitias, merita, gratias, virtutes, & spirituales thesauros in laudum illius theatro proponere voluerit; is sibi mare ebibendum, terram omnem dimetiendam, stellas

stellas numerandas, & circuli quadraturam inueniendam credat. Ad digne siquidem de tam præstantis viri præstantia loquendũ, Ciceronis verbis Demosthenis eloquẽtia, Plutarchi memoria, Homeri judicio, Aristotelis doctrina, Platonis genio, & ingenio Angelorum opus esset: nam sanctissimi viri huius laudes & prœconia omne humanum superant ingenium, & terrenis minime dignantur laudibus enarrari.

Perfectiones Ioannis verba & rationes humanas superant.

Equidem dum eadem admiraturus ob oculos pono, videre mihi videor Angelum ob puritatem, Prophetam ob reuelationes, Apostolum ob electionem, Euangelistam ob historiam, martyrem ob passionem, doctorem ob documenta & præcepta, confessionem ob exilium, hominem denique perfectum, sanctissimum, & omnibus rebus ac numeris absolutum; videre inquam mihi videor simile illi, de quo apud Ecclesiasticum legimus: *Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione*: Virum deniq; admirabilem, maximis præ reliquis hominum prærogatiuis donatum.

S. Ioannes in omnibus perfectus.

Eccl. 45.

Ipsemet quas cœlitus receperat gratias & prærogatiuas recensens, tria sibi soli priuilegia collata refert potissimum. Primum, quod Christo carus fuerit & acceptus: *Quem diligebat Iesus* Secundum, quod supra pectus Domini in cœna vltima recubuerit. Tertium, quod arcana eius scisciari sit ausus dicens: *Domine quis est qui te traditurus est?* quod ceteri Apostoli minime petere ausi sunt.

Tria priuilegia Ioanni cõcessa, quæ ipsemet recẽset

Antequam porro de prima prærogatiua, in amore, quo eum Christus prosecutus est, sita plura dicam, non possum quin summam Ioannis modestiam, & profundam eius humilitatem demirer; qui dum de magno hoc fauore, & singulari Christi gratia, qua se amore quodam intimo, & non, quo alios, cõmuni, sed maiori quam alios Apostolos prosequebatur, loqueretur, duntaxat, simpliciter ait, *quem diligebat Iesus*, alia non addendo, neu se alijs conferendo, ne forte animus laudum fastu turgidus insolesceret, atque alios hoc nomine præ se contemneret. Humilitatis sc. amor sui ipsius magnitudini & exaltationi contrarius, impedimento fuit, quo minus diceret, quod reuera tamẽ dicere potuisset, *quem præ ceteris diligebat Iesus*: Hoc enim postea eum nomine Patres omnes affecere, & hoc in eum præconium effuderunt.

Insignis Ioannis modestia & humilitas.

S. Augustinus in primis, in Ioan. commentatus, hac eum laude donat: *Ipse est Ioannes, qui inter omnes discipulos super pectus Domini discumbebat, & quem Dominus, charitatem debens omnibus, tamen præ ceteris diligebat.* Idem habet & Euthym. *Ioannem*, inquit, *diligebat Iesus, plus videl. ceteris, vt qui plus diligi dignus erat.* Sequitur & Theophyl. & iisdem prope verbis, *Ioannes præ ceteris aliis diligebatur maxime* non aliter Chrysost. *Et alij amabantur, sed Ioannes præcipue.* Patrib. Græcis suffragatur & doctor Angelicus D. Thom. suamq; afferens symbolam ait: *Christus speciali dilectione præ ceteris Ioannem dilexit.*

S. Aug tract. in Ioan.

Euthym in Ioan.

Hom. 17. in Ioan.

D. Thom. in Ioan 21.

Et sane Ioannem maiori Dei filius, quam reliquos est Apostolorum amore prosecutus, maiori etiam quam ipsum Petrum; maiora enim & euidentiora ac plura amoris illi signa exhibuit, quam Petro. Quenam vero amoris huius causa? Triplicem assignat D. Thomas. primo adscribit eum integræ & sinceræ animi corporisq; puritati, vtpote qui virgo electus tota vita virginitatem coluit. eandem causam adfert & D. Hier. & Euthym. qui quidem Ioannem puritatis conseruandæ ita ab adolescentia studiosum fuisse asserunt, nullam vt vel minimam, qua polluereturr, cogitationem in animum aut mentem admiserit. Secunda intimæ dilectionis causa fuit doctrinæ eius sublimitas & sapientiæ magnitudo, quod nimirum ad secretorum diuinorũ cognitionem altius euolarit, & in mysteriorum adyta penitius alijs omnibus penetrarit. Tertia vehemens eius erga Redemptorem Iesum amor & affectus; ex toto namq; eum corde & amore incredibili complectebatur.

Christo Ioannes caior quam Petrus.

D. Thom in Ioan. 13.

Lib. 1. aduer. Iouin. Euth. Ioan. 13.

Alias alij causas allegant S. Ioannes Chrysostomus eximiæ eius humilitati hoc attribuit, quam nempe jam tum, ex quo ad dextrã sedere in regno Christi cupiens ab eo correptus est, omnem ambitionem exuens, colere cœpit. Adducit & alias, & morum dulcedinẽ, simplicitatem, innocentiamq; vitæ, quæ in eo relucebat, amoris fuisse incentiua vult.

In Ioan.

D. Thomas tribus suis causis & hanc quartam addit, ob iuuentutem scilicet & ætatem imbecillem. Quidquid deniq; in causa fuerit, *fuit* *In Ioan. 12.* ille *discipulus quem diligebat Iesus.*

Iesu ergo carus erat, quod mundo & puro esset corde, & virgo: quin in Apocalypsi sua scribit, eos qui cum mulieribus non sunt co- *Apoc. 14.* inquinati, nec impuros consectati sunt amores, sed virginalem candorem integritatemq; inuiolatam conseruarent, Agnum sequi quocumq; jerit, & ab Agno amatos ab eius latere nunquam discedere. Deinde in Sapiente *Sap. 6.* scriptum est: *Incorruptionem facere proximum Deo:* atq; vt impudicitia & lubricitas animas à Deo elongat & reuocat, ita vitæ integritatem & puritatem ad eum deducere. Hæc scilicet incorruptio, virginitas inquam, Ioannē nostrum Christo ita vicinum ac propinquum reddidit, vt super sanctum pectus eum recūbere fecerit, suoq; amore præ reliquis Apostolis dignum reddiderit.

Prou. 22. Illustre inter omnia Salomonis Prouerbia & proposito quadrans, illud est, *Qui diligit munditiam, habebit amicum regem* quod in sancto hoc Euangelista locum habet, cum n. in corde mundo conseruando operā maximā collocasset, & puritatis virginalis custodiendæ perstudiosus esset, Iesum Regem Regum, & totius orbis monarcham in amicum habuit.

Tob. 3. Tobias ille sapiens, non vana quadam ostentatione sed potius ex humilitate & in formam gratiarum actionis ob beneficia accepta, cordis sui puritatem Deo confitens magna illi cum sinceritate ait: *Tu scis quia mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia* Erāt hæc verba in ore sanctissimi viri pulchra, sed Ioannis nostri in ore maiorem longe gratiam haberent: nam & Tobiam & reliquos omnes puritate & integritate superans, vere coram Deo & hominibus dicere potest, semper se virginem permansisse, animamque ab omni concupiscentia immunem & liberā seruasse, non à concupiscentia dumtaxat, sed etiam ab omni lubrica & lasciua cogitatione, idq; toto vitæ tempore. Hinc & factus est *discipulus quem diligebat Iesus.*

Christus in cruce suam

In huius amoris testimonium cum cruci affixus esset Christus, suam illi matrem credidit, eiusque quasi tutorem creauit. Tutelæ Ioanni macommissæ hæc sunt verba: *Fili, ecce mater tua,* trem commendat. non ait, *serue* sed, *fili*: nec, *ecce domina*, sed, *ecce* *Matth. 27.* *mater tua.* quorum singula honorem & magna amicitiæ familiaritatisq; includunt indicia. in quæ verba S. Ambrosius hanc meditationem concinnat: *Auctor humani generis in cruce pendens pietatis officia distribuebat, persecutionem Apostolis, pacem discipulis, corpus iudæis, patri spiritum, Virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatoribus infernum, Christianis pœnitentibus veniam legauit.* Quid dici elegan- Quomodo tius digniusq; potest? an non hæc omnium, in cruce quæ Redemptor possidebat, egregia distri- Christus butio & partitio, & testamentum & legata sua disperti. inaudita? S. Ioannes vero inter intimos haud tus sit. dubie referendus, vtpote cui mater legata dilectissima.

Patriarcha Iacob morti se proximum vi- *Gen. 48.* dens singularem quo Ioseph filium suum amorē prosequebatur, & semper quoad vixisset prosecutus erat, manifestaturus, pauculis his ei verbis portionem præ alijs fratribus legauit, dicens: *Ecce ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetq; vos ad terram vestram, do tibi par-* Iacobi infi- *tem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu* liū suū Iose- *Amorrhæi, in gladio & arcu meo.* Ita omnium phum affectus. Patriarcharum pater Iesus jamjam in cruce animam exhalaturus, immensum suum erga Ioannem discipulum amorem & affectum declaraturus, insigne illi donarium legauit, & donariorum omnium præstantissimum, matrem inquam suam sanctissimam, quā crucis passionis suæ arcu & gladio ab Amorrhæi, id est, peccati ac diaboli manu tulerat, dicens: *Ecce mater tua.*

Venit hic mihi in mentem eius, quod olim in libro Iudicum legere memini. Sisara cum *Iudic. 5.* diutius domo abesset, & morā veniendi necteret, mater eius moram hanc & absentiam ægre ferebat, ac nō mediocri dolore cōficiebatur: porro vna vxorum eius socrum his est verbis allocuta: *Forsitan nunc diuidit spolia, &* Insignis al- *pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Certe in ar- legoria. bore crucis Christus velut alter Sisara manubias & spolia dispertitus est, ac de omnibus quæ possidebat legata disposuit, animam Patri, Ecclesiā Petro, matrem gloriosam Ioanni

Euan-

Euangelistæ legans, quæ omnium erat pulchritudinũ pulcherrima, & inter omnes, quas vlla sæcula viderunt, fœminas perfectissima, iuxta illa elogia, quæ in Canticis dat sponsus dicens: *Tota pulchra es amica mea* Atq; hęc facta sunt, vt hinc manifestum fieret, Ioannem fuisse discipulum *quem diligebat Iesus*.

S. Ioannes commemorat quæ recepit beneficia, & non obsequia quæ præstitit.

Hoc Ioannes ipse velut honorificum deprędicat, & sibi beatam est sortem gratulatus, idq; nõ jactabundi aut ostentantis cuiusdam in morem; neq; enim obsequia, quę Christo detulit, nec amorem, quem ante osteuderat, recenset, cum tamen libere asserere posset, omnia se, patrem, matrem, nauẽ, retia, & quidquid in mundo possidebat, idq; in flore ætatis deseruisse; sed gratias duntaxat ac beneficia recepta cõmemorat. in quo suam testatus est gratitudinem & perpetuam beneficiorum recordationem, & vt sanctus & virtutum in ludo exercitus & eruditus recepta cœlitus beneficia dumtaxat recolit, non vero quæ ipse vicissim impẽdit obsequia. quorum illud humilitatem, hoc è contra superbiam redolet.

Sanctum est exercitium, sæpe diuina beneficia recolere.

Et est sane sanctissimum quoddam exercitium diuina beneficia semper ante oculos, in mente, corde & ore habere: ante oculos quidem ad eadem perpendenda, in mente ad eadem euoluenda, in ore ad eadem celebranda, in corde ad assidue de ijsdem cogitandum. Hoc vt faceret, sponsæ ac dilectæ suæ suadebat castus ille sponsus, cum poni se volebat, vt amoris notam super cor, & velut signaculum super brachium. Brachium porro operũ est instrumentum & organum, cor vero cogitationum officina. Deum autem verum animarum nostrarum spõsum in corde & brachiis gestare nihil est aliud, quam beneficiorum eius recordari, & eadem in memoria recenti semper habere: quæ plane Christiana sunt exercitia, eoq; desiderabiliora, quo diuini in nobis amoris incendium magis excitãt, & cor ad gratias illi agendas magis ac potentius succendunt.

Cant. 8.

Leu. 6.

In huius rei figuram in Leuitico iussit Deus, vt ignis in altari holocaustorũ semper arderet, quem subiecto ligno & fomite mane ac vespere sacerdotes semper alerẽt: *Ignis*, inquit, *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies: ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Designare hoc præcepto mystice voluit, vnum è præcipuis, quibus Dei famulum occupari oportet, exercitiis, esse operam dare, vt diuini amoris æstus & ignis incessanter arderet, & in cordis sui altari perpetuus sit, quotidieq; ligna & alimenta, beneficia inquam recepta, subijcere, quæ verus amoris huius sunt fomes & nutrimentum, quæ non quotidie duntaxat, sed ad singulas horas & momenta, memoria recolenda sunt.

Diuinorũ beneficiorũ memoria nutrit diuini amoris ignem.

Hoc vitam ritũ instituebat Psalmista, vtq; sua nobis exercitia patefaceret, cum dixisset: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* mox subjungit: *In meditatione mea exardescit ignis* Id est, vti & qualiter beneficia, quæ à Deo meo recepi, animo voluo, ita & non aliter sancti amoris eius ignis in animo meo accendetur. Et sane frequens beneficiorum cœlestiũ recordatio veri sunt folles, aut potius viui quidam fomites in cordibus nostris diuinum hunc ignem & amorem ignitũ, quamdiu in hoc mundo agimus, succendentes, Deumq; simul inuitant, vt cum gaudio nobis benefaciat. Rei huius praxim idem ipse rex in alio Psalmo docet dicens: *Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam*: quasi dicat: Quandoquidẽ Deus meus, meditatio mihi adeo est vtilis tantaq; pariat commoda, semper omnem in te spem meam conijciam, & noua à dextra tua beneficia expectabo, te semper prout potero celebrãs ob ea, quę jam recepi, quorum nunquam me capiet obliuio.

Psal. 15.

Memoria beneficiorũ cœlestium sunt nutrimenta ignẽ diuinum fouentia.

Psal. 7.

Et sane solenne semper viris sanctissimis fuit, diuinorum assiduo beneficiorum recordari, eademque in corde & ore nunquam nõ habere: Exemplo nobis sit Iacob, qui Esau fratri suo factus obuiam, post viginti prope annorum absentiam, cum is de rerum suarum statu & prolium numero perconraretur, ac num comites omnes itineris ad ipsum spectarent, dicens: *Quid sibi volunt isti, & si ad te pertineant?* placide & singulari cum modestia respondit: *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo*, deinde fratrem rogans, vt quæ de bonis suis illi elargiretur munera, ad-

Gen. 38.

Veterum pia consuetudo, beneficiorum diuinorum semper meminisse.

mittere ne graueretur, quam potuit humanissime eadem obtulit dicens: *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* Videte quæso, vt pius ille vir omnia ad Deum referat, piumq; eius diuinorum beneficiorum recensendorum morem admiramini.

Esau ingratitudo ingratitudinem mundanorum repræsentans.

Profanus vero Esau, vt alterius erat indolis, alio etiam est modo locutus, & velut ingratus, nec benefactorem agnoscens Deum hæc ingrati animi testes verba protulit: *Habeo plurima frater mi, sint tua tibi*, quasi diceret: Diuitijs te aut æquo aut supero: quare de me noli esse sollicitus, tuas tibi diuitias habe. Videte vt locutus sit; adeo enim cum fratre non dicit, Deus mihi plurima dedit, nec Deum vt Dominum aut benefactorem suũ, omniumque auctorem ac datorem agnouit, vt ne corde quidem eius & animo sit recordatus, aut lingua ei gratias egerit, & in laudes eius proruperit, sed velut ingratus & oblitus, sibi omnia adscripserit. In quo summam ipse mundanorum ingratitudinem, Iacob vero piam piorum consuetudinem repræsentat, qui recepta beneficia & gratias nunquam non animo memori recolunt, vti & hodie Ioannes noster, dum honorem, quo à seruatore Iesu afficiebatur, celebrat & extollit, dicens: *Discipulus quem diligebat Iesus.*

Gen. 45. Ioseph Patriarcha, qui octoginta & amplius annorum spatio tanta cum prudentiæ sapientiæq; laude Ægypto præfuit, piam hanc sanctamque seruorum Dei ac præsertim patris sui consuetudinem animo impresserat, fratribus namque vniuersam vitæ seruem, & lætam sortem suam recensens ait paucis: *Deus me fecit dominum vniuersæ domus Pharaonis, ac principem in omni terra Ægypti.* Nomen autem, Adhunc me honorum apicem Pharao euexit, aut tam mihi fortuna propitia fuit, vel prudentia, sapientia ingenioue hanc mihi ipse dignitatem comparaui (ita enim mundanus aliquis loqueretur) sed absolute simpliciterque ait, à Deo bonum hoc obtinui, is me fecit eum qui sum: illi soli omnem sortem ac fortunas meas debeo. hunc Ioannes noster imitatus dicit: *Discipulus quem diligebat Iesus.*

Ioseph gratitudo ob recepta à Deo beneficia.

Dauid rex, si quis vnquam, pius & iustus, Dauid omsanctam hanc seruans consuetudinem, non nes inuitat, satis habebat, sæpe beneficiorum cœlitus ac- vt secum ceptorum reminisci, deque ijs frequentem gratias agat sermonem instituere; verum etiam ea ipsa exproreceptis aggerando, omnes secum ad ea agnoscenda à Deo gra- & simul ad se in gratiis ob eadem jam cogni- tiis. ta suppliciter & cum laude agendis iuuãdum creaturas inuitabat: *venite*, inquit, *audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea*, quantum debeam Deo, quas mihi gratias contulerit; sed ea conditione & pacto, vt calamos mihi & voces mutuo detis, quibus ei summa animi demissione grates persoluam, & eius decantem præconia. Imitare sanctos hosce viros anima mea in assidua beneficiorum à Deo tuo acceptorum recordatione: & orbem vniuersum, vt tecum ex intimo corde & affectu gratias agat, inuita, itaque vitium ingratitudinis fugias.

Rebecca prudens illa ac sapiens puella, vt *Gen. 24.* in Genesi scribitur, acceptas à sponso suo Isaac velut matrimonij arrhas per nuntium inaures, armillas, aliaque cimelia, parentibus & cõsanguineis omnibus ostendit, vt illius hoc pacto magnitudinem & diuitias testatas faceret, quæ dona alia quædam imprudens & arrogans puella domi arcæ inclusisset, ea ipsa nemini non exhibuit spectanda. Ita quoque sancti ac pij erga Deũ verum animarum suarum sponsum se gerunt: statim enim ac meritum, virtutem, gratiam quampiam, quæ cœlestia reuera sunt monilia, & spirituales diuitiæ, magnique ea pretij & vera immensæ Dei erga se dilectionis argumenta recipiunt, omnibus ea manifestant, & patefaciunt, nullo non momento de ijsdem loquuntur, ac datorem assiduo deprædicant, vt hoc pacto bonitatis illius magnitudinem, libertatis excessũ, misericordię fundum per omnium ora diuulgent, & honoris illius ac gloriæ famam latius proferant.

Legisse olim in historia Esther memini (si *Esth. 6.* rite recordor) Assuerum Regem prudentia & sapientia, si quis vnquam illustrem, insomnes sæpe noctes integras veterum historiarum monumenta, & priscos annales lectitando duxis-

duriſſe: relata porro in eos erant quæcumque, ex quo ad regnum euectus erat, ab aliquo vnquam beneficia ac beneuolentiæ argumenta receperat. Et ſane prudenter admodum, vt nimirum per hæc ipſa monumenta eorum inquirens nomina, quibus ob recepta beneficia obſtrictus erat, poſt parem ijs referret gratiam, & reciprocam beneuolentiam rependeret. Principis huius exemplo Chriſtianos omnes inſomnes traducere noctes oporteret, nec oculos in ſomnum declinare, quo nimirum vel ingens ſacræ ſcripturæ volumen, in quod quidquid ab orbe condito contigit relatum eſt, euoluerent, vel vitæ ſuæ librum, quo continetur quidquid nobis accidit, ex quo in terra viuere cœpimus, vt in vtroque legentes beneficia quæ à Deo ſuſcepimus, & quam multis ob eadem illi nominibus obſtricti ſimus, ilico ad ei gratias agendas accingamur, ac gratos nos omnigenorum obſequiorum delatione præbeamus.

Allegoria.

Et ubeſcant ad hoc exemplum Chriſtiani, adeo erga Deum benefactorem ſuum ingrati & immemores. Videant vt Ioannes noſter, quo gratiæ à Ieſu Chriſto magiſtro ſuo acceptæ melius recordaretur, atque inde eius laudandi occaſionem haberet, ſuum commutet nomen, nec Ioannem, nec Apoſtolum, nec Euangeliſtam, nec Prophetam, nec martyrem (qui tamen merito in ipſum tituli quadrabant) ſe nominet, ſed *diſcipulum* duntaxat *quem diligebat Ieſus*.

Gen. 4.

Pium hoc Ioannis factum alterius prope ſimilis, quod in Geneſi legitur, & Ioſepho Patriarchæ contigit, mihi memoriam refricat. Hic enim cum duos à Deo filios accepiſſet, natu maiorem Manaſſis donauit nomine, dicens: *Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Minorem vero Ephraimi, dicens rurſus: *reſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* O pium ſanctumq; virum! ô animum generoſum & illuſtrem! ô inſignem ſancti huius viri gratitudinem! cui ſatis non eſt ob malorum oblationem & bonorum ſuſceptionem Deo gratias agere, ſed filijs quoque ſuis nomina imponit, beneficij recepti ſignificationem includentia, vt animæ id ſuę ſemper infixum inſculptumq; permaneret; vtq; eadem opera filij ſui hiſce donati nominibus, vna cum patre ad gratitudinem declarandam, gratiaſque datori perſoluendas excitarentur. Ita & Ioannes noſter vt diuinorum benefactorum memoria immortaliter illi inhæreret, nomen proprium aſſumere non vult, & aliud ſibi longe dignius imponit, nimirum *diſcipulus quem diligebat Ieſus.*

Ioſephi inſignis erga Deum gratitudo.

IV. Singularis illa Ioanni fuit data gratia, quæ ſuper Chriſti pectus meruit recumbere. *Luc. 2. Ioan. 20. Ioan. 11.*

Et ſane ita eum diligebat, vt in ſingularis & extraordinariæ cuiuſdam dilectionis ſignum illi caput ſuper ſacrum pectus reclinare permitteret: qui ſane honor nemini præterquam illi conceſſus aut collatus. Sanctus Ioannes Baptiſta vetitus eſt vel manu Redemptoris caput tangere; ſanctus Thomas digitum lateri vel admouens præ reuerentia quadam ſacra exclamat, ſancta Maria Magdalena tren ebunda & gemebunda pedes eius tangere perhorreſcit; hic vero diſcipulus cum illo quodammodo ludit, ad libitum de eo ſtatuit, & familiariter admodum ſuper ſacrum eius pectus recumbit.

Exod. 33.

Moyſes, etſi ſummus legislator, Dei videre quidem faciem voluit, ſed ſola poſteriora cernere illi datum fuit. Iſaias, & Ezechiel in omnibus ſuis reuelationibus ſemper eum nonniſi in throno conſidentem conſpexere. Abraham etſi pater fidei & fidelium omnium caput, in Angeli eum ſpecie ſolum vidit, Iacob ſcalæ tantum innixum, Dauiel quamuis ſuperis gratiſſimus, nonniſi candido lino indutum: Ioannes autem ſuis eum conſpexit oculis, in natura agnouit, in diuinitatem eius penetrauit, & ſacro pectori eius caput appoſuit, è quo mille arcana, ſcientiarum iliada, & infinitos mirabilium theſauros deprompſit. Rei huiuſce teſtes habeo omnem prope veterum Patrum cœtum. Origenem inter primos, qui ſuis in Cantica ho milijs his de ipſo verbis loquitur: *In his certum eſt, quod Ioannes in principali cordis Ieſu, atque internis doctrinæ eius ſenſibus requieuiſſe dicatur, ibi requirens & perſcrutans theſauros ſapientiæ & ſcientiæ, qui reconditi erant in Chriſto.* *Ezech. 1. Homil. 1. in Cant.*

Poſt ipſum paucis id verbis complecti-

In Ioan 13. tur Abbas Rupertus, *Dignus*, inquit, *fuit Ioannes de ipso sacro Dominici pectoris fonte diuinitatē eiusdem Verbi, & æterna potare secreta principij.* Eosdem sequitur eodem item sensu B. Laurentius Iustinianus, sed verbis elegantioribus, & maiori aloquentia: per Apostrophem enim Ioannem compellans ita loquitur: *Sapientiæ*, inquit, *arcana Ioannes in pectore recumbens contemplando rimaris, curris per Angelos, discurris per Archangelos, ceterasq; cœlestium spirituum legiones considerationis penna percurrendo rimaris. Tibi nunc panduntur indicibiles sapientiæ thesauri, tibi reserantur per reuelationem sacra mysteria, &c.* Quid dici ad Ioannis laudes aut melius, aut elegantius, aut efficacius potest?

Lib. de agone Christi ca. 5.

Magna Ioanni reuelata mysteria.

Ceterum nolite existimare, Auditores, docta hæc illustrium virorum de Ioanne præconia per hyperbolen aut vltra meritum euehendo esse dicta. Certissimum namque est dilectum hunc charumque discipulum, tam familiariter filij Dei pectori incumbentem ex hocce pectore incredibilem scientiam magnaque & infinita mysteria exsuxisse, & ex hac abysso & puteo sexcenta sapientiæ æternæ arcana hausisse. Primo, æternæ hinc generationis mysterium illi reuelatum fuit, de quo scripsit, *In principio erat verbum.* Deinde iuxta sententiam Origenis, filij Dei cum Patre æternitas, item relationum ac personalitatum ad inuicem distinctio, dum ait: *Verbum erat apud Deum.* Tertio, consubstantialitas, vel substantiæ ac naturæ inter Patrē ac Filium identitas, cum ait, *Deus erat Verbum.* Quarto humanæ naturæ assumptio, dicendo, *Verbum caro factum est.* Et profecto: *Si altius* inquit sanctus Augustinus, *volasset, totus mundus eū capere non potuisset.* quin etiam nonnullorum opinio est diuinam ab eo essentiam tunc, cum super sacratum Redemptoris mundi pectus in cœna recubuit, conspectam esse.

Ioan. 1.

In Ioan.

Hoc equidē asserere non ausim, dicere tamen velim, quod si Dei filius alias Apostolis tanto cum affectu & honore dixerit, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*; haud omnino à vero sit alienum, præter generalem illam cognitionem, quæ æqualis omnibus collata fuit, particularem quandam & maiorem Ioanni datam esse, cum inter reliquos Apostolos illi esset intimus, & carissimorum carissimus.

Ioan. 15.

Si Apostolus Paulus ob suos ad vsque tertium cœlum raptus dicere & ausus est & potuit, *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*, quæq; æterno digna sunt silentio inuolui. Multo maiori cum ratione credendum videtur, S. Ioannem adusq; diuinitatis thronum penetrasse, ac personarum diuinarum origines, processiones, relationes, proprietates & notiones nouisse, audisse quoq; & intellexisse maxima arcana cœlo reclusa, quæ, vti Paulus, aperire non modo est ausus, sed & scripto commisit, & vniuerso mundo patefecit.

1. Cor. 2.

Ioannes multa arcana nouit.

Hoc eo dico confidentius, quod scriptum in Euangelio nouerim, ad omnium secretorum notitiam illum à Redemptore admissum esse, adeo vt nihil illum celarit, quidquid demum etiam magni momenti & mirabile in mūdo aut fecerit, aut facere decreuerit. Passionis quidem mysterium Matthæi 20. omnib. in genere Apostolis reuelatum fuit: sed transfigurationis tribus duntaxat: quorum vnus Ioannes erat, Matth. 18. Resurrectionis patefactum non plurib. quam duobus, inter quos erat & Ioannes, Ioan. vlt. sed Incarnationis soli illi fuit detectum, de quo mira & docuit & promulgauit, & scripto commisit. Hinc Origenes & Augustinus tradunt eum in Saluatoris sinu recumbētem in paradisum paradisorum raptum fuisse, SS. Trinitatis arcana vidisse, & Euangelij mirabilia hausisse, vti ipse testatur & profitetur gloriatus, cum scribit in epistola, *Quod fuit ab initio, quod vidimus.*

Origen. & August. in Ioan.

1. Ioan. 1.

Sublimis hæc & ineffabilis scientia, & mysteriorum diuinitatis & Ecclesiæ cognitio, in causa fuere, cur illi per excellentiam nomen *Theologi* inter omnes, qui de rebus sacris scripsere, ab omnibus tribuatur. Ita eum appellant S. Dion. Areopag. in suis ad eum epistolis, Hippolytus Martyr orat. de seculi consummatione; S. Epiphanius hæresi 5. Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 3. de SS. Trinitate, Cyrillus vero Hierosolymitanus catechesi 1. S. Athanasius orat. contra

Ioannes dictus Theologus per excellentiam.

tra idola; Sanctus Ioannes Chrysostomus præfat. in Psalm. & alij plures, qui omnes per antonomasiam & magni honoris titulo ipsum Ecclesiæ Theologum nuncupant, quod in terra nemo vnquam vixerit, qui profundius in Theologiæ adyta & abyssos penetrarit, neu de Deo mysterijsq; ad hanc scientiam pertinentib. disseruerit aut audacius, aut verius.

Dam. ser. 1. de exc. Ioan.

Easdem ob causas Damianus magnæ vir auctoritatis, & tam sanctitatis nomine, quã doctrinæ illustris, in libro, quem expresse de Ioannis composuit excellentia, paradisi eum fluuium nominat, aitque eum mente diuinitus illustrata incomprehensibilem diuinæ scientiæ sublimit item magnitudinemque concepisse. Et est ipse, qui è corde Iesu Christi, velut è cœlesti quodam thesauro, & supernaturali repositorio ac penuario, in quo omnes sapientiæ atque æternæ scientiæ monilia recondita erant, omnigenas opes deprompsit, & honesta quadam prodigalitate, in salutem totius orbis & omnium emolumentum, dispersit, & nemini non communicauit.

S. Ioannes appellatus fluuius paradisi.

De ipso siquidem intelligendum, & ad ipsius laudes referendum, quod apud Ecclesiasticum legimus, *Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus:* ipse enim inter omnes homines spiritu sapientiæ, & intellectus repletus fuit, ac de ipso dicendum, quod de Daniele dixit Baltassar filius Nabuchodonosoris, *Audiui de te, quoniam spiritum deorum habes, & scientia, intelligentia ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te* Videte Auditores num hoc apte in Ioannem nostrum quadrat, cum scientia, intelligentiaque, ac sapientia, alijsq; similibus perfectionibus inter omnes mortales ac forsan Angelos nemo illi fuerit secundus.

Eccl 15.

Dan 5.

Angeli multa à Ioanne didicere mysteria. *D. Chrys.*

Plura de his loqui vererer, nisi sententiæ huius fideiussores haberem, certoque nossem, Sanctum Ioannem Chrysostomum illud ipsum ante me dixisse. Inuenio namque id scripto commisisse ipsum, postquam sæpe illud pro concione apud Græcos suos docuisset, Angelos scilicet eius velut discipulos fuisse, multaq; ab eo & ab Ecclesia de Christo mysteria didicisse. Ne quis vero quid obijciat, & velut falsitatis se coarguat, illis Pauli verbis ad Ephes. opinionem suam confirmat, *Vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.*

Ephes. 3.

Hoc igitur pacto dicere nobis licet, tam illum Angelorum, & cœli, quam hominum & Ecclesiæ doctorem fuisse. Vt enim illos mysteria edocuit, ita & hos veritatem, & aduersus hæreses digladiari. Primo aduersus infame Nicolaitarum dogma, in matrimonij dedecus asserentium, fœminas omnibus esse debere communes, scripsit secũdum Apocalypseos caput; Ebionitarum blasphemias Christum Deum esse negantium, scripto iugulauit Euangelio; aduersus hæresin Cerinthi, qui Christum nonnisi phantastica & imaginaria in carne apparuisse sustinebat, suas euulgauit epistolas. O illustrem doctorem & virum sanctissimum! Hic porro in eius laudibus commemorandis finem faciam, restat enim vt de cruciatibus eius & martyrio loquar, quibus secundam concionis partem destinaram, eam ergo iam aggrediamur.

S. Ioannes hominum & Angelorum doctor.

V.

Historiæ porro series hæc est. Cum longo post Redemptoris mortem tempore Ioannes Ephesi crucem & Euangelium prædicaret, feruens o- Domitiani Imp. iurati Christianorum hostis leum inji- iussu Romam euocatur, vbi iniqua iudicum citur. sententia, comam per summam ignominiam detonsus, & virgis cæsus, ante portam Latinam in feruentis olei dolium inijcitur. Porro hæc capillorum detonsio duo magna & illustria denotabat: Primo regiam in sacerdotio dignitatem: ex Apocalypsi hoc eruere est: *Qui fecit nos Deo nostro Reges & Sacerdotes.* Secundo perpetuum & inuiolabilem Dei cultum & obsequium, cui iam inde ab adolescentia se dedicarat, & à quo nullis cruciatibus dimouendus esset. Moris adhæc apud Romanos erat, vt detonderent eos, quos bello subigerent, detonsosque deinde sub hasta venderent. Huius consuetudinis meminit & Deuteronomium, *De captiuitate nudati inimicorum capitis.* quin & in lege Mosis oues prius detondebantur, antequam in sacrificium mactarentur. Tertio comam tonderi æquo animo passus est, vt testaretur terrena se

Ioannes in feruens oleum inijcitur.

Cur Ioannes detonsus, antequam in oleum iaceretur. *Apoc. 5.*

Deut. 31.

na se omnia ac mundana contemnere & velut quisquilias abijcere, quibus iam inde ab ætate iuuenili renuntiarat: & sane crines vera vanitatum & rerum terrenarum temporaliumque sunt symbola. Quarto, in militiæ argumentum, & vt se aduersus carnem, mundum, ac dæmonem decertare paratum ostenderet. Ita & Alexander Macedo, quo milites bello aptiores redderet & pugnæ comam illis & cæsariem radi iussit. Quinto, in contumeliam & fatuitatis probrum, eos quippe mundos vt fatuos & insensatos explodit, qui Christum sequuntur; atque eis stultitiam affingit, qui Venerem, honores & opes negligunt & contemnunt. Ipse etiam Paulus huic fuit contumeliæ expositus: omnium namq; Christum sequentium nomine ait, *Nos stulti propter Christum.* sed è contra mundus ipse, dum se sapere credit, stulteſcit ac desipit quam maxime; de quo idem scribit Apostolus, *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, &c.*

Crines sunt symbolum terrenorū. Alexander milites suos radi iussit.

2. *Cor.* 1.

Rom. 1.

S. Ioannes ergo vt stultus habitus ab omnibus, & irrisus, abiecti mancipij instar raditur, & oleo inijcitur. Hæc aliaque præsago didicerat spiritu sibi euentura. Inter alias enim Apocalypseos suæ visiones vidit filium Dei, cuius ab ore gladius anceps promicabat, & cuius pedes similes ardenti aurichalco, sub cuius visionis vmbris hocce latet mysterium. Apostoli siquidem pedes fuere Christi, atque hic denotabatur, omnes per tormenta, cruciatus, tribulationes, quas ignis nomine, & fornacis signare sacra Scriptura solet, Dominum sequi debuisse. Huc alluſit S. Petrus, cum scriberet: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Apoc. 1.

1. *Pet.* 2.

S. Ioannes plura patitur martyria.

Ioannes ergo pedum Christi vnus in ignē, i. e. feruens oleum mittitur. Quot vero martyria, quamq; varia hoc in mundo pertulit? Primum in cruce, cui, Domino patiente, ipse intrepidus adstabat, & verisimile fit eadem illum in animo tulisse tormenta, quæ suo Redemptori in corpore. Si Apostolus Paulus tot post passionē Domini annis ex suo erga Redemptorem amore dicere potuit, *Christo confixus sum cruci*; quid de dilectissimo hoc discipulo ardentissimoque Domini sui amatore dicendum aut cogitādum, qui ipsa passionis die cruci & patienti adstat? sane credibile videatur, sicut magistri corpus cruci confixum hærebat, ita & discipuli cor & animam ei affixum fuisse.

Gal. 2.

Si vaccæ è terra Philistijm arcam in Israel transferentes præ dolore mugiebant, quod à vitulis suis sequestrarentur, quos domi in stabulis lactabant; vituli vero querulo mugitu & boatu matrum vbera exposcebant; quo discipulum hunc dilectissimum dolore cruciatum putabitis; quibus cor eius anguſtijs lancinatum? quas illum effudisse lachrymas? quot anhelo è pectore traxisse suspiria? quot sensisse cruciatus? quot planctus & lamenta edidisse? vbi à gloriosissima Virgine, quam in matrem selegerat, & à Iesu Christo, quem vt amicum, magistrum, ac patrem habebat, separatum se vidit?

1. *Reg.* 6.

Allegoria.

Cum vero Ioannem in monte Caluariæ sub cruce stantem contemplor Christo proximum, videre videor illum Ionathæ armigerum, dominum per rupium & montium inuia, per prærupta saxorum, per præcipitia sequentem, donec hostes omnes delessent, Ionathas enim princeps manibus pedibusque repens ad montis verticem proserpsit, vt inde hostem adoriretur; quem armiger eius pone secutus est eiusdem animi & audaciæ: *Ascendens Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius secutus est eum.* Et ecce Iesus Christus natura cœli terræque princeps, manibus pedibusque connitens, in crucis fastigium conscendit, atque ibi manſit crucifixus S. Ioannes fidelis & feruens famulus, qui nunquam ab eo desciuerat, quam promptissime eum secutus est, & eidem confixus cruci inde tormenta, passionem, dolores & cruciatus illius contemplebatur.

1. *Reg.* 14.

Post primum hocce martyriū, quod animum ei⁹ adeo afflixerat, nouum ecce hodie illi paratur, quo corpus eius torqueatur, quādo nimirum sine vlla compassione ac misericordia in bullientis olei immergitur dolium. Hæc Domitiani feritas memoriam mihi aliarum apud Ethnicos olim exercitatarum refricat. Thomiris regina Massagetarum cum

Thomiridis Reginæ in Cyrum feritas.

cum ob filij sui necem efferascens & æstuans vltionem meditaretur, tandem Cyrum ipsum Regem comprehendit, caputque illi præcisum dolio sanguine pleno immersit, dicens: *Bibe sanguinem quem sitisti.* Ita & Romani pari feritate, & eodem aduersus Iesum Christum, quem Apostoli eius prædicabant & Ioannes imprimis, odio flagrantes, nõ caput eius duntaxat, sed & corpus integrum in feruentis olei dolium coniecerunt. Parthi barbarie ac feritate pares, cum M. Crassum Rom. Imp. in potestate haberent, liquidum ori eius aurum infuderunt, idque per ludibrium & contumeliam, quod nimirum auri fame ac desiderio actus bellum hoc Parthicum suscepisset, quod eleganti illo disticho Poeta exprimit:

Mors Crassi

Dum petit Euphratem fatis lachrymantibus, aurum,
Quod sitiit Crassius, mortuus ille bibit.

Eadem credo crudelitate Ethnici indignati, Christianis Deum ac Dominum esse, cui nomen Christus, id est, vnctus aut oleo sacratus, quemq; Spiritu S. vnctum prædicabant Apostoli, nomenque eius esse voluit oleum effusum, materiali eos oleo immergere & enecare voluere, & Ioannem nostrum inprimis. Sed barbariem Ethnicorum omittentes, gratiores inde conceptus eliciamus.

Cant. 1.

VI. Oleũ olim adhibitum in sacrificio pacifico.

Victimis pacificis oleum addi volebat lex vetus, non vero ijs, quæ pro peccato offerebantur, quod nullum peccatori esse deberet gaudium, cuius oleum symbolum est & nota. S. Ioannis porro martyrium verum fuit sacrificium, pacificum inquam, non autem peccatoris, eo quod esset discipulus Domini carissimus: hinc addi illi oleum oportuit, sed oleum lætitiæ & exultationis, quali filius Dei vnctus à Propheta dicitur: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hinc in feruentis olei ahenum ante portam Latinam Romæ missus est.

Psal. 44.

Luctatores olim & athletæ, antequam luctam susciperent, oleo artus suos perungebant, vt hoc pacto & vnguine conflictui parerentur. S. Ioannes, cum martyrio suo mundum, diabolum, ac tyrannos prouocasset in certamen, & hodie in arenam decertaturus descenderet, ante eum oleo non inungi modo, sed & immergi voluit Deus. Inter cætera, hæc tria oleum propria habet, coloribus decus & lumen addit, ignem fouet & alit, & medicum est, & plagas locaque affecta inungit. S. Ioannes ergo quoniam Ecclesiam illustrare, & fidei virtutumque Christianorum decº augere, velut Apostolus, ac verbo Dei populos pascere & alere, velut Euangelista & doctor, & morbis plagisque delinquentium vti Confessor mederi debebat; hinc eum Deus oleo inungi voluit, vt merito deinde illud Psalmistæ occinere posset, *Impinguasti* Domine *oleo* non modo *caput meum*, sed & vniuersa corporis membra.

Olei tres proprietates.

Psal. 22.

Olim in veteri lege siquando Reges, Prophetæ, ac Pontifices initiarentur, aut inaugurarentur, oleo vngi ipsos mos erat, quod vero Ioannes noster Euangelistarum futurus esset Rex, & Prophetarum primus, & inter Sacerdotum principes etiam numerandus; cum de ipso illud Ecclesiastici merito dici queat, *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus;* hinc oleo vngi eum oportuit, non in manibus, aut capite duntaxat, sed & per totũ corpus, vt hac omnium membrorum vnctione maxima gratię in anima eius communicatio declararetur.

Reges, Prophetæ, & Pontifices olim vngebantur.

Docent hoc ante me SS. Patres, & inprimis Magnus Gregorius, qui veteris consecrationis exponens ritus, ait, per oleum lenticulæ, id est, vasculi cuiusdam exigui, quali scilicet inunctus est Saul, pauxillum gratiæ denotari; sed oleum in cornu, quale 1. Reg. 10. & 4. Reg. 1. legitur, illius signare copiam. Vnde hoc elicio, si oleum, quo Reges olim, Sacerdotes, & Prophetæ inungebantur, in lenticula aut vasculo aliquo asseruatum paruam quoque denotat gratiã, in cornu vero magnam, certissimum esse, illud in vase aliquo capaci ac dolio infinitam prope significaturum, talem inquam, qualis Ioanni nostro collata fuit, scientiæ præsertim & doctrinæ.

Super 1. Reg. 10. & in mor. 15. & in Ezech ho. 2.

1 Reg. 10. 4. Reg. 1.

Inter pia Ecclesiastici consilia hoc potissimum demiror, *Omni tempore sint vestimenta tua candida; & oleum de capite tuo non deficiat.* Eccl. 9.

Oleum sapiētiæ symbolum.

Scio oleo hoc mystice sapientiam declarari, quæ semper in capite nostro sit oportet, iuncto virtutum & bonorum operum candore & innocentia; sunt quippe hæ animæ vestes. Cum autem oleum hoc non de capite modo sancti huius viri, sed nec de corpore quidem toto defecerit, qualem animæ eius insedisse putabimus sapientiam?

Iob vitæ præteritæ ꝓsperitatem & adolescētiæ benedictionem commemorans, inter alia hoc de eadem prædicat. *Iob.29.* *Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Si in his suam beatitudinem sitam credebat Iob, maior sane Ioannis nostri felicitas fuerit oportet, cum nō petra, sed ahena vasa, doliaque non riuos, sed exundantes olei torrentes effuderint, quib. non pedes modo, sed vniuersum plane corpus noua quadam ratione abluit.

Iobi adolescentis prosperitas.

Benedictio Iacobo data.

Isaac Patriarcha Iacobo datā benedictionem recensens apud Esau, ait: *Frumento, & vino, & oleo stabiliui eum.* Tria in hac benedictione occurrunt, panis, vinum & oleum. Similem quoq; à Redemptore benedictionem Ioannes noster recepit: frumento enim & vino stabiliuit eum, cum sacerdotem ipsum cō secrauit, plena in corpus suum & sanguinem sub vtraque specie potestate data; hodie vero ante portam Latinam oleo eum stabiliuit.

S. Ioannes imago oleo picta.

Egregiam & ad posteros futurasq; generationes transmittendam imaginem tabulamque depingere qui volet pictor, oleum coloribus permiscere solet, quo & lux tabulæ addatur, eiusque venustas & perfectio perstet diutius, communes vero tabulæ aqueis duntaxat coloribus pinguntur. Ita plane & pictorum princeps Christus, Ioannem velut viuam vitæ suæ & morum imaginem, quæ diu in Ecclesia sua conspiciatur, relicturus, oleo eum hodie depinxit, in oleo plenum vas ipsum immergens; reliqui autem Sanctorum, vti imagines vulgares hoc depictæ modo non sunt.

Oleū symbolum sanctæ doctrinæ & donorum cœlestium.

Denique vt Theologice nonnihil de illustri hoc liquore, qui inter cæteros velut Rex quidam eminet, & alijs descendentib. supernatat, loquar, ipsum in sacris litteris video vt donorum ac charismatum cœlestium sacræque doctrinæ symbolum atque hieroglyphicum notari. Ita apud Ezechielem: *Et oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis.* & Osee 2. Osee 2. oleum & thymiamata in aris idolorū collocare, S. Hieronymus tantundem esse ait, ac donis Dei abuti, & è doctrina sancta errores elicere, hæreses confirmare, & *ferre oleum in Ægyptum*, quod Osee 12. dicitur, est mysteria profanare, & scientias sacras & verbum Dei gentilium fabulis, historijs, apophthegmatis, verbisq; permiscere; quod vna quædam est Sapientia, per *oleum peccatoris*, quod in Psalmis, & apud Prophetam hunc legitur, adumbrata. *Ezech.16.* *Osee 2.* *Super Osee 12.*

S. Ioannes sanctos remotos quos doctrina & sapientia superauit.

Cum ergo oleum verum esse veræ sapientiæ symbolū, indubitatum sit, vt dextrum omen accipio, cum Ioannem hodie in oleum missum contemplor, doctrina nempe illum ac sapientia reliquis sanctis, Apostolis, Doctoribus & Euangelistis præstiturum, cum olei omnes abundantia ac suppliciorum magnitudine superarit. De illo igitur vere dici Dauidicum illud potest: *Oleo sancto meo vnxi eum.* Et si Prophetæ dicere licuerit, *Impinguasti in oleo caput meum:* repetere Ioannes noster parodice poterit: *Impinguasti in oleo caput meum.* cum sc. iniqua præsidis sententia in feruentis olei dolium Romæ ante portam Latinam missus est. *Psal.83.* *Psal.22.*

Oleo Ioannes sospes emergit.

Sed audite miraculum, notate prodigium ecce tibi cœlesti bonitate hominum terrenorum feritatem oppugnante, & Diuina ꝓuidentia iniquitati Domitiani Imp. se obiiciente; Ioannes insons è barbaro hoc immanique cruciatu nullam refert noxam, integer ac sospes oleo egreditur, illæsus è conflictu redit, deque tyrannis, tortoribus, tormentis & cruciatibus triumphum agit. Huc allusisse videri queat Redemptor, cum Petro de Ioanne anxie inquirenti respondit, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* quibus sane verbis prædixisse videri queat, quod postea reuera contigit, scilicet ipsum post glorioſa aliorum Apostolorum martyria, ac triumphos cœlo receptos, diu illis superstitem fore, nec carnificis manu aut ferro moriturum.

Egregiā rei huius figuram Regum historia suppeditabit. Dauid cum è cruēto ancipitiq; cer-

1.Reg.21.

certamine domum rediſſet, duces eũ ac tribuni hac oratione compellarunt: *Non egredieris amplius nobiſcum in prælium, ne extinguas lucernam Iſrael.* Ità & cœleſte conſiſtorium ac Parlamentum, viſo Ioannem hodie è certamine reuerti, ipſum deinceps in cruentũ martyrij contra tyrannos ac tortores certamen reuerti noluit, ne forte Eccleſiæ totius decus ac lumen extingueretur. Allegoria.

Quod in libro Sapientiæ de Iacobo Patriarcha legitur, *Cuſtodiuit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret*; non inſcite in Ioannem noſtrum quadret: ipſum ſiquidem inter alios ſexcentos Deus tam ſedulo cuſtodiuit, & à tyrannorum rabie, mortis impetu, & mundi huius illecebris tutatus eſt; illi quoque certamen forte hodie martyrij dedit, id eſt, feruentis huius olei cruciatus, vt victor inde emergeret, & gloriam ſibi compararet. Sap. 10.

In ipſo igitur promiſſum illud Pſal. 90. adimpletum fuit, *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, eripiam eum, & glorificabo eum.* pro *ſperauit* vero in Hebræo legitur, *quoniam me diligit, liberabo eum.* quod Apoſtolo huic noſtro egregie conuenit, qui quod Chriſtum vnice diligeret & complecteretur, à crudeli hoc ſupplicio per eum eſt ereptus. Pſal. 90.

Cur Ioannẽ Deus in oleo mori noluerit.

Noluit porro Dominus dilectiſſimũ ſuum in oleo perire, quod ſupplicium hoc eius naturæ & qualitati adeo contrarietur. Liquor namq; hic multarum rerum eſt ſymbolum primo diuinitatis, nam vt oleum nunquam aliis commiſcetur liquoribus, ſed illis ſemper ſupernatat; ita quoque diuinitas, quæ humanitati quidem vnita & coniuncta fuit, nõ tamen ei immiſta, vti ſymbolum Athanaſij præfert, *non commixtione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ.* Cum ergo oleum ſit Dei, *in quo viuimus, mouemur & ſumus*, ſymbolum & nota, nefas ſane erat & indecens, id quo vita denotatur, mortem adferre illi, qui magno animi affectu Redemptoris ad ſe animum pertraxerat. Oleum diuinitatis ſymbolum. Act. 7.

Item virginitatis.

Fuit item oleum virginitatis ſymbolum, q̃ aliis immiſceri, permiſcerique nequeat liquoribus: hinc ab adulterarũ ſacrificiis ipſum excludebatur. Hinc, quod virginitatis erat hieroglyphicum, mortis eſſe nõ debebat inſtrumentum illi, qui toto vitæ tempore eam intactam illibatamq; conſeruaſſet. Has ergo ob cauſas illæſus conſeruandus erat hic Apoſtolus, & à morte in olei dolio immunis cuſtodiendus.

Huc egregie facit, quod in Leuitico legimus. Præcepit ibi Deus, vt qui ſibi offerẽdi erant panes, azymi forent, oleoque delibuti ac conſperſi: *Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano, de ſimila panes ſcilicet absque fermento, conſperſos oleo.* Denotabatur hac ſanctione, quod quicumq; ſe ab omni corruptionis fermento alienos Deo offerrent, miſericordiam impetraturos. Cum ergo Ioannes noſter corpus animamque ſuam ab omni corruptione libera, & oleo cõſperſa Deo obtuliſſet, an nõ æquum rationiq; cõſonum erat, vt inſigni cum miſericordia illæſus hodie, & à morte in olei tormento immunis conſeruaretur? Leuit. 2. Allegoria.

Hæc igitur magni huius miraculi ſeries eſt: videte quoque, vt S. hic Euangeliſta, ſoſpes & victor è medijs ſupplicijs, è tortorum manibus, è feruenti aheno emergens, Domitianum Imp. perterrefaciat, Romam vniuerſam percellat, Gentiles & idola ipſa confundat, naturam in ſtuporem, & neminem non in admirationem rapiat. Si mirabilis illa trium puerorum Hebræorum è fornace illa vaſta, quam Nabuchodonoſor accenderat, ſine vllo damno liberatio vniuerſos Babylonios, & inde omnes regni incolas in ſtuporem rapuit; ſimilis ac non minus prodigioſa Apoſtoli noſtri ex olei feruentis dolio ſine noxa ac læſione ereptio vniuerſum Imperium Romanum, tyranni huius aſſeclas, ſimul quoq; mortales omnes ingenti admiratione compleuit.

Laudes S. Ioannis.

Vos porro Chriſtiani auditores, qui inſigne hoc miraculum admiramini, magis, quæſo, illum obſtupeſcite, cuius in gratiam id factum eſt, vitam eius mente, animoq; euoluite, animoſitatem eius in mundi vanitatibus iam inde ab adoleſcentia contemnendis perpendite, notate eius in Redemptore ſequendo promptitudinem: ſed inprimis illam, quæ longe maiorem ſtuporem meretur, ſcientiæ ad myſteria com-

prehendenda profunditatem, item illam ad mirabilia intelligenda & inquirenda sapientiæ abyssum, incredibilem quoque dignitatem & eminentiam, qua & Angelos docere meruit, incomparabilem etiam ingenij ad omnia diuinitatis arcana penetranda perspicaciam, æstuantem denique illum Deo seruiendi eiusque Ecclesiæ iuuandæ affectum.

Quis te porro non admiretur, orbis miraculum? ecquis non colat & suspiciat filij Dei delicium? quis non inuocet, & compellet inter cœlites & beatos summe? Tu siquidem admiratione dignus es, cum te spiritus illi cœlestes obstupuerint ac suspexerint, & magna quædam & illustria te docente didicerint, cum denique scientia, sapientia, Philosophicis ac Theologicis disciplinis omnes omnino mortales antecellueris; honorem quoque & cultum mereris, cum eum tibi Angeli ipsi detulerint, tuosque collegas & conseruos confessi in Apocalypsi; cum te Seruator orbis in amicum selegerit, eaque honoris & amoris erga te signa ostenderit, te vt suum super pectus & in gremio suauiter fuerit recumbere. Inprimis vero inuocandus es, quod sanctus ac beatus, ac Regi Regum sis carissimus, hodie quidem in cœlis regnãti, vti olim inter mortales agenti. Te ergo omni quo possumus affectu, sanctissimæ Euangelistæ, inuocamus, nostras tibi deprecationes offerimus, & qua possumus animi contentione compellamus; aures postulantibus aperi, supplicibus dexteram porrige, preces nostras exaudi, & præsta, vt te deprecante ex vita hac miserabili egressi in beatum alterius portum inuehi mereamur, ad quem vitæ nostræ cymbam dirigant Pater, Filius, ac Spiritus Paracletus, Amen.

CONCIONES OCTO

IN FESTO VENERAB. SACRAMENTI, ET PER OCTAVAM.

PRIMVM MIRABILE.

De excellentia Sanctiss. huius Sacramenti.

Partitio.

1. *Mysterium hoc credendum, non scrutandum.*
2. *De varia V. Sacramenti excellentia.*
3. *De titulis nonnullis partis Eucharistici.*
4. *De figuris eiusdem nonnullis.*
5. *De amore se dantis in cibum ac potum.*
6. *De pacto fœdere amoris.*
7. *De retributione amoris mutui.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal. 100.

FIGVRA.

FOrmosa Rebecca gaudio & lætitia exultãs vicinis suis & sodalib. monilia cimeliaq; quæ Isaac futurus sponsus, velut amoris pignus & matrimonij ineundi arrhas miserat, ostendit. Cum quæ hodie per vniuersum Christianum orbem fiunt contemplor, Ecclesia mihi idem ipsum videtur imitari: vtpote quæ gaudens & exultans, pretiosum & egregium corporis & sanguinis Christi monile, quod dilectissimus illi sponsus, in amoris signum, & matrimonij confirmationem dedit, per vicos & plateas omnibus spectandum proponit & publice circumfert. Gen. 24.

Cum Arca Testamẽti è monte Sion in pretiosum Salomonis templũ deducta fuit, summo eã cultu & veneratione Sacerdotes & Leuitæ tulisse, Rex vero & omnis populus ho-

nore

nore & reuerentia singulari eam prosecuti dicuntur: imago aut verum potius præsagium fuit illius, quod hodie in Ecclesia Christiana fieri cernimus: Similem quippe processionem videmus, qua jam non arca fœderis, sed quod per illam designatum fuit, Eucharistiæ Sacramentum è templo per plateas circumfertur, & è plateis templo rursus infertur: quod Sacerdotes & Diaconi tanto cum honore, venerationeq; deferunt, Reges vero & Principes, atq; adeo omnis fidelium cœtus, magna animi submissione comitantur ac stipant. O processio diuina! ô supplicatio vere luculenta! ô mysterium incredibile! ô rem vere nouam! De qua plura vt dicamus, Spiritus S. auxilio opus est, & Deiparæ patrocinium adhibendum: quare illius opem & huius beneuolentiam postulaturi in genua prouoluti, AVE MARIA recitemus.

I. *Cic. de nat. Deor.*

Magnus Orator Tullius de diuinarum rerum natura agens dicere solebat, quoties de Dijs, eorumq; maiestate, potentiaq; loquendum esset, quam paucissimis id verbis, & nõ nisi timide fieri oportere: *Timide*, inquit, *de potestate Deorum, & pauca dicenda sunt.* Idem propemodum dixit Seneca Philosophus, cũ Aristotelem dilaudat, quod dixerit, *Nunquã nos verecundiores esse debere, quam cum de Dijs agitur.* Quod Ethnici tam sapienter de honore idolis exhibendo dixere, potiori id ego iure apud Christianos dixero de honore & cultu vero summoq; Deo exhibendo. Dicendum igitur, si de Deo loquendum, id quam breuissime & nonnisi timide verecundeque fieri oportere.

De Deo timide loquendum.

Moses cum rubum ardentem, in quo Angelus, qui Domini nomine dicitur, eo quod illius personam repræsentabat, apparebat, lõgius procedendo conspicere vellet: quam primum audiuit, *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedib⁹ tuis.* Quibus eum tacite temeritatis arguebat Deus, simulque nos omnes in eo admonebat, nonnisi summo cum periculo ad diuinorum nos mysteriorum relationẽ accedere, ac non sine reuerentia & timore de ijsdem loqui posse. Atque vt veteres Hebræi tremebant consternati, Deum in monte Sinai cum loquentem audirent, & trebantq; Moysi, *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur:* ita quoq; tremere nos oportet, & palleſcere, de Deo loqui dum conamur, inq; illius mysteria longius prouehi, quam cœlitus ab illo sit reuelatum.

Exod 3.

Exod. 19.

Deus in montem Sinai descensurus hoc modo Moysem prius allocutus est, *Contestare populum, ne forte velut transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Hinc patet, quanto cum periculo coniunctum sit nimis alte euolare, diuinorumque mysteriorum cognitionem ingredi velle, cum mortem intentari ijs audiamus, qui nescio quid præsumentes plura interioraq; conspicere gestiunt, quam Deus permittat aut reuelet, curiosiusque inspecturi adyta diuina penetrare conantur. *Ibid.*

Minæ aduersus eos, qui nimis multa scire volunt.

In huius rei confirmationem in Numerorum libro legimus, mortem intentari ijs, qui in sanctuario curiosius sacra vasa, priusquam inuoluuntur ad alio deferendum, inspicere voluerint, *Aaron & filij eius intrabunt tabernaculum fœderis, ipsique disponent opera singulorum, & diuident quid portare quisq; debeat, alij nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusquam inuoluantur, alioquin morientur, &c.* Iesus Christus magnus ille Pontifex in Ecclesię suæ tabernaculo magna mysteria inuoluit, & inprimis venerabile Eucharistiæ Sacramentum, in quo sub panis & vini speciebus pretiosum corpus suum & sanguinem abscondit, nobisque declarauit, reuelauitque, quidquid humeris fidei portare & possemus & deberemus: & sub pœna mortis damnationisque nobis inhibuit, ne quamdiu in vitæ huius itinere versamur, eo curiositatis veniamus, mysteria hæc vt nude palamq; cognoscamus: hæc quippe hic in terra fidei manibus semper inuoluta portanda sunt: Missus hi nonnisi cooperti mensæ inferendi, & visus eorum noxius est. *Num. 4.*

Mysteria diuina curiose indaganda non sunt.

Inter cetera Salomonis Prouerbia scriptum est, scrutatorem maiestatis à gloria opprimendum, & sub magnitudine illius perituram. Prouerbium hoc prophetiæ loco haberi dicique autumo, illum qui à curiositatis vento abreptus minutim enucleare, & audacter diuinam maiestatem indagare præsumit, ac præsertim mysteria Eucharistica, in periculo versari, ne hoc in Oceano faciat *Prou. 5.*

naufragium, hacq; abyſſo abſorbeatur: quare loqui de illis periculoſum, ſilere vero ſatius ac tutius.

Idcirco fortaſſe factum eſt, vt loco verborum, quæ in vulgata Pſalmorum editione loquuntur, *Te decet hymnus Deus in Sion*: Hieronymi. verſio præferat, idque ad radicum Hebraicarum veritatē, *Te decet ſilentium Deus*: id eſt, nihil tibi Deus ſilentio cōuenientius eſt. Inferre Propheta voluit, nihil ad credendum omnibus, quę de diuinitate traduntur, & myſteria intelligenda conuenientius aut aptius eſſe, quam nullum de ijs verbum effari, ſed ſilere. & ſilendo adorare & admirari. Quod deſignare Romani dum vellent, deam quamdā finxere Angeronam nomine, quæ obuolutum habebat os: vt hinc conſtaret, in ijs quæ diuinitatem concernunt, & ad diuina myſteria ſpectant, os claudendum, loqui penitus inutile eſſe, ſilentium vero aptius: idem quoque oſtenſuri veteres Ægyptij, Harpocratem pinxere, digito labra comprimentem, denotantes, in diuinis ſecretis, & ijs quę ad diuinitatem, eiuſq; potentiæ miracula ſpectant, ſilendum, vel nonniſi quam modeſtiſſime, prudentiſſimeq; loquendum eſſe. Alioquin, cæcorum inſtar, ad ſingulos paſſus ceſpitamus: Theologi quoque hæc indagantes, ſimul & Philoſophi hic cæcutiunt, & ſtuporem præferunt.

Pſal. 64.

Angerona Dea.

Harpocrates Deus.

Iob eadem excutiens dicebat, ſapientiſſimos quoſque hic ineptire, nec tantum ſplendorem, maieſtatemque oculis irretortis poſſe intueri, *Non contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes.* Eſt ſiquidem abyſſus, in qua ratio abſorbetur, Oceanus, in quo omnis mūdi ſapientia ſubmergitur, & naufragium facit. Aperte hoc teſtatus eſt Dauid, *Sapientia eorum deuorata eſt.* Suum quoque hic ſymbolum adferens Magnus Gregorius ait, hominum ingenium de Deo loqui dum geſtit, quamprimum nihileitatem ſuam intueri, & velut in gurgite quodam abreptum, ab immenſa hac magnitudine maieſtateque abſorberi: quod caro de ſpiritu, de creatore creatura, de æterno tempori ſubiectus, de immortali mortalis, de lumine cæcutiens loqui preſumat. Verba illius audite, *Homo ſi de Deo loqui cœperit, illico quam ſit nihil oſtendit, quia magnitudinis illius immenſitate deuoratur, & quaſi in profundum raptus abſconditur: loquitur enim caro de ſpiritu, creatura de creatore, temporalis de æterno mortalis de immortali, & quaſi cæcus de luce loquitur.* Hoc ſi vniuerſim de Deo verum eſt, non minus in illis admirandis operibus, & imprimis in Sacramento Euchariſtiæ locum habet, hic ſiquidem parum loquendum eſt & multum admirandum: hic ſenſus ſeponendi, ratio exuenda, axiomata Philoſophica contemnenda, ſolaque fides in ducem aſſumenda: Cetera omnia falli poſſunt, ſola fides errare nequit. Quamobrem dicendum, tres in hac nobis vita magiſtros datos eſſe, à quibus ad rerum omnium notitiam, cognitionemque perducamur, primus ipſe ſenſus eſt & experientia, quæ omnia ſenſibilia nobis declarant, quæque nobis cum beſtijs cōmunes ſunt: ſecundus eſt ratio, quæ longius procedens aperit ea, quæ ſenſus excedunt: tertius vero fides, quæ longius quoque prouecta, certa nobis perſuadet, ac patefacit ea, quæ ſenſus & naturam tranſcendunt, primi duo ſępius errant, vltimus errare omnino nequit.

Iob. 37.

Pſal. 106.

Lib. 27. *mor. c.* 5.

Tres nos magiſtri in vita docent omnia.

Iſaac jam ſenior oculos habebat caligantes, cumque nihil omnino flectentis coram ſe Iacobi cerneret, tactus eum decepit, ſed auditus ad veritatem deduxit, dixit namque aurium iudicium ſecutus, *Vox quidem vox Iacob, manus autem Eſau.* Docemur hic cum oculos ingenij debiles & intellectum caligantem & obſcurum habeamus, nihil vt in diuinis penitus videamus: ſæpius à ſenſibus & ratione nos decipi, non vero à fide, cuius auditus ſymbolum eſt, *Fides ex auditu.* Ideoque in huiuſmodi materijs adeo ſublimibus ad fidē confugiendum eſt, ceteraque omnia repudianda. Huc porro reſpexiſſe viſus eſt Apoſtolus, dum ait: *Iuſtus ex fide viuit*: quaſi diceret, nonniſi per fidem viuit iuſtus, non vero per ſenſus, argumenta, quæſtiones, & rationes humanas, in his enim illa omne meritum perdit: nam vt Auguſtinus teſtatur, *fides non habet meritum, vbi ratio humana præbet experimentum.*

Gen. 27.

Rom. 1.

Hæmorrhoiſſa, quæ duodecim ipſos annos

Matth. 9.

Luc. 8. nos fluxu sanguinis laborarat, quamdiu humana remedia consulebat, & naturalia dogmata adhibebat, indies malum ingraueſcebat, & sanitati restitui non poterat. Idem omnino de humano ingenio dicendum est: quādiu enim sensibus adhęresc it, quamdiu rationem consulit, quamdiu ratiocinari vult, nihil omnino discet, sed tūc morbus illius & ignorantia, quantum ad diuinarum rerum contemplationem spectat, crescit.

Fides amittit meritū, dum rationem consulit.

Matth. 2. Magi, de quibus apud Matthæum, qui in Bethlehem venere, & quibus stella noua itineris ducatum præbebat, quamprimū vt Ieroſolymitanam vrbem ingressi sunt, vbi scribę & doctores legis commorabantur, ducem illam cœlestem amiserunt, atq; ita lucere desiit & euanuit. Magnum sane miraculum, sed quod denotet, facem illam cœlestem, quæ fides est, quæque jam inde à bꝛptismate in vitæ huius itinere ad puerum Iesum adorandum cognoscendumq; ducit, quamprimū vt mundi scholas ingredimur, & scientias naturales inconsilium adhibemus, aliquo modo extingui, aut merito saltem suo priuari.

Fides cœlestis facula, quæ in hac vita illuminat.

Valeant igitur sensus exteriores, valeant rationes & verba argumentantium, sola fides hic locum occupat: hoc quippe omnipotentis Dei opus est, ac penitus nouum, admirabile, inauditum, paradoxum, cui nullum vnquam simile lectum aut visum, denique omnium Dei mirabilium compendium & memoria. Testatur hoc Dauid, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se* Hocq; hodierna mihi die velut argumentum & thema delegi, vt magnitudinem maiestatemq; sanctissimi & augustissimi Eucharistiæ Sacramenti sub his exponam, quod etiam tota hac octaua prosequar, octo illius mirabilia producēs. Hodie igitur primo illius magnitudinem excellentiamq;, ac deniq; magnum quem magnus Deus nobis ostendit amorem, dum admirabile hoc nobis Sacramentum legauit, exponam.

Psal. 101.

II.

Primo igitur Regius vates de manna, quod Israelitis Deus in deserto dedit, loquens, hūc in modum locutus est, *Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri annuntiarunt nobis opus, quod operatus es in diebus antiquis*: opus illud admirabile, quod Hebræi videntes dixere, *Manhu quid est hoc?* quæ mirabilia? quis simile quid vnquam vidit? Hodie hoc potiori jure de Sacramento Eucharistiæ repetere licet: manna enim nōnisi figura huius erat, hic vero res ipsa: at opus adeo admirabile, vt vniuersus id orbis obstupescat; opus est, quod videntes homines simul & Angeli exclamāt, *Quid est hoc?* videre accidentia sine subiecto, videre corpus non tamen visibile corpus, ꝙ varijs sit in locis, nullū tamen occupet, quantitatem denique sine extensione, aliaque mirabilia. Quid hoc est? quis simile quid vnquā vidit? hic igitur dicendum est, quod de alio quodam mirabili dixit Abacuc, *Admiramini & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credat cum narrabitur.* Opus hoc omnem admirationem & fidem superat.

Psal. 43.

Abac. 1.

Admirabilis huius operis magnitudinem exaggerans Dionysius Areopagita, *miraculorum miraculum, sacramentorum sacramentum & eorum consummationem appellat.* Quod Angelicus Thomas exponens ait, Sacramētum hoc finem & perfectionem esse cæterorum, eo quod ad hoc, velut ad finem suum, reliqua tendant; cumq; alia nonnisi virtutem à Iesu Christo communicatam ad gratiam conferendam habeant, hoc ipsum realiter & de facto auctorem ipsum gratiæ, qui Iesus Christus est, continet. Vnde bene Concilium Tridentinum ait, *Sacramentum hoc aliorum finis est & perfectio, quia cætera Sacramenta ordinantur ad ipsum finem*: quod exemplis & figuris notum faciam.

Lib. de cœlesti hierar. c. 3.

Sess. 3. c. 3.

Septem in cœlo planetæ sunt, à quorum virtute influxuque, quidquid hic in terra est, dependet. Sol vero inter hos Rex est, & solus ipse natura sua & essentia lucidus, ceteri ab ipso lumen mutuantur. Septem quoq; in Ecclesia Sacramenta sunt, à quorum virtute in hac vita omnis animarum salus dependet: at Eucharistia ceterorū Rex est, & ipsa sola totum gratiæ authorem in se comprehendit, cū cetera nonnisi communicatam virtutē habeant. Cuius rei egregiam in Euangelio figuram deprehendo.

Conferuntur 7. Sacramenta 7. planetis.

Miraculoso illo vino, quod in Chana Galilææ datum fuit, septem hydriæ repletę sunt, quæ

quæ conuiuas in admirationem rapuere, & nouos nuptos ab infamia & probro vindicarunt, *Erant autem ibi lapideæ hydreæ sex.* Inexspectatum, & non sine miraculo productum hoc vinum iam tum augustissimi & sanctissimi Sacramenti imaginem gerebat, quod sub panis & vini speciebus verum & reale Christi corpus continet: atque vt vinum hoc sex impleuit hydrias, ita quoq; pretiosus ille sanguis sex alia Sacramenta replet, ijsq; gratiam confert, atque idcirco fortasse Sacramenta vasa gratiæ vocitantur. *Ioan. 2.*

Oeconomus Pharaonis videbat in somnis culmum, è quo septem spicæ refertę turgidęque germinabant: *septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atq; formosæ.* Somnium hoc in veritatem conuertendo dico, culmen illum sanctissimi Sacramenti imaginem fuisse, & spicas aliorum. Ex Eucharistia enim velut è culmo Baptismus, Confirmatio, Ordo, aliaque velut septem frumenti spicæ, quæ Ecclesiæ horrea gratiæ frumento compleuit, & quibus fideles omnes enutriuntur (iuxta Prophetæ vaticinium: *Et adipe frumenti, a iat te*) pullulant atq; originem trahunt. Adeo vt ceteri nõnisi riuuli sint, hoc vere oceanus, fons & scaturigo. *Gen. 41.* *Sacramenta 7. similia spicis septẽ.* *Psal. 147.*

Axioma Philosophicum. In omnib. omnino rebus naturalibus semper vnum quid ceteris in eodem genere prædominatur: in corporibus quidem luminosis Sol alijs est splendidior, inter metalla principatum sibi aurum vindicat, inter animalia excellit homo: In vnoquoq; enim genere datur vnum primum, quod omnia illius genera superat. Ita quoq; in Sacramentis Eucharistia prædominatur, causa est amor, sapientia primo inuenit, potestas vero ac opus produxit. Confirmantem hoc audiamus Augustinum, *Reliqua Sacramenta quæ in Ecclesia tenentur, stupenda sunt & veneranda, sed istud tuum Domine Sacramentum præcellit vniuersa.* Amplius aut maius desiderare non poterat homo, cũ quid maius aut dignius dare non posset Deus.

Gen. 27. Repræsentatum hoc est in historia Esau & Iacobi: profanus enim Esau audito fratrem primogenituræ iura surripiendo inuasisse, & paternam benedictionem abstulisse, lachrymabundus & eiulans ad patrem accurrit, aliam postulaturus. Sed respondit Isaac, *frumento & vino & oleo stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi quid faciam?* quasi diceret, hæc omnia cum dederim, quid amplius dem nõ habeo, plura tibi præstare non possum. Sacramenti Eucharistiei hæc vmbra fuit, de quo hoc ipsum vere dicere possumus: Nam Sacramento hoc dato (in frumento enim & vino designatur) & Spiritus S. vnctione, cuius figura erat oleum, maius dare non poterat Deus, neu nos amplius quid sperare vel eminẽtius, quam post confectum vitæ curriculum gloriam. Atque ideo Sacramentum hoc mensa Principum dicitur & potentium.

Salomon ad litteram de morum ciuilitate loquens, sed mystice & anagogice de sublimi hoc mysterio ait, *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Hęc quidem vulgata lectio. Sed in alia versione legitur: *Quando sederis in mensa potentis.* Vere enim in hoc Sacramento (cuius mensa symbolum est) potentiam suam ostendit Deus, omnes vires patefecit, omniaque mirabilia velut in vnum compegit. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* *Prou. 23.*

Promisit olim Iudaico populo Deus, vti scriptura tradit, terram lacte & melle abundantem: *Et educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle.* Ad litteram scio omnia hęc de terra promissionis dici, quę fertilis erat & ferax vt quæ maxime: at mystice ausim asserere hoc de Eucharistico Sacramento scriptum esse: ipsum enim vera terra abundantiæ est & melle referta, terra promissa & sperata à fidelibus: vnde Psaltes, *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus:* terram inquam, in qua duo sunt colles, è quibus lac & mel nullo non tempore emanant: vnde Prophetæ, & Ioel imprimis ait, *In illa die stillabũt montes dulcedinem, & colles fluent lac.* Colles adeo alti, vt vnus, qui diuinitas ipsa, omnem hominum captum & ingenium excedens, vltra nubes cacumen extollat, omnesq; creaturas transcendat altius, qui ipsa humanitas propter hypostaticam verbi vnionem, Angelis sublimior sit; imo & solæ species sacramentales, quod ad carnem Christi accedant, adeo extolluntur & tantam dignitatem obtinent, vt *Exod. 3.* *Psal. 67.* *Ioel. 3.* Humanitas Christi in hoc Sacramento eleuata.

vt veluti incorporatæ ciues ac substātiæ sint, sine velo subiecto subsistentes, adeo vt & nutriant, & quod amplius, virtutem effectiuam ad gratiam hominibus conferendam habeāt, alioſque spirituales effectus edant; idque ex multorum ac magni nominis Theologorum sententia.

Humanitatis nostræ honor maximus in hoc Sacramento habitus.

Nemini vero hic nouum aut mirum videatur; neque enim ipse solus hoc sentio, sed mecum omnes, quotquot de hoc Sacramento Theologi scripsere: sed fixum hoc & indubitatum habeatis velim; Christum corporisuo & carni honorem haberi dum vellet, inter alia venerabile hoc Eucharistiæ Sacramentum instituisse; in quo humanitas nostra in tantum extollitur, vt diuinitatem præcedat, & velut domina hanc sibi subijciat; cōstat enim ad vim verborum consecrationis corpus Christi in altari produci, ac deinde diuinitatem accedere: *primo n.* inquiunt Theologi, *per verba consecrationis producitur corpus Christi.* Cum tamen in incarnatione secus factum sit; primo enim apparuit diuinitas ac velut domina præcessit; humanitas vero nonnisi serua ac pedissequa. O mirabilia! *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus.*

Matth. 13. Apud Matthæum sub parabolæ inuolucris sermo est de thesauro in agro delitescēte, *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Varia & discrepans Patrum de hoc thesauro expositio est; fidē in hoc denotati credit Ambrosius; Verbum Domini in scripturæ ænigmatis inuolutum Augustinus & Hieronymus, sapientiam Origenes, verbum æternum sub mortalitate nostra absconditum Hilarius, Christum ipsum Irenæus; equidem parabolam in veritatem, & figuras in mysteria conuertendo dico; Christum vere hic designari, sed sub speciebus sacramentalibus in Ecclesiæ nostræ agro absconditum. Ecquis thesaurus? alius haud dubie quam ille, cuius Iosephus meminit, è Dauidis sepulchro erutus, qui tria talentorum valebat millia, id est, nostra supputandi ratione decies & octies centena coronatorum millia: thesaurus enim, qui sub speciebus sacramentalibus delitescit, maioris haud dubie pretij est; nam ipse diuitiarum Deus hic habitat, ipse thesaurorum omnium Dominus, bonorum omnium reconditorium, & rerum omnium origo, *in quo thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi*: hoc è thesauro pretium redemptionis nostræ depromptum est, vnica sanguinis gutta ex hoc educta ad mille etiam mundos redimendos sufficiebat. Dicite igitur, num Sacramentum hoc vere eximium & præstans sit? sed longius jam prouehar, & è S. Scriptura omnes illius titulos ac præconia recensebo.

Lib. 4. aduersus haref.

Lib. 13 antiquit. 5.

III. Panis est cœlo deidque ad distinctionem panum cœlestium, & ipsius etiam mannæ, quod nonnisi ex aeris regione prodibat; hic vero è summo cœlorum descendit cacumine, & quem panis ille, de quo Salomon in Prouerbijs loquitur, quique de longe naui deuectus est, repræsentat, *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem*: institor hic Christus est, nauis Ecclesia, panis vero sacramentum, in quo verus animarum nostrarum cibus continetur, at qui de longe venit, è cœlo namque descendit, *A summo cœlo egressus eius.* Atq; vt panis, qui nauibus vehitur, bis coctus est; ita panis hic cœlestis, qui in Ecclesiæ naui reperitur, bis coctus est & bis genitus, semel ab æterno in sinu Patris in cœlo, deinde in tempore in vtero virginis hoc in mundo.

Ioan. 5. *Psal. 104.* *Prou. 31.*

Secundo dicitur panis vitæ, *Ego sum panis vitæ*: Et paulo post, *qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum.* Ita dicitur, vt pateat discrimen, quod hoc inter Sacramentum & ceteros terræ cibos est: mundus cibis delicijs, ferculisq; exquisitis abundat; sed cibi sunt mortuorum, & vnico hoc pane excepto, nullus vitam dare potest; atq; ideo panis sudoris & laboris in Genesi dicitur, *In sudore vultus tui vescēris pane tuo*: Psalmista panem lacrymarum nuncupat, *Cibabis nos pane lachrymarum*: Et alio loco panem doloris; *Qui manducatis panē doloris.* Sapienti vero panis mendacij & fraudis est, *Ne desideretis de cibis eius, in quo est panis mendacij.* Sed in solo hoc Sacramento verum reperire est panem, & verum panem vitæ; sed

Ioan. 6. Panis vitæ. *Gen. 3.* *Psal. 79.* *Psal. 126.*

panem qui esse desiit panis, & in carnem transiit Christi, idque ad vitam dandam hominibus; *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* *Prou. 23.*

Panis Angelorum. *Psal. 77.*

Appellatur tertio panis Angelorum, *Panem Angelorum manducauit homo*; quod cibus quidam lectissimus, cœlestis ac diuinus sit; vel quod qui illum recipiant, angelicam præ se ferre puritatem debeant, ac velut Spiritus quidam cœlestes, puræ, castæ, sanctæ & immaculatæ conuersationis. Equis tibi honor exhibetur, homo, cum à mensa bestiarum sequestratus & ablactatus, ad panem angelicũ admotus es? an non meministi eius, quod Redemptor olim Chananææ ait, *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Scio ad literam hic doceri, iniquum esse Iudæis veris Dei filijs gratias & miracula auferre, quæ illorum panis quotidianus erant, illa vt Chananæis & infidelib. qui ferino & canum more vitam agebant, darentur: sed non obstat, quo minus mystice hoc denoter, nõ esse bonum & vtile Angelos cœli filios sacramenti huius contento priuare, & hominibus, qui vt canes & peccatores in terra viuebant, ipsum conferre. Ipse scilicet panis regius est, qui vitam dat, qui Angelos & Cherubinos recreat, qui cœlestes Spiritus reficit, quemq; hominibus Deus communicare desiderat, quod egregia figura reddet manifestius. *Matth. 15.*

Angelus apud Danielem, Abacucum Prophetam, qui prandium messoribus parauerat, comis abreptum in sublime extulit, éque Iudæa in Babylonem transuexit: inque lacum stitit, in quo Daniel inter leones vinctus renebatur, dicens: *Daniel serue Dei tolle prandiũ, quod tulit tibi Deus.* Notate hic Allegorici, Abacuc, vt notauit Hieronymus, Hebraice significare luctatorem, ac pugilem, & in hoc Iesum Christum Dei Filium, qui cũ Diabolo humana natura assumpta luctatus est, significare. Validus autem hic pugil prandium in cœlo messoribus suis (de quibus Matthæus loquitur: *Messores sunt angeli*, quique tempore messis generalis bonos in horrea Domini inferent, impios vero in fasciculos compactos flammis tradent) parauerat; sed cum generis humani, quod in Babylonica mũdi huius captiuitate detinebatur, & in medio Leonum constitutum, dirissima excruciabatur fame, eum miseratio tangeret, hunc ei cibum destinauit; bestias pascit, Leones reficit, áque peccatoribus comedi vult. Audite quid hic Prophetę dicant: *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.* Quid? an non conceptus hi placent? sed producam & alios. *Dan. 14. in locis Hebraicis.* *Matth. 18.* *Psal. 16.*

Quarto augustum, venerabile adorandum hoc Sacramentum in Euangelio panis supersubstantialis dicitur, vel transubstantialis. Quod enim sanctus Lucas in oratione Dominica dixit: *Panem nostrum quotidianum*, alio quodam modo extulit Matthæus: *Panem nostrum supersubstantialem*: vtrumque autem de Eucharistico pane loqui constat, & testis est Cyprianus in Dominicæ Orationis expositione; cui suffragatur quoque Diuus Augustinus: fauet quoque textus Græcus, in quo ἐπιούσιον legimus, quod latine interpreteris *transsubstantialem.* Vt hic euidens fiat, Sacramentum hoc, quod ordinarius & communis animarum nostrarum panis est, ceteras creaturas transcendere, omnes substantias excedens, atque omnibus categorijs supereminens. Ita porro hoc exponit Pius Cassianus: ἐπιούσιος dicitur, *quia super omnes substantias est, omnesq; creaturas magnificentia & sanctitatis eius sublimitas excedit.* Idem quoque habet Ambrosius, forsitan quoque hoc nomine dictum, quod nõ panis quidam cõmunis, quo corpus nostrum reficitur, existat, sed quo anima regifice enutritur: Ita porro sentit Augustinus, vel etiam, quod cibus quidam inter omnes pretiosus sit, vtpote qui de diuinitate humanitateque Redemptoris participet, quib. ferculis nulla dignior lectioraq; in cœlo terraue cogitari aut dari queunt. In quo Hieronymum & Diuum Thomam sequor, & vos mecum omnes assuescetis; magnam Sacramenti huius excellentiam esse. *Luc. 11.* *Matth. 6.* *Lib. 2. de ser. Dom. in monte.* *Collat. 3.* *Hiero. super Matth.*

II. Figuræ SS. Eucharistiæ

At plura etiam cognoscetis, si figuras, quæ jam inde à mundi primordio Sacramenti huius institutionem præcessere, percurrere voluerimus. Non loquar hic de arbore vitæ, quę in tex- *Gen. 3.*

Gen. 14. Leuit. 14. in terrestri paradiso plantata fuit, quæ in omnibus penitus fuit admirabilis: non feram hic sarcinam Melchisedech, cum panem & vinũ Abraha à conflictu redeunte Deo obtulit: panes propositionis hic tacebo in aurea coram maiestate diuina mensa positos: de Agno Paschali verbum non dixero, qui tot adhibitis cœremonijs per tribus Hebraicas comedebatur, sed vnicam Mannæ figuram satis mihi fuerit retulisse: nihil enim est, quod melius magnitudinem, maiestatem & excellentiam Sacramenti huius exponat aut repræsentet quam manna. Quod & ipse Christus in exemplũ adducit, *Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Ioan. 6.

Apoc. 2. Exod. 16. & Num. 11. Ioannes, mannæ huius occasione in Apocalypsi de manna quodam abscondito locutus est, quod victoribus se elargiturum promisit Deus, simul calculum ignitum, *vincenti*, inquit, *dabo edere manna absconditum, & dabo illi calculum candidum.* Omnes hic sibi Patres persuadent sermonẽ esse de Sacramento Eucharistiæ, & ad vetus manna allusionem fieri, quo Hebræi in deserto tot annorum spatio in solitudine sunt enutriti, vt Exodus & Numerorum liber testatur, ac deinde Apostolus prima ad Corinthios vnum alteri cõparat. Dicitur porro absconditum manna, quod hoc in Sacramento sub speciebus externis verum Christi corpus abscondatur, adeo vt aliud videatur oculis, aliud fide teneatur. Hoc autem modo locutus, ad Hebræorum manna allusisse videtur, quod in arca testamenti aureæ inclusum vrneæ asseruabatur, quod cum Bethsamitæ curiosius intueri vellent, ac temere inspicere, ingentem stragem passi sunt. dicitur autem manna absconditum, quod occulta & abscondita quadam ratione ibidem contineatur: quod miraculum Isaias agnoscens, admirans exclamat, *Tu es Deus absconditus*, in mysterio scilicet S S. Trinitatis sub ineffabilibus generationis illius æternæ mirabilibus, Deus es absconditus in mysterio incarnationis, in qua sub humanitatis nostræ velo latuisti, Deus es absconditus in venerabili altaris Sacramento sub speciebus Sacramentalibus, & semper *manna absconditum est.* Quot vero sunt inter manna & Sacramentum hoc similitudines, quot sympathiæ & affinitates, è quib. nouam illius dignitatem & excellentiam discere licet?

1. Reg. 16.

Esa. 45.

Primo manna nonnisi de nocte cœlo descendebat, & à nullo occulta hæc pluuia percipiebatur: per noctem vero fidem intelligimus, quæ vere tamen inuisibiliter credit Iesum Christum in Eucharistia contineri. *Exod. 16.*

Secundo nonnisi in castra Hebræorum defluebat, non vero inimicorum, quòd Sacramenti huius consecratio in Ecclesia nostra dumtaxat reperiatur, idq; per Sacerdotes legitimos, apud hæreticos vero & schismaticos nulla mensæ huius communicatio, sed de illorum mensa illud Propheticum dici potest, *separatum est conuiuium eorum*: & alio loco: *Sacrificia eorum quasi panis lugentium, omnes qui comedunt illum contaminabuntur* Cyprianus & Hieronymus locũ hunc de hæreticis & schismaticis intelligunt. omnia enim apud illos mortua sunt, fides, mores, doctrina, panis eorum immundus, & epulæ eorum meræ sordes & contaminationes. Sacramenti huius consecratio in sola reperitur Ecclesia. *Ose. 4. Lib. 1. epist. 4. & 6. Hier. in cõm.*

Tertio manna in cœlo paratum fuit, & filijs Israel datum, quamdiu in deserto agerent, & cum terram promissionis ingressi iam essent, ordinarius ille & assuetus cibus dari desiit. Idem omnino de Sacramento hoc dicendum, tam diu hoc ipsum nobis dari, quam in vitæ huius solitudine viuimus: at vt eadem egressi sumus, & ad patriam cœlestem peruenimus, cibus hic dari desinit, nec jam in figuris & signis, sed facie ad faciem Deus videtur. Quod in Exodo egregie declaratur. Omni hebdomadæ die manna vbertim cœlo defluebat, at Sabbato, qui dies quietis & vacationis, ne mica quidem decidebat. Quo docemur per vniuersam vitæ huius hebdomadam manna hoc in altare nostrum descendere, & in animarum alimentum dari, sed in magno alterius vitæ sabbato, vbi requies futura, nullum amplius Sacramentum sub speciebus occultatum, sed hominibus, simul & angelis spectabile fore. *Exod. 16.*

Quarto denique cum manna descenderet, ros quidam tenuis ac subtilis cum eo descendebat, Insignis Allegoria.

debat, ita quoque in augusto hoc Sacramento, cum vero manna, quod est corpus & sanguis Iesu Christi, gratiæ & benedictionem cœlestium ros descendit. An non igitur è tot mirabilibus de mysterij huius excellentia dijudicare possumus, & audacter hic exclamare? *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

Vere inquam hoc memoria & compendiū est omnium Dei omnipotentis mirabilium: tunc, teste Hieronymo, Sacramentum hoc institutum est, quando Ægypto egressi eramus, quando agnus, qui tollit peccata mundi, immolatus fuit, sanguine illius ostia domorum nostrarum & animarum frontispicia tincta fuere: quando etiam omnia quæcunq; prædixerant de Christo Prophetæ, completa sunt, quando legalibus ceremonijs finis impositus, quando vmbrę in veritates transiere, & veritas figuris successit. Quodnam mirabilium compendium?

Matth. 21. Christus templum Salomonis olim ingressus mensas & officinas nummulariorum & columbas in vsum sacrificij vendentium subuertit, cum vero hoc Sacramentum in Ecclesia instituit, vt obseruat Augustinus, tūc omnes mensas propositionis euertit, altaria thimiamatis destruxit, & omnia veteris legis sacrificia aboleuit.

Tract. 10. *in Ioan.*

Quando agnus paschalis per Hebræorum familias fuit immolatus, & sanguine illius postes & superliminaria tincta, tunc omnes inter Moysem & Pharaonem controuersiæ finem habuere, tunc captiuitas abrupta, & verum libertatis felicitatisq; augurium. His omnibus futura Christianorum felicitas in Eucharistiæ huius institutione significabatur: vix enim verus ille agnus Paschalis datus & immolatus fuit, non quidem cruente, sed incruente in sacrificio Missę, quin omnes hominem inter & Diabolum controuersiæ litesq; diremptæ finitæque sint, tyrannis illius finem acceperit, captiuitatis nostræ vincula abrepta sint, atque omnes figuræ completæ. An non igitur eximium & admirabile Sacramentum? an non Sacramentum amore & dilectione plenum, quodq; Saluator hominum instituit, vt hinc homini constet, quanto Deus illum sit amore prosecutus, & affectum singularem hinc percipiat? De hoc in secunda orationis parte loqui decreueram, vestrum vero est benignis dicentem auribus accipere.

Sacramenti huius institutio libertatis nostræ signum fuit

V. Deus insignem amorem homini in Sacramento hoc ostendit.

Si Sacramenti huius excellentia magna est, amor, qui hic se exerit & patescit, non minor est, magnum enim amoris signum est, Deum, qui ipsa est magnitudo, adeo se humiliasse, vt sub simplicibus accidentibus se absconderit, inq; cibum se ad creaturas enutriendas mutarit. In mysterio incarnationis verbum æternum magnum amorem ostendit & humilitatem, cum è Deo qualis erat adeo se deiecerit, seipsū exinaniuerit, serui formā accipiens, & pauperis figuram induens. *Exinanuit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo*: at in Sacramenti huius institutione maiorem hauddubie ostendit, cum omnem maiestatem exutus & oblitus adeo se deiecit, vt cibi panisque formam acceperit, quo corporis & sanguinis sui Sacramēto animas mirabili quadam ratione pasceret. Hinc exclamat merito Augustinus, *Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo, vt scriptum est, Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, id est, verbum illud quo pascebantur Angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducauit homo*, &c.

Philip. 2.

Conc. 1. *super Psal* 33. & *serm.* 7. *temp.*

Insignem profecto amorem affectumque Dauid erga Miphiboseth claudum mancumque ostendit, quando illum quotidianum mensæ suæ conuiuam esse voluit, dicens, *Et tu comedes panem in mensa mea semper.* Sed Dei Regis Regum erga hominem amorem cœlum terraque magis demirantur, cum illum mensæ suæ adhibet, seseque illi in cibum dat, erga hominem, inquam, qui adeo miser, mācus & claudus per omnia corporis & animæ membra, cum ipse è contra tam potens, altus magnusq; sit Monarcha. Hunc affectum admiratus Psalmista exclamat gratias agēs, *Parasti in conspectu meo mensam*: quod S. Cyprianus & S. Augustinus de Eucharistia interpretantur.

2. Reg. 9.

Psal. 22.

Lib. 3. *Epist.* *Lib.* 27. *de ciu. c.* 20.

Solent in hoc mundo proci, qui ad honestum matrimonium aspirant, passiones suas,

& an-

& ardorem intrinsecum testaturi, & puellarũ quas ambiunt cor emollituri dona cimelia, & edulia esui gratissima mittere. Quod ad
Gen.24. dona, videte illa quæ Isaac sponsæ suæ Rebeccæ misit, *protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos & armillas totidem.* Et dilectus spõsæ suæ in Canticis loquens, *murenulas aureas faciemus tibi.* Quod ad cibos vero delicatiores, audite quid pararius ille & amorum conciliator Vagao dixerit ad formosæ Iudith cor & animum Holoferni domino suo paran-
Iud.12. dum, *Non vereatur bona puella intrare ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciẽ eius, vt manducet cum eo & bibat vinum cum tucunditate.* Putabat enim ille delicatioribus eam epulis seducere.

Ita quoq; mundi Redemptor, sancto quodam amore, cuique similis nullus vmquam exstitit, ad humanæ naturæ cor emolliendum saucius, futuri matrimonij tempus expectans, cuius sponsalia in incarnatione peracta fuerant, magnum hoc & excellens Eucharistiæ monile illi dedit, Sacramentũ hoc in cibum omnium exquisitissimum contulit.
Psal.30. Dauid hoc aperte testabitur, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentib. te?* Abscondita hæc dulcedo corpus Christi est, sub speciebus sacramentalib. O amorem incredibilem! ô affectum ineffabilem!

Chrysost. Hic latius excurrens Chrysost. ait quemadmodum Deus Pater suum in nos amorem testaturus, quidquid dari poterat, nobis in incarnatione dedit, vnicum nimirum Filium
Ioan.3. suum, vt in Euangelio scriptum, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, ita quoque in Sacramento Eucharistiæ quidquid habebat pretiosum, carnem nimirum & sanguinem dedisse. Quod extremi cuiusdam amoris argumentum, quin etiam
Ioan.13. post Sacramenti huius institutionem, dixit Euangelista, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, id est, corpus illis suum in hoc Sacramento conferens, ad extremum vsq; amoris pũctum, & summa dilectione eos se dilexisse testatus est, adeo vt maiorem amorem ostendere non posset.
2.Reg.12. Nathan Propheta à Deo ad Dauidem missus, illum vt adulterij & homicidij argueret, diuinitus edoctus, vt Regis affectum passionemq; in benignitatem cõuerteret, & ad iustitiæ zelum accenderet, peccati turpitudine & Vriæ in vxorem affectu ob oculos posito, Vriæ in vxorem affectus. ait illi, eam vt ouiculam fuisse, quæ de pane illius comederet, & calice biberet, ac filiæ ritu in sinu dormitaret, *de pane illius comedẽs, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.* Christi in nos amor longe etiam maior: cum enim nos ouiculæ instar educasset, (*Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*) proprium nobis cor in escam, & sanguinem in potum dedit, nosq; vt proprios dilexit & complexus est filios, nec vero pane duntaxat suo nos educat, velut Vrias, sed mensæ quoque suæ assidere cogit, ac seipsum in cibum largitur.

Sacræ scripturæ Ionathæ amorem erga 1.Reg.18. Dauidem exaggerans ait, animas amborum Christi amor erga hominem similis amori Ionathæ erga Dauidem. inuicem conglutinatas fuisse, & Dauidem à Ionatha velut alterum se dilectum: *Conglutinata erat anima Ionathæ animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam*, quod ipsum etiam reipsa testatus est, dum tunica se spoliauit sua familiarem & intimum suum cooperturus, *expoliauit se tunica sua.* At maior illius in nos affectus fuit, qui proprium nobis dedit corpus, quod animæ, imo & diuinitatis, quæ hic delitescebat, tunica nobis vt in cibum cederet, quo non anima solum, sed & corpore corpori nostro conglutinaretur, cũ Christus magis quam propriam nos vitam dilexerit.

Ambrosius & Augustinus magna Ecclesiæ lumina, amorem Dei erga hominem, quem in incarnatione ostendit, egregie exaltant, quod vterum Virginis ad hominum redemptionem subire non detrectarit, *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis vterum.* Sed amor, quem in Sacramenti huius institutione, quo in cibum & potum se nobis dedit, declarauit, longe maior est, quando in intimum animæ nostræ descendit.

Vterus Virginis gratiarum & virtutum thesaurus erat, sed pectora & stomachi nostri cloacæ sunt, & foricæ, in quib. nihil nisi sordes & immunditiæ apparent. Scribæ & *Matt. 6. Marc. 2. Luc. 5.* Pharisæi inuidiæ æstro acti, & rancore abre-

pti, Apostolis exprobrabant, quod cum peccatoribus & publicanis manducaret magister illorum. Nescitis viperarum genimina, inuidi, & maligni, quid Dei sit amor? Hæc n. diuini affectus indicia, signa, & argumenta sunt: At longe maiorem ostendit affectum, cum hodie se in cibū & alimentum dat nonnisi manducare cum peccatoribus & publicanis solebat, at iam eorum cibus, alimentum, esca & ferculum est, ô amorem ineffabilem!

Gen.42. Ioseph Patriarcha cum fratres suos domū dimitteret, suum in illos affectum vt patefaceret, cibos illis in viaticum dedit. Nihil hic admirandum occurrit; erant n. fratres, & omnes honesto loco nati & bonæ vitæ. Sed Christū, priusquam ex hoc mundo abiret, & mortem oppeteret, Apostolis suis, qui eum deserturi erant, imo & Iudæ, qui tam nefariam animo proditionē moliebatur, corpus & sanguinem ad illos enutriendos, noſq; deinde in vitæ huius itinere dedisse, omnem admirationem transcendit, nihilque vmquam simile visum.

VI. *Cant.1.* Sponsa in Canticis hunc amorem sentiēs, & reciproco amore æstuans sponsum allocuta est, & osculum ab eo petijt, dicens, *Osculetur me osculo oris sui*, quasi ad hoc sacramentum alludens diceret: Hunc mihi amorem exhibeat dilectus, os meum carne sua tangat meisque labijs suum applicet, illum vt velut animæ cibum recipiam. Conceptus huius author est sanctus Ambrosius, *Ecclesiæ Sacramenta mirabatur, & ait, Osculetur me osculo oris sui*: cui addo, si hoc illa de omnibus in genere Sacramentis, quid dicturam illam fuisse credimus, si Eucharistiam vidisset? Hic siquidem Creator creaturas osculatur, & Deus homines basiatur.

Lib.5.de Sacra.c.1.

Eucharistia Sacramentū reconciliationis.

Atq; hinc est, quod Augustinus & diuus Thomas Eucharistiam, *Sacramentum reconciliationis* vocent, quod vt intelligatis, sciendum est, veteribus in more fuisse, vt fœdus inituri panem sumerent. Quod etiam symbolo quodam suo exposuit Pythagoras, dicens, *Panem ne frangito*, id est, amicitiam pane initam ne dissoluas. Mirum porro, Romę, Sulla dictatore, dum panis in mensa frāgeretur, sanguinem inopinato effluxisse, quo portento designabatur, ciuilibus per Marianas & Sullanas seditiones excitatis bellis plurimum sanguinis effusum iri, magnam stragem edendam.

Non omnino abs re fuit, quod de futuri Messiæ sæculo prædixit Psalmographus, ipso regnante scilicet fore, vt iustitia floreret, & pax vbiuis terrarum dominaretur: *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*: & qua ratione hoc futurum esset, aperiens ait, *Et erit frumentum in summis montium*, quo loco Hebraice legitur, *Erit placenta frumenti in capitibus sacerdotum.* Quod doctissimus Galatinus libro de veritatis Catholicæ secretis de hoc mysterio & Eucharistiæ Sacramento intelligit, quæ quotidie vltra Sacerdotum caput sustollitur, verum sane Sacramentum amoris & reconciliationis, vbi Deus & homo simul manducantes, aut homo Deum potius sub panis & vini speciebus manducans, Deo suo reconciliatur & arctissimam cum eo necessitudinem contrahit.

Antiquorū mos in fœdere declararent, moris erat sanguinem venis educere: eumq; sibi mutuo in potu præbibere. Scythæ vero pateras sanguine replebant, quē deinde exhauriebant, Medi & Lidij sub axilla venas aperiebant, è quibus alij sanguinem exugebāt, alij vero minas barbari & ad humanitatem propensiores animalia mactabant, eorum sanguinem educebāt, carnemque duas in partes dissecabant, ac deinde fœdus inituri inter vtramque partem transibant medij. Quib. ritib. designare volebant, morte illum dignum esse, & in frusta concidi mereri, qui fœderis pacta conuentaque violaret. Apud Caramanes, suum vt amorem testatum facerent, & fœdus initum inuiolatum fore declararent, moris erat sanguinem venis educere: eumq; sibi mutuo in potu præbibere. Scythæ vero pateras sanguine replebant, quē deinde exhauriebant, Medi & Lidij sub axilla venas aperiebant, è quibus alij sanguinem exugebāt, alij vero minas barbari & ad humanitatem propensiores animalia mactabant, eorum sanguinem educebāt, carnemque duas in partes dissecabant, ac deinde fœdus inituri inter vtramque partem transibant medij. Quib. ritib. designare volebant, morte illum dignum esse, & in frusta concidi mereri, qui fœderis pacta conuentaque violaret. undo.

Nemini vero hoc vanum aut fabulosum videri debet, illi? enim rei exemplum in Genesi legere est, Deus enim & Abraham dum fœdus inirent, animalia mactata sunt, & sanguine illorum tellus respersa, & per medium Deus transiuit: *Et lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Cur autem? rationem subnectit, *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.* In Exodo ipsum etiam longe est manifestius, cum Moses sanguinem holocaustorum *Gen.15.*

rum in manus sumeret, & eodem altare respergeret, simul & vniuersum populum. *Hic* inquit, *est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* iuxta veterem igitur hanc consuetudinem sacramentum hoc, sacramẽtum amoris & reconciliationis dicitur, eo quod in ipso Deus nobiscum reconcilietur, & cum homine amicitiam contrahat, suum hic corpus dat manducandum, pretiosum vero sanguinem ad bibendum, hoc fœdus, pacis hæc pactio, amoris, & amicitiæ nostræ symbolum.

Exod. 24.

In Sacramento Eucharistiæ homo fœdus init cum Deo.

O Sacramentum igitur dilectionis! ô mysterium amoris! ô amica coniunctio! ô Sanctissima vnio! ita scilicet exclamat Chrysostomus, *Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris, quod Angeli videntes horrescunt, neq; libere audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum corpus Christi & vna caro, &c.* Quisnam ille amor ex parte Dei, quæ vero hominis, hoc nomine erga illum reciproca obligatio?

Hom. 60. *ad pop. Antioch.*

VII.

Iacob Patriarcha cum procul à patria abesset, & in agro erraret vagabundus, oculos ad cælum conuertens, hoc votum Deo fecit, *si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum, & toto vitæ meæ tempore seruiam illi.* Quin tu, ô homo, paradiso eiecte, perque vitæ huius deserta vagans, cui tamen Deus Angelorum panem in viaticum & alimentum dedit, eodem te voto obligas, quin & sancte profiteris, nullum alium te Deum agniturum, quam hunc ipsum, & illi toto vitæ tempore fidele obsequium præstiturum? Vterque Tobias & pater & filius collati sibi cœlitus beneficij magnitudinem perpendentes, quod Angelum hospitio suscipere meruissent, quid Deo illo nomine rependerent, nesciebant, & beneficia ab Angelo, quem hominem putabant, recepta exaggerantes, dicebant, *Per ipsum omnibus bonis repleti sumus, quid ergo poterimus ad hoc illi dignum dare?* Eodem modo cõtemplare anima Deo deuincta, hoc interdum tecum sola repete, consideransque Deum, proprium tibi dando corpus, omni bonorum genere te repleuisse, perpende simul eadem opera, quid tantis beneficijs dignum illi rependere possis, *Per ipsum omnibus bonis repleta est, Quid ergo poteris ad hoc illi dignum dare?* Si Tobias vnius Angeli beneficia tanti fecit, quanti porro Dei tui, qui summus Angelorum princeps est, beneficia te facere par est?

Gen. 28.

Tob. 12.

Ioseph seruus Putipharis cum ad nefarium adulterinumq; à Domina concubitum pelliceretur, non alio vmbone pellacis mulierculæ preces sollicitationesq; retudit, quã affectu & amore, quo Dominus illum prosequebatur, quod & reipsa probans omnia sibi in manus tradita, nulla re excepta asseruit, audiamus pudicum adolescentem, *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignoras quid habet in domo sua, & non est quidquam quod non sit in mea potestate, vel quod non tradiderit mihi.* Quanto potiori iure te, anima mea, par est, cum à maligno mundi amore oppugnaris, hoc modo defendere, amoremq; quo te Dominus tuus prosecutus, velut clypeum obijcere? An non amorem tibi ostendit, cum nihil omnino in domo sua habuerit, in cœlo, in terra, denique in vniuerso mundo, quin in manus tuas tradiderit? dedit tibi quicquid dare poterat, Filium, Spiritum sanctum, hoc Sacramentum, corpus, sanguinem, animam, diuinitatem, humanitatem, ceteraque filij sui Iesu Christi merita. quomodo igitur post tot illum beneficia non diligis? quid tanta beneficia tot maleficijs rependere? an non hic amore æstuas anima mea? an non agnoscis honorem, qui in hac tibi mensa exhibetur?

Gen. 39.

Miphiboseth Ionathæ hæres & Saulis filius natu minimus, cum videret se à Rege dignum habitum, qui mensæ illius assiduus conuiua foret, tanti beneficium hoc fecit, vt indignum se reputans, quamuis regio prognatus esset sanguine, summa animi dimissione diceret, *Quis ego sum seruus tuus, quia respexisti super canem mortuum similem mei?*

2. Reg. 9.

Si Princeps hic tanti regiam mensam fecit, quanti tui Dei tu facias oportet? si hic ita se deiecit, quod Regis conuiua factus esset, quid te facere par est peccator, q dignus factus es corp' illius comedere, cuius tu creatura es? Esther Regina, in Regia dignitate stabi-

stabilita, cum superbum Amanum ad conuiuium inuitasset, tanti illa beneficium hoc fecit, vt mortalium se crederet feliciſſimum, suamque sortem magnifaciens apud amicos & familiares gloriaretur, dicens: *Regina Esther nullum alium ad conuiuium cum Rege vocauit, praeter me*, quasi diceret, O beatum me! ecquæ mea hodierna die beatitudo, q̃ à Regina solus cum Rege Assuero sim inuitatus? Hoc animo voluas velim, ô homo, tecumque cogites maiorem honorem & gloriam tibi collatam esse, quaad epulum Eucharisticum sis inuitatus, vbi Iesu Christi humanitas ipsa Regina est, Diuinitas vero Rex & Monarcha. Hæc non cogitas homo, sed ad hoc Sacramentum velut brutum vecors accedis: adeo vt de te dicere non immerito illud Prophetæ queam, *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.*

Esth.5.

Psal.18.

Eia igitur, Auditores, mentem vestram purgate, desideria exacuite, cogitationes sustollite, mirabilia hæc demiremini, Sacramentum hoc adorate, fidem hic adhibete, & summa cum reuerentia ad ipsum accedite. Panes propositionis in aurea collocabantur mensa, non vero in altari sanguine aspersо, forsitan vt constaret Sacramentum hoc non esse secundum ordinem Aaronis, qui in sanguinis effusione constabat, sed secundum ordinem Melchisedech, qui in charitate & dilectione situs erat, forsitan etiam, vt denotaretur quænam dispositio foret ad hoc Sacramentum recipiendum necessaria, id est, non in aliam id animam intromittendũ, quam charitate auream, gratijs, virtutibus, meritis plenam. Ad hoc igitur accedite, & illuminemini, nolite erubescere, nec pudor faciem vestram opplebit, *Accedite ad eum, illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Accedite*, inquam per fidem, *illuminamini* charitate, *& facies vestræ*, spe roboratæ: *non confundentur:* accedite cogitationibus, *illuminamini* verbis, *& facies vestræ non confundentur* operibus: *accedite* humilitate, *illuminamini* gratia, *& facies vestræ non confundentur* in gloria. Accedite Ethnici, *illuminamini* Hæretici, *& facies vestræ non confundentur*, Catholici.

Exod.25. Num.8.

Sacramentum hoc secundum ordinem Melchisedech, non vero Aaronis.

Psal.33.

O salutaris hostia, admirabile Sacramentum, fidelium communio, saluus conductus animarum mortalium viaticum, defunctorum vita, debilium robur, cæcorum lumen, afflictorum gaudium, ægrotantium medicamentum! O mysterium sublime, quod inter Sacramenta es, quod sol inter planetas, tu in te causam complecteris, alia nonnisi effectum continent: tu Oceanus es, alia nonnisi flumina, tu esse habes in facto esse, vt Theologi loquuntur, cetera duntaxat in fieri: ô æstuantem charitatis fornacem! ô rubum amore ardentem! hieroglyphicum omnis bonitatis, te nos supplices adoramus, ac viua fide credimus: sensus hic abijciemus, dicimus argumentis *Valete*, rationem omnem vt suspectam habemus, & fidei certæ & infallibili pedibus aduoluimur. O panis delitias offerens Regibus, panis vitæ, panis Angelorum, panis qui olim Eliæ tantum virium ac roboris dedisti, hodie animis nostris robur adde, mentem corrobora, affectus confirmo, vt postquam in desertum vitæ huius Iesabelem, carnem inquam nostram, & tyrannum Achab, id est, mundum fugientes, concesserimus, in virtute tua non ad montem Oreb, sed ad montem Domini peruenire mereamur, vbi Sacramentum non erit amplius, & vbi velo ablato, ac figuris abolitis clare videbimus, quod hodie obscure & inuolute credimus, quodque vnica beatitudinis nostræ causa & obiectum erit, ad quam nos Pater, & Filius, & gloriosus Spiritus sanctus perducere dignentur, Amen.

Eucharistię elogia.

CON-

CONCIO SECVNDA

INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

SECVNDVM MIRABILE.

De vera & reali existentia corporis Christi in Eucharistia.

Partitio.

1. *Quod Eucharistia sit mysterium fidei.*
2. *Hæresum de reali existentia enumeratio.*
3. *Caluiniani Symboli eleuatio per figuras.*
4. *Cœna figurantu è verbis Domini refutatio.*
5. *Fides Catholica de præsentia corporis Scripturis astruitur.*
6. *Veritas Eucharistica docetur figuris, & rationibus.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal. 100.

FIGVRA.

Num. 4. AARON Pontifex, postquam sanctuarium occlusisset, & omnia vasa sacra & supellectilem illius sedulo collegisset, & inuoluisset, filiis Caath cura commissa erat, vt sacram hanc sarcinam, quamdiu populus procederet, semper inuolutam gestarent, nefas vero erat, nisi vitæ adire periculum vellent, eadem retegere, aut discooperire. O figura luculenta & peregregia! Quod olim summus Sacerdos Aaron in veteri lege præstitit, Iesus Christus in noua fecisse comperitur: cum enim Ecclesiæ suæ sanctuarium tot sigillis ac mirabilibus obsirmasset, atque interius sancta ac diuina Sacramenta, velut supellectilem & vasa sua, atque inter illa Eucharistiam inuoluisset, mandauit nobis, vt omnia illa inuoluta fidei humeris ferremus, nihil videntes, neque inspicientes, quamdiu Ecclesiæ castra in vitæ huius via progrediuntur, quin & inhibuit quidquam horum, nisi periculum vitæ incurrere velimus, tangi, credenda sunt non visa, sine dubitatione portanda, & non cognita adoranda. Tamen quoniam cum nouis quibusdam Bethsamitis nobis hodie negotium est, qui credere nequeunt, nisi manna in arca viderint, & cum stupidis Capharnaitis, qui in animum inducere suum non possunt, Christum corpus suum in Eucharistia cibum dare potuisse: circa legem hanc nonnihil dispensando sanctuarii huius supellectilem paululum reuoluam, Eucharistiæ veritatem explicabo, & summa cum reuerentia & honore monile hoc discooperiens, è scripturis, figuris, & validis rationibus veracem illius veritatem exponam, & corporis & sanguinis Christi Iesu in augusto hoc Sacramento realitatem patefaciam, fides vbique hic ducem aget, Spiritus sanctus submonitorem, Deipara patronum: idcirco salutationem illi Angelicam recitabimus

1. *Reg.* 6. *Ioan.* 6.

AVE MARIA.

Omnes pretiosi lapides, qui in Salomonici templi fundamentis positi erant, magnitudine pares inter se erant; eo quod omnes iuxta eandem mensuram secti & efformati essent, sed non idem omnium erat pretium aut valor, erant enim alii aliis pretiosiores. *Fundamenta autem erant de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis, decem siue octo cubitorum, & desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant.* Augurium & diuinum quoddam secretum fuit, quo docemur, quod quamuis omnia mysteria & Sacramenta fidei ac religionis Christianæ, quæ lapides pretiosi & fundamentales sunt templi Ecclesiæ, æqualia sint, quantum ad credendum & veritatem, eo quod omnia eadem incude fabricata, & eodem signata charactere sint, idem fundamentum habeant, quod potestas & authoritas diuina est, in intelligendo tamen imparia esse, alia enim aliis sunt obscuriora, in quibus proinde fides magis operatur, atque ideo magis Christiana sunt, iuxta Aphorismum illum Theologicum, *vbi*

3. *Reg.* 7. Omnia fidei mysteria in credendo æqualia, sed non in intelligendo.

præcipue fides habet meritum, vbi ratio humana non præbet experimentum. Satis hoc ostendit Redemptor, cum Thomæ prius incredulo dixit, *credidisti, quia vidisti: beati*, id est, beatiores, *qui non viderunt & crediderunt*: vnde discimus, quod vbi ingenium humanum fatiscit, & ratio succumbit, ibi fidem valere, pollere, ac robur exercere, mysteriaque in quibus ratio naturalis cæcutit & nihil omnino videt, magis Christiana esse ac veriora. Aliæ enim religiones adulterinæ & spuriæ rationem semper in consilium adhibent, & quantum mens humana illa potest comprehendere & capere, tantum etiam creduntur & percipiuntur, atque hinc est, quod Turcæ & Barbari credant quidem Deum quemdam omnipotentem esse totius vniuersi gubernatorem moderatoremque, honorandum, amandum, obsequio dignum, esse post hanc vitam aliam, & gaudia bonis, improbis tormenta destinata, docet hoc quippe illos naturæ lumen, ratio humana, sed vnum Deum esse in tribus personis, Deum Patrem Filium dedisse pro nobis, vt mortem occumberet, atque eumdem Dei Filium humanam carnem induisse, & sub mirabili Sacramento corpus suum in escam reliquisse, (quod ratio humana hic cæcutiat, nec edocere hoc valeat) sibi persuadere non possunt.

Ioan. 20.

Infideles fidem in naturali ratione stabiliũt.

I.

Christianæ religionis dignitas.

Atque ideo Christianæ Religionis dignitas & excellentia in hoc patet, quod omnem hominum intellectum transscendat, & rationem excedat, quod sola authoritate recipiatur & eadem nixa sit, non vero ratione argumentis, demonstrationibus, adeo vt Christianus credat, quæ non intelligit, neve vmquam poterit intelligere, ac præsertim circa sublime, admirabile, adeoque augustum Sacramentum, quod singulari quadam prærogatiua & priuilegiali supereminentia, quam præ cæteris habet, simpliciter, absolute, & sine aliqua quadam designatione, antonomastice *Sacramentum* appellatur, velut ceterorum Sacramentorum caput, præfectus, Dominus, in quo tam multa admiranda, credenda & adoranda sunt, tam pauca tamen dicenda & intelligenda. Sacramentum quod naturam excedit, & eamdem in admirationem rapit, quodq; vltimum donum, & summum bonum est ab authore naturæ collatum, Sacramentum denique, quo nullum vnquam maius ab æterno Deo opus patratum, aut in rerum natura productum.

Sacramentum Eucharistiæ supernaturale est

Huius opinionis erat Isaias Propheta, cum de mirabilibus, quæ Deus aliquando in Ecclesia peracturus esset, ageret, nam illius conceptus demiratus, omnes omnino homines adhortatur, vt illius adinuentiones diuulgarent, *Notas facite adinuentiones eius.* Quam egregiæ porro sunt inuentiones, hominem fieri, cum homine conuersari, cum homine viuere, & sub Sacramento se tradere, vt ab homine manducetur? an non hæ dignæ sunt, quæ perpetuo in hominum memoria versentur? an non merentur, vt cœlo simul & terræ, hominibus iuxta atque Angelis innotescant?

Hasce porro inuentiones adeo obstupuit Salomon, itaque difficile ei videbatur & nouum, Deum cum hominibus commorari, qui ab Angelis in cœlo adorari consueuerat, vt ipsum penitus impossibile putaret, admiransq; aut potius dubitans dicere, *Ergone credibile est, quod Deus habitet cum hominibus super terram?* Credibile est, Salomon, credibile, nondum enim Dei inuentiones nosti, vere enim cum hominibus habitat, quin & homo factus, ab hominibus mãducari cupit, suumque corpus in admirabili hoc Sacramento in hominum alimentum reliquit.

2. Paral. 6.

Mirũ Deũ cum hominibus habitare.

Satrapæ tamen Babylonii contrarium docuere, & coram Nabuchodosore Rege asseruere, somnium quoddam eius interpretantes, Deos in terra non commorari, nec cum hominibus conuersari. Audite quid dicant, *Exceptis Dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.* In Ethnicis hoc non adeo obstupesco, nec illos hic erasse adeo mirandum est. Sine fide enim hoc credi nequit, etiam cum credendum est, quod qui mundum replet, in exigua quadam hostia comprehenditur, quod qui in cœlo gloria & maiestate vestitur, hic sub speciebus & accidentibus delitescat, ac corpus & sanguinem dederit, vt hominibus in cibum & potum sit; hoc enim ad intelligendum difficile est, & ægre se animus resignare, & hic requiescere potest, vt hic se in captiuitatem tradat.

Dan. 2.

Hebræo-

Hebræorum Legislator Moyses, non parum familiaritatem Dei cum hominibus demirabatur, & hanc ipsam populo Hebræo repræsentans illos ad gratitudinem excitabat, quod nulla sub sole natio Deos sibi haberet adeo vicinos & propinquantes: *Nouæ est*, inquit, *alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi.* Si Moyses tantus, tamque eximius vir tanti fecit, quod Deus cœli familiaritatem cum Hebræis contraheret, familiarius cum iis ageret, siquæ illos ideo tantopere ad illum diligendum obligatos putaret, quis Christiano honor est, quæ gratia & beneuolentia, quod idem Deus non ad illum modo accedat, sed ipsi similis reddatur, cum illo comedat, ipsi se denique in cibum largiatur? quomodo igitur illi deuincti sunt? aliquisne sub cœlo populus, natio aut territorium est, cui tantam Dii sui gratiam præstent, tantam beneuolẽtiam exhibeant? cum hoc concessum est Ecclesiæ, soli huic honor hic & gloria reseruata.

Deut. 4.

Ezechiel Propheta beatam ciuitatem eum descripsisset, omnigeno refertam bono, tandem vno velut fasce omnia illius bona complectens ait, Dominum ibi commorari, & ciuem illius esse, *& nomen ciuitatis illius ex illa die, Dominus ibidem.* Quasi diceret, quod Deus ciuitatis huius ciuis sit: & inquilinus, maximam hoc illi gloriam adfert & decus eximium. Quod olim de huiusmodi ciuitate Propheta dixit, hodie aperte manifesteque de Ecclesia dicendum, omnem illius honorem, triumphum ac gloriam esse, Deum inquilinum & in altari præsentem, inque mensa vt cibum habere. Quapropter non immerito Propheta exclamat, *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*, quod sc. Deum habens fundatorem, Deum qui apud te commoratus est, Deum quem vidisti, quem comedisti, quiq; propria te carne, enutriebat.

Ezech. 48. Omnis Ecclesiæ honor est Deũ habere præsentem.

Psal. 86.

O res vere admirabiles & glorioſas! Esaias hæc prædicens & eminus præsagiens, spem certam melioris fortunæ concipit, *Pro eo quod derelicta fuisti & odio habita, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generatione & generationem.* Quasi diceret, Ecclesia quidem mea derelicta & contempta fuit, sed veniet tempus, quo ita illam exaltabo & dilatabo: atque ita illam proueham, vt totius vniuersi futura sit decus & ornamentum, vtque futura sæcula nihil eiusmodi visura sint, aut quidquam dignius aut excellentius, futurus enim sum ciuis illius, & in ipsa commorabor.

Isai. 69.

Ioannes Euangelista cum in Incarnationis & SS. Trinitatis Oceano longius prouectus esset, ac plurima circa illam mysteria exposuisset, ita tandem Euangelium suum concludit, *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: perinde ac si dixisset: Hoc eum dixero, nihil dici aut cogitari sublimius digniusve potest, quam Deum in nobis habigniusve potest, quam Deum in nobis habitare, non enim datur vltra: non dicit *nobiscum*, hoc enim in incarnatione peractũ fuit, cum Deus hominem induens nobiscum commoratus est: sed ait, *in nobis*, quod in hoc Sacramento sit, in quo se Deus in cibum largiens, in nobis, & ipsi vicissim in illo commoramur, iuxta Euangelii sententiam, *In me manet, & ego in eo*, hoc scilicet omnem admirationem excedit, & sine fide hoc credi nequit.

Ioan. 1.

Dicere solebat Auerroes magnus quidem Philosophus, sed gentilis, multa quidem in Christiana religione contineri, sibi quæ arriderent, sed quod Christiani Deum se manducare profiterentur, tam execrandum, impium, & nouum sibi videri, vt Mahometis se superstitionibus adhærere, quam Christianorum religionem amplecti malle diceret: idem ipse Iudaicam quoq; legem exsibilans, puerilem eam dicebat, quod cæremoniis abundaret puerilibus, Turcarum vero & Saracenicam patinam, quod immunda esset, & sordibus abundaret, Christianam denique stultam & fatuam, quod Deum se suum manducare astrueret. Quare omnibus rite consideratis, malle se Philosophico more viuere iactabat.

Auerrois opinio impia.

Huc alludens Apostolus simile quid de sui temporis hominibus refert, dicitque Christum crucifixum annuntiari, Gentibus stultitiam, Iudæis autem scandalum videri, *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Et sane quicunque rationem consulere, sensus interrogare, naturam

1. Cor. 1.

indagare, Philosophiæ præcepta sequi, ac simpliciter humano more loqui vellet, crederet haud dubie stultum esse & stolidum, quicunque persuadere conaretur, Deum hominem factum sub Sacramenti speciebus delitescere, in cibum dari, os nostrum ingredi, & tamdiu subsistere, quamdiu ipsæ subsistunt species. Sed quid? sequendum est Psalmistæ consilium, eique consulenti credendum, qui simili iure ait, *Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Hoc quidem & ipse consulo, & mihi ipsi imprimis, vtinam & vobis eadem insideat opinio: credam igitur, priusquam quid dicam, fidem ante verba præmittam, mentem & omnes animæ facultates humiliabo, & sub fidei obedientia flectam, vobis idem vt faciatis auctor sum: dicam igitur hodie in excessu iustarum passionum & iracundiæ meæ, sacrosanctæ Eucharistiæ honorem protecturus, Berengarius impostor est, Lutherus mendax, Zuinglius calumniator, Caluinus blasphemus, & omnis homo fallax, qui negare voluerit corpus & sanguinem Christi realiter, substantialiter & vere in magno & adorando Altaris Sacramento contineri, Sacramento inquam, quod epitome & compendium omnium Omnipotentis Dei mirabilium: Atque hoc thema nostrum commune est, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.* Et tot mirabilibus hodie nonnisi vnum tangam, quod secundum erit, mirabilem scilicet Christi in hoc Sacramento existentiam, quam vt vobis clarius producam, primo hæreticorum falsitates & impostura patefaciam, ac Catholicam deinde veritatem depromam.

Psalm. 115.

Auctoris egregia resolutio & animus.

II. Pictorum mos.

Principio igitur, antequam longius in hac controuersia prouehar, & inimicos ad conflictum prouocem, egregios peritosque pictores imitabor, qui rudi quadam Minerua & vmbratico colore tabulas & laminas delineant, ac viuos genuinosque & vnicuique personæ ac rei proprios colores addentes, imaginem perficiunt: ita & ipse impietatem, impostura, blasphemias, calumnias, & errores hæreticorum prius in concionis huius tabella delineabo, & crasso quodam & pingui modo proponam, quam veris viuisque sacræ Scripturæ, oraculorum Propheticorum, figurarum veteris testamenti, & sanctorum Patrum auctoritatis coloribus propositis, veram realitatis sacrosanctæ Eucharistiæ imaginem repræsentem.

Aod ad liberandum populum à Deo destinatus, ambidexter describitur, tamque scite sinistra quam dextra vtens: *Qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, inclytum filium Gera, filii Iemini, qui vtraque manu pro dextra vtebatur.* Equidem huic duci hodie similis videri cupio, cumque huc à Deo ad animarum salutem procurandam euocatus sim, vtraque manu digladiabor, sinistra hæreticos profligabo, conuincam, coarguam, dextra vero Sacramenti huius veritatem propugnabo & Catholicos in vera fide stabiliam. *Iud.* 3.

Terribilis ille Angelus qui olim Ioanni in Apocalypsi apparuit, inter cetera gladium ancipitem habebat ore promanantem, *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Verbum Dei iuxta Apostolum gladius anceps est, dicit enim, *viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hodie quoque similis quidam ore meo exeat, & vtrimque concidens, vt hinc in aduersarios insurgam, & calumnias propulsem, illinc vero fidei veritatem adstruam, & fidelium Catholicorumque opinionem confirmem. Deus Ieremiam Prophetam cum destinasset, quo populo suo passim concionaretur, & per gentes & regna verbum suum disseminaret, mandauit, vt euelleret & plantaret, demoliretur & ædificaret, *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* *Hebr.* 4. *Ierem.* 1.

Idem me Deus eadem hodie ratione legasse videtur, vt populo suo concionarer, ad hæreses euellendas, sanctamque fidem plantandam, mendacia destruenda, & veritates ædificandas. Hoc igitur me modo hic geram, priusque falsitatibus & erroribus inimicorum euersis, fidem & professionem Ecclesiæ deinde stabiliam.

Pudica

Susannę accusatio Eucharistiæ confertur.

Pudica & innocens Susanna à duobus veteranis veteratoribus amore impudico æstuantibus adulterij accusata cũ foret, suscitauit Deus spiritum adolescentis Danielis, qui innocentiam illius tutatus est, & nefarios illos adulteros mendacij & falsitatis coarguit. Lutherus & Caluinus duo flagitiosi illi veteratores iam & multis annis præter omne fas & nefas sanctam & innocentem Eucharistiam maligne impieque persequuntur, sed ecce, ipse hodierna die, post infinitos alios, qui contrarium asseruere, & duos illos vafros testes mendacij coarguerunt, velut alter Daniel veritatem & honorem Sacramenti huius tuebor, ac duos illos seculi nostri veteratores libidine infamos, iuratos Ecclesiæ nostræ hostes mendacij accusabo. Quare iam ad illorum technas detegendas, imposturasq; conuincendas me accingo.

Caluinistæ, velut noui quidam Capharnaitæ, cum dignitatem, maiestatemque Sacramenti huius comprehendere nõ possent, auditores, nonnisi figuram corporis Christi hoc duntaxat contineri impie blaterant, realitatemque & veritatem ita ab eodem abesse,

Sidera terrâ
Vt distant, & flamma mari.

Quin & formulam institutionis illius interpolantes aiunt, Christum cum verba hæc protulit, *Hoc est corpus meum*, intellexisse & dicere voluisse, *Hoc significat corpus meum*. O errores, mẽdacia, & impietates, & calumniæ! latius hæc exponenda sunt, & series hæc amplianda.

Mox vt Christus suam corporis nobis sui in venerabili Eucharistia relinquendi voluntatem mentemque discipulis aperuit, illi rei difficultate consternati, & credere non valentes cum Capharnaitis *abierunt retrorsum* & nefarius Judas primus hac in re, teste Augst. hæreticus fuit, sed ipse Christus summus Ecclesiæ Doctor, hunc errorem refutans in viam illos veritatis reduxit, ostenditq; quod illi crasso & rudi modo intelligi vellent, spirituali & alio penitus diuerso esse intelligendum *verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*.

Ioan. 6.

In Psal. 54.

Ioan. 6.

Deinde Corinthij quidam de mysterio hoc dubitantes, & à generali fidelium fide desciscentes, credere non poterant, sanctam communionem tam diuinum quid esse, vt sanguinem & corpus Jesu Christi in se contineret, sed nonnisi vt communem illam habebant cibum, vel nonnisi aliquid mysterij in te continentem: adversus quos Apostolus confestim dictata Epistola conflixit, dicens, *Conuenientibus vobis*, inquit, *in vnum, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo, nam oportet hæreses esse, &c.*

1. Cor 10. & 11.

Post illos venere Manichæi, qui filii Dei humanitatem oppugnantes, credere aut sibi persuadere non potuerunt, sanguinem Christi sub vini speciebus contineri, vti nec corpus sub specie panis. omnia hæc refert & testatur S. Augustinus, sed errorem hunc in ipso sui exordio quam primum iugularunt Patres. Negauit deinde Nestorius in Eucharistia carnem verbo vnitam recipi, sed hanc falsitatem Concilij Ephesini Patres destruxerunt.

Lib 10 cont. Faust.

Longo post tempore circa annum Domini octingentesimum, Joannes quidam Scotus ordinis S. Benedicti, & Caroli magni præceptor veterem hunc errorem ab inferis reuocans veritatem Eucharisticam negauit, sed quamprimum in Concilio Vercellensi, teste Lanfranco Archiepiscopo Cantuariẽsi, condemnatus est. Ducentis post annis elapsis, anno scilicet millesimo, Berengarius Archidiaconus Andegauensis in aciem prodiit, qui vbique & docuit, & scriptis asseruit in Sacramento hoc nonnisi figuram comprehendi, & ecce quamprimum vt in apertum prodiit, à pluribus lingua calamoque oppugnatus fuit, inprimis ab Aldemanno Episcopo Brixiensi, Lanfranco Cantuariensi, Guitmundo Auersano in Apulia, Algero Monacho, aliisque plurimis, deinde ab vniuersali Ecclesiæ voce suffragioque proscriptus in Conciliis & priuatis & generalibus, primo in Concilio Vercellensi sub Leone sexto, secundo in Turonensi sub Victore secundo, cui Hildebrandus, qui deinde Pontifex creatus Gregorius septimus fuit appellatus, præsedit, in quo cum rationibus & argumentorum pondere conuictus esset, errorem abiurauit, tertio in vniuersali Romano, cui cen-

tum ac tredecim Episcopi sub Nicolao Papa interfuere, in quo miser iterum dogma eiurauit, errorem agnouit, & coram Pontifice scripta sua flammis tradidit.

Lib. 3 de gestis Angl.

Guilielmus Malmesburiensis Bibliothecarius in historia Angelorum mirum quid enarrat, velut triste malorum Berengari augurium: refert enim S. Fulbertum, cum in vitæ extremo constitutus esset, Berengariumque adhuc tum puerum lecto astantem cerneret, quamprimum inde auferri mandasse, se enim illum cernere non posse, vt, qui illum veritatis Catholicæ aliquando deprauatorum & cruentum Ecclesiæ persecutorem fore præsagiret, idque extimulatione dæmonis cuiusdam, qui lateri illius indiuiduus comes adhæreret, ac tandem ad extremam crudelitatem pertraheret.

Berengario confutato, condemnato, inque machinationibus suis extincto. Ecclesia cum in Berengarij contentione superior euasisset, in summa pace ac quiete veritatem & realitatem articuli huius possidebat, donec tandem Anno Domini M.CCC.LXXX. duo nefarij vitiligatores Wiclef & Joannes Hus, controuersiam sopitam iterum resuscitant, & summa nituntur opum vi huius nobis Sacramenti realitatem, quæ toties & tot in tribunalibus nobis, auditis semper aduersariorum postulatis, adiudicata fuerat, auferre. Illi vero tempus ad hoc maxime oportunum delegerunt, quodque eorum moliminibus non parum conduceret, tempus scilicet schismatis, quo tres diuersi Pontificiam dignitatem ambibant, sed tandem schismate abolito, & Martino V. legitimo Pontifice stabilito, causa hæc in Concilio Constantiensi ventilata fuit, & secundum nos pronuntiatum, aduersarij repulsam passi, & ad sumptus luendos, & honestam emendam præstandam condemnati, quod in Concilio hoc Wiclef, Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis igni sunt adiudicati: & corpora eorum sepulchris eruta. Nec hic dæmonis substitit malignitas aut vafrities, sed ad Ecclesiæ pacem disturbandam nos controuersiæ huius excitauit promotores, cæterisque nequiores, & ecce tibi in Germania Lutherum, Melanchthonem, OEcolampadium, Zuinglium, Brentium, aliosque innumeros, in Gallia nostra Petrum Martyrem, Caluinum, aliosque eiusdem farinæ & dogmatis viros armauit, qui malignitatis vinculo caudatim illigati, ad Ecclesiæ messem, velut Sampsonicæ vulpes, disperdendam, occasione horum verborum, *Hoc est corpus meum*, quæ causæ nostræ basis & fundamentum sunt, in tot sunt sectas & opinionum schismata dispertiti, vt octoginta & amplius loci huius expositiones sint in eorum scriptis à doctissimis quibusque hominibus detectæ, quæ omnes, vt notauit doctissimus Episcopus Ebroicensis, Claudius de Sanctis, Senatuum, Parlamentorum, Vniuersitatum, & Academiarum totius Christianitatis, sententia, ac denique totius Ecclesiæ in Concilio Tridentino suffragio condemnatæ & proscriptæ sunt.

Lutherus, qui quidem realitatem credebat, sed transsubstantiationem negabat, panis substantiam simul cum corporis Christi substantia subsistere putabat, atque ideo Christum dicens impanatum, horum omnium dementiam explodebat, scripsitque suo tempore octo diuersas per Germaniam opiniones vulgo creditas fuisse, alij siquidem significatiui, alij figuratiui, alij energici, alij metamorphosiæ, &c. dicebantur. Melanchthon S. R. Imperij Electoribus hac de re scribens, huiusmodi diuersitatem opinionum explodens, alias sex nouas adfert, penitus à Lutheri expositionibus alienas ac discrepantes, sed videamus quid sub hisce nebulis delitescat.

Tract. de part. cœn. Dom.

III. Caluinistarum opinio de hoc Sacramento.

Fides & opinio Hugenotarum Caluinistarum, auditores, est, quod quamuis corpus & sanguis Christi σωματικῶς καὶ οὐσιῶς, id est, corporaliter & essentialiter cum pane & vino hic non subsistat, vel sub panis & vini speciebus in Sacramento Eucharistiæ non comprehendatur, sed in cœlo duntaxat, vere tamen ibi illa recipi idq; dupliciter, primo spiritualiter, ac deinde sacramentaliter, spiritualiter quidem ac spiritu. id est, fide & arcta quadam Christi cum anima nostra coniunctione, quæ per Spiritus S. virtutem fieri solet, recipi, Sacramentaliter vero ore corporali, quando non corpus & sanguis Christi, sed

eorum

eorum dũtaxat figuræ, id est, panis & vinum sumuntur, quæ vel velut sigilla quædam & characteres esse dicunt, quibus Christus promissa, quibus corporis & sanguinis sui in Sacramento Eucharistiæ spiritualiter participes nos se effecturum promisit, cõfirmare & signare nobis voluit. Sed quantus hic latet error, quæ impostura, quæ nebula & caligo?

Caluini hæresis Micholi similis.

Imprudens & probrosa hæc hæresis, & significatorum signorum & figurarum adinventrix, filiæ Saulis Micholis mihi hoc loco memoriam refricat: ac quod olim illa, illud ipsum hæc hocce tempore agere videtur: cum enim videret illa Dauidem maritum ad necem quæri, clanculo illum dimisit, & statuam quamdam pellibus caprinis coopertam eius loco in lecto collocauit, adeo vt cum regij satellites domum illius ingressi, Dauidem inuenire dum putant, inanem eius loco figuram repererint, *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.* Ita quoque Caluinistica hæresis, verum Jesu Christi corpus auferens, nonnisi spectrum quoddam & inanem vmbram in profano cænæ suæ lecto collocat, cumque verum Deum, & realitatem ac substantiam veram inuenire volumus, nonnisi figura, signum, imago reperitur, quam pellibus tegunt & conuestiunt, id est, chymeris, erroribus, mendaciis, significatis, paradoxis, atque ita misere atque infeliciter animas decipiunt ac circumueniunt.

1. Reg. 19.

Apoc. 17.

In Apocalypticis inuolucris mulierem quamdam meretricem, ac libidine infamem, bestiæ insidentem conspicio, plenam blasphemiæ nominibus, septem instructam capitibus, decem communitam cornibus, auro resplendentem & lapidibus pretiosis, manu poculum deauratum forinsecus gestantem, sed immunditia & abominationibus refertum: Reges ad turpe secum commercium inuitabat, & pellaci lenocinio dementabat, vinoque fornicationum suarum omnes terræ incolas inebriabat, *Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem, & mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureũ in manu sua, plenum abominationibus & immunditia fornicationis eius.*

Apocalypticæ meretrici cõparata nostri tẽporis hæresis.

Cum mulierem hanc diligenter contemplatus, omnia illius schemata intueor, & fornicationes eius & dissolutiones, ipse mihi persuadeo, verum hoc hæresis seculi nostri schema esse & imaginem. Sed vestra venia singulas illius partes adaptabo, & vtramque inter se conferam. Imprimis bestiæ insidet quod opinio hæc meræ bestialitati & ignorantiæ innixa sit, vel sensualitate nuda seduci se patiatur, cuius symbolum est bestia: blasphemiis redundat, quod mille impietates, & conuitia quotidie aduersus Deum illius Ecclesiam, sanctos, & ministros Angelosque eructet & euomat: septem capita illius diuisiones & schismata significant, decem cornua vero artes & dolos, quibus animatum salutẽ studet euertere: lapides pretiosi & aurum superbiant signant & arrogantiam, quæ sectæ huic adhærent, poculum vero aureum, quod manu gestat, verum Calicis symbolum est; quem in cœna sua circumferunt, qui exterius quidem pulcher, venustus & speciosus, sed intrinsecus mera abominatio, damnatio, exitium, immunditia, & prophanatio mera: adhæc infamis ac salax hæc meretrix Reges pellicebat, omnes habitatores terræ inebriabat, quod hæresis omnis dissolutionis mater tot Principes in errorem pertraxerit, & falsitatis suo vino plurimos per orbem sparsos populos inebriarit: ô monstrum horrendum, ingens, portentosum! O hæresim prodigiosam!

Abominabilis hæc Caluinistarum nostrorum cœna refricat mihi ollam virulentam filiorum Propheratum de qua lib. 4 Regum scriptum est, quæ cum herbis siluestribus & incognitis repleta fuisset, adeo amara visa fuit, vt mors in ea delitescere putaretur, tantumque abfuerit, quidquam vt inde gustarent, vt clamarent mortem olla contineri, *Cumq; gustassent de coctione, clamauerunt dicentes: Mors in olla vir Dei, & non potuerunt comedere:* Mihi credite auditores, putida hæc olla Caluinisticæ cœnæ imaginem præfert, quid enim

4. Reg. 4.

Cœna Caluinistica similis ollæ filiorum Prophetarum.

enim communio illorum est aliud quam mera quædã culina, cuius olla & lebes cœna est, ministri enim mysterium hoc, vt filij Prophetarum, insipidis, agrestibus & noxiis herbis, quasque ignorarent, repleuere, erroribus, inquam, blasphemiis, impietatibus, & dogmatibus siluestribus; opinionibusque, quas nec ipsi intelligunt; adeo vt merum hic virus, venenum, mors ac mera animarum damnatio contineatur, & gustanti adeo amara & insipida videantur omnia, vt mortem hic latere inclamet, & comedere nequeat. Olla periculosa, & mensa mortem propinans, pestilens cœna & lethifera, animabusque noxia. De hoc Dauid præsagiens, locutus est, dum canit, *Fiat mensura eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Mensa quædam mortis est, mensa dolosa, fraudulenta & scandali Caluinistarum cœna, in qua nonnisi mucidus panis & acetum conuiuis proponitur.

Psal. 68.

Ioſ. 9.

Habitatores quidam terræ Chanaan, cum olim Josuam ementito habitu decipere vellent, veteres quasdam lacernas, laceras & obsoletas induerunt, & mucido canistris pane impositio & vino fugiente in lagenis, è longinqua se regione profectos asseruere, cum tamen nonnisi è vicinia regni essent, *Dicentes de terra longinqua venerunt serui tui.* quapropter hoc schemate Josuam aggressi, illum decepere & fœdus cum eo iniere. Nostræ tempestatis hæretici idem omnino facere comperiuntur. Reformatores se enim ementientes, & vetustis quibusdã & exoletis dogmatibus iam dudum condemnatis assumptis, & S. Scripturæ locis velut frustillis quibusdam hinc inde vnum in centonem consarcinatis, & asinos quosdam Ministros pane mucido & vino acido cœnæ onerantes, è longinqua se regione venire fingunt; id est, à multis iam annorum centuriis fuisse iactant, à primitiua Ecclesia, iam inde ab Apostolorum temporibus & immediate à Christo, cum tamen inter nos nati sint, eodẽ quo nos baptizati tempore, & in eadem Ecclesia educati: hoc igitur schema præferentes Prælatos nostros adiere, & Ecclesiæ nostræ castra ingressi sunt, eumque nonnisi pacem, reformationem, sanctitatemque spirarent, ac plenis buccis concreparent, fœdus cum iis pepigere, & fideles omnes in fraudem conduxere. Ecquænam illa fraus, loco veri ac sinceri panis nonnisi figuratum producere?

Caluinistæ Gabaonitis similes.

Heliogabalus Romanus Imperator luxu & libidine diffluens, vt qui maxime, cum quodam tempore locos captaret, vniuersum populum Romanum in palatio inuitauit. Omnis plebecula prandij captandi auida confluxit, mensę sternuntur, aulæis parietes conuestiuntur, & ecce nonnisi cibi picti fucataque fercula mensæ inferuntur, capi, pedices, turdi, lepores, phasiani, aliaque si vera forent, lectissima fercula. Sed hic, nonnisi mendacia & euanida & picta, ita vt conuiuæ delusi maiori cum fame mensa recesserint, quam accesserint. Idem profecto facit & Joannes Caluinus, Hugenotarum caput & imperator, vniuersam siquidem Christianorum Rẽpublicam ad magnum cœnæ conuiuiũ cum inuitasset, ad quod omnes iam dudum Christus inuitauerat, vt iucundissime epularentur, dicens, *venite omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* & multo etiam prius, *Bibite amici & inebriamini charissimi*, cumque omnes ad impostoris huius inuitationem accurrissent, mensam insternit fucatam, cœnamque parat, in qua nonnisi picta conspiciuntur fercula, corpus inquam & sanguis Christi in figura duntaxat; miserlæ itaque animæ deceptæ non minori inde cum fame & inaniori stomacho recedunt, quam accesserant.

Ælioga-bali factum lepidum.

Matth. 11.

Cant. 5.

Sapiens in Prouerbiis de magnatum purpuratorumq; mensa loquens, suadet ne quis eorum vt parasitus, mensas ambiat, sed cibos declinet, vt, qui nonnisi falsa fercula panem mendacij mensis inferrent. *Ne desideres de cibis eius; in quo est panis mendacij.* Consilium hoc ex parte propheticum erat, nosque tacite admonuit, vt hæreticorum conuiuia fugeremus, nunquam vero eorum fercula ambiremus: in ipsorum enim cœna nonnisi panis mendacij ac fraudis frangitur: fraudis imprimis, miserlæ enim animæ verum Angelorum & vitæ panem hic se manducaturas cum putant, nonnisi meras figuras accipiunt: mendacij vero, quod omnia hæc erroribus, & falsitatibus innitantur, œconomi quoque conuiuij

Prou. 32.

In Caluinistica cœna nil nisi fraus.

uiuij huius, Ministri scilicet, toties mentiuntur, quoties realitatem corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento inficiantur.

Exod. 27. Scriptum in Exodo legimus, altare legis Mosaicæ cauum fuisse intrinsecus inane, nec è solida compositum materia. Ita quippe id fieri mandauit Dominus, *Non solidum, sed inane & cauum intrinsecus facies illud.* Scio DEVM hic ostendere voluisse, Mosaicæ legis sacrificia vana fuisse & omnis meriti expertia, vt quæ nec remittere peccata, nec aliquam conferre gratiam possent, erat enim lex hæc vacua, & nonnisi figuras habebat, soliditatem vero errorum omnium veritatem legi Euangelicæ reseruatam fuisse. Sed quale apud Hebræos erat sacrificiorum altare, talis esse mihi videtur mensa communionis & cœnæ Caluinisticæ, vacua, inanis, caua, nullamque soliditatem continens, substantiam nullam, nullum corpus, nullam realitatem, sed meram inanitatem & concauitatem, & *omnia in figura.* O extremam inopiam! ô calamitatem deplorandam! sed fraudes & versutias potius intolerabiles!

In cœna Caluinisti-ca nihil solidi.

IV. Euangelistarum cõsensus quo ad institutionẽ Ven. Sacramenti.

Intolerabiles inquam: cum ita verba Jesu Christi Eucharisticum Sacramentum instituentis deprauentur, corrumpantur, & interpolentur, simulque mendacij arguantur quatuor sinceriſſimi Secretarij, quorum tres Euangelistæ, & vnus Apostolus, S. Matthæus c. XXVI. S. Lucas. XXII. S. Marcus XIV. & XV. Paulus I. ad Corinthios cap. XI. qui diuerso scribentes tempore, locisque diuersis & distinctis idiomatibus omnes vno eodemque consensu scripsere, *Hoc est corpus meum*, nullus vero dixit, imo ne dicere quidem cogitauit, *Hoc significat corpus meum*, hoc dicere impostorum est & mera blasphemia, in qua nulla apparet ratio, quodque nulla verisimilitudine astrui potest.

Quis enim non dico credat, sed solum cogitet, Christum Dei filium vnigenitum, quique nihil ignoraret, Sacramentum hoc instituere dum vellet, remque tanti momenti ac ponderis legare, parabolicis & figuratis verbis apud Apostolos obtusioris ingenij viros & rerum penitus ignaros vti voluisse? ipsum inquam, qui in Lege Mosaica tam perspicuis & apertis verbis circumcisionem, agnum Paschalem, panes propositionis, aliaque Sacramenta instituisset, vnum hoc, quod dignius & eminentius cæteris, sub figuris duntaxat & inuolucris tradidisse? Quis fuisset ille Doctor, qui cum ad nos veritatem docendam veniſſet, mentemque nostram illustrandam, eamdem magis inuoluisset ac turbasset, nonnisi per gryphos, emblemata, ambiguitates & figuras loquendo? Præceperas nobis Pater æterne, autem illi vt præberemus, *ipsum audite*, sed quid lucri fecissemus, si nulla ipsum ratione intelligere potuissemus, & in rebus maximi momenti & seriis non nisi obscure, amphibologice & figurate esset locutus?

Adhæc cum filius hæc verba pronuntiaret, & Apostolis suis eloqueretur, testamentum suum condebat, cuius Apostoli fuere testes, & Euangelistæ notarij: apud Matthæum enim dictum est, *Hic est sanguis noui Testamenti*, atqui in testamentis omnia perspicuis & apertis verbis enunciari conscribique debent, vt lites & controuersiæ hoc modo euitentur. Clare igitur illum loqui hic oportuit, non vero in ænigmatibus, nos enim alioquin, nonnisi signa & figuras dando, decepisset.

Christus in Sacramenti huius institutione testamentum suum condidit. *Cap. 26.*

Nam vt paterfamilias falsarius & impostor audiret, si filio testamento gemmas & vniones legans, nonnisi pictos adamantes, rubinos & smaragdos intelligeret: de Deo idipsum multo minus credendum est, quod *fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Nulla enim ratio est, verisimilitudo nulla, amplius iam vt in figuris loquatur, nam hoc Mosaicum quid spirat, & ad Judaismum inclinare est, atque ita in veteri testamento versaremur, nec aliud Christus instituisset, maleque dixisset, *Hic est calix noui Testamenti*, & hoc, *Ecce noua facio omnia.* Ecquæ enim nouitas, si figuræ etiamnum durant? De veteri lege dici vere poterat: *Omnia in figuris contingebant illis*, hocque vsurpari poterat antequam Jesus Christus ad Ecclesiam suam veniret. Soler princeps nuptias reginæ alicuius ambiens, & quidem absentis, quamque videre non potest aut alloqui,

Testamenta clara sint.

Matth. 28.

Simile.

imaginem illi ſuam mittere, at cum alter alterum vidit, fruſtra omnis pictura, natura ſiquidem præualente cedit fictitium: ita quoque magnus ille Princeps pacis Chriſtus, quamdiu Eccleſiam ſuam ambiuit, quæ illi in ſponſam deſtinata erat, lege Moſaica durante, imaginem ſuam Synagogæ deſtinauit, ac priusquam ad illam veniret, infinitas figuras & ſigna præmiſit, at vbi iam ipſe venit; non iam amplius de figuris, picturisque, & parabolis loquendum eſt. Ad aduentus illius iubar omnes figuræ euanuere, vt ſole exoriente manna diffluebat.

Exod.19. Vmbræ erant pro lege veteri, corpus pro noua, promiſſa Synagogæ effecta data ſunt Eccleſiæ. In quo Apoſtolo ſuffragor, qui *Hebr.10.* ad Hebræos ait, *Vmbram lex futurorum bonorum non ipſam imaginem rerum*, id eſt, non res ipſas, ſed vmbras: & in epiſtola ad Hebræos, *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes.*

Valeant igitur figuræ: iniuria quippe Chriſto non exigua fieret, ſi verba illius ita tropologice interpretaremur, *Hoc eſt corpus meum*, cum demonſtratiuus articulus, *hoc* ſtudio & dedita opera ibi ſit poſitus, vt rei veritatem denotaret, noſque ab omni dubitatione reuocaret.

Atque vt Pater æternus filij ſui veritatem demonſtrare cupiens, apertis & perſpicuis verbis ait in monte Thabor, *Hic eſt filius* *Matth.17.* *meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*; hic, inquam, qui hoc in monte ſpectandum ſe præbet, qui inter vos eſt, cuius videtis gloriam, qui loquitur vobiſcum, ac de quo loquor, nō eſt Elias, non eſt Moyſes, nec Pſeudopropheta, ſed vere filius meus: ita quoque in Sacramenti huius inſtitutione, cum ait, *Ioan.6.* *Hoc eſt corpus meum*, dicere voluit *hoc*, hoc quod manu teneo, quod dono vobis, quod manducare debetis, vere corpus meum eſt, & caro, non vero vmbra aut figura.

Æterna ſapientia, priuſquam myſterium hoc inſtitueret, videretq; non mediocres horum interpretatione verborum controuerſias exorituras, præuenire voluit, & impedire, vtque omnem dubitationem tolleret, apud Joannem longe ante dixit, *Caro mea vere eſt cibus*, non figurate, tropologice, metaphorice, ſed reuera & realiter, quaſi diceret: Multa de me dicuntur, quæ nōniſi per comparationem mihi applicantur, non vero per naturam, vt quod lapis, leo, agnus, & aliis nominibus dicar, quorum ſimilitudinem habeo, ſed hic vere, non vero figurate, *caro meo cibus eſt.*

Sed quid cogitatis etiamnum Iudaizantes Caluiniſtæ, cum cænam veſtram figuris refercitis, realitatemque & verum corpus Euchariſtiæ aufertis? ſi hoc verum eſſet, peiores nobis eſſetis, & maiores idololatræ, quam nos eſſe putatis: nobis enim obiicitis, quod colamus & honoremus imagines, ſed vos longe eſſetis deteriores, vt, qui in cœna veſtra eaſdem etiam deuoretis, ſi illic non niſi figuræ ſint & imagines. Atque idcirco non cœnatores, ſed imaginum ac figurarum deuoratores dici meremini. Quænam illa inepti a! quænam abſurditas! Hæretici imaginum deuoratores.

Addimus denique axioma & communem omnium Theologorum ſententiam eſſe, in Sacramentorum verbis nullam figuram aut tropum contineri. Adhæc, quod omnis ſemper credidit antiquitas, vbi in verbis aliquod in fide noſtra neceſſarium myſterium deliteſcit, illa per allegorias, metaphoras, aliasque figuras non eſſe explicanda, ita veteres Patres Manichæos condemnarunt, quod verba illa Joannis, *Et verbum caro factum eſt.* de ſymbo- *Ioan.1.* lica & myſtica carne exponerent, item Arrianos, qui verba illa, *Ego & Pater vnum ſumus.* de vnione ſubſtantiali intelligere nolebant, item Neſtorianos, qui vera illa, *Hic eſt filius meus dilectus*, non de filiatione ſubſtantiali, ſed adoptiua dumtaxat eſſe dicebant interpretanda.

Cum igitur verba Sacramenti huius tam eximium & diuinum myſterium includant, ecquænam futura dementia, eadem per figuram & ſignum exponere? quænam etiam futura temeritas, dicere Jeſum Chriſtum, tam ſublime myſterium dum inſtitueret, coram Apoſtolis figurate & parabolice locutum, cum prius illis promiſiſſet, *Iam non in prouerbiis loquar vobis?* Plura de priori hoc membro dicam, ſed aliud iam aggrediar, iam enim ſatis ſuperque hæreſim hanc videor

videor destruxisse, errores euulsisse, impostu-
ras euertisse, & tot execrabiles blasphemias
pessum dedisse. Tempus igitur est veritatis
exstruendæ, veræ fidei adstruendæ, & Scri-
pturarum producendarum, atque hoc reli-
quum cœptæ materiæ.

Perfecte credimus, auditores, in sancto &
venerabili hoc Sacramento vere, realiter &
substantialiter pretiosum Jesu Christi cor-
pus contineri, illud ipsum, quod natum est ex
Maria Virgine, quod cruci affixum, quodque
V. hodie in cœlum glorioſum ab Angelis con-
Catholica spicitur: Credimus, inquam, post sacrosan-
fides circa cta sacerdotis verba, qui velut Dei mini-
Sacramen- ster hic operatur, panis & vini substantiam
tum hoc. vnico momento mutari, conuerti, & trans-
substantiari in corpus & sanguinem Jesu
Christi, & sub duabus, illis speciebus ve-
rum corpus, viuum inquam corpus ab ani-
ma sua informatum, & diuinitatem semper
secum habens, contineri: hancque omnium
Christianorum; omnis antiquitatis; omni-
um Patrum Catholicorum; vniuersæ Eccle-
siæ, denique totius orbis fidem esse & sen-
tentiam: ita nempe tria generalia Concilia determinarunt, Ephesinum tertium, cui
Sess. 13. c. 1. sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus
præsedit, Nicenum in Asia superiori congre-
gatum anno Domini CCCXXXII. & iam à
Patrum memoria Tridentinum: cuius hoc
decretum est: *Docet sancta Synodus ac simpli-
citer profitetur, in almo sancto Eucharistiæ Sacra-
mento, post panis & vini consecrationem, Domi-
num nostrum Iesum Christum verum Deum at-
que hominem, vere, realiter, & substantialiter,
sub specie illarum rerum sensibilium contine-
ri, &c.*

Veritas hæc & fides inprimis certissimis in
fallibilibusque verbis Jesu Christi, quæ hoc
Sacramentum instituens elocutus est, innititur, *Hoc est corpus meum*, deinde ipsorum Eu-
Matth. 28. angelistarum testimonio, qui eadem scriptis
mandarunt, Prophetarum quoque oracu-
lis, qui toties tamque manifeste hoc prædi-
xerunt, Sanctorum etiam Patrum auctorita-
ti, qui omnibus in locis valide animose-
que illam propugnarunt, denique Ecclesiæ
traditioni, quæ à Spiritu sancto directa, gu-
bernataque, iam inde à mille sexcentis annis
hac in fide inuiolabilis & integra perstitit.
Cæterum vt magis magisq; hodie in eadem
vos confirmem, eamdem ipsam veritatem sa-
cræ Scripturæ verbis, veteris Testamenti fi-
guris, & irrefragabilibus rationibus confir-
mabo.

Ad sacræ Scripturæ igitur loca iam proce-
damus. In Psalmis scriptum est: *Apud te laus* Psal. 21.
*mea in Ecclesia magna, edent pauperes & satu-
rabuntur, & laudabunt Dominum.* quasi dice-
ret, in Synagoga iam olim & exigua Judæo-
rum congregatione dilaudatus es Domine,
sed in posterum laudaberis, & à me inprimis
in Ecclesia magna & generali omnium gen-
tilium concilio: tunc enim miseri peccatores
& pauperes vitæ panem in Sacramento Al-
tatis comedent, saturabunturque, atque ita
saturi deinde Dominum dilaudabunt. Ad-
ditque deinde seipsum explicans, *Manduca-
uerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.*
Prophetico ritu præteritum pro futuro po-
nens, *manducauerunt*, pro *manducabunt*. quasi dicere voluisset: Non pauperes modo &
mechanici, sed Principes, Reges, & Monar-
chæ terræ genibus flexis adorabunt & man-
ducabunt, è quo hoc loco elicimus argumẽ-
tum, Ait paruos & magnos, pauperes & Probatur
pinguiores aliquando in Ecclesia panem co- realitas Sa-
mesturos, quem adorabunt: adoratio vero cramenti.
non nisi Deo debetur, atqui hic de Eucha-
ristia sermo, ergo verus in Eucharistia Deus
est, quis enim vnquam panis adoratus fuit,
priusquam ori inferretur? si vero illic non
adesset Deus, adoratio mea foret idololatria.

Secundo, Regius vates Psalmo secundo:
qui totus in laudem Jesu Christi & vitæ eius
mysteria effusus est, ait: *Apprehendite disci-* Psal. 2.
plinam, nequando irascatur Dominus, quo lo-
co fontes Hebraici legunt: *Osculamini fi-
lium*, alij item, *adorate panem*, quod non ni-
si de Christo Jesu intelligi potest, qui cum
sit verus Dei filius, idque æterna generatio-
ne, & ab hominibus in mysterio incarna-
tionis osculatus fuerit, quando natura no-
stra vnita fuit verbo, tandem se panem vi-
tæ præstitit, idque Sacramento Eucha- Ioan. 6.
ristiæ, *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi,*

quique ab Angelis & hominibus simul adorari debet.

Tertio de hoc Sacramento Apostolus scribens ad Corinthios ait: *Quicunq; manducauerit & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* E quo hoc elicio argumentum, si in Sacramento hoc nō nisi purus est panis & figura corporis, qui fieri posset, illum peccare mortaliter, qui peccati reus illud manducaret? fierine potest Deus bone, vt ob frustum quoddam panis indigne sumptum anima perpetuam damnationem incurrat? si quis dicat, ideo hoc fieri, quod panis hic sit figura & imago Dei, ob quem peccatum committitur; contra respondeo, agnum Paschalem vere Jesu Christi figuram exstitisse; qui tamen in statu illum peccati manducaret, non dici peccare: quare sequitur, in Sacramento hoc aliud quid contineri, diuinitatem scilicet, quæ indigne sumpta maximi peccati ream animam constituit.

1. *Cor.* 11.

Qui agnū paschalem in peccato comederet, non peccabat mortaliter.

Quarto, Gentium doctor Paulus magnificiens illud, quod in Eucharistia recipimus, Hebræis ait: *Nos habemus altare*, continens pro contento, *de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo deseruiunt:* quo loco de Judæis loquitur, quibus figura duntaxat & nō ipsa veritas data erat, qui cibum hunc gustare non poterant, vtpote, qui Ecclesiæ seruatus esset. Quod in Leuitico iam olim Dominus designauit, cum præcepit, vt singulis annis vitulum & caprum ad expiationem scelerum sibi Judaicus populus offerret, quorum sanguine Sanctuarium respergebatur, caro vero extra castra igni dabatur, ac nulli in cibum cedebat. Quorum omnium Apostolus Epist. ad Hebræos meminit, *Quorum animalium infertur sanguis in sancta pro populo per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Quo nihil aliud designatum fuit, quam Jesum Christum in cruce pro peccatorum expiatione immolatum, extra Jerusalem pati & mori, & sanguine illius genus humanum purificari debuisse, carnem vero illius à sacerdotibus Aaronicis altari deseruientibus, id est, in veteri lege permanentibus, non manducandam. Illis data erat figura, at nobis veritas. Atque vt olim serui & mercenarij ab agni Paschalis manducatione excludebantur, ita quoque hodie Judæi & hæretici, qui à pristina libertate & nobilitate velut filij spurij & mercenarij exciderunt, Eucharistiæ gratia priuati sunt.

Hebr. 13.

Leuit. 16.

Hebr. 13.

Dicite igitur, si Apostolus Jesu Christi corpus vere in Eucharistia non contineri, & nonnisi signa & figuras hic cerni credidisset, an adeo audacter se veteris legis sacerdotibus præponere, suamq; & Christianorum omnium prærogatiuam extollere & iactare potuisset?

Quinto, Dei filius corporis sui veritatem in hoc Sacramento adstruere dum vellet, his vsus est verbis. *sicut misit me viuēs pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me:* id est, vt ego viuo ex patre, ita vos è corpore meo viuetis. Atqui constat, verbum æternum propter patrem non viuere ob nuda accidentia, sed vera substantiæ suæ participatione, illi ab æterno communicata, vtpote cum ambo vitæ fons & origo sint, *Apud te est fons vitæ.* Si vera hæc est comparatio, vti reuera est, cum Christus mentiri nequeat, quis dubitabit, quin de illa manducatione vere substantiali, non vero accidentali duntaxat, qualis per solam fidem fieri solet, quæ non nisi accidens est, quæ fieri & non fieri in anima potest, viuere debeamus. Veritati igitur huic credendum est, aut verbum Dei negandum.

Ioan. 6.

Sexto, cum Christus Sacramentum hoc institueret, dicebat, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Certum vero est, verum id Jesu corpus, & in substantia & natura fuisse, qui pro nobis non in corpore phantastico & figurato, sed vero traditus & crucifixus fuit, nisi Manichæorum hæresim sequi velimus. Deinde de sanguine dictum est, *qui pro vobis effundetur:* è quo argumentor, quod Christus nobis in Sacramento dedit & reliquit, idem ipsum fuit, quod traditum & effusum fuit in cruce, atqui verum illius corpus & sanguis, non vero figura, traditum, & effusus fuit in ara crucis, verum ergo corpus & verum sanguinem in Eucharistia reliquit. Equidem argumentum hoc, vt certissimū & irrefragabile teneo, & velut Achillem inuin-

Matth. 28.

Argumentum ad realitatem Eucharistiæ probandā.

inuincibilem, sed iam ad figuras descendamus, ecce primam.

VI. In medio Paradisi arbor vitæ fuit consita, velut arborũ ceterarum caput & princeps, & quamuis in horto illo regio aliæ item arbores forent variis fructibus refertæ, omnesq; in hominum vsum alimentumque consitæ: sola vitæ arbor, velut princeps & primaria, vitæ fructum continebat, immortalitatemq; homini conferebat. Paschasius Abbas lib. de corpore & sanguine Christi, vt in Bibliotheca sanctorum Patrum traditur, ait arborem hanc figuram sacramenti Eucharistiæ fuisse, quæ cum in Ecclesia, quæ verus paradisus terrestris, in sacramentorum velut arborum fructiferarum medio constituta sit, quamuis cæteræ fructus & particularia quædam dona contineant, sola vitæ arbor est, animabusque immortalitatem parit. Vnde Christus ait, *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, &c. *In ipso vita erat*, &, *apud te est fons vitæ*, locisque aliis innumeris. Secunda, Sapientia dicitur in Prouerbiis ædificasse sibi domum, septem columnas excidisse, victimas immolasse, & mensam proposuisse. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, & proposuit mensam.* S. Cyprianus libro Epistolarum, & S. August. hoc de sacrosancta Eucharistia interpretantur, tunc vero sapientiam domum putant ædificasse, quando Verbum æternum, quod Patris sapientia, Ecclesiam è Iudæis & gentibus collegit, septem vero columnas adaptasse, cum septem illam Spiritus sancti donis aut septem sacramentis instruxit, victimas immolasse, cum in cruce moriens Deo Patri se obtulit; mensam denique proposuisse, cum suum in Eucharistia corpus reliquit. De hac mensa locutus est Psalmographus, dum canit, *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.*

Gen. 3.

Cap. 2.

Ioan. 6.

Prou. 9.

Epist. 1. lib. 17. de ciuit. Dei, c. 30.

Psal. 22.

Addam & tertiam, Agnus Paschalis sine vlla controuersia figura Sacramenti huius exstitit, nã vt ille immolatus fuit pridie eius diei, qua Hebræi Ægypto egrediebantur, ita Christus *pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, &c. Agnus non per familias modo comedebatur, sed per sacerdotes etiam in sacrificium ferebatur & immolabatur, Eucharistia non modo est Sacramentum & communio populi, sed sacrificium item à sacerdotibus oblatum. Agni sanguine Hebræorum postes cũ respersi essent, angeli exterminatoris, magnum per Ægyptum stragem edentis, n anum & rabiem euasere, ita quoque, cum animæ nostræ pretioso Agni huius immaculati, qui in Sacramento continetur, quique in crucis arbore oblatus fuit, sanguine conspersæ & irrigatæ fuerint, à dæmonum spirituum illorum homicidarum, & à principum tenebrarum feritate immunes sunt & tutæ.

Agnus paschalis figura fuit Sacramenti Eucharistici.

Hæc sit quarta, sed omnium quotquot vnquam fuere præstantissima: manna scilicet, ita post plures alios interpretantur sanctus Augustinus, Rupertus, venerabilis Beda qui omnes vnanimi consensu de Eucharistia locum hunc Apocalypseos exponunt, *vincenti dabo manna absconditum*, sexcentas porro in Eucharistiam & manna proprietates, sympathias, consensus, similitudinesque reperire est, quæ id nobis apertissime ostendunt. Primo manna cibus erat angelicus, Eucharistia vero penitus diuina; omnium ciborum gustum suggerebat comedenti manna, Eucharistia quoque omnium voluptatum deliciarumque accedentibus gustum præbet: manna quamprimum cœlo delapsum apparuit, populus omnis stupore & admiratione perculsus clamabat, *Man hu*, quid hoc est? Eucharistia mox vt instituta fuit, mox vt apparuere accidentia sine subiecto, corpus sine extensione, nullumque occupans locum, omnes omnino mortales consternari, & stupore defixi clamarunt, *Quis credidit auditui nostro?* quænam hæc miracula, quæ paradoxa? quis vmquam hæc crediderit? An non præstantes hæ figuræ, è quibus commune hoc argumentum elicio, manna, agnus Paschalis, mensa sapientiæ & egregia hæc arbor vitæ, figuræ & vmbræ Sacramenti huius fuere tempore legis Mosaicæ, sequitur ergo, vera corpora & res figuratas in lege Euangelica necessario esse debuisse, & in augusto hoc Sacramento ita realitatem corporis & sanguinis Christi nos habere & nactos esse, vti eius figuras & signa veteres Hebræi habuerunt. Rationes iam velut auxiliatios milites

Manna figura Eucharistiæ.

Apoc. 2.

Exod. 16.

in aciem producam, quibus inimici vires retundemus, & sententiam nostram stabiliemus. Ecce primam.

Rationes, quibus Sacramenti huius veritas astruitur.

Si ipsa Christi corporis realitas in Sacramento Eucharistiæ non contineatur, sequitur, legem Mosaicam Euangelica & digniorem & perfectiorem esse, quod ita probo, Agnus Paschalis tot cum cærimoniis inter familias Iudæorum manducatus dignior & eminentior erat, meliusq; Christum Dominum denotabat, melius illius carnem, innocentiam, mortem & sacrificium repræsentabat, quam panis & vinum, quæ non nisi inanima & mortua sunt. Attamen Sacramentum hoc panis & vini excellentius & nobilius esse debebat, cum Christus ab agno hoc Paschali ad Eucharisticum hoc Sacramentum, velut ab imperfectiori ad perfectius, & ab minori ad maius transierit, ideo fatendum corpus Iesu Christi vere realiterque in Eucharistia contineri, vel è contra asserendum, Euangelium eiusque sacramenta lege veteri, & Christum Mose inferiorem esse, ac proinde multo esse satius Iudaizare quam Christi fidem amplecti.

Prima ratio.

Secunda.

En secundam Dei filius cum homo factus in hunc mundum descendisset, veteres figuras omnes aboleuit, legemque Mosaicam in omnibus & per omnia adimpleuit, ipse siquidem de se ait: *Non veni soluere legem, sed adimplere*, & in cruce pendens postremis verbis hoc ipsum testatus est, *Consummatum est*. si vero in augusto & venerabili hoc sacramento corporis sui realitatem non haberemus, tot illius figuras, quæ longo tempore præcurrerunt, quas iam produximus, non adimpleret, ac proinde tum nihil noui recepissemus, nec ad aliud testamentum transiissemus, sed Iudæorum instar etiamnum sub figuris & signis ageremus.

Matth. 27.

Tertia.

Annectam & tertiam. Obiiciunt aduersarii, non nisi fide Christi corpus hoc subsistere, sed respondeo, fides alicui existentiam non donat, sed eamdem iam existentem supponit. Dei quippe est, rebus esse suum dare, hominis vero id credere, quod exemplum

Fides rebus non dat esse.

manifestum faciet: Non facit fides, Christum resurrexisse, incarnatum esse, aliaque feciſſe, at credit, hæc aliaque his similia noua & inaudita quadam ratione facta. Cum igitur fides efficere non possit, Christi corpus in Eucharistia vt adsit, alia quadam ratione ibi comprehendatur necesse est: falsa enim alioqui esset fides, vtpote quæ credat esse, quod non subsistat.

Quarta.

Producamus & quartam. Per Eucharistiam homo Deo vnitur, & Deus homini, atque idcireo communio dicitur, at si vnio hæc & coniunctio non nisi mentaliter & per fidem fieret, vt sibi persuadent hæretici, nihil hic nouum esset, neu quid amplius quam in baptismo, hocque sacramentum recipere aliud non foret, quam baptismum reuocare, quo fit coniunctio quædam spiritualis & per fidem, quæ etiã variis adhibitis cæremoniis peragitur: sequeretur hinc etiam nostram cum Deo vnionem coniunctionemque non nisi in mente contingere, atqui in carne & spiritu contingit, vt testatur ad Ephesios Apostolus, *Erunt duo in carne vna, hoc autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quamobrem, Christiani auditores, ex hisce rationibus, figuris & textibus sacræ scripturæ asserendum non amplius figuras hic esse, sed inuiolabiliter firmiterque credendum verum, substantiale, & naturale Iesu Christi corpus realiter in Sacramento Eucharistiæ contineri.

Ephes. 5.

Hæc est catholica & vniuersalis omnium fides, hocque credendum est modo, si vero rei ipsius dignitas & sublimitas, vel violentus humanarum persuasionum turbo contrarium nos edocere voluerit, clamemus omnes cum Propheta, *Domine vim patior, respondepro me*, causæ meæ patrocinare, ratio fatiscit, sensus comprehendere nequit, natura vim patitur, quid dicam, ignoro: quare Domine auxilium præsta, meo responde nomine, tu meus in disceptando esto præses, fide me tua arma, sine ipsa enim causa caderem.

Isai. 38.

Vlysses cum Sirenum scopulos præternauigaret, earumque cantus illicia pertimesceret, malo se alligari voluit, ne cantus dulcedine illectus & fascinatus, illarum ad scopulos nauis impelleretur, itaque illisa naufragium faceret: sancto huic mysterio adaptans dico, optimum quemque Christianum hoc imitari debere: Mare enim contemplationis

Vlyssis prudentia.

mysterii

mysterii huius postquam conscendit, & Sirenes humanas cantillantes audit, rationem inquam, sensus, argumenta, Philosophiam, hæresim, Sirenes vafertimas & periculosissimas, Deum oret, se vt fidei, quæ verus nauis Ecclesiæ malus est, alliget, ne mundi carmine illectus & fascinatus, mētis impotentiam incurrat, inque infidelitatis præcipitium delapsus animæ naufragium patiatur.

Iob 39. Fide igitur hic opus est, & rationi valedicendum, & Iob Propheta imitādus, qui sublime euolare cupiens, & curiosius in diuina arcana inquirere, ait, *Manum meam posui super os meum*, ne forte quid extra rem loquerer, ac parum decenter de eo, quod comprehendere non possem. Vas quod operculo carebat, vt immundum in Leuitico haberi volebat Deus, os quoq; nostrum vas est, quod dum mysteria tractanda sunt, quale hoc Eucharisticum, ac de corporis Christi hic præsentia, agendum, si silentio coopertum non fuerit, coram Deo velut immundum & sordidum habetur.

Leuit. 19. Hic, curiose, os tibi refrenandum, ne quid obgannias, & quasi tibi minus fuerit satisfactum, inquiras, oculi vero è contra adaperiendi ad imitationem Seraphinorum Prophetæ, nihil præter fidem hic adhibendum, illi soli credendum, omnia sub illius assertione integre asserenda. Quod in Exodo egregia figura repræsentauit, præcepit enim Deus, vt Agni Paschalis assati caput simul & pedes deuorarentur, *caput cum pedibus vorabi* &c. ô mysterium! Caput Christi est ipsa diuinitas, vnde Apostolus, *Caput Christi Deus*, pedes vero illius humanitas, cuius scabellum ipsa fuit crux, hæc porro omnia in Sacramento nostro agno Paschali continentur: atque per fidem deuoranda sunt, tum quæ ad humanitatem spectant, summum & imum, & quidquid in hoc Sacramento à capite vsque ad pedes continetur, deuoranda inquam, sine vlteriori inquisitione: in quo Danielem Prophetam imitemur oportet, qui curiosius in cibos ab Angelo allatos non inquisiuit, aut vnde deferret, percunctatus est, sed gratiis actis in alimentum sumpsit: idem penitus hic agendum, omni curiositate sepositā realitas credenda, substantia in nutrimentum conuertenda, tanti beneficii largitor & donator adorandus, immensæq; illi gratiarum actiones offerendæ.

Isai. 6. Exod. 12. 1. Cor. 9. Dan. 14.

Porro, benignissime Iesu, vere panis vitæ, & ambrosia penitus diuina, ita hoc credimus, atque in hac mori veritate est animus: numquam vero ab hac fide discedimus, credimus siquidem corde, & lingua confitemur, vere te in Eucharistia contineri, corpusque tuum hic realiter & perfecte cum substantia, natura anima, sanguine, quantitate, qualitatibus, diuinitate deniq; comitatum adesse. Verissimum hoc & certissimum esse scimus, contrarium vero asserere qui ausus fuerit, illum hæreticum censendum: scimus & credimus te in hoc Sacramento esse velut arborem vitæ in medio paradisi consitam, vitam & immortalitatem animabus quæ adfers: item ceu agnum Paschalem, qui in amoris & charitatis extremæ prunis assatus deuorandus es, adhæc velut manna nouum, sed quod sub accidentibus & speciebus Sacramentalibus delitescebat, manna quod oculos adaperiat, stuporemque iniiciat iis, qui ipsum contemplantur, denique velut conuiuium & epulum ab æterna sapientia paratum, in quo omnes homines reficiantur ac plane saturentur. Idcirco hic te adoramus, adorantesque speramus, quod postquam animas nostras hic velut cibus enutrieris, sacramentis cessantibus ac finitis velut Deus, in altera gloriam iis visibilem sis elargiturus. Cuius compotes nos præstent Pater, & Filius, & Spiritus sanctus,

AMEN.

CONCIO

CONCIO TERTIA

INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

TERTIVM MIRABILE.

De admirabili transſubſtantiatione.

Partitio.

1. *De admiranda fide Euchariſtica.*
2. *De peroſo Hæreticis vocabulo Tranſſubſtantiatio.*
3. *Obiectiones Hæreticorum contra idem.*
4. *Credita docetur Tranſſubſtantiatio.*
5. *Rationes pro eadem confirmanda adducuntur.*

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Pſal. 100.

FIGVRA.

Exo. 4. & 7. QVam præclarum videre fuit olim, magnum legislatorem Moſem, vt auctoritatem, efficaciamque legationis ſibi creditæ oſtenderet, ad regem barbarum mitigandum perterrendumque, virgas in ſerpentes, flumina Ægypti in ſanguinis riuos conuertentem. At maius hodierna die miraculum eſt ac prodigium, Saluatorem, & Redemptorem orbis Ieſum Chriſtum, potentiæ ſuæ magnitudinem, maieſtatemque patefacere dum vellet, magno tum hominum, tum Angelorum ſtupore admirationeque, panis & vini ſubſtantiam in corporis & ſanguinis ſubſtantiam in Euchariſtiæ Sacramento tranſſubſtantiare ac conuertere. Quænam hæc mirabilia, ecquæ tranſſubſtantiatio! *Quis credidit auditui noſtro?* Quis tam noua & extraordinaria crediderit? quis non obſtupeſcet, demirabiturque, quod natura vniuerſa ſtupet & miratur? Quis de re loqui audeat præſumatque, quæ Angelos mutos reddit & elingues? quis verbis complecti, ad quam exponendam cœleſtibus Spiritibus verba deficiunt? Tu futurus es ſanctiſſime Spiritus, qui nobis hoc perſuaſeris, tu inquam eris, qui ſola admiratione nos illud edocebis, tu denique eris, magne totius vniuerſi doctor, omnium ſcientiarum, facultatumq; theſaure & reconditorium, qui ignaros, & idiotas Philoſophorum doces argutias, & ſubtilitates, qui linguas infantium omnibus oratoribus reddis eloquentiores, qui hodie me ad hanc veritatem docendam, aſſerendamque inſtrues & armabis, ingenium exacues, mentemque capacem reddes, vt coram vniuerſo hoc Catholicorum cœtu, ad Chriſtiani nominis honorem, hæreticorumque confuſionem, de eadem loquar, ideo opem, auxiliumque tuum imploro & patrocinium Deiparæ hic inuoco, quam propterea Angelicis verbis compellabimus

AVE MARIA.

Vas electionis Paulus ad fratres ſuos Hebræos ſcripta Epiſtola de fide, eiuſque eſſentialibus membris loquens, *Fides*, inquit, *eſt ſperandarum ſubſtantiarum rerum, argumentum non apparentium.* In Græco verbum eſt ὑπόστασις ad denotandum, fidem baſim, columnam, & fundamentum omnium myſteriorum eſſe. Atque vt Sampſon columnas atrii, in quo Philiſthæi verſabantur, dum collideret & auferret, vniuerſa domus ad terram concidit, non aliter etiam cum Satan fidei ſemel nobis columnam eripuerit, omne Spiritus ædificium quam primum collabatur neceſſum eſt & peſſum eat, vtpote quæ rerum omnium baſis ſit & fulcrum. Latinus textus verbum habet ſubſtantia, ita vt denotetur, ſiquemadmodum ſubſtantia prima omnia humeris ſuis ſuſtinet accidentia, & accidentia ſubiecta deſtructis primis ſubſtantiis remanere nequeunt, ita fidem ſubſtantiam, ſuſtentaculum & fundamentum rerum omnium ſupernaturalium eſſe, ac ſine illa ingenium noſtrum tam graue difficultatum myſteriorumque pondus ſuſtinere non poſſe, qui fieri nimirum queat Deum vnum eſſe trinum in perſonis, Dei filium carnem induiſſe, eumdem ſub ſacramento contineri & tranſ-

I. *Hebr.* 11.

1. *Cor.* 13. *Iudic.* 6.

Fides baſis rerum ſpiritualium.

ſubſtan-

substantiationem in Eucharistia peragi. Vnica fides est, quæ montes hos mouet, transfert, ipsa, quæ sublimes hosce vertices concutit, & impossibilia reddit possibilia: vnde Apostolus, *Si tantam fidem habeam, ita vt montes transferam.* Ipsa magistra ingenij & animæ facula, sine qua nihil omnino perspicere possumus.

Matth.17. Sole tempore passionis in monte Caluariæ deliquium patiente, tenebris omnia circumquaque cooperta fuere, cœlum, stellæque densissima caligine erant obuoluta, atq; ita patuit Dei filium mortem occubuisse. Fides animæ Sol est, quæ cum semel defecerit, mera in anima apparet obscuritas, nec quid cœleste vel spiritale cognosci potest; adhæc certissimum argumẽtum est, Deum missum, & in anima exstructum esse, nec iam amplius viuere, quomodo in Apostolo vixisse dicitur, *Viuit in me Christus*, nihilque interius, quã meras tenebras & caliginẽ deprehendi: tunc que locum habere sententiam illam Christi; *Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Lumen quod in nobis est, ipsa est fides, quæ cum caligine cooperta fuerit, nihil apud eos quam obscuritates & tenebræ restabunt.

Fides fax animæ est.

Gal.2.

Matth.16.

Primum quod Antiochus tyrannus è templo Ierosolymitano abstulit, fuit candelabrũ, in quo lucernæ accendebantur, quo sublato mera in templo apparuit caligo & tenebræ: *Et intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis.* Allegorice hoc exponens, & à sensu literali ad mysticum transiens, dico, tyrannum infernalem, fidem, quæ candelabrum luminis est, ex animæ nostræ templo ante alia eius vasa diripere conari, quæ cũ ablata & sublata fuerit, non nisi mera nox, nubes, vmbræ illic cõspicientur, atq; homo eadem destitutus, vere illud Psalmi repetere potest, *Collocauit me in obscuris sicut mortuos.*

1.Mach.1.

Fides luminare animæ *Psal.142.*

Apoc.6. In Apocalypsi, inter Angelos illos iræ Dei ministros, iustitiæq; illius executores, quartus quidam fuit, qui Solem inuasit, eumque obscurare satagens, homines æstu afflixit, adeo vt præ rabie in nomen Dei viuentis blasphemias euomuerint, *Et quartus Angelus effudit affligere homines & igni, &c* Quis, vestra sententia Auditores, Angelus ille noxius est, nisi Satanas, ille malignorũ Angelorum Princeps, qui semper fidem nostram, quæ Sol animæ, extinguere nititur, & aduersus illam hæreticorum dogmatum phialam effundere, quam si obscurare potuerit, homines æstuare & rabire, & aduersus Dei honorem, aduersus veritatem, aduersus sanctissimum Sacramentum, & admirabilem illius transsubstantiationem blasphemias cogit euomere: eo vero magis diabolus hanc oppugnat, & inuadere satagit, quod nobis illam necessariam norit, & quamuis sol sit paulo obscurior, tamen est in suo obiecto certus & infallibilis, nobisque verarum rerum certissimam cognitionem præbet, imo etiam obscurissimarum, ac præsertim mysterij Eucharistici.

Solam fidẽ oppugnat diabolus.

Regius Propheta nocti eam comparat, at nocti illuminanti: quapropter ait, *Nox illuminatio mea est*: quasi diceret: Fides nox est, & obscura sit, sed dies etiam lucida, quæ lumen præbet, ac sine illa nihil omnino in mysteriorum sublimitate videre liceat: & alio quoque loco ait, *Nox nocti indicat scientiam*, id est, fidei nox, quæ quod obscura sit, & caliginosa, nox videtur, hominem in ignorantiæ nocte tenebrisq; natum, rerum sublimium, omnemque sensum, & naturam transcendentium cognitionem edocet, fides oculos lippientes habet & caligantes, sed clare nihilominus videt, ac certissime de rebus ipsis edocet, cuius figura fuit Lia magni Patriarchæ vxor.

Psal.138.

Psal.18.

Fides obscura est, sed certa.

Iacob enim cum in Mesopotamiam in domum Labani venisset, duas illũ habere filias comperit, Rachelem formosam vt quę maxime, sed natura sterilem, Liam vero lippientem sed fœcundam. Iacob itaque cum Rachelis connubium ambiret, respondit pater, qua erat prudentia ac modestia, non esse moris, iuniores ante maiores natu nuptui tradere, & si gener esse vellet Liam prius peti oportere, ac deinde Rachelem se vltro daturum.

Gen.29.

Deus æternus, Allegorice ad Labani huius similitudinem duas filias habet, fidem inquã, quæ natu maior, & cuius Lia figura erat, oculos hæc habet lippientes, nec clare videt, sed

Fides Liæ filiæ Labani lippienti similis.

meritis & bonis operibus fœcunda est, ipsa enim illorum radix & origo, vnde Apostolus, *Fides sine operibus mortua est*, & visionem diuinam, quæ natu posterior & formosa quã maxime, quam denotat Rachel, quæ sterilis, neque enim post hanc vitam merendi tempus est: homo velut secundus Iacob, quam primũ visionis huius diuinæ amore inardescit, beatitudinis inquam cœlestis, eiusq; connubium ambit: sed fidem inprimis hic in terra ducamus oportet, (*sponsabo te mihi in fide*) ac deinde postquam fidele obsequiũ præstiterimus, & debito Patrem honore fuerimus prosecuti, beatitudinis tandem hac vita confecta, participes reddemur, nec solet Deus felicitatem cuiquam concedere, nisi prius in hac vita fidem habuerit. Adeo vt fides Liæ similis sit, quod caligęt & lippiat, obscureq; cernat, certa tamen est & ad mysterium hoc pereipiendum penitus necessaria, atq; idcirco Eucharistia Sacramentum fidei antonomastice præ alijs mysterijs dicitur.

Iac. 2.

Ose. 2.

Antiqua fidei imago.

Veteres fidem depingere volentes virginis instar exprimebant, quæ regem aurea vinctũ catena contineret; & multos sub pedibus suis prostratos, inaurem ore tenebat, & calicem & hostiam manu. Nihil porro hic temere additum aut parergon: primo quod incorrupta esset, vt virgo repræsentabatur, rex ille captiuus, & vinculis illigatus, intellectus & mens erat hominis, quæ cum facultatibus animæ quodammodo prędominetur, fidei tamen se subijcere debet, eiusque jussis parere, vnde Apostolus, *Captiuantes intellectum in obsequium fidei*. Milites illi prostrati, sensus denotant corporales, qui ad fidei pedes prosterni debellariq; debent: inauris vero auditum designat, per quem fides nasci solet, *Fides enim ex auditu*.

Fidei excellentia in hoc Sacramẽto patet.

Li. 2. de anim

Calix vero & hostia signat, Sacramentum hoc præcipuum esse fidei nostræ mysterium, & in quo fides præsertim eluceseat. Omnis per sensus, vt ait Aristoteles, oritur cognitio: sensus vero scientiæ plurimum conducunt, quod velut serui ac famuli intellectus sint, qui omnes illi species, quæ in rerum natura versantur, repræsentat. At in hoc Sacramento sensus impediũt potius & intellectui obsunt, quam prosint, quod per accidentium verisimilitudinem, mentem priorem etiam substãtiam hic subesse, cogant credere. Quamobrem fides hic inprimis necessaria est, cuius excellẽtia in eo apparet, quod tametsi sensus aliud videant, & extrinsecus testentur, mentẽ tamen ea credere compellat, quæ non videt, eaque vt certissima inuiolataq; tenere & amplecti. Apostolus Abrahæ fidem exaggerans ait, *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium*. Videbat sterilitatem, & credidit fœcunditatem, nullos è Sara susceperat liberos, crediditque plurimas ex se gentes orituras. Ita quoque fidei hominis in hoc Sacramento accidit, nihil hic enim videt prẽter colorem, odoratum, accidẽtia, gustum, qualitatem panis; firmiter tamen sibi persuadet, post consecrationis verba prolata, panem nõ amplius superesse, non videt, non olfacit, non percipit mutationem, variationem aut productionem corporis Domini, credit tamen certissime, reali, vera, admirabili tamen & penitus diuina actione, quam transsubstantiationem dicimus, substantia desinente euanescenteq;, verum ac reale Iesu Christi corpus in augusto hoc Sacramento produci: Quod Psalmographo adeo nouum & inusitatum videtur, vt in eo diuinorum mirabilium compendium situm esse iudicet: quod jam in thema quotidianum sumpsimus, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus*. Tertium vobis hodie mirabile productus, primo quid de hac nostra transsubstantiatione aduersarijs videatur, proferam, quænam deinde Catholicorum circa illam sententia sit explicabo.

Rom. 4.

II. Hæretici transsubstãtiationis verbum detestantur.

Quod ad primum igitur spectat, sacrosanctum & diuinum trãssubstantiationis vocabulum non tam à Catholicis in pretio & veneratione habetur, quam hæreticis odio & detestationi est. Solent dæmones sanctissimo Iesu nomine audito percelli, consternari, & perterreri, & ministri putatitij illi reformatores, dum transsubstantiationis vocabulum legunt vel audiunt, quæ tamen Christũ in Eucharistia sistit & præsentem exhibet, præ rabie ac furore emoriuntur & efferascunt. Tradunt qui de animalium natura scripsere, Tigrim

Tigres efferascunt viso colore rubro.

grim animal ferocissimum simul & velocissimum, rubicundo colore viso efferascere ac rabire, elephantes quoq; viso sanguine ferociores euadere, & animosius in vulnera ruere. Testantur hoc Machabæorum monumẽta, in quibus legere est, *Et elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendos eos in prælium.* Ita quoque ministri, qui in Ecclesia tigrium aut elephantorum more debacchantur ac furunt, quamprimum vt transsubstantiationis vocem intelligunt, in qua rubicundus Iesu Christi sanguis in Eucharistia adoratus conspicitur, excandescunt, efferascunt, & rabie fera corda tument, & motus excitare incipiunt.

1. Mach. 6.

Exod. 14.

Veteres Hebræi idololatriæ dediti, & aduersus superiores murmurare soliti, loquentem Dominum audientes emori se dicebant, atq; adeo Moysen allocuti aiunt, *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quam præclarum Domini verbum est transsubstantiatio! Reformatores nostri, libertatem crepantes, & aduersus Ecclesiæ Præsules insolescere murmurareq; edocti, vt qui maxime, illud ipsum audire nequeunt, nisi emoriantur, quare furunt, indignantur & extabescunt, dũ tam admirabilem diuinamq; actionem peragi audiunt.

Exod. 20.

Act. 7.

Athenienses Philosophi Paulum de resurrectione mortuorum disserentem dum audirent, dicentis orationem explodebãt, & fabulam sibi occini credebant, quum tamen rem illis certissimam exponeret. *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam irridebant.* Ita quoq; hodierna die, dum Pastores & Ecclesiæ Doctores coram hæreticis argutantibus, sophisticeq; agentibus, de admirabili hac actione disserunt; explodunt omnia, mendacij accusant, & idololatras nuncupant.

Ibid.

Transsubstantiatio hæreticis barbara est.

Nefarium igitur & malignum hoc esse verbum jactant, verbum primitiuæ Ecclesiæ inauditum, nec vsquam in sacra Scriptura reperibile; verbum portentosum, paradoxum, barbarum, verbum quod velut pestem & grãdinem totius Christianitatis autumant, verbum, quod velut fulmen, flagellum, & communem totius hæreseos ruinam ducũt. Hinc est, quod tantopere hoc detestentur, tantis viribus aduersus hoc connitantur, & omni animi contentione è mundo id satagant proscribere, omnemq; illius memoriam penitus abolere.

Primum quod Antiochus Tyrannus è templo Salomonis abstulit, fuit altare sacrũ, & mensa panum propositionis, *Et accepit altare aureum & candelabrum luminis, & vniuersa eius, & mensam propositionis.* Sic primum, quod sacrilegi & profani hæretici Ecclesiæ surripere & auferre conantur, altare est sacrificij Missæ, & sacra Eucharistiæ mensa; quod vero transsubstantiatio vtriusque fundamentum sit, & vtriusque realitatem in apertum producat, idcirco omni ratione in illam deseuiunt, & tantum illam delere & euertere, quantum nos tueri ac propugnare contendimus.

1. Mach. 1.

Transsubstantiatio Eucharistiæ fundamentum.

Caluinus homo omni flagitiorum genere coopertus, Ecclesiæ flagellum, omne virulentiæ, calumniæque genus aduersus illam euomit, & illius honorem extinguere, gloriã obscurare, decus denignare, & apud Christi fideles eandem traducere, conuitiarique gestiens, incantationem, fascinum, & diabolicam illusionem nuncupat, quod sensus eam comprehendere, oculi videre, nec mirabilia illius inuestigare ingenium possit. O effrontem calumniatorem! ô impiam & sacrilegam linguam! Quid? quod videri hæc actio nequeat, ideone calumnijs impetenda? quod comprehendere impie non possis, ideone sacrilego dente proscindes? An non enim & alia sunt, & quidem in rebus naturalibus, quæ, quamuis sensus nequeat cognoscere, nec ad veram illorum causam pertingere, vera nihilominus, certissima, & fieri naturaliter solita. Viditne vnquam sensus conuersionem illam; quæ in baptismo peragitur, qua ablutus à statu prævaricationis ad gratiæ commutatur? Quis vidit vnquam mutationem, conuersionemq; illam, qua in stomacho cibus digestus in carnem sanguinemq; conuertitur?

Lib. 4.

Conuersiones naturales, quæ videri extetrius nequeunt.

Viderene vnquam quis potuit conuersionem oui in auem, quæ intra eiusdem putamina peragitur, quam videre oculi, & sensus comprehendere nequeunt? Credimus tamen hæc omnia. In hoc vero Sacramento non credimus, quæ ad oculum non apparent,

Tho. VVald. to. 1. c. 68.

quamuis actio hęc altior, dignior & longe sit eminentior, omnem sensum, rationem, argumenta, & humanam imaginationem magno interuallo transcendens.

Ioannes VViclef etiam audacior & in blasphemijs euomendis impudentior hinc sacrilegum, & scelestum hoc argumẽtum elicuit; si vera foret transsubstantiatio, Christus foret malignus ille Deus, quem finxere Manichæi, quod ad nihilum reduceret redigeretq; bona; quæ bonus Deus creasset. Ita hoc Thomas VValdensis tomo secundo operum testatur.

IH. Blasphemię aduersus transsubstãtiationem.

Doctus hic miles & generosus doctor iam nuper excusus, in rupem hanc impingens, & cerũicem collidens, transsubstantiationis dignitatem comprehendere nõ valens, iniurijs illã & blasphemijs euertere & destruere molitur; ac velut draco quidam apocalypticus, egregiam hanc stellam Ecclesię nostrę firmamento auellere conatur, ac Rabsacis in modum blasphemans, admirabilem hanc actionem, monstrum, magiam, & chimaram appellat. Noctua hæc, in scripturis vt immunda iudicata, visus imbecillioris est, & ingenij lumen ad lucem & splendorem mysterij huius percipiendum nimis debile habet. Quare nõ insscite de illo ac reliquis in genere Ministris dicere licet, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, id est, Iesus Christus lux mundi in obscuritate caligineque Sacramenti huius per transsubstantiationem relucet, & tenebræ, id est, Ministri hæretici, eã nequeunt comprehendere. Quid est autem causæ, cur tanto verbum hoc odio prosequãtur hæretici, itaq; detestentur? quod scilicet illorum malitiam peruersitatemq; denotet, hæresim, dogmata, errores sugillet; denique quod vnica vox hæc omnes eorum minas explodat & euanidas reddat, quod aperte exponat, quidquid de hoc Sacramento credendũ est, quod realem, veramque corporis Christi in Eucharistia præsentiam explicet, astruat, & definiat. Cum enim de Transsubstantiatione loqui audio, quamprimum sine figura, sine falsitate, sine ambiguitate, intelligo, credo, confiteor Iesum Christum in Sacramento contineri, panisque substantiam in corporis illius substãtiam commutatam esse: quod vero vocabuli huius splendor lippientes caligantesq; noctuarum harum oculos feriat, & filij tenebrarum ad radios hosce conniueant, hinc est quod ipsum detestentur, abhorreant, & nonnisi blasphemijs calumniisque excipiant, ac virulento dente proscindant.

Apoc. 12.

4. *Reg.* 18.

Ioan. 11.

Cur hęretici oderint transsubstãtiationem.

Ita olim Arriani vocabulum illud ὁμοούσιον *consubstantialis*, quod trecentorum octodecimque Episcoporum autoritate inuentum, vsuque & stabilitum est, & in Nicæno concilio promulgatum; Nestoriani quoque verbũ Θεοτόκον *Deipara*, quod Ecclesiæ prudentia & conciliorum consilio ad hæreticorum fraudes dignoscendas, & veram Catholicorum fidem stabiliendam introductum, detestati sunt. Dicere v. verbũ hoc in scripturæ lexico nõ reperiri nihil euincit, hæc quippe omnium semper fuit hæreticorum expostulatio, nec plura alia verba, qualia *Trinitas*, ὁμοούσιον, Θεοτόκον, in sacra scriptura reperiuntur, ea tamen magno in honore habet Ecclesia, ac velut symbola & tesseras ad inimicos suos dignoscendos.

Vocabula à conciliis inuenta ad hę reticorum errores detegendos.

Milites Iephte, Ephratæis profligatis & subactis, omnem Iordanis ripam & pontes obsidentes, & valido præsidio communientes, non alio indicio hostes suos dignouerũt, quam verbi *Schibboleth* pronũtiatione, quod spicam denotabat; quod cum Ephratæi debite commodeq; pronunciare non possent, sed blese *sibboleth* efferrent, velut hostes symbolum ignorantes mactabantur. *interrogabãt eum, Dic ergo, chibboleth, quod interpretatur spica: qui respondebat sibboleth, statimq; iugulabant in ipso Iordanis transitu.* Vox transsubstantiatio vera tessera & schibboleth Catholicorum est, cum frumentum, spicam, & animarum cibum denotet, ac per hanc Catholici in Ecclesiæ militantis castris, nouos Ephratæos, postquam fidelium castra fugiendo, palandoque deseruerunt, dignoscunt ac distinguunt.

Iudic. 12.

Transsubstantiatio tessera Catholicorum

Isaac Patriarcha cum senio grauis lecto decumberet, oculique illius caligarent, è voce quamprimum Iacob filium agnouit, quãuis habitum & schema esset eminentius, & Esau se diceret, *Vox quidem Iacob, manus autem*

Gen. 27.

tem Esau. Non aliter etiam bonus ille Isaac, magnus ille ac prudens Ecclesiæ Patriarcha, & Pontifex, iam senex, ob sæculorum, annorumque numerum, quo Ecclesiæ suæ durauit imperium, illos vt filios habet, qui de transsubstantiatione loquuntur, eumque in hoc mysterio profitentur, quamuis interdum aliam formam induant, & peccatoris habitum, quo omnino profanus est, assumant, hæretici vero qui eamdem abhorrent & fugiunt, velut adulterini spurijque habentur (*gens praua & adultera*) Hæc scilicet tessera est, è qua fideles dignoscuntur.

Durante Pharaonico iugo, & strage Angeli exterminatoris desæuiente, electus Dei populus Hebræi ab Angelo internoscebantur, quod superliminaria domorum & postes illorum agni immolati sanguine respersi essent; Ægyptiorum vero barbarorum & idololatrarum hoc signum non præferrent, *Exod.*12. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis* Ad eundem modum in Ecclesia, sæuiente Satanæ tyrannide, & hæreticorum persecutione, quamprimum Catholici dignoscuntur, populus Dei electus, quod animam pretioso Iesu Christi, agni immaculati sanguine tinctam habeant, & os transsubstantiationem spiret ac sonet; profani vero & infideles Caluinistæ, quod vtroque careant. Signum illud vitæ conseruationis Israelitarum fuit argumẽtum & nota, hæc vero salutis, & prædestinationis certitudo in fidelibus, & Cathoñcis.

Transsubstantiatio signum salutis fidelium.

Hæc est quæ aduersarios nostros cogit efferascere, & ad mendacia, & falsitates male concinnatas confugere. Lutherus omnesque Protestantes, nonnisi merum Innocentij III. qui Ecclesiæ præsedit anno Domin. MCCXV. & sancti Thomæ Aquinatis, qui natus est anno MCCXXIV. inuentum esse docent. Petrus Martyr libro contra Stephanum Gardinerum vocabuli huius authorem inuentoremque comminiscitur Innocentium tertium & Concilium Lateranense, tum ob nomen, tum etiam ob rei ipsius respectum. Caluinus libro quarto Institutionum suarum dicere non veretur ante Diui Bernardi tempora vocabulum hoc

De captiu. Babyl. c.1.

Obiect.12 8.

6.16.§.15.

hoc mundo incognitum & inusitatum fuisse. Martinus Kemnitius, alijque recentiores nebulones, in mendaciis procudendis etiam impudentiores, stupidiores tamen & ignorantiores, dicere audent, tempore Petri Lombardi, quem Magistrum sententiarum vocant, nihil adhuc certi quoad transsubstantiationem decretum fuisse ac definitum.

2.p.exam. Conc.Trid. sess 2.c.4.

At cur tam sæpe in verbum hoc desæuiunt? quid refert, nomen hoc nouum sit an vetus? cur tantopere in nomine, qualitate, natura, exordio, origine illius inuestigandа laborant? cum quod denotat, cum ipso Sacramento esse cœperit, & non prius institui, quam Sacramentum fuerit institutum. Quid refert, eodem veteres vsos non fuisse, & primitiuæ Ecclesiæ tempore eius nomen obscurum fuisse, & nonnisi post aliquot sæcula productum? ideone de rei veritate dubitandum? ideoque abhorrendum, calumnijs proscindendum, maledictione blasphemijsque excipiendum? Quis dicere scribereve Cosmographus audeat, Indiam occidentalem non nisi ab hinc centum annis exstitisse, ex quo Americæ ei nomen inditum? Quis Theologus, nisi Arrianorum sequi partes velit, docere præsumat, Christum non prius consubstantialem Patri esse cœpisse, quam post suum ad cœlos adscensum, quod tum primum nomen hoc illi inditum fuerit? Ad eundem plane modum, quis adeo stupidus & iners futurus, qui quod vocabulum transsubstantiationis nouum videat, & recenter inuectum, hinc inferre docereq; velit rem quam designat, etiam nouã & recentem esse? Abusus est, error, mendacium, ac blasphemia.

Nomen transsubstantiatio nihil refert vetus sit an nouum.

Vt verum dixisse me profiteamini, bina illorum argumenta potissima depromam, quibus omnem suam opinionem tuentur, quibusque hæresim stabilire & transsubstantiationem conuellere se posse iactant, sed hanc propugnaturus, illam vero euersurus vtrique respondebo, & oppugnabo quam possim validissime. Primum argumentum hoc est: panis omnino desinere esse non potest, aut naturam suam exuere, quin pereat & in nihilum recidat: atqui quod in nihi-

Argumenta hæreticorum.

lum redactum est, in aliam conuerti & transire substantiam nequit, ac proinde non transubstantiari: vanum ergo & futile huiusmodi transubstantiationem in Eucharistico Sacramento effingere. Respondeo: non ideo panis corruptus est, aut in nihilum redactus: quamuis enim post consecrationem panis nihil sit, tamen id, in quod conuersus est, non est nihil, & hoc non dicitur in nihilum redactum, quod nihil in se manet, sed quod desijt, & ad nihilum tendit, adeo vt terminus & finis actionis, qua esse amittit, nihil omnino sit: alioquin aqua, quæ in vinum à Iesu Christo in nuptijs Cananæensibus conuersa fuit, annihilata fuisset. Atqui in hoc Sacramento actio, qua panis desinit esse, terminum vere realem habet, qui corpus est Domini in Eucharistia, atque ideo non est, nec esse potest hic annihilatio.

Non est in hoc Sacramento annihilatio.

Secundum, sensus circa substantiam & propria obiecta decipi nequeunt, atqui in Eucharistia esse censent panem; & veteres etiã Patres aduersus Manichæos similesq; hæreticos proarunt, Christum vere hominem fuisse, quod comederet, biberet, dormiret, defatigaretur; quæ omnia sensibus percipiuntur. Ita quoq; in Eucharistia non nisi panem esse iactãt, quod hic odor, sapor, color & vera panis figura appareat, atque ideo transubstantiationem hanc fidei præiudicare, & hæreticis fauere, magni momenti hoc argumentum credebat Wiclef. asserebatque vere credi oportere panem esse, cum id ita sensus iudicarent: imo & animalia, ac mures inprimis ipsum nobis demonstrarent, qui hunc velut panem deuorabant, eoq; nutriebantur.

Apud Tho. Waldensem to. 2. c. 45.

Hæc si obiectio aliquam veri habeat similitudinem, maiorem etiam habebit responsio: quapropter dico, primo sententiam illam & axioma Philosophorum, sensum in proprio obiecto scilicet errare non posse, veram esse, sed multis limitationibus opus habere. Primo vera est de obiectis per se, id est, de accidentibus, non vero de substantia, quæ nonnisi per accidens sensuum obiectum est; atque hinc fit, homines sæpe in substantiarum sensibilium cõsideratione falli, vt cum mistionem quid esse putant, nonnisi mera glacies est. Secundo vera est de obiecto proprio, non vero contrario & alieno; quare sæpe sensus falli contingit, vt circa stellarum magnitudinem, baculum intra aquas delitescentem, & circa nauigationem, in qua arbores progredi per agros & moueri videntur. Tertio locum hoc habet in obiecto proprio, cum medium & organum bene sunt dispositi; alioquin enim & in proprio obiecto falli possunt, vt quando trans medium aliquod viride videmus, tunc enim quidquid apparet, viride apparet. Hæ sunt igitur impostura & male consuti errores puratitiorum Reformatorum nostrorum, quos his euertim⁹ & profligauimus; iam quæ fidei sunt Catholicæ tela, depromamus, & veritatis causam agamus, ac transubstantiationis partes defendendo, Catholici vt sint superiores, efficiamus.

Sensus in proprijs obiectis falluntur.

Catholica credit Ecclesia, auditores, rationem ob quam verum Christi corpus in Eucharistia sit, non esse quamdam annihilationem, non corruptionem, non assumptionem panis ad personam verbi, non vbiquitarem, non simplicem & velut localem panis cum corpore vnionem, non deniq; partialem panis in corpus mutationem, sed totalem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Iesu Christi cõuersionem, quam in puris terminis transubstantiationem dicimus. Quod verbum Ecclesia à Spiritu sancto instructa adinuenit, ac sapienter introduxit, ad inimicos propulsandos, & veritatem, sacraque Eucharistiæ mysteria edocenda: sine quo verum horum intellectum inuenire nõ possemus.

Quid credat Ecclesia de transubstantiatione.

Manna cum in Sinaico deserto pluere t, exclamauit populus admirans Hebraice *Manhu?* quid hoc? quænam hæc miracula? quæ prodigia? Interuenit admirationi ac stupori huic Moses, atque huius cœlestis pluuiæ mox rationem edocuit, dicens, *Hic est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Mose populi duce rem adaperiente didicere, quod sensu exteriori comprehendere non poterant; manibus quidem manna contrectabant, oculis videbant, quin & lingua palatoque gustabant, quid tamen

Exod. 16.

& vn-

& vnde veniſſet, mens illorum comprehendere non poterat, ſed Moſe docente ad veram rei huius cognitionem peruenere, auditu; tandem quid eſſet, percepere. Docuit illos doctor, quod proprio Matre ingenioque comprehendere nequibant. Ad eumdem modum, cum manna hoc cœlicum ſuper altare noſtrum deſcenderet, omnes oculos & corda aperiebat; videbat colorem oculus, figuram tangebat manus, guſtus ſaporem inueniebat, odoratus quid olfaciebat; ſed ſola mens & intellectus hic hærebat & ſtupebat, nemoque myſterium hoc poterat percipere; donec tandem Eccleſia cum Moſe ſuo, Pontifice, ſuorum omnium fidelium duce ac Paſtore, concilijs præſidente, tranſſubſtantiationis vocabulo adinuento, vnumquemque docuit, & indubitate, certoq; credere coegit panem eſſe angelicum, corpus & ſanguinem Domini, quod Deus nobis ſub panis & vini ſpeciebus ad animarum noſtrarum alimentum elargitus eſt. Quod igitur proprio ingenio induſtriaq; comprehendere non potuimus, Eccleſia velut eruditiſſima quædam magiſtra nos edocuit, & fides, quæ ex auditu ipſum complecti & intelligere facit.

Docuit nos Eccleſia myſterij huius myſteria.

Egregia hoc figura è libro Iudicum deprompta faciet manifeſtius. Sampſon poſtquam in agro leonem interfeciſſet, ænigma hoc Philiſthæis propoſuit, *De comedente exiit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*: quod nemo illorum exponere potuit, quamuis ſeptem ipſos cogitaſſent dies: ſed cum rei difficultate perſpecta diffiderent, vxorem illius ſunt aggreſſi, dicentes: *Blandire viro tuo, vt indicet tibi, quid ſignificet problema.* Quamobrem mulier precibus & importunis Philiſthæorum petitionibus ſollicitata à marito hoc poſtulauit, & obtinuit; illa petitoribus expoſuit, quod prius Sampſon illi. Ieſus Chriſtus, Sampſon noſter cœleſtis, Sacramentum hoc vniuerſo mundo velut problema reliquerat, quomodo ſcilicet is, qui leo rugiens, & Deus zelotes erat, iniquitates Patrum in filijs ad quartam vſque generationem vindicans pro nobis ſit mortuus, & cibus factus, & ſane nemo id noſtrum ſine ſponſa Ieſu Chriſti, quæ Eccleſia eſt, id poterat comprehendere, quæ cum id à ſponſo ſuo didiciſſet, omnes deinde Chriſti fideles edocuit; à Deo ſcilic. omnis rei huius cognitio dependet.

Iudic.14.

Apoſtolus gentium Paulus hoc nomine gloriatus apud Corinthios magni ſe faciebat, quod hoc edoctus eſſet myſteriũ; quod tamen non ingenij acumine, non vi argumentorum, non rationis ſenſu, inductioneue, non per ſenſuum iudicium, ſed immediate à Deo & ſingulari illius dono gratiaq; edidicerat, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*; Quaſi diceret, nolite cogitare, quod quæ de Sacramenti huius inſtitutione dixi, in ſcriptis meis priuato ſtudio vel Philoſophorum veterum placita conſulendo didicerim; nequaquam, ſed Deus ipſe primus horum mihi cognitionem impertiuit, hæcque vt crederem fides effecit, fide ſiquidem Sacramẽtum hoc percipitur, rationem vero conſultando, humanaque curioſitate inueſtigando longe fit obſcurius. *1.Cor.11.*

IV.

Manna quamdiu populus in deſerto Sinai agebat, perq; ſolitudinem vagabatur, noctu & ad lunæ ſtellarumq; ſubobſcuram claritatem integrũ erat, at mox vt ſol oriebatur diei luminiſque præſes, putreſcebat, & corrumpebatur: quæ allegoria docet, Sacramentum hoc ſub obſcura fidei claritate guſtãdum eſſe & quicumq; naturali hoc lumine percipere & intelligere ſatageret, ipſum quamprimum amiſſurum. Ita fides hoc nos edocet, ita Eccleſia à ſpõſo ſuo illuſtrata id exponit, nihil vero vt omittat illorum, quæ ad hoc vlla ratione ſpectant, verbum tranſſubſtantiatio reperit, quod cætera quam maxime exponit, verbum inquam, quod mutationem, conuerſionemque ab vna ſubſtantia in aliam ſignificet: adeo vt poſt conſecrationis verba prolata nihil è panis viniq; ſubſtantia ſit reliquum, ſed ipſum Chriſti corpus ibi duntaxat reperiatur. *Exod.16. Num.11.*

Quatuor ad veram conuerſionem neceſſaria ſunt.

Ad hæc autem omnia intelligenda ſciendum; ad veram conuerſionem quatuor imprimis requiri: primo vt aliquid eſſe deſinat, neque enim credibile eſt, aliquid in aliud quid conuerti, niſi quod conuertitur, eſſe

quod

Lib. 18. *c.* 18. quod prius erat, desinat. Atque ideo Diuus Augustinus in libris de ciuitate Dei negat veras conuersiones fuisse, quas olim Magi in Ægypto fecere, aut quas stulta iactauit de dijs suis antiquitas, velut Arcadum in lupos, sociorum Vlyssis in porcos: dæmonum enim adminiculo quamprimum hi oculis hominum eripiebantur, & alia in eorum locum substituebantur. Deinde vt aliud quid in locum eius, quod esse desijt, succedat, alioquin non conuersio, sed corruptio foret vel annihilatio, si finis & terminus rei huius ipsum nihil & non esse rei esset. Tertio certa requiritur connexio, & dependentia inter desitionem vnius & successionem alterius, adeo vt vnum esse desinat, aliud vt succedat, & desitionis huius virtute ipsa fiat successio. Mihi enim hæc esset connexio, non esset actio, quæ conuersio diceretur, sed duæ distinctæ actiones, per accidens sibi mutuo inhærentes, quarum vna annihilatio, altera creatio dici posset. Quarto, vt duo termini, tam à quo, quam ad quem vere sint positiui. In hoc enim vera conuersio non modo à creatione, & annihilatione quid distinctum est, sed etiam à conuersionibus naturalibus, quamuis ex vno aliud quid penitus diuersum constituatur, velut ignis ex aere, & è terra aqua. Quæ quatuor quoniam in admirabili illa actione, quam transsubstantiationem dicimus, concurrunt, hinc vera quædam conuersio est, quæ panis substantiam emigrare & desinere compellens, Christi corpus vere præsens in Eucharistia reddit: quamuis autem verbum hoc non semper in Ecclesia vsitatum fuerit, nec in tam manifesta significatione apud Patres veteres, quam hodierna die vsurpatum, quod tamen per eandem denotatur, adeo vetus & antiquum est, ac sic tamentum ipsum, quod exprimit.

Transsubstantiatio vera conuersio.

Transsubstantiationis vox noua, sed significatio vetus.

Hoc ita esse qui negarit, consulat Patres Græcos, videbitque illos, rametsi eodem vsi verbo non fuerint, similibus tamen vsos & æquipollentibus. Origenes imprimis vsus est voce, γινεσθαι, id est, *fieri*, ἐδώμεν ἄρτους σῶμα γινομένους, id est, *comedimus panes corpus tam factos*. Gregorius Nyssenus quodam loco de hac conuersione agens vsurpat verbum μεταποιεῖσθαι, id est, *transformari, transmutari, conuerti*. Theophylactus auctor est verbi, μεταστοιχειοῦσθαι, *transelementari*, id est, penitus mutari ad prima vsque elementa. Apud alios reperire est verbum μεταβάλλειν, quod denotat *mutationem*. Patres vero Latini, vt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, & alij, vsurparunt verba Græcorum verbis adamussim in notione respondentia, vt *fieri, mutari, &c.* quibus idem efficias ac verbo *transsubstantiari*. Qui enim comprehendemus, aliquid mutatum, transformatum, conuersum, & transelementatum esse, nisi vna substantia in aliam commutetur? Nihil minus, Auditores, prodigiosa hæc actio ac nomen hoc cœlo delapsum nouum non est, sed vetus, de quo omnes omnino Patres locuti sunt, quod sæcula præterita cognouere, quod sex vniuersalia concilia, Vercellense, Turonense, Lateranense sub Innocentio III. præsentibus M. C C. LXXXV. Patribus collectum, Romanum, Basileense, ac iam nuperrime Tridentinum ad hæreticos confutandos vsurparunt.

Transsubstantiationis vox à Concilijs cõfirmata.

Conuitientur igitur pro viribus hæretici & quot libuerit, iniurias calumniasq; aduersus transsubstantiationem hanc eructent; non ideo tamen minus eandem credemus, at quam possumus maxime exaltabimus; ipsi negant, quod impossibilem eam credant; nos vero ideo illam confitiemur, quod Deo nihil esse putemus impossibile. Ipsæ ad hæc rationes nobis id persuadent, & reipsa ad oculum id videre possumus; quarum aliquas iam producam, ostendamque Deum in actione hac suam ostendere potentiam, quod occulta quadam operatione, per sacerdotis verba panis substantia ab accidentibus sequestrata in corpus illius mutetur, quod per puram aliquam creaturam fieri nequit. Prima itaque sit:

V. Rationes ad transsubstantiationem adstruendam.

Si in sacramento hoc vera non esset substantiæ vnius in aliam conuersio, id est, trãssubstantiatio; & si vna cum Domini corpore panis substantia sub eisdem maneret accidentibus, periculum esset, ne in idololatriam imperitiores inciderent, panem adorantes, qui nonnisi pura creatura. Illi enim non

1. Ratio.

distin-

distinguunt, sed simpliciter quod sub speciebus continetur, adorant & venerantur: ad huiusmodi igitur cauenda pericula, & Dei verbo credendum, certissime tenendũ Iesum Christum verba illa proferentem, *Hoc est corpus meum*, voluisse, omnes vt crederent, per hæc verba panis substantiã in corporis transmutatam.

Secunda. Secundam hanc pono: si in sacramento hoc alia non esset mutatio, & panis substantia ibi adhuc remaneret, corpus Domini nemo sumere posset, nisi ieiunium frangeret, quod Apostolicæ tamen, teste Augustino, constitutiones vetant; ijs quippe decretum est, vt non nisi à ieiunis corpus Domini sumatur, tamen iam à mille & amplius annis in Ecclesia consuetudo inualuit, vt sacerdotes in festo natiuitatis Dominicæ triplex sacrum celebrent, vt è Gregorio constat: è quo efficio, ieiunium triplici hac sumptione sacramenti non violari, ac proinde non esse hic panem, sed transsubstantiationem factam.

Inepist. 117. c. 6.

Homil. 8. in Euangelia.

Tertia. Succedat tertia. Actionis huius nouę possibilitatem Patres ex ipsa creatione mundi astruunt: si enim volente Deo omnia ex nihilo cõdita sunt, fieri etiam potest, vt è pane corpus Domini virtute diuina fiat: minoris enim laboris videtur in quid aliud, quod iam factum est, conuertere, quam quid è nihilo producere. Ratione hac vsi sunt, sanctus Hieronymus tomo secundo in sermonibus de Vener. Eucharist. S. Ambrosius libro quarto de Sacramentis, Chrysostomus in cap. 26. Matthæi, & Ioannes Damascenus, qui postremus rationi huic robur additurus exemplum adfert de igne Eliæ, *si tantum*, inquit, *valuit sermo Eliæ vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum?*

Cap. 4. Lib. 4 c. 4.

Quarta. Quarta sit hæc. Admirabile op⁹ hoc hominibus persuasurus Deus, non modo iam olim & longo ante tempore figuras produxit, vt quando Moses in Ægypto virgas in serpentes, aquas in sanguinem cõuertit: Iosue vero in Iudæa solem in medio cœlorum axe properantem stitit: verum etiam paulo prius, quam sacrã hanc cœnam institueret, potentiam suam excitauit, omnes vires suas produxit, maioraq; miracula patrauit; paulo enim ante Lazarum à mortuis suscitauit, magnum hoc epulum circa mõtem instituit, in quo quinq; hominum millia exiguo quinq; panum commeatu pauit, aliaq; similia. Euangelista quoq; priusquam referret ea, quæ in sacramenti huius institutione transacta erant, hac præfatione velut Lectorem præmonens, vsus est: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.* Ipse quoque institutor non sine insigni prudentia, non prius sacramentum hoc instituere voluit, quam Apostolorum omnium nomine confessus esset Christum Petrus, velut in fide confirmatus, sciens nempe, sine hac nihil hic omnino intelligi posse.

Exod. 4. & 7. Ios. 10.

Matt. 16.

Quinta addatur hęc. Satanas Dei filium ie- Quinta.
iunantem in deserto Palæstinæ tentaturus, potentiæ illius periculum facturus ait, *Dic vt lapides isti panes fiant*, credebat siquidem illum, si Dei filius esset, lapides in panem posse conuertere, quod sine transsubstantiatione fieri, aut cogitari non potest: illi igitur dæmone nequiores sunt, minusq; fidei habent, simile quid in Eucharistia peragi qui credere nolunt. Huc vero respexit Dominus, cum Iudæ infidelitatem debilemque fidem perspectam habens, qui cum Capharnaitis, Christum vere in Eucharistia posse contineri, credere non poterat, diabolum eum nuncupauit, *Nunquid vnus ex vobis Diabolus est?*

Matth. 4.

Ioan. 12.

Claudat agmen sexta. Veritatẽ hanc con- Sexta.
firmamus Orientalium Christianorum censura in confessionem Argentoratensem. Non sine diuina enim prouidentia factum, vt Lutherani, acerrimi transsubstantiationis aduersarij, ad perpetuam sui infamiam, inimicos nostros iuratos cõtrouersiæ inter nos & se ortæ diremptores iudicesq; habere voluerint. Quapropter ad Constantinopolitanum Patriarcham, Ieremiam nomine, Argentoratensem hanc confessionem misere, qui loco approbationis grauissimam & acerrimam aduersus eandem censuram misit, in qua plurimis articulis illam falsitatis coarguit, ac præsertim in decimo, qui de cœna Domini agit, in qua Græci transsubstantiationem confitentur, atque inter cætera do-

cent, Christi corpus cœlo non descendere, vt in Eucharistia sit præsens, sed transmutatione quadam & transitione panis in corp⁹ Christi præsens adesse. An non rationes hæ prægnantes & luculentæ? Eritne igitur aliquis qui de veritate mysterij huius dubitare audeat; atq; aduersus actionem tam honorabilem admirabilemq; blaterare præsumat, eiq; calumniari? nemo profecto nisi hæresin sapiat. Hic quippe illorum cicuta, & elleborum, hic insaniunt & efferascunt, hic furunt & rabiunt. Arca Domini dum Ierichuntinos muros forinsecus obiret, illi mox ad terram collapsi liberum Israelitis aditum præbuere, adeo vt lapides ipsi consternati & perculsi fuisse videãtur: ita quoq; hisce temporibus hæretici, videntes sacramẽtum hoc, veram inquam fœderis arcam à fidelibus honorari, coli, per vrbium compita circumferri, & in supplicatione velut verum Christianæ Religionis obiectũ portari, contremiscunt & anguntur: quod etiam egre ferant, nos hoc tantopere delectari, gaudereque hinc est, quod tam acriter aduersus transsubstantiationem insurgant, eiusq; gloriam impugnent.

Nos vero qui eandem credimus, illam p dignitate laudamus & extollimus, credimusque hoc in figura olim Esaiæ Prophetæ demonstratum. Dominus quippe magnum volumen ostendens ait, *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare.* O mysteria! magnũ hoc volumen sacramẽtum denotabat, quod tres complecteretur paginas, Christi scilicet animam, corpus ac diuinitatem, paginas inquam, quæ sacramentum hoc & panis vinique species vt cooperculũ habent; liber hic scriptus est stilo hominis, quod Dei filius eodem vt homo contineatur & inscript⁹ sit; in eodem quoque sunt verba, *velociter spolia detrahe, cito prædare*; quod post consecrationem velociter panis & vini substantia detrahenda sit accidentiaq; auferenda. Vnico nãque momento panis essentiæ expers redditur, accidentia subiectum amittunt, qualitas extensione caret, adeo vt vbique & in omnibus hic appareat prædatio & ablatio. O actionem mirabilibus plenam! ô mysteria incomprehensibilia!

Isa. 8.

Quamobrem, Auditores, trãssubstantiationem credentes, rem ipsam adoremus, auctori illius gratias agamus, & æternas illi gratiarum actiones depromamus? *Nunquid rugiet onager*, inquit Iob, *cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe steterit?* quasi diceret, animalia domestica simul & siluestria, & fera, quieta sunt, nec rugiunt, cum læta affulgent pascua aut prædia. Quid ergo, vt hoc alio sensu & parodice exponamus, an nõ quietam pacatamque vitam aget homo? an non Deum oppugnare diu exarescet; desinet? an nõ quiescet, cui Angelorum Deus in cibũ cesserit, quiq; quotidie non præsepi alicui, vt iumentũ astare, sed Dei sui mensæ assidere potest panem manducans Angelorum? præclara hæc & eximia considera anima mea, hæcque mirabilia admirare. Cap. 8.

Hebræi veteres, quod carnem à Deo in escam nõ accepissent, insurgere aduersus Moysem & Aaronem cœpere, & tollere cornua, dicentes, *Anima nostra arida est, quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Cum vero Christiani ipso Domini pascamur corpore, nostrum est non murmurare, cauillari, & Iudaico more in benefactorem ingratos esse, sed immortales illi gratias agere, & cum Psalmographo dicere, *Quam magnifica sunt opera tua Domine, omnia a te exspectant, vt des illis escam in tempore: Quis similis tui, magnificus in sanctitate?* Num. 11. Psal. 103.

Nullus omnino Domine; nec vllus reperiri potest, vel vmquam poterit. Tu enim magnus ille œconomus & dispensator, qui omnes creaturas tuas splendide liberaliterque enutris, cuiusque mensa omnibus omnino hominibus patet & exposita est. Tu siquidem Angelos reficis in cœlo gloria inebriando; animas in purgatorio, spe & consolatione pascendo; homines in hoc mundo, mensa & cibo Eucharistico illis robur suppeditando. *Quam magnificata sunt opera tua*, quam actiones tuæ admirabiles! & inprimis illa, quæ hoc in Sacramento perspicitur, quam transsubstantiationem nuncupamus: per hanc enim hic præsens fisteris, inque Sacramento contentus: Creatio octo dierum spatio creaturas omnes in aciẽ produxit, & in naturæ theatro spectandas dedit,

at

at transſubſtantiatio creatorem omnium vnico momento intra ſacerdotis manus præſentem ſiſtit. O mirabilia! ô opera ab omnipotentis manu profecta. Tu vero omnipotens & æterne Deus, quem actionis huius virtute in altari noſtro adoratum cernimus, gratiam nobis elargire, vt poſtquam te hic præſentem viua fide nouerimus, tandem te in æterna gloria videre mereamur, ad quam Pater, Filius, ſanctiſſimuſq; Spiritus nos deducant, Amen.

CONCIO QVARTA.

DOMINICA INFRA OCT. VEN. SACRAMENTI.

QVARTVM MIRABILE.

De admirabili epulo ac cœna, quæ in Euchariſtia paratur.

Partitio.

1. *Quod ſumma Dei liberalitas in hac cœna præcipue reluceat.*
2. *Quis, quos vocet ad cœnam: & cur ſic dictam?*
3. *Cœna cur magna dicatur?*
4. *De inuitatis ad hanc generatim diſputat.*
5. *De negligentibus cœnam, cumque mundo prandentibus.*
6. *De vecordia cœnam hanc negligentium.*

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

FIGVRA.

Ioan. 6. PRÆCLARVM ſane ac diuinum miraculum fuit, Auditores, cum Redemptor, in monte Hermon, in quo nonniſi lapides & petræ, quinque hominum millia quinque panibus hordeaceis ſaturauit, atque ita ſaturauit, quinque vt cophini fragmentorum pleni ſint aſſeruati. Longe profecto maius miraculum eſt, quod hodie in Euchariſtia, in monte Eccleſiæ vnico pane cœlitus dato, & in carnem commutato omnes homines ſaturentur, & ſatis ſuperque etiam ſit reliquum, vt infiniti alij eodem paſcantur & reficiantur. Prius non niſi figura fuit & typus, alterum res & myſterium. Hic additi in obſonium duo piſciculi, hic duæ accedunt naturæ, è magno illo gratiarum Oceano, Deipara inquam Virgine, eductæ. Magnum illic conuiuium fuit, in quo campus & ager menſarum loco fuere, Apoſtoli diſpenſatorum, & Chriſtus ipſe conuiuij inſtructor & apparator, hic vero regificum inſtruitur epulum, in quo menſæ, altaria ſunt; miniſtri, ſacerdotes; œconomi, Angeli; cibus deniq; ipſe Dei filius. O epulum admirabile! ô conuiuium ſtupendum! ô cœnam magnam, cuiq; nulla vmquam par exſtitit! digne vt de eadem hodie loquar, egregieque vos excipiam, & miſſus palato non diſpliceant, ad Paracletum Spiritum me conuertam, illius gratiam, & Deiparæ patrocinium poſtulaturus; idcirco omnes Gabrielis paranymphi verbis eam ſalutemus.

AVE MARIA.

Philoſophorum Princeps Ariſtoteles, de virtute ſermonem inſtituens, eiuſque naturam exutiens in medio illam, vitia vero in extremis collocauit: *Virtus in mediocritate* I.
cõſiſtit. In homine quidem hoc locum habet, *Pſal. 23.*
cuius virtus medium non tranſilit, non vero in Deo, qui cum Dominus ac Deus virtutum appellatur {*Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ,*} omnes virtutes habet in exceſſu poſitas, & mediocritatis limites tranſilientes. Atque ideo magna illa mundi lumina Moyſes & Elias; cum in monte Thabor in die transfigurationis de admirandis ſtupendiſq; filij Dei virtutibus agerent, velut *de exceſſu*
rebuſque extraordinarijs, & non vulgaribus *Matt. 17.*
loquebantur.

Inter ceteras autem, quæ in Deo reſplendent, quaſq; illi attribuimus virtutes liberalitas illius excedens eſt, medium neſcit, & omne extremum transgreditur. Sapiens hanc, admirabilem magnificentiam appellat: *Ad-*

Eccl. 43. *mirabilis magnificētia eius.* Item Psalmista: *Magnificentia eius & virtus eius in nubibus.* Quodque inter paruos & humiles vitium videtur, ac prodigalitatis species; inter magnates & ditatos virtus est ac liberalitas; ac potissimum in Deo; nam quod nos excessum appellamus apud illum magnificentia est. An non excessiua quædam liberalitas Creatoris fuit, cum se exterius etiam communicare cupiens, tot tamque varia produxit, torque mirabilibus operibus stupendisque rerum naturam complcuit, eaque vni homini velut Domino subiecit? Magnificentiam hanc demiratus

Psal. 97.

Psal. 8. Psaltes exclamat, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra; quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.*

Hominis magnificentia in hominis nutritione.

In primis vero in hominis educatione cōseruationeque hanc suam liberalitatem magnificentiamque patefecit; quem quinque millium annorum spatio tam splendide tamque egregie enutriuit, numquam vt illum deseruerit, ex quo in se suscepit debito illum tempore enutrire. Quam magnificus hic Princeps est? Nihil in domo desideratur, semper illi de prouisione indeficienti prouisum est, maria illius penuaria sunt, agri horrea, causæ naturales annonæ præfecti, atque adeo orbis vniuersus illius culinæ. Quænam, obsecro, reconditoria sunt? terra cum vniuersis animalibus, aer cum omni volucrum cœtu, oceanus cum squamigeris ciuibus, & vniuersus orbis cum creaturis: & quo amplius de hoc vniuerso comeditur, quo plura etiam restant comedenda, è quibus voluptas hauriatur, at quænam illa culina, quæ tot conuiuas alumnosque vna excipit mensa, & eodem simul tempore?

3. Reg. 4. Salomonis expensa quotidiana.

Magni fit in scriptura Regis Salomonis mensa & sumptus quotidianus, ac velut mirum quid & rarū refertur, quotidie in omnes domesticos alendos triginta coros similæ, & sexaginta farinę, decem boues pinguiores, & viginti boues pascuos, arietes centū, excepta venatione ceruorum, caprarum, bubalorum, & omnigenum altilium insumptos fuisse. Ne quis me vero excedere putet, verba scripturæ producam: *Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, capriarum atque bubalorum, & omnium altilium.* Quin & œconomiam hanc expensamq; domesticam exaggerant scriptura œconomos ac præfectos ciborum singula quæque in tempore debito prouidisse ait & curasse, & inprimis, quę ad Principis mensam erant necessaria. *Sed & necessaria mensæ Regis Salomonis prabebant in tempore suo.* Oeconomia vero domestica sumptusq; quotidianus, qui in domo Dei ad hominis, ceterarumq; creaturarum alimentum expenditur, longe etiam mirabilior est, quot frumenti modij, quot vindemiæ torcularia, quantum carnis in macellis expenditur, quāta piscium piscatio, quanta animalium venatio, quantū auium aucupium ad hominem alendum, & Principis huius mensam instruendam necessarium?

Declaraturus hoc Deus, & magnificentiam patefacturus, in Leuitico præcepit, mensa tabernaculi sui semper vt recentibus panibus insterneretur, *Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt quas facies.* Panes hi propositionis semper recentes erant, singulisque Sabbathis mutabantur, vt ita cura sollicitudoque Dei, quam in creaturis enutriendis habet in hoc mundo, in quo mensa semper strata & cibis instructa, denotaretur. *Qui dat escam omni carni, &c.* & inprimis in Ecclesia, quam tabernaculum hoc denotat, in qua venerabilis Sacramenti mensa ad hominem enutriendum pascendumque instructa cernitur.

Leuit. 24. *2. Reg. 21.* *Psal. 135.*

Sponsa delicias domus suæ sponso recensens, ait in hortis suis tum nouos, tū veteres fructus reperiri: *In hortis nostris omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Per sponsam hanc Ecclesia Iesu Christi sponsa intelligenda, quæ ad delicias suas, non in hortis, sed in altaribus, & sacris mensis omne fructuum genus habet, tum nouorum, tum veterum, id est, tam sacramenta legis antiquæ, vel nouæ figuras, quæ fructus noui dici possunt; quam legis Euangelicæ, inter quæ ipsum Eucharisticum excellit; quæque

Cant. 7.

fru-

fructus recentes sunt & noui, ad hominem pascendum, curamq; Dei in hominibus enutriendis ostendendam destinati.

Apoc. 2. In extremo Apocalypseos vidit Ioannes juxta thronum agni arborem feracissimam, duodecies per annum fructum ferentem, cuiusque folia ægris sanitatem afferebant, *In medio platea eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ, afferẽs fructus duodecim, per menses singulos, reddens fructum suum.* Scio per arborem hanc à nonnullis Christum intelligi, perque duodenos fructus duodecim Apostolos, per folia morbos depellentia, sacram, quæ ore illius egrediebantur, doctrinam, quę mundo salutem vitamque comparauit: hanc expositionem sequuntur Beda, Rupertus, Richardus de S Victore, Haimo, Ioachim, alijque, in aliam viam concedunt alij. Equidem eius semper fui sententiæ, arborem hanc tam egregios & tam frequentes ferentem fructus magnificentiæ Dei eiusq;, quam de homine splendide in Ecclesia, cæterisque in mundo creaturis vulgari modo enutriendis habet, curæ figuram esse.

Ecquæ cura? quænam liberalitas? ecquæ Principis huius magnificentia? vix creatus erat mundus, & ecce herbis, fructibus, pomis bis mille annorum spatio pascit ad vsq; diluuij tempora: Gen. 2. *Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen, terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Deinde cum videret hominem nauseare superagresti hoc & arboreo ferculo, aliud parauit; & epulum instruxit longe abundantius, in quo omne animalium & piscium genus paratum: Gen. 8. *Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Cum iterum lautiores cibos homo quereret, nec animalium missus palato arriderent, mẽsamque feris instr. & im repudiaret, Angelorum ambrosia & nectare tandem pascere voluit, *Panem Angelorũ manducauit homo.* Tunc-que sacramentum hoc instituit, & tam lectissimum parauit ferculum, vt Psalmographus illius magnificentiam demiratus omnium id mirabilium diuinorum memoriam compendiumque dixerit, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, &c.* & in Euãgelio hodierno magna appellatur cœna, *Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.* Vere inquam magna & conuiuium admirabile, in quo vos ipse hodierno die reficere ac pascere decreui, quartum sacramenti huius mirabile producens, quod bifariam diuidam, primo conuiuij huius magnitudinem splendoremq; deinde reliquum parabolæ proponam: vos modo diligenter auscultate & rem aggrediar.

Homo à mensa bestiarum ad Angelicam traductus.

II.

Quod ad primum igitur spectat; Eucharistiæ sacramentum magnum est epulum, ad quod omnes homines inuitati sunt, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Quo loco duo sunt obseruanda; Primum, solum Deum esse, qui pascere & reficere animas queat, *Et ego reficiam vos.* Mundus enim pascere dum vult, esurientiores mensa dimittit.

Testantur hoc & reges, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Perinde ac si diceret, Quamuis me quotidie mundus regia excipiat mensa, nunquam tamen mentem satiat, sed esurientem à mensa abire sinit, tu solus desiderium meum implere, & vere animam satiare potes. Alterum otiosos & inertes nihil agere aut pati desiderantes, à Deo non pasci, sed illos, qui bonis operibus incumbunt, & austeritatum pœnitentiæ, vororum, persecutionum, aduersitatumque pondere pressi sunt, *Qui laboratis & onerati estis.* Non ait dumtaxat, *Qui laboratis*, sed addit, *& onerati estis*: qui enim in mundo laborat, onus crucis Christi, pœnitentiæ sarcinam, & diuinorum præceptorum jugum ferat necesse est, (*Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*) aliorum quoq; imperfectiones benigne portet, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Matth. 11. Gal. 6.

Eucharistia igitur epulum est & conuiuium, atque hoc modo illam nuncupat Ecclesia, *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, & recolitur memoria passionis eius, &c.* Duo vero hoc in conuiuio spectanda notandaque sunt; primum, Christum hic sumi in cibum à fidelibus. si enim æstimari à ferculorum pretio raritateque conuiuia solent, ipsum Eucharisticum huiusmodi ferculum habet, cui nullum simile vnquam exstitit, aut vllo tem-

Eucharistia epulum.

pore existet: cũ in eo sumatur Deus, quo nihil in mundo rarius aut pretiosius haberi cogitariq; potest. Alterum quod mortis, passionisque Dominicæ sit commemoratio; Dei filius enim hoc conuiuium instituẽs, voluit suę nos passionis mortisque, & eorum omnium quæ in Caluariæ monte contigerunt, memores esse.

Lib. 6. Solebant Ægyptij, testibus Herodoto, & in conuiuio sapientum Plutarcho, mensis suis cranium & mortis imaginem inferre, vt quicumque mensę accumberent, mortis memoriam præ oculis haberent, neu sui inter epulandum obliti, temperantiæ moderationisque limites excederent. Morem hunc seruare voluisse videtur Deus, aut nobis illum saltem ad imitandum proposuisse, cum in solemni magnificentissimoq; Eucharistici sacramenti conuiuio mortis suæ symbolum repræsentari imprimis voluerit, vt passione illius ob oculos posita, mortem illius assidue mẽte volueremus; ideoque canit Ecclesia, *& recolitur memoria passionis eius.*

Exod. 12. In Exodo præcepit Deus, vt Hebræis agnum Paschalem in Ægypto comedentibus, superliminaria & postes domorum interea sanguine illius conspergerentur, vt ita mortis recordarentur, cuius sanguinem in domorũ postibus intuerentur, *Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumq; postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Designabat jam tum figura illa, quod hodie in Eucharistia cernere est, in qua Deus ipse incarnatus & verus agnus maculę expers, corpus nobis suum in cibum donans, sanguine suo sensus & cogitationes nostras tingi voluit, vt mortis & passionis illius memoriam ageremus, qui sua animas carne pasceret. Dicite igitur, num vere magnificum hoc sit cõuiuium? in Euangelio vero cœnæ nomen habet, sed magnæ; *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

1. Cor. 11. Hom. 1. de cœna Dom. Et sane sacramentum hoc cœna dicitur, quo nomine illam & Paulus nominauit, *Iam non est Dominicam cœnam manducare;* ac deinde Chrysostomus. Porro hoc nomine cur dicatur, variæ eæq; præclaræ dari rationes possent. Prima, quod Christus illud die Iouis post cœnam, & vespera passionem præcedente instituerit. Secunda, quod non de die, sed noctu, quando cœnare homines solent, fuerit institutum.

Tertia, quod veteres, epulum aliquod regium splendidumq; instructuri, vesperi semper id faecerent. Quas ideo scriptura etiã magnas cœnas appellat: vnde Darij Persarum regis conuiuium cœna dicitur, *& ex Darius fecit* 3. *Esdr. 3. cœnam magnam*, quin etiam in Bethuliæ obsidione cõuiuiũ, quod Ozias sacerdos Achiori parauit, cœna dicitur, *Tunc Ozias finito consilio susceptit eum in domum suam, & fecit et cœnam magnam.* Quarta, quod quemadmodum cœna vltima hominis refectio est, ita quoq; sacramentum hoc finis & cæterorum consummatio fuerit. *Iudith. 6.*

Triplicem mundus, Auditores, refectionem habet & comedendi tempora, jentaculum, prandium & cœnam; primum mane, alterum in meridie, & postremum circa vesperam fit. Tot etiam homini refectiones parat Deus, sub auroram mundi, in lege naturæ, in jentaculum dedit panem Melchisedechi, & aliquot guttas sacrificiorum Abelis & Abrahæ: in prandium tempore legis Mosaicæ lautiores missus & fercula rariora intulit, sed figuras tamen, panes nimirum propositionis, agnũ paschalem, manna, totq; Aaronis sacrificia. In cœnam vero in lege Euangelica propriam sub speciebus sacramentalibus carnem velut ferculum quoddam regium, & escam vere diuinam largitus est, atq; hinc cœna nũcupatur, quod vltima & optima hominis sit refectio. Mundus tri nam refectionem habet. Eucharistia cur cœna dicatur.

Ioan. 2. In nuptijs Canensibus laudari meruit architriclinus, quod vinum deterius & minus sapidum primo dedisset, melius vero & sapidius ad extremum, prẽter aliorum hominum morem reseruasset, *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint homines, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Christus verus architriclinus idem omnino in Eucharistiæ institutione & in cœnæ huius conuiuio peragit: nam cum jam inde à mundi primordio in lege naturæ & Mosaica, in Synagogæ mensa, quod minoris saporis esset, proposuisset, figuras inquam & sacrificia, magnum hoc sacramentum ad extremum, velut optimum

mum & exquisitissimum ferculum reseruauit.

III. Cur cœna magna dicatur.

Hanc igitur ob causam cœna dicitur, sed *cœna magna:* vel quod is, qui eandem instituit, magnus sit, scilicet Deus, cuius magnitudo potentiaq; nullis exponi verbis potest, *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nō est finis:* vel quod qui ad eandem inuitantur, magni sint & frequentes, omnes scilicet mundi incolæ, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, &c.* vel quod fercula, quæ hic apponuntur, magna sint, diuinitas scilicet & humanitas Iesu Christi, quibus nihil in mundo dignius aut excellentius dici fingiue potest.

Psal. 144.

Matth. 11.

Simile.

Magnum illud haud dubie epulum esset, ac omnium sermone celebraretur, dignumque, ad quod Reges & monarchæ admitterētur, si in eo Phœnix vnica in terra auis, perque Arabiæ deserta volitans, qua nihil in orbe rarius, apponeretur. Quid igitur de cōuiuio Eucharistico dicemus, in quo totius vniuersi Phœnix, Iesus Christus, vnigenitus Dei filius, in altaris mensa manducandus proponitur; anne de simili conuiuio quis vnquam loqui audiuit? an non hoc dignum, in quo nō Reges & Monarchæ, sed Angeli & Cherubini reficiantur?

Si quod in magno mundi palatio conuiuium instrueretur, in quo cibus comedendus proponeretur, qui omnium ciborum gustum in se contineret, an non hoc egregium & admirabile epulum foret? an non cœlum terraq; de eodem loquerentur? an non Angeli simul & homines admirarētur? in manna hæc olim inuenire fuit, de quo Psalmista hoc modo locutus est, *Pluit illis manna, ad manducandum panem cœli dedit eis, cibaria misit eis in abundantia* ait plurali numero *cibaria*, quod quamuis nonnisi vnus esset cibus, omnium ciborum nihilominus saporem delitiasq; contineret. Quod Hebræos tantopere percelluit, vt per desertum inclamarint, *Man hu?* quid est hoc? quænam esca? quæ mirabilia? Eucharistia cōuiuium est, in quo omnia hæc concurrunt; in hac enim talis prębetur hominibus cibus, qui vbi gustatus fuerit, omnium ciborum spiritualium gustum præbet. Testatur hoc scriptura, & Sapientia mihi cautionem præstat, *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suauitatis.* Quis igitur non admiretur? quis non de hoc loquatur? quis ad epulum hoc non accedet, cui nullum vnquam par, aut simile exstitit?

Psal. 77.

Sap. 16.

Cleopatræ conuiuium

De splendido igitur Cleopatræ conuiuio taceat antiquitas, quod omnium historicorum præconio celebratum est, quodque illa Alexandriæ in Antonij sui gratiam parauit, in quod allati fuere vniones duo præstantissimi, qui centum coronatorum millibus & amplius æstimantur. Longe vero latius & admirabilius epulum est, quod Christus in Eucharistia instituit, in quo præclari illi duo vniones, humanitas & diuinitas Iesu Christi sumuntur, vniones inquam splendidissimi, quarumque valor verbis exprimi nequit; & vna gemma & margarita adeo pretiosum & dives, Iesus Christus inquam, vt homo sapiens illud empturus, omnia diuendat & abijciat.

Veterum epulæ.

Matth. 13.

Antiquitus moris erat, vt in sollemnibus & publicis epulis ferculum aliquod apponeretur è varijs cibis concinnatum, quod dicebāt Porcum Troianum; nam ingentem porcum omni auium genere inferciebant; cui deinde mensæ illato latera adaperiebantur, è quibus omnis hæc auium multitudo, velut olim ex equo Troiano milites & armata iuuentus, qui Troiam euerterunt, egrediebantur. Huius missus meminere Athenæus, & in Saturnal. suis Macrobius; qui addit oratorem Cincinium legem Fanniam de moderandis sumptib. defendere conatum, hanc porci Troiani cōsuetudinem Romanorumq; luxum reprehendisse. Quin & eadem occasione refert in Adagijs suis Chiliastes, in solennibus principum epulis moris olim fuisse, vt bos vel camelus omni auium animalculorumq; genere fartus mensæ inferretur, sed ad luxum hæc & ingluuiem reperta, at Christi inuentiones longe pluris faciendæ sunt, atque ideirco: *Notas facite in populis adinuentiones eius:* nam in epulo Regio, quod in die cœnæ instituit, ad quod omnes Ecclesiæ principes inuitati erant, ferculū quoddam, corpus, inquam suū,

Lib. 1. *Lib.* 3 c 12.

gra-

gratijs & benedictionibus plenum, & mirabilibus refertum apposuit; è quo velut ex equo Troiano, mille gratiæ robora, vires consolationes, animæ salus, intellectus, lumen, sensuum mortificatio, infinitæq; gratiæ prodeunt & emanant. O conuiuium penitus admirabile! ô cœnam vere magnam! *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Caligulæ Imp. epulũ.

Caligula luxui & dissolutioni deditus epulum quoddam ac cœnam instituit, centies sestertium, id est, trecentis coronatorum millibus nostra supputandi ratione æstimatam; tantumque hic luxum ostendit, vt panes & obsonia solida ex auro apponi jusserit. *Caligula*, inquit A Gellius, *vna die centies sesterttium cœnauit, qui etiam ex auro panes & obsonia apposuit.* Sed nihil est, si cum Christi epulo, quod in Eucharistia parauit, comparemus, vtpote cuius pretium æstimari nequeat. Vnica sanguinis quæ hic bibitur gutta, pretiosior maiorisque valoris est, quam omnia, quæ haberi possunt, monilia & diuitiæ. Hic cibi aurei, & panis vere cœlestis apponuntur, qui dat delicias regibus & recreat Angelos.

Gen. 8. Diluuio transacto omni domui Noe Deus epulum & mensam parauit, cum illi arca egresso ait, *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in escam.* At epulum quod Christus Ecclesiæ suæ parat, longe dignius aç magnificentius, in quo filij Dei caro in cibum, & sanguis in potum hominibus propinantur.

3. *Reg.* 10. Regina Saba Salomonis sapientiam demirata, & mensæ illius cibos contemplata, omnemque domus ordinem & domesticorum

2. *Par.* 9. ac ministrantium habitacula, *non habebat vltra spiritum*, sed extra se præ admiratione rapta clamabat, *Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quanto hoc potiori cũ ratione de magno Eucharistiæ conuiuio dicamus? nam quicumque ciborum, qui hic apponuntur, pretium, valoremque, ordinem, qualitatem, & eorum qui hic ministrant magnitudinẽ propius voluerit intueri, perculsus haud dubie & admirans exclamabit, Beati qui ad cœnam conuiuiumque magni huius Principis vocati sunt.

IV.

Persarum rex Assuerus, qui in centũ ac viginti septem prouincias imperium suum extendebat, tertio regni sui anno omnibus regni sui Principibus & Satrapis epulum parauit, quod centum & octoginta diebus durauit: *cumque implerentur dies conuiuij inuitauit q; omnem populum, qui inuentus est in Susam à maximo vsque ad minimum.* Crediderim hoc augurium, ac velut prognosticon fuisse illius, quod regum rex Christus aliquãdo facturus esset. Tertio enim prædicationis suæ anno magnum sacramenti Eucharistici conuiuium parauit, ad quod Apostolos, Ecclesiæ Principes & capita, & *belli triumphatores duces* inuitauit: & deinde illis refectis omnes terræ habitatores ad ipsum vocauit. Fuit hoc conuiuium, de quo olim vaticinans Isaias dixit, *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* quo loco sub vini & pinguium metaphora, de sacramento hoc locutus videtur, quod conuiuium est, omne delectamentum & spirituale alimentum cõplectens.

Esth. 1. Assueri cõuiuium.

Isai. 28.

In libris Regum præclaram rei huius figuram videre est; Dauid enim Rex proximus morti cum esset, & Salomonem filijs cæteris prælatum, legitimum regni totius hæredem reliquisset, illi in vltima voluntate imperauit, vt filios Berzellai Galaaditis perpetuos mensę suæ conuiuas haberet, *sed & filius Berzellai Galaaditis reddes gratiã, eruntq; comedentes in mensa tua.* O figuræ fauorabiles! Ita quoque Redemptor Iesus cum morti jam proximus, inter cæteros Apostolos Petrum in Vicarium suum, atq; in Ecclesiæ regno Viceregem selegisset, velut legatum quoddam testamentarium legauit, vt Christi fideles omnes in mẽsa hac reficerentur, & Sacramenti huius, velut conuiuij regij, quod omnibus in se credentibus parauerat, fierent participes.

3. *Reg.* 2.

Gen. 21. Abraham, cum Isaac filius natus esset, & Sara eundem lactasset, & jam ablactatus esset grande omnibus amicis cõuiuium fecit, *Creuit igitur puer, & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Egregia hæc allegoria est materiæ nostræ per omnia conueniens, vt jam reipsa demon-

demonstrabo. Per baptismum regeneramur, & Dei filii reddimur, sancta Dei mater, Ecclesia educat, & puro cœlestis doctrinæ lacte nos alit: cum vero iam ablactati sumus, id est, ad annos discretionis peruenerimus, bonus ille Pater æternus magnũ nobis Eucharistiæ epulum parat, in quo animas diuina quadam ratione pascit, suamque gloriam & magnificentiam ostendit.

Magnum illud miraculum in nuptiis Canensibus cum Dominus patrasset & aquam in vinum conuertisset; subiicit Euangelista, primum & primarium illud miraculorum illius fuisse, atque illo gloriam suam manifestasse. *Hoc fecit*, inquit, *initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam.* Materiam hanc proposito meo adaptans, cum Christus Dei filius in magna hac cœna & splendido epulo panem & vinum in corpus & sanguinem suum conuerterit, maiori cum ratione dicere possum, hoc maximum & omnium eius miraculorum primum fuisse, atque hoc pacto gloriam suam patefecisse, & certum magnificentiæ suæ miraculum fecisse.

Ioan. 10.

Christus gloriam in hoc Sacramento manifestauit.

Baltassar Babyloniorũ Monarcha magnitudinem & potentiam patefacturus, grande conuiuium fecit, ad quod omnes regni Principes & Satrapas inuitabat, & in quo vnusquisque iuxta ætatem & merita bibebat sua, *Baltassar rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille, & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem.* Dicerene ausim epulum, quod hoc in Sacramento instruitur, regio huic cõuiuio simile exstitisse? hic enim Christus regum omnium rex in vespera passionis omnibus Ecclesiæ suæ Principibus, id est, Apostolis, & vniuersis optimatibus regni, id est, omnibus fidelibus conuiuium parat; atque in hoc Sacramento vnusquisque ita tractatur & reficitur, tantumque è Dei gratia recipit, quantum dispositionis meritique attulerit. Atque ad hoc omnes inuitantur, *Bibite amici, & inebriamini carissimi*, omnes hic grati, nullus reiicitur, tam pauperes quam diuites recipiuntur.

Dan. 5.

Athenienses epulum quoddam sollenne ac publicum habebant, quod fysitiam vocabant, ad quod diuites & pauperes, nobiles & plebeii æqualiter admittebantur, & sine vllo discrimine promiscue epulabantur: vnde Agellius, *in celebri epulo, quod fysitiam vocant, tenuiores cum ditioribus vna conueniunt, & æqualem obsoniorum partem ferunt.* Idipsum & apud Lacedæmonios in vsu erat, habebant enim epulas publicas, ad quas pauperes & diuites æqualiter inuitabantur, & eodem cibo reficiebãtur, testis sit idem auctor, *Spartanis communia erant conuiuia, pauperes cum ditioribus eodem vescuntur obsonio.* Epulum, quod Christus in Sacramento Eucharistiæ facit, simile omnino esse videtur; in hac enim communione & epulo regali pauperes & diuites, Principes & mechanici eodem modo reficiuntur & tractantur, & omnes eodem vtuntur obsonio, nec vnus plus altero recipit. Quod admirans exclamat D. Thom. *Ores mirabilis, manducat Dominum seruus, pauper & humilis!* O conuiuium diuinum! ô cœnam vere magnam & admirabilem! nam illius magnitudo & mirabilia verba mea, & dicendi copiam superant, quare vobiscum vos ipsi admiremini. interea ad aliam parabolæ partem, vti receperam, transibo. *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Lib. 5. genial. dier. c. 21.

Ibid.

Homo hic, Auditores, tam egregium & diuinum conuiuium cum instruxisset & adornasset, inuitati venire aut comparere noluere, & varias excusationes attulere: quorum tria Euangelista generatim recensет, primi dicebant, *villam emi*; secundi, *Iuga boum emi*; & tertii, *vxorem duxi.* Primi figura sunt ambitiosorum, secundi auarorum, tertii luxuriosorum & omnes in genere peccatores denotant; qui ad epulum Eucharisticum inuitati, hunc honorem negligentes venire renuunt, & varias excusationes prætexunt, quod non exiguam animabus perniciem adfert, & deplorandum est.

V. Tria peccãtium genera, qui ad cœnam Eucharisticam venire renuunt.

Regina Vasthi, cum à coniuge suo Assuero ad epulum, quod regni optimatibus & Satrapis magnificẽtiam suam patefacturus parauerat, venire detrectasset, Regem ad indignationem prouocauit, adeo vt illam repudiarit, & aliam loco eius in vxorẽ allegerit. *Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contempsit, vnde iratus Rex, & nimio furore succensus, &c.*

Esther 1.

Irreligiosi, inertes, & ad epulum Eucharisticum, ad quod quotidie à Deo Regum Rege inuitantur, venire detrectantes, idem repudium metuant, & sane verendum est, ne ad Reginæ huius imitationem, Deum, & maiestatem illius offendentes & irridentes, repudientur, & ita connubio coniugioque illius excidant.

Luc. 15. Prodigus, cuius Euangelica meminit historia, Patris mensam & lautitias cõtemnens & vilipendens, in regionem longinquam secedere maluit, & sterile ac horrendum clima adire, in quo esuriit, & ad extremam miseriam, famemque redactus, subulcum agere coactus est, cum summa inopia conflictans, vt ad vitam vix viles porcorum siliquæ sufficerent. Iusta temeritatis castigatio; infelix tamen, miser ac deplorandus, quod paternam mensam deliciis refertam cum porcorum hara, & cibos magnificos cum vili, infami, & sordida siliqua commutarit. At maior haud dubie Christianorum infamia ac temeritas, qui deliciis, voluptatibus, & saporibus, quos in patris mensa habere poterant, neglectis, peregrinum & barbarum solum adeunt, ac clima immitius, mũdum inquam, in quo cum porcis, voluptatum carnalium symbolis, victitantes, rabida interne excruciantur fame, tantaque cum necessitate confligunt, vt sæpius emoriantur. Quæ iusta peccatorum castigatio & pœna: Audite Psalmographum: *Famem patientur vt canes.* *Psal. 58.*

An non magna Israelitarum in deserto vagantium cæcitas vel potius infamia fuit, quod manna cibo adeo electo & sapido, quique omnem in se suauitatem complectebatur, neglecto, allia, cepas, porrum, aliosque secundarios cibos postularent, quos se olim in Ægypto meminerant comedisse, *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, porrique, & cepæ, & allia, anima nostra arida est, nil aliud respiciunt oculi nostri ipsi man.* *Num. 17.* At maior haud dubio Christianorum vesania est, quod sacrum hoc Sacramentum manna quoddam nouum, & ipsum Angelorum panem negligant, stulto diuitiarum, honorum vitæ huius, & carnalium voluptatum, quæ non nisi amara allia & cibi rustici sunt, quibus hoc in mundo viuitur, desiderio æstuantes. Magna sane peccatorum stultitia est, quod conuiuium Christi aspernantes, mundanas epulas ambiunt. Quam vero, Deus bone, epulæ hæ noxiæ sunt, quam damnosæ, quam funestus & feralis illarum exitus?

Mundus non instituit cœnas, sed prandia, & eãdem breuia admodum, breuiq; finienda, vnde bene de iisdem Iob ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* *Iob 21.* Mundus siquidem sæpe prandium apparat, & eodem ipso die apud inferos peccatores cœnaturos transmittit. Ita se rem habere docet miser epulo, qui quotidie splendide epulatus, tandem in tartaro cœnauit, *& sepultus est in inferno*; cumque hic ingluuiem sectatus, ventri & genio indulsisset largius, frigidæ guttam, qua ardorem restingueret, non habuit. *Luc. 16.*

Leonidas Spartanus cum suos in extremo versari periculo cerneret, & nullam effugii spem superesse, illos ad rem fortiter gerendam adhortatus ait: Prandete forti animo Lacedæmonii, hodie apud inferos fortasse cænaturi. Idem penitus suis occinit mundus, eosq; ad confligendum & prædam vitæ huius acquirendam animans, & delciarũ suarum mensa eos reficiens, eodem ipso die sæpe ad inferos transmittit, apud quos cœnam suam peragant, ô stolidi & vesani mundi amatores! ô conuiuia periculosa & discrimini exposita! At non sunt huiusmodi, quæ Christus in hoc Sacramento parat, iis enim finitis recta ad cœlum tenditur, gloria sequitur; & planum ad vitam sempiternam iter patet. Num errem, ostendet Ioannes, dum ait, *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* *Cic. Tuscul.*

Aman purpuratus, quod solus cum Rege Assuero à regina Esther ad conuiuium inuitatus esset, gloriabatur, seseque felicem credidit, at nescuit miser hoc exitii & suspendii post secuti causam fore: nam triclinio egressus in crucem actus est, & summa cum infamia laqueo vitam finiuit, peccatores quoq; miselli huius mũdi affecle, qui sortem suam, quod magnifice in Assueri huius mundi conuiuio, id est, voluptatibus reficiantur, & ad delicias reginæ Esther, id est, carnis, admittantur, Mundi affectæ Amano similes.

tantur, magni faciunt, seseque mortalium omnium credunt felicissimos; quonam in discrimine versentur, ignorant, nesciunt inquam mortem hic suam, ruinam & damnationem imminere: sæpe enim ad refectionis huius finem & vitæ exitum infernalibus suppliciis, & perpetuis cruciatibus mancipantur.

Iudic. 11. Iudicum liber tyrannum quemdam nomine Adonibezech depingit, qui nunquam mensæ accumbebat, quin septuaginta Reges ferro & catenis grauati, pedum manuumque summitatibus resectis sub mensa canum instar micas colligerent; *Dixitq; Adonibezech, septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* Mundi domus & aula tyranni huius palatio persimilis est, atque ipso Adonibezecho crudelior & immanior; magnates enim & potentiores bestiarum instar habet, Reges & Principes ceu seruos vinculis premit, & catenis, & non nisi reliquiis micisque ciborum enutrit. Infelix ac nimis infelix est homo, qui diætam & mensam reguli huius ambit! solus enim Christus suos regifice reficere potest, ille digna quoslibet excipit mensa, pauperes non secus ac reges recreat, ac pascit, atque adeo mortales omnes mensæ facit Angelorum accumbere, & quotquot assidere voluerint, cibo vere cœlesti, cuiusque sapor & dulcedo exprimi verbis nequit, enutrit.

Mundus tyranno Adonibezecho similis.

Cant. 6. Canticorum sponsa sacræ huius mensæ delitias ac voluptates referens, tam grata & sapida fercula illius sibi fuisse testatur, vt lac & mel & dulcedinem, quæ omnia superabat, continuisse visa sint, *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Quod septuaginta transtulere, *comedi panem cum melle meo.* Quasi diceret, Panis quem in sponsi mei conuiuio manducabam, mel esse videbatur, & vinum quod bibebam, lacte dulcius & sapidius. Eiusdem quoque opinionis erat Psaltes, cum gaudio extra mentis statum abreptus exclamat; *Psal. 50.* *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te* in Eucharistia!

VI. Stultum est

An non igitur mera stultitia est ac stolidi-tas cœnam hanc negligere, & nescio quas id-eo excusationes prætexere? an non fatuus & mentis impos ille dicendus, qui mundi huius gurgustia & popinas sectatus ad hoc venire conuiuium renuit? An non Saul brutus & stupidus, quod dum Samuel illum in Regem vncturus, & ad regiam dignitatem euocaturus, vbique locorum inuestigaret, asinas patris sui sollicitus quæreret, quæritandoque per montes & valles diuagaretur: Maiorem etiam, mihi credite, Christianorum fatuitas, qui dum à Christo ad regale Eucharistiæ epulum inuitantur, & ad gratiæ receptionem, atque inde ad beatitudinem vocantur, erga vitæ huius inanias anxie occupantur, & asinitates mundi stolide ambiunt & insectantur. Huc respexisse crediderim Psalmographum, dum hominum vecordiam demiratus exclamat, *filii hominum vsquequo graui corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* *Psal. 4.*

Sacramentum hoc negligere.

1. Reg. 19.

Refert in Periclis vita Plutarchus, Cæsarem cum exterarum gentium legatos Romæ obambulantes cerneret, & catellos melitæos brachiis fouentes, stringentes, & tantum non exosculantes, interrogasse, num mulieres apud eos liberos parerent. Qua interrogatione tacite illorum ineptiam mollitiemque sugillabat, quod amorem pueris & infantibus debitum bestiis adaptarent, tamq; stolide atque inepte canes amplecterentur. Proposito meo hoc adaptans dico: Quis non obstupescat, cum hodie Christianos per magnæ huius vrbis, id est, mundi plateas obambulantes, omnem affectum ineptiis vanitatibusq; sæculi huius caduci & perituri debere videat, de cœlestibus vero ac diuinis nulla ratione esse sollicitos? Quis inquam non miretur, cum viderit homines amorem & affectum, multis nominibus regio & augusto Sacramento huius epulo debitum subtrahere, & dissolutionibus illum, lubricitatibus, lasciuis voluptatibus & ingluuiis mundi huius applicare? sine lachrymis hoc sane referri non potest.

In vita Periclis.

Reperire tamen est homines adeo cæcutientes & stolidos, qui Sacramentorum frequentationem & consolationes diuinas, spirituales delicias, & animarum salutem negligentes mundana ambiunt negotia, iisque se to-

se totos immergunt & penitus inuoluunt. Tria illorum genera nobis Euangelium sub parabolæ inuolucris depingit, primo ambitiosum, qui quod villam aliquam emisset, & videre illam iam decreuisset, venire se negauit posse, *Villam emi, & vado videre eam.* Notate dementiam; ob nullius momenti rem amittit totum, ob villam terrestrem & vliginosam cœlestem & auream vrbem exponit periculo, ob bonum tridoanum æternam possessionem in discrimen adducit. O prophanos Esau, qui ob lenticulam & offulam primogenitorum iura diuenditis! id est, qui ob voluptatem carnalem & punctum honoris, quod æternæ beatitudinis ius habebatis, amittitis, & delicias, quas è Sacramento Eucharistiæ sperare poteratis. Deinde, quod emerint rem non visam, aliud stultitiæ genus admiserunt, mundi tamen sectatoribus consuetæ, qui cuncta hoc in mundo emunt, honores, dignitates, dominia, non visa tamen nec cognita. Si mundi villas viderent, cognoscerentque priusquam emerent, nunquam tam iniqua commercia inirent, quæ æterna sequitur pœnitentia. Oratorum Græciæ Princeps Demosthenes ad Laidem meretricem cum accessisset, & illa pro exiguo corporis vsu mille drachmas Atticas postulasset, enormi hoc pretio deterritus ait, *Tanti pœnitere non emo*, vel vt Græce, οὐκ ὠνοῦμαι μετανοίαν δραχμῶν. Flosculum hunc egregium gentilitatis horto decerpens, vt in rerum sacrarum viridarium transferam, dico, mundanum, rerum vitæ huius amore saucium, & inordinato sæculi voluptatum affectu abreptum, si cogitarit quam cara illi singula constabunt, cum Demosthene haud dubie mundo valedicendo dicturum, *Tanti pœnitere non emam.* In rebus enim mundi semper adest pœnitentia, nulla vero in obsequio seruitioque Christi, & Sacramentorum Ecclesiæ frequentatione.

Ambitiosorum infamia.

Apell. lib. 1. cap. 8.

Matth. 22.

Secundus qui se excusat, & ad cœnam venire detrectat, auarus est, quem bruta distinent animalia, & quinque boum iuga, è quibus se expedire nequit. Ahanima mundanorum miseria! non nisi vnicum Deus iugum offert, & ipsum dulce & leue, *Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suaue est, &c.* mundus vero quinque habet, quibus premit, & in captiuitatem redigit suos; ea tamen interea mundanorum stultitia est, ipsa vt subire maluit, quam Dominum sequi, cuius iugum adeo facile & obsequium leue. Ecce stolidus hic arratrum sequi maulit, & inter boues agere, quam nuptiis & conuiuio interesse. Qui ad viuum repræsentat illos, qui satius ducunt inter sceleslos & bestiarum ritu in mundi gurgustiis viuere, quam ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedere; in quo tamen ad nuptias Agni vocantur, & Angelorum mensæ participes redduntur. Auari stultitia.

Brutales hi & vecordes Nabuchodonosoris mihi vitæ memoriam refricant, qui iusta Dei sententia & digna scelerum castigatione, regno exactus fuit, & in desertum pulsus, mensaq; Regum Babyloniorum priuatus, animalium ferarumq; conuiua factus: *Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt boscomedes.* Dan. 4. Iusta enim delictorum castigatione fit, vt peccatores à communione, & ferculis Angelicis spoliati, & à delitiis, quæ in sacratissimo hoc Sacramento continentur, excluſi, in mundum eiiciantur, sordes & immunditias conſectentur, & ferarum brutorumque more viuant. Quare non inepte illis applicuero Psalmographi illud, *Homo cum in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* & sane ad magnum honorem euectus est homo, cum mensæ huic accumbit, & panem comedit angelorum, sed felicitatem dignitatemque non agnoscit, cum ad illam negligit accedere, carnalesque voluptates illi præfert, ac tum brutis iumentisque similis redditur.

Tertius qui nuptiis interesse detrectat, & ad sanctum hoc Sacramentum venire se non posse asserit, carnalis est, libidinosus & lasciuus, qui inuitatis ait, *Vxorem duxi, ideo non possum ire, &c.* Et sane nihil est, quod hominem magis à Sacramenti huius susceptione frequentationeque auocet, eumq; magis impediat, ne diuinum hoc conuiuium accedat, quam peccatū carnis. Historia summi Sacerdotis Abimelech satis hoc repræsentat, qui Peccatum carnis SS. Sacramenti frequentationem impedit.

prius

prius quam sociis Dauidis panes propositionis edere permitteret, petebat num à carnali copula & actu venereo mundi essent; *Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri, & maxime à mulieribus, manducent.* Sciebat enim carnis voluptatibus deditum, & immunditia, & lasciuia plenum communione indignum esse, nec sacræ huic mensæ participare posse.

Tom. 2. Epist. lib. 1. contra Iouin.

Hieronymus aduersus Iouinianum omnis castimoniæ aduersarium scribens, refert Ciceronem, cum Terentiam suam repudiasset, & suam illi Hirtius sororem in vxorem obtulisset, respondisse, non posse se & Philosophiæ simul & vxori vacare. Oratoris hoc responsum vsurpans, dico, certo certius esse, nihil deuotioni, quæ sublimis quædam Philosophia, obstare magis, aut aduersari, quam fœminarum vsum & carnis commercium, ac difficulter admodum hominē peccato huic vacare, & frequenter ad Eucharistiam posse accedere. Sacramentum quippe hoc non nisi castos & puros admittit.

Carnalis bestiæ similis.

Difficulter dixi, imo penitus impossibile est: atque idcirco carnalis hic & vxorius absolute ait: *Non possum ire:* alij duo honeste se excusarunt, & plausibilem negligentiæ prætextum attulere, dicentes: *Roga te habe me excusatum*; at hic omnem exuens pudorem, ciuitatisq; oblitus, stolidi & bestiæ instar ait: *Non possum ire.* Ambitiosus sane & auarus excusant se frequentius, quo minus ad Eucharistiam accedant, & mensæ huius se participes reddant, at libidinosus & vxorius ne accedere quidem potest: hoc siquidem peccatum illum penitus excæcat, & ex homine ratione prædito brutum quoddam stolidum & vecors reddit, & cor penitus tollit: vnde Propheta Oseas ait: *Fornicatio & ebrietas auferunt cor.* Ebrietati fornicationem non inscite maritat, nam, vt qui ebrius est; & vino repletus, omni ratione, sensuq; in rebus corporalibus spoliatus est, ita voluptatis mancipium omnem rerum spiritualium sensum amittit.

Osee. 4.

Voluptatis imago.

Phidias sculptor præstantissimus voluptatem expressurus, Venerem pinxit hirco insidentem & testudini insistentem. Hircus peccati huius turpitudinem immunditiemque explicat, testudo vero significat eos, qui hoc peccato sunt dediti, cor omne & animam amisisse, quod teste Aristot. inter reliqua animalia corde sola careat testudo.

Exemplum futurus est, Dauid, qui quandiu libidine insanuit & exarsit, suum se cor amisisse deplorat, atque idcirco nouum à Deo postulauit, *Cor mundum crea in me Deus.* O rem tristem & calamitosam! O stolidos mortales & insensatos! tam præclaram manibus elabi occasionem quod sinatis, qui tantis vos deliciis, quibus ad nuptias veniendo, & ad magnam hanc cœnam properando frui potestatis, priuatis.

Lib. de somno & vigil. Psal 50.

Non ita porro viuendum est, Auditores, audita inuitatione ad cœnam properate, ad illam accedite; ipse hodie ad vos eodem vocandos destinatus sum, venite igitur, properate, parata sunt omnia, mensa in communione iam strata est, Christi corpus & sanguis illius sunt fercula, ministri Sacerdotes, triclinisi vero Ecclesia. Venite, inquam, ad conuiuium hoc properate: magnum est Ipse enim Dei filius eiusdem auctor, illius quippe carocibus est, inuitati vero omnes Christi fideles sunt.

Cœna cur appelletur hoc Sacramentum.

Cœna porro dicitur, quod non nisi post diurnum laborem detur, & vesperi sit, non de die Sacramentum institutum ad fidei obscuritatem, quæ in hoc mysterio dominatur, denotandam. Hunc igitur honorem ne negligatis velim, excusationes nullas prætexite, negotiis omnibus valedicite, villas emere nolite, hoc siquidē ambitiosorum est: iuga boum nolite probare, nam auaritiam spirat: denique mulierum fugite commercium, redolet enim luxuriam. Sed ab omni negotio liberi ac sequestrati venite, venite inquam ad magnam hanc cœnam, ad epulum hoc regale properate, in quo Dominicæ passionis recolitur memoria, & piorum animæ omnigena replentur gratia.

O sacrum conuiuium! ô augusta cœna! ô epulum in omnibus & per omnia admirabile! epulum pulcherrimum, ditissimum, magnificentissimum, quo simile nullum

vidit orbis. Epulum manæ, quod in deserto quadraginta annorum spatio durauit, mirabile quidem fuit; sed tu longe mirabilius & *Exod.16.* diuturnius; iam à mille enim sexcentis annis mensa hæc strata fuit, in qua animæ in Ecclesiæ palatio enutriuntur. Assueri conuiuium magnum fuit, & grande, vtpote à *Esth.1.* rege institutum, & ad solam magnificentiam ostentandam paratum; Tu verò longe maius ac dignius, nam sua te Deus potens manu instruxit, & non ob aliam causam, quam vt suam mundo magnitudinem, potentiam, liberalitatem, magnificentiamque patefaceret. O epulum longe maius Luculliano, opulentius Cleopatræo, augustius Vitelliano! epulum inquam, cui nullum hactenus par exstitit, aut post hominum memoriam exstabit. Epulum denique, quod hac in terra nostras pascens animas, Deumque illis in cibum elargiens, certissimam spem suggerit, in cœlo propriæ visione essentiæ aliquando illas beandas; in cuius aspectu contemplationeq; omnis beatorum felicitas consistit: cuius nos participes constituat ingenitus Pater, vnigenitus filius, & ab vtroque procedens Spiritus sanctus, Amen.

CONCIO QVINTA

INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

QVINTVM MIRABILE.

De admirabili ratione, qua Christus in hoc Sacramento continetur.

Partitio.

1. *Quarum rerum monimentum sit hoc Sacramentum.*
2. *De existentia modo, & quantitatis loco.*
3. *De contento quanto, & diuiso.*
4. *De existentia eiusdem pluribus in locis, sine loco tamen proprio.*
5. *De existentia accidentium.*
6. *Reiiciuntur sensus hac in causa indices.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal.100.

FIGVRA.

BEthsamitæ, qui in sorte tribus Beniamin- *1.Reg.6.*
nicæ commorabantur, quod curiosius admirabile manna cognoscere & iuspicere vellent, quod in arca delitescebat, illorum temeritatem puniente DEO, dignas dedere pœnas. Vereor profecto ac reformido, ne eadem mihi hodie pœna infigatur, quod mirabilia & modos, quibus nouum Sacramenti huius manna in Eucharistiæ arca contineatur, indagare & inquirere contendam. Hoc vero mihi magne Deus actionum humanarum Judex, qui corda scrutaris, & animi penetralia rimaris, impunes nolim, neu temerarium cœptum meum diiudices; si qua enim hic apparet curiositas, finem laudabilem habet; fit siquidem hoc ad ignorantes docendos, ad improbos percellendos, ad maiestatem tuam exaltandam, & sanctæ augustæq; Eucharistiæ mirabilia perspicienda, feliciter vt hoc ad exitum deducam, spiritu mihi tuo opitulare, tuq; virgo sacratissima opem solitam impertire, & no solitam tibi salutationem impertiemur.

AVE MARIA.

Solent reges & principes terræ postquam I.
rempub legibus stabilierunt, varias nationes subiugarunt, & victorias amplissimas retulerunt, trophæa, arcus triumphales, & pyramides erigere, vt sempiternam nomi- Ven. Sacranis memoriam & gloriam immortalem con- mentum
sequantur. ita magnus ille Regum Rex & triumpho-
totius vniuersi Monarcha, lege Euangelica rum Chri-
lata, perdomitis inferis, totque victoriis in sti memo-
orbe reportatis, in medio Ecclesiæ Vene- ria.
rabile altaris Sacramentum, velut arcum triumphalem, pyramidem, & mirabilium colossum, ac trophæum erigere voluit, vt sanctum eius nomen & memoria perpetua ad posteros dimanaret. Est siquidem memoria & signum publicum, commemoratioque omnium bonorum Domini, sed imprimis mortis,

mortis, passionis, celebertimarumque victoriarum illius : hoc ipse nempe primus aperuit, primus ipse hoc illi nomen indidit, & per Euangelistas euulgari voluit, *Hæc quoties cunq; feceritis, in mei memoriam facietis.*

Matth. 26.

Gen. 15.

Ioseph Patriarcha cum in extremis esset, & de regni negotiis disposuisset, fratribus ossa sua, velut trophæum egregiorum facinorum & vitæ præteritæ memoriam commendauit, *Asportate*, inquit, *ossa mea de loco isto.* Redemptor orbis Christus, postquam cœli, terræque negocia rite disposuisset, pridie quam moreretur, suum Apostolis corpus, sanguinem, seseque totum, velut triumphorum & victoriarum notas & insignia, ac publicum crucis, passionis, mortis, vitæque monumentum legauit. Audite quid Scripturæ dicant, *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

1. Cor. 11.

Dauid, postquam Goliadam Philisthæorum ducem profligasset, virtutem & robur suum testaturus, & victoriarum memoriam ad posteros transmissurus, arma illius & gladium imprimis, quo monstro huic ceruices præciderat, in tabernaculo suspendit pallio coopertum; *& dixit Sacerdos, ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod.* Christus Dei filius, cui nullus fortitudine, robore, animoque par exstitit, principibus tenebrarum profligatis, in medio Ecclesiæ regia humanitatis suæ arma, & glorioſum victoremque corporis gladium, quo vitam illis eripuit, reliquere voluit, sed opertum & specierū velo in Sacramento Eucharistiæ velatum & inuolutum.

1. Reg. 17.
1. Reg. 21.

Iussit olim Deus, ad sempiternam eorum, quæ in deserto contigerant, memoriam, in arca testamenti perpetuo manna asseruari. Ita me docuit Apostolus Epist. ad Hebræos, *Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat.* Jam vero in lege Euangelica, ad omnium mirabilium, quæ Christus in mundi huius deserto præstitit, memoriam, verum corporis sui manna in Ecclesiæ arca reliquit, in egregio Sacramenti Eucharistici vase inclusum. Apostolisque præcipit, vt in sui memoriam ipsum asseruarent, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Hebr. 9.

Josias rex religionem & verum Dei cultum in regno stabilire dum conatur, veteres aras destruxit, statuas euertit, omneque idololatrarum instrumentum contriuit, & loca cadaueribus & immundis mortuorum ossibus repleuit; quo nomine insignem animi pietatem, honorisque diuini zelum testatus est: *Et contriuit statuas, & succidit lucos, repleuitq; loca eorum ossibus mortuorum.* Regum Rex Christus, cœlo delapsus, veram vt religionem in terra plantaret, æternique cultum & adorationem stabiliret; veteres Synagogæ oras demolitus est, figuras abolenit, ceremonias contraxit, sacrificia pessumdedit, inque eorum loca, cineres & ossa mortuorum, corpus inquam suum & sanguinem, velut notas, repræsentationem, & mortis, passionis, crucisque suæ memoriam, quod amoris & affectus infiniti testimonium reposuit.

4. Reg. 23.

Docet Plinius & Herodotus, reginam quandam Cariæ nomine Artemisiam, mortui coniugis Mausolæi cineres vino immistos bibisse, suum vt erga illum affectum testaretur; quin etiam & perpetua nominis illius ad posteros transiret memoria, egregium & splendidum illi monumentum parauit; quod inter septem orbis miracula primum facile locum occupat, vt Suetonius de Cæsarum monumentis loquens eadem *Mausolæa* nuncuper, cuius etiam meminit de Domitiani amphitheatro loquens Martialis. Huius occasione dixero, magnum cœlorum regem Christum, & totius orbis Seruatorem, suum vt nomen redderet immortale, & memoria perennis foret, vtque testatū faceret amorem, quo sponsam suam Ecclesiam, quæ toties in Scriptura regina dicitur, prosequitur, corpus illi suum dedit, sed viuum & gloria plenum, voluitque vt illud sacro sanguinis sui vino immistum biberet; superbum illi adhæc Mausolæum, hoc videlicet Sacramentum, quod maximum cœli terræque miraculum, erexit.

Lib. 36 c. 5. Lib. 7.

Nabuchodonosor Babyloniorum Rex Deum se & immortalem credēs, diuinos honores ambiuit, atque ideo in medio ciuitatis

Dan. 3.

statuam

ſtatuam auream erexit, quam ab omnibus ſubditis adorari & ſymphonia & muſica coli volebat, morte etiam numinis neglectoribus propoſita: *In hora qua audieritis ſonum tubæ, adorate ſtatuam auream, quam ſtatuit Nabuchodonoſor Rex, ſi quis autem non proſtratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Quod inſolens hic rex magna temeritate fieri voluit, totius vniuerſi Saluator ſumma prudentia & ſapientia fecit; cum enim vere ſe Dei filium, & eſſentia ſua immortalem ignoſceret, atque talis ab omnibus haberi vellet, in Eccleſia magnum Sacramenti huius coloſſum erexit, in quo non modo ſtatua & corporis ſui repræſentatio, ſed ipſummet animatum, glorioſum, ac vitale, quod ab omnibus honorari, coli, adorariq;, & hymnis & canticis celebrari vult, niſi damnationem qui ſecus faxit, incurrere velit, quod

Pſal. 98. teſtatur etiam Scriptura: *Adorate ſcabellum pedum eius.*

Num. 21. Video in deſerto Sinai ſerpentem æneum in haſtili erectum, quem cum propius accedens intueor, comperio inprimis erectum fuiſſe, vt ſignum foret ac memoria eorum, quæ in crucis haſtili peragi debebant in deſerto Caluariæ. Qui myſterium Euchariſticum iam contemplari voluerit, comperiet etiam, non quidem ad futurorum, ſed ad præteritorum mirabilium commemorationem, ſcilicet ad mortis & paſſionis Dominicæ memoriam inſtitutum id & erectum fuiſſe.

Princeps aliquis vrbem cum condidit, vel nouum regnum adeptus eſt, poſteris vt teſtatum faciat, ſe auctorem illius, fundatoremque eſſe, & perpetua illius ibi viuat memoria, cum præſens ibi ſemper adeſſe nequeat, imaginem ſuam, inſigniaq; in ſublimi aliquo loco relinquere conſueuit. Is qui in

Apoc. 19. in Apocalypſi in femore ſcriptum habere dicitur: *Rex Regum, & Dominus dominantium,*

Pſal 86. poſtquam ſanctam illam ciuitatem Eccleſiæ fundauit (*ipſe fundauit eam altiſſimus*) & præclarum illud regnum obtinuit, de quo in ſacra Scriptura ſcriptum: *Regnum tuum regnum omnium ſeculorum*; mundo vt patefaceret, ſe & fundatorem & principem illius eſſe, immortale nomen conſequeretur; non effigiem & inſignia duntaxat, ſed corpus quoque ſuum & ſeipſum in Eccleſiæ altaribus dedit, idque in tam pulchro admirabilique ſubiecto quale eſt Euchariſtiæ Sacramentũ. Quod & Scripturæ loco confirmare potero: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi.*

Dei igitur filium Eccleſiæ ſuæ auguſtum hoc & reale Sacramentum, velut admirabilium ſuorum, præclarorumq; operum argumentum, notam, & memoriam reliquit. Ita hoc prædixit Pſalmographus dicens: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Pſal. 110. Inter tot autem mirabilia primum facile locum occupat ipſe modus, quo Chriſtus in hoc Sacramento continetur; hoc ſiquidem ingenij captum ſuperat omnem mentis humanæ comprehenſionem tranſcendit, & ipſe intellectus hic cæcutit. Idcirco vobis hunc hodierna concione exponam, ſed ſine certo quodam ordine ac methodo, at ſparſim ac confuſe, quidquid hic dicendum occurrit, coaceruabo.

II. Chriſti corpus quomodo in Euchariſtia ſit.

Dico igitur primo, Chriſti corpus hoc Sacramento contineri, & incipere eſſe in altari, vbi non erat prius, non generatione, nec per motum localem, ſed vera quadam panis in illud ipſum conuerſione: quod ſimilibus etiam exemplis oſtendere poſſumus. Cum enim homo alimento creſcit, rationalis anima incipit eſſe in materia iam recenter adiuncta, in qua non erat prius; noua tamen hic anima non producitur, aut quæ de loco in locum mutetur, atque materiam, quam prius non informarat, incipit informare: è contra vero dum membrum aliquod præciditur, hic eſſe deſinit anima, neq; quam tamen perit, nec de loco in locum mutatur: ita quoque in Deo ſe negotium habet, cum quid in mundo naſcitur, in hoc eſſe incipit Deus, cum vero euaneſcit & perit, etiam deſinit ibi eſſe; certum tamen eſt, illum generationi corruptionique non eſſe obnoxium, nec locali quodam motu locique mutatione venire aut recedere.

Exemplis hoc probatur.

Eodem modo de corpore Dominico in Euchariſtia dicendum: prolatis quippe conſecra-

Chriſtus cœlum non

deserit, quo in Eucharistia præsens sit. 3.p.Sa.ra. Euchariſt.

secrationis verbis, integrum, viuidum, præsens illis reperitur, nõ quod ibi de nouo creetur, vel quod cœlum deserat, vt in altare sesistat; at duntaxat, quod incipiat esse in loco, in quo non erat, priusquam sacra consecrationis verba proferrentur. Diuus Thomas Theologum hic agens, postquam dixisset, corpora naturalia circumscripte in loco esse, Angelos vero cœlestes definite, Deũ autem vbique incircumscripte, & indefinite; tandem asserit Jesu Christi corpus in cælo circumscripte, at in Sacramento Eucharistiæ nullo in loco esse, nec circumscripte, nec definite, quantum quidem ad ipsum; tamen quoad species panis, circumscripte in omni esse loco, in quo hostiæ sunt consecratæ.

Christi corpus in Eucharistia dimensione caret.

Nouum hoc & admirabile; longe mirabilius, sub tam exigua hostiæ quantitate reipsa & de facto tantum contineri corpus, quantum in cruce suspensum ac deinde in sepulchro propositum fuit. Docet siquidem experientia, alia corpora natura sua tantum occupare loci, quantum longitudinis habent ac latitudinis; hoc vero hic non habet locum. Docet ad hæc Philosophia, & ratio quoque indicat, corpora circumscripte, spiritus vero definite in loco comprehendi; sed hæc axiomata hic vim omnem perdunt, & omnia hic noua. Christi enim corpus hic non est circumscripte, vtpote non habens partes, qui loci partibus dimensionibusque respondeant; non etiam definite; neque enim ita in loco certo determinatum est, quin simul eodem tempore in pluribus aliis subsistat. Omnem tamen magnitudinem & quantitatem habet; sed non extensionem, atque ideo locum non occupat, sed conglobatum, collectum, & constipatum est, velut rei substantia.

Nota.

Vt autem constet, quomodo fieri hoc possit, sciendum, in omnibus rebus naturalibus inter substantiam & qualitatem discrimen esse, quod eadem rei substantia manente, ipsius quantitas minui & augeri potest. Ad hæc substantiam ex se nullum locum occupare, nisi forte per quantitatẽ, cum substantia non habeat partes extra partes, nisi mediante quantitate cui hoc proprium, quæ-

Substantiæ & quantitatis differentia.

que sola diuisionem admittit, & partes extendit. Cernimus tamen, substantiam, cum aliquo in loco mediante quantitate est, tunc quantitati se attemperare; quemadmodum in anima nostra manifestum est, quæ tantum loci occupat, quantum corpus est, quod informat, quod tota sit in toto, & tota in singulis corporis partibus: si igitur quantitas, quæ non nisi accidens, aliquando substantiam regat, eamque ad se trahat, locum vt occupet; cur nouum cuipiam videbitur, si aliquando substantia quantitatem ad naturam suam cogat, vt in loco aliquo stãtuat, locum tamen non occupet? Cum vero in altaris Sacramento virtute consecrationis substantia præcipua sit pars, & proinde quantitas substantiæ se temperet, hinc cum nulla hic sit extensio, magnum aliquod corpus in exiguæ hostiolæ subiecto contineri poterit. Adeo vt, cũ substantia ex se partes extra partes nõ habeat, eo quod diuidi nequeat, ac velut punctus sit, quamuis sane totum Christi corpus in hostia comprehenditur, capitis, pedum aliorumque membrorum certus non sit locus assignandus, quod in minima illius particula vniuersum corpus contineatur. Mirabilia hæc vere sunt & paradoxa.

Demonstratur Christi corpus locum non occupare. *Matth.27.*

Si vero hæc comprehendere nequeas, humana mens, conceptus tuos extolle & excue, & cogita, quomodo idem ipsum corpus vtero prodierit virginali, virginitatis tamen claustris non violatis; recorderis quomodo sepulchro monumento sigillis munito & lapide ingenti aduoluto exierit; memineris ad hæc quomodo ianuis clausis ad Apostolos in conclaue penetrauerit; atque in his omnibus videbis, sacrum hoc corpus alia penetrasse corpora, nullumque locum occupasse; intelligesque, quod, quamuis id mirabile sit & penitus nouum, in hoc Sacramento idem omnino peragatur. & sane ipse Dominus hoc ipsum probaturus ascensionis suæ exemplum adducit, discipulisque hac de re agens, ait, *Hoc vos scandalizat, si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius*: id est, obstupescitis & scandalizamini, audito omne me corpus vobis tam exiguo spacio comprehẽsum relinquere; quid igitur fiet, cum elementa me videritis transcendere, ac nubes ascen- *Ioan.6.*

dendo penetrare? Dicite, obsecro, auditores, si camelum per exiguum acus foramen transeuntem videretis, animal inquam vastissimum & gibbo tumidum tam paruo cõtineri loco, an nõ obstupescceretis: Crederetisne fieri hoc posse, nisi videretis? ipsum tamen fieri posse filius Dei testatur, ac velut possibile fieri in exemplum in Euangelio adducit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Cur non credetis igitur, Christi corpus in Eucharistia esse posse? si facere possit Deus, vt camelus in foramine acus integer maneat, an non multo præstabit facilius, vt filij corpus tantum, quantum est, in hostia contineatur? Nam iuxta Philosophos, qui potest maius, potest minus.

*Matth.*10. *Luc.*18.

III. Dei hæc sunt mirabilia, & omnipotentis summiq; artificis opus, quod sub his speciebus & in minima earum particula, & in exiguæ hostiæ circumferentia totum Christi corpus, cum omni sua quantitate, magnitudine, dimensionibus, mensuraque comprehendatur.

Veterum artificum opera. Nemo iam Phidiæ manum admiretur, non ob Iouis Olympij imaginem factam, vel ob clypeum Mineruæ, in quo totum terrarum orbem efformauit: De Myrmecide taceat antiquitas, & currum eius quadriugum, & nauem velis, malo & necessariis omnibus instructam, quam alis musca tegeret, nemo iam obstupescat. Nihil quippe sunt hæc omnia, si cum Sacramento hoc conferantur, in quo totum Iesu Christi corpus in minima hostiæ parte continetur; in quo Deus & homo, iuxta quantitatem, sed tamen sine extensione locali comprehenditur, atq; hoc ad confusionẽ euitandam: nam si huiusmodi extensionem concederemus, necesse foret, vt Christi corporis partes loci partibus vsquequaque responderent, atq; ita caput extra collum & collum extra humeros foret, ac sic de aliis: nihilominus extensione hac amissa, corporis Christi quantitas integra permanet. Certum quippe est, vbi caput est, ibi & collum esse, vbi collum, ibi humeros, &c. omnia tamen distinctione & in ordine ad se, non vero ad locum.

Christi corpus hic extensionẽ localem admittit.

*Exod.*16. Adeo, vt hinc inferendum sit; totũ Christi corpus in minima hostiæ particula contineri, cuius rei figura fuit manna: quod cum Hebræi colligerent, is qui minus collegerat, tantum referebat, quantum, qui amplius, quod rarescendo apud priorem crescceret, & apud alterum constipatum minueretur. eodem modo in hoc fit Sacramento, qui ipsum in magna specie recipit, non quid amplius recipit, quam qui in minori.

Rupertus locum hunc Exodi exponens, *In Exod.*17. ait, quod quemadmodum cum Adam ex arbore vetita comedit, tantum primo morsu comedit, quantum si omnia arboris poma deuorasset; quod in primo illo morsu non minus mortem gustauit, quam si nullum in arbore pomum reliquisset: ita quoque, & longe verius, quicumq; in Eucharistia creatorem suum sub minima etiam recipit particula, non minus Deum suum, & vitæ authorem recipit, quam si mille hostias, easq; maximas sumeret.

Coriandri qualitas. Huc faciet, quod de manna scribitur in Exodo, quod semini Coriandri simile fuisse dicitur: de quo semine ait Philo, quod quãuis exiguum sit, si in plures diuidatur partes, & vnaquæq; seratur, omnes fructum & semen sint prolaturæ, adeo, vt diuisum integrum surgat, & integrum non plus contineat, quam diuisum. Idipsum de Sacramento hoc & dicamus & perfecte credamus, quod diuisum tantum contineat, quantum integrum, & integrum amplius non habeat, quam minima eius portio. O mirabilia! ô noua! ô paradoxa!

Ecce & aliud mirabile sequi solitum modum, quo Christi corpus in Sacramento hoc est, quodque in fractione consistit: hostia quippe consecrata, in qua realiter Christus integer continetur, licet frangatur, & plura in frustilla diuidatur; Christi tamen corpus non frangitur, sed integrum sub singulis particulis continetur; atq; ideo Magister sententiarum ait, Christi corpus incorruptibile esse. Cæterum fractio hæc non in ipsa corporis Christi substantia, sed in Sacramento duntaxat peragitur, id est, in speciebus, quæ quamuis fractæ sint & concisæ, corpus tamen semper integrũ & indiuisibile perseuerat. Testatus est hoc Angelicus Doctor

*4. Sent. dist.*11.

ctor Thomas, cuius in sequentia ita Ecclesia canit,

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur. & paulo post:
Integer accipitur.

Simile. Atque vt anima nostra tota est in toto corpore, & tota in singulis corporis partibus, ita quoque in hostia Christi corpus; atque vt vero corpore diuiso, anima non diuiditur; (brachio siquidem resecto, quædam animæ pars non propterea resciuditur) ita etiam Sacramento hoc diuiso, Christi corpus non diuiditur aut frangitur, fractio enim nō nisi ad species ipsas pertingit. Quod speculi exemplum reddet manifestius: ipsum enim licet fractum & in varia fragmenta diuisum sit ipsa tamē hominis, quæ inde resultabat, imago non frangitur aut diuiditur; sed in tot tantum locis multiplicatur, quot frustilla reperire est. In Sacramento hoc non aliter se res habet, Sacramento quippe hoc in sacerdotis manibus diuiso, non ideo Christi corpus diuiditur, sed integrum perseuerat, totque in partibus continetur, in quot hostia diuisa.

Christi corpus non frangitur fracto Sacramento.

Exod. 12. Exodus huius rei subministrabit figuram. Cum enim Israelitæ agnum Paschalem comederent, vetuit Deus, ne quid in eo frangerent, imo ne ossa quidem, *Os non comminuetis ex eo.* Quid hæc ceremonia designat? non aliud, quam Christum verum nostrum agnum Paschalem, in Sacramento Eucharistico aliquando comedēdum; sed integrum, non confractum, non diuisum: atque ideo factum, quod Judæi, cum latronum crucifixorum membra & ossa confregissent, Christi ossa comminuere non sint ausi, sed corpus illius integrum reliquerint. Ita hoc docent Euangelistæ, *Ad Iesum autem cum venissent, cum viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.*

Ioan. 19.

Figura. In Leuitico Moysi præcepit Deus, vt dum illi in holocausta offerendæ essent aues, vel ut turtures, columbæ, &c. integræ sibi offerrentur, nec capite ablato vel comminuto, sed nonnihil ad collum reflexo. Audi decretum. *De turturibus & pullis columba offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite.* Denotare duo ceremonia hac volebat, primum quemadmodum caput columbæ turturis ve, ad collum retortum erat, nō vero præsectum aut separatum; ita quoque caput nostrum Christum semper cum corpore, id est, Ecclesia permansurum, non separandum; adeo vt bonus ille Emanuel à nobis absens, & simul sit præsens, absens & permanens, vere præsens substantia ratione quadam Sacramentali, absens vero in propria specie, quæ ab oculis nostris percipi nequit. Alterum, quod magis ad propositum nostrum, quod quando Jesus Christus verus ille turtur, de quo in Canticis sermo (*vox turturis audita est in terra nostra*) in Sacramento hoc & sacrificio offerendus esset, non diuideretur aut secaretur, sed integer in communione comederetur & in Missa offerretur. Cant. 2.

Tertium mirabile quod admirabilem, qua Christus in Eucharistia præsens est, rationem comitatur, est, quod sacrum hoc corpus & diuinum eodem tempore & instanti in pluribus sit locis, nullum tamen locum occupans; eodem momento Parisiis est, Romæ, Constantinopoli, Jerosolymis, in China, Peru, in India, apud Antipodes, vtroque in mundi cardine, vbique locorum, vbi Altaria & hostias sacratas reperire fuerit. Hoc intellectum hominum percellit, hoc captum humanum transcendit, hoc fieri nulla ratione videtur posse, tamen præterquam quod fatendum est, nihil Deo impossibile esse, exempla nobis natura ipsa suggerit. Videmus enim ad oculum quotidie vocem, quamuis non nisi accidens sit, multis in locis eodem tempore reperiri. An non verum est, meam hanc vocem, qua hoc ipsum pronuntio, in tot auribus versari vagarique, quot hic auditores ad me audiendum collecti? Si igitur natura accidens quoddam eatenus extollere potest & euehere, cur non idem in substantia faciat naturæ author? an non maioris Deus authoritatis fuerit, quam ipsa Physica? IV. Corpus Christi eodem tempore in pluribus locis.

Ipsa ad hæc ratio nobis adstipulatur, ratio inquam maximis fidei mysteriis innixa: sic enim credere tenemur, duo corpora in eodem loco cum penetratione dimensionum, velut Ratio qua docetur Christi corpus

pluribus locis esse.

in glorioſa natiuitate & admirabili Chriſti reſurrectione contigit, ſimul fuiſſe; cur non eadem ratione credemus, in ſublimi hoc myſterio idem corpus glorioſum diuerſis locis ſe poſſe ſiſtere? an non veriſimile videatur, ſi duo corpora in eodem loco accommodari queant, vnum quoq; corpus in duobus locis poſſe ſubſiſtere? ſi vero in duobus, cur non item in pluribus?

Exempla & demonſtrationes ſuggerit nobis Scriptura, & aperte declarat vnum numero corpus ſubſtantia ſua pluribus in locis poſſe ſubſiſtere. Primo conſtat, Chriſtum ex quo ad cœlos aſcendit, in diuerſis locis fuiſſe, in cœlo quidem ad Patris omnipotentis dextram conſidentem (*ſede à dextris meis*) & in terra Apoſtolo Paulo apparentem, vt ipſe de ſe ad Corinthios ſcribendo teſtatur, *Nouiſſime autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt mihi, &c.* Secundo, dicitur Paulus ad tertium vſque cœlum raptus; atqui huiuſmodi raptus fieri nequit, quin duobus in locis ſimul fuerit, tum in cœlo, tum in terra: certum eſt enim illum tum à terra non abfuiſſe, ſed in eadem permanſiſſe, ſi vero hoc ſolum quoad animam & ſpiritum fuiſſet anima in ſublime rapta, corpore in terra permanente; mortuus haud dubie Paulus fuiſſet, cum aliud quid non ſit mors, quam vnius ab altera partis ſeparatio: quod tamen hic nulla ratione factum videtur.

*Pſal.*109. 1.*Cor.*13. 2.*Cor.*12.

Vna natura in 3. perſonis.

Deinde non tanta repugnantia eſt, corpus vnum diuerſis in locis eſſe, quam eandem in pluribus naturam. Atqui ipſa docet fides & credere iubet, in ſanctiſſimo Trinitatis myſterio eandem eſſentiam, ſubſtantiam, & naturam in tribus Perſonis eſſe, Patre, Filio, & Spiritu ſancto, atque hinc eſt, quod nonniſi vnum eundemque conſtituant Deum. Cur igitur non credemus, idem corpus in diuerſis locis poſſe ſubſiſtere, & maxime Chriſti, quod eſt in Euchariſtia? Quare mirabilia ſunt, in quibus recenſendis pergemus.

V. Chriſti corpus hic inuiſibile.

Quartum mirabile eſt, quod glorioſum hoc corpus, quamuis certo, vere, realiterque præſens & viuens adſit, à nemine tamen videri queat; nonniſi accidentia hic videntur, ſub quibus ſemper deliteſcit, & numquam videtur, quamuis tamen vere realiterq; ſub his contineatur. Quodque difficillimum & rem penitus reddit incredibilem, eſt, quod Chriſtus in Euangelio, declaraturus verum ſe habere corpus, non vero vmbraticum aut phantaſticum, Apoſtolis præceperit, oculos vt aperirent, manibus palparent, quod ſpiritus carnem & oſſa non haberet, videriq; non poſſet, aut manibus contrectari, *Palpate & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa nō habet.* Quod Caluinus argumentum aduerſus Euchariſticam veritatem vſurpauit, quodque velut Achillem credit inexpugnabilem. Sed miſer fallitur. Dico igitur Chriſtum patefacere dum vellet, verum ſe corpus habere, bene conſequenterq; intuliſſe dicendo: *Palpate & videte.* Quod fieri non poſſit rem corporis expertem ſenſu corporeo aut tangi, aut videri, adeo, vt hinc neceſſario inferendum ſit, quidquid tangitur aut cernitur, corporeum ac materiale eſt. *Ioan.*10.

Fieri tamen poteſt, verum aliquod corpus præſens adeſſe, non tamen videri, vel quod ab alio tangatur corpore, vel, quod impediat Deus, ne ſpecies ſenſibiles ad ſenſus transmittantur, quemadmodum in vita Gregorij Thaumaturgi B. Gregorius Nyſſenus, & in S. Felicis Nolani S. Paulinus ſcribunt. Et quamuis exempla nobis nō ſuppeterent, ipſa docet veritas, corpus aliquod præſens adeſſe poſſe, quamuis tamen exterius non videatur; Scriptura mihi hic ſuffragatur. Dicitur quippe in Euangelio, Chriſtum ipſo reſurrectionis die in Emaus, cum duobus viatoribus concedentem ſubito ex oculis eorum euanuiſſe, id eſt, inuiſibilē ſe præbuiſſe. Quin & apud Joannem Chriſtus, Judæi cum lapides in illum iacere vellent, vt turbas & rabiem illorum declinaret, inuiſibilem ſe reddidit, & tranſibat per medium illorum, à nullo tamen viſus aut cognitus eſt, *per medium illorum ibat.* Corpus adeſſe poteſt, non tamen videri. *Luc.*24. *Ioan.*8.

Addo inſuper, dæmones, carminibus magicis & incantationibus corpus aliquod, quamuis alioqui viſibile, inuiſibile poſſe reddere, & hominum oculis ſubtrahere, & aliud è contra, quod procul inde diſſitum fuerit, in locum illius ſubiicere ac videndum proponere. Si dæmonum hoc artificio fieri poteſt,

poteſt, vti reuera ſit, & illuſiones quotidianæ ſatis ſuperque manifeſtant, anne diuinæ quis omnipotentiæ illud ipſum denegare audeat? Diabolus corpus aliquod ſubtrahet aut ſupponet, inuiſibile reddet aut viſibile; & Deus omnipotens omnium id facere non poterit, imo nec in proprio corpore? Quod profecto nullo pacto videtur impoſſibile.

Aer qui corpus, videri nequit.

Aer ſecundum inter elementa, verum eſt corpus, vti & ignis, qui ſub cœlo lunari; interea tamen nec vnum videmus, nec alterum. quamobrem ita argumentor, ſunt in rerum natura corpora, quæ oculis noſtris videri nequeunt, igiturne mirum & velut impoſſibile, corpus glorioſum & communem naturæ ordinem tranſcendens, quale eſt Chriſti in Euchariſtia, videri non poſſe?

Nolite hic quieſcere ſenſus humani veſter viſus nimis debilis & imbecillis, veſtrũque iudicium nimis infirmum, fidei ſiquidẽ eſt, hic iudicare, ac velut præſidem agere, nõ vero veſtrum qui non niſi iudices ſubalterni. Tres Orientis principes ſtellæ ductu Chriſtum pannis in præſepi inuolutum, ſumma animi demiſſione adoratum venere, *& procidentes adorauerunt eum.* Idem Chriſtus velut Deus & homo accidentium panniculis in Euchariſtico myſterio inuolutus eſt & abſconditus, veſtrum eſt ſenſus exteriores, qui velut principes in animæ noſtræ regno dominium exercetis, humilime corpus, animã, diuinitatem omnemque ſubſtantiam illius fidei ductu hic adorare.

Matth. 2.

Oculi boni ſenectionis Iſaac caligabant, adeo vt filium Iacob pellibus hœdinis coopertum dignoſcere non potuerit, quamuis per vniuerſum illum corpus tãgeret, ſed mox vt illum loquentem audiuit, agnouit quamprimum, *Vox quidem Iacob, manus autem Eſau, &c.* Ita quoque in ſacramento hoc ſenſus noſtri adeo caligant & cœcutiunt, verum vt Ieſu Chriſti corpus, accidentium pellibus coopertum, nequeant agnoſcere, ſed ad fidei vocem quamprimum dignoſcitur & adoratur. Vere enim abſconditum eſt, & quamuis à nobis videri nequeat, nos tamen ſub ſpeciebus deliteſcens videre poteſt.

Gen. 17.

Cuius rei egregiam in libro Geneſeos figuram legere eſt, in quo puteum videntis & viuentis nominari audimus: *Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen eſt videntis & viuentis.* Et ſane ſacramentum hoc profundus quidam puteus eſt, in quo vere continetur viuens, quique de ſeipſo ait: *Ego ſum via, veritas, & vita;* quique omnia conſpicatur & obſeruat; quamuis enim nos ipſum non videamus, nos tamen ille è putei huius fundo intuetur & aſpicit. Quo reſpiciens alludenſque in Canticis ſponſa, aiebat: *En ſtat poſt parietem noſtrum proſpiciens per cancellos.* Quid enim ſunt ſpeciens hæ ſacramentales, niſi paries quidã medius poſt quem Dominus deliteſcit, vnde nos videt, quamuis nos ipſum minime videamus? ſed vlterius progredior.

Sacramentum puteus videntis & viuentis.

Cant. 2.

V.

Quintum mirabile, quod Chriſti ſubſiſtentiam hic comitatur, eſt, quod hic accidentia ſint ſine ſubiecto, ſeſe ipſa continentia, ac velut abſoluti quidam Domini à nulla dependentia ſubſtantia; nam ſubſtantia panis & vini, à qua dependebant, & quæ ſubiectum illorum erat, hic eſſe deſiit. Nouum quid & penitus inauditum, Philoſophorumque doctrinæ repugnans, docentium, accidentis eſſe alteri ineſſe, vti ex Ariſtotelis Metaphyſica colligere eſt; adeo vt accidentia non tam eſſe quædam ſint, quam quiddam τȣ̃ eſſe. Idem quoque Platonem carpit, quod ideas à natura ſegregaſſet; ſi vero ex mente illius formæ ſubſtantiales, quales ideæ ſunt, à materia ſeparari nequeunt, multo vero minus formæ accidentales.

Accidentia ſine ſubiecto.

Tex. 32.

Lutherus & Caluiniſtæ huic Philoſophorum doctrinæ innixi docent, Deum omni ſua potentia efficere non poſſe, vt accidens ſine aliquo ſubiecto ſubſiſtat. Quod inconueniens vt euitet, mauult Lutherus panis ſubſtantiam cum corporis Dominici ſubſtantia ſimul coniungere: & Caluinus veram realemque Chriſti præſentiam potius concedere, quam dicere accidentia ſine ſubiecto ſubſtantiaque eſſe, ſubſiſtereque poſſe. In quo ſe non modo infideles, ſed & imperitos Philoſophos oſtenderunt. Phyſica enim docet, quicquid poteſt & habet cauſa ſecunda, à prima id mutuari: atqui Deus

Caluiniſtarum & Luſua theranorũ error.

Ratio naturalis. *Ioan. 1.*

omnium rerum causa est, *Omnia per ipsum facta sunt*; igitur asserendum, quidquid Deus creaturarum adminiculo potest, à se ipso solo & sine illis id posse, cum omnis illarum virtus proprietasque ab illius potestate dependeant. Ecce iam argumentum in forma: Quidquid accidentia subiecto & substantiæ inhærentia conseruare potest, potest & separata ab illa conseruare, eo quod substantiæ potestas proprietasque accidentia conseruandi ab ipso veniat. Atqui Deus omnipotens & substantia & accidentia conseruat; ergo cum illa conseruet, quamdiu subiecto insunt, poterit etiam conseruare à substantia remota.

Natura sine subsistentia in mysterio incarnationis.

Deinde si fides nostra possibilitatibus verisimilioribus limitanda esset, in præcipuo fidei mysterio aliud quid longe admirabilius appareret, in quo tamen substantiam corporalem sine aliqua subsistentia credimus: nam Christi humanitas in mysterio incarnationis non in se, sed in verbi æterni hypostasi subsistit, atque ita non nisi vna hypostasis est, non vero duplex; longe tamen creditu mihi videtur difficilius, naturam quamdã sine hypostasi esse, quam credere accidentia carere subiecto, si igitur difficilius & etedimus & profitemur in mysterio incarnationis, cur quod facilius minusq; repugnans est, nõ credimus profitemurq; in Eucharistiæ sacramento?

De accidentis essentia non est inhærere.

Adhęc nego, & falsum etiam est, inhærere subiecto esse de essentia accidentis. Neque enim Patres, Theologi, & Philosophi dumtaxat, sed multi etiam Gentilium eius fuere opinionis Basilius namque non modo credidit accidens esse posse sine subiecto, sed iam

Hom. 2. & 6. de hexa.

inde à mundi primordio subiecto caruisse. In Homiliis scripsit, solis lumen à primo die conditum fuisse, & nulli subiecto tamen inhæsisse, idq; triduo, donec tandem die quarto, sole creato, illi velut subiecto naturali inditum est. Atqui lumen accidens est, cum tamen illud sine subiecto triduo conseruare poterit Deus, in aliis idem præstare haud dubie poterit.

Tom. 2. cap. 76.

Thomas Waldensis plura veterum Philosophorum hic adducit testimonia, credentium accidentia sine subiecto esse & subsiste-

re posse. Aristoteles quidem hoc non concedit. nam vere illud fieri nequit, aperte tamen docet, de accidentis essentia non esse, inesse & inhærere: Nam lib. 3. de anima docet aliud esse magnitudinem, & aliud magnitudinis esse, si esse, id est, existentia accidentis ab essentia destructa est, multo potius inhęrentia distinguitur, quæ non nisi certus quidam existentiæ modus. Idem quoque Aristoteles de vacuo tractans petit, an vacuum illud dicẽdum, in quo nonnisi color aut sonus quispiam reperitur; quæ quæstio sane inanis & futilis foret, si inhærentia foret de accidentis essentia: de colore enim cum agimus, necessario subiectum includimus, cui is insit, & proinde corpus, vbi vero corpus aliquod est, vacuum esse non potest. Adeo vt Aristoteles hanc quæstionem proponens, an scilicet locus ille vacuus foret, in quo nullum corpus, sed accidens aliquod dumtaxat (quale sonus aut color) reperiretur, agnouisse & confessus videatur, accidens esse sine subiecto posse, & ab omni corpore & substantia remotum.

Cap. 6.

9. Physic. tx. 58.

Accidens habet esse, & subiecto inhærere.

Concludamus igitur, Theologi, duas accidens habere proprietates; primo suum esse, deinde subiecto inhærere: primum illi reliquit Deus, & secundum potentia sua illi aufert. Liquet à simili: in igne duo sunt, *lucere* & *vrere*; tamen non sine miraculo ignis Babylonicus aduersus tres pueros in fornace accensus, priori effectu permanente, secundo caruit, numquam enim Martyres in fornacem coniectos potuit offendere: atqui certissimum est, calorem tam huic elemento essentialem esse, quam accidenti subiecto inesse.

Impium est credere Deum non posse facere, vt accidens sine

Cæterum, penitus hoc admirabile esse fateor, & opus quoddam ab omnipotentia diuina profectum, cum omnem naturæ vim, & communium rerum inferiorum ordinem excedat: fatendum quoque impium ac blasphemum esse, credere & affirmare, penitus hoc fieri non posse, & Dei omnipotentiæ potentiam hanc denegare. Quicunque enim Deum omnipotentem esse crediderit, credet etiam haud dubie cunctos omnipotentiæ illius effectus, idque per verbum illius: si enim diuina hæc vox substantiis & accidentibus esse dederit, vt sine aliquo subiecto

subiecto subsistat. *Lib. de initian. c. 10.*

iecto essent & subsisterent, multo facilius easdem substantias conuerter & commutabit, ac sine illis accidentia, quoties & quomodo illi visum fuerit, faciet subsistere. Atque hæc est magni Doctoris Ambrosii ratio, *De totius mundi, inquit, operibus legistis, quod ipse dixit & facta sunt: sermo ergo Christi ex nihilo faciens, quod nouerat, non potest ea, quæ sunt, mutare in id quod significant?* Credendum dumtaxat est Deum omnipotentem esse, si credere velis, hoc fieri posse.

IV.

Gen. 17.

Cum Abrahamo Deus filium in spem posteritatis, hæreditatisq; abeundę nasciturum promitteret, primum, quo eum ad credendum inducere voluit, argumentum ipsa erat omnipotentia; *Ego, inquit, sum Deus omnipotens.* Id est, si natura & rationes humanas in consilium adhibeas, penitus tibi videbitur fieri non posse, vt vxor tua vetula & infœcunda filium tibi pariat; sed hoc vnum hanc tibi natiuitatem suadeat, quod omnipotens sit, qui hanc tibi promittat ac spondeat. Idem de hoc mysterio dico; Quicumque sensus & rationem consultricem adhibet, & credere nequit, accidentia sine subiecto, sed per se ipsa subsistere, sibi ob oculos ponat, quod qui hoc faciat, quique hoc sacramentum instituerit, omnipotens Deus sit, cui nihil factu impossibile.

Omnipotentia Dei articulorũ symboli fundamentum.

Hinc factum, vt Apostoli, quo fidei nostræ articulos creditu faciliores redderent, ab omnipotentia exordium ducant, eamque velut omnium credendorum fundamentum ponant, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Credendum igitur, firmiterque tenendum sola accidentia hic permanere, qualia sunt, color, sapor, figura, & alia, & panis substantiam, cui velut subiecto inesse solebant, abiisse & desiisse; & quamuis sensui videbatur panis adhuc reliquus esse, errat tamen & fallitur, sola enim nudaque accidentia hic permanent.

Gen. 27.

Iacob Esau mentitus, eius enim vestes induerat, patri se obtulit, non ideo tamen vere Esau erat; sed non nisi illius species & imago. Ita quamuis Christus sub panis accidentibus in sacerdotis manibus ad aras immolantis se spectandum proponat; non ideo tamen panis hic est, sed accidentia tantum & panis similitudo.

Michol Dauidis loco in lecto statuam quamdam & pelles hœdinas exploratores e- *1. Reg. 19.*
lusura collocauit; adeo vt cum Saulis milites veniissent, Dauidem quæsituri, præter statuã & pelles nihil inuenerint. Eodem modo hic sensus nostri deluduntur, credentes enim veram hic panis substantiam esse; nihil huiusmodi reperient, sed sola & nuda accidentia, quibus substantia tegitur ac cooperitur, quæque in hoc sacramento, subiecto iam ablato, permanent.

Ioseph in manu dominæ *pallio relicto*, ne dominum offenderet, eiusque thorum vio- *Gen. 39.*
laret, *fugit & egressus est.* Eodem modo in hoc sacramento res peragitur. Auditores, quamprimum enim vt consecrationis verba proferuntur, panis esse desinit & fugit accidentibus, velut pallio suo, in sacerdotis manibus relictis, ne in dominum peccet, eiusque obedientiam infringat, non est vero sensuum hic contrarium ostendere, qui non nisi iudices inferiores sunt & secundarii, quique sola accidentia, quæ vident & palpant, quæque secundum communem naturæ ordinem fiunt, diiudicare norunt.

Festus Præses Paulum iudicaturus ad *Act. 25.*
Cæsarem velut ad supremum iudicem & aliorum iudicum caput appellauit. Ita cum sensus in hac materia diiudicare quid voluerit, ad fidem potius appellandum est: veritatis enim huius iudicium ad supremum iudicem spectat, quæ ipsa fides, non vero sensum exteriorem; qui nonnisi secundarius & subalternus est iudex. In Exodo Mosi quidam ex- *Exod. 22.*
probrans & immorigerus: *Quis te constituit iudicem?* eodem modo sensui respondendum, cum in tam profunda tamque sublimia inquirere & diiudicare præsumet, eique acriter obiiciendum: Quis te articulorum fidei, rerumque supernaturalium ac diuinarum iudicem constituit? Nequaquam sensus hic obediat menti & Spiritus fidei, fides vero credat in Deum; nulla alioquin pax, quies aut securitas tum in anima, tum in Ecclesia futura est.

Fides supremus in hoc sacramento iudex.

In vtero Rebeccæ, vxoris Isaac, nulla pax erat,

erat, quod in eodem duo aduersarii bellum inteſtinum gererent, & duorum populorum capita; *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, &c.* Ita quoque in Eccleſia, vel potius in anima, dum ſchiſma, diuiſio, ſeditioque aliqua ingruerit, ſenſus iuxta captum & mentem ſuam diiudicare voluerit, & ratio ſeſe ſubiicere nolit, & fides dominatum ſuperioritatemque obtinere nequeat, nulla ſperãda pax eſt, ſalus nulla, quies vel tranquillitas nulla.

Pſalmographus audacter de hoc myſterio velut de articulo quodam fidei locuturus ait, ſe non hominum ſuaſu, inductioneve, nec ſenſuum iudicio inductum id credidiſſe, ſed pure ſimpliciterq;, quod hoc illi Deus reuelaſſet: *Credidi propter quod locutus ſum*: & cum ſenſuum, argumentorum & rationum humanarum falſitatem aperuiſſet, ait: *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Pſal. 115.

Idem omnino faciat Chriſtianus, & fidei, non vero ſenſuum lingua inductus credat, Deum non minus veracem fuiſſe in hac nobis veritate reuelanda, quam in omnibus mirabilibus patrandis; ſibique perſuadeat non immerito à Dauide ſacramentum hoc memoriam & compendium omnium diuinorum myſteriorum fuiſſe appellatum; *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus.*

Et eſt reuera mirabilium compendium, in eodem ſubiecto tot mirabilia miraculaque concurrere, & ad vnicum hominis verbum Deum è cœlo in manus illius deſcendere. Magna quidem verborum Ioſue vis fuit, quod violentum ſolis curſum in medio axe ſtiterit, vt diem protraheret, & nox moram pateretur; at maior haud dubie ſacerdotaliũ eſt, quæ Chriſtum cœlo deuocant, gratiam qui elargiturus eſt & communicaturus. Magnum hoc, vti & illud, quod panis vinique ſubſtantia eſſe deſinente, Domini corpus quamprimum adeſſe incipiat; quod accidentia ſine ſubiecto ſubſiſtant, quod corpus quantitatem habeat, nullam tamen extenſionem, quod eodem momento in pluribus ſit locis, locum vero nullum occupet; quod vere realiterque corpus ſit, non tamen palpabile aut viſibile; quod hoſtia frangatur diuidaturque, corpus tamen ſemper maneat indiuiſum. Quis audiuit vmquam quid ſimile? quis non admirans exclamet: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine, omnia in ſapientia feciſti, &c.* Pſal. 103.

Mirabilia Euchariſtiæ.

Eia igitur fideles, veritatem hic fidei ſequamini, ſenſus humiliate, & rationem, argumenta & ſyllogiſmos, qui contrarium oſtendent, conuincite, omnipotentiam Dei vindicate, mirabilia admirabilis exiſtentiæ corporis Chriſti in ſacramento Euchariſtico adiremini, in quo animæ noſtræ exemplum vos confirmet; conſiderate inquam, quod quemadmodum illa tota in toto corpore & ſimul in vnaquaque corporis parte eſt, ita glorioſum Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe: ſciunt enim Philoſophi omnes, locum corpori deberi non ſolum quod corpus ſit, ſed etiam quod vnum.

Hoc igitur vobis inhæreat, quod ſi intelligere non valeatis, in ſilentio idipſum adorare ſufficiat. Et ſane animarum noſtrarum vindex Deus, te hic ſupplices adoramus, & omnia hæc mirabilia demirantes, te vere hic præſentem eſſe confitemur, eſſe velut Iacob pellibus accidẽtium coopertum; velut ſponſum Canticorum ſpecierum ſacramentalium cancellos reſpicientem; velut Moyſem monte deſcendentem faciem ſacramenti velo coopertum, vt ita diuinæ maieſtatis fulgorem, ad quem creaturarum oculi caligant abſcondas; ac velut ſolem humanitatis noſtræ nubilo tectum, vnde inflexus nobis cœleſtes emittis. Quos ne ſubtrahas rogamus, & ſupplices contendimus, tuumque amorem nobis in hoc mundo elargiaris & gratiam, vt hac ratione in altero gloriã prometeamur, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus S. deducant, Amen. Locus corporis debitus, quod vnum ſit. Gen. 27. Cant. 2. Exod. 32.

CONCIO

CONCIO SEXTA

INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

SEXTVM MIRABILE.

In quo de admirandis SS. Eucharistiæ effectis est sermo.

Partitio.

1. *Quod Dei beneficia nutrientis nos obligent.*
2. *De effectibus Eucharistiæ in anima quoad peccata & opera mortificata.*
3. *Effectus alij spirituales.*
4. *Quod communionis vis maxima sit ad charitatem.*
5. *Communio valet ad cor corroborandum.*
6. *De effectibus Eucharistiæ corporalibus.*
7. *Miscellaneum effectuum Eucharisticorum.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal. 110.

FIGVRA.

2. Reg. 6. DOmus Obededom Leuitæ gratiis & benedictionibus cœlestibus repleta fuit, quod fœderis arca ad aliquot menses in eadem esset commorata. Arca hæc, Auditores, vere Eucharistiæ figura fuit & prototypon, atq; innuere allegorice historia volebat, sacrosanctum hoc sacramentum, vt digne, summoque cum honore animam piam, spiritualemque ingressum est, omnia quamprimum donis, gratijs, fauoribus, & benedictionibus cœlestibus repleri, ac cumulari. Felix beataq; illius præsentia, ac receptio illius penitus admirabilis, & effecta vere diuina & inaudita. De his hodierna die apud vos agam, & omnia illius genera, quam possum scitissime recensebo. Sed cœleste prius auxilium implorandum est, ad Spiritum paracletum confugiendum, eius gratia expetenda, simulque gloriosa Deipara inuocanda, nobis vt adesse & patrocinari dignetur: idcirco in genua procumbamus, & cum Gabriele Archangelo verbis consuetis illam salutemus.

AVE MARIA.

I. Nihil est quod magis obliget quemquam alimentum

Nihil est omnino, Auditores, quod homines erga Deum magis deuinciat, magisque impediat, ne maiestatem illius vllo modo offendant, quam beneficiorum, & præsertim eorum, quæ ad alimentum, & vitæ huius sustentationem spectant, recordatio, jugisque memoria. Exemplo nobis futurus est Iacob Patriarcha, qui cum ad extremam se redactũ inopiam cerneret, & maxima victus penuria laboraret, votum vouet Deo, se, si panem in cibum, & vestem ad induendum nactus fuerit, perpetuo vt Deum illum habiturum, totoq; vitæ tempore fidele illi obsequium præstiturum. Audiamus promittentem: *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestem ad induendum, erit mihi Dominus in Deum, &c.* Gen. 28.

Hoc argumento vsus est in Deuteronomio Deus, vtq; Hebræis repræsentaret, quãtum illi deberent, ingẽtia illis beneficia, quæ ab ipso receperant, in memoriam reuocauit, atq; illa inprimis, quæ ad eorum educationem, alimentaq; pertinerent: *Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui:* quasi diceret, si colere me, & adorare debes, populе meus, quod tuus creator sim & conditor; maiori profecto ratione, quod tuus sim benefactor; recorderis enim oportet omniũ viarum, per quas te Deus quadraginta annorum spatio deduxit, interea dum in deserto commoraretis quomodo tibi manna in cibũ dederit, quod erat cibus & esca tibi non minus quam Patribus incognita. Equo efficere volebat, illum, qui alit & educat, alumnos sibi mirabili ratione deuincire. Deut. 8.

Quod egregie illustratur apud Ioannem, vbi Dominus postquam quinq; panib. hor-

deaceis & duobus piſciculis quinque hominum millia refeciſſet, ita ſibi alumnos illos deuinxit, vt publica illum voce deprædicarint, eius mirabilia diuulgarint, inq; Regem eligere voluerint: *Ieſus ergo cũ cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, &c.* *Ioan. 6.*

Adorari meretur Deus, quod enutriat.

Et ſane magnum ſingulareq; beneficium eſt, à Deo nutriri & educari, adeo vt ſi nulla alia eius amandi timendiq; eſſet ratio, vnum hoc ſufficeret, quod ab eo & alamur & nutriamur, quique animas ſimul & corpora magna cura, ſollicitudineque recreat ac paſcit: vnica hæc conſideratio, licet alię non forent, ad rationis præſcriptum ponderatæ, nos illum in regem creare, & velut Deum ſincere toto vitæ tempore adorare cogeret.

Gen. 41. Ioſeph non ſine ſingulari Dei prouidentia ad ſecũdaria regni Ægypti gubernacula promotus, cum jam frumenti magnam copiam coaceruaſſet, & vniuerſos regni incolas in ſumma rerum inopia aluiſſet, publico omniũ Satraparum, & Regis imprimis edicto honorem nactus eſt ampliſſimum, & generalis totius regni vicarius, & lingua Ægyptiorum, Saluator mundi eſt nuncupatus: *Et vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi, &c.* *Cant. 1.*

Videte igitur quomodo alimenta hominẽ obligent? quot, quantiſque nominibus altori debitores conſtituant etiam populos barbaros & Deum ignorãtes? Maior profecto Chriſtianorum erga Deum obligatio, qui tanta anxietate, curaque illos educat, & nullo non tempore reficit.

Sponſa, dona, quæ à dilecto receperat, quotque nominibus erga illum eſſet deuincta, recenſens inter cetera ait, eo potiſſimum nomine ſe obligatam, quod in cellaria illius ad guſtanda vina eſſet introducta, in quibus reficeretur, & biberet largius: *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Proh! quanto maior animæ erga Deum obligatio, ſponſum inquam ſuũ, quod quotidie illam non in cellam, ſed ad Sacramenta, & præſertim ad Euchariſticum inuitet & introducat, vt ibidem corpore eam ſuo reficiat, & ſanguine inebriet, quę alimenta vere diuina ſunt & cœleſtia. Magna animæ obligatio erga Deum.

Et ſane ſingulare beneficium eſt liberali munificaque Dei manu enutriri, & non minor è contra ingratitudo, ipſum nolle agnoſcere, & beneficij memoriam exuere. Vnde apud Iſaiam expoſtulans Deus hanc Iudęis ingratitudinem exprobrat, quod ſcilicet ab illo enutriti, benefactorem contempſiſſent, & tantum non pedibus proculcaſſent: *Filios enutriui, ipſi vero ſpreuerunt me*, quaſi diceret, ægre me habet, & non mediocriter emacerat, quod poſtquam filios tam ſedulo matureque educarim, ab ijſdem negligar, offendar, & ad iracũdiam prouocer. Nulla ſane reperiri maior ingratitudo poteſt, quam Chriſtianos, quibus datum eſt filios Dei & eſſe & dici (*Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*) quique quotidie, tum quoad animam, tum quoad corpus in menſa Patris cœleſtis reficiuntur ac paſcũtur, quotidie delictis eum ſuis irritare & contemnere. *Cap. 19.* Chriſtianorum ingratitudo. *Ioan. 1.*

De populi ſui ingratitudine conqueſtus olim altiſſimus, eamq; ſugillans & coarguens, inter cætera ei exprobrat, quod delicate enutritus ac impinguatus aduerſus ſe inſurrexerit, & refractarius recalcitrarit: *Incraſſatus, dilatatus, impinguatus, poſtea recalcitrauit.* Dicere volebat: Quid? huncine populum impinguatum & velut equum hordeo in equili infartum, inſoleſcendo me calcibus petere, in me inſurgere, tollere cornua, murmurare, & præcepta mea pedibus proterere & peſſundare? Profecto deplorandum ac lachrymis dignum, Chriſtianos tam iucunde dulciterque in epulo Euchariſtico refectos, & impinguatos, aduerſus Deum inſurgere, calcibus petere, immorigeros ſe præbere. Nulla hac maior dici fingiue ingratitudo poteſt. *Deut. 32.*

Sortem ſuam deplorans Dauid, & aduerſum fortunæ vultum, ait, nihil vnquam ſibi viſum grauius aut funeſtius, nihil quod illũ affligeret magis, quam domeſticos, conuiuaſq; aduerſus ſe inſurgere, & inſidias in corpus ſuum moliri. Audite querelas & expoſtulationes: *Si inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecũ dulces capiebas cibos.* Nihil grauius domeſticorum inſidiis. *Pſal. 54.*

Quod olim de ſe ipſo Dauid, idem de Deo ſentiendum credendumq;, ſi aliqua in illum cade- Grauis offenſa corũ

qui sæpius communicant.

cadere possit afflictio, nihil fore quod illum affligeret, torqueretq; magis, quam cum offensum se videt ab ijs, qui fideles se illius famulos esse jactant, sæpiusque ad communionem accedunt, & frequenter carnem illius & sanguinem in Eucharistia recipiunt. Nihil siquidem est, quod diuinam maiestatem magis offendat & irritet.

Hactenus hæc dicta, hinc vt fiat manifestum, quemadmodum Deo infinitis nominibus deuincti sumus, quod alimenta nobis suppediter, corpusq; enutriat, multo maiorē nostram erga illum obligationem esse, quod animam in Sacramento Eucharistiæ enutriat ac pane reficiat Angelico, Sacramento inquā, quod omnium diuinorum memoriale & epitome; quod solitum nobis thema hactenus fuit: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.* Inter tot mirabilia jam aliquod mihi delegi, quod sextum futurum sit, qui sunt mirabiles, quos producere in recipiente Sacramentū hoc solet, effectus: in quo vt ordinem cōsuetum seruem, primo de effectis illius, quæ in anima, ac deinde de ijs, quæ in corpore producit, sum acturus, atque hinc videre potestis, quanta hic mirabilia deliteſcant.

II. Quod ad primum igitur spectat, antequam progrediar vlterius, sciatis oportet, Sacramētum inter cetera, quibus nuncupatur nominibus, tria potissimum habere, quæ primaria ac præcipua sunt, vt Angelicus Doctor Thomas ait: dicitur quidem hostia, communio & viaticum, idque ob triplicem temporis differentiam, hostia siquidem præteritum temporis spectat, quod mortis & Dominicæ passionis, in qua velut vera hostia ille Deo Patri oblatus fuit, memoriam refricet. Communio præsens denotat, quod corporis & sanguinis Iesu Christi manducatione cum illo vniti cōiunctique maneamus. Denique viaticum futurum tempus innuit, quod Sacramentum hoc, velut viaticum & saluus conductus, cum ex hac vita decedimus, nobis dari soleat. 3 p. q. 73.

Primus Eucharistiæ effectus

Hoc supposito materiam jam auspicor, dicoq; Lutherum nouorum commentatorem paradoxorum, de effectibus Eucharisticis dum loquitur, asserere, primum Sacramenti huius effectum esse, mortiferorum delictorum remissionem, & nullā idcirco ad id præparationē requiri; at quo plura quis se & grauiora admisisse flagitia nouit, eo aptiorem, dignioremq; esse, ad hoc vt Sacramētum admittatur: nec confessionem prę̄uiam necessariam esse, sed vnicam sufficere fidem, qua credat omnia sibi hac Sacramēti sumptione peccata à Deo condonanda. ita docet sermone de digna ad Eucharistiam præparatione, quē anno millesimo quingentesimo decimo octauo habuit; hoc vero modo id conatur astruere, quod Redemptor Iesus peccatores & non justos ad Sacramentum hoc vocare venerit. Eiusdem quoq; opinionis est Martinus Kemnitius: contrarium in Institutionib. suis tradit Caluinus, & particulare iter ingressus, vult pœnitentia, prius hominem iustificari, docetq; fidem & charitatem ad digne Eucharistiam recipiendam imprimis requiri.

peccatorū remissio, iuxta Lutherum.

2. p. exam. Conc. Trid. sess. 18. c. 2.

Catholica vero Ecclesia, omnes hasce hæreticorum opiniones conuellens, in Concilio Tridentino duo circa hoc imprimis docuit; primum, præcipuum, primariumq; Eucharistiæ effectum non esse mortalium peccatorum remissionem, sed animæ nutricationem, & à peccando præseruationem. Alterum, præparationem ad Eucharistiam non solam, nudamque fidem esse, sed veram pœnitentiam, peccatorumq; confessionem. Quod è sacris literis abunde sufficienterq; astruere possumus. Primo in vniuerso sexto Ioannis capite dictum scriptumque non est, Sacramentum hoc ad peccatorum remissionem esse institutum, sed ad vitam spiritualem duntaxat conseruandam, *Non morietur in æternum.* Secundo Redemptor dixit: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, &c.* è quo loco cernitur, Sacramentum hoc nonnisi spirituale alimentum esse, quare absurdum & penitus ineptum est, cibum potumque mortuis porrigere.

Sess. 13. c. 2.

Ioan. 6.

Tertio liquido id colligere est è figuris Testamenti veteris; Agnus enim Paschalis, qui Sacramenti huius figura, non nisi à mundis purificatisq; comedi poterat. Panes quoque propositionis inquinatis & immundis, & cō-

Num. 9.

2. Par. 30. 2. Reg 21. Leu. 22. mercio muliebri pollutis non dabantur. Ad hæc quicunq; pollutus é carne sacrificiorum comedisset, in vitæ periculo versabatur, & anima in præsens discrimen adducebatur, vti in Leuitico scribitur. Deniq; in nouo Testamento Apostolorum prius pedes Redemptor lauit, quam sacram ijs Eucharistiam impertiret; quin & apud Matthæum grauissime animaduersum in illum, qui sine veste nuptiali ad Regias nuptias ingredi præsumpserat. Apostolus adhæc idipsum docet, dum probari sumentem vult, antequam ad sumendum sese ingerat, *robet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*.

Ioan. 13. Matth. 22.

1. Cor. 11.

E quibus efficio insignem diligentemque præparationem in Eucharistię sumptione necessariam esse, atq; idcirco primum illius effectum non esse peccatorum lethaliū remissionem, nisi forte per accidens, & aliqua per excusabilem obliuionem adhuc in conscientia reperiantur, quamuis omnem & extremā sumens diligentiam adhibuerit, pœnitētiam vt in se excitaret, diligenterq; ac serio omnes conscientiæ angulos excuteret.

Dicendum tamen Sacramento hoc peccata venialia directe & per accidens remitti bonisq; operibus, quę peccatum occiderat, quibusq; omne meritū abstulerat, quæq; Theologi opera mortificata dicunt, vitam restitui. Elisæi Prophetæ historia nobis id reddet manifestius. Hic enim cum viduæ Sunamitidos ædes subiret, filium illi suum ad vitam reuocauit; oleum illius & farinam multiplicauit: quod præsagium fuit & figura, Christum omnium Propheratum regem, qui hoc Sacramento continetur, cum animam viduam & afflictam, quæ Deum & sponsum suum peccatis amisit, ingreditur, filios illius, id est, bona opera, quæ olim ediderat, sed quæ deinde peccatum morti tradiderat, resuscitaturum, & sacrum gratiæ oleum per pœnitentiam jam acquisitum, & meritorum farinam multiplicaturum.

4. Reg. 4.

Eucharistia opera mortua viuificat.

Mach. 1. Ecce & aliam allegoriam. Israelitæ in captiuitatem Babylonicam cum adducerentur, ignem sacrum in puteo quodam obscuro defoderunt, ne in profanorum manus incideret, in quo septuaginta ipsis annis delituit, tot enim annis in captiuitate mansere. sed vbi in libertatem restituti in patriam venere, & ignem quæsituri puteum aperuerunt, nihil ignis reperierunt, sed aquam quandam crassam & viscosam, quæ radijs solis exposita flāmam concepit & ignem pertransiit, *Non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, &c. & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Moralem hinc sensum expiscaturus aio: dum anima in peccati captiuitatem abducitur, ignis charitatis, deuotionisque in conscientiæ puteo jacet exstinctus, nihilq; præter aquam peccati, & tenax mundanarum vanitatum viscus reperitur; at vbi captiuitas illa finem accipit, animaque libertati restituitur, quamprimum vt radijs solis in hoc Sacramento refulgentis exposita est, accenditur, totaque ignescit; quod per Sacramenti huius receptionem opera mortificata vitam recipiant.

Esse tradunt authores radicem quandam, Græcis ἀνηλίζις dictam, quæ ignem concipit, & accenditur, mox vt in Solis conspectū venit. Verum hoc an sit, nescio, scio tamen opera nostra & virtutes, veras salutis nostræ radices, peccato aridas, & quodammodo emortuas, quamprimum meriti vitam nanciscī & accendi, vt Sacramenti huius in Eucharistia resplendentis radios sensere. Atque huc referre licet Psalmistæ illud: *Carbones succensi sunt ab eo* Id est, opera nostra, quæ carbonum instar in peccato nigrescebant, lucida fieri, flammareque, cum ad Sacramenti Eucharistici ignem accesserint, incipiunt. Sed habet & alios effectus non inferiores.

Radix, quæ ad Solis cōspectū accenditur.

Psal. 17.

Præterita peccata remittit, & à futuris præseruat ac tuetur. In huis rei figuram factum est, vt arca Testamenti à terra Philisthæorum redeunte, & ad ripam Iordanis accedente, aquæ superiores, quæ à fonte descendebant, steterint, & inferiores defluxerint: *steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis tumescentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edon, vsq; ad locum Sarthan quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis* (quod nunc vocatur mortuum) *descenderunt, vsquequo deficeret.* Arca hæc venerabile Sacramentum denotabat, quod mox vt ad animam accedit, a-

Ios. 3.

quæ

quæ superiores stãt, i.e. peccata præterita remittuntur, inferiores vero delabuntur & pereunt; quod à futuris, quæ in animam deuolui poterant, præseruet ac defendat.

Huc alludens Dauid obstupescit, quod arca veniente aquæ steterint, & cursum intertumpentes ad caput suum reuersæ sint, *Psal.* 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* de mari quidem rubro scriptum est Exod. 14. de Iordane vero Iosue capite 5. Sed in venerabili Sacramento satius hoc est demirari, nam, vt ad arcæ conspectum fluxus & vndæ marinæ non modo quieuere, sed etiam retrorsum conuersæ sunt; ita quoque ad Domini in hoc Sacramento præsentiam vitia fugiunt, superbiæ fluxus detumescunt, ambitio subsidit, vanitas sopitur, & concupiscentiæ prauorumque desideriorum flamma exstinguitur.

III. Quid apud Danielem similis filio Dei apparuit, in Babylonicæ fornacis ignem temperauit, vt tres pueros, qui in eandem conrecti erant offendere non potuerit, *Et species quarti similis filio Dei* Mundus hic, auditores, Babylon quędam est, caro fornacis vice fungitur, & ignis concupiscentia, in qua quotidie animæ adurũtur & ardent, at mox vt Dei filius in hoc Sacramento delitescens, in hac fornace se conspiciendum tradit, ita ignem hunc moderatur, vt animis nocere non possit; appetitui dominatur, sensualitatem refrænat, & humanarum passionum ardorem exstinguit.

Dan. 3.

Sacramentum concupiscentiæ ardorem restinguit.

Ezech. 10. Animalia, quæ apud Ezechielem currum triumphalem trahere describuntur, diuersa inter se erant & distincta; at quoniam spiritus Domini erat in rotis, superne vero similitudo vultus hominis; ideo omnia pacata erant & quieta. Deus homo in hoc Sacramento haud dubie est, non igitur mirum est, passiones quiescere, & refræuatas iugum pati, quæ velut feræ quædam truculentæ & indomitæ, ac nimium inter se discrepantes vitæ nostræ currũ trahunt, cum spiritus Dei & Deus ipse imperium hic exerceat. Hic scilicet vitia domantur, passiones cohibentur, atq; omnis in moribus corruptio corrigitur ac tollitur.

Sacramentum hoc passiones domat.

Socratem Philosophum cum salacem & libidinosum Sopyrus Physiognomicus censuisset, ridere cœpit Alcibiades, qui id coram audiebat, vtpote qui præceptorem longe alium virum nosset, & ab omni praua cupiditate remotissimum, sed defendere Physiognomicum cœpit Socrates dicens, rem acu hic tetigit, & morbum meum quam scitissime è pulsu cognouit; si enim me sobrium, temperantem & castum modo videas, Philosophiæ asscribendum, quæ naturam meam correxit, & animæ inclinationes refrænans, in alium me virum commutauit. Idem de sancta communione dicendum, ac credas velim, si humilem, prudentem, pium, castum, temperantem, honestæque conuersationis te videas, sacrosanctæ id Eucharistiæ asscribi oportere; illa quippe morum vitia tollit, naturæ corruptionem corrigit, & affluentem animabus gratiam impertitur.

Socratis apophthegma.

Atque hic vnus è præcipuis Sacramenti effectibus est, quod scilicet gratiam recipienti conferat, collatamque adaugeat; idque ex Psalmographi mente, *Multiplicabis in anima mea virtutem* In quo obiter notandum, Eucharistiam viuentium cibum esse, per quem, & cum quo homo, spiritualiter in Baptismo regeneratus, in vita spirituali conseruatur. Non igitur per illam prima gratia donatur, sed ei, qui iam per gratiam viuit, non confertur; vnde Dei filius ait, *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Gratia enim tam abunde luculenterque hic confertur, nihil vt animę denegari queat.

Sacramentum naturæ corruptionem tollit. Gratiam confert. *Psal.* 137. *Ioan.* 10.

Hoc conuiuiorum apud veteres priuilegium erat, nihil vt denegari posset, quod interepulandum petitum esset. Ita prudens & cordata Esther populi sui libertatem, restitutionemque petitura, quem Aman inuidia æstuans iam cõdemnauerat exspectauit, donec Assuerus mensæ accumberet, & oportunum hoc tempus putauit, cum sciret, petita inter conuiuandum concedi solere. Hoc etiam tempus sibi delegit Herodias, cum filiæ suasit, vt Ioannis Baptistæ caput in lance peteret, peteret inquam à rege, dum mensæ accumberet, *Et pœnituit regem propter iusiurandum,*

Veterum conuiuiorum priuilegia. *Esth.* 7. *Matt.* 14.

dum, & propter simul discumbentes. Si in veterum conuiuijs mos hic erat, melius is haud dubie in epulo Eucharistico seruatur; nihil enim hic animabus denegatur; hic audacter quidlibet petant, hic audient, *Petite & accipietis.* Herodes dimidium regni se hic daturū
Marc.6. puellæ iurauit, *Et iurauit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* At longe munificentior hic est Deus, nam integra se daturum spōdet regna, imo suos filios effecturum, & ex hominibus in Deos constituturum:
Ioan.1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* q̄ ad primum: *Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes,* quod ad alterum.

Narrat Augustum Suetonius sex olim cōuiuas laute excepisse, vtq; magis munificentiam splendoremque suum patefaceret, tres deorum & tres dearum schemate induisse, ipsumque in medio velut Deum supremum consedisse. friuolum hoc & absurdum, rei veritas tamen est, in Sacramento Eucharistico, homines deificari, & animas cœlestes penitus effici.

In hoc Sacramento Diabolus exploditur & fugillatur, quodq; olim ille ad arboris vetitę esum inuitans promisit: *Eritis sicut dij* vere in Eucharistia nostra locum habere con-
Psal.81. stat: quicunq; enim digne communicāt, sicut Deus quidam sunt: & hoc testatur in Euāgelio Dominus, *sicut misit me viuens Pater, &*
Ioan.6. *ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Cibus quidam mortem nobis attulit & calamitatem, nouus hic cibus vitam & diuinitatem adfert: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* O verba notatu dignissima! quasi dicere vellet, Quēadmodum caro mea vitæ diuinæ particeps est, & verbo mirabili hac substantiarum personarumque vnione adunita est in incarnatione; ita quoque qui carnem meam manducauerit de vita mea participat, inque meipsum per Sacramenti vnionem conuertitur. Quod etiam à verbis illis colligere
Ioan.6. est, *Qui manducat carnem meam: in me manet, & ego in eo.* scio verba hæc diuersimode exponi posse; *in me manet*, id est, *in me viuit*: nam qui Sacramentum hoc recipit, non in se viuit, sed in Christo. atque hoc pa-
Gal.2. cto se vixisse ait Paulus, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus, &c.* id est, olim in mundo, in Iudaismo, inque peccatis vixi, sed iam mutata sunt omnia, & nouam vitam viuo. *In me manet*, id est, *in me quiescit*; quod qui digne communicat, in Deo suo contentus sit, nihilque amplius in mundo desideret, nihil in terra concupiscat, similis illi, qui cœli desiderio æstuans dicebat, *& à te quid volui super terram?* At melior & conuenientior expositio est, *in me manet*, id est, *in me conuertitur*, Deus fit & est, non amplius homo.

Hic cogitationes sistas velim, ô homo, hic mentem in sublime sustollas, hic consideres, quantum peccatum sit à Deo se suo seiungere. Si tyrannus immanis & barbarus omnem abs te cibum auelleret & separaret, quem integro anno comedisses, an non insignem in te crudelitatem & inauditam exerceret? partem siquidem oculorum, aurium; pedum, manuum auelli oporteret, nullumq; in corpore membrum foret, quod non incidi & decorticari imminuiq; deberet, quod barbaricum & immane foret. Cibus hic cœlestis, homo, quem in communione sumpsisti, in te conuersus est, iam non nisi vnus & idem es cum eo: cum igitur ab illo te separas, oculi partem illi aufers, pedes & manus illius truncas, aliaq; membra frustratim discerpis. Quę crudelitas immanis & inaudita. Huc alludens Paulus magna energia, efficaciaque dicebat, *Tollens membrum Christi faciam mem-* 1.Cor.15.
brum meretricis? sed in effectib. pergamus vlterius.

Peccatum magnum à Deo secedere.

Sacramentum hoc calorem & ardorē pietatis succendit, animasq; sancto quodam zelo & æstu inflammat. Huius rei figuram producam. Elisęus Propheta, cum mortuo puello superincubuisset, & oculos oculis, os ori, manibusq; manus applicasset, pueri caro calefieri cœpit, & vitam recuperauit, *Incubuit*
4.Reg.4. *Elisæus super puerum, posuit q̄ os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, &c. & calefacta est caro pueri.* Ita quoque credendum Prophetarum rege Christo in Sacramento hoc nobis se accommodante, & oculos, os, manus, totumque corpus nostro adaptante, animam pietate calefactum iri, & vitæ restitutum; *Etiamsi mortuus fuerit, viuet.* Matt 9.

IV. Eucharistia pietatem accendit.

Si cer-

Si certum est, vti reuera est, fœminã Hæmorroissam, de qua in Euangelio scriptum, quæque fluxu sanguinis laborabat, solo simbriarum Dominicę vestis artactu sanitati restitutã fuisse: quam obsecro virtutem, quos pietatis ardores, quos amoris æstus anima attactu, imo reali propriæ carnis & sanguinis filij Dei manducatione in se sentiet? Sacramentum hoc fornax est ardens, & flamma, quæ semel in anima vbi fuerit succensa, fieri non potest, quin ardeat, & scintillas eiaculetur. Huc respexisse Sapientem crediderim, cum dixit, *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non ardeant?* Non potest ignis amoris diuinitatisque ita abscondi, quin se prodat, & in apertum foras prodeat.

Luc. 8.

Gratiam hanc exprimere volens Spiritus sanctus, metaphoricis vsus est verbis, aitque apud Psalmistam, *Calix meus inebrians quam præclarus est!* Per inebriantem hunc calicem Sacramentum hoc intelligit, in quo animæ ita deuotione & pietate accenduntur, vt ebriæ videantur, dicere igitur voluisse videtur, quemadmodum ingenium & mens illius, qui ebrius est, penitus à vino absorpta sunt, ita quoque à gratia, quæ per sanguinem Iesu Christi in Eucharistia datur, anima pia ac spiritualis. De quo loquens Ambrosius, hancque metaphoram exponens ait, & habetur de consecratione distinct. 2. *Quotiescunq;*, ait, *calicem Domini bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris spiritu, non carne.* Quo respiciens etiam Apostolus Ephesiis consulit dicens, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed inebriamini Spiritu sancto*; accedendo nimirum ad Sacramentum Eucharistiæ, in qua animæ Angelorum mensæ assidentes, non minus à Spiritu sancto, quam corpora vino in mundi huius conuiuio inebriantur.

Psal. 22.

Lib. de Sacram.

Ephes. 5.

V. Eucharistia dat robur animis.

Ad hæc Sacramentum hoc animab. robur & vires suppeditat. Quod prędiens & eminꝰ præsagiens Psalmographus hunc in modum locutus est, *Parasti in cõspectu meo mensam aduersus omnes; qui tribulant me*, in quo aliam mensam non intellexit quam Eucharisticã, quæ asylum est & refugium animarum aduersitatibus oppressarum, imo certissimum aduersus Diabolos auxilium. Huc etiam referri debet illud eiusdem Prophetæ: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*: in hoc enim Sacramento vix exsurrexit Deus, & in animã ingressus est, quin omne inimicorũ illius agmen, atque omnes diabolicæ turmæ dissipentur, & velut fumus euanescant. Huiꝰ occasione aiebat Chrysostomus, ab hac nos mensa recedere velut leones igniuomos, & flammas spirantes, & dæmonibus terribiles effectos.

Hom. 45. in Ioan.

Milites Dauidici cum in Ægyptium exhaustis viribus languidum errantemque per agros incidissent, ad regem illum deduxere, dederuntque illi panem, quo vires recuperauit & animum, cuius deinde Dauid opera vsus est in latrunculis hostilibus inuestigandis, quos illius ope industriaque confecit ac profligauit. *Inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt illum ad Dauid, dederuntque ei panem vt comederet, & refocillatus est.* Ægyptius hic peccatoris imaginem gerit, quẽ concionatores, milites & pugiles DEI ad Christum per vitæ conuersionem, emendationemq; morum perducunt, qui sacrũ hunc panem comedens, & corpore Dominico enutritus, validus & robustus redditur, vires recuperat pristinas, sæpeque dux & caput agminis & exercitus Iesu Christi ad dæmones & profligandos conculcandosq; constituitur.

1. Reg. 30. Allegoria.

Sæpe mecum tacitus demiratus sum, cur sponsa in Canticis dilectum suum fasciculo myrrhino similem dixit, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera cõmorabitur.* Hanc porro tãdem eius reperi rationem, quod sicut myrrha naturam corroborat, corruptionem impedit, corporaque à vermibus aliaq; putredine putrescentiaque præseruat; ita Sacramentum hoc, quod vere fasciculus myrrhæ, in quo Iesus Christus reeliter verus Ecclesiæ sponsus continetur, animabus nostris robur & virtutẽ suppeditet, à peccati eas corruptione præmuniat ac tueatur, à malignarũ cogitationum vermibus præseruet, eos deniq; venustiores, elegantioresq; reddat. Ad quod illustrandum figurã è veteri testamento depromam.

Cant. 1. Sacramentum hoc dat vires animæ aduersus malas cogitationes.

Tres illi pueri, qui non nisi leguminibus victi-

Dan. 1.

victitabant, facies elegantiores, viuacioresque habuisse dicuntur, quam cæteri regij pedissequi, qui lautius & splendidius epulabantur, & regia è mensa quotidie alebantur. *Apparuerunt vultus eorum meliores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio:* quæ verba exponens glossa addidit de suo, *vultus eorum, quos panis satiebat, qui de cœlo descendit, apparuerunt meliores* Eximiam hanc pulchritudinem & colorem insolitum pani, qui in Sacramento hoc comeditur, asscribens. Et sane ita se res habet; animæ enim, quæ cœlesti hoc pane victitant, coram Deo elegantiores, venustioresque apparent, gratioremque vultum præferunt, quam quæ deliciis & voluptatibus, quæ sunt escæ regiæ mundi huius, enutriuntur.

Animam reddit venustiorem.

Exod.34.& 29.

Moyses cum in monte Synai quadraginta dies mansisset, rutilante splendentique facie descendit, adeo vt Hebræi in vultum illius oculos intendere non valerent: noua hæc qualitas & insolitus faciei splendor ac fulgor nouam, quam Propheta è diuino perceperat colloquio gratiam, designabant. Ita quoque anima è sancto Eucharistiæ monte descendens, adeo lucida & venusta apparet, vt mundani eandem quodammodo videre nequeant, nec nisi indignando luminis illius splendorem intueri; & quemadmodum coram mundi oculis formosa & venusta apparet; ita quoque in seipsa reficitur ac satiatur, iuxta Propheticum illud *Edent pauperes, & saturabuntur*: quod Eusebius Cæsariensis ante me ad Eucharistiam retulit, per *pauperes* intelligens humiles atque illos, de quibus apud Matthæum sermo, *Beati pauperes spiritu*, aitque hoc Sacramento hominem penitus satiari, voluntatem per charitatem, intellectum per cognitionem, memoriam denique beneficiorum recordatione. O panem, qui esurientes satias, afflictos consolaris, prostratos erigis, ægris mederis, languidos calefacis & succendis, pauperes ditas, miseros beas, imbecilles corroboras; pigros excitas, & animas inflammas! Hi sunt Sacramẽti huius effectus, qui ad animã spectant, iam producam illos, qui corpus cõcernunt, quos in secunda concionis parte deducturum me promiseram.

Psal.21. Lib.10.de demonstr. Euang c.7. Matt.5.

VI.

Hoc itaque Sacramentum, auditores, non animæ modo virtutem communicat, sed in corpore etiam eandem patefacit. Atq; vt in transfiguratione gloria, quæ in Iesu Christi, anima concluſa erat, non in corpus modo deriuata est, sed ad ipsas etiam vestes dimanauit, quæ niuis instar candidæ factæ sunt, *Et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, &c.* Ita quoq; occulta & arcana Sacramenti huius virtus nõ in anima solum continetur, sed exterius etiam se prodit, & in ipso corpore apparet Atq; idcirco Cyrill. Hierosolymitanus ait, Sacramento hoc tum animam, tum corpus sanctificari: Gregorius vero Nyssenus salutare medicamentum vocat, prauas corporis nostri affectiones corrigens: equidem addo ipsas etiam ægritudines, morbosque eodem fugari, profligarique.

Matth.17.

Catech. myst.4.& 5. Orat.catech. c.37.

Magnum profecto miraculum fuit, in Israelitarum de Ægypto exitu inter sexcenta hominum arma gerentium millia, exceptis etiam fœminis & pueris, nullum inter eos infirmum, imo ne morbidum quidem, aut languidum inter greges pecus inueniri: ita porro hoc obseruauit Dauid, *Non erat in tribub eorum infirmus*, omnes sanitatem hanc & vegetam corporum dispositionem agni Paschalis manducationi asscribunt: si hoc vere ita se habet, quod etiam firmiter credo, multo mihi fit verisimilius, veriagni, Iesu Christi inquam, manducationem, quæ in Eucharistia peragitur, animam à peccatis, ac sæpenumero corpus à morbis tueri. Huc collineans Apostolus ad Cor. ait, plurimos, quod male communicassent, & indigne corpus & sanguinem Domini manducassent, in varios graueſq; morbos incidisse, *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Adeo vt qui digne precioſum hoc corpus recipit, iure meritoque dicere queat, quod olim Psalmographus, *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, id est, cum mecum sis, & ego tecum Domine in Sacramenti huius receptione, nullam timebo aduersitatem, nullum animę malum, quod peccata sunt, nullum etiam corporis, quod ægritudines & morbi, formidabo.

Sacramentum hoc à morbo corpora præseruat.

Psal.104.

1.Cor.11.

Atq; hæc est ratio, cur Sacramentum hoc in sacra Scriptura vitæ panis nuncupetur, *Panis,*

Sacramentum panis vitæ dicitur.

Ioan.6.

mis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. quod corpus ab imbecillitate & ægritudine naturali præseruans in causa sit, cur vita potiatur diuturniori, atque ita se rem habere credendum est. si enim ad nudam Prophetæ vocem & clamorem clamantis, *ossa arida, ossa arida*; ossa ad vitam redierunt, & corpori vnita constiterint; si Hæmorrhoissa ad contractum vestis Iesu Christi sanitatem recuperauit; si Petri vmbra morbos depulit; si pallium Eliæ prophetæ donum Elisæo communicauit, & aqua Iordanis illi trãsitum concessit; an non potiori ratione Christi corpus vobis in hoc Sacramento vitam conferet, & ab omni morbo infirmitateque tuebitur?

Ezech.17. *Matt.8.* *Act 5.* *1.Reg.2.*

Ita enim corpus defendit, tuetur, & vndiq; communit, vt a nullo inuadi queat, & ad omnem fortunæ casum aduersitatemq; inuictum reddat, nulliq; cedens insultui. Si enim Iob in afflictionum medio dicere potuerit, *Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me*; Christianus, qui hoc in Sacramento vere Deum suum recipit, & iuxta se collocat, multo securior esse potest, nihilq; in omnibus mundi casibus, imo & morbis infirmitateq; formidare.

Iob.17.

Debilis fides reguli sciebat, Christũ, si vel descẽdere, & præsens adesse dignaretur, filiũ à morbo liberare posse, vitamq; conseruare; quare obsecrans ait, *Domine descẽde priusquam moriatur filius meus.* Eiusdem farinæ erat & fides Marthæ, cum diceret fratrem, si Christus adfuisset, moriturum non fuisse, *Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus.* Cum igitur idem hic Deus in Eucharistia præsens adsit, perque communionem animæ nostræ vnitus sit, & in corpus nostrum receptus; an non certissime credendũ, eadem illum pollere potestate, tam in morbis scil. depellendis, quam vita nostra, plonganda? si ad ossiũ Eliæi contactum mortuus ad vitam redire potuit; an non Christi filij ipsius Dei corpus eadem virtute pollebit? & an non, quod multo minus, ægritudines corporales persanabit ac tollet?

Ioan.4. *Ioan.11.* *4.Reg.13.*

Eucharistia immortalitatis causa.

Sacramentum hoc aduersus omnes infirmitates morbosque & ad vitam conseruandam adeo efficax & potens est, immortalitatem vt causetur, corporaque ab omni corruptione, putredineve præstet immunia. Ideoque S. Ignatius in Epistol. ad Epheſ. ipsum *Pharmacum immortalitatis*, & Cyrillus Alexandrinus *cibum nutrientem ad immortalitatem & vitam æternam*, nominare non dubitarunt. Ambo verbis illis Christi apud Ioannem innixi: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Epist.16. *Ioan.6.*

Huc facit, quod de auibus quibusdam Indiæ Orientalis tradunt historici, quæ quod cinnamomi, cariophyllorum, musciq; flore, alijsque arboribus odoriferis victitent, carnem sibi parant incorruptibilem, & non putrescibilem. Si arbor hæc corpora auicularũ à corruptione defendere potest; & à putredine tueri, non mirum, si corporis sanguinisq; Iesu Christi, qui vera arbor vitę, sumptio hominum corpora immortalia & incorruptibilia reddere queat. Vitæ arbor in medio Paradisi condita hanc à Deo virtutem nacta erat, vt corpora à morte conseruare posset & immortalitatem reddere; & quoniã arbor hæc Iesu Christi typus est, qui vera vitæ arbor in medio Ecclesię consita; dico, solam hanc homini immortalitatem conferre posse, iuxta id Euangelium, *Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum.* Omnes, quos in mundo reperire est cibos, corruptioni obnoxios nos reddunt, inq; cineres nos paulatim redigunt, & nihil minus cogitantes conuertũt; solum hoc Sacramentum, cibus inquam cœlestis & diuinus, a morte corruptioneque nos defendit ac protegit.

Aues quarum caro incorruptibilis.

Gen.2. *Ioan.6.*

Stratonicus dux, referente Plutarcho, cum quodam die per agros obambularet, vidit multos è puteo magno labore sudoreque aquam haurientes, à quibus petijt, num ad bibendum sapida & idonea foret; cumque omnes sapidam esse, & omnes accolas regionis ex eadem bibere assererent, sibi id non videri ait, sed noxiam potius & insalubrem, atque hanc dicti sui rationem reddidit, quod omnes, qui ex eadem biberent, pallidulos cinereosq; cerneret, quod aquarum potationi ille adscribebat, quæ colorem immutabant, & pallorem inducebant. Idem omnino de cibis mundi, omnibusque, quæ hic habeã possunt

Stratonici apophthegma.

sunt deliciæ, cogitandum: quicumque enim pallidos hominum vultus & mortis colorem, quem omnes naturæ vultu præferunt, contemplatus fuerit, iudicabit, cibos hos & aquas insipidas in causa esse, cur corruptioni sint obnoxij: sed hoc in sacramento vita confertur, & esca hæc supernaturalis mortem mortalitatemq; excludit, *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Profecto sacramentum hoc immortalitatem causatur, eritq; in generali mortuorum resurrectione causa, cur corpora resurrectura sint, atque ideo in symbolo Nicæno *symbolum resurrectionis* à Patribus nominatur: ac deinde Iustinus Martyr, S. Cyrillus, S. Irenæus, alijq; scriptores asseruere præcipuam resurrectionis nostræ causam Eucharistiam futuram; quod carneæ huic moli vires, virtutemque à morte ad vitam resurgendi suggerat. Atque idcirco huc trahi potest illud Isaiæ, *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, &c. quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Quo loco haud dubie de resurrectione locutus est, atque filius patri ait, viuent mortui tui, & mei quoq; ad vitam resurgent, quod manna, quod emisisti, luminis quidam ros fuit, quo terram dæmonũ in ruinam detraxisti, vel sepulchra intelligi oportere, in quæ dæmones & mors, feri illi gigantes & metuendi mortuos transmittunt; simulque notandum, per rorem hunc luminosum Hebræorum manna intelligi non posse, sed tropologice figurateque hoc sacramentum; quod manna nonnisi nocte plueret, & sole exoriente liquesceret; ad hoc *ros luminis* appellatur: ad hæc tempus legis Mosaicæ tempus erat nocturnum ac tenebrosum, hoc vero claritatis, diei & luminis, iuxta id Apostolicum, *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Quidquid demum sit, videtur Propheta sub obscuris verborum horum inuolucris de Eucharistia locutus, ac dicere voluisse, illam potissimam mortuorum resurrectionis causam esse. Quod egregia ex Apocalypsi deprompta figura faciet manifestius.

Ioan.6. Sacramentũ hoc corporum nostrorum resurrectionis causa. *Isai.26.* Sacramentũ hoc ros luminis. *Rom.3.*

Suas enim Ioannes visiones enarrans, vidisse se ait animas interfectorum sub altari clamantium ac vindictã deposcentium, *vidi sub altari Dei animas interfectorum clamantium, vsquequo Domine.* Ait vidisse se animas sanctorum orantium Deum, vt iudicis instar descenderet, eo quod à corpore sequestrata plena integraq; beatitudine non fruerentur; ac sub altari clamasse, quod scirent, per sacramentum hoc, quod in altari continetur, corpora sua resuscitanda, tuncq; gloriam & felicitatem eorum plenam ac perfectam fore: Idem quoque docet in Euangelio suo idem Ioannes, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* *Apoc.6.* *Ioan.6.*

VII.

Apud veteres moris erat, vt in solenni Imperatorum Consulumq; epulo conuiuis donaria darentur, & apophoreta, quæ domum deferrent, imo & serui interdum, qui mensæ seruierant, in libertatem vindicabãtur; testatur hoc Tertullianus. In epulo Eucharistico maior etiam magnificentia splendorq; appareret, quod hic pretiosum illud monile corporis Dominici, donariumq; amplissimum donetur, peccatoribusq;, qui vera mancipia, libertas; quod vnum è præcipuis sacramenti huius effectis sit corporum resurrectio, & in die iudicij, quo generalis omnium mortuorum fiet resurrectio, *ipsa creatura liberatur à seruitute corruptionis filiorum Dei*, vt refert Apostolus. *Rom.8.*

Eia igitur, Auditores, resurrectionem illam generalem exspectantes sæpius ad regiũ hoc & magnificum conuiuium accedamus; sacramẽto hoc admirabili, & tantos tamque præclaros in animo, corporeq; effectus producit, animam pascamus, cibum hunc, qui recipientib. robur, vitamq; confert, frequentemus. Magnus sacerdos Melchisedech Abrahamo, è conflictu cũ defatigatus & fractis viribus rediret, frustum panis dedit, vt recuperatis restauratisq; viribus, Deo vota & sacrificia persoluat. Ita quoq; summus Pontifex Christus, cum Apostolos defatigatos & animum despondentes cerneret, panem illis Angelorum dedit, & eundem quoque nobis in afflictionum nostrarum impetu, & tentationum conflictu communicat, vt animæ refectæ, confortatæque, viribus recuperatis fidele illi obsequium persoluant. *Gen.14.*

Agnus

Exod 10. Agnus typicus & figurans Israelitis vires & animos dedit, captiuitate Ægyptiaca se vt eximerent; neu prius egredi potuere, quam manducatio hæc peracta esset, illiusque sanguine postes & domorum tincta superlimina ria. Quod certissimum præsagium & verissimum est, sacramentum hoc, in quo verus Paschalis agnus continetur, robur & animos suggerere, à peccati seruitute & mundi huius Ægypto exeundum: neu prius se egredi quis nostrum posse speret, aut in libertatem vindicari, quum agnũ hunc comederit, & pretioso illius sanguine animæ postes & introitus tinxerit. Ita quippe in Euangelio scriptum legimus: *Nisi manducaueri is carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Sacramentum hoc vires confert ad peccato egrediendum.

Ioan. 6.

Psal. 77. Verba illa Psalmi 77. *Panem Angelorum manducauit homo*, interpretes nonnulli hoc modo legunt, *Panem fortem*: vt hinc manifestum fiat, sacramentum hoc robur & animos suggerere; & sane sanctus Cyprianus durantibus Ecclesiæ persecutionibus, Christianos exhortabatur, hoc vt se sacramento communirent, quod timidis animos addere, & è ceruis leones animosissimos reddere asserebat.

Serm. de pace lapsi. dand.

Huius occasione Diuus Ambrosius venerabili huic sacramento historiam Gedeonis accommodat, qui quadam nocte Madianitarum castra exploraturus, militem quemdam in excubiis collocatũ socio narrantem clanculo audiuit, *Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere, cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Cui socius perculsus respondit; *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis*, qui nobis omnib. vitam eripiet, & aciem nostrã disperdet ac subuertet. Equidem somnium hoc prophetię loco habens, dico panem hũc subcinericium non esse aliud, quam pretiosum Iesu Christi corpus, sub humanitatis nostræ cineribus coctum efformatumque: sed panem fermento malitiæ carentem; quique omnes inimicos nostros in fugam agit: gladium quoque non Gedeonis, sed Iesu Christi, qui potentias infernales subuertit ac dissipat. *O Deus refugium nostrum & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Iudic. 7.

Psal. 45.

Vos igitur, Auditores, auditis tam eximijs, admirabilibusq; effectibus, ad eorum patratorem auctoremq; accedite; dispicite vobiscum, quomodo seipsum in cibũ & escam dederit, inque sacrificium pro nobis obtulerit: quare & vos ipsos in dignum præsentia sua sacrificium offerte, nihil inquam in vobis amplius carnale, mundanum nihil, aut terrestre appareat. Quidam in Regum historia cum cadauer ad sepulchrum deferrent, & in via latrunculos conspicati essent, perterriti perculsique, fuga sibi, cadauere interea in Elisæi sepulchrum coniecto, consuluerunt: sed mox vt ipsum sanctas Prophetæ reliquias contigit, resuscitatum in pedes sterit, ac vitam recuperauit; vnde fit igitur, fideles, vt frequenti hoc Iesu Christi contactu manducationeq; è peccatis vestris non excitemini, & ad gratiæ vitam non redeatis? nisi quia vitijs scatetis & inquinati estis sordib. Tobias Iunior quamprimũ vt oculos felle piscis inunxisset, visum recuperauit; qui fieri igitur dicam, quod post tam salutarem medicinam ac pharmacum, totiesq; iterum, adeo etiamnum cæcutiatis?

4 Reg. 13.

Daniel Propheta Babylonicis sacerdotib. insultabat illudebatque, quod mortuo Deo, qualis Bel, cibos & fercula apponerent; sed magis deplorem⁹ oportet, quod cibus hic cęlestis mortuis, i.e. peccatoribus, qui corpore quidem viuentes, anima mortui sunt & putrescentes interne, administretur.

Dan. 14.

Te igitur omnipotens atq; æterne Deus oramus & obsecramus, vitam ijs vt conferas, tu inquam, qui mortuos excitas, éque sepulchris educis fœtidis & putrescentibus; tu qui claues mortis & inferni gestas, qui vita ipsa, quique vel vnico verbo ossa cadaueraque Ezechielis excitas & viuificas. Sopitos hos benigne & misericors Deus excita, mortuos ad vitam reuoca, afflictos consolare, totque ægris infirmisque sanitatem confer; quique nos nutris & pascis, quique te in cibum in sacramenti huius mirabilibus dedisti, in nobis obsecro præsta, quod in Eucharistia hac reipsa efficis, in corpore hosce effectus patra, ab infirmitatibus id præseruans; ad resurre-

ctionem vocans, immortalitatem illi reseruans, passiones domans, appetitus refrenãs, & vites illi ac robur conferens, in anima vero hos: gratiam amplifica, peccata illi condona, pietatem in illa succende, & spiritualibus virtutum reliquiis illã locupleta, & post confectum vitæ huius curriculum gloriam illi in cælo confer immortalem, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus perducant. Amen.

CONCIO SEPTIMA.

INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

SEPTIMVM MIRABILE.

De admirabili præparatione ad Sacramentum hoc necessaria.

Partitio.

1. *De honore mensæ Eucharisticæ.*
2. *Sub vna specie totum dari Sacramentum.*
3. *Præparatio communicaturo necessaria.*
4. *Expianti se & expiato quæ necessaria.*
5. *De indigne sumentibus Eucharistiam.*
6. *Pars Epilogisat.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal. 110.

FIGVRA.

1. Reg. 6. PHILISTHÆI idolorum cultu infames & veri Dei ignari, quod arcam testamenti magna temeritate, imprudenterque in ara idoli collocassent, insignes temeritatis pœnas dederunt, quodque tam sanctas reliquias profanassent, & tam vili pendissent, inaudita, infamique castigatione à Deo puniti fuere: ita peccatores profani & imprudentes, qui Eucharistiæ sacramentum in animæ suæ ara constituunt, in quo idolum peccati adoratur & colitur, in discrimine versantur, ne grauissime à Deo puniantur, & cœlestis indignationis, iracundiæque flagella experiantur. Est quin etiam læsæ maiestatis diuinæ crimen, idque in summo gradu: væ igitur illi, qui illius se reum statuit; quemadmodum è contra summum bonum est, & totalis animæ salus, digne illud recipere, & præparationem debitam, conueniẽtemque afferre. De hac hodierna die loqui decreui, quod vt etiam digne fiat, sanctissimi Pneumatis gratiam, auxiliumque inuocemus, Deiparæque intercessionem interponamus oportet; quare magna animi demissione, mente in cælo, genibus in terra constitutis dicamus.

AVE MARIA.

I. Dauid rex magnus, & non minor Propheta, exaggerans quot Deo nominibus deuinctus esset, inter cætera hoc velut maximum & potissimum posuit; quod scilicet Deus nutritium agens mensam illi erexerit, quæ solatio illi & refugio in omnibus aduersitatibus calamitatibusque foret, *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant animam meam* Perinde ac si diceret, Teneor haud dubie Deus meus, multisque nominibus deuinctus sum ad immortales & æternas tibi gratias agendas, quod cum tibiè mundi me pulùere eduxisse non sufficeret, & è pastore ouium totius Israelis Principem constituisse, superbe me quoque & regifice pascere enutrireque voluetis, à mensa me bruterum ad Angelicam transferendo: de mensa communionis, deque sacramento Eucharistico loquebatur, ad quod homo cum inuitatur, maiorem hoc in mundo gloriam honoremque optare non posset. Psal. 22.

Esther reginarum omnium formosissima, cum ad conuiuium quod parauerat, cuiq; Persarum potentissimus Monarcha interfuturus erat, Amanum purpuratum, ceteris exclusis, vocasset, tanti Aman beneficium hoc fecit, vt gloriabũdus apud suos hoc se nomine iactaret, *Regina Esther nullum alium vocauit*

Esther. 5. Estheris epulum epulo Eucharistico collatum.

uit ad conuiuium cum rege præter me Honor, quem homo ad hoc sacramentum, quod regis cœlestis conuiuium est, & in quo Deus ipse præsens adest, admissus recipit, longe maior est & excellentior, maioremq; gloriadi efferendiq; se homo ratione habet, quam Persa ille purpuratus. Quid enim reginę conuiuium est cum Dei collatum? quid creaturarum mensa, si cum creatoris comparetur? nulla inter vtramque similitudo, porportio nulla.

2. Reg. 9.

Dauid rex omnibus aduersariorum motibus compositis, cum regno quiete pacificeq; frueretur, atq; priores a Saule acceptas iniurias obliuionis amnestiæque tumulo obruisset; Mephiboseetho Saulis nepoti, & Ionathæ filio honorem hunc contulit, quod quotidianum illum conuiuam mensæ suæ constituerit, *Faciens faciam tecum misericordiam propter Ionathan patrem tuum, & tu comedes panem in mensa mea semper* Quod beneficium tanti ille fecit, vt genibus in terra prostratis, illiusque maiestatem adorans, tanto se honore indignum iudicarit, quamuis alioquin regio stemate prognatus esset, *Qui adorans ait, quis ego sum seruus tuus, quia respexisti super canem mortuum?* Quanto potiori iure humilitatem hãc dimissionemque homo vsurpet, imo & maiorem, vbi se a rege & Deo suo mensæ admoueri videt, & proprio illius pasci corpore? párne aliquis huic honor haberi potest? an non creatura tam vilis, vt est homo, ipsum creatorem in se recipiens, se ad imum vsque terræ centrum deijciat, indignam iudicet, & infinitis se Deo suo nominibus obstrictam agnoscat?

Quantum honorem in hoc sacramento recipiat homo.

Spiritus Sanctus per Prophetarum os loquens olim Ierosolymæ & Sioni denuntiari mandauit, vt Deo gratias immortales ageret, quod pingui frumento eiusque medulla enutrirentur, *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te, &c.* Iisdem hodie verbis vti volo, & hominem parodice Psalmistæ verbis affari, *Lauda homo Dominum, lauda Deum tuum homo*, quoniam fragilitatem ille nostram confortat, & benedictionem nobis suam elargitur, atque in anima pacem stabilit, & imprimis, quod adipe frumenti nos pascat; de quo in Euangelio dicitur, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Frumentum inquam, è quo egregius ille vitæ panis conflatur, qui in Eucharistia sumitur.

Psal. 147.

Ioan. 12.

Felicitatem suam exaggerans Psalmographus, & suam sortem deprædicans, gloriatur imprimis, quod Deus illum pascere dignatus sit, ac velut ouiculam in lætam luxuriantemque pascuam deduxerit, in qua nihil omnino deest, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit*, quo loco pro verbo *regit* Hebræi fontes legunt *rohhi*, textus vero Græcus significat proprie *pascit*: quasi diceret Psaltes, Quam bonũ benignumque nactus sum Dominum, vtpote qui me pastoris instar enutriat, inque pascua me collocarit, in quibus nihil omnino mihi toto vitæ tempore deesse possit. Perfertilem lætamque hanc pascuam Eucharistiam intelligit, vti etiam doctissimus Cardinalis intelligit Bellarminus. Equidem hęc omnia proposito adaptans dico hominem bonitatem Dei magis etiam admirari, & sortis suæ magnitudinem pluris facere debere, & honorem, quem recipit, agnoscere, quod illius pascatur manu, Angelica reficiatur mensa, & sacramentum hoc in pascuam nactus sit, in quo omnis abundat gratia, nihilque animæ deesse potest.

Psal. 22.

In Psal. 22.

Et sane quicunque honorem hunc non agnoscit, & gratias largitori Dei non agit, ingratitudinis notam incurrit, quique nullum rerum etiam sensibus maxime expositarum sensum habet, non hominem se, sed brutum & iumẽtum ostendit. De quo vere illud Psalmistæ dici potest, quod in protoplasto olim deplorauit: *Homo cum in honore esset, & ad mẽsam Eucharisticam inuitatus, quo nullus amplior dignior q; haberi creaturæ potest, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, quod non agnouerit, qualis hæc esset gloria, & ad illam, velut animal brutum accesserit.

Psal. 48.

Deplorandum hoc est, & diligenter circum-

cumſpiciẽdum, nam qui indigne ad eandem accesſerit, graui dignus eſt ſupplicio, Deumque diuerſimode ad iracũdiam prouocat; teſtis ſit, qui apud Matthæum non indutus veſte nuptiali objurgantem exprobrantemque Patremfamilias audiuit: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* ſi impudens hic & effrons tam ſeuere caſtigari meruit, quod laceris indutus ad nuptias ſe ingeſſerit; quid de illis exſpectandum, qui ad magnas Euchariſtię nuptias & epulum veſte nuptiali, id eſt, gratia deſtituti accedere præſumunt, ſed lacinoſi, ſcrutoſi, laceri, vitijs inordinatiſque paſſionibus in varia diſtracti? an non credendum illos punitionem promereri, & Dominum, in quem injuria admiſſa, ſeuere eandem caſtigaturum.

Matth. 22. Deplorandum, indigne ad Euchariſtiam accedi.

Dan. 1. Nabuchodonoſor Babyloniorum Rex omnes pueros, qui in obſequium regium adaptandi eſſent, decoros forma ſeligi voluit, & omnigena ſcientia excultos, quibus nulla ineſſet macula aut nævus: *Pueros in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, & qui poſſent ſtare in palatio regis, &c.* Si rex hic nihil inquinatum aut aliqua macula deforme coram oculis ſuis pati voluit, quanto potiori jure cœlorum ille Monarcha deſideret, vt quotquot coram ſua maieſtate, quæ in hoc ſacramento deliteſcit, comparere voluerint, vt cum illo bibant & comedant, in omni perfectionum & virtutum genere completi perfectiq; ſint, ac nullam in anima immunditiem peccatumq; præferant?

Eſth. 2. Puellæ Perſicæ, quas in Aſſueri regis conſpectũ venire oportebat, anno integro in regio conclaui aſſeruabantur, atq; interea temporis in venuſtate adaugenda comparandaque totæ occupabantur; ſex enim menſibus oleo myrrhino alijſque ſe vnguentis inungebant, & deinde ſex alijs pigmentis & aromatib. variis ad colorem conciliandum vtebantur. Si tanta puellis his gentilibus præparatio neceſſaria erat, ne forte minus comptæ regiã maieſtatẽ offenderent; maior profecto Chriſtianorum animabus, quæ coram cœlorum terræq; rege comparere debent, eſt neceſſaria, ne tantam maieſtatem offendant, nec enim vnum duntaxat annum, ſed decem, imo & viginti impendere eas par eſſet, vt interea ad tantum ſacramentum digne recipiendum ſe præparent, nihilq; deſit, quod ad præparationem hanc aliquo modo ſpectare videretur.

Et ſane mirabilis quædam diſpoſitio huc adferẽda, quod qui recipitur, cibus etiam admirabilis ſit. Ita hoc teſtatur Pſalmiſta dicens, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe.* Quare quidquid hic dicturus ſum, bifariam diuidam, primo præparationem, quæ ad digne ſacramentum hoc recipiendum neceſſaria eſt, exponam deinde quantum diſcrimen adeant, qui indiſcrete, temere, ac ſine vila reuerentia ad ipſum accedunt.

II. An ſacramẽtum ſub duplici recipiendum. *Cap.* 1.

Principio itaque antequam penitus materiam hanc penetrem, nonnihil in limine ſubſiſtendum, & difficultas quædam, quæ hic incidere ſolet, diſſoluenda; num ſcilicet liceat expediatq; ſub vtraque ſpecie communicare, vel ſatis ſit laicis ſub vnica ſacramentum recipere? Lutherus lib. de Captiu Babylonica ſumma opum vi ſacræ Scripturæ teſtimonijs conatur oſtendere, jure diuino ſacerdotes ad duas ſpecies laicis, ſi petierint, dandas cogi conſtringique poſſe: ſecularibus tamen licitum & arbitrarium eſſe vel nõ niſi vnicam, vel duas, vel etiam, ſi lubuerit, neutram ſumere. Eiuſdem opinionis eſt Brentius in Apologia pro confeſſione VVirtembergenſi, itẽ Philippus Melanchthon in Apologia pro confeſſione Auguſtana, Martinus quoque Kemnitius in ſecunda Concilij Tridentini examinis parte.

Omne Nouantium horum ſectariorumq; fundamẽtum verbis illis Euangelij innititur, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et illis Matthæi, *Omnes bibite ex eo*, quo loco omnes ad ſumptionem Calicis inuitantur. Ad hęc Euchariſtia conuiuium ſpirituale eſt; atqui in conuiuio non cibus modo, ſed potus neceſſarius eſt, atq; ideo laici non digne pleneq; accepti viderentur, ſi Calice priuarentur, magnaq; illis & non contemnenda irrogaretur iniuria. *Ioan.* 6. *Matth.* 26.

Omnis controuerſię huius vis & nodus in Chriſtus eo con-

integer sub vnaquaque specie. eo consistit, num scilicet integer sub vtraque specie singillatim Christus contineatur; si enim contineatur, frustra sibi injuriam irrogari conqueritur populus, & laici incassum sibi Calicem injuste auferri blaterant, cum sub vnica specie tantum recipiant, quantum sub duabus simul essent recepturi. Quod facillime probari potest, & luce meridiana clarius

Ioan. 6. ostendi primo è Ioanne, vbi Christus ait, *Qui manducat me, viuet propter me*, atqui Christus, nō manducatur, nisi sub specie panis; ergo in specie panis non modo corpus ipsum continetur, sed integer etiam Christus. Secundo Apostolus ad Romanos hoc modo est locutus,

Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Atqui si corpus eius dari sine sanguine poterat, ac proinde sine anima ac vita mortuum illud foret; credendum igitur, in singulis illum speciebus integrum, & viuentem cum corpore, anima & sanguine contineri.

Exod. 15. & 16. In figuris id ipsum probabo: in Manna & panib. propositionis nullus de potu erat sermo, certissimum tamen est, veros illa typos & figuras Eucharistiæ fuisse. Adhæc in sacrificiorum participatione carō duntaxat comedebatur, sanguis vero Deo offerebatur. Quin

Exod. 15. etiam in celebri illo conuiuio, in quo quinq; hominum millia quinq; panibus hordeaceis refecti fuere, & duodecim cophini reliquijs repleti, de potu & Calice nulla mentio; nec

Luc 24. Act. 2. item in prandio ἄμαυς, in quo Dominus agnitus fuit *in fractione panis*: nec in illo Actorum loco, *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, &c.*

Præterea erant Christiani nonnulli Hierosolymis, qui permissu Apostolorum legales & Mosaicas ceremonias obseruabāt, quales erant Nazaræi, qui caput non radebant, & toto vitæ tempore vinum non gustabant; è quo efficere volo, & certo certius etiam constat sub specie vini illos sacramentum non re-

Soli sacerdotes sub vtraq; specie communicare possunt. cepisse, ita namq; votum transgressi fuissent. Quare concludendum, laicos immerito conqueri, si sub vnica duntaxat communicare illis sit licitum, cum non minus sub vna, quam sub duabus corpus & sanguis Iesu Christi cōtineātur; solisque sacerdotibus competere ac fas esse, sub duplici cōmunicare specie. Quod mysterium vt percipiatur, sciendum Eucharistiam sumi posse tum vt sacramentum; & vt sacrificium. Eucharistia sacramentū simul & satale à laicis sub vna tantum specie recipi; tum etiam vt sacrificium, atque hoc modo à sacerdotibus velut sacrificij, crucis & passionis, in quo sanguis à corpore discretus fuit, quod ambæ species etiam denotant, commemoratio, recipitur.

III. Hoc itaque cum fixum jam definitumque sit, ad præparationem illam transcēdo, quam magnam esse oportere censeo, cum qui recipitur adeo potens sit & magnus. In huius rei signum vetuit sibi Deus aut victimas in lege veteri à quoquam maculam habente offerri: decretum ad manum habeo, *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo,* *Leu. 21.* Discimus hinc, quis aliquando honor, ecquę reuerentia aut cultus sancto huic sacramento esset exhibēdus; in ipso enim datur nobis panis ille Angelorum, atq; is ipse, qui velut victimam se olim in cruce obtulit immolandū: quare quicunque accedere voluerit, omnis peccati expers sit oportet & maculæ, mortali quippe se scelere astringeret, damnationemque sibi suam acciperet ac mortem. Quod jā olim prędixit Psaltes, non quidem imprecando, sed malum eorum præsagiendo, *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, &c* Quasi diceret; Sancta hæc communionis mēsa mors est ac virus ijs, qui irreuerenter, ac sine vllo honore exhibito ad eandem accedunt. *Psal. 68.*

Dauid Dei sui amantissimus & pietate eximius priusquam spiritum rectum à Deo peteret (*spiritum rectum innoua in visceribus meis*) peccata sibi sua remitti aboleriq; postulauit, *Et omnes iniquitates meas dele*: darique sibi cor mundum & immaculatum, *Cor mundum crea in me Deus.* Cæterum in hoc sacramento & Eucharistiæ mensæ Dei nobis Spiritus datur, & ipse Deus incarnatus; quare priusquam ille recipiatur, diligens præparatio præmittenda; peccatorum remissio postulanda; & cor ab omni inquinamento & sordibus expurgandum, nihil vt in eo reperiatur, quod conscientiam arguat, & scrupulum moueat. *Psal. 50.* Is peccat mortaliter, qui indigne sacramentū hoc recipit.

Man-

Exod. 16. Manna cibus ille cęlicus, quique omnes in admirationem rapiebat, nō prius populo datus est, quam captiuitate egressus esset, & farinę Ægypto allatæ defecissent. Manna verus sacramenti huius typus erat, dicereque volebat mysterium, non ante cœlitus id nobis dandum, aut prius nos ipsum desiderare debere, quam seruitute captiuitateq; peccati egressi simus, nullusque odij, praui appetitus, qui sunt farinæ & fermentum huius mundi, fomes apud nos reperiatur.

Gen. 31. Iacob Patriarcha Deo suo offerre sacrificium dum vellet, omnes prius familiam cōuocauit, seruisque præcepit, Deos alienos vt abijcerent, mundarentur, ac vestimenta mutarent. Dij alieni hominis ambitio sunt, auaritia & mundi amor; sordes & immunditiæ ipsa peccata; vestes vero, prauæ cōsuetudines ac mores. Qui cum ad sacramentum hoc accedere, ibiq; Deo cor suum in sacrificium offerre voluerit, omnes animæ facultates colligat, & ad se reflectat, peccati idola abijciat, virtutum honestatem induat, & veteres malitiæ nequitiæq; vestes commutet.

Exod. 30. Sacerdotes Mosaici priusquam ad immolandum victimas ad altare accederent, manus pedesque ablui prius oportebat. *Lauabunt*, ait lex, *Aaron & filij eius pedes ac manus, quando accessuri sunt ad altare.* Venerabilis Beda hanc figuram adaptans, ait sacerdotes, simul & omnem Christianorum cœtum id imitari debere; & tanto maiori cum ratione, quanto sacramentum Eucharisticum altari dignius; cumque illi lauarent manus & pedes, denotabant, cogitationes & opera nobis esse emundanda & purificanda. *Illud quoque*, inquit, *hic præcipitur, vt qui sacramenta Domini participant, actus suos & cogitationes prius discutiant.*

Orat. 1. de resurrect. Christi. S. Gregorius Nyssenus egregiam dat rationē, cur agnus Paschalis ipsa decima quarta luna comedi deberet, nō pridie, nec postridie: quod, inquit, illa die nullæ sint per vniuersum terrarum orbē diu noctuq; tenebrę: interdiu quidem, quod tunc sol fulgeat; noctu vero, quod sole occidente, priusquam tenebræ ingruant, & omnia furuo amictu conuestiant, luna surgere quamprimum incipiat, & per integram noctem suū lumen effundat, donec quotidiana illa fax, sol, iterum ab Antipodibus reuertatur. Quod designat eos, qui agnum illum diuinum manducare debent, de tenebris participare, aut vllam in animo peccati obscuritatem præferre non debere. nam, vt bene ad Corinthios docet Apostolus, *Quæ conuentio lucis ad tenebras?* *2. Cor. 6.*

Herodotus tradit Scythas solenne quotannis instruere epulum consueuisse, ad quod nullus admittebatur, nisi aliquem prius hostium in bello occidisset; qui vero nullum interfecisse comperiebatur, summa cum ignominia contumeliaq; tam honesto conuentu & conuiuio pellebatur. *Lib. 4. Scytharum mos in conuiuijs.*

Quam egregie hoc materiæ compositæ quadrat! In Ecclesia Deus quotidie magnum illud Eucharistiæ epulum adornat, nemini vero accedere fas est, nisi prius in vitæ huius conflictu peccatum, carnem, mundum, qui iurati hominum inimici, profligarit aut subegerit.

Cornelius Tacitus illiusq; magnus commentator Lipsius apud veteres Germanos hanc consuetudinem fuisse aiunt, quod principibus, qui regnasse hæredes dicerent, apud patrem in mensa non prius fas esset accumbere, quam iuuentute transacta, & omni ineptia lasciuiaq; explosa veros se nobiles ostenderent & viros compositos. E laudabili Gentilium hac cōsuetudine inferre licet, indignos illos esse sanctæ huic mensæ cum Deo rege suo & patre cœlesti accumbere, qui non omnigena virtutum armatura, velut equites spirituales communiti sint, & omnes vitæ huius vanitates ineptiæq; prius transierint euanuerintque: tanti scilicet dignitas hæc facienda. *Li. de morib. German.*

Vt in hoc de cōuiuijs sermone pergamus, refert Philo libro de vita Theorica, Iudæos olim in magnificis solennibusq; epulis albas induere togas consueuisse, etiam cum nuptijs interessent; atq; ideo fortasse factum, vt qui apud Matthæū vestem nuptialem non haberet, magna cum infamia eiectus sit & exterminatus, audieritq;, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* si Iudæi hāc vulgo in communibus epulis consuetudinem obseruabant, vt hoc schemate induti nitidiores, elegantiores, politioresque viderentur, *In vita Thes. Iudæorum mos in conuiuijs.* *Matth. 22.*

rentur, an non Christianis idipsum in epulo Eucharistico facere potius incumbit, epulo inquam, cui nullum vmquam par exstitit? an non albis indutos illos par est accedere, puros inquam, & vitæ innocentia conspicuos; cum candor & albedo sanctitatis innocentiæque color sit & symbolum? ille vero an non eiici, arcerique eodem dignus, qui aliter accedit & pullis indutus?

Huic consuetudini coincidit & Romanorum, qui etiam in alba accumbebant; atq; idcirco Vatinium quendam carpit Cicero, quod ad conuiuium pulla indutus, & atratus venerit; audiamus loquentem, *Atque illud etiam scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, vt in epulo C. Arcii familiaris mei cum toga pulla accumberes? quia vmquam cœnauit atratus?* sane si gentili huic Oratori adeo nouum & insolens visum pullatum accumbere; quãto Christianum indecentius ac turpius ad Sacramẽti huius epulum atra peccati veste indutum accedere? Intolerabile hoc est, & cœlum & terram in admirationem rapit: omnis hic nigredo exulet necesse est, solus autem virtutum candor requiritur; atque huc forsitan Sapiens respexit, cum ait, *Omni tempore sint vestimenta tua candida, &c.*

Epist. ad Attic.

Eccles. 9.

Tertullianus libro de pallio prodidit sacrificulos veterum, qui Bellonæ & Marti immolarent, nigris semper vestibus vsos fuisse, Saturni vero Mystas puniceis; at Cereris, quæ frumentum & panes inuenisset, albis. Equidem hoc proposito meo adaptans dico, Saturnum figuram mundi gerere, eosque, qui illi vitam obtulerint, purpura semper, quæ ambitionis symbolum, amictos esse; Bellonã vero carnis, quæ semper nobis bellũ mouet, quam qui fouent & consectantur, pullas atrasque togas, quæ ferale mortis sunt symbolum, præferre; at qui Dei sunt, eique ex animo totaque mentis cõtentione obsequuntur, ei inquam, qui inuentor & auctor panis illius cœlestis, & cui Cerealis non est comparandus, alba indui & niuea oportere, quæ innocentiæ puritatisque symbolum. Paucis vt complectar, dicendum, eos, qui ad sacramẽtũ hoc accedere præsumunt, nihil habere immũdi inquinatiq; sed insignẽ tum animi tũ corporis nitorẽ elegantiãq; præferre debere.

Cereris sacerdotes albis induti.

Idem quoque Tertullianus libro de resurrectione carnis, docet seruos olim semper pullatos atratosque incedere consueuisse, & numquam herili mensæ accumbere potuisse; at quando libertatis pileum accipiebant & emancipabantur, albis indui solitos, ac dominorum mensa dignos censeri, *Atqui vestis albæ nitore & aurei annuli honore ac patrum nomine ac tribu mensaque honorantur*: peccatores vera sunt mancipia, semper nigris pulliſque induti, quod mortis peccatique symbolum, atque ideo sancta hac mensa arcentur; at cũ digne accedunt, & eodem, quo per sanctam confessionem in veram libertatem restituuntur, die albis induuntur, Dei nomine honorantur, (*Ego dixi, Dii estis*) illius familiæ alleguntur, & sanctæ & augustæ huius mensæ participes fiunt. Beati igitur ac vere beati, qui cum præparatione & dispositione necessaria ad ipsum accedunt.

Serui olim pullati.

IV.

Manna priusquam cœlo descenderet, subtilis quidam ros præmittebatur, qua velut præuia aspergine terra purgabatur, emundabaturque ad pretiosum illum cibum recipiendum. E quo colligere licet, qua puritate, & animi munditia ad hoc sit sacramentum, cuius manna non nisi figura erat ac typus; accedendum, quantaque dispositio Eucharistiæ receptionem debeat præcedere.

Exod. 16. Num. 11.

Deinde manna iuxta castra, tentoria, & habitacula, in quibus hominum iumentorumque sordes erant, non descendebat; quod augurium ac præsagium erat, sacramentum hoc, cuius alterum symbolum, in corde sordibus inquinato, & peccatis subdito collocari non debere, & eodem animam immundam indignam esse.

Non cadebat manna in loca immunda.

Deus cum Hebræis aues & volatilia in cibum mittere decreuisset, pridie illos præmonuit, vt sanctificarentur, sese que ad huiusmodi cibum recipiendum digne disponerẽt; *Dicit Dominus, sanctificamini, cras comedetis carnes.* Si ad coturnices & volucres quasdam vulgares comedendas sanctificationem prærequisiuit Dominus, maiori profecto cum ratione eamdem ad carnem Iesu Christi in sacramento hoc sumendam requiret? quænam, Deus bone! huc munditia afferenda, quænam hic sanctitas necessaria?

Num. 11.

Gen. 43. Ioseph Patriarcha priusquam cum fratribus conuiuio accumberet, vbertim fleuit, quo tacite edocemur, priusquam ad sanctam hanc mensam accedamus, in qua magnum & diuinum hoc epulum nobis parat Deus, peccata deploranda, à Deo veniam petendam, animum sancta quadam pœnitentia disponendum & præparandum, oculos denique lachrymis humectandos. Idem fecisse Dauidem comperio, dum diceret, *Potum meum cum fletu miscebam.* & Iob ante illum, *Antequam comedo suspiro.*

Psal. 101. Iob 3.

Insignem quamdam historiam, quæ huc facit, in libro Iudicum legere est; senex quidam Iebusæus Leuitam in domum perduxit, sed priusquam conuiuio illum exciperet, pedes illum lauare voluit, *Ac postquam lauerant pedes suos, recepit eos in conuiuium.* Quod senex ille conuiuas suos ante epulum vulgare facere voluit, id Christus à suis etiam exigit in epulo Eucharistico, vultque omnes, priusquam accedant, pedes, id est, cogitationes animi abluere, nihil vt immundum in eo reperiatur.

Leuit. 1. In Leuitico præcepit olim Deus, vt animalis sibi in sacrificio immolandi pedes & intestina prius aqua abluerentur; *Intestina vero & pedes lauabunt aqua.* figura illud erat veritatis, quam nos habemus, quæq; denotare volebat, Christianum, qui sancte ad mensam hanc accedere voluerit, cor animũ, cogitationes, & quidquid latet intrinsecus, aqua pœnitentiæ abluere debere: Ita me hoc dicere suadet Ieremias, *Laua à malitia cor tuum.*

Ierem. 4.

Illi ab agni Paschalis esu arcebantur in lege Mosaica, qui Abrahæ Patriarchæ posteri non essent, aut in eius saltem religionẽ non consensissent. Ita quoq; Euangelica lex illos corpus Christi, qui verus agnus Paschalis comedere prohibet, qui Dei filio per fidem & honestam vitæ conuersationem coniuncti non fuerint; è quorum numero peccatores sunt, qui propter peccata à capite hoc separati; si vero ipsa accesserit hæresis, penitus ab Ecclesia sequestrati sunt. Ac de illis intelligendum illud, *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Item hoc, *Nolite sanctũ dare canibus.* Per panem hunc filiorum & sanctum Eucharistia; per canes vero peccatores denotantur quibus illam dari nefas. Qui vero hoc in statu accedunt, magnam sibi damnationem accersunt, Deumque offendunt quam maxime, quod latius iam exponam, velut alterum concionis caput.

Matth. 15. Matth. 7.

Docet Leuiticus, Nadab & Abiu, magni Aaronis filios, quod ignem aliorum & nouum, quemque Deus non præcepisset, vsurpassent, dignas temeritatis pœnas dedisse, & vindicem Dei manum cõfestim sensisse, nam *eg essus ignis à Domino deuorauit eos.* Leuit. 10.

Illi vero alienum coram Deo ignem offerunt, qui in anima, dum Eucharistiam recipiunt, in qua Deus præsens est, mundi & concupiscentiæ amorem fouent, qui ignes alieni & à Deo vetiti sunt. Qui vero eosdem in anima accendunt & æstuare volunt, diuinam maiestatem offendunt, & grauiter à Deo castigari merentur. Mundiamor alienus est ignis.

Dicebat Moysi Deus cum legem ferret, vt omne à monte animal amoueret, nam quodcumque accederet, periturum & lapidibus obruendum. Sacramẽtum hoc alius quidam mons est, in quo Deus ipse animalibus legem fert, variaque edit mirabilia, *mons coagulatus, mons pinguis, mons Dei*; peccator vero animal; quare quicumque vt brutum ad ipsum accedit, mortem & damnationem æternam meretur. Ita id censuit Apostolus, *Iudicium sibi manducat & bibit, &c.* Exod. 19. Psal. 67. 1. Reg. 21.

Achimelech Sacerdos hoc in figura obseruans panes sanctos Dauidis socijs non prius vescendos dare voluit, quam intellexisset, quo in statu conscientia illorum sita esset, didicisserque illos ab omni immunditia liberos, sciebat nimirum magnus ille vir mortem illos & animæ interitum manducaturos fuisse, si inquinati ad eosdem comedendos accessissent. Idem omnino de sancto hoc sacrificio dicimus, in quo verus ille panis est, quem alii non nisi in figura designabant, quem recipere nullus debet, nisi ab omni sit mundus immunditia, animamque puram ac nitidam habeat.

Quam grauiter vero acriterque puniet illos Pater æternus, qui dilecti filii sui carnem indigne manducarint! Quod Apostolus dilucide satis exposuit, verbisque apertis, cum V. 2. Cor. 11.

ait,

ait, *Reus erit corporis & sanguinis Domini.* Scriptum in Ieremia legimus, *Caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion, & sanguis meus super habitatores Chaldæa, dicit Ierusalem.* Verba hæc obscura sunt, sed sensus lucidus, ac dicere vult, Populus hic grauissime punietur, quod dilectis meis mortem intulerint, eorumq; sanguinem effuderint, nam corã Deo carnem & sanguinem, quem magna feritate mihi abstulerunt, offeram, meaque oblatio expostulatioq; vindictam deposcet. Si Sion & Ierusalem ob inimicorum suorum crudelitatem in ciues suos exercitam tam merito expostulare potuerint; an non Pater æternus de iis conqueretur, qui filii sui carnem & sanguinem, in peccati statu illa recipientes, tam indignis modis habent? an non credendum seuere in illos animaduersurum, & vltionem delictis dignam exerciturum?

Ieremi. 51.

Iud. 19.

Horrendum est ac terribile, quod in libro Iudicum legimus, quod huc referri non inepte queat: Gabaonitæ cum singulari quadam immanitate Leuitæ vxorem iugulassent, maritus indignatus vt qui maxime mortuum corpus in duodecim partes discidit, & singulis Israelis tribubus partem misit, vt suum vnaquæque fructum haberet, viderentque quam salaces simul & crudeles Gabaonitæ forent. Ita vero ferale hoc spectaculũ omnes Hebræorum familias animauit, vt vindicaturas se facinus hoc immane vnanimi consensu iurarint; quare collectæ vndecim tribus Beniaminicam, quæ sola Gabeonitas tuebatur, ad internecionem propemodum deleuerunt. Dicite Christiani, si vnius mulierculæ corpus membratim dissectum & tam indignis habitum modis Israelitas ad vltionem sumendam excitauit, ecquod suppliciũ, ecquam castigationem ac pœnam peccator exspectet oportet, cum magnus ille Pater cœlestis filii sui sanguinem & carnem tam indigne habitam ostendet, quem in statu peccati in Eucharistia ille recepit? Quomodo illos prosequentur Angeli? quam vindictam deposcent? *Qui enim manducat indigne, iudiciũ sibi manducat, &c.* Quam ergo præparationem afferre par est, quo metu & formidine accedere, ne forte irreuerenter & præsumptuose se ad illius receptionem ingerat.

Præclarum vero illud, quod huc spectans in Salomonicis Prouerbijs legere est, dum à Principibus inuitato præcepta conuiualia præscribit, *Quando sederis, & comedas cum Principe, diligenter attende quæ sunt apposita ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Quem locum D. Hieronym. exponens, ait, omnia hæc allegorice dicta esse, & per gutturi loquelam ac sermonem denotari, quod guttur vocis sit organum, per cultrum vero discretionem ac prudentiam. Tunc vero cultrum in gutture statui, quando qui diligenter diuina eloquia meditatur, discrete & prudenter eloquitur: Cogitate vero, quo in statu constitutus sit ille, quem inimicus faucibus premit, & ficam gutturi imponit; an non tunc semimortuos oculos ad sustollit, membris tremit, sanguis illi intra venas congelascit? an non genibus in terram prostratis, & corde ad Deum conuerso misericordiam & delictorum veniam postulat? talis omnino sit homo, tum quoad corpus, tum quoad animam, quando ad Sacramentum hoc, quod mensa est Regis Regum & Domini dominantium, accedit, adeo submisse se modesteque gerat necesse est, ac si cultrum gutturi infixum, & mortem præ oculis haberet, quod iudicium sibi manducet, qui sumit indigne.

Prou. 34.

Hieronym. Allegoria.

Non erit abs re Prodigi Euangelici historiam huc trahere: Lurco hic & ganeo cũ domo paterna egressus ad extremam necessitatem redactus esset, & cum grauissima rerum penuria conflictaret, ait intra se. Quotnam mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego miser & inops hic fame pereo? Surgam, vitam hanc inopem perosus, & ibo ad patrem, & dicam ei dolore tactus intrinsecus, *Pater, peccaui in cœlum & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus.* Peccato egressus, interno tactus dolore præteritorum delictorum pœnitudine angebatur, & futura se vitaturum spondebat, ac præsentia pertæsus, panem gaudii consolationisq; in domo paterna comedere summopere desiderabat. Huiusmodi etiã pœnitentia, animi compunctione, dolore cordis, clamore vocis ad cœlos vsq; penetrantis, & lachrymarum effusione, benedictionis omnes

Luc. 15.

panem in Ecclesia, quæ domus Patris nostri cœlestis, sumere debemus, & secus qui faxit, Sacramento hoc abutitur, & salutem in extremum discrimen adducit.

Num. 5. In Numeris lex est, qua ad mariti zelotypi expostulationem mulier suspecta efficacem quamdam, magnarumque virium aquam bibere iubebatur, quæ execrationis aqua dicebatur; si mulier falso delata & abomni suspicione adulterii aliena esset, nullũ ei aqua detrimentum afferebat, si vero illicito concubitu thalamum maritalem commaculasset, in ipso loco emoriebatur, & morte repentina suam coram omnibus infamiam testabatur. Verba legis hæc sunt: *Et sic potum det mulieri aquas amarissimas, quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea; pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur.* Eiusdem efficaciæ, cuius olim aqua hæc, hodie est Sacramentum Eucharisticum; quicumque enim sanguinem Domini bibit, & iustus est, sincerus, innocens, & nullo flagitio maculatus, meritum sibi & gratiam bibit: at si reus est, & in peccati statu versetur, mortem, ruinam damnationemque sibi accersit, & eandem cum Iuda sacrilego sortem subit; qui postquam Sacramentum hoc in statu damnationis recepisset, postridie exagitante eum conscientia, & in cœlo iam iudicatus, *crepuit medius*, cum ex arbore se suspendisset.

Indigne communicans Iudæ similis.

Exod. 16. Manna in Exodo in coriandri speciem descendisse scribitur, *Quod erat quasi semen coriandri album.* Berchorius mysterium hoc indagans, ait, semen hoc salutare esse, & capitis sanitati conducere, & cerebrum corroborare; at si canes ipsum eontingat edere, rabidos reddi, & illis in mortem verti & exitium, quod natura ad hominis vitam salutemque produxerat. Ita se quoque res in hoc Sacramento habet, quod propterea in Apocalypsi *manna* dicitur *absconditum*, quod istos pascat & viuificet, damnationem vero, mortem, & interitum canibus, id est, peccatoribus adferat. Idcirco Dominus in Euangelio ait, *Nolite sanctũ dare canibus.* Huius occasione Optatus Mileuitanus de Wandalorum persecutione loquens, deque calamitatibus, quas Africanis Ecclesiis intulissent, sacrilegos hosce hæreticos sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum canibus obiecisse scribit, sed ipsos quamprimum in rabiem actos, in dominos irruisse, & confestim in frusta discerptos deuorasse; digna tam enormi flagitio castigatio, & peccato respondens animaduersio.

Libr. 1.

Leænæ natura.

Tradunt leænam, cum à tigride imprægnata est, ad leonem accedere non audere, nisi se prius abluerit, & pro posse suo purificarit, ne tigridis odorem sentiens leo in comparem adulterii ream insurgat & frustratim discerpat: Ita quoque animam, quæ furore ac feritate tigridi persimilis est, quæque cum peccato communicauit, se par est aquis confessionis abluere, & pœnitentia purgare, priusquam ad Sacramentum hoc, in quo sponsus illius continetur, accedat, ne eam velut adulteram habens; & ne odorem peccati, inimici sui iuratissimi sentiens illam disperdat, damnet & in exitum pertrahat; hic enim iusti & innocentes vitam, peccatores mortem & æternam damnationem reperiunt.

Nihil magis deplorandum, nihil immanius & insolentius, Auditores, quam ibi mortem inuenire, vbi vita & salus inuenienda esset. An non miserum & infelix hinc peccatores arma mutuari, quibus se iugulent & offendant, vnde coronas ad regnandũ peti oporteret. Vetuit olim Deus, ne hœdus in lacte materno coqueretur, *Non coques hœdum in lacte matris suæ, &c.* *Exod. 23.* Quid refert Domine, hœdusne in lacte materno, an alio liquore coquatur? Sed ratio est, quod quamdiu hœdus vbera materna trahit, lac illi vitam conferat, in illo vero eumdem coquere, immane foret & crudele, si scilicet ipsum viuificans iam mortis fieret occasio. In Sacramento hoc dulce ac sapidum illud lac reperitur, quo animæ enutriuntur; quo respiciebat sponsa, cum dilecto suo diceret, *Meliora sunt vbera tua vino, &c.* *Cant. 1.* Et crudele foret & immane inde mortem & damnationem trahere, vnde salus & vita speranda foret.

Sacrificuli Cereris fabas non comedebant

Non permittebant Ægyptii, vt Sacerdotes sui, & imprimis Cereris fabas comederent, quod & legibus cautum erat; huius legis hæc ratio erat, quod fabas diis infernalib. & ma-

Fabæ signa mortis & lachrymarum.

& manibus sacras putarent, quia dum fabæ florent, nigras quasdam pelliculas habent, quas veteres vt lachrymarum & mortis symbola habebant. Nihil interesse putabant, si sacrificuli Iouis, Martis, Saturni, Mercurij, aliorumq; deorum hæc legumina comederent; sed Ceteris Sacerdotes sub pœna mortis fabas comedere nefas erat: cuius rei hæc erat ratio, quod Ceres granum reperisset, è quo panis conficitur, quique vitam hominum sustentat: & indecens penitus foret & ineptum, illos qui deæ panis largitrici ministrabant, qui vitam hominibus confert, panem mortis comedere, & vitæ cibum in cibum mortis mutari. Dicite mihi Christiani, quid magis deplorandum sit, quam cum Christus panem vitæ nobis dederit, per peccata nostra & indispositionem in mortis & damnationis æternæ cibum illum conuerti?

Indigne communicans seipsũ morti tradit. 2. Reg. 13. 1. Mach. 13.

O rem nouam & penitus inauditam! Peccator indigne ad sanctam hanc mensam accedens sibi ipsi mortem adfert, ecquæ cæcitas, ecquæ dementia? ad conuiuium accedit, vt mortem inueniat. Plures leguntur in conuiuiis occisi, vt Ammon Dauidis filius, qui inter epulas à fratre Absolomo interfectus est: Simon Sacerdos à Ptolomæo ad epulas inuitatus cum duobus filiis vitam amisit nefarie obtruncatus. Vespasianus Imperator eum Romanorum aliquot suspectos haberet, ad conuiuium illos inuitauit, quos deinde per sicarios interimi iussit: at nemo vidit vel audiuit vnquam, quemquam adeo stupidum & vecordem fuisse, vt ad epulas inuitatus suis mortem manibus sumpserit, aut calicem veneno, aut toxico refertum sibi dari, vel gladium ad iugulum sibi præscindendum postularit. Hoc tamen facit is, qui indigne communicat, qui suiipsius est interemptor, suis manibus cibum capit, mortem, qui sit allaturus, & calicem bibit, venenum, qui continet, quod bibitum ad imas cordis fibras penetrabit, & vitam auferet, *Iudicium sibi manducat, &c.*

Suet.

Vos vero Catholici malum hoc fugite, honorem hunc ne detrectetis, magna cum reuerentia Sacramentum hoc recipite, & cogitate, si pij illi viri, qui Christum iam mortuum sepulturæ mandarunt, non nisi in sindone munda illum inuoluere voluerunt: an non idem corpus, sed viuens, animatum, & penitus diuinum in corde purissimo collocari, & in animam nitidissimam recidi par sit? Sed sæpius illum recipite, cum sæpe vos Deo reconcilicet, benedictionibusque repleat recipientes; libere proinde ad cibum accedite, qui tam libere vobis offertur.

Matth. 27.

VI.

Mala mundum prementia referens Sapiens ait: *Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines, vir cui Deus dedit diuitias, & substantiam, & honorem, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo.* Malum certe est, & quidem frequentissimum, habere substantiam illam cœlestem, diuitias hasce possidere, & huius honoris participem factum esse, corpus nimirum Dei filij in cibum nactum esse; & ipsum nolle aut posse accipere. Hoc est Tantalum esse, & medias inter epulas & flumina fame sitiq; emori.

Eia agite, sæpius eundem gustate, ac Deum illum clementissimum, qui hunc vobis elargitus est, infinitis gratiarum actionibus prosequimini. Cum grauissima Samariam rerum penuria premeret, quæ hostili septa erat exercitu, mulier quædam stimulante fame regem accessit, dicens, *Saluame Domine, mi Rex*; atque ita cibum à rege ad vitæ conseruationem postulabat. Et spectat sane ad cordatum sapientemque regem suorum vitæ subditorum prospicere. ideo quidam in regem apud Esaiam electus, hisce verbis hunc à se honorem propulsauit, seseque munere iudicauit indignum: *Non sum medicus, in domo mea non nisi panis nec vestimentum.* Quasi diceret, Rex esse nequeo, quod subditos curare nequeam, & domi cum inopia conflicter. Sed ad Christum in extrema necessitate confugiendum, ab illo panis ad vitam necessarius est postulandus, ipse enim verus est medicus & in domo illius cœlestis panis reperitur.

4. Reg. 6.

Esai. 3. Regis est suos enutrire.

Accedit igitur Christiani, sine metu, audacter, libere, neminem pudeat, sed reuerenter tamen, nec temere: non enim amplius in rubo ardenti æstuantique conspicitur, vti

Exod.3. olim Moysi apparuit; non est amplius Deus ille vltionum, zelotes, exercens supplicia in quartam vsque generationem, sed, qui facit misericordiam, & gratiam nullo non tempore elargitur; non est amplius leo rugiens, omnibus hominibus timorem incutiens, sed leo mel & nectar faucibus præferens; ad illum igitur properate, *gustate & videte*. Dulcedinem Sacramenti *gustate*, & magnitudinem *videte*: *gustate* panem hunc vitæ, & *videte* mirabilia; *gustate* verum Christi corpus, & solas *videte* species; *gustate* quis qualisve hic cibus detur, ac *videte* quænam hic sit dispositio necessaria.

3. Reg. 6. Quis porro norit, Saluator mundi, quanta hæc esse debeat? Si enim Salomon septennium in templo suo ædificando impendit, cui solæ legis tabulæ inferendæ erant; quantum temporis in conscientia præparanda necessarium, in quam legis ipse author admittendus? *Gen. 6.* Si centum Noachus annos in arca compingenda, in qua se cum suis à diluuij violentia tueretur, consumpsit; quot dies, quot menses, quot denique annos in anima præparanda impendi oportet, vt illam verus Noë ingrediatur, quo illam à mortis damnationis ue perpetuæ diluuio tueatur ac sospitet? *Exod. 16.* Manna Sacramenti huius figura non nisi in aurea vrna in tabernaculo asseruabatur; quo demonstratur, Sacramentum hoc, verum piorum manna nonnisi in anima per charitatem, humilitatem, modestiam, aliasque virtutes necessarias deaurata & insignita recipi debere. Tu vero animarum nostrarum Saluator gratiam præsta, hoc modo illas vt disponamus, vt non nisi amoris diuini aurum in corde, non nisi puritatis aurum in cogitationibus, non nisi aurum modestiæ & humilitatis in verbis, nonnisi virtutum, pietatisq; in operibus, aurum deniq; vbiq; & in omnibus resplendeat, vt digne te recipiendo, mortem nobis inde non afferamus, vnde viræ obtinendæ & beatitudinis adeundæ spem & occasionem accipere par erat, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus S. perducere dignentur, Amen.

CONCIO OCTAVA

INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

OCTAVVM MIRABILE.

De admirabili Missæ sacrificio.

Partitio.

1. *Quod in vna Eucharistia sit & sacrificium & Sacramentum.*
2. *Missæ officium esse vere sacrificium, probatur figuris Vet. Testam.*
3. *Probatur rationibus.*
4. *Ratio vna oratoria, ex more Dei, ex paruis initiis ad perfectionem ascendentis.*
5. *Idem docetur ex Nouo Testam. Scripturis & rationibus.*
6. *SS. Patrum consensus & vsus idem euincunt.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal. 110.

FIGVRA.

QVemadmodum pridie quam Hebræi Ægyptiaca seruitute eximerentur, & *Exod. 12.* libertate donarentur, decreuit Deus, vt sacrificium agni Paschalis quotannis ad perpetuam liberationis huius memoriam perageretur, quod sacrificium cum ipsa Synagoga tandem exstinctum est, & quamdiu illa stetit, tamdiu quoque in vsu apud Judæos fuit. Ita pridie quam veros Dei filios è captiuitate Satanica, quam illa velut Israelitarum præsignabat, educeret, magnum hoc & augustum Missæ sacrificium instituit, in quo verus agnus immaculatus Deo Patri offertur, ac simul decretum, vt in perpetuas generationes vsque ipsum permaneret, dum ait: *Hoc facite in mei commemorationem.* Id est, Idem offerte sacrificium, eundem offerte

offerre agnum, eandem celebrate Missam, & tamdiu hæc duret institutio, quamdiu duratura est Ecclesia. O sacrificium admirabile! honor, decus, ornamentum, & consummatio omnium sacrificiorum veterum! ô mortis, crucis, & passionis Christi memoria! ô præcipuum, dignissimum, ac maxime admirabile religionis nostræ pignus; dæmonum terror, hæreticorum horror, peccatorum piscina, Christi trophæum, Angelorum excellentia, hominum beatitudo, & totius mundi salus! Vt hac matutina hora mirabilia hæc profundius scrutemur, oculos mentemque ad cœlum conuertamus, Spiritus sancti auxilium imploremus, Virginemque Deiparam supplices deprecemur, suis nobis vt precibus hic succurrat, ac propterea magna animi attentione, & in genua prouoluti, AVE MARIA recitemus.

I. Magnus Prophera Daniel, inter horrendas & admirabiles visiones, quas Deo reuelante vidit, arietem se vidisse ait duobus instructum cornibus, & omnes terræ bestias prosternentem, *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius, &c.* Arietem hunc cum à capite ad caudam accuratius intueor, & circumsecus contemplor; allegorice hunc expositurus dico, gryphum & ænigma quoddam esse aut mysticum emblema, quo augustum & diuinum Eucharistiæ Sacramentum denotatur, quod realiter & vere non arietem lasciuum aut petulcum, sed mitissimum Agnum continet, quodque duo capite præfert cornua, quoniam interdum vt sacrificium, interdum vt Sacramentum sumitur, & duabus hisce partibus cornibusque omnes terræ bestias, id est, hæreticos, qui stupidissimi mortalium & stolidissimi, ventilat, ac pessumdat. Adeo, vt asseribendum illi sit, quod Dauid vaticinatus ait, *Conquassabit capita in terra multorum.*

Dan. 8.

Aries hic bicornis sacramenti Eucharistici figura.

Psal. 109.

Pythagoræ litera, toties & tam multis in locis à veteribus decantata (quam ille ad vitæ humanæ statum designandum effinxit) furcata erat & bicornis. Eucharistia ad eundem modum egregia quædam litera est, quã toties Prophetæ celebrarũt ac decantarunt, & in Christianorum alphabeto præcipua ac princeps; sed bicornis est, & bifidum, & geminum præfert sensum, modo enim vt Sacramentum, modo vt sacrificium sumitur; vt Sacramentum, communio est; vt sacrificium Missa. Et sane nulla insignior, aut significantior vnquam in scholis litera visa vel audita, neu Philosophi Theologique hactenus eius arcana mysteriave detegere potuerunt.

Litera bicornis Pythagoræ.

Ezechiel Propheta Judæos in Babylonica captiuitate detentos consolatus, vidisse se inter cetera tradit Seraphinum, qui duplicem præferret vultum, leonis simul & hominis: *Facies hominis, & facies leonis.* Quod Prophera olim monstrosum in Babylonica captiuitate vidit, ipse iam mysticum in libertate Euangelica video. Seraphicum enim hoc Sacramentum duas alias facies præfert, terribilem vnam velut leonis, quando velut sacrificium accipitur, alteram hominis benignam & mãsuetam, quando vt sacramentũ capitur: nihil enim ita sumpto dulcius, nã manna est, quod omnem hominibus voluptatem adfert, sacrificio vero nihil ferocius & terribilius; hoc enim hæreticos efferascere cogit, & in rabiem conuertit,

Ezechi. 1.

Eucharistia collata Seraphino duplicem faciem habenti.

Oceanus, vt Historici & Cosmographi docent, in duos magnos & vastos ũnus se exonerat, mare Mediterraneum & rubrum siue Arabicum. Sacramentum hoc Oceanus est gratiis & mirabilibus abundans, sed, qui in duo se brachia & cornua diffundit; velut Sacramentum enim Mediterraneum est, vt sacrificium mare Rubrum, sanguine inquã, cruce, morte & passione Christi rubricans; ac duo hæc brachia non nisi vnum constituunt Oceanum, Sacramentum scilicet Eucharisticum.

Oceani duo brachia.

Jordanis in lacu Asphaltite, qui haud procul à Sodoma & Gomorrha à terra absorbetur, nec vllum huius apparet vestigium, quo in mare se exonerare cognoscatur, sed duos efficit lacus, vnũ Tiberiadis, qui dulcis & pisculentus alterum Asphaltitem salsugine & sterilitate notum. Eucharistia quoque nouus quidam Jordanis est, quæ in duos se lacus

Eucharistia Jordani collata.

cus subdiuidit, vnum, qui Sacramentum, quod dulce & gratiis plenum, alterum, qui sacrificium, quod tormentorum, pœnarum & passionis salsugine respersum: velut Sacramentum sancta communio est: at sacrificium est, quod vulgo Missam dicimus.

Hæretici sacrificium detestantur.

Hæretici, iurati Sacramenti huius hostes, de duplici hac distinctione audire nolunt, insaniunt, rabiunt, efferascunt, deniq; emoriuntur, cum sacrificij mentionem fieri audiunt. Solent Trigides ferocissima illa animalia, viso sanguine, aut puniceo aliquo colore ferocire & feritatem induere; hæretici multo etiam crudeliores, ad eundem modum furunt, cum sanguinem Christi vel sacrificium Missæ vident, vel minimam etiam illorum mentionem fieri audiunt, Missæ inquam, quæ effusione sanguinis Christi, cruce, morte, & passione, toraque Caluarica tragœdia rubricat & purpurissat. Insaniunt, cum de Missa, sacrificio, cruce loquentem intelligunt, & plenis clamant buccis, *consummatum est*, sacrificia transierunt, finem habent omnia, vos Papistæ Judaizatis, idololatriam exercetis Romani, homicidæ vos Sacerdotes, sacrilegi, antropophagi.

Refert Magnum Antonium Athanasius, vidisse in visione mulos, qui altaria calcibus impeterent, & assidua pedum iactatione Ecclesias euerterent. Quæ visio Arianos tum denotabat, qui haud multo post cornua erexere, & sanguinarium immaneque Ecclesiæ bellum intulerunt, hodie Lutheranos & Caluinistas, qui equorum effrenium instar ac mulorum altaria nostra calcibus feriunt, & sacrosanctæ Eucharistiæ & augustissimo Missæ sacrificio crudele bellum indicunt.

Lutherus magna impietate & infinitas blasphemias eructans ait, Sacerdotes nostros in Missa nõ aliter se cum Christo gerere, quã olim Judęi in monte Caluariæ. Quin & super Esaiam scribẽs ait: *Monachi quoties celebrant, grauius peccant, quam si eadem faciant; est enim blasphemiæ opus.* Imo & aduersus Oecolampadium & Zuinglium scribens, hæc habet, *Maxima sunt*, inquit, *peccata mea, quod tam sanctus fui monachus, ac tot Missis per annos quindecim Dominum meum grauiter offendi.* Ita scilicet insaniunt hæretici, cum nos etiam-num de sacrificio loqui audiunt.

Lib. contra reg. Angliæ. Adc. 66.

Describit Genesis importunitatem muscarum, quæ Abrahamum, dum sacrificio offerendo occupatur, importuno volatu impediebant, *Descenderuntq; volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.* An non merito hæreticos nostros muscis hisce dixerimus persimiles? qui non nisi vespæ & imputi fuci sunt, qui importunius in nos insurgunt, nosque impedire & sacrificium Missæ turbare manibus & pedibus contendunt, sed Abrahæ exemplo abigendi, & sanctum, quod cœptum, exercitium non interrumpendum.

Permittere Pharao Ægyptiique nolebant, vt Israëlitæ vero Deo suo in Ægypto sacrificium offerrent. Ad eundem modum Satan, eiusque ministri hæretici omni contentione & studio prohibere nituntur, ne sacrum Missæ sacrificium, quod sacrificij crucis & Caluarici commemoratio, ac repræsentatio quotidiana est, omni potenti, qui verus noster & supremus Deus est offeramus. *Exod. 5.*

Vaticinatur Daniel, Antichristum filium illum perditionis, quo omnem Christianam religionem euertat, sanctum hoc, & iuge sacrificium ante omnia auferre conaturum: *Et à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem.* Iuxta vaticinij huius præscriptum nostri temporis hæretici Antichristi præcursores, vt religionem euertant, Ecclesiam affligant, omnẽque sanctimoniam pessundent, feritatem rabiemque à sacrificij Missæ abolitione & ruina exordiuntur. *Dan. 12.*

Nostræ tempestatis hæresis meretrici illi haud absimilis videtur, quæ coram Salomone de mortua prole disceptans, cum sociæ prolem viuam habere non posset, cum propriam incumbendo negligenter suffocasset, eam occidi petiit, ita vt neutri cederet, *Nec tibi, nec mihi sit, sed diuidatur.* Non secus etiam hæresis, veterana illa ac triobolaris meretrix, iam à multis annis sacrificium hoc auferri abolerique voluit, de sacrificio omnes sileant, inquit, nulla eius in posterum fiat mentio, nec mihi, nec Romanæ cedat Ecclesiæ. *3. Reg. 3.*

siæ. Deniq; Missam sacrificium esse credere detrectat, sed abusum, abominationem, blasphemiam, sacrilegium, incantationem esse impie blaterat: cum tamen Patres omnes, Concilia vniuersa atq; adeo Ecclesia tota Scripturarum testimoniis innixa credat, semperque crediderit, ac defendat, sanctum & verum illam esse sacrificium, Dauid vero memoriam & compendium omnium diuinorum mysteriorum esse tradit, quod in thema nostrum iam quotidie desumpsimus: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, &c.* Vt autem de mirabilium hoc acervo collectioneque aliquid vobis dicam, duplici remo concionem more solito impellam, primo è veteri Testamento patefaciam Missam verum & honorabile sacrificium esse, deinde ipsum è nouo stabiliam, atque hinc quanta mysterij huius dignitas sit & veritas perdiscetis.

II. Tria genera sacrificiorum in S. Scriptura. *Lib. 10. de ciu. c. 5. & 6.*

Quod ad primum igitur spectat, antequam quid horum probare aggrediamur, triplex sacrificiorum genus in Scriptura inueniri dicendum est, vt iam dudum obseruauit magnus Augustinus. Primum internum & inuisibile, quo omnis actio pia in anima efformata intelligitur, qualia sunt bona desideria, mentis in Deum eleuatio, pœnitentia præteritorum atque alij motus omnes, qui interne in anima gignuntur. Huius meminit Psalmographus dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* *Psal. 80.* Secundum exterius est, & ab omnibus conspici potest, quod omne bonum opus externum: quodque ab interno motu, de quo iam locuti sumus, originem trahit, comprehendit: horum de numero sunt ieiunia, eleemosyna, oratio, corporis castigatio, proximi correctio, verbi diuini promulgatio ac doctrina, deniq; omnia externa virtutis & religionis opera, atq; duo hæc generali nomine sacrificia dicuntur. Sed est & aliud sacrificij genus singularius & magis proprium, quod est actio quædam extrinseca offerens & conuertens aliquid in signum, professionem, & cultus supremi Deo debiti agnitionē, vel sacrificium proprium, est oblatio visibilis doni sanctificati cum ceremonia, & mutatione illius, soli Deo per ministrum legitimum ad diuinæ maiestatis agnitionem, nostrique erga illam subiectionem, facta.

Hoc velut fundamento totius ædificij huius suppositio, iam probare contendam Missam nostram verum quoddam sacrificium esse, idq; ex antiquo testamento productis tum testimoniis, tum figuris.

Primo Melchisedech Rex Salem & Sacerdos Altissimi figura fuit ac typus Christi, tū in persona sua, tum etiā in sacrificio, in quo panem & vinum obtulit. Ita cōparationem hanc instituit ad Hebræos Apostolus, & ante illum Psalmographus; *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* *Gen. 14.* *Hebr. 7.* *Psal. 109.* Quod cum vere ita se habeat, sequitur necessario, nos figuræ huius veritatem in Eucharistia habere, cum certo certius constet, veteres omnes figuras completas fuisse, & nullum aliud sacrificium reperiatur, in quo hæc compleri potuerit, hoc vno excepto. Deinde, si Christus testimonio Psalmistæ Sacerdos sit in æternum, id est, sacrificium in Ecclesia sua ad finem vsq; mundi iuxta ordinem, ritum, & materiam sacrificij Melchisedech oblaturus, in pane & vino hoc sit oportet, quod de crucis sacrificio intelligi nequit, nullam enim hoc cum comparatione Melchisedech comparationem, aut similitudinem habet, sed ad Aaronicam referri commode potest, quæ cruenta erat, & in sanguinis effusione & animalium iugulatione consistebat, ergo in Missæ sacrificio, quod hodie solum in Ecclesia reliquum est, compleri hoc & verificari debet.

Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Vero inquam & sancto sacrificio, in quo Jesus Christus summus Sacerdos est, & mediator inter Patrem æternū, & homines cōstitutus, verus Rex pacis & iustitiæ, verus Sacerdos, qui mactatus illius offerat, iustitiæ illius satisfaciat, furorem mitiget, eumque generi humano reconciliet, non tamen iugulatione aut mactatione animalium, aut effusione sanguinis, *Nunquid enim manducabo carnes taurorum?* *Psal. 49.* Et alibi: *Sacrificium & oblationem noluisti.* *Psal. 39.* Nec secundum ordinem Aaronis, sed per hostiam & oblationem corporis sui, quod illi multo exstitit gratius, quam orbis vniuersus, corporis inquam,

quod semel Patri in cruce ritu Aaronico obtulit cruentum, sed deinde in æternum, secundum ordinem Melchisedech sub panis & vini speciebus, vt prius illud applicet, & tali sacrificio ad finem vsque mundi Omnipotentem honoret & veneretur, est oblaturus, Sacrificia, vota, oblationes magni huius Sacerdotis, æternum Altissimo grata erunt, vt quod voluerint iis quos redemit, quique Patrem huiusmodi sunt sacrificio honoraturi, impetrent.

Exod. 14.

Agnus Paschalis typus Eucharistiæ.

Secundo agnus Paschalis verum in lege Mosaica sacrificium fuit, atque hæc fuit Patrum omnium hactenus sententia, nec sacrificij crucis dumtaxat hoc figura fuit, sed Eucharistici quoque, quod ita probo: Christus vt agnum Paschalem cum Apostolis comedit, ita tum eodem tempore & loco & eiusdem præsentibus Eucharistiam instituit, crucis agnus hic typus fuit. Deinde in agni Paschalis manducatione quatuor reperire est circumstantias, quæ nulli alteri quam Eucharistiæ adaptari poterant. Primo agnus immolabatur, vt manducaretur, nec manducari prius poterat, quam immolatus esset, atque hoc de sacrificio crucis dici nequit. Secundo priuatim in domo hæc immolatio contingebat per patremfamilias inter domesticos purificatos & circumcisos, atqui crucis oblatio publice & palam peracta fuit in totius populi conspectu coram Judæis & Ethnicis. Tertio agni immolatio paulo ante facta fuit, quam Hebræi captiuitate Ægyptia liberarentur, quarta decima luna; ita quoque prima Eucharistiæ institutio quarta decima luna contigit, & pridie eius diei circa vesperam, quam Christus pateretur, ac morte sua in libertatem nos vindicaret, ac crucis sacrificium in meridie peractum, decima quinta luna, & postridie quam agnus Paschalis esset immolatus. Quarto agnus Paschalis non erat transitus Domini, nec Judæorum liberatio, ac typus & sola eiusdem commemoratio, ideoque sæpius repetebatur & quotannis iterabatur. Ita Eucharistia signum dumtaxat fuit libertatis, qua iamiam genus humanũ donandum erat per trãsitum, id est, mortem Saluatoris, qui crastina die ex hac vita ad alterã esset transiturus,

Quatuor circumstãtiæ in agni Paschalis immolatione seruari solitæ, Eucharistiæ adaptantur.

& Ægyptios, inimicos inquam nostros id est, peccata interfecturus, & sanguine suo Israelitas libertate donaturus, & omnes omnino homines à seruitute & captiuitate eripturus.

Leu. 3. & 7. *Num.* 15.

Tertio sacrificiũ pacificum, de quo in Leitico & Numeris loquitur Moses, vera Missæ nostræ figura exstitit. Quod ita probare poterimus. Vetus hoc sacrificium quatuor habebat proprietates, quæ alteri sacrificio quam Missæ appropriari nequeunt. Primo sacrificiũ hoc tum potissimũ immolabatur, cum fœdus quoddam cum Deo ineundum erat, & gratiarum illi actio persoluenda, atq; ideo Hebraico vocabulo *Todad* dicebatur, quod eiusdem omnino significationis, cuius *Eucharistia*. Deinde in varias partes hostia dissecabatur, quæ certis quibusdam eleuationibus ad quatuor mundi plagas offerebãtur. Tertio comedebatur non à sacerdotibus solum, sed à populo promiscue. Quarto denique panis hic & vinum offerebantur: quæ omnia in Missa nostra videre est. Non est igitur dubitandum, quin, quandoquidem figura tam solemne fuerit sacrificium, Missa quoque sacrificium sit, cumque præcesserit olim figura, nos rei veritatem atque ipsum mysterium habeamus.

Sacrificiũ pacificum sacrificij Missæ figura.

Iud. 11.

Quarto scriptum legimus, Israelitides funestum & tragicum filiæ Jephtes Hebræorum ducis interitum deplorantes, quotannis conuenire solitas pulla indutas & luctum præferentes, vt ita funus ac memoriam sociæ refricarent, & dolorem, quem ex innocentis immolatione ceperant, nouo dolore gemituque testarentur. Cum quod in Ecclesia in Missæ sacrificio peragitur, mecum reconsidero, idem mihi omnino videor intueri; In hoc enim omnes Christiani & pij non quotannis semel dumtaxat, sed quotidie conueniunt, vt in sancto Missæ sacrificio mortis & passionis eius memoriam, qui innocenter in crucem actus, & pro nobis semel cruente in cruce oblatus fuit, repetant ac repræsentent, cuius sacrificij Missa non nisi memoria atque repræsentatio est: ita quippe Dominus ipse in institutione illius præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Sacrificium Missæ præsentatio sacrificii crucis.

Quin-

1.Reg.2. Quinto, ille, qui à Deo velut Propheta ad Sacerdotem Heli missus, & sacerdotium se illi ablaturum, & alium eius loco excitaturum, qui voluntati eius in omnibus morem gereret, & panem illi in sacrificium offerret, est comminatus, hoc pacto illum est allocutus, *Suscitabo mihi in sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus, & offeret tortam panis, &c.* E quo loco sacrificium Missæ astruere mihi posse videor. Hic enim de sacerdotio Leuitico nequit intelligi, iam enim à longo tempore institutum erat, nec de Aaronico: ait enim *cunctis diebus*; Aaronicum vero iam abolitum & abrogatum; nec de panibus propositionis; hic enim de futuro sermo est, atqui panes propositionis quadringentis iam annis præcesserant. Credendum igitur & indubitate tenendum de sancto Missæ sacrificio hoc intelligi debere, quod Leuitico succesit, & in quo nouus Sacerdos quotidie sub panis & vini speciebus in Missa pretiosissimam victimam offert, quæ vnquam in mundo oblata fuit.

Missæ sacrificium substitutũ in locum sacerdotij Heli.

Prou.9. Sexto, in Prouerbiis sapiẽtia cum domum ædificasset, & septem illam fulcris imposuisset, & luculentum conuiuium instituisset, omnes mortales inuitat, vt panem suum comedant, & vinum gustent, *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Sanctus Cyprianus vnus è veteribus Ecclesiæ Patribus huius loci agens interpretem, de Missæ sacrificio hoc intelligi oportere credit. Nec omnino id extra ordinem. Nam & Christus, sapiẽtia illa æterna, cum regiam Ecclesiæ domum ædificasset, & septem illam Sacramentorum virtuti & efficaciæ velut totius religionis fulcris imposuisset, pridie quam pateretur, magnum Missæ sacrificium, velut conuiuium quoddam instituit, in quo Patri se offert, & in cibum sub panis ac vini speciebus in sacerdotis manibus se elargitur, vt ab vniuerso mortalium cœtu comedatur.

Sapientiæ conuiuium Missæ sacrificio accommodatur.

Malach.1. Septimo, Malachias Propheta, qui omnium Prophetarum postremus ac Christo proinde proximus exstitit, ita initio Prophetiæ suæ loquitur, *Magnum nomen meum erit aliquando in gentibus, & in omni loco offertur sacrificium & oblatio munda nomini meo.* Prophetia hæc manifesta est, & ad fidem nostram & Missæ sacrificium stabiliendum magnæ efficaciæ, quod dignitatem puritatemque nouæ cuiusdam oblationis in legæ gratiæ à nouis sacerdotibus, summi Pontificis Jesu Christi vicariis, offerendæ repræsentet; oblationis inquam vere puræ & penitus mundæ, quod illius materia sit Jesu Christi corpus, & offerẽs ipsemet Christus, quæ nec per Sacerdotum nequitiam violari inquinarique potest, qui nonnisi vicarij sunt; in qua panis est, qui non mucescit, vinum, quod non acescit; & actio quædam subest, quæ mutari non potest aut alterari. Exclamem igitur merito, ò verum sacrificium! ô mirabilia!

Missa oblatio munda.

III. Rationes probantes Missam esse sacrificiũ.

Præter omnes hasce figuras & prophetias plurimas quoque ad manum habeo rationes, quæ idem omnino confirmabunt; quarum hæc prima: sacrificium crucis nonnisi cruenta veteris Testamenti sacrificia cum parua ceremonia compleuit; necesse igitur aliud quoddam sacrificium fuisse, quod veteres omnes figuras compleat, quas sacrificium crucis non adimpleuit, verus alioqui Christus non foret, nec fidelis in verbis suis, quod tamen in eo Vates regius deprædicat, *Vt iustificeris in sermonibus tuis*: & alio loco, *Fidelis Deus in omnibus verbis suis*: quippe apud Matthæum omnia in lege adimplenda, etiam iota vnum & appendicem dixit, præterquam quod non mediocris etiam diuinæ potentiæ ac prouidentiæ irrogatur iniuria, quod figuras tam eximias præmiserit, easdem tamen complere & ad opus perducere non potuerit. 1. *Psal.50.* *Matth.5.*

Secunda est hæc. Si Deus in terra sacrificiis coli honorarique; tum in lege naturæ, tum Mosaica voluerit; quod filij illius sacrificium in cruce peractum etiam piusquam cõpleretur, repræsentarent; qui fieri igitur potest, imo credi, eundem ipsum Deum nullum sacrificij genus, post filij triumphum, in Ecclesia reliquisse, quod ipsum crucis sacrificium iam peractum repræsentaret, semper vt in eo agnosceretur, honoraretur, & velut in tam luculenti facinoris filij sui, & 2.

omnipotentiæ illius operis, & tam eximij à misericordia illius profecti beneficij memoria adoraretur? Cum igitur nullum sit hodie, præter Missæ, credendum est verum illam sacrificium esse, quæ præteritum crucis sacrificium repræsentet, quod Mosaica sacrificia velut futurum & adhuc faciendum designabant.

3. Cur Judæi sacrificia haberent.

Tertia sequatur. Judæi sub Mosaica lege viuentes plurima vera & propria habebant sacrificia. Quare & Christianos in lege Euangelica, quæ multo præstantior, aliquod habere par est. Quod ita probo: Causæ ob quas Judæi sacrificia offerrent, Christianis non minus communes sunt, imo & magis propriæ Sacrificabant enim ad Deum solemniter & vere honorandum, eo quod huiusmodi actio supremus quidam cultus sit; atqui Christianis maior huius cultus reddendi Deo ratio incumbit quam Judæis. Sacrificabant ad hæc, vt hoc pacto publice & palam religionem suam profiterentur; quod Christianos maiori etiam cum cura & accuratius facere oportet, vtpote eum Ecclesia maioris sit dignitatis maiestatisque, quam ipsa vmquam Synagoga fuit. Denique vt futurum crucis sacrificium repræsentarent, Christianis vero id potius repræsentare incumbit, quoniam illud iam factum & completum est, vt ita iugis illius memoria & perpetua foret, eoque vti ad indignationem Omnipotentis mitigandam, gratias ab eodem impetrandas & veniam ac misericordiam obtinendam possent. Omnia autem hæc nobis in Missæ sunt sacrificio acquisita.

Missa actus latriæ Deo proprius.

O sanctam igitur, sacram, augustam, & vere diuinam Missam! Dicat & obganniat hæreticus quod libuerit, tuum est, Catholice, sincere credere, Missam verum esse sacrificium & actum latriæ soli Deo proprium; sacrificium inquam, quod in lege naturæ, & Mosaica, & apud omnes orbis populos semper vt præcipuum ac maximum diuini cultus testimonium est habitum: in Missa per legitimos ministros, propria, publica & solenni ceremonia Deus adoratur, & agnoscitur à seruis suis & creatura velut supremus rex, cœli, terræque conditor, Dominus viuorum ac mortuorum, & nostræ salutis auctor. Deniq; Missa mysterium est, in quo & per quod Deo talis recognitio exhibetur, qua maior à vasallo Domino, à subdito Regi, creatura Creatori dari & exhiberi non potest. Quid magis aut amplius desideratis?

Repetam iterum Missam sacrificium esse, in quo nullus effunditur sanguis, nullum iugulatur animal, sed incruentum: sed in quo idem Deo sacrificatur, atque idem Christus offertur, qui olim in arbore crucis oblatus est, sed ibi mortem subeundo & sanguinem effundendo. Missa sacrificium est, quod cæterorum sacrificiorum complementum & consummatio est; deinde fuit & omnipotentiæ cuiusdam opus, in tot figuris, tanto ante tempore, tamque ad viuum futurum quoddam sacrificium repræsentare, easque omnes ad veritatis conspectum euanidas reddere; vere opus diuinum & cœleste, quod tot ante sæcula sacrificium hoc à tot Prophetarum oraculis, figuris & sacrificijs adumbratum & depictum fuit.

Dei sapientia eluxit in eo, quod tot figuras in veteri Testamẽto promiserit quæ Missam repræsentarent.

Cum hanc totius vniuersi molem contemplor, & in cœlum terramq; oculos conicio, ac tantam operum varietatem in naturæ theatro productam cerno, stellas scilicet in sublimi firmamento, animalia in terra, elementa inter vtraque iecta, vniones in fundo maris, adamantes rupibus adhærescentes, aurum in fodinarum venis, flores per agros sparsos, picturas in officinis, aliaque mirabilia considero, quæ nõ minus mentem consternunt, quam oculos ratione sua perstringunt, mentis oculos altius sustollens, quam primum cogito, horum omnium auctorem infinite potentem, extreme bonum, & summe sapientem esse. Tum vero cum video eumdem ipsum Deum sacrificium Missæ tot veteribus sacrificiis præsignasse, holocaustis, inquam, pacificis, propitiatoriis, & vnam hanc solam omnes virtutes in se comprehendere, quas omnia illa denotabant; nõ possum quin Dei sapientiã simul & bonitatem in opere adeo perfecto & nummo adeo pretioso, omnem vt Judaicorum nummulorum valorem comprehẽderit, & in sacrificio, in quo omnia sacrificia legis naturalis & scriptæ continentur, relucentem summopere

Missa nũmus aureus omnem Judaicam monetam complectens.

mecum

mecum demirer, simulque gratias illi ob tam præclarum munus & eximium beneficium agam. Dic igitur an non Missa nostra sanctum quid sit, dic an non satis in veteri testamento fundata, à Prophetis prædicta, & in tot figuris præsignata sit? iam alia ad rei confirmationem argumenta fundamentaq; è nouo Testamento depromam, in quo illa instituta. Atque hoc me initio facturum promiseram.

Præcipuum, sublimissimum ac pretiosissimum pignus, quod in noui testamenti inuentario reperitur, est Missæ sacrificium, est enim velut præcipuum ac principale filii Dei opus, & omnium quotquot cœlum vnquam in mundo produxit operum complementum. Habet hoc pro more Deus, vt à paruis incipiat & in maiora desinat & augustiora. Et facto ipso in opere creationis, in admirabili illa die, qua omnia è nihilo prodeuntia in rerum natura comparuerunt, hoc modo se gessit. Prima enim die creauit lumen, ac deinde quo in numero dierum progrediebatur longius, eo & perfectiora maioraque condebat opera, ab elementis progrediendo ad plantas, à plantis ad animalia; tandem opera omnia opere perfectissimo concluſurus, creauit hominem, in quem velut in vniuersum quoddam, cœlum, terram, mentem & corpus congessit, ac velut epitomen ex magno illo totius mundi volumine, in parua tabella viuam diuinitatis imaginem gestantem, meliora semper digniora que ad extremum reseruando, & multitudinem ad vnitatem iuxta naturæ suæ similitudinem, quæ infinite est vna, reducendo confecit. Ita quoque idem supremus & omnipotens Dominus in lege naturæ insignia documenta ac quædam sacrificia ad Ecclesiæ suæ gubernationem spectantia, hominibus dedit, vt iam inde signaret ac denotaret bona, quæ Messias nobis esset allaturus. In lege Mosaica multo etiam fuit liberalior, vtpote in qua tot mirabilia produxit, tot sacrificia instituit, tot gratias & indulgentias promulgauit. At in lege Euangelica contrahens hæc omnia, omniaque mirabilia sua in vnum velut fascem compingens, in Missæ sacrificium cuncta refudit.

Nihil Missa in nouo testamento reperitur dignius.

Deus à paruis incipiés in magna desinit.

Cum ingens quædam & capax fundenda est campana, minores fundi solent, & ex omnium materia vna maior concinnari, quæ exaudiatur longius & terribilem sonitum edat: Omnia legis naturalis sacrificia & scripta non nisi nolæ & campanulæ minores erant, quæque non nisi tinnitumederent; atque ideo forsitan sacerdotis Iudaici tunica campanulas ac tintinnabula in fimbria habebat, *Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto, & byſſo retorta, mistis in medio tintinnabulis.* Necesse porro erat nouum quoddã instituere sacrificium, cuius sonitus vbique terrarum exaudiretur, idcirco artifex omnia tintinnabula vetera fusorio iniecit, & magnum hoc & sanctum opus, Missam inquam efformauit, quæ tantum sonum edidit, vt per vniuersum terrarum orbem fuerit exaudita, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Simile. *Exod.* 28.

Psal 18.

IV. Natura à paruis exorditur, & in maiora desinit.

Aristoteles de naturæ progressu loquens, & ostendere volens prudentem hanc matrẽ à minimis conceptus suos & opera exordiri, ac deinde paulatim ad perfectiora ascendere, in scholis docuit, *Primo viuimus vita plantæ, postea vita animalis, postea vita hominis.* Eodem modo de naturę totius auctore loquendum, credendumque, illum in lege naturæ leuia opera ac tenuia edidisse, sacrificiaque ac ceremonias haud magni ponderis & imperfecta instituisse: in lege vero Mosis meliores merces proposuisse, ac paulo pretiosiores; at in Euangelica omnia operando quam perfectissime, Missæ sacrificium, velut pretium ac decus omnium priorum operum suorum legasse, atque instituisse. Quod conceptus quidam nouus faciet manifestius.

In nuptiis Canensibus, cum Dei filius miraculis gloriam suam patefacere inciperet, vinum deterius præmisit, & melius ac sapidius ad extremum seruauit, *Tu vero seruasti bonum vinum vsq; adhuc.* Mysticum hoc fuit, docet tamen nos, Christum hic agere, quod ab orbis exordio iam facere cœperat, cum quod minimum circa cultum suum erat, præmiserit velut sacrificia & cœremonias

Ioan. 2.

veteres, & ad extremum, quod optimum & pretiosissimum, sanctum scilicet Missæ sacrificium, reseruauit. Sed eius honor è nouo Testamento iam probandus, quod facile factu, cum non desint argumenta, eaque efficacia.

V.

Primo apud Lucam corpus suum in cibum donans dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur & frangitur.* ita habet Textus Græcus in Epistola ad Corinthios; scriptum enim est κλώμενον, similiter accepto Calice ait, Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum; è quibus hoc argumentum educo, Christus Eucharistiam dans discipulis ait, corpus tradi & sanguinem fundi; atqui is, cui dabatur, alius esse non poterat quam Pater æternus: sequitur ergo, corpus illum suum consecrasse; nam Deo quid dare tot cærimoniis, gratiarum actione, fractione, effusione consecratum, est ipsum sacrificare & immolare. Kemnitius & aliquot alii sectarii hoc ad sacrificium crucis referunt, dicentes, Hoc est corpus meum traditum, id est, quod mox tradetur (Patrum quorumdam auctoritate nixi, qui futurum pro præterito vsurpant) nec interest in præteritione an in futuro intelligatur: sensus enim est huiusmodi; Hoc est corpus meum, quod tradetur, & hic sanguis meus, qui effundetur, primo in cruce vnico sacrificio cruento, quod non iterabitur amplius; deinde in sacrificio Missæ, ad finem vsque sæculi.

Luc. 22.

1. *Cor.* 11.

Primus locus è nouo testamento ad probandum Missam sacrificium esse.

Secundus.

Secundo, Christus ait Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*, fieri præcipit, quod instituerat, id est, Eucharistiam celebrari in crucis & passionis suæ memoriam. Eucharistia igitur verum est sacrificium; in quantum enim Sacramentū est, sacrificium crucis repræsentare nequit: quod sacramentum non nisi in sola benedictione consistat & manducatione; ac proinde Eucharistiæ sacrificium est, quod vera repræsentationis huius figura; Missa autem vera passionis Dominicæ memoria, quod sacrificium sit & non sacramentum, ipsa adhæc, vt hanc memoriam commemorationēq; exornet, & augustiorem reddat sacræ scripturæ lectionem, imagines, signationes crucis, & alias ceremonias adiungit.

Tertio, Samaritana vrbe ad aquam hauriendam egressa, cum montem Garizim, in quo Samaritani sacrificia & cultum suum exercebant, ac summo honore venerabantur, extolleret; audiuit à Christo, qui ad puteum sedebat defatigatus, *Mulier crede mihi, venit hora, in qua nec in monte isto, nec in Ieru salem adorabitis Patrem.* & paulo post: *Venit hora, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ex hoc loco ita fidem nostram confirmo, atque ita argumentor: Verbum, *adorare*, idem hic significat quod sacrificare; cum igitur dicat Christus non solum fore, vt in Ierusalem, sed in omni loco etiam adorerur, innuit, vbique terrarum verum ac proprium sacrificium sacrificandum: Quasi diceret mulieri huic loquens, Venit tempus, in quo non Ierosolymæ dumtaxat per carnalia figuratiuaque sacrificia adorabitur, sed per vniuersum terrarum orbem in spiritu & veritate, id est, per sacrificium corporis spiritualis, spirituali ritu immolati, quodque omnium præteritarum figurarum sit complementum ac veritas.

Ioan. 4.

Quod vero adorare hic pro sacrificare sumatur, facile declaratu est, & satis colligitur ex controuersia, quæ tunc temporis inter Iudæos & Samaritanos acerrime ventilabatur, circa adorationem Dei, quæ in publico cultu & proprio quodam sacrificio consistebat, vt in Antiquitatibus suis notauit Iosephus. Asserebant enim Iudæi in templo Ierosolymitano dumtaxat sacrificandum esse, quod & omnium Prophetarum confirmabant testimonio, ac Dauidis, Salomonis, & omnium Hebræorum veterum exemplo, qui Ierosolymis sacrificarant, & ipso Dei verbo, qui Ierusalem in habitationem sibi delegerat, in qua preces sacrificiaque reciperet: Samaritani è contra opponebant in templo suo in monte Garizim ædificato id fieri debere; in quo iam olim benedictiones erant promissæ ijs, qui legem diuinam inuiolate custodierant, & in quo ei Iacob Patriarcha olim sacrificia & victimas immolarat.

Adorare pro sacrificare in S. scriptura.

Lib. 11. *c.* 8.

Deut. 77.

Gen. 22.

Adhæc Gen. 22. adorare ad sacrificium refertur, quo loco Abraham seruis suis loquēs, ait:

Gen. 22.

ait: *Manete hic in pede montis, veniemus statim atque ado auerimus*, id est, sacrificauerimus; nam filium immolaturus montem conscenderat. Et apud Ioannem de quibusdam proselytis gentilibus dictum est: *Venerunt Ierusalem ad adorandum.* quo loco *adorandum* pro sacrificandum positum; quod adoratio summa sit sacrificij pars, & à sacrificio diuidi ac separari nequeat. Post testimonia hæc è sacræ scripturæ scrinio deprompta, rationes producam prægnantissimas. Quarum hæc prima.

Ioan. 12.

Rationes probantes Missam esse sacrificium.

Iam inde à prima Eucharistiæ institutione fuere in Ecclesia altaria Testem hic habeo Apostolum, qui suo tempore in Iudæa aras fuisse testatur, *Non habemus altare, de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo inseruiunt.* ac multo id manifestius declarat textus Græcus, in quo legitur θυσιαστήριον. Ac sequentibus deinde sæculis sæpius altarium meminere S. Dionysius, Tertullianus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, ac cæteri Patres omnes; erat ergo sacrificium, erant Missæ, nec aliud dici aut cogitari potest sacrificium, & relatiua sunt hæc inter se, quorum vnū sine altero esse nequit: Relata enim, iuxta Philosophos, sunt simul. Caluinus hoc ne admittere cogatur, imprudenter & impie negare audet in primitiua Ecclesia altaria fuisse, ne ita sacrificium aliquod fuisse confiteri cogatur: *Dedit nobis mensas*, inquit, *ad manducandum, non altaria ad sacrificandum.* sed notandum hic est, docti, scripturam aliquando de mensis, aliquando verò de altaribus loqui, quod Eucharistia simul sacramentum sit & sacrificium.

Ebr. 13.

Cap. 3. Hierarch.

Lib. 4. Instit.

Ecce secundam. In ipso sacerdotio etiam Missa consistit, dico igitur, in Ecclesia semper fuisse proprie iuxta nomen & mysterium sumptos sacerdotes; certum inquā ordinem virorum Deo ad sacrificandum consecratorum. Semper igitur sacrificium aliquod fuit, quod est ipsum corporis Iesu Christi in Missa oblati. Probo maiorem, Isaias de sacrificatoribus legis Euangelicæ loquens, hic vsus est verbis. *Et assumam ex eis sacerdotes & Leuitas, dixit Dominus.* Quod de Iudæis nequit intelligi, quod eorum sacerdotium sumendum esset non secus ac sacrificium, vt prædixerat Malachias. Legis autem Euangelicæ æternum esse debebat. iuxta Dauidis vaticinium: *Tu es Sacerdos in æternum iuxta ordinem Melchisedech.* quæ æternitas consistere nequit, nisi sint inter Christianos viri, qui velut legati ac Iesu Christi summi Pontificis vicarii sacerdotium exerceant, & ad illius imitationem sacrificantium munus ac functionem exerceant. Etsi Christus sacerdos æternus sit, vbinam æternum hoc sacerdotium & sacrificium, nisi in Ecclesia per sacerdotes vicarios suos exercebitur? Et si quod etiam sacrificium est, credendum est aliud non esse, quam ipsum Missæ, nullum enim aliud est aut esse potest.

Isai. 66.

Psal. 109.

Tertiam hanc statuo. Ipsa omnium gentium consuetudo, & omnium sæculorum præteritorum agendi ratio Missam nostram confirmant: nam ex quo orbis machina condi cœpit, nulla vmquam religio exstitit, quin semper sacrificium aliquod habuerit, velut primarium omnis religionis pignus & supremum adorationis cultum. Videte namque vt iam inde à mundi cunabulis filii Adæ, primi terræ incolæ sacrificia Deo offerant: post diluuium quoque odor sacrificiorum Noei aera compleuit. Videte quod in lege Mosaica animalia ad sacrificandum immolentur & mactentur. Nihil etiam est, quod Sancti & Prophetæ magis deplorarunt quam sacrificiorum interitum & cessationem, vti Elias 3. Reg & Daniel aliique plurimi. Fierine potest igitur, Christianam religionem, quæ omnium perfectissima & nobilissima, sacrificio destitutam mansisse? Non fit hoc mihi verisimile, sed falsum est, mendax, & rationi repugnans, quique asserere ausit, blasphemus est & impius.

Nulla vmquam religio sine sacrificio.

3. Reg. 17.

Adhæc ad maiorem certioremque opinionis meæ confirmationem omnium Ecclesiæ Patrum auctoritatem ac testimonium produco, qui vnanimi sententia ac suffragio Missæ nostræ sacrificii nomen & titulum dederunt. Chrysostomus, & cum eo omnes Patres Græci, nullo non loco illam *sacrificium terribile & plenum honoris*; ob maiestatem illius, qui in eodem offertur, nuncupant. Eusebius libro primo demonstrationis Euangelicæ, *sacrificium plenum* appellauit,

VI. Patrum auctoritas circa Missæ sacrificium.

Hom. 6. ad popul.

Lib. 1. Ep. 3.

Cypria-

Cyprianus *plenum & verum sacrificium*, Auguſtinus *ſupremum & veriſſimum ſacrificium*, atque hoc pro vniuerſa terra cultu latriæ ſupremo honore ſoli Deo debito offerri. S. Dionyſius vero lib. de cœleſti Hierarchia, ipſam *myſterium cœleſte, oblationem ſanctiſſimi ſacrificii, auguſtum & ſacratiſſimum myſterium* vocare non dubitauit. Deniq; omnes Patres aperte profitentur, Miſſam verum ſacrificium eſſe, quod Chriſtus nobis teſtamento legauit, vt in ſacrificii paſſionis memoriam idipſum offerretur. Addit inſuper Epiphanius, ſacrificium hoc adeo diuinum & auguſtum eſſe, vt & à matre ſua offerri ipſum vetuerit, ſed à ſolis Apoſtolis, quos in ſacerdotes ordinauerat.

Lib. 10. Cant. c. 20.

Primus Chriſtus Miſſam celebrauit.

O ſacra, ſancta ac venerabilis Miſſa! cuius Dei filius & auctor & inſtitutor: Chriſtus enim mundi Saluator, qui primus eam celebrauit, à menſa ſurgens, longam diſcipulis exhortationem faciens, eorumque pedes abluens & abſtergens, iterum menſæ accubuit, panem in manus ſumpſit & calicem in altum ſuſtulit, Deo Patri obtulit, gratias egit, eumque in ſui ipſius corporis ſubſtantiam conuertit; idque horum verborum vi & efficacia, *Hoc eſt corpus meum*; ac diſcipulis comedendum ac bibendum dedit, dicens, *Accipite & manducate ex hoc omnes*: ac deinde præcepit, vt idipſum imitarentur ac ſequerentur, id eſt, Miſſam celebrarent, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Matth. 26.

Omnes Apoſtoli Miſſam celebrarunt.

Quod & reipſa factum; nam mox à Chriſto Apoſtoli omnes Miſſam celebrarunt, vtpote omnes ſacerdotes conſtituti, ſed non ante Pentecoſten & prius quam Spiritus ſanctus deſcenderet, ſed eodem ipſo die, vt notat Heſychius S. Hieronymo æqualis; quod & ex Actis Apoſtolorum colligere eſt, quando dicitur; *Erant perſeuerantes in doctrina*; id eſt, concionando, *& communicatione, & fractione panis, & orationibus*; id eſt, celebratione Miſſæ; ac deinde Actorum capite tertio decimo Apoſtoli omnes Miſſam celebrarunt, cum Paulum & Barnabam in Euangelii præcones elegerunt, λειτουργούντων αὐτῶν, *ſacrificantibus ipſis*, id eſt, Miſſam celebrantibus ipſis.

In cap. 9. Leuit. Actor. 2.

Poſt Apoſtolos Pontifices omnes immediate poſt Petrum Miſſam celebrarunt, & vocabulum ipſum Miſſa in ſcriptis eorum reperitur, Clemens ſcilicet, Euariſtus, Alexander, Sixtus, Teleſphorus, qui in feſto Natiuitatis Dominicæ tres celebrari Miſſas præcepit, quique ad Eccleſiæ gubernacula ſedit anno Domini CCLXXVII. Siluester, qui anno ſalutis, vt Gratianus retulit, CCCXLIII. vetuit, ne in loco profano & prius non conſecrato quis Miſſam celebraret. Nec in Pontificum modo commentariis, ſed in Conciliis generalibus, quæ quatuor primis annorum centuriis celebrata fuere, manifeſta Miſſæ mentio fit: atque inter cætera Carthaginenſe ſecundum, quod à ſexto Oecumenico confirmatum eſt, cap. ſecundo habet, *Reconciliare quemquam in publica Miſſa preſbytero non licet*, & tertium Carthaginenſe, cui ducenti quatuordecim Epiſcopi, atque inter cæteros Auguſtinus anno CCCXCVII. interfuere, canone octuageſimo quarto ſic ait, *Epiſcopus nullum prohibeat vſque ad Miſſam*, & alia plurima. Concludendum igitur, Auditores, quidquid aduerſarii noſtri è contra obganniant, atque impie blaterent, Miſſam verum & ſanctum ſacrificium eſſe, & crucis ſacrificii repræſentationem, paſſionis & mortis Dominicæ commemorationem, theſaurum & reconditorium omnium filii Dei meritorum, victoriarum Meſſiæ trophæum, cœli terræque mirabilium memoriam ac compẽdium, Chriſtianæ religionis fulcrum, atque ſalutis animarum originem. Diſcite Catholici, qua reuerentia, quo honore, qua pietate vos Miſſæ ſacrificio intereſſe oporteat, ſi in die paſſionis Dominicæ præſentes Chriſtum cum lachrymis orantem poſtulantemque vidiſſetis, & crucem aſcendendo dicentem audiſſetis, per haſce te lachrymas æterne & benigne Deus, quas oculis meis emanare vides, per cruciatus & ſupplicia, quæ hic patior, & hactenus paſſus ſum, te ſupplex obſecro, *dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt*. an non, inquam, & ipſe dixiſſes, Omnipotens & miſericors Deus, idipſum & nos à te poſtulamus, omnia hæc in ſalutem noſtram admitte, his omnibus ſias propitius nobis.

Papæ omnes Miſſam celebrarũt.

Miſſa repræſentatio ſacrificii crucis.

Cum vero idem in Miſſa peragatur, quare eamdem

eandem pietatem & affectum non ostendis? cur easdem preces non effundis? Anne ridendi jocandique occasionem habuisses, si Christum in cruce morientem & expirantem pœnis saturatum vidisses? cum vero in Missa hoc ipsum tibi repræsentetur, cur vanis & inanibus cogitationibus distrahi mentem & euagari sinis? cur de profanis & secularibus rebus cum alijs colloqueris? cur in templo ridere & fabulari audes?

Tu vero animarum saluator Domine, sacerdos in æternum, sacrificij huius auctor, primæ sanctæ Missæ nostræ institutor gratiã præsta, vt ipsam tantum honoremus ac veneremur, quantum hæretici contemnunt ac cauillantur, & quod illis cicuta & exitium, nobis salus sit & potio salutaris. Virga Aaronis olim Ægyptijs afflictionem, infirmitatem, & mortem afferebat; Hebræis vero salutem & vitam: Rubri maris aqua Israelitis liberum in terram promissionis proficiscentibus iter dabat: Pharaoni autem eiusq; exercitui naufragium, & omnes absorptos ad inferos transmisit. Idipsum quoq; sit crux & passio tua mundi redemptor, quæ in Missa repræsentatur, hæreticis inquam flagellum & castigatio, solamen vero & salus fidelibus: nec jam amplius aquæ, sed sanguis tuus in rubro passionis tuæ mari, cuius figura & commemoratio ipsa Missa est, efferuescens, naufragium Satanę, eiusq; assecłis ac ministris hæreticis afferat, & omnes absorbeat, Dei vero filijs iter tutum cœlũ versus, quod terra promissionis est, & in quo beatitudine aliquando potiri speramus, præbeat, cuius nos compotes reddant Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

APPENDIX

DE VNA ET VTRAQVE SPECIE EVCHARISTICA.

LECTORI.

CVm percelebres viri doctissimi M. Petri Bessei S. Th. D. profundissimi Conceptus Theologiæ passim in Germania, Polonia, alibiue in ore præconum verbi diuini versentur; quibus in locis De Communione sub vna & vtraque specie *docendi non parua occurrit necessitas, operæ pretium visum fuit, subiungere hanc Appendiculam, compendiose materiam istam pertractantem, à viro Religioso ex Illmi Card. Bellarmini & R. P. Martini Becani è societate Iesu Opusculis pro maiori tuo commodo concinnatam. Fruere, & Vale.*

PRIMORDIVM INFOELICIS Controuersiæ.

SVB annum Domini M.CCCC.XII. *Æneas Syluius testis in historia Bohemorum*, extitit Pragæ Petrus quidam Dresdensis: qui ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* miratus, contra præceptum hoc vsum obtinere Ecclesiæ, populum sub vna duntaxat specie communicantis. Itaq; Iacobellum, Pragæ Concionatorem inducit, vt idem cum ipso sentiret, ac pro concione populum informaret. Fit: populoq; perplacuit. Et ex hoc ouo prodijt in Boemiam innouata hæresis Hussitica.

Successit Lutherus, inque peius indies profecit. 1. Negabat, se consuluisse vnquam peruulgari vtramq; nisi ex Concilij decreto. 2. In Assert. artic. 2. ait: *Consultum mihi videtur nunc, vt non modo Concilium: sed per quamq; diœcesim quilibet Episcopus etiam inuito Papa, Christum secutus in Euangelio, rursus vtramq; speciem laicis daret.* In formula Missæ: *Si quod Concilium statueret, & permitteret vtramq; speciem: nos nequaquam vtrasque vti vellemus: sed in despectum Concilij, eiusq; statuti, aut vna, aut neutra, & minime vtraque vti vellemus: Maledicturi vniuersos, qui ex potestate, aut statuto Concilij vtraque vterentur.*

Quo ad Communicantes similiter *impietas in pij ascendit semper* Nam 1. docuit necesse non esse laicis vtramque porrigi. 2. *In Cap. Bab. c.* 1. Cogi posse Sacerdotes ad vtramque laicis prębendam poscentibus vtramque. His tamẽ liberum esse, vnam, vtramque, vel neutram sumere. 3. *in Assert. art.* 3 ait: Qui vtramque nequiuerint impetrare, si omittant desiderare, impios hoc ipso Christum abnegare. 4. Demum vnam speciem penitus condemnat.

ARGV-

ARGVMENTA HVIVS APPENDICVLÆ.

1. *Totum esse Christum sub vna specie separatim.*
2. *De Eucharistiæ institutione & præcepto.*
3. *De vsu vnius speciei in Emaus.*
4. *De vsu eiusdem Apostolico.*
5. *De vsu & praxi Ecclesiæ.*
6. *De fructu Eucharistico quid Lutherani, & Caluiniani.*
7. *Obiectiones hæreticæ de præcepto Institutionis.*
8. *De digna ad Eucharistiam accessione: an & quæ necessaria.*

PARS I.

Totum esse Christum sub vtraque specie separatim.

TOtus sub vtraque Christus adest specie in Eucharistia. Neque id tam vi verbi significatiui istius: *Hoc est corpus meum*: quam effectiui eiusdem: vt ad quod effectiuū Corporis sequitur Concomitantia sanguinis & animæ: (ob naturalem eorum vnionem) & Diuinitatis: ob vnionem hypostaticam. Vis etiā verbi significatiua, est item optime repræsentatiua mortis Dominicę. Quippe sicut in hoc corpus ab sanguine & anima separatum fuit, ita verborum quoq; significatus idem intellectui repræsentet.

Fundamentum asserti primum est. 1. Ioan. 4 *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus.* Atqui soluunt Iesum, quod Concomitantiam partium negant: vt irrisores eius Caluinistæ, qui & totius abnegant præsentiam: Vtque Lutherani, id est, *Sacramentarij*: qui tamē præsentiam admittunt: sed diuisam, vt sit corpus exanime, exangue: Calix solum sanguis, cęterum sit excorpor, & inanimis. 2. *Vbiquitarij* concedunt Concomitantiam: & tamen postulant vtramque speciem, veluti præceptam. 3. *Molles*: Vt Phil. Melancht. in Aug. Conf. Apolog. art. 10. dissimulant hanc quæstionem: postulant vtramque speciem. Ergo *hi sunt Antichristi.*

Concomitantiam vero in simili percipe, vt in pomo inest color, odor, sapor, quantitas, substantia: Sic cum corpore Christi est sanguis, anima, diuinitas. Nec tamen oculi pomum cernunt totum: sed colorem solum. Quia vero color cum cęteris realiter coniunctus est: totum videri pomum censetur: idq; per naturalem concomitantiam. Ita & in corpore Dominico.

Alterum Fund. Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me.* At manducatur in specie panis: ergo in hac totus adest. *Nā*, Ego, ait, *sum panis viuus qui de cœlo descendi.* Et, *Hic est panis, qui de cœlo descendit.*

Tertium Fund. Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* Et viuum: quia Rom 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Et indiuisum. Quia Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, id est, humanitati est hypostatice vnita diuinitas inseparabiliter: Sic vt, vbi est corpus Christi, sit ibidē & subsistentia eius: at aliam nō habet, nisi diuinam: hæc autem est idem re cum diuina Essentia: Atqui diuina essentia & subsistentia separari nō possunt: ergo nec a corpore Christi. Neq; Corpus potest amplius separari ab anima & sanguine: quia hæc mors esset ipsa. Ergo vbi Corpus Christi: ibi totus est Christus.

Quartum Fund. Huc vnanimis SS. Patrum omnium incumbit consensus, sensusq; Ecclesiæ omnium retro sæcularium.

Accedunt miracula hostiarum sæpius sanguine manantium.

Et hæreticorum argumenta sunt ventosa, vana, meraq; crepitacula. *Bell. t. 1. l. 4. c. 21.*

Eucharistia bifariam attendi potest. 1. Vt Sacrificium. 2. Vt Sacramentum. 3. Sicut Sacrificium: Iam in vna specie nō habetur perfecte Sacrificij ratio: sed vtraque necessaria est. 1. Quia id est imitatio Sacrificij in Cruce peracti: proinde debet Corpus mortuū, & Sanguinē effusum repræsentare. 2. Debet esse in Sacrificio reipsa. quod fuit in typo Melchisedechano, panis sc. & vinum, *Gen. 14.* Cum Christus sit Sacerdos secundum ord. Melch. *Psal. 109.* 3. Sacrificiū ordinatur ad remissionē pec-

catorum: sed sine hac non fit remissio, *Heb* 9. 4. Ideo Ecclesia nunquam est passa sacrificari sub vna. Duarum itaq; specierum necessitas pertinet ad sacrificium, non ad Sacramentum. 2. Si Eucharistia consideretur vt Sacramentum: tam sub vna totus, quam sub vtraque Christus adest specie: vi concomitantiæ dictæ. 1. Quia in vna specie est perfecta & tota ratio Sacramenti, significans refectionem internam animæ, & vnionem fidelium inter se, & cum Christo. 2. Quælibet species propriam habet & formam, & materiam. Nec vna species dependet ab alia, vt sit Sacramentum. 3. Figuræ Vet. Testam. quæ Eucharistiam spectabant vt Sacramentum, in sola specie manducabili consistebant: vt lignum vitæ in paradiso, panis propositionis, Agnus, manna. Cuius dum Iesus *Ioan* 6 meminit, de potu silet. Atqui figuratum respõdere figuræ debet: *Io.19 vt impleretur Scriptura.* Satis in præsens ista ad propositum, quæ desiderabuntur reliqua, Patres dabunt secuturi. Vnum pro symbolo addo simile: sed rem quod declarat apte.

Sit tibi legatum, quod idem duplici codicillo scripserit testator. Datur alter tibi codicillorum solus: quid desideras amplius? Rem tenes, Testamentum habes, altero quo indiges: Accipias tamen: at nihilo plus hæreditatis capies. Negetur alter: de re nec hilum perdes.

4. Sicut Exod. 16. *nec qui plus* (mannæ) *collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id, quod edere poterant, congregauerunt.* Quo beatiores Catholici, infeliciores aduersarij. Nam quo illi cumque modo communicent, totum percipiunt: hi Lutherani diuisum seu mortuum: hoc est, nullum: vmbras captant Caluiniani.

——*Vtrique polo debentur eidem.*

PARS II.

De Eucharistiæ institutione, & præcepto.

Fons erroris. FOntes errorum ac querelarum partis aduersæ, quas circa vsum Eucharistiæ sub vna, seu vtraq; specie mouet, duos comperio. Alter est opinantium, quod idem sit Sacramenti *institutio* & *præceptum*. Alter, quod specierũ alterius ab altera diuisione facta, ipsius Christi fiat diuisio dimidiati.

Quod ad primum attinet, est in ipso limine impingere, sic ratiocinari: Quidquid Dominus *instituit*, & quo modo: id ipsum quoq; præcepit. Sed Eucharistiam *instituit* sub vtraque: Ergo & *præcepit*. Propositio bimembris. est, de re & modo rei, & vtrinq; falsa. Vera assumptio, conclusio falsa.

1. Quod ad rem. Non id omne præceptum est, quod institutum à Domino. Aliud enim est institutio per se sola: aliud præceptum. Illa rei duntaxat, quæ non fuit, initium introducit, formamq; constituit. hoc eiusdem necessitatem imponit. Sunt autem complura, quæ instituit Dominus, vt iusta, & cuique salutaria: quæ tamen non præcepit, vt omnibus necessaria. Cuius sunt generis consilia Euangelica, Matrimonium, Ordo Ecclesiasticus, officium prædicandi, baptizandi, ægros inungendi, &c. Adhæc talia, etsi instituta pro cunctis, non cuncti tamen ex præcepto ad ea tenentur. Quia non, quę omnibus salutaria creditu, sunt item omnibus necessaria factu, vel obseruatu. *Non quod à Deo institutum, est præceptum idem.*

2. Quoad modum rei, dices: Non teneantur quilibet ad quælibet instituta Christi, attamen qui quodcunq; apprehenderit sponte vsurpãdum: is idem ad institutionis modum vsurpare tenetur. Ergo, qui communicant, tenentur ad formam institutionis. obire Synaxin. *Nec cuiusq; instituti diuini modus est semper necessarius.*

1. Quid? inquam. Si antecedens vniuersi verum, jam cuique vxorem ducere instituenti necesse foret è sua sibi costa sponsam efformare. Nam eum ad modum Deus in Matrimonij institutione fecisse proditur.

2. Et vero vel in ipsa Eucharistiæ institutione an non vsurpabantur & ista: Quod in domo priuata, non in templo: quod vesperi: quod lotis ante pedibus Discipulorum: quod non ieiunis, sed bene prius, religioseque pastis omnibus administrata fuerit Eucharistia, atque præcepta esse affirmarit? Atqui sunt in institutione: neque tamen in præcepto.

In quo q; instituto sunt substantialia, & accidentalia: Id necessarium, non hoc.

II Quare nemo non videt, ea inter sese discernenda esse, idque bifariam: quæ in Sacramenti institutione vsu venisse accepimus. Vt alia statuat pertinere ad substantiam seu essentiam rei institutæ: ad circumstantiam, seu accidens alia. 1. Vnde sic ratiocinandum est: Quæcunque ad cuiusq; Dominicæ Institutionis substantiam pertinent: eadem vsurpanti institutum ipsum sunt obseruatu necessaria: non quæ quamlibet attinent circumstantiam. 2 Sicut baptizatur' vtatur necesse est materia aquæ naturalis, & verborũ forma: in his substantia baptismi consistit. Quod ad circumstantiam, & materiam quidem, necesse non est, vt aqua sit Iordanis, eo quod in hoc sit baptizatus Dominus: nec interest pluuialis, fluuialis, fontana sit an stagnans: vna, an trina immersio; formæ autem idioma latinum sit, an aliud.

Vt in Baptismo.

In Eucharistico similiter.

Ergo similiter in Eucharistiæ instituto, quæ substantiæ sunt: non quæ circumstantiæ: necessaria sunt obseruatu. Iam vero in Eucharistia ipse Christus totus, vere, realiter ac substãtialiter præsens sub symbolo, est ipsa substantia: At vnum sit, aut geminatum symbolum: id circumstantia est vtrumque: modo adsit alterum. Ac proinde ea neque necessaria est absolute ad substantialem integritatem Sacramenti. Ratio est duplex. Prior. Quia vtraque non est præcepta à Domino, licet instituta. Posterior, Quia vnam licite vsurpari euidenter conuincimus.

In hoc species vtraq; non est præcepto.

Non est præcepta 1. Quia ipsa institutio non est præceptum: vt liquet. 2. Nec in institutione sunt addita verba, quæ vtramque præcipiant. 3. Nec alibi vsquam præceptum reperire queunt aduersarij. Ergo.

Hæretici certant secum, & sub iudice lis est adhuc.

Aduersarij autem sunt Hussitæ: Lutherani: Caluinistæ.

Hussitæ quærunt præceptum, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibetis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At pernegant Lutherani toto eo capite vel apicem loqui de Eucharistia. Ergo quærunt præceptum in eo Luc. 22. *Hoc facite.* At repugnat ijs Caluinus cum Gallicanis Caluinistis, pertendens: solis id Laicis dictum. Ergo is quærit mandatum in istis, Matt. 26. *Bibite ex eo omnes.* At hoc ad solos pertinuisse Apostolos, declarat Marcus dicens: *Et biberunt ex eo omnes.* Hæc pluribus infra Parte IX. Quare seipsi mutuo destruunt: & nos confirmant.

Nam, si *Ioan. 6.* agitur de Eucharistia (vt vere docent Orthodoxi, & assentiuntur Caluinistæ Gallicani, cum Hussitis: Ergo ex dictis Christi licet vna species: prodestque tantum, quantum vtraque: Nam *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Si non agitur: ergo temerarij sunt omnes Hussitæ quidem, astruendo hoc dogma inde, vbi nulla de eo mentio: Lutherani item & Caluiniani: idem dogma tamen amplexando.

Orthodoxi veritatem docent: 1. ex dictis Domini.

PARS III.

De vsu vnius speciei in Emaus.

1. DIctis ergo Christi, *Ioan. 6.* de vna specie consonum est factum eiusdem, *Luc. 24* Nam discipulos in Emaus communicauit sub vna. Vt Philip. Melanchton in Confess. Aug. pluresque alij confitentur. Et constat 1. consensu SS. Patrum *Aug. l. 3. de consensu Euangel. ca. 25. & ser. 146. de Temp. Et Epist 59 qu. 8. Autor operis imperf. hom. 17. in Matth. Theoph. in c. 24. Luc. &c.* Hier. in epitaph. Paulæ vbi sic: *In fractione panis cognitus Dominus Cleopha. domum in Ecclesiam dedicauit.*

2. Ex facto Christi in Emaus.

Id docetur 1. Patrum consensu.

2. Constat ex textu Luc. 24. *Et factum est,* quid? Magnum & nouum. *Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis.* Verbis ijsdem idem factum describitur Matth. 26. *Accepit panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis.* Atqui hæc intelliguntur de Eucharistia: cur non & illa? Bis igitur eam instituit Dominus. Semel *pridie quam pateretur*, sub vtraq; datam Apostolis Sacerdotibus: iterum die Resurrectionis, sub vna datam laicis discipulis in Emaus.

2. Textus.

3. Constat ex effectu. Nam aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Vnde? ex sumptione panis Eucharistici. Sic August. li. 3. de Cons. Euang. *Accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse. Sed*

3. Effectus.

tamen à Christo est facta permissio vsq; ad Sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci. Theophyl. *Oculi eorum, qui bene dictum panem assumunt, aperiuntur, vt agnoscant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini.*

2. Patrum defenditur consensus.

II. Dicent. Factum in Emaus quidam S. Patres negant fuisse Eucharisticum. Esto, inquam, negent. 1. Non tamen ijdem idcirco negant Communionem sub vna. 2. Nec id interpretantes de vna istos arguunt hi de hoc, quod senserint Communionem sub vna licere. 3. Vere inde liquet, dictos S. Patres credidisse, Communionem sub vna iure diuino prohibitam non esse, siue Christus dederit eam in Emaus sub vna, siue non. Probent igitur hæretici, Patres istos errasse. Interim omnis illis ætas, & Ecclesia consentit, consciscitque.

2. Textus.

Dicunt porro: Marc. 6. Similia referuntur in multiplicatione quinque panum. Nam *accepit, intuens in cœlum, benedixit & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos:* Ad hæc non intelligenda sunt de actione Eucharistica: ergo nec illa in Emaus. Sequela negatur: Quia 1. nullus vnquam SS. Patrum id factum, *Mar.* 6. interpretatus est, vt Eucharisticum: sed vt merum miraculum. At in cæna edixit: *Hoc est corpus meum.*

3. Effectus.

In Emaus, effectus ipse, & Patres declarãt esse Sacramentum, non miraculum. Quod autem hæretici comminiscuntur, vsum Dominum singulari modo frangendi panem, ac si cultro sectus esset, fabulæ sunt & logi. Alij confitentur fuisse Sacramentum: sed synecdochicãs, sub vna specie intelligi & alteram. Sed quo probant? dicunt: & hoc tantum.

4. Sacrificatio sub vna tantum.

Obijciunt: Si in Emaus dedit vnam Dominus: ergo & vnam solam consecrauit: sed hoc apud Romanos est factu nefas. Respondeo. Ex natura rei potest vna consecrari sine altera. Idque in Emaus factum. At ex Iure Ecclesiastico non licet.

PARS IV.

De vsu vnius speciei Apostolico.

I. *Ex vsu Apostolorum. Hoc liquet 1. Testimonio vno.*

APostoli quoque dictum, factumq; Domini sunt imitati. 1. Actor. 2. *Eran perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis panis, & orationib.* Hic agi de Eucharistia fatentur hæretici. Luth. serm. de Euch. Kemn. p. 2. Exam. Calu. 4. Inst. ca. 17. §. 35. & alij: Liquet

1. Quia fractio panis coniungitur cum doctrina & oratione, tanquam res sacra cum rebus sacris 2. Syriace legitur: *Et communicabant in precibus, & fractione Eucharistiæ.* Vt fatetur Beza, & Plessæus. 3. Sermo est ibidem de primum cõuersis ex Petri concione Neophytis. Vnde mos: istis statim à Baptismo dari S. Synaxim. 4. Parua laus primitiuo Christianorũ zelo fuisset perseuerare in cibo corporali.

2. Item altero.

2. Actor. 20. *Vna Sabbati cum conuenissemus ad frangendum panem, &c.* Et hic agi de Eucharistia fatetur Caluinus, Beza Kemnitius p. 2. Exam. 2. & alij. Et liquet 1. Quia illa prima Sabbati erat Dominica, ait Iust. Apol. 2. & Aug. epist. 86. qua fideles communicabãt. Atqui nulla ibi mentio calicis. Ergo sub vna est communicatum.

Synecdochici reijciuntur nugiuenduli.

Istud: *Per Synecdochen* subaudire calicem: Figmentum est 1. Pari enim modo affirmes Dominũ in deserto vini etiam cados aliquot multiplicasse cum pane. 2. Dein cum Lucas ter solius panis in vsu Eucharistiæ meminerit, incredibile fit in re tanta ipsi synecdochicãs loqui libuisse.

3. Adiuncto fidelium.

3. Demum Iudæi, vt recens conuersi, in multis seruabant legem Mosaicam. Patet Actor. 21. *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt: & omnes æmulatores sunt Legis.* At ex lege abstinebant in sacrificijs à sanguine & vino.

4. Adde: quod ex ijs multi essent Nazaræi, qui ex voto nunquam bibebant vinum. Act. 18. & 21. Et tamen *erant perseuerantes in fractione panis*: ergo solius.

Corinthij amantes calicis cur?

5. Quod autem in Corinthiorum communicatione Paulus vtriusque speciei meminit,

minit, causa est: Quia ipsi ante ethnici consuerant vti *calice dæmoniorum*. Quo libentius communicarunt sub vtraque dein conuersi.

Problema. II. Anne igitur & Apostoli consecrarint vnam tantum sacrificantes? Non id quidem: inquam, necesse fuit; Illis tamen licebat, & exemplo Domini in Emaus, & natura rei, & formula institutionis libera, quoad vnam, vel vtramque. 2. Nec solis ijs: sed Innocentius VIII. Noruegis permisit absque vino sacrificare: teste *Volat. l. 7. Geographiæ*. Nam in Iure Canonico fieri potest dispensatio.

Deinde quid attinet dicere sub vna celebrasse Apostolos: quãdo asserere licet, quod Calix semper benedicebatur cum pane: sed is non semper distribuebatur, vt panis. Vnde 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus*. De pane autem sic: *Panis, quem frangimus*: nimirum ad distribuendum. Ideo infra: *Vnus panis, & vnum corpus sumus: qui de vno pane participamus*.

PARS V.

De vsu vnius speciei Ecclesiastico.

1. Vnam permittit & vsurpat Ecclesia.

NVnquam Ecclesia seu Orientalis seu Occidentalis reprehendit Communionem sub vna: ne quidem in hæreticis Manichæis: Quin horum etiam causam abstinendi à specie vini, vt hæreticam, damnauit. Nam ait Aug. l. de hæresib. c. 46. *Vinum non bibunt dicentes fel esse principium tenebrarum*. Cumque eodem libro complures eorum hæreses enumerasset, ac damnasset: vt & Leo ser. 4. de Collectis, & serm. 5. de ieiunio: ne verbo tamen innuisset, eos sub vna communicando errare. Adeo communiter id, & indubitate licebat. 2. Quin Leo Papa ser. 4. de Quadragesima ait: *Ore indigno Christi corpus accipiunt* (Manichæi) *Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant* Qua causa pro concione monuit, eos pro Manichæis habẽdos, qui semper à calice abstinerent. Secus de ijs censendum, qui aliquando duntaxat abstinerent. Nam ex Africa profugi Romæ degebant Manichæi plures.

Vtramq; præcipit solam.

At vero quod orthodoxi aliquando non sumerẽt Calicem; ideoq; non satis ab Manichæis latitantibus internosci possent, hinc Gelasius Papa edicto prohibet abstinentiam à calice, mandatq; communionem sub vtraque singulis vsurpandam. Vt est de consec. ca. Comperimus. distinct. 2. *Diuisio vnius, eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire*. Nam Manichæi ideo diuidebãt sacrilege abstemij: Cum quod docerent vinum fel esse draconum; Tum quod negarẽt Christum vere mortuum, verumq; sanguinem profudisse.

Constantinopoli ex manibus S. Chrysostomi communicauit hæretica, vt lateret. Teste *Cæs Baron. tom. 5. ann. 400. ex Sozo. & Nic. ph.* Eucharistiam, vt moris, excepit manu; abit, paratum alium accipit à famula, vt comedere videretur. At hic in ore lapidescebat, vt lapis impressa dentium vestigia referret. Territa supplex ad Chrysostomum aduolat, rem fassa omnem, lapidem exhibebat. Ergo communio sub vna vulgariter fuit vsitata.

Ex Communione domestica.

II. Communio domestica frequens olim fuit, *accepto corpore Domini*, ait Tertullian. libr. de Orat. *& reseruato: vtrumque saluum est, & participatio Sacrificij, & executio officij*.

2. Idem l. 2. ad vxorem: *Non sciet maritus*, (infidelis) *quid se reto ante omnem cibum gustes. Et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur* De eadem reseruatione domestica Eucharistiæ plures plura Patres; *Basilius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus*, &c. Frequentata fuit igitur antiquitus communio sub vna.

3. Nam diserte *Atha. Apol. 2. contra Arianos*, ait nullum calicem seu mysticum poculum vsquam reperiri, nisi in Ecclesia.

4. Quare si domi licitus fuit vnius vsus, ergo magis in Ecclesia. Nam, *An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet*: ait S. Hieronymus in Apol. ad Pammachium pro libris suis contra Iouinianum.

Cui occrepant sectarij.

Kemnitius ait, in Ecclesia fideles calicem prægustasse: dein pacem sumpsisse priuatim. At dicit, non docet: Fingit. Plessæus vult,

vult, *muliercularum & idiotarum abusus fuisse*: ideoque demum ab Ecclesia abrogatos. Peruersa veritas est ipsa falsitas. Abrogatus est abusus prisci vsus boni; & hic propter illum: Sicut hodie vsus vtriusque speciei propter eiusdem abusum hæreticum: non propter ipsummet per sese licitum, iustum, sanctum.

Item ex laica. III. Peruetus fuit vsus communionis laicæ: quæ Clericis in pœnam enormis delicti decernebatur; ablata clericali. Nam ante mortem laici vna, clerici vtraque communicabantur. Felix li. 3. Epist. 1. c. 2. Et Conc. Sardic. cap. 2. Nisi malis laicam dicere eam, quæ extra chorum dispensabatur in plebem Communio. Quo in pœnam remittebantur rei Clerici. Nam in choro Clerus Synaxes agebat.

Demum ex conglobatis alijs. IV. Multa præterea maiorum instituta, nostri propositi luculentissima testimonia. 1. Cuiusmodi sunt vsus Præsanctificatorum: quæ apud Græcos per hebdomadam: apud Latinos die Veneris Sancto porrigebantur

2. Asseruatio Sacramenti tempore longissimo, quo tantillæ vini species acescerent.

3. Puberum communicatio: quibus reliquiæ communicatis cæteris, diuidebantur.

4. Guttæ instillatio in ora infantum.

5. Ægrorum sub vna panis communicatio.

6. Eucharistiæ missio in occursum, Romæ Episcopis ad vrbem aduentantibus fieri consueta.

7. Quid? Cum vna in Missa plures vno benedici calices haud liceret; nec repetere actionem consecrationis: nec calices libræ vnius pondus excederent: vix capisat potest, quemadmodum vnus orbi toti sufficere calix quieuerit. Vt ad vnam sæpe fuerit necessario acquiescendum speciem. Neq; hoc difficulter ijs; qui credebant constanter, non modum, sed rem spectari oportere; quæ eadem sub altera, ac sub vtraque confertur.

8. Quot vero, & quanta incommoda secum importaret vtriusq; necessitas? In populo numerosiore quotusquisq; participare integre mysteria quiuisset.

9. Quot non casus, effusiones, aliamque irreuerentiam interuenire necesse fuisset.

10. Male abstemijs: Miseri Nortvvegi, Ruthenique: quibus & vinum deest; & si adsit, ex cœli terræque genio mox acescit.

Quare qui rem vnam omnium maxime post Baptismum necessariam instituit; eandem per adiunctum modi præceptum restringere noluit; quo minus abiret in vsum, pro salubritate sua facillimum, pro sanctitate religiosissimum, pro necessitate communem, atque in rerum omnium mutabilitate constantem, in casuum varietate securum.

PARS VI.

De fructu Eucharistico quid Lutherani, & Caluiniani?

NEc minor ex vna fructus, quam ex vtraque manat. Quia Ioan. 6 *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et infra: *Non sicut patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hæc Dominus. Quæ aduersarij? Ista ex viri optimi Becani ratiocinatione subiiciam meo compendiata stylo. *Fructus Eucharistiæ 1. Christianus ex vna specie.*

1. *Lutherani* vnum ac totum fructum esse voluntiætum: Vt fides nobis excitetur, aut confirmetur. 1. At quæ fides? Quæ est fiducia, aiunt, qua quis certo persuasus est, peccata sibi gratuito remissa per merita Christi iuxta diuinam promissionem 2. Atque huius causa instituta esse Sacramenta, vt sigilla promissi, quorum aspectu vel vsu dicta suscitetur fiducia. *2. Lutheranus fructus ex vtraque.*

Atqui, inquã, huc vtraque species non est necessaria: vnaq; præstat idem. Ergo frustra vrgent vtramque. Nam ea fides excitatur vel auditu verborũ, vel aspectu, vel sumptione Sacramenti. 1. Si auditu, iã sufficit, vna, quia eadem laici verba audiunt ad vnã sumptam, quæ ad vtramque. *Disquiritur & inuenitur minus habẽs.*

2. Si

2. Si aſpectu ſolo: ergo vtriuſq; ſumptio haud neceſſaria; ſed ſufficit oſtenſio ab Sacerdote facta. Neque vel vnam opus ſumere: ſat eſt vtramque ſpectaſſe. *Dicent*: vna excitat viſa fidem, viſaq; altera confirmat eandem. At illa excitata fides per vnam aut eſt vera iuſtificans, aut nõ eſt. Si eſt: ergo iam vere remiſſa peccata ſunt, nec op⁹ alia remiſſione: quare nec viſione altera alterius ſpeciei. Si non eſt vera fides ex viſu vnius: quid ergo eſt? aut quid prodeſt?

3. Sin vero nec auditu, nec viſu; ſed ſumptione vtriuſque fides excitanda erit, cum in hac ſint quatuor: primo, actio ſumendi: ſecundo, fides interna ſumentis: tertio, ſpecies panis ac vini: quarto, corpus & ſanguis ſub ſpeciebus: quid horum excitationem illam conficiet?

I. *An ſumptio?* At hæc vnius vel ſit cum fide præuia, ergo eam non excitat: vel excitat ſubſequentem, ergo & pro remiſſione ſufficientem: ſicque altera ſpecies eſt ſuperuacanea. Si inſufficientem, ergo mutilam ac mancam.

Itaque ſumatur & altera ſpecies, excitat & ipſa fidem: Num poterit maiorem, quam altera: cur, & vnde? Si parem, erit vtraque manca; & ſimilis ab vtraque remiſſio peccatorum. Niſi malint ambabus imperfectis vnam conflari perfectam. At hæc conflatio aliam ipſis incommodorum, abſurdorumque nubem conflat, & puluere lentiſſimam & ſordidam in qua prorſum nihil videant. 2. Quid ergo fidem eis excitabit iuſtificantem?

2. *An fides interna* ſumentis? At ſic fides ſeipſam excitaret, & exiſteret ante.

3. *An ſpecies vtraq;* ſimul? An res vtraq; corporis & ſanguinis? At iam ſupra docui hanc ipſos habere rem mortuam, ideoque nullam quia diuiſam. Proinde & ſpecies vtraq; eſt quoq; vacua. Quam igitur res mortua excitet confirmetq; fidem? Nempe mortua mortuam. Et vero quid poterit ſpecies, cum nulla ſit vſquam res? Nullus igitur cœnæ eſt fructus Lutheranæ?

3. Caluiniani fructus cœnæ.

II. *Caluinianæ* quis? Dubia ipſiſmet hic omnia. 1. Dubia realis ꝓſentia. Nam hanc Caluinus in 1. Cor. 11. affirmat: *Concludo*, ait *realiter, vt vulgo loquuntur, nobis in cœna dari corpus Chriſti.* Negat idem in conſenſione de re Sacramenti. *Quia tamen*, ait, *Chriſti corpus finitum eſt, & cælo, vt loco continetur: neceſſe eſt à nobis tanto locorum interuallo diſtare, quanto cœlũ abeſt à terra.* Item Pleſſæus l. 4. de Euchariſtia c. 3. negat: Ait autem c. 2.

2. Dubius eſt modus manducationis & bibitionis Chriſti. 1. Caluinus 4. Inſt. cap. 17. §. 5. ait, *Credendo manducari Chriſti carnem: quia fide noſter efficitur, eamque manducationem eſſe fructum, effectumque fidei dico.* 2. Aliter Pleſſæus l. 4. cap 3. *Cibus in ſacra cœna, fons in ſacro lauacro. Et vtrobique Chriſtus eodem modo. Chriſtus proinde in ſacra cœna non aliter, quam in baptiſmo ſuſcipiatur, guſtetur.* Et quomodo? *Non aliter*, ait alibi, *quam in verbo Dei, id eſt, ſola fide.*

3. Dubius & fructus eſt manducationis. 1. Nam Caluinus ait, ibid. *Hinc ſequitur, vt nobis ſecure ſpondere audeamus, vitam æternam noſtram eſſe, cuius ipſe* (Chriſtus) *eſt hæres* 2. *nec regnum cœlorum, quo iam ingreſſus eſt, poſſe magis nobis occidere, quam ipſi.* 3 *Rurſum peccatis noſtris non poſſe nos damnari.* At aliter Pleſſæus l. 4 c. 1. *Sacramenta noſtra veteribus quid præſtant? Reſponſio in promptu eſt. Sermonis Prophetici, & Apoſtolici eadem virtus. Chriſtus vtrobique ſibi ipſi par & ſimilis. Idem de Sacramentis vtriuſq; populi dicendum.* Hem! Quam Iudæo par Chriſtianus? Quem is ex Agno paſchali: eundem hic è Sacramento fructum percipit. Vah!

Ita impij: ita diuerſi in iſtis: at in vtraq; ſpecie poſtulanda concordes, & importuni ſunt. Cur? An, quod plus ſub vtraque, quam vna?

1. At ſub neutra ijs Chriſtus præſens eſt. Et Pleſſæo tantum in Euchariſtia, quantum in Baptiſmo manducatur. At in hoc ſufficit vna merſio: trina nil eſt neceſſaria: ergo & in illa ſpecies vna ſatis: altera nil opus eſt.

2. Imo, cum ſecundum Caluiniſtas, omnes fidelium proles contineantur ſub fœdere promiſſæ vitæ æternæ, nil iis opus eſt baptiſmi vna, vel trina aſperſione: ita nec vna, vel vtraque ſpecie cœnæ. 3. Adde cum prædeſtinati habeant in ſeipſis eam fidei certitudinem (vt volunt) quid fructum fidem

illam quærunt in Eucharistia, quem habent ante? Vt neutra sit opus specie. Frustra igitur vtramq; postulant.

At tu, Plessæe, audi iam Augustinum in Psalm. 72. *Sacramento*, inquit, *non sunt eadem. Quia alia sunt Sacramenta dantia salutem: alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Testamenti dant salutem Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem.* Ista Hæretici. Quid nos?

III. Eucharistiæ institutæ finis & fructus est animas viuentium. Deo nutrire, & corroborare per gratiam: non mortuos Deo reuiuificare. Nam ideo dicitur *Cibus, potus, esca, viaticum*: quæ viuentium sunt non mortuorum.

2. Inter corporalem & spiritualem nutritionem hoc interest: quod illa fiat cibo & potu, vt rebus diuersis: hæc re vna, quæ simul sit & cibus & potus. Itaque vt Christus totus sub vna continetur: sic & comeditur ac simul bibitur vna sumptione sub vna specie. Nam in spiritualibus ac Scripturis esurire, sitire, edere, bibere, indifferenter sumuntur. vt Matth. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Ioann. 6. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.*

3. Iam quid est, quod Brentius in Confess. Wirt. abstemijs Communionem licere aiat sub vna: Phil. Melanchton lib. de vsu Sacram. Ruthenis vino carentibus vti mulsa aut medone concedat, cum vtraque, & alij sacrilegos esse clamitent, qui sine specie vini communicarint? Si sub vna communicare sit lege diuina prohibitum, qui audet potestue Brentius vnam abstemijs indulgere? Nec n. homini fas, aut potestas in pure diuino iure dispensandi.

4. Porro quod Ecclesia tempore Gelasij vtramque mandarit, prohibuerit vnam in vsu vulgari ob Manichæos: Et contra, tempore Conc. Constantiensis vnam mandarit, vtrãque prohibuerit ob Hussitas: id licite fecit. 1. Quia species iure diuino sunt liberæ relictæ. 2 Quia vtraq; non est de essentia Sacramenti: sed de accidente.

5. Quæ autem non sunt de essentia Sacramẽti: nec iure diuino sunt ordinata: in ea potestatem habet Ecclesia. Neq; ẽt vsus rei permanentis, ac per sese subsistentis est de essentia eiusdem: quippe reipsa posterior, & eam consecutus. Itaq; tam sub vna est totus, q̃ in vtraq; Christus. 4. Quia idem & fructus est. 5. Quia per vnam & Abstemijs, & vino carẽtibus populis, & effusionum periculis est certius consultum. 6 Quia similiter olim de vna deque trina mersione Baptismi fuit ab Ecclesia dispositum. Trina fuit à Canone 49. Apostolorum mandata, ob negantes Trinitatem hæreticos. Vna longe post in Conc. Toletano 4. Can. 5. fuit, præcepta: ad designandam Vnitatem mortis Christi: ob rebaptizatores hæreticos.

PARS VII.

Obiectiones hæreticæ de præcepto Institutionis.

ADuersus iam allata, quędam vrgent alia aduersarij. I. Hussitæ obtendunt præceptũ vtriusq; in istis Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibe ritis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis.* At respondetur 1. Præcipit hic Dominus substantiam sumptionis: quæ consistit in manducando corpore Christi, & bibendo sanguine: Non modum, qui est in vna, vel vtraque. Ratio est. Quia toto eo capite nulla fit mentio vini, vel calicis: at plurima panis.

Deinde *Caro* & *Sanguis* voce sunt diuersa, at reipsa sunt in Christo indiuisa: vt qui carnem: is sumat & sanguinem, viceque versa.

Adhæc *manducare* & *bibere*, in spiritualibus promiscue sumuntur, & pro eodem, vt supra. Hinc 1. Corinth. *Lac potum vobis dedi.* Et cap. 9. *Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat* Item Psal. c. 68. *Dederunt in escam meam fel* Matth. 27. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* En *edere* & *bibere* de re dicũtur eadem.

2. Per vocem *panis* Ioann. 6. Dominus intelligit vel speciem panis solam: aut seipsum. Si prius; iam Hussitæ Caluinizant. Si posterius: ergo sub pane intelligi-

tur

tur corp⁹ & sanguis. Vnde *Qui manducat hunc panem*. id est, corpus & sanguinem: *viuet in æternum*.

3. Lutherani, & plerique Caluinistarum negant (quamquam falso) Ioan. 6. quicquam agi de Eucharistia. Nos vero dicimus agi de cibo. 1. Materiali manna, & panibus à Domino multiplicatis. 2. de Spiritali: Vt, *operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. 3. Et de Sacramentali. Vt, *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*.

II. Lutherani obijciunt: Præceptum est, *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Sed distribuit ipse vtrumq; : Ergo tenemur ad idem. Respondeo, Lutherani pertendũt id pertinere ad omnes: Caluiniani ad solos Ecclesię ministros: Digladianturq; inter se atrociter. Prius litem dirimant: quam incertum obiectent. 2. Lucas & Paulus aiunt id Soli: & post datam speciem panis, non post Calicem. Paulus vero post calicem cõditionate id repetit: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem*. Hic mandatur commemoratio mortis: non bibitio: quæ libera relinquitur. Si tamen fiat: fiet in commemorationem mortis Domini.

III. Caluinistæ, velut præceptum, vrgent istud Matt. 26. *Bibite ex eo omnes*. Respondet Marc. 14. *Et biberunt ex eo omnes*. Luc. 22 explicat dicens: *Accipite, & diuidite inter vos*. Quæris: Vbi ergo Dominus præceptum dedit, si ibi non? dico, de vtraq; specie nusquã. At de re Sacramenti, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis*. Et illud 1 Cor. 11. *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis*: non est præceptum, sed traditio. Sicut & istud ibidem: *Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit: domo manducet*.

Quæ cætera Vitiligatores afferunt nugamenta sua, ipsorummet vanitate soluũtur in nihilũ; Christiani pie sentientis, & credentis animo indigna: indigna ingenio: inutilia vulgo: noxia popello.

Constat igitur, vsum Eucharistiæ sub vna specie nequaquam esse contra, sed vel maxime secundum sacram Scripturam. I. Non cõtra figuram. 2. Non contra Christi doctrinam Ioan. 6. 3. Non contra Institutionem Domini. 4 Non contra vsum institutionis à Domino ipso vsurpatum. 5. Non contra doctrinam & vsum Apostolorum. 6. Non contra vsum Ecclesiæ, & omnium sæculorum: Sed istis omnibus constanter esse conformem. Ergo iuste licitum: tametsi non præceptum. Superest vt digne & crebro sacras obire Synaxes studeamus. Quo de breuiter pro clausula.

PARS VIII.

De digna ad Eucharistiam accessione, an & quæ necessaria.

LVtherus tria asserit infanda. 1. Principem Eucharistiæ effectum esse remissionem peccatorum mortalium. 2. Hoc digniorem esse communicaturum, quo grauiorum peccatorum sibi conscium. 3. Non opus confessione: sed fide esse peccata sibi remissa. Cæteri primum propugnant, & tertium. De quo supra parte VI.

At istud isti contra Scripturam 1. Ioan. 6. talia repériuntur: *Non esuriet: Non morietur: Viuet in æternũ: In me manet, & ego in illo*. At hæc sunt amicorum Dei viuentium: non in peccatis mortalibus mortuorum.

2. Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. At absurdum est mortuis dare cibũ & potum: cum nutriri non queant. Sanis datur, vt conseruentur: ægris, vt roborentur. Sic Eucharistia, &c.

3. Figuræ id præmonstrant. Esus Agni paschalis non licitus erat nisi purificatis, & Israelitis, aut circumcisis proselytis. *Num.* 9. 2. *Par.* 30. Panes propositionis dabantur liberis ab re vxoria 1. *Reg.* 21. Et qui aliqua pollutus immunditia edebat de carne Sacrificiorum, pẽribat anima eius de populo *Leuit.* 22.

4. In N. T. Dominus ante lauit pedes discipulorum, quam daret Sacramentum *Matth.* 22. Prodigus, (in exemplum:) *Luc.* 15. pri⁹ reconciliatur patri: ornatur: tum ad esum vituli saginati admittitur. Vnde *Ambr l. 7. c. 66. in* 15. *Luc.* 5 *Vnus Panis, & vnum Corpus sumus: qui de vno pane participamus* 1. Corint. 10. ergo communicaturi esse debent vniti cum Deo, & Christo capite, vt viua membra. Et cũ Ec-

cleſia & inter ſeſe. Teſte *Aug. Tract 26 in Ioan* Ratio, quia Communicatio eſt ſignificatio & profeſſio trinæ iſtius Vnionis: At qui in peccato ſunt, ab vnionum earum vna abſunt. Ergo indigni.

6. Ideo *Probet ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit.* Aduerſarij hanc probationem referunt ad ſolam fidem ſpecialem de ſibi iam remiſſis peccatis. At fingunt. Nam Apoſtolus ibidem arguit conuenientes ad manducandum diuites, poſt ſumptam Euchariſtiam, ſplendide epulari, (quæ intemperantia eſt,) pauperesque deſerere excluſos: (quæ immiſericordia & ſuperbia eſt:) ſcandalizare Eccleſiam: & profanas epulas miſcere ſacratiſſimis: (quæ profanatio eſt.) Ideo ait: *Alius ebrius eſt: alius eſurit.* Et: *Nunquid domos habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis: & confunditis eos, qui non habent?* Demum: *Itaque fratres, cum conuenitis; inuicem expectate. Si quis eſurit: domi manducet: vt non in iudicium incidatis.* Quare ſuper talibus *probet ſeipſum homo, &c.* id eſt, conſcientiam peccatorum ſuorum inſpiciat: & quæ expianda, expiet: ne *manducet indigne.*

6. Traditio, & Sanctorum Patrum conſenſus teſtatur idipſum. 1. Nam in Græcorum Liturgijs iam inde de æuo Eccleſiæ primæuo proclamabat Diaconus: *Sancta Sanctis.* Quo non ſoli arcebantur Catechumeni, vt Kemnitius confingit: ſed quicunque peccatores: vt ſanctus Chryſoſtomus teſtatur hom. 16. ad pop. Ant. 2. Iuſtinus in Apol. 2. *Alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia: quod nulli alij participare licitum eſt, quam veram eſſe noſtram doctrinam credendi, &c. & ita, vt Chriſtus tradidit,* refert 3. S. Cyprianus l. 3. Epiſt 14. arguit eos, qui admittebant ad Euchariſtiam nondum abſolutos: *Nondum,* ait, *pœnitentia acta, nondum exomologeſi, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur. Cum ſcriptum ſit, qui ederit Panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit &c.* Idem toto libro de lapſis exemplo oſtendit, quam ſit pernicioſum eum peccati conſcientia communicare. 4. Ambroſ. l. 6. in 9. Luc. cap. 39. *Vbique myſterij ordo ſeruatur: vt prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* Idem nec vel Imperatorem Theodoſium ad communionem admiſit: niſi acta prius pœnitentia. S. Chryſoſtomus cum alibi, tum in Epiſt. ad Epheſ. iſta: *Cum tali puritate accede ſemper. Regem vtique non audeas oſculari, ſi os tuum olet grauiter: & Regem cœlorum impudens oſcularis anima tua putrefacta ſolente? &c.* 6. Auguſtin. tract. 26. in Ioann.

Innocentiam ad altare portate Rationes affert efficaces *Bellarmin. tom. 3. l. 4. cap. 18.* quas ſciens prætereo.

FINIS APPENDICIS
De SS. Communione.

CON-

IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI.

Partitio.

1. *De dilectione Dei & proximi generatim.*
2. *De parentum in suos amore corporali & spirituali.*
3. *De præcepto, cur nouum appellatum.*
4. *De dilectione Dei spectatim & proximi.*
5. *De Apostoli Barnabæ dignitate: & cur vir bonus.*
6. *De eiusdem humilitate aliisq; dotibus.*

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Ioan. 15.

FIGVRA.

Zach. 4. VIdit olim Zacharias Propheta in mentis suæ ecstaticę raptu aureum quoddam cãdelabrum, quod semper luculentum in summitate lychnum, & circumcirca septem lucernas minores collucentes complectebatur. Prophetica hæc visio, si quando attentius perspicitur, vt ceteras interpretum loci huius expositiones hodie prætermittam, aliquid ad S. Barnabæ commendationem ac laudem designare videtur: fuit namq; glorioſus hic Apostol⁹ in Ecclesia Dei velut lubluſtre quoddam candelabrum aureum: qui in ſummitate erat lychnus, insignem eius denotabat fidem charitate succẽsam; septem vero lucernæ minores circumfecus ardentes septem Spiritus Sancti donorum, quæ in ipso vniuersa erant, & in anima eius lucem dederunt, imago erãt. Erat etenim *plenus Spiritu Sancto*. Dies hæc & hęc ipsa hora ad insignem vobis hanc figuram explicandam destinata est, simul ad integram vitæ eius historiam, perfectionum eius statum, virtutum ac diuinorum charismatum numerum, sanctitatis eius splendores, meritorum deniq; maiestatem explicandam. Vetum vt tam arduum aggredi opus & ita audax facinus pro dignitate ad finem deducere valeamus, Spiritum Paracletum inuocemus, eiusque opem imploremus, illius vt gratia & benedictione suffulti, cum honore & pro Apostoli nostri dignitate materiam hanc prosequi, perq; eius præconiorum campum discurrere possimus. Glorioſissimam primo Virginem oremus, nobis vt hic adsit præsensque opituletur, eamq; genu flexo Angelicis verbis salutemus:

AVE MARIA.

Sicuti primum ac maximum legis præceptum, vti è sacrorum librorum testimonio eruitur, est, Deum ex toto corde suo diligere; ita secundum ac simile huic est, proximum vt nosmetipsos diligere. Hoc b. modo apud D. Matth legitur. Redemptor namq; à quodam legisperito quoad materiam interrogatus, respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc est primum & maximum mandatum: secundum verosimile est huic, Diliges proximum sicut teipsum.* Hæc sunt duo illa luminaria magna, quæ in mundo creator vniuersorum accendit, vt ijsdem Ecclesiam illuminaret. Sunt duo illi Cherubim aurei, supra propitiatorium eleuati, seque mutuo conspicientes. Sunt & duæ illæ catenulæ aureæ, quibus summi Pontificis rationale connectebatur & combinabatur, de quibus hoc modo in Exodo mandauit Dominus: *Facies & duas catenulas auri purissimi sibi inuicem cohærentes.*

I. Primum legis præceptum est Deum diligere. *Matth.* 22. *Gen.* 1. *Exod.* 25.

Exod. 28.

Et sane duo hæc magna & illustria mandata sunt, item ingentes illæ ac primariæ columnæ, quibus vniuersa templi Salomonici moles incumbebat. Sunt adhæc pretiosæ illæ inaures aureæ Rebeccæ datæ *appendentes siclos duos*, quarum Geneſis meminit. Inaures porro hæ denotant fidem, quæ ex Apostoli sententia, *ex auditu est*: bini vero sicli, duo hæc mandata repræsentat, quorum hoc amorẽ erga Deum, illud erga proximum spectat: nam omne fidei pondus & pretium in duabus hisce rebus consistit, iuxta hoc Euangelij epiphonema: *Ex his enim duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.*

3. *Reg.* 7. *Gen.* 24. Figuræ duorum mandatorum legis

Sunt quoque duo sponsæ vbera, de quibus amans sponsus ait: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli.* Sunt & forsitan duo illi titiones ardentes, quos conspexit Isaias, & quidem prælon-

Cant. 4. *Isa.* 7.

gos & caudatos: duo namq; hæc mandata, amore velut duo quidam titiones igniti æstuantia, ingentes post se caudas trahūt: eo quod longe lateque pateant, & ab his duobus vniuersa lex & Prophetæ dependeant.

Zach. 4. Sunt præterea duæ illæ insignes, suaues, & viridantes oliuæ, quas aureo quondam candelabro superpositos Zacharias conspexit: amor quippe tum erga Deum, tum proximū, qui mera quędam dulcedo est, candelabro fidei, velut egregiæ quædam oliuæ, innixus est. *Matth. 25.* Denique sunt bina illa talenta, quæ seruis suis patersamilias dedit, vt ijs lucrum facerent, quorum Euangelium meminit. Deus namque magnus ille patersamilias duo nobis hæc mandata veluti duo quædā talenta aurea legauit, vultq; nos vt frugi & fideles seruos ex ijs lucrum adaugere, eademq; executioni mandare.

Prælati magno in proximum amore ferri debent.

Adeo, vt quemadmodum primo Deum diligere, idque ex toto corde debemus, ita & proximum vt nos ipsos amare teneamur. Atque hæc inprimis, & præ reliquis ad Prælatos cura spectat, quorum est magnum erga subditos zelum, amorem, insignemq; affectum testari, & quidem omnibus in rebus, eorumque causa omnem demum quę occurrere potest difficultatem æquanimiter subire.

Iacobus bonorum pastorum imago. *Gen. 31.* Insignem huiusce rei figuram Iacobus Patriarcha suggerit, & ea qua pro soceri ouibus laborauit solicitudine, vigilātia atq; anxietate, pastoribus omnibus præbuit, quo in suorū bonū salutemq; incumbere debeant affectu. Etenim ipse Labano commissi sibi gregis rationem reddens, hoc eum est modo allocutus: *Diu noctuq; æstu vrgebar, & gelu, fugiebat q; somnus ab oculis meis: oues tuæ & capræ steriles nō fuerunt, arietes gregis tui non comedi, ego damnū omne reddebam, &c* O sedulum vigilemq; pastorem! Eum segerat bonus Prælatus oportet erga gregem Iesu Christi: id est, eius est damna si quæ euenerint resarcire, pro peccatis delictisq; alienis exacte satisfacere, fidem nutantem restituere, amissam reuocare, rectā errantibus viam ostendere, pietatem semisopitam reaccendere, intermissum neglectumque Dei timorem reinserere, à Dei religione, cultu obsequioq; alienatos ad ipsum reducere, demq; ruinas omnes reparare, & si quid in

Bonorum Prelatorum officium.

Ecclesia luxatum, fractum, ac dissolutum, in integrum vigoremq; pristinum restituere.

Illorum est dare operā ne quæ oues steriles sint. *Psal. 99. Ioan 10.* Patrium item illorum est, curare, ne quæ oues steriles sint aut inferaces; id conniti ac contendere, vt animæ Christianæ, quæ Dei sunt oues, de quibus scilicet scriptum est: *Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ* & alio loco, *Oues meæ vocem meam audiūt*, bonis operibus fœcundæ sint, virtutes sibi comparent, bonis præluceant exemplis, lasciuias & insolentias sæculares declinent, Dei cultum spectent, eius vnius honorem ac gloriam nulla non in re sectentur. Requiritur insuper, vt fideles hi & diligentes pastores noctu & interdiu vigilent, æstum & frigus perferant, omnesq; quæcunq; hoc in mundo ingruere difficultates queunt, ad honorem Dei, animarum salutem, delinquentium conuersionem, fidelium conseruationem, hæresum, eradicationem, & vniuersæ Ecclesiæ exaltationem augmentumq; generose & infracta quadam constantia subeant. Officij item pastorum horum est, in diœcesibus suis commorari, in continuis agere, haud procul à commisso grege excubijs nocte dieq; vigilare, vt impendentem subditis irati numinis dextram tollant, & à ceruicibus ipsorum iustitiæ illius flagella sua vigilantia sedulitateq; auertant.

Prelatorum est Deum iratum placare.

Flagrans hic amor ita in veterum illorum Patrum ac Pastorum præcordijs æstuauit, tāq; se efficacia exseruit, vt illorum plerique reipsa eundem testaturi, suam objcere vitam ac sanguinem offerre minime dubitarint. De Mose namq; illustri illo legislatore hoc modo Psalmographus prodidit: *Dixit*, (id e. proposuit) Deus, *vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos* Vt, quænam hæc sit confractio constet, consulendus textus Hebraicus dicens: *Si non Moses electus eius stetisset in muri ruina, vt reprimeret impetum eius.*

S. Patres vitam suam obtulere pro proximis. *Psal. 105.*

Ducta verbi huius metaphora à ciuitate circumquaq; hostilibus copijs cincta: vbi enim latus quidam, muro ad terram deiecto, hiatus patet, & jam jam hostis violenta vrbem manu ingressurus est, qui in ea sunt generosi milites ac ciues patriæ amore acti, murum petunt, & per ruinam hostem ingredientem excepturi

& per

& per ferrum, & enses ruunt intrepidi, & vnicam remp. saluam esse cupientes, valida eum manu repellunt. Ita rem gessit M. Horatius Cocles eques Romanus, qui, viso ab Etruscorum rege Porsena ingenti manu Romam patriam premi, vitæ salutisq; propriæ prodigus, ad pontem Tibri imminentem illius solus impetum excepit. Dicere ergo Vates vult, Mosem viso Deum populo suo succensere, & ad eum penitus delendum iram induisse generosi cuiusdam ducis in morem, obuiam intrepide irato processisse, in confractione stetisse, suis vt precibus iracundiam auerteret, animum leniret, ad clementiam deniq; ac misericordiam flecteret.

Horatij Romani animus.

Num. 17.

Cum Mosem Deus in montem Abarim duceret, atque inde illi terram promissionis, terram lacte, & melle & vino manantem, & filijs Israel toties promissam ostenderet, diceretq; eadem illum excludendum; non idcirco generosus hic populi ductor animo cõcidit, aut tristitiam vultu testatus est, imo ne vel ad modicum vitam perijt produci; sed de ijs quæ officij sui erant duntaxat laborans, & ardentissimo boni salutisq; proximorum flagrans desiderio, pro populi cõseruatione Domino supplicauit, dicens: *Prouideat Dominus Deus spiritum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absq; pastore.* O illustrem præpositum! ô vere pastorem admirabilem! Notate, obsecro, Auditores, vt nullam prope vxoris, filiorum, suiipsius curam habeat, at de solius Dei honore, ac proximi commodo, de populi inquam sui directione, conseruatione ac gubernatione sit sollicitus.

Ingens Mosis in populum suum amor.

3. Reg. 17.

Idem amor in Eliæ Prophetæ præcordijs mirificas excitauit flammas, vt e sacris literis fit manifestum. Video namq; diuinæ flagella iracundiæ ac vindictæ in terram Israel itidem desæuire, atque ita quidem desæuire, vt triennio ac semestri nullo cœlitus imbre eadem irroraretur, ac proinde magna omnium rerum foret caritas, quam mira soli sterilitas, & tristis quædam telluris facies pariebat: *Ascendit Elias in verticem Carmeli, & prorsus inter ram posuit faciem suam inter genua sua*: quo facto maximus, nec opinato cœlitus imber decidit, quo longe lateque tellus denuo fœcundata est. Quid, quæso, sanctus hic Propheta molesta hac ac difficili orandi ratione spectabat; vt ita se in terram prosterneret, caput inter poplites abderet, corpusque globi instar conuolueret? nec enim quenquam vtroque in Testamento legas hoc orandi Dei ritu vsum esse, quid inquam, illius causa fuit? vnicus nimirum amor, quo in proximum ferebatur. nam ad Dei in populum suum succensi iram demulcendam, illiusq; justitiæ brachia colliganda, hoc se cruciat & affligit modo.

Eliæ in suos amor.

Si quis autem ad ritus huius originem perspiciendam propius ac penitius sancti huius viri hoc orantis ritu imaginem consideranit, comperiet illum veteribus Hebræis aliquarenus in vsu fuisse. Herus namq; ira & bili concitatus, vt in seruum noxium animaduerteret flagris ac fustigatione commodius, manibus ad pedes ei ligatis, caput intra genua conuoluebat; vt rotũ darum instar sphæræ ac gyri mancipium ad herilia verbera, & omnigenæ feritatis supplicia excipienda immobile conuolutumq; persisteret. Huius vero ritus meminisse videtur sanctus Iob, cum tyranni cuiusdam imaginem repræsentans, inter cætera de illo dicit: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium*: quæ postrema verba alia versione ita leguntur: *Sicut vir qui præparatur ad gyrum*, capite intra crura diducto, ad verbera excipienda. Propheta itaque Elias hanc herorum consuetudinem perspectam habẽs, in terram se in monte Carmeli abiecit, & in globum conuolutus, capite intra genua abscondito, corporeq; instar sphæræ circulato, Deo se ad verbera pro totius populi incolumitate ferenda offert: perinde ac si diceret, Iam triennio & semis, Domine cœli ac terræ, misera hęc regio dira irarum tuarum patitur flagella, placare tandem aliquãdo, pacem nobiscum aliquã ini, ac miselli huiusce populi te tangat miseratio: si flagris delicta eius ac noxæ puniri mereantur, equidem ad eius nomine eadem excipienda sum paratissimus; in me ergo tua tela vibra, in me arma conuerte, in meum tonitrua tua caput detonent; en me in flagella, & in omnigena, quacunque demum in me

Ritus seruorum punien dorũ apud Hebræos.

Iob. 15.

Admirabilis Eliæ in suos dilectio.

mise-

miserum animaduertere ratione volueris, supplicia paratum. Exclamem ergo, ô ingens & admirabilis amor.

Quid autem de sanctorum, quos Euangelica lex protulit, amore dicemus? Vnicus mihi Paulus erit instar omnium, qui hoc de suo ac collegarum suorum pro animarum salute affectu ac zelo producit testimonium: *Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum Euangelium: sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.* Ecquid in amoris huius dici testimonium vberius, amplius efficaciusque queat? In hoc porro verus ac genuinus agnoscitur prælatus, si ad subditorum suorum cõmodum honores suos adaptet, si Elisæi exemplo ad animas mortuas resuscitandas se nunc contrahat, nunc extendat, si apud paruos & humiles se humiliet, inter magnates vero & summates auctoritatem tueatur; si deniq; ad docẽdum Euangelium fortunas omnes suas, vitam imò & animam in proximi bonum salutemque animarum dare & offerre quam promptissimus sit.

1. *Thes.* 2.

4. *Reg.* 4.

Mirifice hoc exaggerat S. Ioannes, & ad Iesu Christi, magni illius omnium Prælatorum magistri, exemplum Pastores omnes ac Præsules pro salute aliorum suas exponere debere animas ait: *In hoc*, inquit, *cognouimus caritatem Dei quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*: quasi diceret, Dei filius suum nobis vt amorem patefaceret, pro nobis mori dignatus est: ita bonos ac legitimos Pastores, vt qua erga subditos dilectione feranturad oculum pateat, pro ijs, si quando se obtulerit occasio, libere emori necesse est. Huc vero magnopere eos inuitat filij Dei exemplum.

1. *Ioan.* 3.

Exod. 12.

In huius rei figuram in Exodo præcepit Deus, vt agno Paschali immolato pellis quidem auferretur, caro assaretur, eademque ab Hebræis per familias comederetur; verum os nullum illius frangeretur. Carnem scilicet agni jubet excruciari & affligi, ossa vero ne quidem frangi voluit. O rem mirabilem! Denotare eadem volebat, pretiosissimam filij sui dilectissimi, agni illius immaculati, carnem in cruce igne passionis torquendam & affligendam, vt nimirum homines, quibus velut ossibus suis suum relinquere debebat robur, à cœlesti vindicta immunes forent, & à flagellorum diuinorum fulminibus exempti, justitiæ illius virgam non subirent.

Hoc ergo bonorum Pastorum exemplum est: hic diuini illius magistri est amor: vidistis eius magnitudinem, limites & extensionem, & quouisq; peruenerit; discite ergo ab eo proximum diligere, & pro eo, si quando necesse fuerit, vitam ac sanguinem vestrum impendere. Atq; hoc est, quod hodie in Euangelio præcipitur, & quod in S. Barnaba Apostolo locum habuit. Audiamus ergo quid dicat Euangelium: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Vt materia hæc pro rei dignitate pertractetur, bifariam eam pro more dispertiar: primo Euangelium exponam, deinde Apostoli huius virtutes & laudes percurram.

II. Magnum Deus parentibus erga filios amorẽ indidit, vt in eorum educatione non defatigentur.

Principio ergo, vt à rebus naturalibus ordiamur, sapientissimus ille Deus, & in prospiciendo de alimentis, & educatione tum puerorum, tum catulorum, quam maximis plenam esse molestijs, laboribus & sollicitudine anxia non ignorabat, procuranda prudentissimus, quiq; suauiter & blande omnia disponit, magnum quendam parentum animis erga filios amorem & affectum inseruit, quo acti omnes difficultates, incommoda, molestias, fastidia, amaritudines, quæ educationẽ hanc comitari possent, generose perfringunt, & intrepide exsuperant. Et sane, quia, nisi amor hic immensus foret, parentes sæpenumero sub laboribus & molestijs fatiscentes tandem à curanda educandaq; prole desisterent, & sub curarum incommodorumq; in puerilibus filiorum annis occurrẽtium fasce deficerent, imo exspirarent; hinc tam ingentem naturæ auctor ijs amorem erga sobolem indidit, vt eam inter maniæ species connumerare Plato non sit veritus. nec sane præter rationẽ; quicunq; enim parentum erga filios amoris acta perspexerit, vere argumenta stultitiæ videre se dicet.

Parentum erga filios amor à Platone dicitur mania.

Vt autem quam difficilis ac molesta filiorum sit educatio, constet, è Iacob Patriarchæ id ver-

Gen. 4. in verbis intelligi potest, Rubeno filio dicentis: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei*, quasi diceret, Tu Ruben inter filios meos natu quidem maximus, ac domus meæ robur, sed laborum etiam meorum principium, ex quo enim mundo te genui, meque patrem vidi, molestiarum torrentem subii, & omne exinde ab animo gaudium penitus exulauit.

Psal. 77. Idem è Psalmo 77. eruamus licet: in quo generalis illius internecionis diuino in Ægyptios primogenitos iussu exercitæ dum meminit Psaltes, hoc loquitur modo: *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum.* Si enim in filiorum educatione magnus parentum sit sudor & anxietas, maximus certe eorum labor & solicitudo in primogenitis educandis apparet, ergo quos proinde vehementissimus esse parentum amor solet.

Non latuit hoc Ethnicos, in quorum libris egregias lego hac de re sententias & apophthegmata, Menander inprimis apud Epi-
Menander apud Epictetum. ctetum, qui dixit: *Aut oportet viuere solum ac cœlibem, aut natis iam liberis mori parentem; adeo demceps omnis vita acerba est.* Dicere mea sententia vult, sobolis educationem ac curã tot secum labores trahere parentesque tot cruciare modis, vt ex quo in mundum eos dederint, mortem potius quotidianam patiantur, quam vitam viuant.

Menander Comicus. Alius eiusdem nominis, & ob eas, quas scripsit comœdias, Comicus appellatus, eisdem insistit vestigiis, deque filiorũ loquens educatione, egregiam hanc protulit gnomẽ: *Patrem esse plurimum habet molestiæ, metusque & curas infinitas*, quasi dicat, ipsa honorem quidem & voluptatem afferre videtur paternitas, sed reuera nonnisi molestiarum, timorumque seminarium est, anxietatumque iliadem secum trahit, quibus animus patrum assidue lancinatur, ac noctu & interdiu miserum illorum caput velut obtunditur.

Democritus. Plura etiam addit Democritus, filiorumque procreationem, atque honorificum (vt quidem apparet) patris nomen magnopere deprimit: *Non probo*, inquit, *liberorum propagationem, nam in ipsorum possessione multa magnaque inesse video discrimina, & molestias plurimas, pauca vero iucunda, eademque tenuia & exilia.*

Ne ergo animum desponderent, & tam grauium parentes fasce ponderum obruerentur; amorem adeo ingentem, ac violentum, velut æquilibrium quoddam, mentibus illorum Deus inseuit, vt velint nolint, sobolem diligere, eorumque causa omnigenas subire difficultates, & æqua eas mente perferre cogantur. Quod obstupescens Seneca exclamat:

-----O nimium potens — Seneca Hippol.
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes
Natura, quam te colimus inuiti quoque!

Quasi dicat, Naturalis amor benignus quidam est tyrannus: sed adeo quidem potens & fortis, vt licet amandi nec voluntatem, nec animum haberemus, ad diligendum nos ipse cogeret, & inuitos amare compelleret ea, ad quæ nos impellit.

Naturæ amor lenis est tyrannus, sed potens.

Porro si naturalem paternitatem tot anxietudines & solicitæ curæ stipent ac sequãtur, spiritualis sane longe maioribus vehementioribusque cingitur, adeo vt tam in hac, quam in illa excellenti quodam & naturalem omnem transcendente opus sit amore, quo spirituales patres animarentur, & inuicti infractique in laborando persisterent, omnesque labores & incommoda, quæ se offerunt, athletica quadam constantia perfringerent. Quam hoc sit molestum ac laboriosum, declarat in ea quæ ad Galatas est Epistola Apostolus, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec firmetur Christus in vobis.* Gal. 4. Videte, vt conqueratur & gemat quasi semper parturiens, & quasi perpetuis in torminibus agens, quæ mox explicat dicens: *Supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere*, & patientiæ propemodum tabulam abiiceremus.

Ceterum, Auditores, dum de filiorum spiritualium productione loquor, sancte pieqs loqui me velim existimetis, de conuersione scilicet infidelium per Euangelium, de hæreticorum confutatione per scripturarum testimonia, de paruulorum regeneratione per sanctum baptismatis lauacrum, de prænaticantium resipiscentia per Sacramentum Pœnitentiæ, denique de animarum salute per su-

Qui sint patres & filij spirituales.

Ioan. 1.

periorum ædificationem & bonum exemplum, quæ sane spiritualium generationum species sunt, quibus animæ nascuntur Deo, & populi, prædicationis aut Sacramentorũ adminiculo ad Deum conuersi, filii eiusdem constituuntur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* An non spiritualis hæc generatio satis superque exposita est.

Labores porro, pericula, difficultates, inquietudines, & anxietates eidem adhærere solitas omnium Prælatorum & Patrum spiritualium nomine verbis efficacibus exponit Apostolus ad Cor. scribens: *Puto*, inquit, *quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam mortis destinatos, quoniam spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus*: mundo, nos vt exhibilet, Angelis, vt obstupescant; hominibus, vt imitentur, & patientiæ nostræ exemplum præ oculis habeant.

Labores Apostolorũ patientia qui in animarũ cõuersione.

Ecquius vero memoria complectatur, cuius lingua exprimat labores infinitos & cruciatus incredibiles, quos primo genij illi Ecclesiæ Patres pro filijs suis spiritualibus passi sunt? Vniuersum etenim terrarũ orbem peragrarunt, terram ac mare circuierunt, vtrumque sub axem penetrarunt, ad insulas appulerunt incognitas; barbaros denique & immanitate terribiles populos adierunt, idque cum præsentissimo vitæ periculo. Hinc ob causam tam intensam ijs Deus charitatem indiderat, vt dicere nemo non illorum posset, quod illorum de numero vnus: *Omnia sustinco propter electos, vt & ipsi salutẽ consequantur in Christo Iesu*: Contumelias, inquam, injurias, calumnias, tormenta, persecutiones, incommoda, austeritates, rigores, corporis afflictationes, ieiunia, vigilias, mortificationes, denique *omnia*, quin imo mortem ipsam pati paratissimus.

2. Tim. 2.

O ignes! ô æstus! ô charitas! quo non hic amor peruenit? quo non sanctorum horum Patrum affectus penetrauit? Huc admirationum me rapiunt illa Apostoli in ea quæ ad Philippenses est epistola incendia, quibus vitam hanc mortalem media inter discrimina, solicitudines ac difficultates proximi causa subeundas cum vita beata in gloria cœlesti cum Iesu Christo, propriæ beatitudinis respectu, æquiparat; & ait: *Quid eligam, ignoro, coarctor vero è duobus: desiderium habens dissolui & esse cum Christo; multo magis melius permanere autem necessarium propter vos.* Ecquod amoris incendium? quam sancta ardens hæc passio? quam supernaturalis hic raptus? vt prorsus nesciat cœlumne eligat, in quo inter beato agat, an terram, in qua miseris adoruatur, idque solo proximi & animarum salutis intuitu.

Philip. 1.

Mirabilis Apostoli amor erga proximum.

Amoris autem huius violentia in Apostoli huius animo ita suas exerebat vires, vt etiam vlterius eum egerit, & a Deo separari disiungique voluerit, quo apud homines ageret. Alias vtrum eligeret, ignorabat mortem ne, vt per eius ianuam in Christi gloriam ingrederetur, an vero vitam, vt hoc pacto apud homines commoraretur: sed ad Romanos scribens, ingenue palamq; confiteri non erubescit, amore ductore & impulsore, anathema se, id est, excommunicatum, semotum, exclusum ac separatum à Christi Iesu consortio esse velle pro fratribus Mihi forsan fidem non adhiberetis, nisi eius ad manum testimonium haberem: *Cupiebam*, inquit, *& ego aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Locum hunc exponens magnus Chrysostomus, *& to anathema*, heroicumque Apostoli animum demiratus, ait hisce eum verbis sensibiles tartari cruciatus in caput suum deuocare Hem quæ mirabilia! quæ paradoxa! amore in proximum animas ita inebriari, vt & infernalia pati tormenta paratæ sint & exoptent? Nec mirum hoc vobis amplius videatur, Auditores: amoris siquidem propriũ est, animos succendere, affectum inflammare, sensus infatuare, potentias expugnare, timores pellere, difficultates facilitare, pericula eneruare, loca imperuia peruia reddere, labores minuere, spinas in rosas mutare, absynthium in mella, omnigenas denique pœnas inermes prorsus facere.

A Christo petit separari propter proximum. Rom. 9.

Chrysost.

Mirabiles sancti amoris proprietates.

Iacob cum ingrato Labano septem ipsos annos, magno cum labore, molestia & incredibili sollicitudine, venustam vt Rachelem in vxorem nanciscereturi, seruisset, *videbantur* tamen *illi dies pauci præ amoris magnitudine.* quod explicans S. Aug. quæstionibus in Genesin,

Gen. 29.

nesin, ait: *Quærendum est, quomodo dictum sit, videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine, cum magis etiam breue tempus longum esse soleat amantibus.* Concludit ergo tandem: *Dictum est ergo propter laborem seruitutis, quem facilem & leuem amor faciebat.*

Super Gen. q. 88.

Amor Prælatorum erga filios spirituales magnus sit oportet.

Ex longo hoc proœmio multisque præambulis facile est colligere, amorem Prælatorum in filios spirituales magnum & intensum inprimis esse debere ac fortem quam maxime. Hinc Christus Ecclesiæ suæ regimen & animarum curam Petro concrediturus, cumque vniuersalem & generalem electorum ac fidelium omnium patrem constituturus, tertio eum, num se diligeret, interrogauit, tertio repetens: *Petre amas me?* Credamne Petre me à te diligi? de tuone amore esse certus queo Petre, & omni in casu eius habere argumentum? Iteratæ hæ interrogationes hoc vnum spectabant, vt hinc nimirum intelligeremus eum, qui Patris spiritualis munus ac partes sustinet, tanto in suos amore ferri debere, vt parentum carnalium erga filios dilectionem infinitis partibus transcendat.

Patrum spiritualium amor erga subditos superare debet amorē parentum carnalium erga filios.

Colligi hoc ex hac Mosis ad Deum expostulatoria oratione queat, quam in librū Numerorum ipse retulit dicens: *Cur, Domine, imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* E quibus elicio verbis, Deum populi sui curam Mosi credendo, simul eidem præcepisse, eum non alio vt diligeret ac tractaret affectu, quā filios pater, aut alumnos nutrix de vbere turgido pendentes.

Num. 11.

Prælati non secus suos habeant, quam nutrices alumnos.

III.

Hinc toties hunc Apostolis suis veluti primis Ecclesiæ suæ Patribus amorem præcepit & commendauit Redemptor, ac præsertim hodierno in Euangelio, in quo legere est: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Præceptum hoc suum vocat, quod capite proxime præcedente *nouum* appellarat, dicens, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, amore scilicet profecto & omnem paternum affectum longe superante, omniaque etiam mortem ac supplicia extrema perferente.

Ioan. 13.

Potissima interpretum Græcorum pars, vti sanctus Ioannes Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, & inter Latinos Rupertus, idcirco præceptum hoc *nouum* censent appellari, quod in veteri quidem lege iussum esset proximum diligere sicut seipsum, at modo in lege Euangelica plusquam nos ipsos diligere iubeamur, iubemur namque eo inuicem amore complecti, quo nos Redemptor dilexit. Certissimum porro est, illum nos plusquam seipsum dilexisse, testatur id Apostolus Philippensibus scribens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Pluris haud dubie nostram fecit amicitiam & affectum, quam suum, cum ita suiipsius est oblitus, vt è Rege se & supremo omnium Domino vilissimum seruum ac mancipium constituerit.

Philipp. 2.

Sanctus Augustinus porro & Beda in aliā simul secedentes sententiam, ideo nouum hoc dici mandatum volunt ob nouos, quos producit in homine effectus; siquidem illum renouat, & pulso vetere fermento, & farinis Ægyptijs, vitæ introducit innocentiam, & verum ac cœlicum creat manna, efficitque, vt simus, vti loquitur Apostolus, *noua creatura.*

S. Augustini ac Bedæ interpretatio.

Galat. 6.

Putarunt nonnulli non alio mandatum hoc nouum modo vocari, quam lex Euangelica noua, & Iesu Christi testamentum nouum dicitur: etsi enim ante præceptum hoc latum esset, à filio tamen Dei denuo publicatum, & nouo quidem spiritu fuit; vtpote qui vniuersa innouaturus venerat, ac de se ipse loquitur, *Ecce noua facio omnia.*

Tertia interpretatio.

Apoc. 21.

Alii in alia omnia concedunt, & à prioribus illis opinionibus abeuntes, ideo nomen hoc *noui* illi inditum arbitrantur: quod, cum velut inueteratum, & longo, sed prauo vsu quodammodo inoletum & quasi obliteratū, antiquatum, ac semimortuū esset, ipse mundi Redemptor illud quodammodo resuscitans, restaurans, orbi commendans; & in vsum reuocans, nouum propterea vocari voluerit, & ita etiam ipse appellarit.

Quarta interpretatio.

Sunt & alii, qui nouitatem hanc eo spectare volunt, quod lex antiqua non nisi ex-

Quinta.

ternam dilectionem præciperet, aut nonnisi ad pacem politicam publicamque quietem eamdem referret : at Christus interiorem mandauit, vitamq; sempiternam illi in scopum proposuit; atque hanc forsitan ob causam mandatum hoc nouum nuncupauit.

Alij longe alia sentientes, priores expositiones reijciendo, suam vero stabiliendo, ideo præceptum hoc nouum dici opinantur, eo quod, tametsi in veteri Testamento mandatum id innotuerit, ipsum tamen obscurum, tenebrosum, intricatum, & tot cæremoniarum velut nube inuolutum fuerit, vix vt appareret amplius, imo iam plane abolitum videretur; sed in Euangelio, omnibus hisce nebulis dissipatis, ac cæremoniis abolitis, elucere, illustre esse ac splendescere cœperit, quasi noua quædam constitutio ac decretum inauditum foret.

Maldonatus in illud Ioan. 13.

Nulla harum opinionum non probabilis est, suaque omnes ratione nituntur, quin & singulas summe suspicio ac magnifacio; sed exosculor & amplector eam, quam nostræ ætatis quidam interpres, insignis & ingenii & doctrinæ non vulgaris profert; qui in locum illum Ioannis 13. *nouum* pro *præstantissimum* interpretatur, ex vulgato Hebræorum loquendi modo. Hebræi namque quidquid rarum, illustre, eximium, aut quocumque modo excellens exprimere dum volunt, *nouum* id solent dicere. Exemplo sit locus ille Psalmi, *Cantate Domino canticum nouum*, id est, excellentissimo, eo quod noua veteribus & antiquatis præstare videantur. Eundem Hebraismum in Isaia notare est, vbi legimus, *Ego creans cœlum nouum & terram nouam.*

Mandatum nouum.

Loquendi ratio Hebræis familiaris.

Psal. 95.

Isai. 65.

IV. Quomodo proximus nobis sit diligendus.

Hæ ergo sunt rationes, ob quas hoc diligendi mandatum nouũ dicatur, hæ sunt eius & veteres & nouæ nominis interpretationes, restat ergo duntaxat ipsum diligendi modũ nosse, quem in Euangelio Redemptor præscribit, cum dicit, *sicut dilexit vos.* non docet rem verbis aut ore, sed reipsa, & per effecta, quasi diceret: Nihil vobis iniungo, nihil mando, quod non ante ipse præstiterim: nemo suo illos amore indignos existimet, quos ego ipse sum amore complexus, vt vitam & sanguinem illorum gratia impenderim.

Hanc mihi interpretationem suggerit aduerbium *sicut*, quod Redemptor hic adhibet, *sicut dilexi vos*, vt scilicet non modum duntaxat, sed magnitudinem etiam amoris, quo inuicem ferri debemus, designaret. Atque ita hoc doctissimus exposuit Rupertus dicens: *Palam faciebat, quomodo vel quantum diligeret nos; tamquam si apertius dixisset, vsque ad mortem diligite inuicem, quia vsque ad mortem dilexi vos &c.* *Rup lib. 11.*

Amauit nos Redemptor sine vllis meritis præuiis.

Dilexit porro nos Redemptor sine vllis præuiis meritis, & primum ipse nos est amore dignatus ex sola bonitate sua, nulla vt in nobis esset sufficiens ratio, ob quã hoc modo diligeremur, at sexcentæ potius odii causæ, propter quas æternum velut peccatis inquinati reiiceremur. Ita nos quoq; erga alios gerere oportet, ipsis benefaciendo, & diligendo non illos tantummodo, qui amici nostri sunt, amarique merentur, sed & omnes in genere, & quos diligere non tenemur, ipsorum merita præuenientes. Idq; exemplo Redemptoris, de quo legimus in Euangelio, *sicut dilexi vos, &c.*

Vult eamdem inter mortales esse vnionem, quæ inter personas diuinas est.

Amorem porro hunc etiam extendi voluit Deus, & vnionem hanc & charitatem etiam maiorem esse, vnde ad Deum Patrem suum orando, ait: *Pater oro, vt sint vnum, sicut ego & tu vnum sumus, vt credat mundus, quia tu me misisti.* Maxima sane vnio ac perfectissima quædam charitas hisce est verbis exposita: & significare Redemptor voluit, eam inter nos mutuo cõcordiam, vnionem, & charitatem debere reperiri, quæ inter personas SS. Trinitatis datur, vtpote quæ in omnibus, & per omnia infinita est; ac quæ proinde forinsecus & exterius adeo magna videatur, vt ex ea mundus videat Deum in terras venisse; eamque hoc modo instituisse. Huc procul dubio respectum habuit Tertullianus, cum mutuam fidelium charitatem, vnionemque *summum reip. Christianæ miraculum vocat & symbolum.* Vera namque Christianorum nota est inuicem ita diligere, vt eos inuicem Christus dilexit, iuxta hæc Euangelii verba, *sicut dilexi vos, &c.*

Ingẽtem haud dubie Redemptor dilectionem ostendit, quando naturam nostram sibi veluti connubio copulauit; quin & maiorẽ, cum

cum eadem iam assumpta, pro amicis iuxta atq; inimicis vitam ponere voluit. Exaggerat hoc Apostolus dicens: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus pro nobis Christus mortuus est.* Rom. 5.

Secundo Regum libro extremum sane Dauid Rex erga filium Absalomum affectum declarat, quando cognito cum transfixum, in has voces queribundus erupit: *Fili mi Absolon, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* quasi diceret: Ita te corde meo infixum gerebam fili mi, vt audiens te è vita discessisse, ipse pro te naturæ debitum soluere mallem, teq; meo regnare loco: nullum modo mihi superest gaudium, voluptas nulla, solamen nullum: vellem ex animo pro te mori, & te viuere. Sed quod Rex ille expressit verbis solum, hoc Redemptor reipsa ostendit & præstitit, vitam suam pro nobis exponendo. 2. Reg. 18.

Designatur hoc obscura quadam ratione in libro Exodi, vbi inter primaria Pontificis summi ornamenta rationale iudicij describitur, quod eleganter sciteq; fabrefactum, & duodecim gemmis, duodecim tribuum nomina præferentibus, insignitum, super Pontificis pectus ponebatur: decorem illi & splendorem addebat zona hyacinthina ac baltheus, quo rationale cingebatur & superhumerale. Adeo, vt Pontifex hoc modo vestitus, imago foret Iesu Christi magni illius Sacerdotis, qui fideles omnes in corde & affectu insculptos gestaturus erat, atque insuper regia quadam zona cingendus, non quidem coloris hyacinthini, sed aurea penitus, id est, amore quodam erga homines ardentissimo. Quod vero olim figurate expressum fuit, hodie reipsa in Euangelio completum fuit, vbi dicitur, *Sicut dilexi vos.* Exod. 28. Figura amoris Christi erga homines. Apoc. 1.

Eadem in significatione videre est in Apocalypsi angelum *præcinctum ad mamillas zona aurea.* Scio sanctum Augustinum & Ambrosium per cingulum hoc aureum multitudinem Sanctorum designari velle. Noui item Abbatem Rupertum per ipsam regiam Christi auctoritatem ab omni miseria & corruptione immunem intelligere, de qua in Psalmis lego: *Dominus regnauit, decorem indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se,* Psal. 92.

sed veritatem tangunt propius, qui per zonam hanc auream charitatem putant denotari. Per duplicem autem mamillam, duplicitatem & suauitatem amoris Iesu Christi erga Ecclesiam intelligere oportet, aut duplex Testamentum, aut misericordiam & iustitiam Christi, quibus Ecclesiam gubernat, quod vtraque hæc regendæ Ecclesiæ ratio à charitate ac dilectione vere aurea, id est, perfectissima procedat: & verba *cingi & cingulum* designare, in Christo Iesu maximū & arctissimum cum fidelibus caritatis vinculum exstitisse. Charitas designata per zonam auream Apocalyps.

Mirum porro videri nemini debet, si charitatem, etsi virtutum cæterarum reginam cingulo comparemus. Apostolus enim Paulus eamdem comparationem adhibuit dicens: *Super omnia autem hac charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:* quasi diceret, Charitas est velut illustre quoddam cingulum, eo quod omnes stringat, vinciat, cingat & quodammodo contineat virtutes, impediatque, ne qua harum velut ingloria ac nullius valoris humi serpat. Charitas cingulo assimilatur. Col. 3.

Huc allusit hauddubie Seruator, Apostolos suos alloquens, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* quid his Redemptorem verbis designare voluisse putabimus? Auditores. Crediderim equidem in hoc loquendi tropo per cingulum charitatē notari, vtpote quæ cæteras virtutes continet ac retinet, semperq; renes nostros ac cor debet cingere; per lampades autem ardentes viuam quamdam fidem, quæ ambæ virtutes Dei seruis in tantum necessariæ sunt, vt iisdem destituti vix incedere, id est, vix in hoc mundo viuere, & in altero mercedem sperare valeant aut præmium. Charitas ac Fides Christiano necessaria. Luc. 12.

Eandem credo ob causam duas illas catenulas aureas in rationali Pontificis charitatem adumbrasse, quæ catenæ instar virtutes alias Christianos ligare & continere debet: *Facietis*, inquit Deus, *in rationali catenas sibi inuicem coharentes ex auro purissimo.* quæ hoc modo verba Venerabilis Beda exponit: *Catena*, inquit, *ex auro purissimo est continentia casta, & non ficta dilectio, rationali, id est, cordi firmiter affixa, duæ autem sunt, quia duplex est amor, Dei videlicet & proximi.* Hic porro in Exod. 28. Beda.

proximum amor in Euangelio nobis potissimum commendatur, idque exemplo amoris Christi Iesu, *Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, &c.*

Hæc autem eius dilectio adeo vehemens & intensa fuit, vt eam sanctus Bernardus in Cantica scribens, esse dixerit, violentam, potentem & longo vulgarem amandi modum interuallo transcendentem: *Itane summus omnium imus factus est omnium? Quis hoc fecit? amor dignitatis nescius, dignatione diues, effectu potens, suasu efficax, quid violentius? triumphat de Deo amor. quid tamen tam non violentum? amor est, quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam?* Auditumne quid vnquam elegantius aut dignius? Notanda porro vltima verba sunt: *Tam violenta ad victoriam.* Et sane Redemptoris in genus humanum amor violentus ad victoriam fuit, id est, ad superandas & perfringendas difficultates & impedimenta omnia, quæ ab hominum peccatis ac demeritis poterant occurrere. Adeo vero illum crimina & horrenda flagitia non impediuerunt, vt ad vehementius etiam & maiori cum violentia amandum ipsum potentius excitarint.

Ser. 64. in Cant.

Christi in homines amor dictus est violentus.

Hanc forsitan ob causam Apostolus, hac dere agens, ait Redemtoris amorem omnem scientiam exsuperasse, quasi eum incomprehensibilem, & omnem humanam cognitionem transcendentem iudicaret. Is namque verborum eius sensus: *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Hæc autem expositio è Græco melius intelligitur, in quo legimus, ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ, vt is sensus sit, *Charitatem Christi esse supereminentem omni scientia*, & omnem lõge transcendere cognitionem. Nos quoq; promissi immemores, limites transilire nostros videmur, spoponderam namque quam breuissime ea, quæ Euangelij erant, transcurrere: date veniam, Auditores, ipsa me amoris vis aliorsum nihil minus cogitantem abripuit, & plura quam putaram, dicere coegit, sed canam receptui, & ad alterum orationis membrum accingar, quo magni huius Apostoli Barnabæ, cuius hodie festum anniuersaria festiuitate cultuque recolimus, virtutes gratias, merita, charismata, ac reliquam eius perfectionem dicendo prosequi statueram.

Ephes. 3.

Amor Christi omni scientiæ supereminet.

V. Num S. Barnabas Apostolus fuerit Iesu Christi.

Porro antequam vastum hoc æquor conscendam, dubiolum quoddam, cuius diremptio ad glorioſi huius viri laudem ac gloriam mitifice facit, dissoluendum est: Num scilicet sanctus Barnabas vere Iesu-Christi fuerit Apostolus. Rationes quæ id dissuadeant, sunt hæ. Prima: quia fuit de numero septuaginta duorum discipulorum, non vero è duodenario Apostolorum choro. Secunda, in vniuerso Euangeliorum contextu, quo loco duodecim recensentur Apostoli, nulla sancti Barnabæ fit mentio. Tertia, Matth. 19. nonnisi duodecim sedes memorantur duodecim Apostolis destinatæ; è quorum numero etsi se Judas proditor exemerit, constat tamen sanctum Matthiam eius esse in locum surrogatum. Quarta denique, si S. Barnabas Apostolis connumeraretur, tredecim forent, ac proinde plures quam Redemptor ipse elegisset. idque textui Euangelico aduersari videretur, in quo habemus, *Nonne ego vos duodecim elegi?* *Ioan. 6.*

1.

2.

3.

4.

Certissimum tamen & exploratissimum est, sanctum Barnabam vere esse Apostolum constitutum, & vna cum Apostolo Paulo ad illustre hoc munus adoptatum; idq; singulari Dei iussu, vt ex Apostolicis actis fit manifestum; *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* quibus Apostoli reliqui deinde manus imposuerunt, & precibus præmissis missionem illis decreuere. Quod vero ad Diui Matthæi locum, qui sententiam nostram maxime conuellere, & opinionem contrariam stabilire videtur, attinet, dico vel numerum certum pro incerto eo loci positum esse, vti Scripturæ insolens non est; vel non hinc erui plures propterea sedes nõ fore, sed duntaxat suam horum vnicuiq; in cœlo sedem futuram, & in eadẽ duodecim tribus diiudicaturum, quasi ideo plures alij Sanctorum sedes non essent habituri, aut cum aliis consessuri. Hinc etiam Regius Propheta de hisce sedibus indistincte loquitur, *Illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum* *Psal. 120.*

S. Barnabas verus fuit Apostolus.

Act. 13.

domum Dauid; vt certum illarum aut statutum numerum non esse innuat. S. Joannes suis in apparitionibus viginti quatuor se ait vidisse, *Et in circuitu eius sedilia viginti quatuor.* Quare cum ipsum Apostoli nomen nonnisi missum significet, & S. Barnabas vere à Spiritu S. cum Paulo sit missus, minime dubitandum, quin vere Apostolus fuerit.

Apoc. 4.

Hoc primum constituto, iam sancti huius Apostoli laudes benedictionesq; dicere exordiar. Incipienti occurrit, illum in Scriptura *virum bonum* appellari: è quo titulo eius virtutes, animæ constitutio, morum honestas, vitæ sanctitas erui potest: quod sane nomen honorē, gloriam ac laudes includit, & nonnisi in filios Dei, & ad vitam æternam speciatim prædestinatos quadrat.

S. Barnabas dictus *vir bonus.*

Multi quidem egregio hoc & sancto appellati sunt cognomine, sed nemo non illorum vir magnus fuit, & electus ac designatus à Deo, & ab hominibus idcirco cultus ac honoratus. Primus, quem glorioso hoc decoratum titulo comperio, fuit Saul, primus Israelitarum rex, cui hoc Scriptura dat elogium; *Et erat ei filius, vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo; ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Duo his in verbis noto: Primum, Saulem, antequam regno admoueretur, & regimen populi capesseret, electum à Deo fuisse & non ab hominibus; fuisse electum vt bonum, & omnium popularium optimum, & magnitudine cæteris supereminentem: vt hinc euidens fiat, eos, qui ad regimen aspirant, & dignitatibus tam politicis quam Ecclesiasticis inhiant, suam exspectare electionem debere, & donec cœlitus vocentur, non vero à terra: debere insuper esse bonos, omnium optimos; & cæteris non magnitudine corporis, non generis nobilitate, non opum copia, non aliis mundi eminentiis, sed virtutum, doctrinæ, sanctitatis, meritorumq; magnitudine ac prærogatiuis præcellentes.

Multi in Scriptura dicti *viri boni.*

1. *Reg.* 9.

Alterum, quod noto, est, Saulem, etsi cœlitus electum, etsi regem terrenum, & omnibus, qui tum in Judæa agebant, & sanctitate & bonitate initio præstantem, antequam quidem mundanæ magnitudini se immergeret; nihilominus tamen potuisse reprobari, in pessimum degenerasse, ad maxima flagitia descendisse, & ferali ac funesta catastrophe vitam concluisse. Casus terribilis, mutatio admirabilis, vera tamen historia, vt hinc inscrutabilia diuinorum iudiciorum arcana miremur, illinc vero salutis nostræ discrimina, fragilitatis fluxum ac refluxum, vitæq; inconstantiam formidemus. Is siquidem hodie in prædestinatorum censetur numero, qui craſtina forsitan die inter damnandos annumerabitur. Is initio est Christi discipulus, qui tandem, velut apostata, desciscens cum Juda aduersus Dominum suum conspirat, latronibus se adiungit, & omni honore, salute ac vita misere excidit. Sæpe quoq; hic vir bonus erat, & vitam integram ducebat; quam diu priuatus fuit, & rebus sæculi se non immiscuit, sed vbi instar Saulis, iisdem se dedit, & ad dignitates & honores extol itur, fit nequam, insolescit, tyrannidem exercet, omnibus malo est exemplo, & vitam sceleſtam viuit: sed ad bonos viros nostros redeamus.

Hominis inconstantia.

Honores mutant mores.

Secundus hoc dictus nomine est Dauid rex, qui ab ipso rege Achis hoc primum coram magnatibus cognomine est vocatus: *Vocauit ergo Achis Dauid, & ait: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo; & non inueni in te quicquam mali ex die, qua venisti ad me, vsq; in diem hanc.* Vt vero plena in eum laudum & præconiorum plaustra coniiceret, mox etiam subiungit: *Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Beatus porro ille, qui hoc modo, & hac cum existimatione coram Regibus & Principibus terræ, & in mundi aula viuit: beatior vero, qui ad famam nomenq; quod obtinuit, merita, morum honestatem, vitæque sanctitatem & integritatem adiungit, quæ vera bonæ existimationis fundamenta sunt & bases. Beatus, inquam, qui Dauidis exemplo apud Optimates, & viros principes, viri iusti, boni sanctique nomen est consecutus: at longe beatior, qui reuera apud Deum bonus est, & qui ad nomen, & quæ videntur exterius, interiora facit respondere, & mentem, & communi voci hominum ac plausui attemperat, quo perfectam vitam agat, ac retrum

Dauid dictus *vir bonus.* 1. *Reg.* 29.

Dauid dictus *bonus sicut angelus Dei.*

hypo-

hypocriseos ac palliationis subdolæ nomen fugiat.

Sed ecce nouum quid, & quod ad impiorum confusionem mirifice facit; Dauidem, etsi virum integerrimum, & vitæ sanctitate & innocentia Angelo paremab Achis Rege iudicatum, aulicis tamen displicere, magnatibus inuisum esse, omnibus grauem, tandem etiam contumelioſe, probroseque aula eiici. Audite porro, quæ litterarum eius dimissoriarum fuerit formula: *Non inueni in te quicquam mali*, ait ipsemet Rex, *sed satrapæ non places, reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthiim.* Hoc scilicet modo viri boni in aulis Principum & Summatum tractantur. Neque enim hoc semel duntaxat in Regis Achis Philisthæi, & idolorum cultui addicti aula contigit, sed quotidie in Christianissimorum, Catholicissimorumque Regum aulis id fieri certissimum est: in quibus viri pij & fideles Dei famuli adeo displicent omnibus, vt, tametsi vitam agant inculpatam, omnisque piaculi expertem, tametsi mores & actiones nonnisi meram sinceritatem spirent, imo licet vel Angeli forent; Principibus, & satrapis displiceant, aulicisque sint graues: quos licet reges vt viros integerrimos agnoscant, regia tamen eos excedere, & Regum penetralia deserere oportet. Vt enim Dauidis & Satraparum, vita sibi inuicem aduersantur: humores Palæstinorum cum territorio Philisthæorum nequaquam cõcordant; ita nec virtutes, modestia, temperantia, sobrietas, castitas, honestas, cæteræq; virorum sanctorum dotes aulicorum Principumque vitæ agendique rationibus placent. Sed ad lineam redeamus.

Boni viri aulicis exosi.

Tertius viri boni nomine indigeratus est Tobias sanctus: Ille senex, videns quippe Raguel filium illius filiæ suæ ambire coniugium, haud illibenter votis eius annuit, insigni & laudabili patris eius apud omnes nomine ac fama potius inductus: quam opibus, quas speraret, aitq; : *Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* Laudabile sane filio est, & optimum, parentis sancti piiq; filium esse: atq; hoc illi nomen maiora affert commoda, & honorem parit ampliorem, quam testamentum aliquot locupletissimis sponsionibus legatisque refertissimum.

Tobiæ 7.

Quartum hoc dictum nomine legimus summum Pontificem Oniam, cui hoc libri Machabæorum adscribunt elogium, *Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit.* O dotes & proprietates Prælato dignissimas! illi namq; qui alios regere cupit & dirigere, inprimis est necessarium, vt vir bonus sit, benignus ac mitis, nullam vultu impudentiam, audaceмq; fronte insolentiam præferat, nullam in moribus dissolutionem, in verbis lasciuiam; sed è contra cordis sinceritas, oculorum demissio, morum modestia, & eloquentiæ robur sunt illis, qui aliis præesse & dominari voluerint, cum primis necessaria. *2. Mach. 5.* Onias dictus *vir bonus.*

Quintus, cui hoc Spiritus sanctus nomen indidit, est nobilis ille decurio in Euangelio memoratus, fidelis ille Jesu Christi cliens, Josephus ab Arimathia, cui hoc accinit Euangelium, *Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus.* Illustre quidem nomen, sed in duce ac centurione militari, ac qualis Joseph erat, in solitũ, vocari iustum virum bonum, quæ duæ virtutes in homine bellis assueto rarissimæ sunt. *Luc. 23.* Joseph ab Arimathia dictus *vir bonus.*

Sed hoc inter alios etiam nomine insignitus est noster Apostolus Barnabas, de quo in Apostolorum actis legitur. *Vir bonus, & Spiritu sancto plenus.* Bonus inquam reuera, quique assimilari meretur illi, de quo in Euangelio legitur: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* quot enim bona desideria, quot pij conceptus & intentiones, quot deuoti affectus, quot laudabilia proposita, aliæque diuitiæ spirituales ex Apostoli huius cordis penuario depromptæ sunt? *Act. 11.* *Matth. 12.*

Lucæ 19. prudens ille paterfamilias prudentem ac frugi seruum deprædicans, à duabus prorsissimum rebus illum commendat, à seruus Jesu bonitate nimirum ac fidelitate. *Euge serue bone & fidelis.* Sanctus Barnabas, verus fuit Redemptoris seruus, & vtramque hanc virtutem inuiolatam seruauit, & in illius obsequium cultumque penitus impendit. Fuit namq; *Luc. 19.* S. Barnabas Christi bonus ac fidelis.

namq; illi ad mortem vsq; fidelis, & toto vitæ tempore bonus ac sincerus permansit, atque hinc *vir bonus & Spiritu S plenus* nuncupatur.

Prou. 12. In Prouerbiis hoc velut tritum sermone adagium leges: *Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino.* neminem vnquam exstitisse inter mortales mihi persuadeo, in quem aptius concinniusq; prouerbium hoc quadraret, quam in sanctum Apostolum nostrum: quod enim bonus esset, à cœlo dextraque diuina omnigenas gratias, dona, charismata benedictiones, virtutes, meritaque hausit, vt & Spiritu ancto repletus fuerit, quam in Apostolum ab eo segregaretur.

Eccli. 2. Apud Ecclesiasticum item in viri integri ac boni commendationem legitur, *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, scientiam & intelligentiam*, quæ in Barnabam nostrum non absone trahi queant: cum enim bonus esset, vere in illum omnes hasce illustres qualitates Deus effudit; sapientiam nimirum ad cognoscenda mysteria; scientiam ad naturalium cognitionem, intelligentiam denique, quo se ipsum intus & incute perspiceret. In signum autem hæc illi omnia collata fuisse, Spiritus sancti donis dicitur repletus inter quæ tria hæc dona principem locum obtinent.

S. Barnabas sapientia, scientia, & intelligentia cœlitus donatus.

Eccli. 6. Ecclesiastici caput sextum egregiam hanc mihi sententiam suggerit ad Apostoli huius boni præconium mirifice deseruientem: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos; & lingua gratiosa in bono homine abundat.* Hæc animo mentequepenitius rimatus verba, ipse mihi haud vanus sum augur, hæc fatidico quodam spiritu iam tum de Apostolo nostro prædicta fuisse, cum enim vir esset optimus, tam gratiosa placensq; eius fuit oratio, vt sexcentos inter se animos dissidentes reconciliarit, & belluinas & indomitas dulcedine sermonis in hominibus passiones mansuefecerit, cordaq; adamãte duriora emolliuerit. Et sane lingua eius adeo diserta & mouere edocta fuit, vt infinitas prope animas, quas peccatum extra viam salutis abripuerat, ad rectum iter Euangelica prædicatione reduxerit. Gratia siquidem loquendi cum vitæ eius bonitate mirifice quadrabat.

Viri boni sermo placidus & gratiosus.

Vir bonus. Hanc porro bonitatem enixissime suis in deprecationibus & Domino Regius Propheta postulauit, dicens: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doceme.* Pius hic Rex bonitatem simul & scientiam à Domino efflagitat: scientia namque sine virtute omnis est honoris & meriti plane expers. Sublimem siquidem esse Philosophum, & improbum Christianum vix simul consistunt. Porro vir bonus Barnabas vere vtrumq; habebat; bonus quippe erat, vtpote de quo scribitur, *erat vir bonus*, & sapiens, quia *plenus Spiritu sancto.* Atq; scientiæ & bonitatis huius admiculo populos cultu ac natione barbaros Christo asseruit. *Psal.* 118. S. Barnabas habebat bonitatem simul & scientiam.

Fuit reuera vir bonus, inque singularis eiusdem bonitatis signũ ex historiis discimus, illius in ædibus sacram suam cœnam pridie passionis Redemptorem celebrasse; cœnam inquam æq; epulum illud illustre & exquisitum, simile vt non viderit vnquam orbis, cui nimirum conuiua interfuit ipse Dei filius, duodecim Ecclesiæ principes, in quo Apostoli omnes in Sacerdotes sunt consecrati & Episcopos, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum, S. Joannes super pectus dominicum recubuit, & Redemptor ipse discipulorum pedes abluit, ablutosq; tersit. Atque hæc omnia in Apostoli huius ædibus facta sunt. Cæna vltima in Barnabæ domo celebrata.

Ipsa etiam mater eius eleemosynarum effusione in pauperes inclyta erat, & hospitalitatis nomine notissima, vt & Apostolos suo sæpenumero recto exceperit. hinc & Apostoli senatus princeps Petrus, cũ non sine miraculo Angeli auspicio ductuque è carcere Herodiano eductus esset, confestim recta Mariæ S. Barnabæ matris domum, velut propriam, petiit. Vnde colligere est, quantopere fidei ac sinceritati eius fideret, quamque eius in ædibus familiariter versaretur. Hæc suis in Annalibus Illustriss. Cardinalis Baronius. Mater eius eleemosynis dedita. *Tom.* 1.

Rursum *vir bonus* dicitur simpliciter & absolute, nullius vt mentio fiat imperfectionis: quod inter homines rarissimum est, etiam perfectissimos, nullum siquidem reperire est speculum, quod non vel minima sit macula vel labecula inspersum, quin & in ipsa

Lũna tenebrosas quasdam nubeculas cernere est. Verum nec omnes simul Apostoli, nec omnes pariter homines quicquam, quod huius viri vitam coinquinaret, aut vel leuissime inficeret, inuenerunt. S. Hieronymus testatur, & ad oculum veritas ipsa patet, ita omnes de eius integritate passim bene sensisse, vt ob hanc ab omnibus coleretur & diligeretur.

S Barnabas ab vniuerso mundo cultus.

S. Barnabas vt Deus habitus.

Colereturinquam, atque adeo quidem cultu, religione & honore, vt Lycaonij eum inter se agere conspicati, eiusque vitam & actiones intuentes, stolida quadam & idololatrica fatuitate dementati, in eam ilico sententiam venerint, eum vt Deum in terram è cœlo delapsum crederent. Vnde Scriptura: *Turbæ autem leuauerunt vocem suam: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Judæi quidem Joannem Baptistam vt Messiam suspexere & recepere, at Lycaonij longius progressi sunt, nam etsi stolide & insupportabili quadam superstitione S. Barnabam vt Jouem, maximũ ac summum Deorum, in terris suspexere.

Act. 14.

Joannes Baptista Messias habitus.

Forsitan ob summam, quæ in hoc Apostolo elucebat bonitatem, Jouis eum donarunt nomine Lycaonij: nam Jouem & optimum simul & maximum Gentiles dicebant, quo nomine bonitatem quandam extremam & supremam denotabant, quin ij ipsi gentiles, vt virum bonum sincerumque, & cuius virtus maneret inconcussa, nullis cedere nescia casibus, exprimerent, eum ipsum pingebant Deum, ingenti vinctum catena, quam reliquum Deorum vulgus attrahebat, eumque, sed irrito conatu, cœlo in terram detrahere contendebat. Hoc hieroglyphico vel emblemate signabant, hominem semel in virtute firmiter radicatũ ac fundatum nullo quorumlibet impetu ac violentia vitiorum (quorum imago sunt vana illa deorum nomina & numina) non Martis violentia ac minis, non Mercurij eloquentia, non Junonis opibus ac regnis, non Vulcani flamma, non Veneris pellacia ac lenociniis, non cantu Apollinis, aut Musarum delinimentis, non denique Neptuni procellis ab eadem ac recto mentis statu vnquam diuelli posse.

Imago viri boni apud Ethnicos.

Aut forsitan ob terribilia prædicationis illius tonitrua, & horrendas iræ diuinæ, cœlestium iudiciorum, flagellorum præuaricantibus præparatorum, ignis tartarei, suppliciorumq; infernalium, quæ nulla nõ concione & exhortatione populo proponebat, comminationes, Jouis illum Lycaonij nomine donauerunt. Nam Joui fulmina ac tonitrua asscribebant veteres. Audientes ergo magnum hunc Apostolum in cathedra detonantem, & diuinæ vindictæ grauitate auditores percellentem, fulminaque ac tonitrua verborũ per aures illorum spargentem, Jouem se alterum spectare & audire credebant in cœlis tonantem, atq; inde fulgura in terras eiaculantem. Illius siquidem maiestas non minus Lycaonios percellebat, quã veteres illos Hebræos fulmina Sinaica, qui verborum diuinorum fragores ac tonitrua ferre nequaquam valentes inclamarunt: *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, &c.* *Exod.* 20.

Verum hoc in facto non minus sapientiam simul & profundam S. Barnabæ humilitatem, quam stolidam sacrificulorũ illorum superstitionem admirari oportet. Narrat siquidem historica series, Paulum & Barnabam vbique gentium Euangelium disseminantes, cum Lystram Lycaoniæ oppidum venissent, & in ipso oppidi introitu claudo pedum vsum restituissent, à ciuibus miraculo hoc perculsis, vt Deos quosdam habitos, & Barnabam quidem Jouis ob bonitatem naturalem, Paulum vero Mercurij ob eloquentiam, nomine donatos. Hinc Jouis sacrificulus ne neglectorum numinum reus foret, vtque Deos in terram delapsos debita mactaret victima, duci ilico ad illorum hospitia coronas & tauros iubet, qui illis velut debitæ statæque hostiæ immolarentur. Quo viso Apostoli, & sanctus Barnabas inprimis ob hanc populi impietatem vesaniamq; excandescens, sacrificiumque hoc detestatus, à turba se subduxit, & vrbe, sciissis ex iusta indignatione vestibus, excessit, cæcos insensatosque hosce idololatras castigans, qui homines tam temere referebant in Deos, & è creaturis mortalibus numen quoddam cœleste constituebant. Tentatio hæc alterius mihi similis plane memoriã refricat, cum scilicet

S. Paulus dictus Mercurius, & Barnabas Jupiter.

licet Zachariæ magni filius Joannes oblatos à Synagogæ legatis ad se in desertum destinatis honores & illustre ac sanctum Messiæ nomen repudiauit, seque iis censuit indignissimum.

Ioan. 9.

Ceterum hæc vestis discissio irati, dolentis, stomachantis, ac blasphemantis animi est nota. Equidem libens concesserim Mos siquidem apud Judæos obtinebat, vt auditis horrendis quibusdam blasphemiis, vel crimine insignia supplicia promerito, vel, vt magnum quendam inusitatumque dolorem testarentur, vestem discinderent aut dilacerarent. Sexcenta huius rei exempla per sacras suppetunt literas. Ita summus Pontifex Caiphas, audito Redemptorem libere se Dei filium dicere, quasi horrendam quandam, intolerabilemque blasphemiam inaudisset, stomachatus & succendens vestem dilacerat: etsi id Pontificem facere Leuiticus inhibuisset. Sed erat hoc veluti præambulum quoddam, ac præsagium, dignitatem illam pontificiam breui abrogandam, & aliam eius loco successuram.

Vestium discruptio signum blasphemiæ ac doloris.

Matth. 27.

Leuit. 10.

Ita quoque Caleb & Josue, duæ illæ tribuum Israeliticarum columnæ, viso populum panico quodam pauore cõsternatum, & falsis exploratorum relationibus nimis credulum, promissam Patribus terram, quam tamen ipsi coram exploraranr, inspexerantque, ingredi nolle, indignãtes & feruidi iracundia vestem discinderunt. Ita & Ruben, Jacobi Patriarchæ primogenitus, Josephum fratrem paruulum, è cisterna ablatum cernens ingenti correptus dolore, vt indignari hocce ob factum insigniter se testaretur, rupit vestimentum suum.

Num. 14.

Gen. 37.

Si plura testimonia & exempla vultis, Auditores, vos ipsi sacra euoluite volumina, & sexcenta huius farinæ legentibus occurrent. Videbitis inprimis in libro Judicum, Jephte magnum illum Hebræorum vindicem filiæ sibi carissimæ morte ob oculos posita, quam animo cordeque amaritudinem fouebat, foris etiam testaturum, vestem in frusta conscidisse. Eodem in tractu videbitis, Dauidem, nuntiata Saulis filiique eius Jonathæ nece, ita animo indoluisse, vt eã vix æquanimiter ferens, & intrinsecum foris dolorem testaturus, vti cor amaritudine, dolore & indignatione dissecabatur, ita purpuram, paludamentum, trabeam, & cetera regiæ dignitatis schemata coram principibus Israel diffregerit.

Iud. 11.

1. Reg. 41.

Inde transgressis in terram Hussitidem, & domum Jobi ingressis, commiserationem vobis excitabit laudabilis ille paterfamilias, qui cum bonorum ac facultatum omnium iacturam, & omnes inimici insultus interrita mente pertuiisset, & oculo sicco spectasset, audito filiorum filiarumq; omnium repentina domus ruina inuolutorum interitu, hosti fortunæque cedere, & animum videtur omnem despõdere. Vt enim cladem hanc è nũtio intellexit, dolorum æstu velut obrutus, & amaritudinis magnitudine victus, in terram se abiicit, cælum gemitu & luctifico lamento complet, *& scindit vestimenta sua*, suspiriis pectus disrumpit, & lacrymarum obritur oceano.

Denique violenta hac vestium diffractione aut discissione insignem veteres blasphemiam & dolorem vehementissimum denotabant. Et sane Thalmudistæ in libro de Magistratibus, & in suo Misnaroth scribunt, Judaicam quamdam traditionem esse auditis blasphemiis vestem discindere. Adeo vt Apostolus noster veterem hanc patriamque seruans consuetudinem, ac viso sibi vt numini cuidam ciues hos cultum & victimas deferre velle, cum non nisi merus esset homo, vt absurdam rei huius indignitatem blasphemiam & impietatem ostenderet, indignatus & stomachatus vestem disrupit, vna cum socio ciuibus alte inclamans: *Quid hoc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines*, id est, Turpiter erratis omnes, nihil in nobis diuinitatis, vestri instar mortales sumus, & non secus ac vos in cineres conuertendi.

Thalmudistæ lib. de magistr. de quadruplici morte. In misnaroth tract. de volum. paruo, c. 3.

Vt illustre hoc Apostoli factum melius liquidiusque eluceſcat, occurrit simile propemodum Augusti Cæsaris facinus: cui cum Senatus populusque Romanus cõmuni suffragio magnaq; contentione dictaturam populi, qua nullus in Republic. erat honos aut maior aut dignior, deferret; ille honorem hunc reiiciens, genibusq; in terram pro-

Augustus dictaturam recusauit.

Dion lib.14. Zonaras t.2. Suetonius in Augusto c.52.

stratis, vestibus dilaceratis, & corpore nudato, vt populo commiserationem excitaret, suumq; honore delato dolorem ostenderet, populo supplicabat, hanc vt à se dignitatem amoliretur, & in alium eidem parem transfunderet. Generosum illud quidem & illustre in Romano hoc Imperatore est; at Barnabæ nostri facinus longe dignius ac nobilius, cum enim Augustus nonnisi popularis cuiusdam dignitatis honores repudiarit, hic omni diuinitatis gloria se indignum credidit, & quo eum tempore stolidi Lycaonij diuinis afficere moliebantur honoribus, se vt hominem & mortalem abiecit & dimisit. Insigne nobis hoc exemplo documentum dedit, vt discamus quam promptissime honores, dum eos nobis mundus offert, fugere.

VI. Magna S. Barnabæ humilitas.

Discimus hinc & alia, quid autem? Præter mundanorum honorum contemptum magnam profundamque humilitatem, vt intra proprios nos limites & esse nostrum contineamus, nostrum nihilum considerantes, & omnem naturæ ambitionem præscindentes, ne in fugacis tandem vanitatis aërem ventosque euanescat Haurimus hoc ex illis, quæ ad sacrificantes protulit, verbis, dicens: *Quid hoc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines.* Mundus eum, vt Deum veneratur, ipse vero nonnisi hominem se esse agnoscit: immortalitatis eum honoribus afficere populus satagit, ipse originariæ, naturalisque fragilitatis intuitu titillantem hanc auram explodens nequidquam commouetur: mundus per superbiæ eum aëra gestit sustollere; ipse autem tutum humilitatis asylum quantocyus confugit.

Apoc.19.

Quid hoc facitis? & nos mortales sumus. Idē prope & eandem pene humilitatem noto in Angelo illo Apocalypseos. Joannes namq; ad eius conspectum extra se raptus, & Deum ipsum videre se ratus, illico ad pedes eius accidere voluit, pronus illum adoraturus, & debitis diuinitati honoribus honoraturus; sed indignans Angelus impedit, & eum à se honorem reiiciens exclamat: *Caue ne feceris*, ne me Dei instar ac numinis adores: *conseruus enim tuus sum*, & seruili conditione tibi par. Illustre sanè humilitatis in Angelo exemplum, nec minus huius Apostoli dicentis: *Quid hoc facitis? & nos mortales sumus.*

Angeli cuiusdam humilitas.

Discite vero, Christiani, discite in magni huius sanctiq; Apostoli ludo, nulla omnino re inanem turgidumq; iactantiæ typhum citius detumescere, aut stolidæ passionis flammas celerius velut iniecta frigida extingui, elatas naturæ alas cōmodius præcindi, impetus superbiæ melius retūdi, motus elationesq; scitius comprimi, quam mortis memoria, aut assidua exequiarum feralium meditatione. Hisce scilicet armis de inimicis triumphum retulit, affectus domuit, inclinationes cohibuit, mundum subiugauit, ac de seipso victoriam S. Barnabas retulit, dum honores reiiciendo, & mundanos factus exuendo subnectit, *& nos mortales sumus.*

Mortis memoria ad humiliandam animi propria.

Alexandrum Macedonem, qui vniuersum prope terrarum orbem sub imperij sui iura redegit, cum satrapæ ductoresque, parasitantes potius quam sincere agentes vellent inducere, Deum vt se crederet, & omnes proinde illi immolare debere victimas, & diuinis mactare honoribus; ipse quodam tempore saucius è conflictu rediens sanguineo perlutus imbre, suos illos adulatores his verbis compellauit: Ite iam parasiti, stolide mihi imponitis, meque ridetis: Deum me vt crederem totis mihi viribus persuadere voluistis; at ab hac equidem semper fui opinione alienissimus, verbaque vestra vt mellita adulatione indulcorata semper vt suspecta habui. nam hæc ecce vulnera, hæ plagæ, hoc sanguinis profluuium, & viui illi quos sentio cruciatus, longe secus se rem habere declarant, meque docent hominem esse, & cæterorum ad instar moriendi necessitati obnoxium. An non hoc cum Apostoli nostri respōso coincidit? Lystrēses persuadere satagunt, Deum vt se crederet, ipse è contra clamat & agnoscit, nonnisi mortalem se hominem esse, & in cineres, aliorum exemplo, conuertendum: *Et nos mortales sumus similes vobis.*

Alexandri Magni apophthegma.

Sap.7.

Sapientissimus Regum Salomon, inque scientia hac longe versatissimus, cum regia eum dignitas, honores & mundi splēdor sustollere, è terra subuehere, & animum eius inflare contenderent; esse sui conditionis, natu-

naturæ & cinerum suorum vilitatis consideratione velut æquilibro ac momento eum moderabatur, & velut anchora in tempestatibus fundabat, dumque ambitio ac vanitas, & superbia instarent vehementius, & totum obruere hominem gestirent, tum ille velut vallum & propugnaculum illis sententiam hanc obiectabat: *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus.* quasi diceret, Quisquis demum in mundo sim, rex, potens, locuples, sapiens sim, aliisque titulis magnus; quemcunque etiam me homines dicant, faciant, spondeant, iactent, sciam tamen oportet & agnoscam, hominem me esse aliis persimilē, corruptioni, putredini, mortalitati non secus atque alii obnoxium. An non Apostolus noster eundem scopum petit dicens: *Et nos mortales sumus similes vobis?*

2. Mach. 9. Antiochus Tyrannus, Syriæ Rex, eamdem se ob causam humiliat, quemque non comminatione omnes, non arma, non vis vlla mundana forsitan flectere ac concutere potuissent, sola mortis mortalisque conditionis consideratio superbiam illius domuit, turgētisque animi neruos altum spirantes succidit: terra siquidem & intolerabilis mephitis vniuerso eius exhalans corpore in hæc eum prorumpere coegit verba: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire,* &c. An non mortis cogitatio vela illum turgida cōtrahere coegit? an non exequiarum memoria animum supplicem reddidit? Ad eundem porro modum & Apostolus noster ait: *Et nos mortales sumus similes vobis,* &c.

in 2. Mac. 9. Inopinatam hanc, tamen docere maxime natam, impii huius Antiochi sententiam demiratus sanctus Ioannes Chrysostomus, hinc in egregia humilitatis præconia maxima sane verborum acrimonia ac pondere prorumpit, dicens: *Nihil conferendum humilitatis vertuti, ipsa enim mater est & radix, & nutrix, & fulcimentum & vinculum bonorum: sine illa abominabiles & scelesti, & immundi sumus, esto enim quis mortuos suscitet, ac claud. s sanet, leprosos purget cum superbia, nihil eo contaminatius, nihil magis impium, nihil scelestius.* Longa quidē sancti huius Patris periodus est, sed permagnæ ædificationis, & ad propositum de humilitate Apostoli nostri sermonem mirifice faciens.

Nec vero sola hæc virtus in tam illustri anima eluxit: nam præter humilitatem insignis quoque & incredibilis in eo caritas viguit. Hinc Actorum vndecimo ca. legitur vna cum Apostolo Paulo Christianis Antiochenis persuasisse, suis vt de facultatibus fratribus Hierosolymitanis, iam inde à sancti Stephani morte à Iudæis in odium & detestationem Christi esu bonis & opibus exutis, auxiliatrice largaque dextera succurrerēt. Atque hanc ob causam cap. 4. *filius* dicitur *consolationis* his verbis: *Ioseph, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum filius consolationis.* Ad quæ Glossa ordinaria notat, hoc eum dictū cognomine, quod eleemosynis largis & frequentibus egenos consolaretur, ibidem namque loci dicitur, venditis agris ac bonis paternis, quæ in Cypro insula, solo natali possidebat, pretium omne ex iisdem redactum, ad Apostolorum pedes, ad pauperum solamen, attulisse.

S. Barnabæ caritas.

Act. 11.

Act. 4. Dictus *filius consolationis.*

Magnus ergo vir fuit Barnabas, magnus nomine & re, fide & charitate magnus, magnus denique virtute & doctrina. Virtutem eius iam prosecuti sumus, doctrina magnum fuisse restat exponere. Ad quod vnum hoc suffecerit testimonium, illum ob insignem tam cœlitus infusam, quam studio vsuque comparatam scientiam inter Antiochenos Prophetas, & primos legis Doctores etiam ante Magnum Paulum, esse annumeratum. Fidem apud vos huic sententiæ non inuenirem, nisi eam scripturæ verbis adstruerem, quæ ad manum habeo. illis ergo aures fidēque date: *Erant autem,* ait S. Lucas, *in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.* Vnde fit verisimile, Barnabam scientia & doctrina illustrem ac celebrem fuisse; cum ob scientias infusas Prophetis, propter acquisitas vero Ecclesiæ Doctoribus accensetur.

S. Barnabas magnus vir tute ac doctrina.

Act. 13.

Ad doctrinæ illius sublimitatem comprobādam nouas adducere rationes haud oportet, aut noua ad asserendum argumenta de promere. Sufficerit iam ante dixisse, plenum fuisse Spiritu sancto, ac proinde omnigena

S. Barnabas repletus fuit Spiritu sancto.

scientia ac virtute instructum. Ita namque in Apostolorum de illo refertur historia: *Erat vir bonus, plenus Spiritu sancto & fide.* Quæ loquendi ratio denotat, non communes illum aut mediocres duntaxat virtutes, scientias, aut gratias habuisse, sed reuera excellentes, & in summo perfectionis gradu. Adeo vt Spiritu sancto repletus fuerit, per perfectã quandam castitatem, in anima, per feruentẽ quãdam prædicationem, in ore; per diligens bonorum operum exercitium, in manibus; per abundantiam sapientiæ, in mente; per ardentem charitatem, in desiderijs; in anima denique, per eminentem quandam gratiam.

Iam satis superque, Auditores, in glorioſi huius Apostoli laudibus & perfectionibus recensendis inhæsimus: materiæ paria non occurrant verba; nec finem eius haberet oratio, qui longiorem earum texere seriem vellet. Satius proinde & vtilius puto illius virtutes imitari, quam mirabilia deprædicare. Eius igitur vitam ob oculos ponite, labores perpendite, martyrium obstupescite: vita siquidem illius sanctissima fuit, labores innumeri, & mors dirissima; viuus namque Salamine Cypri vrbe flammis fuit adiudicatus.

S Barnabas viui combustio necatus.

Quot vero tibi, glorioſe & illustris Apostole, nominibus deuincta est Ecclesia? quantum tibi fideles omnes, & vniuersus terrarum orbis debet? Tu quippe inter primos Ecclesiæ præcones, inter principes religionis columnas, inter feruentissimos veritatis prædicatores, inter fidelissimos Iesu Christi famulos, inter præcipuos vineæ Ecclesiasticæ cultores dignus es censeri. Hem! quot ipse cruciatus pertulisti, vt crucem Dominicam exaltares? quot regiones & prouincias peragrasti, vt barbaros Christo assereres? quantum viarum exnauisti, vt animas Christo lucrifaceres? quot pro amore Dei & eius gloriæ incremento ignominias, iniurias, opprobria persecutiones pertulisti? Ei nimirum vitæ tuæ dies impendisti, ætatem omnem dedicasti, sanguinem effudisti, & vitam denique consecrasti. Hinc gloriate omnipotens cumulauit, immortalitati nomen tuum mundus dicauit, & omnigenos tibi Ecclesia honores, triumphos & laudes detulit. In honorem illa tuum festiuitatem instituit, bonumque vitæ tuæ sanctissimæ odorem sanctitatemque filiis suis ob oculos ponit, & ad imitationem eiusdem neminem nõ inuitat, vt postquam in hoc mundo nos, tui adinstar, deferimus, in altero exaltari mereamur, ad quem nos Pater, Filius, ac Paracletus Spiritus perducere dignetur, Aen.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Partitio.

1. *De Baptistæ incomparabili excellentia.*
2. *De admiratione ista: Quis putas puer iste erit?*
3. *De dotibus gratiosis Ioannis.*
4. *De vita eius eremutica & factis.*
5. *Vnde & quibus sit Magnus?*

Quis putas puer iste erit? Luc. 1.

FIGVRA.

VEtvs Testamentum virum nobis depingit, cui vulgo nomen Elias, Dei obseruantissimum, vitæ austeritate celebrem, zona pellicea velut cilicio ad renes accinctũ, acerrimum peccantium, ac flagitiosorum vindicem, & honoris diuini zelo feruentissimum, similem omnino hodie nouum Testamentum depingit, cui nomen Ioannes Baptista, cuius vita, virtutes, & mores sunt penitus admirabiles: qui priori per omnia similis exstitit: Elias erat Propheta, Ioannes plusquam Propheta: ille verba ignita & flammantia loquebatur, hic lucerna ardens & lucens: ille à coruis pastus est, & non nisi frigidam in deserto habebat: hic locustis & melle siluestri in solitudine Palæstinæ, quod apes illi præparabant, victitauit: ille impium Achab & sanguinariam Iesabelem insolescentes castigauit, hic vero aduersus nefarium Herodis Herodiadisq; incestũ coarguendo iusurrexit, mira in vtroque similitudo & harmonia, & magna vtrimque prodigia: quæ latius vobis deducam, si prius Spiritum sanctum adorauerimus & gratiam ab eo postulauerimus, virginemque Deiparam salutauerimus 4. Reg. 1.

uerimus, sua vt ope nobis adesse & intercedere dignetur: idcirco communi supplicatione Angelicis eam verbis compellemus.

AVE MARIA.

I. Apoc. 10. Apocalypseos mysteria contemplans & penitus intuens, admirabilem video Angelum, qui duas pedum loco columnas habet, quarum hæc terræ, illa mari insistit, quibus corpus è nube efformatum fulcitur: facies illi solis instar refulget, caput irida conuestitur, cuius extremitates terram versus vergebant, quæ oculis eius lachrymas eliciebat: leonis instar rugiebat, iurabatq; breui mundum consumendum & iudicium infortibus adesse. *Iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.*

Ioan. Baptista in Angelo Apocal. designatus. Cum figuram hanc accuratius intueor, dicere ausim, Angelum hunc Ioannis Baptistæ nostri typum fuisse, qui à Prophetis etiam iam olim Angelus meruit appellari. Tibias autem instar columnarum habet, vt hinc illius soliditas & constantia appareant, quodque Ioannes non fuerit arundo ventis agitata, sed solida quædam columna basi firmissimæ innitens: pes vnus terræ & alter mari insistens, quod elementum non minus inconstans, vagum ac mutabile, quam terra solida, constans & immobilis: symbolum sunt legis, tum veteris, tum nouæ. Illa enim varia & inconstans quæque aliquando abroganda & abolenda esset: hæc vero perpetua & sempiterna. S. Ioannes autem tantus fuit & tam late patens, vtramq; vt sit legem complexus, pede vno veterem, altero nouam premens. Corpus adhæc habet è nube compactum & coaptatum, quod Ioannes corpus adeo tenue & exhaustum ieiuniis habuerit, vt non carneum, sed aereum & è nubibus efformatum videretur, quia sine cibo aut potu propemodum vitam trahebat, *Erat neque manducans neque bibens.* Leonis præterea instar rugit, & lachrymarum flumina emittit, quia eremicola noster in solitudine egit pœnitentiam, & mundi delicta lachrymis expiauit. Denique capite iridem præfert velut arcum, qui in bello & conflictu vsu venire solet, vt hinc fieret manifestum, Ioannem edocturum, regnum cœlorum pugnando & violentia & certaminibus comparari.

Malach. 3. Ioannes nõi fuit natura Angelus, sed gratia duntaxat & officio. Quid in hoc Angelo deest, quod non Ioanni commode aptari possit? Malachias Propheta eminus eius virtutes & merita præuidens, plusquam hominem illum esse ait, nihilque ex homine participare, sed Angeli nomen illi assignat, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam:* non quod natura quidam Angelus fuerit, vt stolide nonnulli cum Origene crediderunt, sed gratia duntaxat & functione, quod lõge maius ac dignius, vt enim quamuis pannus auro & argentove intertextus laneo sit dignior & pretiosior: tamen hic ita insigniri & artificis manu ita exornari operæ phrygio potest, alterum vt sit pretio antecessurus: ita quoque se res habet cum homine & Angelo. Licet enim hic illo natura dignior sit & excellentior, ita tamen per gratiam sublimari homo potest, vt Angelo sit futurus superior ac maior.

Homo Angelo maior esse per gratiã potest. Tradit in naturali sua historia Plinius Lisippum sæculo suo sculptorum facile principem duas Alexandri Macedonis statuas efformasse, vnam solido ex argento, alteram è marmore: marmoream tamen excellentiorem fuisse ac pluris æstimatam: ob argenteam enim nonnisi duo talenta à Rege tulit, sed ob marmoream viginti; hæc superabat, scilicet, materia, illa artificio & elegantia. Idem de homine & Angelo dixero: & ambo imago sunt diuina efformata manu, & ambo magnum illum potius vniuersi creatorem artificem nacti. Angeli quidem natura dignior & augustior, quod nobilior, liberior, & penitus spiritualis sit: at gratia ascendere potest in homine sublimius, quemadmodum in Ioanne Baptista ascendit, adeo vt & angelum transgressura sit: & sane homines, quantumcumque viles & plebeii, per gratiam maiores & eminentiores ipsis Seraphinis, Cherubinis, & omnibus Angelis fieri possunt.

Simile. Fuit hæc opinio magni Patris Ioan. Chrysostomi, qui in homilia de laudibus Ioann. Baptistæ ait, *Glorioſius fuit Ioanni, quod cum homo esset, Angelus vocaretur, quam si illud esset & nomine & natura.* Nec omnino id abs-

ret

re: si enim quemquam regnum aliquod virtute propria & meritis nanciſci contingat, maiori hoc illi laudi & gloriæ futurum eſt, quam ſi hæreditate & ſucceſſione legitima patri in regno ſuccederet. Atque, qui natura eſt Angelus, velut per ſucceſſionem & hæreditatem hoc habet, non vero meritis id ſibi peperit: Deus quippe ex infinita ſua miſericordia Angelum illum creare voluit. At Ioannem Angelum eſſe & gratiis ornatũ propriis illius meritis id aſcribendum, diuina tamen illi gratia ac benedictione cœleſti auxiliante.

Simile. Non eſt mirum aut nouum, egregiam oliuam, in fertili, ac feraci conſitam ſolo, terraque pingui & diligenter exculta fructus ferre: at dumetum quoddam ſterile in deſerta ſolitudine, locisque ſcrupulosis & arenoſis progerminatum, à nemine excultum, fructus proferre longe cenſendum mirabilius: Angelorum quoque in cœlo, quod terra benedictionis & felicitatis, opimos amoris, zeli, charitatiſq. fructus procreare mirum nulli videri debet; at Ioannem Baptiſtam, tubam, inquam ſilueſtrem, velut qui deſerta incoluerat, eoſdem, quos Angelus, fructus producentem cernere, mirandum eſt, miraculum ſapit, eumq; Angelis omnibus maiorem conſtituit.

S. Ioannes Bapt. ſolus hierarchiã in cœlo conſtituit. Et hæc eſt ratio cur mellifluus Bernardus & doctiſſimus Pariſienſis Cancellarius Ioan. Gerſon dixerint, Ioannem Baptiſtam, quod per gratiam adeptus eſſet id, quod Angeli natura habebant, ſolum Hierarchiam quandam in cœlo conſtituere, & neminem ſibi parem aut ſocium habere. Adeo vt ſi petas ab ijs, quid Ioannes Baptiſta ſit, reſponſuri ſint audacter, eſſe quid Chriſto & Deipara minus, ceteris tamen Sanctis & Angelis quid dignius: atque hæc omnium propemodum Eccleſiæ Patrum opinio eſt & ſententia.

Hinc Aug. ait: *Vis ſcire, quid ſit Ioannes non eſt Deus, non eſt Chriſtus*; Quaſi diceret, Deo creatore & Ieſu Chriſto mundi vindice excepto, inter homines ſanctos primũ ac principẽ locũ obtinet. Quin & alio loco manifeſtiꝰ & audacius ait: *Præcellit cete ros, eminet vniuerſis: quiſquis de mulíere natus eſt inferior eſt illo.* Ser. natal.

Sanctus Bernardus vere Chriſtum ſoli, virginem lunæ & Ioannem lucifero compa-

rans ſcribit, illum in perfectione ſua vnicum eſſe, & inter homines ſecundum non habere, *Vnus eſt*, inquit, *& ſecundum non habet*; *Tria nam ſecit Deus ſine ſecundo, Chriſtum, Mariam, & Ioannem.* Sanctus Ioannes Damaſcenus poſt Chriſtum eiuſque matrem ſanctiſſimam tertium Ioanni Baptiſtæ locum aſſignat; ac poſt duos priores præ ceteris hanc creaturis honorandum & colendum dicit. Sanctus Gregorius Nyſſenus in illius encomia ſe effundens turturem. Veris prænuntium illum appellare, eique verba hæc Sponſi in Canticis accommodare non dubitauit: *Imber abiit & receſſit, ſurge amica mea & veni: vox turturis audita eſt in terra noſtra, &c.* Cant. I. Poſtquam enim hyems rigida legis Moſaicæ pertranſiſſet, Ioannis vox per deſerta inclamans, per Eccleſiæ terram eſt exaudita. Poſt Chriſtũ & Deiparã Ioan. Bapt. honorandus.

Magnus Doctor Hieronymus Principem illum nuncupat Anachoretarum, & Eremicolarum primipilum. Quin & pater ipſius Zacharias futuram illius dignitatem auguratus & præſagiens, iam inde ab incunabulis puerum Prophetam Altiſſimi vocare non eſt veritus: *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis.* Luc. I. Alij non prius Prophetæ dicebantur fiebantque, quam ad virilem ætatem peruenirent, at hic Propheta fuit etiamnum puer. Ioannes Euangeliſta, qui eiuſdem conſanguineus erat, illius horoſcopum conſtituens, vocauit hominem à Deo miſſum: *Fuit homo miſſus à Deo; cui nomen erat Ioannes.* Epiſt. ad Euſtoch. Ioan. I.

Poſt elogia & encomia illa hominum ſi & cœleſtia & Angelorum audire eſt animus, Archangelum Gabrielem eius natiuitatem prænuntiantem, huiuſmodi de illo dicentem ac prædicantem audietis, qualia de nullo vnquam mortalium dicta memini; quod ſcilicet magnus coram Deo futurus eſſet, Spiritus S. iam inde à matris vtero replendus: *Erit magnus coram Domino, Spiritu S. replebitur adhuc in vtero matris ſuæ.* Ipſe quin etiam Chriſtus, hominum ſimul & Angelorum Rex, poſt humanas & Angelicas prædicationes maximum omnium qui vmquam inter homines nati eſſe cenſuit, vnde apud Matthæum legere, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, &c.* Matth. II.

Regum

1.Reg.15. Regum historia quemdam villicum in deserto Pharan & Carmeli habitantem describens, inter cætera ait, quod magnus esset, & in omnibus potens: *Erat autem vir quisquam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis.* Veterem hanc historiam nouæ adaptando, & figuras veritati, qui desertum Palæstinæ & Iudææ solitudines adire voluerit, maximum ibi virum reperiet: quo nullus vnquam maior exstitit. Ita namq; de illo testatus est Christus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, &c.*

1.Reg.9. Eodem in libro Samuel mores, vitę rationem, corporisque habitum & formam Saulis describens ait, illum electum à Deo fuisse, omnium Israelitarum sinceriſsimum, & tantæ proceritatis, vt capite & ceruicibus altis reliquo populo quasi gigas & colossus supereminereret: *Et erat ex filius vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo, ab humero & sursum, eminebat super omnem populum, &c.* Qui omnes hasce proprietates examinare voluerit, & æqua lance ponderare videbit confestim, hæc maiori cum ratione de Ioanne nostro dici posse; ille enim electus à Deo & prædestinatus, illius vt foret præcursor, non erat inter natos mulierum vir melior illo, perfectior aut dignior, & omnes mundi populos non capite & humeris, sed gratia, perfectionibus & meritis superabat.

Idcirco Salomon sancti huius viri vitam miraculosam prodigiosamq; contemplatus, inter cetera paradoxa, & inter quatuor sibi ad

Prou.30. comprehendendum difficilia, illam ponit, *Tria sunt*, inquit, *mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in cœlo, viam nauis in medio mari, viam colubri super petram, & viam viri in adolescentia sua.* Per primum nonnulli

Quatuor quæ Salomon nequit comprehendere. Ioannem Euangelistam intelligunt, qui Aquilę instar ad sublime diuinitatis mysterium euolauit, per secundum Apostolum Petrum, qui nauis Ecclesiæ rector constitutus, magna omnium admiratione, non sine miraculo, super aquas ambulauit; per tertium Christum Dominum à mortuis è sepulchro resurgentem, qui serpentis instar tam subtiliter super & per sepulchri petram repsit, nullum vt vestigium reliquerit; per quartum denique Ioannem Baptistam, ille enim portentum & miraculum quoddam naturæ fuit, quod in pueritia, imo infantia, vir fuerit, & rationis ac iudicij vsum nactus sit.

Hoc est, quod hodie omnes homines demirantur, hoc est, quod vniuersa Iudæa obstupescit, hinc est, quod amici & vicini Zacharię, viso puerum hunc tam miraculosa ratione, totque portentis pręuijs nasci, ad inuicem dixerint, *Quis putas puer iste erit?* Hoc hodie in concionis thema delegi, ac velut fundamentum panegyreos huius viri; quam vt digne prosequar & debita ratione ac methodo qua cõsueui deducam, à mirabilibus, quæ in vitę exordio & natiuitate contigerunt, exordium sumam; ac deinde quæ in totius vitæ serie eluxerunt prosequar; quibus duobus ostendam, vosq; omnes fateri cogam, nullum vnquam virum in terram aut sanctiorem aut maiorem cœlitus destinatum fuisse.

II. Quod ad primum attinet, cum admirabilem mirabilis huius infantis natiuitatem cõsidero, præter ordinem vulgarem naturæ legem, præter ordinem vulgarem, & non sine miraculo, cœlum terramque gaudio & exultatione replendo, illam in lucem prodire video. Multa quidem magnaque, quæ in infantium multorum natiuitate contigere prodigia, tũ sacræ, tum profanæ referunt historiæ, nulla tamen, quæ cum Ioannis natiuitate comparanda sint, legere apud quenquam memini. Legimus Zoroastrem Ægypti regem, & idololatriæ magiæq; inuentorem, mox vt natus est risisse; Esau vero & Iacobum matris in vtero calcibus se inuicem petiuisse. Phares & Zaran, cum jam jam in lucem edendi essent, vnus manum vtero exeruit, cui obstetrix coccinatam fasciam alligauit: *Atque ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum.* Tradunt alij Sancto Ambrosio nato & in cunis posito, examen apum aduolasse, & cunas circumsepsisse, quo denotatum fuit, melle dulciorem eius sermonem futurum, & eloquentiæ illius dulcedine omnes demulcendos. S. Nicolaus vix in mũdum venerat, quin jeiunium & abstinentiam sectatus, diebus Mercurij & Veneris vbera sugere noluerit. Qui S. Dominici vitam & miracula conscripsere, tradunt matrem eius, dum adhuc vterum ferret, in somnis vidisse, somnium.

Natiuitates puerorum mirabiles.

Gen.16. *Gen.38.*

Apes in Ambrosii cunis mellificarunt.

D.Dominici matris somnium.

canem in vtero se ferre, qui facem ore, & frõte stellam præferret, quod certissimum futuræ illius doctrinæ ac vitæ sanctitatis erat præsagium. At quod hodie in Ioan. Baptistæ natiuitate cernimus, longe ratius & admirabilius est, & magis percellit, & admiratione cõplet, vnde merito quotquot viderunt, dicere obstupescentes potuere, *Quæ putas puer iste erit?*

S. Lucas hæc omnia describens ait, *Mirati sunt vniuersi*: hæc autem admiratio & stupor vicinos & cognatos multa dicere & augurari de puero hoc, & varias sibi coniecturas effingere, ac plurimis eum patriarcharum similem fore, præsagire coegit. Dicebant siquidem hi, secundum hunc Noe futurum: nam vt Noe vere Ianus biceps duo viderat sæcula, vnum ante, alterum post diluuium, ita quoq; puer hic, vetus legis Mosaicæ & nouum Euangelij & gratiæ sæculum vidit. Illi vero alterum Abraham; nam vti hic fidei & credentium pater fuerat, ita hic venerat, *vt omnes crederent per illum*. Erant qui dicerent nouum futurum Isaac, quod sicut hic filius risus & gaudij appellatus fuit, & pater eius centenario maior, audito sibi filio nasciturum, rei nouitate perculsus, effuse risit, ita Ioannes nascens omnes gaudio & exultatione repleuisset, *& in natiuitate eius multi gaudebunt*.

Alij vero aliud comminiscentes spargebant in vulgus; fore nouum quendam Iacob; nam vt Patriarcha ille scalam viderat, quæ vna extremitate terram, altera cœlum tangebat, ita quoq; Propheta hic cœlos viderat apertos. Credebant alij nouum Mosem fore; sicut n. ille populum Dei per desertum deduxerat, ita hic à teneris annis solitudinem incoluit, & pœnitentiam promulgauit, omnes ad eandem inuitans,

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti, &c.

Alij deniq; augurabantur, Eliam quendam futurum zelo plenum; prædixerat enim Angelus de eo, *ipse præcedet in spiritu & virtute Eliæ*, atq; ita diuersa de puero hoc prædicentes, eiusq; horoscopum examinantes, omnes sibi mutuo dicebant, *Quis putas puer iste erit:*

Quod vero omnes in admirationem rapiebat, & maxime percellebat, erat, quod præter naturæ ordinem & communem nascendi gignendiq; consuetudinem nasceretur, è patre scil. sterili & matre infœcunda. Ita porro id destinauerat Deus, vt pueri huius natiuitas eo foret admirabilior; quod cum Zacharias pater diffidens non credidisset, & Angelo natiuitatem eius denuntianti fidem nõ adhibuisset, *perdidit promptæ medullas lingua*: Cũ vestibulum aliquod palatij magnifici cõstruendum est, siccum & aridum quæri lignum solet, ne si viride sit, opus hiet, rimas agat, ac proinde ad normam aptari nequeat; ne vero lignum putrescat, luna minuente putari solet. Ioannes Baptista porta ac propylæũ fuit, per quod Christi & fides, & cognitio in mundum introiuit, ideo è ligno arido illum construi oportuit, id est, è parentib. senibus, sterilibus, frigidis, & incorruptibilibus nasci.

Et sane cum Ioannis generationem natiuitatemq; considero, Isaaci natiuitatẽ videre videor, qui matre sterili & nonagenaria natus est; atq; ideo filio nato admiratus secum ait, *Risum fecit mihi Deus & quicunq; audierit, corridebit mihi*. De Elisabethæ, quæ natura sterilis, puerperio hodie dictum, filium genuisse, in cuius natiuitate omnes sint gauisuri & exultaturi. O prodigia, & miracula, ô natiuitatem admirabilem! in qua miracula illa, quæ in deserto jam olim contigerunt, mihi videre videor.

Legimus in Exodo petram in Sinai deserto virga percussam aquam emisisse, qua omnis exercitus potatus & adaquatus fuit, cuius rei Dauid in Psalmis meminit dicens, *dirupit petram, & fluxerunt aquæ*: & alio loco, *Qui conuertit petram in stagna aquarum*.

Hic vero videmus duas quasdam petras, vnam senectutis, & alteram sterilitatis, diuinę omnipotentiæ virga percussas, magnum gratiarum & virtutum torrentem, Ioannem Baptistam scilicet emittere, qui synagogam omnem in deserto aquis Baptismalibus refecit & irrigauit.

In eodem quoq; deserto cum manna cœlo decideret, omnes admirantes exclamarunt, *Manhu*, quid est hoc? quæ nouitas? quæ miracula? & ecce cum hodie in deserto sterilitatis & senectutis, filius velut manna quoddã descendit, omnes admirantes exclamant & stupen-

Comparatur Ioan. veteribus Patriarchis.

tre sterili natus. Simile. *Gen.* 17. & 21.

Exod. 17. *Num.* 20. *Deut.* 28. *Psal* 104. *Psal.* 106.

Exod. 16.

Gen. 28. *Matth.* 3. *Exod.* 14. *3 Reg.* 7. *Luc.* 1.

Ioannes patre & ma-

pentes, *Quis putas puer iste erit?* quid de puero hoc futurum?

Gen.11.

E sterili matre quod nascentem videant admirantur, eque sterilitate augurantur puerũ hunc magnum fore & singularem. Omnes enim quos scriptura ex infœcundis matrib. genitos prodit, admirabiles, rari, eximij & cęteris prestantiores exstitere. Qualis Isaac è Sara nonagenaria progenitus, in quo omnes gentes benedicendas Dominus promisit. Ioseph è Rachele, qui totius Ægypti constitutus vicarius, & totius mundi saluator est nuncupatus. Sampson naturæ miraculum, Prophetarum gloria Samuel, alijq; plurimi. Quorum quidem omnium natiuitas admirabilis extitit, at non adeo mirabilis, quæ cum Ioannis Baptistæ natiuitate conferri potuerit, quę omnes percellens & obstupefaciens dicere cogit vicinos, *Quis putas puer iste erit?*

Ioannes in vtero matris sanctificatur. *Luc* 11. *Num.*4. *Psal.* 114.

Futuram magnitudinem è mirabilib. quæ in natiuitate illius contigerunt, augurantur. inter cætera vero, quod in matris vtero fuerit sanctificatus, quam & Angelus suo prius calculo confirmauit, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Arca Testamenti Iordani cum accederet, aquæ diuisæ sunt, & vtrimq; conglobatæ montem effecere: quod Psalmista Dei mirabilia in deserto patrata recensens, non est oblitus, at loquens velut de re insolita & noua per apostrophen ait, *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum?* Idem in natiuitate glorioſi pueri contigit, quamprimum enim vt naturę territorium attigit, peccati originalis mare fugit, & diuinorum iudiciorum, quæ in omnes homines extendebantur, Iordanis sterit; *Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.* & addam amplius; *Montes exultauerunt vt arietes*; fide inquam intellectus, charitate voluntas & spe memoria.

Iob paupertatem aut potius miseriam natiuitatis suæ exponens, quæ tamen illi cum alijs hominibus communis, lachrymans dicebat, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ*: quo loco nõ tam de corporis quam de animæ nuditate loquebatur. Certum est enim, omnes nos nasci nudos tum corpore, tum anima, corpore vestibus destituto, anima gratijs. At non Ioannes, quamuis enim corpore nudus sit natus, non tamen quoad animam, vtpote, cui data sit gratia iam inde à matris vtero.

Tanta inquam gratia, quæq; tantopere illum exornauit ac confirmauit, nunquam vt toto vitæ tempore mortaliter peccarit. Nam Diuus Thomas docet, *Sanctificatus in vtero creditur præstitum esse, vt de cætero mortaliter non peccarent.* Vnde quidam Sanctus Abbas pręconia sancti huius decantans, sanctitatem illius, originalem sanctitatem dixit, quod eã in matris vtero receperit, quam deinde numquam amisit. Imo docet Galatinus & Abulensis, nunquam illum ne venialiter quidem peccasse, verbis Ecclesiastici hymni innixi: *Ne leui saltem maculare vitam famine possis.*

3.p.q.27. a.6.ad 1. Guerricus serm.1.

Lib.7.c.9.

Psal.57.

Psaltes regius hominum natiuitatem & cõceptionem describens, & calamitatem, quæ illos semper etiam ab vtero sequi solet, ait, *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* Hoc quidem locum habet in cæterorum hominum ortu, non vero in Ioanne Baptista, qui ab vtero matris Elisabeth cum Deo vnitus & coniunctus fuit, & gratia à Spiritu sancto repletus. Adeo vt de eo cantari illud possit, *Domine, præuenisti eum in benedictionibus.* Vere enim benedictionibus cœlestibus præuentus fuit, quas deinde vniuersæ communicauit Iudææ.

III. Arbor mirabilis in Canaria.

Est in insulis Fortunatis, quas Canarias vocant, arbor, quam *Amaquam* dicunt, quæ ab ipso exortu suo rore pasta, & quotidie eũdem recipiens, omnibus insulanis aquam velut fons aut scaturigo suppeditat. Talis fuit etiam Ioannes noster, & rara quædam per Iudæam planta, nam iam inde à matris vtero cũ gratiam, rorem inquam illum cœlestem, recepisset, & eadem semper deinde passus esset, omnibus deinde, qui eam audiuere, eamdem communicauit; & cognatis & vicinis occasionem dedit dicendi, *Quis putas puer iste erit?*

Vere admirandum æstupendum est infantẽ in vtero matris subsultare & exultare præ gaudio. Esau & Iacobi motus ac concussio matri molesta & displicens fuit, quod inter se colliderentur & sese mutuo oppugnarent.

At Ioannis motus matri gratus & jucundus fuit. Nam vt prolem ad Messiæ præsentiam in Deiparæ aduentu exultare sensit, gaudio & lætitia plena cognatæ dicere cœpit, ei ob visitationem gratias agens, *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exaltauit infans in vtero meo*: Quod egregia figura faciet manifestius.

2 Reg. 6. Dauid Iudææ Rex coram arca Domini saltauit, & magna gaudij & jubili signa ostendit, *Et Dauid percutiebat in organis armigatis & saltabat totis viribus ante Dominum, &c.* Ita Ioannes coram arca nobiliori excellentioriq;, Deipara scil. quę non tabulas legis, sed ipsum legis auctorem in se continebat, exultat & subsilit, inque matris vtero præ gaudio tripudiat.

Comparatur Ioannes cum acu nautica. Acus nautica vbi magnetem tetigerit, ad Boream semper vergit, & sidus Boreale ostēdit. Ita Ioannes, vera legis nouæ acus jam inde à natiuitate à Spiritus S. gratia tactus, non stellam modo poli, sed magnum illum mundi solem lætitię & exultationis signis demonstrauit.

Item cum monte. Atq; vt altus quidam mons, qualis Athos, Atlas, vel Caucasus, citius à sole illuminatur quam depressa quædam vallis aut obscurius senticetum, eius quoq; exortum denotat citius: ad eundem quoq; modum Ioannes noster, qui quo ad perfectionem altus quidam vertex fuit, prius à Christo quam reliqui Iudæorum inspiratus & illustratus, citius etiam illis ipsius exortum & aduentum annuntiauit, ad illius pręsentiam etiam ante exultans, quam in mundo natus esset, *Exultauit infans in vtero.*

Item cum lynce. Nouam hic videte lyncem, quæ oculos adeo viuidos & perspicaces habet vt non parietes modo & januas, sed maternum & virginalem simul vterū visu penetret, & in eodē Creatorem ac Redemptorem suū perspiciat. Quid dicitis ad hæc peruicaces & contumaces hæretici? Is, qui in matris vtero conclusus Messiam videt in alio etiam vtero occlusum, & eum salutat; cœlo jam receptus & gloria perfruens, & oculos jā subtiliores & penetrātiores habens ea, quæ in hoc mundo fiunt, non videbit, & nostras preces non audiet vel intelliget? sed de his alias. Iam in natiuitatis illius mirabilibus pergamus.

Si repentina hæc in vtero exultatio fuit admirabilis, rationis vsus, per quem à Deo, juxta Augustinum & Anselmum, præuentus fuit, longe etiam est mirabilior. Esse, tradunt herbarum scriptores, florem, cui nomen, *filius ante patrem*, cui hoc mirabile à natura datum, vt prius fructus ferat, quam floreat. Talis fuit & Ioannes noster, fructus enim tulit amplissimos, antequam floruisset; Christumque adorauit antequam loqueretur, saltauit & exultauit, antequam nosset incedere; credidit prius, quam natus; judicio & rationis vsu polluit, priusquam ad ætatem venisset maturam; denique vir fuit & sapiens, antequam puer & linguam mouere posset. Herba quæ seminat antequam floreat.

In Genesi leguntur arbores fructibus onustæ à Deo creatæ fructusq; ante flores apparuisse. Videte vero hic nouam quandam arborem in medio synagogæ cum pleno rationis vsu plantatam, id est, genitam. Præcoces & prematuros hos fructus naturæ florem & ætatis præcedere, nouum penitus & mundo inauditum. Gen 8.

Aaronis virga floruit, & simul fructum eadem nocte tulit, quod miraculum omnes Hebræos in admirationem perculit: *sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & urgentibus gemmis eruperunt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Ecce hic quid etiam mirabilius, videmus enim Ioannem eodem quo genitus est momento, rationis vsu pollere. Num. 17.

Constat Solem, omnem luminis fontem, ac totius vniuersi faculam, mox vt conditus est, radios quocunq; sparsisse, suamq; claritatem & lumen diffudisse: certum quoque est, eodem instanti, quo Ioannes, stella illa matutina, conceptus, rationis jubar & diem illum ostendere cœpisse. Sol mox vt conditus illuminare cœpit.

Docet nos experientia, non tamen sine admiratione, reperiri auiculas quasdam, quæ mox vt exclusæ sunt ouo, cantillant, incedunt, & quocunq; impetus tulerit, cursitant. Idem quoque Ioannem nostrum, præclaram illam solitudinis auem fecisse comperimus; quamprimum enim vt conceptus, Messiæ laudes Aues quæ cantant mox vt ouo sunt exclusæ.

laudes decantauit, & ad illius præsentiam adorationis gressus mouit, in matris vtero gaudio exultans. Quæ omnia adeo noua & inaudita vicinis visa, vt omnes admirantes dicant, *Quis putas puer iste erit?*

Cum aurora sole ab Antipodibus reuerso, vt hemisphærium nostrum obambulet, iubar effundere incipit, aues cantillare & minurire incipiunt, ac iucundissimo concentu
Simile. siluas & agros perstrepere. Ad eumdem quoque modum, Ioanne nostro exoriente, ac velut aurora horizontem nostrum illustratura, iustitiæ Solem Christum præcedente, omnium auium genera cantillare, & suauissimam edere harmoniam incipiunt: nam auis illa paradisica, illa cœli terræque
Luc. 1. Phœnix, Deipara inquam virgo cantat: *Magnificat anima mea Dominum.* Multus quoque Zacharias; *Benedictus Dominus Deus Israel.* Angelicæ etiam aues, *Magnus eris coram Domino &c.* Deniq; vicini & cognati, *Quis putas puer iste erit?*

Cum hanc Zachariæ vicinorum interrogationem audio petentium: Quis qualisue puer ille futurus est? respondere illis posse videor, quod olim mystica Salomonis
Cant. 5. sponsa ad interrogationem, quam proponebant ei Israelitides dilectum quærenti, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Quibus illa respondit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.*

Idem, inquam, de puero hoc dicere licet, puer hic candidus est, & erit ob virginalem pudicitiam, rubicundus ob sanguinem, quem in martyrio effudit, electus etiam ex millib⁹, quod parem nec habuerit, nec habiturus sit. Merito igitur petere possunt: *Quis putas puer iste erit?*

Huic vestræ petitioni respondebo, Iudęi; Astrologum hic agã & genethliacum, eiusq; horoscopum examinando, futuram pueri huius fortunam, ac sortẽ aperiam. Cum igitur videam, sub benignissimo & fauentissimo illum nasci astro, auguror & præsagio maximum simul & beatissimum hunc mortalium fore.

Astrologorum augu- Solent Astrologi in Principum natiuitate per signorum & planetarum aspectum, & siderum dispositionem de futura eorum ætate, & gestis augurari, num scilicet ad bellum, an vero ad pacem propensuri sint, munifici, an ad rem attenti, felices, an infelices. Si Solis aspectum in Ioannis natiuitate videre voluerimus, & quo in signo tum fuerit, indagare, Solem iustitiæ tunc in signo Virginis fuisse comperiemus, quod omnium signorum fortunatissimum, semperq; prosperitatem portendens, & quod fortitudinis ac virtutis prænuntium. Adeo vt hinc inferre liceat, puerum hunc nonnisi maximum & felicissimum fore, cum sub felicissimo & maximo nascatur signo, glorioſa inquam Virgine, quam denotauit signum illud Apocalypticũ, *Apoc. 12.* de quo scriptum legimus: *Signum magnum apparuit in cœlo.*

Augusti Cæsaris numismata quædam ab vno latere capricornum præferunt, qui in piscem desinebat, pedibusque anterioribus sphæram premebat. Figura hæc, vt Sueto- *Sueto. in vita.* nius ait, horoscopum illius designabat, & signa hæc illius natiuitati præsederunt, atque futuram fortunam præsignarunt. Equidem maiori ratione Ioannis nostri Baptistæ natiuitatem extollere possum, ac dicere, horoscopo illius denotari, felicissimum & perfectissimum illum puerum fore, qui vmquam in terra apparuerit, cum in ipso natiuitatis illius puncto solem iustitiæ & Virginem Dei matrem, quæ omnium astrorum, quæ in Zodiaco conspiciuntur, benignissima atque optima sunt, videam præsidentes.

Item Suetonius ait, notatu dignissimum *In vitâ.* fuisse, Neronem Imperatorem eodẽ temporis puncto, quo sol oriebatur, natum; hocq; exponens ait, solem nescio qua ambitione motum, in terra prius radijs suis illustranda festinasse visum, quam puer hic eandem nascens tangeret.

Quãto hoc melius de præclaro hoc sancto dicendum, eodem namque quo nasci voluit tẽpore, magnus iustitiæ Sol oritur, videturq; reuera prius illum radijs gratiæ suæ afflare voluisse, quam terram tetigerit. Quis non igitur inde futuram illius sanctitatem augureturr & magnitudinem, & cum alijs dicet: *1. Reg. 1.* *Quis putas puer iste erit?*

Prognosticon meum prosequens, magnum illum fore præsagio; atque ideo vnicus fuit. Anna mater Samuelis miraculo primum nacta est filium, & deinde alios naturali ordine; at Elisabeth nullum post hac habuit, quique ita debeat esse vnicus, socium & fratrem habere vt non potuerit. Quod futuræ illius magnitudinis vitæque sanctitatis euidens præsagium fuit. Atque hoc adeo verum est, vt si sancti sibi inuicem inuidere possent, ingemiscerent & plorarent, Alexandri Macedonis more, qui lachrymat⁹ dicitur, audito Philippum patrem varias per Græciam obtinere victorias, quasi nihil sibi ad nomen immortale comparandum, fortitudinemque patefaciendam in posterum relinqueret; expostulare inquam possent, videntes Ioannem esse Angelum, Patriarcham, Prophetam, Apostolum Dei, martyrem, virginem, doctorem, confessorem, Anachoretam, &c. quasi nisi sibi ad meritum foret, reliquum, cum illi donata fuerint omnia, nullusque vmquam inter mortales vixerit, cum illo qui sit dignitate comparandus, *inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Alexandri ambitio.

Solent in musicis instrumentis chordæ grossiores, quas bassos vocant, semper singulæ tangi, tenuiores vero binæ, Ecclesia instrumentum harmonicum est, in qua quotidie Dei laudes decantantur; iusti & sancti chordæ sunt, qui semper pares & socios habuere: in cuius duplicitatis combinationisque signum Dominus Apostolos binos ad prædicandum misit, *Misit illos binos ante faciem suam.* At Ioannes Baptista, vox illa velut bassus, *clamans in deserto*, solus fuit, nullum vnquam similem aut parem habuit. Vnde præclare de eo dixit Diuus Augustinus, *Quidquid Ioanne maius est, non tantum homo, sed Deus est.* Quin & Bernardus longius in laudum illius campum excurrens; dicebat, *Maior homine par Angelo, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris.* An non igitur merito cognati petunt, *Quis putas puer iste erit?* Plura igitur de natiuitatis illius miraculis non loquar, iam vitæ eius mirabilia prosequenda sunt, atque hoc reliquum panegyreos meæ futurum erat.

Simile.

Luc. 10.

VI. Quinquennis in eremum concessit.

Vitę Ioannis mirabilia ab admirabili infantiæ illius austeritate incipiam, quam deinde reliquo vitæ tẽpore seruauit. Non nisi quinquennium agebat, vt plurima Patrum pars testatur, dũ Zachariæ patris domum deserens, & hominum consortium deuitans, mundi honores & voluptates perosus in eremum, vitæ austeritatem sectaturus confugit, & ferarum se socium constituit. Ita namq; canit Ecclesia:

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti, &c.

O admirabilem eremicolam! O Angelum incarnatum! Quid tibi ô puer innocens cum hoc deserto; cum solitudine, anima purissima? Quid tibi opus cum bestijs viuere, cilicio tenella membra constringere, tamq; rigide in puerile corpusculum desæuire? tibi inquam, qui quid peccare sit, nondum nosti, quique in vtero matris sanctificatus es? Non est, scilicet, ad expianda peccata illius hæc pœnitentia, sed vt exemplo eius edoceantur alij, vitaque hæc schola quædam est & gymnasium.

Iudicia siniſtra mundi.

Christus olim de illius austeritate apud principes Sacerdotum & Pharisæos agẽs, hoc illum elogio condecorauit: *Venit Ioannes neq; manducans, neque bibens, & dicunt Dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini.* Quis igitur mundo satisfaciat & vsquequaq; placeat? Idem de mundanis quibusdam & libertinis dicere potero, qui omnium Catholicorum mores sugillant & denigrant, Si sint Religiosi, qui nec manducant, nec bibunt, & laceris induuntur, idque ad carnem edomandam & pœnitentiam agendam, hypocritę & fucati audiunt, illinc vero Episcopi & Prælati, qui vitam magis sæcularem, & ad populum accommodatam agunt, dicũtur prodigi & profusi. Hæc scilicet sunt mundi iudicia.

Matth. 11.

Cur Ioannes austere, Christus communiter viueret.

Verum cur Ioannes tam austere ac rigide, Christus communiter & familiariter viuebat; hæc dari solet & potest ratio: Quod Ioannes peccata metueret, ideo ad pœnitentiam confugit, & in desertum concessit, at Christus hæc nõ metuebat. Tradunt, qui de ani-

animalibus scripsere, Leonem omnium animalium regem non in cauernis & spelunca, sed in via publica & agro sub dio dormire, viribus suis confisum, si vero interdum antra subire contingat, hoc solis declinandi vmbræque captandæ gratia, non metus causa fit: sed cætera animalia nocte ingruente antra subeunt velut habitacula tutiora. Ita Christus, quod esset leo ille de tribu Iuda, numquam desertum petijt metu aut formidine compulsus, sed semper cum hominibus, & inter homines conuersatus est, quod nihil metueret; si vero interdum solitudinem adijt, hoc quietis & secessus captandi, i. e. Patrem orandi, & aduersus diabolum confligendi gratia factum. Sed reliqui Sanctorũ, & Ioannes imprimis, peccati & abominationes, quę in sæculo dominantur, perspecta habentes, desertum velut iasylum & locum refugij delegerunt.

Nullum mortale delictum admisit. Venialiter peccare poterat.

Verum est Ioannem eremum adijsse ad venialia delicta vitanda, mortalia n. nunquam admisit; quamuis autem hoc è sacra Scriptura erui nequeat; ad credendum tamen sufficiat, in ea reperiri, iã inde à matris vtero à Spiritu sancto fuisse sanctificatum; sufficiat reperiri illum plusquam Prophetam fuisse, sufficiat Christum dixisse, inter natos mulierum illo maiorem non surrexisse: venialia vero committere poterat, quę vt euitaret, solitudinem adijt, vt se in tuto collocaret, & occasiones declinaret.

Simile.

Qui in æstate aliquo profecturi sunt, ne à muscis importunius diuexẽtur, summo mane iter aggredi solent, vt sub vmbra incedãt, & hanc molestiam fugiant. Peccata venialia muscæ quædam importunæ sunt, quæq; hominibus, interea dum vitę huius ęstas durat, molestiam pariunt, atque ideo Ioannes iam inde à vitæ exordientis aurora, id est, quinquennis molestiæ huius declinandæ causa eremum petiuit, & solitudinis vmbraculum captauit. Conceptum hunc Salomon confirmans ait, *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*. id est, peccata venialia, quę nos muscarum vesparumque instar circumuolitant, tandem in causa sunt, cur gratia, verum illud & cœleste vnguentum, pereat ac pessum eat.

Eccl. 10.

In eremo igitur viuit, sed Cameli exuuijs indutus, vnde Euangelistæ, *Ioannes erat vestitus pilis Cameli*. Qui habitus pœnitentię symbolum, non vero subtilis & mollis: testimonium hoc Domini confirmat: *Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*. Erat hoc cilicium è pilis camelorũ contextum, rude, austerum, durum, sed quod Eremitæ huius animi robur & fortitudinem declararet. Vnde factum, vt Ethnici suos etiam Deos leonum & aliarum ferarum pellibus conuestirent, ad eorum potentiam & robur designandum. Imperatorum quoq; Romanorum ea fuit insania ac temeritas, vt huiusmodi gestare exuuias pulchrum ducerent, ac loco paludamenti purpurei leonina humeris pellis dependeret, vt ita & Herculem imitarentur, & terribiliores viderentur & horrorem præferre. Hęc Gentilium fuit insania risu potius & ludibrio, quam applausu & admiratione excipienda: at mysterio non vacat puerum quinquennem in deserto camelina pelle coopertum viuere, hocque est, quod illum tum coram Deo & hominibus admirabilem, tum dæmonibus terribilem reddit.

Matt. 3. & Ioan. 3.

Matth. 11.

Sed mox vt desertum adijt, & antra subijt, Ioannes luinque cauernis delituit, lucernæ instar cœpit cerna ardẽs effulgere, & lumen suum eiaculari. Hinc est, & lucens. quod ab Euangelistis *lucerna ardens & lucens* dicatur; idque non sine ratione. Primo Christus Deus quidem absconditus erat. *Vere tu es Deus absconditus*) ideo lucerna opus erat, qua illum detegeret, & ostenderet. Secundo, nõdum exortus erat sol, sed iam iam exoriturus; dum quis igitur ante auroram & crepusculũ matutinum surgit: lucerna opus habet: Ioannes igitur, quod in mundum venisset, Deum illum absconditum reuelaturus, & nasceretur, antequam iustitiæ Sol Christus exoriretur, lucernæ nomine appellari potuit: *Erat itaque lucerna*; sed *ardens*, vt hinc manifestum fieret illum concionatorem ardẽtem zelo & virtute æsturantem, qualis Helias, futurum, Hinc de se dictum, *Hic venit in virtute & spiritu Eliæ &c.*

Sanctus Epiphanius & Dorotheus Martyr in vita Prophetarum, docent Angelos, dũ

in cu-

in cunis Elias adhuc puer cubaret, ignis illum fasciis inuoluisse; quo viso patrem consternatum Hierosolymam summum Sacerdotem super illo spectro consulendi gratia concessisse; ac diuino responsum oraculo, futuram pueri sanctitatem ac zelum hic tacite denotari, significatumque illum aliquando ignem viuentem & penitus cœlestem aduersus Dei inimicos futurum. Idem de Ioanne nostro dicere possumus, cum lucerna ardens nuncupatus sit, atque hunc colligere illum ignem etiam aduersus Herodem & synagogæ principes fore; ideoque sanctus Basilius illi verba hæc Psalmistæ accommodare non veretur, *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quam præclari hic sese nobis conceptus offerunt?

Psal. 96.

Lib 8. in Commodo.

Reges Persarum, teste Xenophonte, & Imperatores Romani, teste Herodiano, & aliarum etiam gentium Principes, cum solemni incedere pompa per vrbem vellent, aut triumphum agerent, ignem sacrum è sacrificijs sibi præferri iubebant. De Cyro ita scribit Xenophon; *Præ se illum ignem sequitur Cyrus.* Commodus vero Imperator Romanorum Lucillæ sorori, dum per plateas incederet, ignem præferri præcepit, *Honores soror i*, inquit Herodianus, *suæ seruauit, nam & in theatris in sella Imperatoria sedebat, & ignis eam præcedebat.* è profanis sacra illustraturus dico, Deum hodie ignem, facem & lucernam hanc præmittere ad Messiæ suiq; Filij maiestatem, dignitatem, diuinitatemque patefaciendam.

Exod. 28.

In Exodo candelabrum quoddam describitur aureum, in quo noctu diuq; corã Arca Testamenti lucernę arderent. Antiquitatem hanc cum nouitate comparans, ipse mihi persuadeo, Sancti huius fortunam hic tacite demonstratam; Ioannes enim velut nouum quoddam candelabrum aureum, id est, auro & virtutibus rutilans, coram Messia accensum est, & nocte dieque zelo & amore ante maiestatem illius inardescit, velut lampas quædam ante arcam fœderis. Et sane Tertullianus libro contra Iudæos, & Cyrillus de Ioanne Baptist. locum illum Psalmi interpretantur, *parauit lucernam Christo meo*, & Euangelista ait, *Erat lucerna ardens.* Atq; vti fax illuminatum semper præcedit, ita Messiam suum hic præcursor.

Comparatur Ioannes candelabro aureo.

Lib. 1. c. 7.

Psal. 131.

Pharao, dum Ioseph exaltare & honoribus afficere vellet, quadrijugo illum curru imposuit, & præconem ante currum enuntiare imperauit, vt omnes genui flecterent, & supplice poplite adorarent, *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omne coram eo genu flecterent, &c.* Deus æternus, velut nouus quidam Pharao, Iesum Christum filium suum extollere & exaltare dum cupit, sublimem ac glorioſum incarnationis currum fecit conscendere, Ioannem Baptistam veluti præconem, ad populi animos disponendos, quo Messiam debito honore prosequerentur, præmisit, *vox clamantis in deserto, parate viam Domini.*

Gen. 41.

Magnus Patriarcha Abraham, filio suo Isaac cum vxorem quæreret, antiquissimum famulorum suorum misit, nomine Eleeser, qui foras profectus, puellam aliquam tanto adolescẽte dignam inuestigaret; qui cum tandem ad fontem venisset, & Rebeccam vidisset, Domine nomine illam despondit, aurea & argentea illi offerens monilia, inaures & armillas, *Postquam autem biberunt Cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.* Ad eumdem modum Pater æternus connubium filij sui dilectissimi cum Ecclesia celebrare volens, nobilissimum & maximum seruorum & Prophetarum suorum, Ioannem Baptistam scilicet emisit, qui iuxta Iordanem commoratus Christum synagogæ despondit, & inaures illi dedit, id est, fidem (quia *fides ex auditu*) duos pendentem siclos, quod omnis religio & fides nostra circa duo potissimum versetur mysteria, Trinitatis & Incarnationis, armillas vero decem pendentes siclos, id est, præceptorum diuinorum, quæ decalogus complectitur, obseruationẽ, vasaq; aurea & argentea, id est, Sacramenta Confessionis & Baptismi, quæ Ioannes in deserto docebat, & executioni mandabat, quæ non nisi vacua erant vasa, liquore omni & gratia destituta, ac Sacramentorum legis Euangelicæ figura. Exclamem igitur in laudem

Gen. 24.

Ioannes Messiæ præcursor.

tuam:

tuam: O præcursorem & prodromum vere admirabilem! imo vero & Prophetam maximum!

Et sane pauper hic Anachoreta, pœnitens hic solitudinis incola, Propheta extitit, non tamen magnus ille Propheta, de quo in Deuteronomio Moyses ait, *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus &c.* Quem & ipse se negauit esse apud Iudæos percunctantes: *Propheta es tu?* id est, Tune Messias, quem lex vetus sub nomine Prophetæ designauit? *Non sum*, inquit. Ait tamen Christus illo absente, *& plusquam Propheta.* Quod cæteri Prophetæ vel prædixerint futura, vt Ioannes in Apocalypsi, Ieremias, Isaias, alijque; vel præterita, vt Moyses, qui spiritu quodam prophetico mundi originem & primordia descripsit, & quidquid in illius creatione contigisset, quamuis nihil horum aut præsens vidisset, aut ab alijs scriptum legisset; vel præsentia, vt Elisæus, qui Giezi simoniam & munerum à Naamo acceptionem etiam absens vidit & intellexit. At Ioannes Baptista in omnibus Prophera fuit, præsentia quidem prædixit & annuntiauit, cum Christum digito ostendit, dicens, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Præterita autem, cum Iudæorum scelera coarguit, quæ tamen non viderat, nam ab incunabulis in desertum concesserat, dicens: *Genimina viperarũ, quis vos docuit fugere à vẽtura ira?* Futura denique, cum Christi Domini passionem prædixit, *Hunc oportet crescere*, in crucem sublatum; *me autem minui*, capite truncatum.

Plinius testatur esse quoddam aquilarum aut miluorũ genus, qui triduo, vel etiã quatriduo prius adorantur corpora, quam emoriantur, hoc an verum sit nescio, scio tamen Ioann. Baptistam, velut huiusmodi aquilam, eminus & multo prius Christi corpus præsensisse, quod in cruce moriturum erat. Atque hoc forsitan Christus intellexit, dum ait: *Vbi ceciderit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Magnus igitur Propheta fuit, qui de omnibus annuntiauit, ac vir vere & in omnibus magnus.

Et ita magnus, q̃ quamuis fides nõnisi circa ardua, difficilia, quæq; sensus & naturam omnem excedunt, versetur, quę proinde miraculis prius confirmari opus habent, q̃ credantur, diuina tamen bonitas ita sanctũ hunc exornare gratia, tali innocentia condecorare, tot eum virtutib. insignire, tamq; in omnium oculis admirabilem voluit reddere, vt etiam non patratis miraculis Iudæi illi crediderint, doctrinamq; illius vt verissimam habuerint, *Hic venit, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Apostoli quidem docuere & promulgauere Euangelium, & populos omnes ad sibi credendum inuitarunt, sed sermonem & doctrinam illorũ sequentib. signis & prodigijs Christus confirmauit, *Prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, &c.* At nullum Ioannes miraculum edidit, tamen mox vt Petrus & Andreas illum audiuere dicentem, *Ecce Agnus Dei*, quam primũ crediderunt, & Christo relictis omnibus adhæserunt.

Adeo quoq; magnus fuit, vt vulgo à populo Messias sit habitus. Quare Christus insinita cum patrasset miracula, quib. diuinitatẽ suam testatus erat, crederetque nullum adeo brutũ & stupidum fore, quin vt talem se haberet, & quodam tẽpore ab Apostolis petisset, *Quem dicunt homines esse filiũ hominis?* tanta de sanctitate Ioannis populi animis insedit opinio, vt responderint Apostoli, Ioannem pro Messia à populo haberi, *Alij Ioannem Baptistam.* Neu ea populi duntaxat erat sententia & opinio, sed Scribarum, Pharisæorũ, Sacerdotum & Doctorum legis, qui propterea legatos suos ad illum in desertum miserunt postulaturos, *Tu quis es Messias? es tu, &c.* Magnus quoq; fuit iuxta ea, quę in viro magno requirit Euangelium. Nam apud Matthæum legimus: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*: nam Ioannes & fecit & docuit: in deserto fecit pœnitentiam, & eandem quoq; verbis edocuit. Huc respexit Angelus, qui natiuitatem illius annuntiauit, dũ dixit: *Hic erit magnus coram Domino.* Cur non addis eadem opera Angele, magnũ illum fore coram hominib⁹, cum crediderint illum suũ esse Saluatorem ac Messiam? Magnus deinde fuit, q̃ sibi ipsi paruulus ille videretur, ideoq; à Deo meruit exaltari, iuxta id, q̃ de Saule

Deut. 19.

Ioannes plusquam Propheta.

Gen. 1.

4. Reg. 5.

Luc. 3.

Luc. 3.

Ioan. 3.

Vulturum genus cadaucra præsentiscens antequam emoriãtur.

Matt. 24.

V. Creditur

Ioannes erat iam sine miraculis.

Ioan. 1.

Marc. 16.

Ioannes creditus Messias.

Matt. 6.

Matt. 5.

dixit Samuel, *cum esses parvulus in oculis tuis, ecce caput in tribubus Israel factus es.* 1. Reg. 5.

Adeo quoque magnus fuit, vt ad illum producendum, & in mundum inducendum Dei ipsius manibus opus fuerit, *Manus Domini erat cum illo.* Luc. 1. Dauid vates, cum de totius vniuersi creatione ageret, ait Deum ad vniuersam hanc machinam procreandam non nisi digitos suos adhibuisse, *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Psal. 8. Isaias quoque de admirabili illa vi, quæ vniuersam terram velut sphæram in aere suspensam continet, agens, id Dei digitis fieri ait, *Qui mensus est pugillo aquas, & appendit tribus digitis molem terræ.* Isa. 40. Exod. 8. Moses quoque in Exodo de muscarum Ægyptiarum plaga loquens, quæ Pharaonis magos consternabat & in admirationem rapiebat, ait, illos perculsos exclamasse, *Digitus Dei est hic.* Quin & apud Lucam, quãuis magnum quid & sublime sit fugare & eiicere dæmonia, Christus tamen hoc nonnisi digitorum suorum opus esse dicit, *si in digito Dei eiicio dæmonia.* Luc. 11. At dum de Ioannis Baptistæ natiuitate incidit sermo, ait Scriptura, vniuersam Dei manum in illo creando occupatam fuisse, *Manus Domini erat cum illo.* Dum Euangelium de mysterio incarnationis loquitur, quo nullum vmquam maius Deus edidit, ab omnipotentiæ diuinæ brachio id profectum esse tradit, *Fecit potentiam in brachio suo.* Luc. 1. Et apud Isaiam, *Brachium Domini cui reuelatum est:* Isa. 53. Cum itaque de Ioannis generatione loqui incipit, à Dei manu id opus profectum testatur, de cæterorum autem productione agens, non nisi digitorum diuinorum opera esse asseuerat; vt hinc foret manifestum, sancti huius viri productionem incarnatione Iesu Christi esse quid inferius ac minus, at rerum cæterarum creatione quid maius & excellentius. Dicite igitur, an non vere magnus exstiterit?

Nunquam quis Ioanne maior.

Tam magnus siquidem fuit, nullus vnquam eo vt fuerit maior, aut caput manusve extulerit sublimius. Hoc vt intelligatur, sciendum est, Christum regulam & dimensionem omnium Sanctorum fuisse, secundum illud Apostoli, *Quos præscivit, hos & prædestinauit conformes fieri imagini filii sui, &c.* Rom. 8. In huius rei figurã vidit Ioannes in Apocalypsi Angelum, qui virga aurea ciuitatem illam cœlestem ac beatorum, quam cœlo descendentem viderat, metiebatur, muros scilicet, propugnacula, portas & propylæa, imo & lapides singulos. Virga hæc, & calamus mensorius erat Christus, quo omnes lapides viui, qui aliquando in ædificium cœleste cooptãdi erunt, metiri debent; quoque lapis aliquis ad regulam hanc magis adaptur, fitque conformior, eo & altiorem in cœlesti regno locum sortietur: Si igitur ostendero, cæteris nostrum Ioannem caput extulisse altius, & Christo conformiorem extitisse, satis me tunc ostendisse nullum eo vnquam maiorem aut digniorem exstitisse putauero. Magdalenacum se ad hanc regulam & normam dimẽsa esset, non nisi ad pedes vsque pertigit, *stans retro secus pedes eius:* Luc. 7. secuta deinde Hemorrhoissa, non nisi ad fimbriam vestimenti peruenit: *Stetit retro fimbriam vestimenti eius.* Matt. 9. Thomas quoque accedens, sese vt dimetiretur, vt qui regulam non haberet, sed peruicax foret, ad latus vsque peruenit, & exclamat, *Dominus meus & Deus meus.* Luc. 24. Matt. 27. Dilectus Discipulus etiam se ad Christi regulam metiri dum vult, eumque amplecti, pectus illius solum attingit. At Ioannes Baptista in Iordane ad illius se dimensus mensuram, manum vltra Christi caput extulit, ad quam altitudinem numquã homo aut Angelus potuit pertingere. Quãobrem dicendum magnitudine illum omnes homines excessisse.

Denique adeo magnus fuit, illius vt magnitudo excellentiaque vix a quoquam cõprehendi possit, & sanè Ioannes de illo loquens, affirmatiue quid esset dicere non est ausus, at negatiue quid non esset, *Non erat ille lux.* Ioan. 1. Quin & ipse Sacerdotibus & Leuitis Ierosolyma ad se missis non nisi negatiue respõdit, *Non sum Christus, non sum Elias, non sum Propheta.* 1. p. q. 11. a. 3. ad 2. Diuus Thomas docet quidditatem & essentiam Dei, quod eius natura incomprehensibilis sit, potius per negatiua percipi, quid non sit, quam per affirmatiua quid sit. Idem de dignitate, magnitudine, & excellentia Ioannis Baptistæ dicendum, negationes ad eandem eandem exprimendam aptiores, quam propositiones affirmatiuas videri, ita hoc D. Augustinus ostendit, dicens: *Vis scire quid*

De laude S. Ioan.

quid sit Ioannes, non est Deus, non est Christus, quasi illum omnium hominum & maximum & primum esse, denique & omnium creaturarum Phœnicem diceret.

Amor Christi erga Ioan.

Addam hic velut appendicem, & magnitudinis illius coronidem, extremum & singularem, quo illum Christus est prosecutus, amorem & dilectionem; ita quippe illum dilexit, vt ẽt ventre virgineo conclusus, neminem ante illũ visitare sit dignatus. Si rex potens & nobilis vrbem aliquam ingressus, priusquam curru descenderet, ciuem aliquẽ inuiseret, an non magni & insignis amoris & dilectionis signum foret? Christus Dominus Regum Rex, & Princeps cœlorum, magnam mundi huius vrbem ingressus, priusquam sacro Virginis vtero egrederetur, Angelicum hunc virum visitare dignatus est; quod extremæ amicitiæ & dilectionis argumentum. Quin etiã audito illum ab Herode occisum,

Marc. 6.

luctum induens, & non mediocriter contristatus in desertum secessit, *Quo audito abijt in desertum.* Et etiam dum vixit, non semel aut bis, at sæpius illum coram omnibus Iudæis dilaudauit. Ecquæ gloria, tam præclarum facinorum suorum præconem nactum esse!

In Sigeo.

Refert in vita Diui Hilarionis Hieronymus, Alexandrum Magnum cum ad Achillis tumulum constitisset, beatum ac fœlicem Achillem pronuntiasse: quod Poetarum principem Homerum gestorum suorum præconem nactus esset. Quanto igitur maior Ioannis nostri laus & beatitudo, vt qui Iesum Christum meritorum suorum sit præconem consecutus?

Christo fidelis Ioannes.

Et sane si Christus Ioannem tanto est amore prosecutus, non sine causa id factum; nam ipse vicissim Christum etiam dilaudauit, vt qui priuatim & publice verum illũ esse Messiam declararit, se vero eundem esse negarit, honorem qui sibi à Synagogæ legatis delatus esset, in illum transfundens, *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* in quo insignem erga Dei filium fidelitatem declarauit, cui Messiæ dignitatem ablatum ibant Iudæi, & in Ioannem relatum, fidelitatem inquam maiorem, quam Lycurgum vsurpasse tradunt historiæ.

Spartani enim Reipublicæ gerendæ peritissimi, cum Lycurgo, fratre illius Prolyde cte mortuo, regnum & coronam detulissent, viduaque defuncti prægnantem se esse comperisset, vereta ne nouus rex hoc audito indignaretur ac molestè ferret, quod forsitan masculus ex se nasciturus regnum illi auferret, vtpote legitimus hæres, nuntiauit illi, se, quo illius regnum firmaret, tutum & ab omni competitore liberum redderet, si modo vellet, fœtum vtero conceptum veneno aliquo, aut medicamento necaturam, aut abortum causaturam. Placere sibi consilium finxit Lycurgus, at nolle se, ne tali sibi medicamento aliquod afferret detrimentum, quare infantem tempore suo nasci sineret, sibi iam nati extinguendi rationes non defuturas. Credidit illa, & cum egregium masculum peperisset, Lycurgus acceptum in senatum detulit, atque hac ad Lacedæmonios vsus est oratione: Ecce legitimum regum vestrum, Lacedæmonij, non vero me; quare regia ornamenta exuta puello imposuit posthumo. Fidelitas Lycurgi.

Magna hæc profecto fuit fidelitas; non tamen cum Ioannis nostri fidelitate comparanda, regnum enim quod detrectauit, Messiæ regnum fuit, cumque omnes vt Messiam & redemptorem orbis illum haberent, declarauit, mox vt puer ille in mundum venit, non se, sed puerum Iesum Messiam ac verum illorum regem esse, *Medius,* inquit, *vestrum stetit, quem vos nescitis, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.* O fidelem seruum! ô virum admirabilem! ô mundi Phœnicem!

Sed iam satis superque, auditores, de hac re locuti sumus, citius siquidẽ me verba quam materia defecerit; iam enim vox me & latera destituunt, cum Sancti huius merita perfectioneſque infinitæ, immensæ & impenetrabiles sint; sufficiat nobis virtutem & vitam illius admirari, & in natiuitate illius exultare. Benedicam' & deprædicemus Zachariam, quod tam beati filij pater existat, gloriam Elisabethæ & felicitatem decantemus, quod tam admirabilem ediderit prolem. Erat apud Ethnicos moris, vt puerperarum fores coronis & floribus conuestirentur po-

Veterum consuetudo in puerperio. *Iuuen. sat. 9.*

stes: cuius quidem consuetudinis Satyricus meminit:

——*Floribus suspende coronas,*
Iam pater es.

Elisabeth Zachariæ Pontificis vxor è sanguine & stirpe Aaronis hodie filium enixa est Ioannem, hanc igitur consuetudinem sequamur, illiusque foribus & postibus coronas affigamus, atque omnigenarum laudum & præconiorum flosculos depromam°, & matri huic suam felicitatem congratulemur: simulque cum vniuersa Ecclesia hodie exultemus & lætemur. Pueri huius magnitudinem diuulgemus, merita illius deprædicemus, natiuitatis illius mirabilia decantemus, & ad illum, quum modo in cœlo gloriosus regnet, vota & supplicationes nostras dirigamus.

Ioannis epitheta.

O glorioſe Ioannes! mundi miraculum, naturæ stupor & portentum, cœlorum opus, terræ gloria, hominum Phœnix, sanctissimæ Trinitatis legate, Messiæ præcursor, eremi doctor, solitudinis incola, Eremicolarum princeps, Anachoretarum patrone & præses, pœnitentiæ exemplum, pater pietatis, omnisque sanctimoniæ Magister ac præceptor: tu olim propemodum in terra Angele, at modo in cælo omnibus Angelorũ hierarchijs maior ac superior, Zachariæ fili, Iesu Christi cognate, è magni Pontificis Aaronis stirpe progenite, iam inde ab incunabulis magne & eximie, ante natiuitatem prudens & discrete, in matris vtero sanctificate, magnorum mysteriorum Propheta, Synagogæ oraculum, ac totius vniuersi iubile & exaltatio; è toto corde & animo tibi hodie laudem offerimus; omni qua possumus pietate opem tuam deposcimus, orationes tibi nostras & preces omni humilitate ac demissione præsentamus. Tu nobis faueas, ac benignus esto, præsta, vt qua tum in cœlo, tum in terra auctoritate ac potestate polles, sentiamus; tu scilicet, qui nunquam peccasti, tantam tamen fecisti pœnitentiam, tamq; in corpus tuum rigidus fuisti, fac obsecro, vt intercessione tua veniã delictorum obtinere mereamur, quam vt obtineamus, ex hoc momento pœnitẽtiam nos acturos pollicemur. Tu vanitatum contemptor, qui a teneris annis mundum deserens, in desertum & intimã solitudinem fugisti, fac vt exemplo & adimitationem tui idem sequamur, si vero eandẽ forsan non tam mature & cito inceperimus, ac te cõstat incepisse, ac stulte & stolide maximam & potissimam vitæ partem traduxerimus, tamẽ quoniam satius est serius quam nunquam, præsta vt exiguum id, quod restat vitæ ac temporis, in mundi fuga, vanitatum contemptu, & pœnitentiæ austeritatisq; sectatione impendamus, vt hac ratione salutem nostram in tuto collocemus, peccata fugiamus, gratiam mereamur, atque ita Deum metuentes, & virtutem sectantes, beatitudinis nos compotes reddamus, quam sanctissimus Pater eum vnigenito Filio, & paracleto Spiritu sancto nobis dignetur concedere. Amen.

IN FESTO GLORIOSORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

Partitio.

1. *Adferuntur figura de mystico numero duodenario.*
2. *De titulo & petra Petri.*
3. *De incomparabili excellentia Petri ex potestate clauium.*
4. *De S. Pauli in prædicando auctoritate & scientia.*
5. *De gemina Doctoris gentium charitate.*

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 10.

FIGVRA.

MOsi cum arcam Testamenti iam olim facere præciperet Deus, duos illũ Cherubinos super propitiatorium collocare voluit, qui penitus aurei, & versis se vultibus intuentes, & alas extendentes, summum & digniſ- *Exod. 2.*

dignissimum arcæ locum occupabant. In Euangelica lege hanc figuram adimpletam videre videor. Hic siquidem duos magnos & eximios Apostolos intueor, velut duos Cherubinos, Petrum & Paulum, qui charitate aurei & virtutibus circumsecus exornati, & se mutuo auerso vultu intuentes (quod ille Iudæorum, hic Ethnicorum saluti procurandæ incubuerit) & alas potentiæ ac doctrinæ extendentes, summum in Ecclesia locum & dignitatem occupant. Apostolorum princeps vnus est, magnus Iesu Christi Vicarius, ac generalis totius Ecclesiæ rector & nauclerus: alter vero vas electionis, magnus gentium Doctor, Euangelij buccina, ambo quo ad scientiam Cherubini, dignitatem Apostoli, & socij & sodales, ambo quippe eodem mortui sunt die, non vero eodem mortis genere; Petrus siquidem cruci affixus fuit, Paulus vero ceruices præcisas habuit. O martyres admirabiles! ô glorioſi principes terræ, orbis lumina, ac bases Ecclesiæ! Hodie vestras ego laudes vester jam præco factus celebrabo, vestra mirabilia depromam, vestræ vitę seriem prosequar, & in morte terminabo. Hoc meum propositum ope tua promouere Spiritus paraclete, tuque precibus tuis Deipara dignare; ideo Angelicam tibi salutationem depromimus:

AVE MARIA.

1. Numerus duodenarius Apostolorum figurat.

Quotiescunque in scriptura duodenarius occurrit numerus, sancti Ecclesiæ Patres duodecim Apostolos in eo figuratos credidere: adeo vt cum duodecim, in Bibliis, Israelitarum tribus legimus, duodecim Apostolos denotari sibi persuadeant. Nam quemadmodum in Synagoga Iudæorum duodecim fuere Patriarchæ, qui duodecim constituerunt tribus, ita in Ecclesia Christi duodecim aliquando futuros Apostolos. Ita hoc prædixerat & præuiderat regius Vates: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, qui constitues eos principes super omnem terram*, id est, Patriarcharum loco succesſerunt Apostoli. Psal. 44.

Idem quoque in Apocalypsi sua prævidens Ioannes, vidisse se scribit quendam maiestate plenum in throno considentem, quem viginti quatuor seniores amicti albis, & coronis redimiti ambibant ac circumstabant, *Et super thronos viginti quatuor seniores, edentes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corona aurea.* Viginti quatuor hi seniores haud dubie Patriarchas simul & Apostolos denotabat, qui in bis duodenum diuisi numerum, viginti quatuor constituunt; throni vero eorundem authoritatem, senectus & canities antiquitatem, vestium candor sanctitatem, coronæ denique aureæ eorum dominium & potestatem repræsentabant. Apoc. 4.

Deinde cum in exitu de Ægypto duodecim fontes in Eliu & septuaginta palmas legunt: *Venerunt autem in Eliu filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ*: aiunt duodecim hisce fontibus Apostolos designari, qui velut duodecim fontes & scaturigines doctrinæ ac gratiæ omnem Dei populum ex Ægypto Synagogæ ad viuã Euangelij aquam egredientem refecerunt ac potarunt, septuaginta autem palmas discipulorum figuram fuisse. *Exod.* 15. Apostoli 12. denotati in 12. fontibus Eliu.

Quamprimum vt in Leuitico duodecim panes propositionis legerunt, de quibus ita Dominus locutus est: *Accipies quoque similam & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt d as facies, &c* dicunt duodecim Apostolorum illos typum fuisse, qui duodecim fidei articulos proponentes, omnes fideles panibus vitæ enutriuere. *Cap.* 24.

Postea cum lib. tertio Regum duodecim præfectos annonæ Regię super omnem Israelem stabilitos legunt: *Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui prabebant annonam Regi & domui eius, &c.* quamprimum sibi persuadent, duodecim Apostolos tacite hic significari, qui velut duodecim œconomi in domo Iesu Christi, id est, Ecclesia constituti, carpunt, scindunt, struunt, imperant, & omnia peragunt. Illi sunt, quibus commeatus spiritualis cura & præfectura cõcredita est, qui sacramenta administrant, qui doctrinam edocent, deque rebus sanctis, quibus animæ nostræ victitant, disponunt, *Non enim in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* *3. Reg.* 4. 12. Apostoli denotati in 12. œconomis Salomonis. *Matth.* 4.

1.Reg.10. Scriptura regium Salomonis thronum cum descripsisset, dixissetque duodecim illum leunculis innixum esse, *Et duodecim leunculi stantes super gradus hinc atque inde*; statim sibi persuadent leones hos Apostolorũ prototypon fuisse; qui velut duodecim leunculi, à magno illo leone tribu Iuda prognati, tantum animi ac roboris demonstrarunt, & tantum concionando rugitum ediderunt, vt per totum terrarum orbem sit exauditus, *In omnem terram exiuit sonus eorum.*

3.Reg.7. Apostoli 12.denotati in 12.bobus maris ænei. Libro eodem vas quoddam amplum & capax describitur, quod propterea *mare* appellatur: inter cætera autem dicitur opus hoc duodecim bobus innixum fuisse, *Et mare vnum; & boues duodecim subter mare.* Vix videre mysterium hoc Patres, quin per vas hoc Ecclesiam denotari credentes, sibi persuaserint per duodecim hos boues Apostolos figurari, qui boum instar labori & iugo & operi assuetorum Christi iugum humeris tulere, nationes omnes perfregere, & doctrina excoluere, & idololatriæ vrticas & sentes excaudicarunt, ac potentiæ suæ humeris omne Ecclesiæ opus & pondus infracti sustinuerunt.

Apoc.21. Denique S.Ioannes in Apocalypsi ciuitatem illam regiam, quam viderat, describens, (*Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem*) & inter cætera commemorans, duodecim illam fundamentis innixam fuisse, ac duodecim lapidibus pretiosis, velut basibus inædificatam (*& murus ciuitatis habens fundamenta duodecim,*) occasionem Patribus dedit existimandi, Ecclesiam ciuitatis nomine denotari, in duodecim vero lapidibus fundamentalibus duodecim nostros Apostolos intelligi, qui reuera velut duodecim quædã gemmæ pretiosæ ac lapides, & rupes infractæ, prima Ecclesiæ fundamenta exstitere. Videte quid eorum vni dictum sit, sed omnium principi, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

12. Apocalypticæ ciuitatis fundamenta

12.Apostolorũ typus.

Matth.10.

At qui fieri potest, dicet quispiam, vt duodenarius hic numerus Apostolos figuret, cũ plures quã duodecim exstiterint, imo & quatuordecim inueniuntur, nisi Paulũ & Barnabam Apostolos fuisse negemus, quod tamen dici nequit, nisi veritati aduersari velimus? Christus quoq; apud Marthæum Apostolis iudiciariam potestatem promittens ait: *Sedebitis vos super sedes duodecim iudicantes, &c.* Hoc quidem duodecim Apostolis dictum est & promissum Quid vero Paulo & Barnabæ fiet? vbinam duo illi sedebunt? quosnam iudicabunt? Ad exactam difficultatis huius solutionem notandum est primo sæpe in scriptura tam accuratam numeri vbique rationem non haberi: vt cum in Apocalypsi dicit, *Duodecim millia signati*, qui numerus pro maiori capacioriq; accipitur. Item apud Danielem, *Millia millium ministrabant, &c* quo loco numerus certus & finitus pro incerto & infinito ponitur.

Matth.19. Nota.

Apoc.7.

Dan.7.

Deinde, quod quamuis Apostoli in prima vocatione, & iuxta decretum Christi duodecim duntaxat electi essent, qui numerus perfectus est & vniuersalis, & deinde alii ad eundem accederent, numerus tamen illi semper idẽ, qualis fuit initio, manserit, nec mutatus sit. Quod & alio exemplo probo. Nõnisi duodecim filij fuere Iacob, qui in duodecim diuisi fuere tribus; at cum Iacob benedictionem filiis Ioseph daret, tribũ Ioseph in duas alias subdistinxit, Ephraim scilicet & Manassis, atque ita tredecim fuere tribus: tamen nonnisi duodecim fuisse reperiuntur Patriarchæ, quẽ numerum scriptura secuta, & semper sequẽs, quamuis hæc accederet appendix, nunquam nisi de duodecim tribubus locuta est. Deinde ex omnium actorum Doctorumque testimonio constat, septuaginta duos sacrorum Bibliorum interpretes fuisse, at quoniam numerus hic fractus & imperfectus videtur, ideo duorum aliorum nulla, sed non nisi septuaginta habetur ratio, quod numerus is rotundus, nobilis, & altero sit perfectior.

Genes.48.

At figuras iam producam, quæ hoc quod hic de Apostolis dicitur, facient manifestius. Salomon thronum constituit eburneũ eumq; auro conuestiuit, duodecim, sex hinc & illinc sex leunculi erant, sed inferne duo maiores, quibus tota throni moles incumbebat. *Et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas.* Thronus hic eximium Christi thronum, qui est

3.Reg.10.

est Ecclesia, denotabat, duodecim illi leunculi duodecim Apostolos; & duo leones maiores, totam molem & pondus sustinentes, Petrum & Paulum; atque hoc modo duodecim erunt simul & quatuordecim. Certum enim est, duos illos Apostolos, vt de cæteris hic taceam, fuisse leones maiores, quorum rugitus, id est, vox & prædicatio per vniuersum fuit mundum exaudita.

Petrus & Paulus comparati duobus leonibus grandioribus.

Num. 13.

Mosem duodecim exploratores terram promissionis exploraturos è deserto misit, sed inter illos duo eminuere, Iosue & Caleb. Hunc in modum duodecim Apostoli velut duodecim exploratores per vniuersum orbē dispersi sunt (*Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ,*) vt animas in cœlum deducerent; sed inter illos duo exstitere duces, qui populum, id est, Ecclesiam, ab vno polo ad alterum conduxere, Petrus sc. & Paulus, duo præfecti bellici, duo principes terræ, ac duo fidelium duces.

Item Iosue & Caleb.

An non vidistis in Isaia duos illos generosos & validos equites, qui terram Babylonis euerterunt, & omnia illius simulacra solo prostrarunt? *Et vidit currum duorum equitum, &c. & dixit, Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.* Mea quidem sententia duo duces hic denotantur, qui Romam, quam S. Ioannes in Apocalypsi Babylonem nuncupauit, inuaserunt, & totiamq; varia illius idola ad terram deiecerunt.

Isai. 1.

Denique ambo Ecclesiæ Romanæ fuere præsides, ambo faces religionis, quæ ab Oriente in Occidentem vsque rutilarunt, ambo Catholicæ Ecclesiæ oculi, ambo tertio decimo Imperij Neronis anno eodem die, eodemque anno, hic cruci affixus, ille capite diminutus, Romæ sub crudelissimo tyranno occubuere. Quorum anniuersariam memoriam hodie vniuersa celebrat Ecclesia, in vnius honorem decantans, *Tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Vt vero vtriusque præconia ac laudes referam, primo Petri panegyrim celebrabo, deinde ad Pauli laudes descensurus, & in duplici hoc subiecto duplicia videre dabitur mirabilia.

I. Petrus & Paulus eodem die mortem subiere.

II. Principio cum de Petro loqui propono, de principe me Apostolorum loqui credatis velim, de Ecclesiæ vertice, de Iesu Christi vicario, de regni cælorum ianitore, de mysteriorum diuinorum dispensatore, de petra fidei, & Mosis successore. Omnes hosce titulos Ephesinum mihi Concilium suggessit, quod de sancto Petro loquens, aliisque eum comparans Apostolis fontem illum appellat, cæteros vero riuulos ab hoc fonte deriuatos; ipsum arborem; cæteros vero ramos; asseritq; hunc solem esse, cæteros vero non nisi radios, qui ab eo procedunt. Adeo vt qui naturam in Petro consideraturus est, illud Psalmographi hic locum habere sit confessurus, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*; in quantū enim homo, Angelis est inferior, quod vero totius Ecclesiæ illi sit cura concredita, omnibus est Angelis dignior & excellentior. Et ratio est manifesta: Angelis enim inferioribus singuli commissi sunt homines, *Angelis suis Deus mandauit de te*, Archangelis vero familiæ & ciuitates, principatus, prouinciæ & regna; at nullus Spirituum cœlestium & beatorum totius orbis curam habuit; vni soli Petro inter mortales honor hic & dignitas reseruata erat. Ideo illi dictum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

S. Petri epitheta.

Psal. 8.

Ioan. 6.

Merito & iure hic illi soli primo & præalijs honos est habitus; nam & ipse primus fuit, qui cū audisset Christum dicentem, *Nunquid & vos vultis abire?* abitionem hanc & separationem veritus, secumque quam primum perpendens, quot damna secum traheret; magno zelo & affectu ait; *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Primus quoque Christum Dei filium esse confessus est, *Tu es Christus Dei viui.* Primus magna constantia, & ingenti amore flagrans in mare se deiecit aquis inambulaturus, quo ad Christū accederet. Primus periculis sese offerens & ingētem erga Dominum amorem ostendens, libere ait, *Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire.* Primus ipse in Dominicæ passionis conflictu & concertatione manum gladio admouit, aduersus integram militū & armatorum cohortem dimicaturus, & eorum audaciam ab herili capite defensurus. Primus denique sine vllo metu ac formidine se-

Matth. 16.

Matth. 14.

ne sepulchrum Christi post resurrectionem ingressus est ; ideoque merito ceteris exclusis primatus Ecclesiæ illi dátur , *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.*

Gen. 2. S. Petrus costæ Adæ persimilis.

Quis vero dubitabit, quin hoc Geneseos testimonium , *Ædificabit Dominus costam, quam tulerat, ex Adam* , hic vsu veniat? Christus , nouus Adam est ; Eua , Ecclesia ; Petrus autem costa est ; primum & proximum Christo membrum , cui Ecclesia inædificata fuit. Audite promissum; *Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam , &c.*

Gen. 28.

Iacob Patriarcha locum designans, in quo Deo suo oratorij & titulum exstrueret, lapidem vnum è mille alijs delegit , quem erexit in titulum, *Tulit lapidem , quem suppo-suerat capiti suo, & erexit in titulum.* Christus verus quidam Iacob fuit , qui ædificium Ecclesiæ suæ , quæ in cultum & obsequium suum cederet, exstructurus, lapidem hunc præ alijs, etiam præ cæteris Apostolis delegit, eumque in titulum Ecclesiæ erexit , Petrum seligens, qui fundamentum & lapis fundamentalis foret , *Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Dan. 2. S. Petrus comparatus cum lapide Nabuchodonosoris statuam comminuente.

Danielis secundo capite de lapillo quodam sermo est , qui summo montis vertice delapsus, statuam Nabuchodonosoris in frusta comminuit , qui deinde coalescens in montem magnum excreuit, adeo vt vniuersam terram replerit , *Lapis autem , qui percusserat statuam factus est mons magnus , & impleuit vniuersam terram.* Mysterij huius aliam expositionem ne quæratis auditores, lapis hic Petrus noster fuit , qui lapidis in morem à Iesu Christo , qui toties in Scriptura mons dicitur quo ad electionem, vocationem, prædestinationem, missionem, & authoritatem deuolutus , paganismi & idololatriæ statuam comminuit & euertit : ipse siquidem superbam & triumphantem illam Romam pessumdedit ac subuertit; quique initio exiguus, vtpote qui nonnisi piscator esset, sed mox adeo excreuit, itaq; magnus effectus est : vt mons factus , vniuersam terram repleuerit : nam Christus Vicarium eum suum constituens, plenam ei in orbem vniuersum potestatem & auctoritatem dedit, adeo vt illi adaptari fecerit, quod de se dicitur apud Psalmographũ: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam , & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 8.

Dauid Propheta de afflictionib. & ærumnis suis loquẽs petrę cuiusdam meminit: quæ illi solatio & robori erat , & quantum afflictiones aduersitatesq; illum deijcerent & ad terram deprimerent , tantum ab hac petra se erectum & exaltatum refert : *Dum anxiaretur cor meum , in petra exaltasti me.* Qui propius verba illa considerarit , quamprimum sibi ea non ad solam principis huius personam , sed vlterius etiam se extendere persuadebit. Credendum igitur, Ecclesiam per Prophetæ huius os loqui : quamuis enim ipsa varias persecutiones perpessa sit, & indies etiam perpetiatur, non ideo tamen animũ despondet , quod firmæ cuidam petræ innixam se norit, & si hæreses ac aduersi turbines illam diuexent & affligant, lapis hic cui inædificata est, & in quo erecta , consolationem illi & robur suggerit; *Tu es Petrus , & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Petrus autem dicitur, vt hinc Ecclesiæ constantia & infractum robur, vtpote quæ rupi inædificata, denotetur: dum enim Ecclesia de re aliqua petræ inædificata loquitur, denotat eam stabilem , firmam & tutam esse, *statuit supra Petram pedes meos,* id est , cogitationum mearum, qui sunt animæ pedes , statum firmum & stabilem reddidit : cumq; ante errarent , & huc illucque vagarentur , jam quietæ , fixæ & constantes sunt. Ita quoque de Ecclesia credendum est super Petram hanc exstructa , atque è Petra hac de firmitate , constantia , & infallibilitate augurandum. Psal. 39.

Refert quidam plurimas , haud procul à Delo , insulas magno terræ motu concidisse & euersas esse ; tam inquam magno, nulla vt domus, fanum, palatium, arx foret, quod non solo æquaretur , excepto quodam veteri, quod rupi erat inędificatum, quod integrum permansit, & omnem naturæ & terræ motus violentiam elusit. Idem quoque de Ecclesia, magno illo Dei templo cogitandum, quãuis enim fractus illabatur orbis, quamuis omnia persecutionum & tyrannidis violen- Epaphus lib. 17.

tia

tia sursum deorsumque ferantur, non est quod metuamus, ne regium hoc ædificium ad terram collabatur, nimis enim firmum & fixum est, vtpote quod Petræ illi veteri, Petro, inquam, Apostolo, inædificatum est, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Liuius. Romani etiam, teste Liuio, cum quid firmum & perpetuum stabilire vellent ac constituere, per lapidem iurabant, quem in altũ sustollebant, deinde in terram dimittebant. Pagana hæc fuit & vana superstitio, sed tamẽ hinc eruo; Christum, cum Petrum velut Petram & fundamentum Ecclesiæ statueret, tacite innuere voluisse, constantiam illius & firmitatem nulli aduersitati persecutionique succubituram, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Cap. 3. Docet nos Ecclesiastica historia, Ieremiam Prophetam, cum Ierosolymitani templi destructionem præuideret. Arcam Testamenti & quidquid eadem contineretur, inde sustulisse, eamque in rupe quadam collocasse, Deum postulando, illam vt tueri & conseruare dignaretur. Iesus Christus Prophetarum Rex id omnino, de Ecclesiæ salute solicitus, fecisse comperitur; cum enim persecutiones & aduersitates mundi præuideret, in summo potentiæ suæ monte eam collocauit, cum ipsa *ciuitas sit super montem posita*, vt ait Euangelium, eamque in petra & rupe ædificauit, Deum æternum orans, fundamentum hoc numquam vt fatiscat aut collabascat, atque Petri fides numquam deficiat, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Sed audite & alia de petra & rupe mirabilia.

Exod. 17. Num. 20. Olim in deserto è rupibus Sinai aqua prodigiosa erupit, quæ omnes Hebræos per castra siti propemodũ enectos recreauit; quodque longe mirabilius, numquam eos petra hæc deserebat, sed perpetuo eos sequebatur, donec in terram promissionis venissent. Deut 8. Testem habeo Paulum, qui ait, *de consequente eos Petra.* 1. Cor. 10. Petrus vera illa petra exstitit, è qua salutaris illa fidei & doctrinæ aqua erupit, quæ veros Ecclesiæ filios numquam deseret, sed semper comitabitur.

1. Reg. 17. Lapis è manu Dauidis profectus Goliadæ vitam abstulit, Philistæos consternauit, & vniuerso Israeli honorem attulit, pacem peperit, ac res illius in tuto collocauit. Et ecce hic ipse, qui nomine Petri dicitur, veri Dauidis, id est, Iesu Christi manu impulsus, Satanam inferni Goliam debellauit, hæreticos profligauit, atque omne Ecclesiæ regnum quiete & gloria beauit, ac securum reddidit. Audite, an non hoc vere ita se habeat, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meame*

Omnia legis veteris sacrificia super viuum lapidem offerri voluit Deus: quo præcepto tacite significabatur omnia sacrificia nostra, vota, deuotionesque super fidem Petri, id est, in Ecclesia, fidei gloriosi huius Apostoli inædificata offerri debere; *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sacrificia vetera super lapidem offerebantur.

Zacharias Propheta vidisse se ait lapidem septem instructum oculis: *Super vnum lapidem septem oculi.* Scio hoc vulgo à plerisque de Christo intelligi: sed cur non communicatione quadam & mutua dependentia de illo intelligatur, de quo dictum in Euangelio, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* septem porro oculi septẽ dona Spiritus sunt, quæ illi data fuere; numerus vero septenus, qui pluralitatem includit, plenitudinem scientiæ & potentiæ, quæ in capite omnium fidelium apparebat, denotat. Zach. 3.

Isaias Propheta ostendere volens, quanti Pater æternus vnicum suum faceret filium, quantique ab Angelis fieret, quæ illi data sint dona, & imprimis quod Ecclesiæ suæ fundamentum fecerit, declarat, *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Quem locum Hieronymus, Cyprianus, & Eusebius Alexandrinus ad literam de Iesu Christo intelligunt. O mirabilia! ô dignitatem! Eadem quæ Pater æternus filio suo dedit, Filius deinde Petro cõtulit, dicens, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; nam illum in fundamentalem & angularem Ecclesiæ suæ lapidem delegit. Isai. 28. Matth. 16.

Idem ignis lutum indurat & lapidescere cogit, vt in tegulis & lateribus manifestum est, qui cocti in magna celsaque coaptantur ædificia, eaque sustinent; alias etiam lapides durissimos emollit, & in calcem conuertit. Ignis pectras emollit, & lutum indurat.

Ignis sancti Spiritus Paulum petra duriorem emollit, sed petra scandali & offensionis, eumque adeo mollem & flexibilem reddidit, vt morigerum se præbens dixerit: *Domine quid me vis facere?* Petrum vero adeo mollem ac fragilem initio in durissimum lapidem conuertit, cui tota posset Eccl. siæ moles incumbere, iuxta illud: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Actor. 9.

III. Hinc magnitudo & maiestas Petri, simul & clauium, quas ei Christus Dominus contulit, colligi potest. Propheta Isaias Messiæ excellentiam exaggeraturus, velut insigne quiddam refert, patrem æternum diuinorum thesaurorum illi claues tradidisse: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius aperiet, & non erit qui claudat; claudet, & non erit qui aperiat.* Eandem ob causam ipse Vicarii Messiæ huius magnitudinem extollere potero, cum idem, quem Deus Filio suo honorem dedit, à Filio vicissim Vicario suo collatus sit, easdem scilicet claues Petro dando, *Tibi dabo claues regni cœlorum.*

Isai. 22.

Apud auctorem aliquem scriptum me legere memini, moris fuisse, vt cum alicui prouincia aliqua mandaretur, clauis ei daretur, gleba terræ, lapis, & septem nummi: clauis potentiæ erat Symbolum; gleba regni; lapis constantiæ; nummi media, quibus officium suum & munus exequi poterat, designabant. Christus Ecclesiæ suæ gubernationem curamque Petro concredens, eamdem seruasse videtur consuetudinem, & inter cetera claues illi velut auctoritatis & potentiæ symbolum in manus dedisse: *Tibi dabo claues regni cœlorum.*

S Petrus Iano comparatus.

Statua Iani apud veteres binas eodem in capite habebat facies, & manu gestabat claues, petræ impositæ, atque hic inter ceteros deos Romæ plurimi fiebat. Crediderim Deũ Romanos hac figura docere voluisse, quam illis suo tempore daturus esset religionem, & præsertim quidquid ad Petri auctoritatem spectaret, quem ad tantum eleuare honoris culmen voluit, vt Ecclesiæ suæ claues dederit, & solidæ eum petræ imposuerit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo, &c.* Illum quoque omnium Apostolorum maximum & celeberrimum reddere voluit; binæ facies potestatem, quam habebat in terra, quodcumque vellet circa peccatorum remissionem decernendi, & in cœlo, vbi sententiæ & decreta illius vt rata habentur, designabant: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueris super terram, &c.*

Petrus collegij Apostolici Princeps.

Cum igitur cœli claues vni Petro & non alijs concessas video, risu digni & ludibrio mihi iure videntur illi, qui persuadere conantur, Apostolos omnes auctoritate, potestate & iurisdictione æquales fuisse; quare aliam viam insistens, Petrum vltra alios prærogatiuam aliquam & priuilegium habuisse assero, & collegij Apostolici caput & Principem extitisse. Vt vero me magis intelligatis,

Nota.

notari & obseruari velim, claues Ecclesiæ, quæ potestatem & Ecclesiasticam Prælatorum iurisdictionem significant, duplici ratione capi posse, tum secundum vsum, tum secundum rei proprietatem: quo præsuppositio dicendum omnes Apostolos Ecclesiæ claues habuisse, vt ijs vterentur; at Petrum eas sibi proprias nactum esse. Ceteris quidem Apostolis à Christo promissum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed hic vsus dumtaxat clauium est: at nusquam legitur claues alteri dedisse, sed soli Petro, *dabo tibi*, & non, *vobis claues regni cœlorum.*

Simile.

Quod similitudine quadam ostendam clarius: Paterfamilias cum foras proficiscitur, seruorum fidelissimo vniuersæ domus & omnium thesaurorum claues relinquere solet, vt de ijs disponat, vti herum dispositurum nouit, si domi præsens adesset; non tamen ideo vetuit, ne alij eisdem vti possent clauibus, sed permisit earum vsum tum in exeundo & introeundo, tum in claudendo & aperiendo, modo nihil noxium domum aut ingrediatur aut egrediatur. Pater ille familias, de quo toties in Euangelio sermo est, Christus est, qui *in longinquam regionem profectus*, domus suæ, id est, Ecclesiæ claues fidelissimo suo discipulo Petro concredidit, ea tamen conditione, vt alijs Apostolis ijsdem, si quando necessitas cogeret, vti liceret.

Solus Pontifex supremam habet & iu-

Ad solum igitur Petrum clauium spectat proprietas, ad alios Apostolos vsus illarum tũ taxat; Papę igitur soli suprema auctoritas

iurisdictionem.

& iurisdictio competit; Episcopi & Sacerdotes, qui eodem insigniti sunt charactere, vel etiam cum extensione aliqua, eamdem non nisi delegatam & subalternam habent. Atque hæc inter Apostolos & Episcopos est differentia, quod illorum iurisdictio per vniuersum orbem generalis esset (*Ite in mundum vniuersum*,) quod temporis ratio & Euangelij prædicatio id ita requireret; at horum limitata & intra diœceseos limites constricta.

Adeo vt Petrus sine vlla difficultate, nisi aliqua subesse forsan videatur ijs, qui hæresin sapiunt, auctoritate primus sit, vt egregie ac valide sanctus Bernardus defendit, hoc vsus argumento, *Cui vnquam Apostolorum dixit Christus, Pasce oues meas, Tibi dabo claues Regni cœlorum, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Quod ille argumentum à Paulo Apostolo est mutuatus, qui dignitatem Iesu Christi omnium Angelorum dignitati antepositurus, ijsdem pene vsus est verbis: *Cui vnquam Angelorum dixit Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Atque vt Paulus hic probat Christum Angelis superiorem exstitisse, quod nulli eorum concessum sit, Dei filium dici, ita Bernardus efficere & probare contendit & ostendit, Petrum caput & superiorem esse & quid maius ceteris Apostolis, nemini enim quam huic claues regimen & administrationem dedisse Christus comperitur, atq; hoc est, quod Apostolum hunc præ alijs excellentem & apud homines admirabilem reddit.

Hebr. 1.

1. Mach. 15.

Scriptum in Machabæorum libro legimus, Athenobium Antiochi Satrapam cum Hierosolymam legatus venisset, & Pontificis Iudaici Simonis honorem, gloriam & maiestatem vidisset, obstupuisse, *& venit Athenobius amicus Regis in Ierusalem, & vidit gloriam Simonis & claritatem in auro & argento & apparatum copiosum, & obstupuit.* Aurum & argentum, & maiestas Pontificis Iudæorum legatum hunc in admirationem trahebat; sed nonnisi terrena & caduca hæc erant. At hodie magis totus orbis obstupescat, cum alterius cuiusdam Simonis Petri, summi Sacerdotis vel Pontificis Ecclesiæ, gloriam, & honorem contemplatur; at gloriam, quæ non in rerum vanarum & temporalium apparentia, sed in omni virtutum genere & potestate admirabili consistit. Et sane quis non obstupescat, vbi piscatorem indoctum, imperitum & inopem cœlorum claues videt gestantem, & animas soluentem & ligantem? O fortunam admirabilem!

Gloria S. Petri collata cum gloria Simonis Pontificis Iudæorum.

Purpuratus Aman, qui inter cæteros Satrapas ita à Rege Assuero sublimatus erat, vt primus in Regno à Rege foret, adeo superbire & insolescere cœpit, vt Rex Esthere in sponsam cooptata, illum aula pellere, & pauperem Mardochæum & alienigenam in locum illius subrogare fuerit coactus; quod omnes regni principes non patum sunt admirati. In Iudæorum Synagoga, cum summus Sacerdos, primus in sacris Princeps, adeo arrogans & insolens factus esset, vt aduersus suum Regem Christum, quod potens hic Monarcha Ecclesiam per Estherem designatam sibi connubio copulasset, conspirarit, odium & indignationem incurrit, honoribus & omni prærogatiua fuit priuatus, & inops Petrus in illius locum suffectus; quæ mutatio omnem & hominum & Angelorum aulam in admirationem rapuit, & omnia etiam mundi regna coegit obstupescere, cum illum ad tantam dignitatem & amplissimos honores euectum, tanta auctoritate potestateq; donatum, vt diuinæ propemodum par sit ac respondeat, cernerent.

Esth. 7.

Dixit olim dilecto suo Iob potẽtiam suam declarans Deus, *Si habes brachium sicut Deus, & simili voce tonas, circũda tibi decorem, esto glorioſus, & in sublime erigere.* Hoc sane nomine gloriari potest S. Petrus; Habet n. brachium S. Petrus diuino persimile; nam cum in terra versatur, brachium adeo longum & potens nactus est; vt oues pascat in terra, cœli portas aperiat, & indulgentias ad vsq; purgatorium destinet. Deinde voce tonat simili diuinæ, nam Deus. Dei vox hæc est: *Remittuntur tibi peccata tua;* eadem etiam est Petri, nam hæc illi authoritas & potestas data est, *Quorum remiseritis peccata, &c.*

Iob. 40.

eamdem pene vocẽ & robur habet quod Deus.

Luc. 5.

Gen. 39. Ioseph Patriarcha fortunæ suæ felicitatem & auctoritatem, qua in domo Putipharis Domini sui pollebat, extollens, dicebat admirans, *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi.* Quam bene verba hæc Petro nostro accommodari queunt? certe potiori iure quam olim Iosephus dicere potest, *Ecce Dominus omnibus mihi traditis*, &c. nihil enim in magna Iesu Christi Domini sui domo, id est, Ecclesia est, quod non illi traditum sit; omnia illi in manus data remittendorum peccatorum auctoritas, cœli reserandi potestas concedendarum indulgentiarum iurisdictio, ac mille alij fauores & priuilegia.

Angeli D. Petrũ honore affecerunt. Atq; ob hanc prærogatiuam & dona collata Angeli eum colere cœperunt, eiusq; honorem tueri, vt qui illum Herodis carcere eduxerint, & captiuitatis vincula & catenas disruperint, indignum arbitrati, illum captiuum & vinctum teneri, alios qui soluere & in libertatem vindicare debebat. Vniuersa quoque Trinitas magni illum semper æstimauit, reuelauit ei Pater mysteria, quæ carne & sanguine reuelante discere non poterat; Spiritus sanctus peccatorum remittendorum illi potestatem dedit, Filius denique illum Ecclesiæ suæ Principem & gubernatorem constituit: quin & magnitudinem illius declarare volens, ipse apud Matthæum beatum illum pronuntiauit, hoc modo, *Beatus Simon Bar Iona*, idem illi nomen dans, quod in passione repetijt dum illum dormientem compellauit, *Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum?* Quo nomine illi fidelitatem in mentem reuocauit, quam prius Domino suo promiserat.

Matth. 16.

Christus Petrum appellat beatum.

4. Reg. 24. Nabuchodonosor eum tempore Regis Ioachin Iudæam sub ditionem redegisset, Mathaniam sui loco Viceregem constituit, cui nomen Sedechiæ imposuit Nicolaus de Lyra ait, idcirco hoc illi nomen impositum, vt hac ratione fidelitatem illi in mentem reuocaret, quam Regi Babylonio iurasset, vt è libro primo Paralipomenon colligere licet, quo loco illum iuramento astrictum legimus, quotannis stributum persoluturum, atque in iuramenti huius memoriam Sedechiæ illi nomen impositum, id est, iustitia Dei, vt nomen illum iuramenti commonefaceret. Ita quoque magnus ille Regum Rex, Christus, sua inquam natura Rex, postquam vniuersi mundi imperium subegisset, & Monarcha Ecclesiæ iam factus esset, Vicarium & viceregem in terra constituit Petrum, & Simonem illum nominauit eodem ipso tempore, quo fidelitatem illi promisit ac iurauit, atque illum vt Deum & Messiam agnouit: *Beatus es Simon Bar Iona*, vt hoc illi nomen in mentem reuocaret, in hac se confessione fideliter perseuerare, ac numquam à Domini obsequio & dilectione declinare debere.

1. Par. 26.

O gloriose Apostole, quo in laudibus & elogio tuo esse studio succinctor, & hanc panegyrim concludere, quo & plurima dicenda occurrunt, meritis tuis & præconiis omnem eloquentiam excedentibus; Maiestas enim & magnitudo tua concionem superant, & in perfectionibus enarrandis lingua mihi & latera fatiscunt; vnum hoc Bernardi elogium, quod Eugenio successori olim tuo ille occinuit, produxisse satis erit, tibique adaptare, *Age indagemus diligentius quis sis, Sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Apostolorum*; tu in primatu Abel, in regimine Noe, in Patriarchatu Abraham, in ordine Melchisedech, in dignitate Aaron, in auctoritate Moyses, in iudicando Samuel, in vnctione denique & potestate Iesus Christus. Hæc sunt, quæ paucis de Petro dicenda habui, iam ad Pauli panegyrim descendam, quam aggressurum me initio promiseram.

Lib. 3. de consid. c 8.

S. Petri Epitheta.

Si Petri auctoritatem potestatemque admirari potuistis, Auditores, non minus, credo, Pauli doctrinam & scientiam, & quidquid de illo dicturus sum, admirabimini. Ipse namque fuit noui Testamenti prædicator, magnorum mysteriorum interpres, Iudææ Theologus, totius Christianitatis Apostolus, ciuis paradisi, Gentium Doctor, Christi os, Spiritus sancti tuba, vas electionis, & Ecclesiæ cithara.

IV. Error eciũ

Non dicam, ne multis ostendam, Petrum & Paulum Romæ olim fuisse, nam præter-

quam

qui negant Petrum & Paulum Romæ fuisse.

quam quod certum sit, illos hodie sub crudelissima Neronis persecutione mortem subiisse, ipsum adeo clarum ac perspicuum est, atque ita vnanimi totius antiquitatis consensu stabilitum, vt mirer hodie reperiri quosdam, qui hoc in controuersiam vocare audeant, vel de eo dubitare, cum nec Caluinus ipse vmquam hoc negare ausus fuerit, communi omnium, vt fatetur, historiarum veterum consensu conuictus, & sane nugas agunt, dum id à nobis scripturarum testimonio probari volunt: Acta enim Apostolorum iam scripta & finita erant, antequam duo hi Apostoli martyrium consummassent; idcirco hoc scripto mandari non potuit: deinde Apocalypsis de præteritis mentionem nullam facit, sed de futuris dumtaxat. Cum vero nullæ aliæ in nouo Testamento historiæ reperiantur, mirum non est hoc à Scriptura probari non posse.

S. Paulus Apostolus dicitur per excellentiam.

Hic igitur vt verissimo præsuppositio, dico, quemadmodum Petrus magnus fuit auctoritate, & potestate, ita Paulum doctrina, & scientia magnum & eximium extitisse; idcirco per excellentiam & antonomasiam dictum esse Apostolum, & fuit profecto magnus quidam prædicator; omnes enim conditiones & qualitates in concionatore perfecto requisitas, & ad tubæ Euangelicæ perfectionem necessarias in se habuit, quæ ad tria reuocari capita possunt, authoritatem & missionem, doctrinam ac scientiam, denique charitatem; quarum vna vbi defuerit, nihil in Doctore Euangelico esse perfectum potest.

Tria in concionatore necessaria. Gal. 1.

Primo, auctoritatem docendi talem habuit Paulus, qualem nullus vmquam, vtpote immediate ab ipso Deo missus: hocque nomine apud Galatas se iactat & gloriatur. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis.*

Ipsius vero missio velut mixta fuit, id est, partim extraordinaria, quando scilicet Dei manu equo in terram deiectus est; partim etiam, ordinaria, quando hæc eadem ab Ordinario fuit confirmata: nam extraordinarie à Deo vocatus & missus cum esset, Hierosolymam quam primum venit, vt illius missio à Petro, qui tum Ordinarij fungebatur vice, probaretur.

Legitimæ missionis signa.

Notandum hic est, ad veram & legitimam missionem cognoscendam opus esse, vt hæc ab Ordinario confirmetur; deinde ne extraordinaria ordinariæ aduersetur. Ita ipsemet Iesus Christus extra ordinem missus, Synagogæ, quæ velut ordinarius mittere solebat, ordinem non contempsit, sed populum semper docuit, vt Scribis ac Pharisæis, qui tum velut præsules & Doctores super Cathedram Moysis sedebãt, integre ac sincere obedirent. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite.* Quæ perfectio cum Reformatis nostris Pseudo-Euangelicis desit, qui Ecclesiæ prælatis aduersantur & repugnant, dicendum est, missionem illorum nullam esse, ac proinde doctrinam illorum & dogmata suspecta. *Matth. 13.*

Scientia in vero prædicatore necessaria.

Altera in prædicatore requisita dos, est scientia ac doctrina; quomodo enim docebit, si nunquam didicerit: & necesse est doctrinæ aliquod lumen & lucernam in eis esse, qui vitæ iter & semitam salutis aliis errantibus ostendere voluerint? *si enim cæcus cæcum ducere*, & ignorans ignorantem docere voluerit, *ambo*, teste Euangelio, *in foueam cadent.* *Matth. 15.* Non quod opus sit prædicatorem doctum Philosophum esse, aut historicum, oratoremve, sed satis est, si cognitionem habeat Scripturarum, & aptus sit ad populũ edocendum, cum ipsi Apostoli huiusmodi scientias non didicerint. At quoniam iam Deus tam crebra miracula patrare non vult, hinc opus est humaniores illos scientias callere, antequam ad Theologiam accedant: nec par est aut expediens, tartores, sutores, cerdones, aliosque mechanicos, qui nunquam Vniuersitates adiere, nec huiusmodi scientias didicere, cathedram populi docendi gratia conscendere.

Atqui Paulus adeo doctus fuit, tantumq; scientiæ & doctrinæ est assecutus, nullus vt Apostolorum maiorem ampliorem que à Domino acceperit. Testatur hoc Apostolus Petrus, qui in secunda sua epistola tantum doctrinæ & reconditæ scientiæ in Paulinis Epistolis delitescere ait, vt nonnisi doctissi- *2. Pet. 3.*

mi quique eandem intelligant, imperitiores vero non percipiant, *sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam: scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis suis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ instabiles & docti depravant.* &c. Quin & ipse Paulus hoc fatetur, quasi hoc nomine superbiat, & scientia sibi cœlitus infusa, quasi modestiæ limites egressus, glorietur: Idcirco quodam loco ait, *Scio hominem ad tertium usque cœlum raptum, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, &c. & ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, &c. vt sic modeste & demisse de me sentiam, neu ob concessam mihi scientiam extollar. 2. Cor. 12.

Quis porro fuit vnquam Christianus Philosophus, quis Theologus, qui non è Pauli Epistolis reconditam doctrinam hausit? Quis vnquam in sacrarum Scripturarum scientia magnus est habitus, qui non libere confessus sit, è Pauli eam scriptis se mutuatum esse? Dicitur Africæ columen Augustinus, magnum illud Ecclesiæ decus, tria summopere videre optasse, Christum scilicet in terra inter homines conuersantem, Paulum Apostolum concionantem, Ciceronem in Rostris Romanis detonantem. Paulus profecto parem non habuit, qui etiam totius orbis Doctor & magnum Ecclesiæ luminare ac facula extitit. Tria Augustini vota.

Luminaris quoniam mentio facta est, scriptum in Genesi est, Deum in orbis creatione duo magna luminaria condidisse, vnum maius, & alterum minus, illud vt diei, hoc vt nocti præsideret, *Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Primum erat Sol, alterum Luna, faces & luminaria ad mundi conseruationem penitus necessaria. Idem quoque Deus, sed iam incarnatus, in exordio Ecclesiæ suæ duo alia luminaria creauit ac produxit, *Luminare maius*, id est, Petrum, *& minus*, id est, Paulum, primum vt Solis instar diei cognitionis diuinæ inter Judæos præesset, Petrus scilicet; alterum vero, vt ad humilitudinem Lunæ, paganismi & gentilitatis caligini ac tenebris imperaret, nimirum Paulus; qui ambo ad Catholicæ religionis progressum augmentumque adeo sunt necessarij, vt ab eorum lumine & influxu omnia in inferiori hoc orbe & Ecclesia militante dependeat. Gen. 1. Petrus & Paulus velut Sol & Luna.

Qui de Sole & Luna Philosophi olim locuti sunt, non errarunt, mea quidem sententia, cum duos illos planetas, oculos mundi nuncuparunt, ad imitationem oculorum, qui in humano corpore conspiciuntur, atque hoc illos nomine Joan. Chrysostomus nuncupare non est veritus, eiusdem quoque opinionis fuit in Hexamero S. Ambros. Quod illi de mundo, equidem mihi potiori iure de Ecclesia dicere posse videor, & non sine ratione asserere, magnos hosce Apostolos, ambo luminaria maiora, duos mundi oculos extitisse. Atque vt homo nonnisi oculorum adminiculo videt, incedit, & omnes suas actiones dirigit & gubernat, ita quoque vniuersum Ecclesiæ corpus nihil omnino in fide videt, non incedit per viam salutis, nec ea, quæ salutis aut religionis sunt, quam sub horum Apostolorum ductu & auctoritate, procurat aut sectatur. *Hom. 88. in Ioan.*

S. Bernardus duorum illorum Principum terræ laudes & præconia prosecutus, inter cæteros, quibus illos exornauit, titulos ait: *Duo mundi lumina*: præterquam quod conceptus hic illis Christi verbis fundatus sit: *Vos estis lux mundi*, experientia quoque poterit confirmari; nam vt de Petro interim taceam, quæ fax, quis oculus, ecque lux fuit Paulus? ecquam claritatem, quem splendorem, quem fulgorem luna hæc per gentilitatis tenebras diffudit? Quis populus adeo barbarus, quæ natio incognita & abstrusa, quis mundi angulus adeo remotus, qui de scientia illius, virtute & vita loqui non audiuerit? *Ser. de laudibus Petri & Pauli.*

Vndecimo Apocalypseos capite, duo candelabra aurea, semper ardentia, & coram diuina maiestate in terra collucentia describuntur: *Et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia* Quorumdam Patrum opinioni innixus dicere non verebor, per duo hæc candelabra duos hosce Apostolos designari, qui à primo vocationis suæ die, prædicatione & vitæ conseruatione, coram vniuerso mundo in medio Ecclesiæ lucere ac fulgere non *Apoc. 11.* S. Petrus & Paulus candelabris Apoc. comparati.

non cessarunt. Ecquod candelabrum fuit Petrus? ecquod Paulus? Certe de ipso illam Christi sententiam repetere licet: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Nam lampas hæc virtutis & doctrinæ, quæ in illo accensa erat, abscondita non fuit, aut sub modio collocata, sed velut in sublimi candelabro posita, per omnia loca lumẽ sparsit, & ab omnibus, qui in domo Dei, id est, Ecclesia commorabantur, visa est.

Item duabus oliuis Zachariæ. Psal. 18.

Zacharias Propheta de duabus oliuis locutus est, quas vidisse se ait, è quibus oleũ ad lampadem quandam fouendam effluebat: *Et duæ oliuæ super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Cum visionem hanc diligenter mecum perpendi, & omnes illius partes examinaui, si per lampadem intelligere liceat Ecclesiã, vtpote quæ visibilis sit, ac de qua dictum a Psalte: *In Sole posuit tabernaculum suum*; dicere audebo, per duas hasce oliuas duos Apostolos nostros commode exponi posse, illi enim sunt duæ illæ oliuæ, quæ virtutis, charitatis, prædicationis, doctrinæ oleum suppeditarunt, quod Ecclesiæ lampadem etiamnum lucidam & resplendentem reddit; Paulus præsertim, qui ad mysteriorum claritatem, olei & lactis virtutum plurimum, ad enutriendos fideles subministrauit.

Cant. 7.

Quin amplius hanc materiam prosequendo, huc etiã trahem, quod in Canticis sponsa dilectum suum allocuta dixit: *Statura tua assimilata est palmæ & vbera tua botris.* E quo inferre licet, quod quemadmodum sponsus vbera habet, sponsa, id est, Ecclesia non minus habeat, sed gratiæ, scientiarum, doctrinæ, aliarumque perfectionum lacte plena: duo porro hæc Ecclesiæ vbera Apostoli nostri sunt, qui velut duo vbera plenissima ac turgentissima vniuersum orbem scientiæ & doctrinæ lacte enutriere, Scriptura hunc conceptum suggessit ac confirmat: audite enim, vt Petrus vber suum exercens clamet, & omnes ad lactendum inuitet, *Quasi modo geniti infantes lac cõcupiscite.* Videte quoque, vt Paulus Corinthios prædicationum suarum lacte enutriisse se glorietur, *Lac vobis potum dedi, non escam, &c.*

1. Pet. 2.

Cur vero putetis Paulum prædicationes suas lacti assimilasse? anne ob verborum qua vtebatur suauitatem? anne ob candorem & vitæ innocentiam, cuius lac est symbolum? anne ob teneritudinem, imbecillitatem & infirmitatem illorum, quos imbuebat, quiq; fortioris & durioris escæ capaces non erant? Verisimilia quidem omnia hæc: sed tamen alio illum respexisse crediderim, cuius conceptum ac mentem vt intelligatis, memineritis oportet Deum per Prophetam Esaiam omnes ad bibendum inuitantem, his vsum verbis, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite gratis vinum & lac.* Trium hoc loco liquorum habetur mentio, aquæ, vini & lactis, quæ tria triplicis etiam scientiæ & cognitionis sunt symbola, naturalis, humanæ ac diuinæ. Per aquam igitur naturalis scientia intelligenda venit, per vinum humana, per lac vero diuina. Paulus itaque vt se non naturalem, vel humanam scientiam, sed diuina omnia, quæq; ad fidem, Religionem & animarum salutem spectarent, edocuisse ostendat, nonnisi lac illis in potum se dedisse, id est, nonnisi diuina docuisse testatur. Exclamabo igitur, ô magnum, sanctum & admirabilem prædicatorem?

1. Cor. 3. Esai. 55. Triplex scientia.

Sed pergamus in concionatoris dotibus recensendis; tertia quam in Ecclesiaste requiri perfectionẽ declarauimus, zelus est & charitas; per hanc enim vir probus constituitur, cæteri quidem doctum illum efficit, at sola charitas bonum; quicumq; hac virtute concionator fuerit destitutus, flocci non fecerim. Audite, vt hoc Paulus noster confirmet, & suo exemplo manifestet, *Si linguis hominum vel Angelorum loquar, charitatem autem non habeam, nihil sum:* id est. Quamuis angelica insignitus essem eloquentia, & Cherubinorum donatus scientia; si vnica mihi defecerit charitas, doctrina mea & prædicatio nihil omnino est.

V. Charitas concionatori necessaria. 1. Cor. 13.

Quis porro maiorem feruentioremq; charitatem ostendit quam Paulus; vtpote qui anathema pro fratribus suis esse optarit, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis &c.* in quo te imitatus est Domine animarum nostrarum Redemptor, qui pro.

Rom. 9. Gal. 3.

pro nobis maledictum, vt Prophetæ & Paulus noster testantur, fieri non exhorruisti, *Factus p o nobis maledictum.* Rom. 8.

Duplex in anima illius æstuabat charitas, hinc erga Deum, illinc erga proximum Prima exclamare illum cogebat, *Quis nos separabit à charitate Christi?* aut ab obsequio illius abstrahet: Esse tradit Plinius lapidem, quem qui de lapidibus scripsere, Arestim appellant, qui vbi semel in ignem coniectus fuerit, & ignitus fuerit, aqua vel vento aut alia quapiam ratione nequit extingui. Hunc ita Poëta descripsit:

Ferreus hic color est, naturæ mira potestas,
Nam semel accensus susceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit.

Talis reuera Paulus noster extitit charitate & amore erga Deum inflammatus: cum enim semel cor eius cœlesti hoc igne succensum esset, nulla id formido, pauor nullus, nullum tormentum aut persecutio quæpiam ipsum extinguere potuit.

Magna Pauli charitas erga Deum. Gal. 2.

Adeo siquidem anima illius æstuabat, & cor ita charitate accensum erat, vt diceret non se, sed Christum in se viuere, quem velut alterum se complectebatur, *Viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Verumque axioma hoc in se fuisse ostendit, quo dicitur anima magis esse, vbi amat, quam vbi animat; eius enim anima magis cum Christo in cruce erat, quem ex toto corde & mente diligebat, quam apud illud in proprio corpore, quod animabat & viuificabat.

Magna charitas illius erga proximum.

Propter charitatem erga proximum quot regiones peragrauit, quot itinera confecit, quot maria ad animarum salutem comparandam enauigauit? Modo illum Antiochiæ videas, modo Lystris, modo in Pamphilia, modo etiam Romæ, aliisque locis innumeris. Quot ille labores subiit, quot afflictiones pertulit, quot pericula adiit, in quot discriminibus ad Euangelium annuntiandum idololatras conuertendos, versatus est? Audite vt hoc ipse ad Corinthios enarret, *In itineribus sæpe periculis fluminum periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, & in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, &c.* 2. Cor. 11.

Echineis piscículus.

Esse docent naturalium rerum scriptores piscículum echineida vel remoram appellatum, qui maximas in mari sistere naues potest, sale vero conditus si fluuiis, puteis, & mari iniiciatur, aurum ad se trahere, quocumq; demum loco reperiatur. Huiusmodi piscis exstitit Paulus, cumq; remoræ instar tot peccatrices animas in mundi huius mari stitisset, tandem sale tribulationum conditus, aurum conuersionis in mari, fluminibus ac torrentibus mundi, id est, à peccantium cordibus attrahere potuit.

Emunctoria symbola reprehensionum.

Fuit haud dubie magna illa charitas, quæ tantam illi audaciam & dexteritatem in corripiendis peccatoribus dedit. Emunctoria Tabernaculi ex auro fieri iussit Deus, *Emunctoria quoq; & vbi qua emuncta sunt extinguuntur, fiant ex auro purissimo, &c.* Emunctoria symbola sunt reprehensionum, dicere porro mysterium vult, eum qui alios reprehendere vult, totum aureum, id est, charitate plenum, qualis hic Apostolus fuit, esse debere.

S. Paulus non peccauit Petrum coarguendo.

Hæc eadem erat charitas, quæ sanctum Petrum vt coargueret, illi animum dedit, vti in Epistola ad Galatas ipse testatur, *Cum autem venisset Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Est quippe insignis charitatis actus, superiores reprehendere, modo id cum modestia fiat; nec aduersariorum nostrorum blasphemiis hic credendum, asserentium Paulum peccasse mortifere, dum Petro in faciem restitit; hoc enim è charitatis zelo factum est; nec Petrus hic etiam peccauit, qui ad euitandum scandalum Judæos cum Gentilibus conuersari nolebat, nisi forsan hic Petrus venialiter peccarit.

Videte igitur, Auditores, duos Apostolos nostros ambos magnos, vnum auctoritate, alterum prædicatione, qui fidem nos edocuerunt, & modo pro nobis in cœlo intercedunt. Nec petendum est, quomodo, si enim Petrus fraudem & impostura Ananiæ & Sapphiræ cognoscere potuit, imas etiam & intimas cogitationes intueri credendum est multo illum melius faciliusque scire ea, quæ in hoc mundo cõtingunt, & pro nobis Deum Act. 5.

depre-

deprecari, cum nostra negotia perspecta habeat. Longius enim interuallum est inter cognitiones humanas & intima cordis penetralia, quam inter cœlum ac terram. Ac deinde notate quid Paulus dicat, *Ex parte hic cognoscimus, ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est*, id est quidquid hic scimus & cognoscimus nonnisi media & imperfecta scientia est; at in cœlo scientia perfecta futura est. Dicere vult igitur Paulus, Beatos omnia in cœlo videre, quin & illa quæ hic in terra fiunt; finem vero faciam si miraculum illud celebre hic obiter attulero.

In Actibus Apostolorum scriptum est, Petrum & Joannem ascendisse in templum, & ad portam speciosam claudum eleemosynam ab iisdem petiisse, ac Petrum ei dixisse: *Aurum & argentum non habeo, sed respice in nos; quod autem habeo, hoc tibi do, surge & ambula.* Quotquot hic sumus auditores, claudi sumus ad portam templi, id est, Ecclesiæ militantis quæ triumphantis porta & introitus est, iacentes. Fingamus igitur Joannis loco Paulum, & Petrum cum illo hodie templum ascendere; eleemosynam ab illis postulemus, & misericordiam imploremus supplices.

Act. 3.

Omnes hac in vita claudicamus.

Omnes enim claudicamus, si enim ab vno latere incedamus recti, altero sumus claudi, si prælatus hic à latere doctrinæ recte incedat, à latere prædicationis claudicat, eo quod prædicare nolit, si diues hoc quantum ad prudentiam perfectus sit, in misericordia claudicat.

Stipem igitur ab illis postulemus, clamemus post illos supplices & in terram prostrati, ipsi vicissim dicent, *respice in nos*; oculos in nos coniicite, circum vndique nos intueamini, aurum & argentum non habemus, hæc enim contempsimus, *Ecce reliquimus omnia.* Quod autem habemus, hoc vobis damus: quam modo habemus gloriam, vobis offerimus, vobis optamus, & precibus nostris impetramus. Surgite ergo & ambulate. Surgite à vitiis ad pœnitentiam, ad contritionem, perque virtutes & bona opera incedite.

1. Cor. 13.

O glorioſi Apostoli, totius vniuersi lumina, Euangelij buccinæ, religionis axes, Ecclesiæ fulcra, principes terræ, hactenus aurum & argentum, honores & diuitias à vobis postulauimus velut pueri, in orationibus nostris luteas & sputeas domos, vt ait Scriptura, ædificauimus. At cum vos contemplamur, & in vos respicimus, omnia hæc meram vanitatem esse agnoscimus. Petimus igitur eam, quam habetis, id est, qua fruimini gloriam, nō quod vestrum sit eam elargiri, nam *gratiam gloriam dabit Dominus*, sed intercessionibus vestris nobis eam impetrare, precibusq; vestris efficere, vt postquam hic in terra fidem, quam nos edocuistis, integram & inuiolatam seruauerimus, tandem aliquando in cœlo mercedem, & remunerationem nanciscamur, beatitudinem scilicet sempiternam & gloriam sine fine mansuram, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus deducere dignentur, Amen.

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ, Virginis.

Partitio.

1. *De supereminente Deiparæ humilitate.*
2. *De Visitatione, quando & vbi contigerit.*
3. *De causis eiusdem.*
4. *De itinere laborioso per montana, & quid per hoc mystice.*
5. *De præclaris eiusdem Visitationis effectis.*

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, Luc. 1.

FIGVRA.

ARca testamenti, quod trimestri duntaxat spatio in domo Obededom diuertisset, tantam eidem felicitatem attulit, vt benedictionibus omnigenis exinde repletissima fuerit. Designabat hoc iam tum, quod suo post tempore in magni Sacerdotis Zachariæ domo ad gloriosæ Virginis Mariæ aduentum accessumq; erat euenturum. Hodie siquidem videmus, veram illam fœderis 2. Reg. 6.

pacisque arcam, dum cognatam Elisabetham, tam Messiæ præcursore imprægnatam, adit, eiusque in familia aliquanto hæret tempore, omnigenam illi benedictionem caussari, prosperitate, felicitate, & læta sorte cumulare. Elisabeth spiritu instigante vaticinatur, semestris infans matris in vtero exultat, creatura Deum agnoscit, ante ætatem vtitur ratione, ante debitum tempus iudicium adhibet, peccatum originale deletur, in vtero sanctificatio peragitur, gratia communicatur aliaque sexcenta accidunt mirabilia, quæ Spiritus sancti ope inuocata, & gloriosa hac Virgine rogata, vt solito fauoris & auxilij sui fauonio cymbam hanc meam dirigat, recensebo: quare supplices omnes illã cum Archangelo Gabriele salutemus, dicamusq; vnanimes

Ave Maria.

Inter illustris templi Salomonici miracula non postremum, & fortasse primum locum obtinet Arca illa fœderis aurea, eaque non sublime euecta, nec eminenti aliquo magnificoque collocata loco, sed humi & in pauimento sita. Hinc & *scabellum pedum Dei*, & hypopodium eiusdem fuit nuncupata. Primus eam hoc dixit nomine in libris Paralipomenon rex Salomon: *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis, & scabellum pedum Domini Dei nostri.*

3. *Reg.* 6.

1. *Paral.* 28.

Hoc nempe à Patre suo didicerat. Dauid namque, cui primo domus huius fabrica à Deo & inspirata & præcepta fuit, prophetico etiam spiritu ac reuelatione cœlesti didicit, quid in eodem esset templo collocandum, ecquæ eius futura supellex & ornatus, & imprimis arcam hanc in ipsum inferendam, quam exinde pedum diuinæ maiestatis scabellum nuncupauit, eamque proinde ab omnibus adorari posse & debere agnouit, dicens: *Adorate scabellum pedum eius.* Scio hoc ab Allegoriarum, Anagogarum, sensus mystici, aliorumq; tuporum consectatoribus, tum de sacra Iesu Christi humanitate, tum de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento exponi; quæ duo reuera sancta sunt, & summa sanctaque adoratione digna: Sed potissima SS. Patrum pars, literalem sensum secuti, de arca testamenti ipsum explicant.

Psal. 98.

Post duos reges hos magnos, magnus Propheta Jeremias, tertius, hoc scabelli nomine arcam donauit. Plangens namq; futuras Hierosolymitanorum calamitates, & mala, quæ vrbi & templo impenderent, præuidebat, eiusque expilationem vastationemque deplorans cum Deo quodammodo expostulat, tantam abominationem permittente, domum suam impiorum manibus profanari sinente, templi curam quodammodo abiiciente, & scabelli pedum suorum, id est, arcæ, pene obliuiscente: *Non est*, inquit, *recordatus scabelli pedum suorum.* Cum ergo illustrem hanc arcam tanti fecerint Reges, ita suspexerint Prophetæ, tanto quoque Deus honore affecerit, vt pedum eam scabellum elegerit, vnde fieri dicam, vt velut neglecta humi steterit, & non in sublime euecta sit, aut eminenti quodam throno locata.

Thren. 2.

Arca fœderis dicta scabellum pedum Dei.

Sane cum omnia mecum accuratius perpendo, cõperio per arcam hanc humi consistentem gloriosæ Virginis humiliratem denotari, de qua magnus quidam Ecclesiastes hoc locutus est modo: *Sicut nulla posti filiii Dei creatura tantum ascendit in gratia dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profunda* quin & vlterius progressus, audacter nulli vnquam in hoc mundo puræ creaturæ concessum ait, ita creationis suæ nihilum intueri, tamque profunde in humilitatis abyssos penetrare, vnius Dei voluntati se pure integreque subiiciendo, vti Virgini huic, singulari quadam prærogatiua, cœlitus collatum.

D. Bernardus ser. 51. art. 1. c. 3.

Nulla creatura ita humiliata est, sicut B. Virgo.

Idem eamdem virtutem auctor, verbis etiam dignioribus, luculentioribusque exaggerat: *Virgo*, inquit, *continue habebat actualem realitatem ad diuinam maiestatem, & ad suam nihilitatem*, quasi diceret, Virginis contemplationes & profundæ cogitationes erant in forma continuæ relationes; habebant enim pro fundamento humilitatem, & pro terminis correlatiuis infinitam hinc maiestatis diuinæ magnitudinem, illinc vero conditionis suæ nihilitatem.

art. 3. c. 2.

Diony-

De laudibus Virginis lib. 3. c. 17.

Dionysius Carthusianus non minus doctrina, quam vita religiosa notissimus, ad hunc conceptum quam proxime accedens, scriptum reliquit, sanctæ huic Virgini duos semper libros apertos præsentes fuisse, id est, duas faces, & illuminationes interiores. Primus erat amplus ille liber Sapientiæ, in quo quidquid Dei erat, eiusque ad excellentiam attinebat, profunde perspicueq; contemplabatur. Secundus erat liber scientiæ, in quo seipsam, & quidquid naturæ suæ erat, quam perfectissime spectabat. Horum autem librorum lectioni intenta & affixa assidue maxima quadam cum admiratione & extrema reuerentia sæpenumero ad Deum exclamabat, *O Deus meus! quid tu, & quid ego?* Illustria sane profundissimæ humilitatis argumenta.

In expos. Cant. c. 26.

Richardus de S. Victore, magni quoq; nominis scriptor, hac de re agens, ex Virginis huius sanctissimæ humilitatis profunditate gratiæ eius magnitudinem; & vice versa è gratia humilitatis illius elicit excellentiam. Hæc eius sunt verba, loquentem audite: *Quia humilitas*, inquit, *locus est gratiæ Dei, adeo, vt tantum gratiæ capax sit aliquis, quantum fuerit humilis, sicut Virgo virtutem hanc perfecte & totam possedit, ita totam eam gratia implenit, totamq; decorauit.*

Cant. 3.

Deipara Sanctos omnes humilitate superat.

Egregie hoc in Canticorum libro adumbratum, mysticeq; repræsentatum legimus in sponsæ persona: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Certissimum autem est verba hæc de Virgine Deipara scribi & intelligi: illam vero per desertum fumi, & suffitus ex omnigenis odoribus, & thymiamatis compositi ritu ascendere, nihil aliud denotat, quam eam ita solam in perfectionis statu ascendisse, vt nec in hoc, nec in aliis virtutibus, quarum varij hi odores imago sunt, parem habuerit: nam

Nec primam visa est similem, nec habere sequentem, ac præsertim in humilitate.

Cant. 4.

Hinc itidem in eodem Canticorum libro legitur, vnguentorum sponsæ odor omnia terrestria aromata & pulueres pigmentarios exsuperare, *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Omnia porro aromata nihil aliud, quam Sanctorũ virtutes signant, quas omnes sponsæ odor transcendit: Deipara namq; Virgo vniuersos bono vitæ, sanctitatis, humilitatis, omnigenarumque virtutum odore, quamdiu inter mortales egit, longo interuallo superauit. Atque hoc illa modo Dionys. Carthusianus etiam interpretatur: *Tanta*, inquit, *est sanctitas virtutum matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit, imo & totam perfundit Ecclesiam triumphantem.*

In Cant. 4.

Nulla creatura Deiparæ humilitate par exstitit.

Et sane odor, id est, excellentia virtutum ac perfectionum nobilis huius creaturæ præ sanctorũ aliorum virtutibus palmam & laudem meretur, ac præsertim humilitatis. Ecquæ enim creatura tantum se humiliauit, quantum Virgo hæc sanctissima? Angelus è cœlo legatus missus, eam gratia plenam salutat, ipsa ad hęc præconia & salutãdi formulam insolitam turbata, *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Gabriel illam Dei matrem ait futuram, ac proinde omnibus eam creaturis præfert; ipsa è contra mente humili minimam illius clientulam se atq; ancillam fatetur, *Ecce ancilla Domini.*

Ser. 4. super Missus est.

Quam animi demissionẽ miratus S. Bernardus ait: *Non magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus & rara humilitas honorata.* Dicere vult, mirum minime esse, si quis pauperculus, vilis, & infimæ sortis homo se abiiciat, demisseque de se sentiat: sed rarum quid, & prorsus admirabile, inter honores oblatos, laudes, dignitates, pompas, & opes humilem animum præferre. Ergo ex sancti huius viri mente summa Virginis nostræ humilitas mundo paradoxon est, ac cœlo terræq; miraculum. Summe siquidem honorata humilitas est, matrem Dei appellari, ac se nonnisi ancillam facere.

Rarum hũmilitas in honoribus.

Bernar. ib.

Hanc ipsam virtutem cum satis pro dignitate admirari idem scriptor nequeat, hoc exclamat modo: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloriæ nescit? mater Dei eligitur, & ancillam enominat.* Inferte hinc vult, humilitatem tum demum ad summum perfectionis gradũ veniſſe, cum honores oblatos pessumdat, efficirque, vt quis media in gloria ac magnitudine constitutus in suiipsius ac con-

Perfectio est humilitatis gloriã calcare.

ditionis notitiam descendat, & Virginis exemplo laudibus honoribusq; oblatis non insolescat.

Cassianus, vir pius & religiosus hanc Deiparæ humilitatem obstupescens scribit: *In profunda se Virgo detecit, qua inuitabatur ad alta, & à dominatu ad ancillatum animam conuertit & corpus.* Cum omnibus ergo hisce Patribus fatear necesse est, Virginis huius humilitatem maximam exstitisse. Sed talem etiam fuisse maxime oportuit.

Cassianus.

Docet hoc sanctus Augustinus sermonibus de Verbis Domini, *Quanto*, inquit, *erit maius ædificium, tanto altius ponetur fundamentum.*

Serm. 16. de verb. Dom.

Hoc in vsum meum conuertam axioma, & dicam, cum in Virgine construendum esset diuinum illud & summum ædificium, corpus inquam Christi (quod apud Joannem templum dicitur, *Soluite templum hoc*) fundamenta profunde admodum iaci, id est, summam eius humilitatem & profundissimam esse oportebat. cui illustre hoc templū, quod altitudine cœlo terræque æquiualet, Spiritus sanctus inædificaret. Et sane fuit hæc & maxima & perfectissima.

Ioan. 2.

Omnia flumina, inquit Ecclesiastes, *intrant in mare, & mare non redundat*, ipsa tamen flumina facillime ripas ob nimios imbres transiliunt & late stagnant. Illi porro fluminibus persimiles sunt, qui in honorum, dignitatum, diuitiarum, & scientiarum, abundantia, quadam passionum inordinatione, veluti quodam aquarum impetu, aut imbrium affluentia, ilico turgescunt, inflantur, insolescunt, atque inde superbiunt. Sanctissima vero Virgo mari persimilis fuit: etsi. n. omnia gratiarum & benedictonum flumina, qua in creaturam vllam vmquam influxerunt, in animam illius intrarint, nō propterea cor eius inflauit, aut anima in superbiam declinauit: mansit siquidem semper intra sanctæ humilitatis limites, nihilque illam ad quoddam vanæ gloriæ aut insolentiæ eluuium vmquā pertrahere potuit.

Deipara Virgo similis mari nunquam redundāti.

Insigne profecto prodigium foret & non sine miraculo, si mare & oceanus, ingens illa abyssus, & vniuersale aquarum receptalum, intra aliquod se flumen coactaret, & ipsum solito semper cursu ferretur, per agros longe lateque non stagnaret, imo nec alueum suum excederet, nec ripas transiliret. Idem in Virgine nostra factum vobis persuadete, Auditores; videte. n. eam vt fluuiolum quemdam Iudæam permeantem, & vastum illum omnium gratiarum oceanum, & bonorum vniuersorum pelagus, Verbum inquam Patris vnigenitum, in Incarnatione in ipsam subintrare. hic tamen fluuiolus nequaquam inde inflatur, nulla in eo apparet redundantia, eadem semper in ipsa viget humilitas, omnia ita quieta & tranquilla in eius anima, quasi nihil in illa noui contigisset, aut nullum nouum in ea factum esset incrementum.

Illustre humilitatis huius videre argumentum vultis, Auditores? perspcite quid hodierno legatur in Euangelio. Mox ergo vt Angelus Virginem salutauit, eamque Dei matrem est fore pollicitus, quin & gratia plenam pronuntiauit, & in dictorum confirmationem, cognatam illius Elisabeth, iam semestri spatio vterum præter communem naturæ seriem, vtpote sterilem, gestantem in exemplum attulit, minime rata suffiecre ancillam se Domini vocasse, domo ecce sua egreditur, longinquum iter suscipit, montium inuia generose transcendit, cognatamq; carissimam inuisit, quæ ipsa à primariis vniuersæ Judææ matronis visitari colique & merebatur & debebat. Euangelij autem contextus hic est, *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Hac hora matutina hæc ipsa prosequar. primo de visitatione hac tractans, deinde effecta eiusdem seriatim prosequens, & in duobus hisce membris illustria & noua humilitatis videbitis exempla.

Principio igitur indubitatum est; visitationem hanc post filij Dei eius in vtero incarnationem & conceptionem contigisse: an vero antequam dubitaret Joseph, & Virginem in vxorem solenni nuptiarum ritu accepisset, haud constat. Theopylactus namque, Beda, S. Ambrosius & Orig. censent, Deiparam statim ab Angeli discessu surrexisse & cognatam adiisse. S. Augustinus autem in Concordia Euangel. & auctor historiæ

S. Aug. lib. 2. conc. Euang.

riæ Scholast. quin & Euangelii ipse contextus, innuere videntur, Virginem primo cũ festinatione Zachariæ domum trans montana sitam petiisse, cumque ibi trimestri spatio egisset, donec Elisabetha Ioannem peperisset, quarto demum mense vterum gestare Iosepho visam, atque hinc redditum eum anxium dubitasse, num in matrimonio cum eadem celebrando pergeret vlterius, eamque domum duceret familiariter cum eadem victurus; an vero parentibus rem patefaceret, consulturus num hoc in casu eam in vxorem esset accepturus.

Virgo coniugata erat, antequam visitaret cognatam.

Verùm doctissimus Ioannes Gerson, Vniuersitatis huius quondam Cancellarius, alterius est sententiæ, firmiterque asserit eam Iosepho ante nuptam fuisse, quam iter hoc susciperet, & in sponsi domum ritu patrio deductam, & matrem familias exstitisse. Sententiam suam egregiis validisque adstruit rationibus. Primò verisimile non esse, virgũculam illam tenellam & iuuenculam tam arduum minimè suscipere iter, a Nazareth scilicet in Ierusalem montium inuia & prærupte transcurrendo; iter, inquam, propè viginti leucarum ausam fuisse, sine parentum venia, nec valedicendo vicinis ac consanguineis, & imprimis Iosepho sublime hoc incarnationis diuinæ mysterium non communicando; cùm tamen, vt Tobiæ ait Raphael Archangelus, opera Dei reuelare, & confiteri honorificum sit.

Tob. 12.

Iosephi humilitas erga Virginem.

Hanc ob causam, vt nonnulli Doctores opinati sunt, Iosephus vir iustus relinquere clanculo Virginem constituit, ne quod inde crearetur scandalum, non vero publice, eo quod, postquam hoc illi mysterium innotuit, tem demiratus, indignissimum se crederet, qui tam cum tam diuina Virgine familiariter ageret, cum diuo Petro quodam modo dicens: *Exi à me Domina, quia peccator*, & indignus tuo contubernio *sum*, vel cum Centurione, *Domina non sum dignus, vt intres*, tu tam augusta, *sub tectum meum* angustum; vel denique cum sancta Elisabetha, *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?*

Exod. 3.

Respexit hauddubiè ad ea, quæ in veteri Testamento olim acciderant. Meminerat namque, Moysen viso rubum ardere in deserto, non tamen comburi, minimè ausum fuisse propiùs accedere. Meminerat Osam, quod labantem arcam fœderis humeris fulsisset, atque profanis manibus tetigisset, subita morte ac repentina diuinam in se vindictam sensisse. Meminerat bestiam ausam mõti accedere, & vel parum tangentem iussam lapidibus obrui Hinc sanctus hic vir, non ignarus, sanctissimam hanc Virginem verè rubum ardentem, arcam, in qua verum commorabatur manna, item montem, in quo ipse legis auctor sedem sibi fixerat esse, ad eã verebatur accedere, metuebatque ne temeritatis præsumptionisque insimularetur, si quotidiano cum ea contubernio familiarius ageret, seque penitus censebat indignum, qui cum ipsa conuersaretur. Hæc porro omnia è sancti Ioannis Chrysostomi pharetra deprompta sunt.

2. Reg. 6.

Exod. 19.

Altera Gersonis ratio est: Si solenni vxorem ritu Iosephus, iuxta legis patriæ, quin imo gentium propè omnium consuetudinõ ac ritus nuptiales *iam vtero tumescente* (vt quidem ait Origenes) accepisset, ecquod per vniuersam regionem scandalum excitasset? quam triste id parentibus & Iudæis, huius mysterii ignaris, spectaculum fuisset, si iuuẽculam violatæ pudicitiæ reã duxisset? Quin etiam Virginalis hic conceptus diabolum hoc pacto minime latuisset, imo honore ita ipse suum violasset, quin & Virginis nostræ famæ non mediocrem infamiæ maculam aspersisset. Fit ergo verisimile, matrimonio eã ante iunctam fuisse, quam iter hoc molestũ aggrederetur. Verum ecquæ eius suscipiendi sunt causæ? plurimæ, & sane peregregiæ.

2. Ratio Gersonis.

III. Causæ & rationes cur cognatam visitarit Dei para.

Prima visitationis huius causa est, summa gloriosissimæ huius Virginis humilitas, quam hoc pacto manifestare voluit. Certissimum porro est, virtutem hanc semper in ea excellentem fuisse, etiam antequam in Dei eligeretur matrem, vti ipsamet teste discimus, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Verum ex quo ipsum in vtero concepit, maximum ad ipsam accessit incrementum. Ab Angelo enim honorificentissimis illustrissimisque compellata nominibus, summa cum humilitate animique demissione respondit; *Ecce ancilla Domini*, qua etiam matris humi-

Luc. 1.

litate Redemptor ipse gloriatus. Patri æterno apud Psaltem ait, *Quoniam ego seruus tuus, & filius humillimæ ancillæ tuæ*: in quantum enim homo, Deo erat inferior, & Mariæ filius, quæ Angelo nuntiante Domini se ancillam dicebat. *Psal. 115.*

Agar Abrahæ ancilla humilis quidem & dicto audiens fuit, quamdiu Virgo; at vbi se concepisse & vterum gestare conspexit, superbiuit, & aduersus dominam suam se gessit insolentius. Testatur hoc sacra historia, *Concepisse*, inquit, *se videns, despexit dominam suam.* sed longe secus. Virgo nostra; quo quo enim amplioribus afficitur honoribus, eo se deiicit profundius: ac matrem factam esse Dei se videns, adeo se non extulit sublimius, vt etiam cor, animam, affectus, motus, cogitationes modestius magisque demiserit; & cœli terræque regina electa, non minus apparet humilis, quam dum puella dumtaxat erat, nondum mater. *Gen. 16.*

Egregiam rei huius in Esther regina videre erat imaginem & exemplum, cuius humilitati & obedientiæ erga Mardochæum hoc datur elogium, *Quidquid ille præcipiebat, obseruabat Esther, & ita cuncta faciebat, vt eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat.* Id est, Esther iam in reginam assumpta adeo prompte lubenterque Mardochæi iussis parebat, vt dum priuata & alumna eius in domo agebat; honoribus siquidem mores eius, complexio, natura immutata non erant. Fuit haud dubie hæc Estheris humilitas maxima, & modestia inprimis commendabilis, quod regia cor dignitas non immutasset, nec insolentiorem ipsam reddidisset. At longe maior Virginis nostræ fuit: mater siquidem Dei, atque hominum, simul & Angelorum facta regina; adeo non reddita insolentior aut arrogantior, vt è contra maiorem & humilitatem & modestiam & obedientiam prætulerit. *Esth. 1.* Estheris modestia & humilitas.

Dicere solebat Chrysostomus, difficilem castitatem esse inter delicias, & humilitatem inter honores ægre seruari; atque inde haud dubie natum illud prouerbium: *Honores mutant mores.* Verum hoc in Virgine nostra locum minime habuit: honor namque dignitas, amplitudo naturam eius non immutarunt, id Sapientis secuta consilium, *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Altissimo.* *Chrysost.* *Eccli. 3.*

Quam vero sanctissima hæc Virgo à prima omnium muliere Eua alia fuit? quam etiam illi contraria? quanta inter vtriusque naturam differentia? quantum inter sortes vtriusque discrimen? Eua namque ambitione, præsumptione, superbia & arrogantia peccauit; Maria vero semper sapiens, modesta, omnisque expers vanitatis apparuit. Illa ob superbiam fuit humiliata, ac deiecta; hæc autem humilitatis suæ ergo maxime exaltata, quod vt honorificum ac laudabile ipsa deprædicauit suo in Cantico dicens; *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles:* quasi ad Euæ matris omnium calamitatem, suæque sortis commendationem alludens diceret, Eua fœmina potens & ad honores maximos sublimata, propter arrogantiam deiecta est, & in ordinem redacta: & ipsa paupercula, & vilis puella, ob humilitatem meam, & summam Dei bonitatem, maxime sum euecta. Euæ & Mariæ differentia. *Luc. 1.*

Cuius rei insigne Ezechiel Propheta emblema profert: in eo siquidem legere est: *Ego ait Dominus, humiliaui lignum sublime, & exaltauit lignum humile.* verba hæc & obscura sunt, & metaphorica, sed cum re proposita optime coincidunt. Ecquod enim lignum altius, ecqua arbor elatior, quam prima illa Eua? arbor inquam in paradiso terrestri consita, totius vniuersi domina ac regina, virtutum principium, immortalitatis surculus, originariæ iustitiæ thronus. O ingens, opaca ac vasta arbor! fœmina perfectionibus donata, gratiis locuples, benedictionibus affluens, & omnigena imbuta scientia. Verum patulam sublimemque hanc arborem ob arrogantiam & fastum Deus humi prostrauit, & è contra humilem hanc arbusculam, sanctam hanc Virginem, paucis cognitam, extulit & euexit, itaque sublimauit, vt fructus quem protulit ipse sit Deus, iuxta hæc Elisabethæ hodierno in Euangelio verba, *Benedictus fructus ventris tui.* Hæc igitur prima visitationis huius causa exstitit, iam alias proferamus. *Ezech. 17.* Primæ mulieris dotes, & prærogatiuæ.

Theophylactus, inter Græcos interpretes

tes minime postremus, hoc iter excutiens, & Visitationis huius B. Virginis rationem reddens, secundam hanc ait fuisse, vt scilicet certior redderetur eorum, quæ sibi ab Angelo prædicta erant: verebatur enim, ne sibi Angelus imposuisset. Audiamus loquentem: *Abiit*, inquit, *Virgo ad Elisabeth, & gaudens de bono cognata, & volens vt prudentissima, maiore certitudine certior reddi, num vera dixisset, qui apparuerat ei: vt ex hoc ne de suo dubitaret: prudens enim cum esset, timebat, ne forte deciperetur, & non vt incredula, sed vt diligens rem explorare volebat.* 2. Theophil. Luc. 1.

Bonus hic interpres nimium quantum à veritatis scopo aberrauit, quem proinde ceteri Patres omnes, atque inprimis venerabilis Beda in homilijs super hoc festum impugnant, *Intrat Virgo*, inquit, *domum Zachariæ; non quasi dubia de oraculo, quod acceperat*, Et alibi alijs verbis, *Intrat Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli mulieris attestatione probaret, &c.* Quare non, vt verborum Angelicorum veritate certior per cognatam redderetur, eam adiit: certum quippe est, perfecte eam cœlestis illius nuntij verbis credidisse: quam proinde hoc nomine cognata laudauit, *Beata quæ credidisti, quæ dicta sunt tibi à Domino*, &c. Nouerat adhæc eum, qui sibi apparuerat, vere angelum fuisse, & post eius verba ilico se in vtero Dei filium concepisse. Ecquæ ergo circa illa dubitandi ratio exstitit? quid veretur, ne decepta foret, cur maiorem certitudinem aut optet aut exigat? Vnde ita rem soluit S. Ambrosius, & Theophylacti sententiam eneruans, suam hisce verbis confirmat, *Non quasi incredula de oraculo, ne quasi incerta de nuntio, ne quasi dubitans de exemplo, sed quasi lætus pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio ad montana perexit.* Quæ sane verba & verissima sunt, & ad audiendum non iniucunda. Omnino Theophylacti confutata. Ambros. in Luc. 2.

Tertiam visitationis huius causam suggerit Origenes, ipsam scilicet S. Ioannis Baptistæ in vtero sanctificationem. Sanctissima namq; Virgo diuinitus inspirata cognatam Elisabetham ideo potissimum adiit, vt Ioannes filius eius à peccato originali mundaretur, & iam inde ab vtero matris Spiritu S. repleretur, vti Zachariæ promiserat Angelus. 3. Ratio visitationis Virginis.

Causam hanc allegat, in S. Lucam scribens: *Iesus qui in vtero Virginis erat, Ioannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat.* *Hom. 7. in Luc.*

Quartam rationem assignat Ven. Beda, vt nimirum cognatæ suæ de concepta prole Messiæ futuro præcursore, Deipara congratularetur. *Intrat*, inquit, *Virgo domum Zachariæ non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed vt congratularetur de dono, quod Elisabetham accepisse didicerat.* Subscribit huic opinioni Simeon Metaphrastes, & vltro in eam his verbis concedit, *Festinauit Virgo, vt congratularetur Elisabetha de bono nuntio nouæ conceptionis.* Suffragatur & eidē Glossa interl. 4. Ratio. *Hom. de Visitat.* *Simeon Metaphr. in ora. de S. Ioann. Baptist.*

S. Antonino in quartam partem rationes hæ minime sufficiunt, hinc quintā producit, eamq; alijs præfert, vt nimirum Elisabethæ prægnanti auxilio foret, suumq; erga cognatam carissimam amorem, affectumq; humili obsequio ministerioq; testaretur. *Virgo*, inquit, *cum Elisabetha tribus mensibus stetit, vt in partu tunc futuro ei seruiret.* Eamdem quoque amplectitur Ven. Beda sententiam, hinc eodem prope sensu & verbis ait, *Intrat Virgo domum Zachariæ, non vt verbum angeli mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouecta ætatis virgo iuuencula ministeriū sedula impenderet.* 5. Ratio. 4. p. tit. 15. c. 17. *Homil. de Visit.*

Omnibus hisce grauissimis S. Patrū testimoniis auditis meā quoq; addere symbolam mens est, & sextā rationem producere. Propterea ergo forsitan cognatam Deipara visitauit, vt doceret iuuenculas honorem senioribus & obsequiū deferre, ostenderetq; senectam nullo non tempore & loco omnib. venerabilē fuisse. Olim quidem apud Ethnicos summus senibus deferebatur honos & cultus, vt Petrus Apianus tradat in Insula Gaditana templum fuisse, in quo senecta velut dea diuinis colebatur & adorabatur honoribus; quā proinde vitæ magistram, magnarū rerū custodem ac reconditorium, voluptatum & passionum sensualium sepulturam dicebāt. Quin & olim moris fuisse proditur, vt fures & malefici, quo indemnes forent, ac mortis supplicium euaderent, ad seniorum genua velut ad refugia & asyla confugerent. 6. Ratio.

De senibus porro honorandis hæc in Leuitico lex legitur à Deo Hebræis data: *Honora personam senis.* Et Propheta Ieremias, inter *Leuit. 19. Thren. 4.*

inter alias iniurias, quas Babylonios Hierosolymitanis conqueritur intulisse, cum eos captiuos & vinctos Babylonem abduceret, hanc vt grauissimam & prope intolerabilem exaggerat, quod *faciem senum non erubuerint, neque miserti sint* canitiei illorum.

Baruch 4. Propheta Baruch eandem lamentatur insolentiam, dicens: *Eduxit super illos gentem de longinquo, gentem improbam, qui non sunt reueriti senem.* in quo notandum inter cætera cæteros crudelitatis & barbariei actus senectutis neglectum annumerari.

Sapient 2. In Sapientiæ libro, cum mala ab impiis olim committenda recensentur, senectutis irrisio non omittitur: *Opprimamus*, inquiunt, *pauperem iustum, non parcamus vidue, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis.* Quibus è verbis, vti & superioribus, colligere est, quantopere senes & canitie venerabiles honorare ac venerari debeamus. Docet hoc ergo nunc suo nos exemplo cœlestis hæc magistra, cum suam ipsa cognatam præuenit, eamque primo visitatum abit, vtpote ætate maiorem, etsi dignitate ipsa maior.

IV. Virginis iter difficile ac molestum.

Rationes hæ & insignes sunt & dignæ, & ad primam omnes velut ad scopum, humilitatem inquam Deiparæ relatæ. Eas vos ipsi perpendite, interea dum illustre hoc iter prosequor, iter inquam difficile, laboriosum, molestum, vtpote collibus ac montibus præpeditum, ita enim ait Euangelium, *Abiit in montana.* Expressum hoc studio & data opera, vt & loci situs, & itineris labor legentibus constaret. Nazarethum namque, vnde profecta est Deipara, humiliori situm erat loco quam Iudææ montana. Hinc etiam Redemptor territorio Galilææ excedens, vt ad Iudææ limites pertingeret, *ascendendi* verbo est vsus, *Ecce ascendimus Hierosolymam.*

Matth. 20. Hic quidem conceptus litteræ inhæret; sunt vero alii plurimi moralem mysticumq; sensum includentes. Imprimis autem cum montes hos intueor, & Deiparam eosdem transcendentem, ilico hoc velut in exemplum nobis datum traho, omnem scilicet animam, quæ verbum Dei semel mente concepit, sine mora altissimos virtutis ac perfectionis montes, festino amoris quodam passu transcendere. Hunc mihi conceptum suggessit Beda, dum scribit, *Typicum exemplum virgo tribuit, quod omnis anima, qua verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris.* *In Lucam.*

Exemplo nobis erit, qui de se scribit, *Perfecit pedes meos tamquam cerui cerum, & super excelsa statuens me.* Id est, ex quo Verbum Dei auribus percepi, pedes meos adeo leues & promptos in via virtutis reddidit, vt cerui (quod animal cursus velocitate & pedum pernicitate præstat) pedes videar assumpsisse, atque hinc ad excelsiorum me fastigia sustulit, sed aliud audire videbimini, vbi Augustini in hæc verba audieritis paraphrasin. *Hoc est*, inquit, *perfecit Deus amorem meum ad transcendenda spinosa & umbrosa implicamenta huius sæculi, & super cœlestem habitationem fixit intentionem meam.* Idipsum hodie Deipara mater compleuit, dum festinans & amore ardens *abiit in montana.* *Psal. 17.* *In eundem Psal. comm.*

In auium & alitum genere tot videre est in conditione naturali, rituque victandi, ac volandi diuersas species, quot ad oculum plumarum colorumque in iisdem notamus discrimina. Aliæ natura immundæ sunt & degeneris animi, nonnisi vermibus infectisque inhiantes, ac numquam à terra se sustollunt: sunt & aliæ nobiliores & voluptatem afferre natæ, semper sublime euolantes, & animosæ, vti aquilæ, falcones, accipitres, aliæque ad prædam edoctæ, omnes tamen eodem natæ sunt elemento, & communem omnes ex aqua habent originem & productionem. Docet hoc Ecclesia, quando in hymnis sacris canit: Aues cum hominibus collatæ.

Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aera.

Ita quoque de hominum conditione sentiendum, omnes quippe eadem nati sunt origine, & ex eadem terra figulari. Horum tamē aliqui semper per terram serpunt, nōnisi vermiculis & muscis inhiant, nonnisi terrena & vilia sapiunt, & sola mundana spirant. Alii vero nobiliores sunt, ac generosiores, maiorisque animi sublime euolantes, quorum in cœlis est conuersatio, vti S. Pauli dicentis, Omnes homines eamdem habēt argillam in origine.

dicentis, *Nostra conuersatio in cœlis est*, qui quidquid hic in terra est, aspernantur, ac pessumdant, nonnisi diuina sectantur, soli perfectioni student, & cum Virgine nostra abeunt & conscendunt *in montana*.

Gen. 19. Hæc animorum naturarumque differentia ad oculum in persona Lothi repræsentatur; cui Angeli Genes. 19. dicunt: *Ne stes in omni circum regione, sed in monte saluum te fac.* in quo sanctarum, nobilium, ac generosarum animarum viuendi ratio exprimitur: Lothi autem ad Angelos responsum, mundanorum, imbellium, degenerum ac plebeiorum consuetudinem denotat, *Non possum*, inquit, *in montem ascendere, ne forte apprehendat me malum, &c.*

Salus est in montibus. Omnis sine dubio salus in montibus est, & in vallibus discrimen; tuta sunt omnia in excelsis, in contemplatione inquam rerum cœlestium, & in infimis, inque rerum terrenarum prosecutione nihil non periculis expositum. Atque hanc ob causam Rahab exploratoribus Israelitarum suadet, *In montana conscendite, ne forte occurrant vobis reuertentes.* Iudic. 2. Et ecce virgo nostra *abit in montana*.

In montana inquam magnitudinis, honoris, & perfectionis; cum de illa cecinerit Psalmista, *Fundamenta eius in montibus sanctis*; altissimos illi montes in fundamenta & altitudinis principia tribuens, cum illam Prophetæ *montem in vertice montium* constitutum appellarint, id est, supra omnia Patriarcharum, Prophetarum, Regum, Apostolorum, Martyrum, aliarumque sanctarum creaturarum, quæ in hoc mundo velut montes fuerunt, merita, sanctitatem, & perfectiones euectam. Nemo vero negarit eam montes transcendisse, cum ad summum honoris & perfectionis, ad quam ascendere creatura poterat, gradum pertigerit, facta scilicet Dei mater, virtutum ac gratiarum oceanus, primarium sanctissimæ Trinitatis opus, opus inquam adeo eximium, sublime, & dignum, vt omnes personæ diuinæ in eodem elaborando cooperatæ sint, Spiritus sanctus quidé sanctificatione sua, filius sapientia, & omnipotentia Pater. Atque hanc ob causam suam ipsa felicitatem deprædicans canit: *Quia fecit mihi magna qui potens est.*

Psal. 86. Virgo ad summum perfectionis apicem peruenit. Mich. 4.

Bessai tom. 3. de Sanctis.

Magna inquam reuera, & quibus similia ante nulli vmquam præstiterat. Si quid enim magnum Deus fecit, cum cœlum, terram, elementa & omnem eorum ornatum & appendices creauit; longe maius quid & opus longe mirabilius creauit, cum in Virgine simul & matre, magno naturæ totius stupore & miraculo corpusculum efformauit, quo Deus essentialiter continebatur, quodque in se omnem diuinitatis plenitudinem, etiam corporaliter, complectebatur. Vnde Ecclesia velut admirans & obstupescens, canit: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Luc. 1. Magna facta in Virgine.

Omnipotens ille ac ter maximus Deus rem magnam olim, quæque omnem deinde mundum in admirationem rapuit, præstitit, cum insigni sane cum prodigio Iordanis fluenta cohibuit, & aquas ad fontem retro vnde ortæ erant, redire compulit, & non tantum eas ad mare non deuoluit, sed etiam naturalem illarum cursum inhibendo, ad originem primæuam reuocauit. Quod admirans Psaltes exclamat: *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* At idem ille Deus in Deipara effecit quid longe maius & admirabilius; quando nimirum ille *antiquus dierum* & æternum antiquus, nostro natus est in tempore, & ab æterna illa senectute ad primum primæ cuiusdam infantis ortum rediit, an non hoc facere mirabilia? cum vero omnia hæc in Virgine contigerint, an hoc in montana abire? Ioſ. 7. Psal. 113.

Deipara ergo montes transiit, & quidem, vt D. Lucas obseruauit, *cum festinatione & properãs.* O mirabilia! ô spectaculũ! quomodo Virgo vterũ ferens tãtopere festinet? quomodo vero iter hoc audet aggredi? nulla formidat pericula, molestias non perhorrescit. Iacob Patriarcha, instante fratre Esau, vt celerius progrederetur, itaque acceleraret, hoc sese à festinatione modo excusauit: *Nosti Domine quia oues & fœtas habeo mecum, quas si Gen. 32. nimis coegero festinare, morientur cuncti greges mea die mecum.* Deipara ouicula erat sancte iam fœta, sine vlla tamen formidine & interrita, laborum, periculorumque nihil metuens, iter accelerat, & cum festinatione properat. Allegoria insignis.

Cantic. 2. Tum vero impletum illud Canticorum: *Surge, propera amica mea.* Videas namque sanctam filij Dei sponsam & fidelem amicam hodie surgere, è Nazareth proficisci, & cum festinatione in Zachariæ domum abire; adeo vt illud pij Regis vsurpare merito potuerit, qui Dei sui amore inflammatus, magna animi contentione dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psal. 118.

Psalmo 18. de Christo Redemptore scriptum legitur: *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* hodie vero reapse hæcce prophetia impleta, cum Dei filius, iam in vtero sacratissimæ Virginis conceptus & conclusus, etsi rener & paruulus, vt magnus tamen gigas cognitus, qui nec cœlo, nec terra comprehendi potest, & magnitudine atque altitudine omnia transcendit, summa cum diligentia festinet, vt cum matris suæ itinere mundi redimendi iter simul decurrere incipiat.

Tres rationes cur Virgo cum festinatione abierit. 1. *Cum festinatione.* Sancti Patres locum hunc examinantes, & festinationem hanc demirantes, tres insignes accelerati huius itineris & festinationis virgineæ rationes reddunt. Primam S. Ambrosius, Cardinalis Caietanus, Lyranus, alijque permulti, qui idcirco cum festinatione profectam Deiparam volunt, ne scilicet diu foris ageret, atq; quam citissime è publico se subduceret. *Discite, Virgines,* ait S. Augustinus, *non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sola, festinat in publico,* vt scilicet hominum vitaret conspectum & contubernium. S. Ambros. de Virgin.

2. Secunda auctorem item agnoscit Ambrosium, qui festinationem hanc à cordis vult iubilo profectam, quo scilicet ipsum in Deũ pernix ferebatur, excitatumque quasi per viam volitabat, *Festina,* inquit, *præ gaudio.* Atque vt cor volabat præ lætitia, ita quoq; pedes ad numerum quodammodo harmonicum currebant. Gaudium causa festinationis huius.

3. Tertia rursus ab eodem Ambrosio venit; à Spiritus sancti nimirum motu ac gratia nimiam hanc celeritatem descendisse. Audiamus loquentem, *Quo,* inquit, *iam plena Deo virgo, nisi cum festinatio e ad superiora contenderet? nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* S. Ambros.

Cum festinatione. Vt scilicet discamus, in via virtutum prompte, cum festinatione & alacriter pergere, inque diuinorum mandatorum adimpletione festinare, Regis illius exemplo, qui ait, *Viam mandatorum tuorum cucurri,* quasi diceret: In mandatorum tuorum Domine executione ita me diligenter gessi, vt summa mentis contentione per mandatorum tuorum viam cucurrerim. Ad hanc quoque nos festinationem hortatur Apostolus in ea quæ est ad Hebræos, *Festinemus ingredi in illam requiem,* per mandatorum diuinorum viam curramus, cursum acceleremus, in mora siquidem periculum, & in diligentia omne consistit bonum. Via virtutũ cum festinatione decurrenda. Psal. 118. Hebr. 4.

Ad eamdem celeritatem neminem non inuitat Propheta Isaias hisce verbis, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate.* Sunt hæ verborum figuræ ac tropi prophetici hauddubie ac sublimes: non enim ad aquas aut argentum bonus ille nos Deus inuitat, verum ad gratiam, virtutes, bona opera resque spirituales excitat; quo vt perueniamus, properemus oportet, & iter acceleremus. Vere autem illa festinabat anima, quæ in Canticis dicebat, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Hoc porro modo hodie Beatissima Virgo currit, *quæ abiit cum festinatione.* Isai. 55. Cant. 1.

Vt discamus eadem opera hinc, Auditores, charitatis ac misericordiæ opera animo quam promptissimo & diligentia summa peragenda, eoq; cum feruore & affectu, quo ab Abraham Patriarcha exercebantur. Cõsiderate, obsecro, qua ille diligentia & festinatione peregrinos & hospites in domum suã coegerit, quanto animi ardore susceperit, & apud se diuersari voluerit: de quo dicitur, *Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum,* vt ijs recipiendis domum, receptis facultates ac fortunas suas offerret. Hanc nobis Patriarchæ diligentiam exponens Origenes eam pluribus circumstantiis describit, *Abrahamus,* inquit, *currit, vxor festinat, puer accelerat, nullus est pigr e in domo sapientis.* Deipara ergo mater tam insigne charitatis opus factura, quale reuera est mulierem prægnantem inuisere, eique in puerperio obsequijs adesse, collium Operа charitatis & misericordiæ cum diligentia exercenda sunt. Gen. 18. Hom. 40. in Genes.

collium & montium prærupta transilit, & *abit eum festinatione.*

Hæc vero matris festinatio in cognata Elisabeth adeunda filij quoque in mundo visitando festinationem in mentem mihi reuocat, iuxta illa Zachariæ verba: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* vt autem, qua in mundum celeritate properarit, manifestum fiat, audiamus loquentem in Canticis sponsam: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* Loquitur autem de sponso suo, Messiæ nobis aduentum hac imagine ænigmatica repræsentans; qui ad mundum redimendum tanta velocitate descendit, vt montes altissimos transiliret, per colles volitaret, & rupes transcurreret, vt qui currentem viderent, capream hinnulumque ceruorum ad cursum celerrima animalia cernere se crederent. Verum dum hanc abeuntis festinationem describendo per auia discurro, æquo diutius primo puncto inhæreo; tempus est ergo receptui canendi, & ad alterum descendendi, effectorum inquam è sancta hac properataque Virginis sanctissimæ visitatione secutorum commemorandorum.

Vt ergo incipiamus, meminerimus oportet eorum, quæ olim inter Iacob Patriarcham eiusque socerum Labanem in Genesi facta dictaque memorantur. Ait ergo ei Iacob, *Modicum habuisti, antequam venirem, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Vti omnis rerum prosperitas & benedictio domus Labani, quoad temporalia, vni Iacobo accepta referenda est; ita quoque omnis rerum spiritualium (quæ longe sunt digniores) in Zachariæ sacerdotis familia, copia, abundantia, multiplicatio, benedictio & mirabilia à Virginis nostræ in eam ingressu pendent. cum ipsa namque domum subeunte vniuersa pariter benedictio cœlestis in eam copiose irrupit.

V. Tria potissima effecta visitationis huius Virginæ.

Etsi vero hæc benedictio longe lateque pateat, & plurimos in se admirabiles effectus è sancta hac visitatione secutos comprehendat, ad tres tamen reduci illi præcipuos, ac velut capita ceterorum possunt. Primus est, prophetica in S. Elisabetha admiratio, & admirabilis prophetia. Secundus, Ioannis in vtero matris exultatio. Tertius, peccati ac labis originalis ablatio, atque eiusdem sanctificatio tam tempestiue illi collata. circa quæ tria concionis hæc pars postrema velut in cardine ostium versabitur.

Admiratio prophetica in S. Elisabeth.

Principio ergo prophetica admiratio ex ijs Elisabethæ colligitur verbis, quæ protulit, mox vt Virginem suis in ædibus conspexit, conspectamque vt matrem Dei agnouit: quod, nisi prophetico donata esset spiritu, fieri neutiquam poterat. Ait ergo, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quasi vellet dicere, Ipsa illi obuiã potius deberem procedere, & humillima illi obsequia deferre, quam vt ipsa ad me vltro veniat, meque honore, affectu & beneuolentia præueniat.

Simili est modo filius eius Ioannes Baptista olim admiratus, cum veniente ad illum Redemptore, vt ab eo ad Iordanis fluenta Baptismo tingeretur, præ admiratione ac stupore ait, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* perinde ac si dicat; Impar est ac nefas *Matth.3.* Domine, ita te vilescere, adeoque abiicere; hoc ipse sum honore penitus indignus, meũ potius est eo te præuenire. Cui Dominus, *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam,* quasi diceret, Magnifica hæc officiosaque verba iam desinant; aut *sine modo,* id est, hoc me nunc facere permitte; sic enim omnẽ iustitiam, id est, perfectam humilitatem adimpleamus necesse est.

S. Elisabethæ admiratio prophetica fuit.

Hanc porro admirationem dixi propheticam; quod perfectissime incarnationis mysterium in glorioſissimæ Virginis vtero completum fuisse Elisabetha cognouerit, dum eam matris Domini nomine afficit: Agnouit hoc spiritu prophetico, & mente introrsum diuinitus illuminata, aut potius miraculosa ac supernaturali filii in vtero agitatione ac commotione. Vnde velut causam nouæ huius cognitionis reddens, ait: *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo* atque ideo admirans dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini? &c.*

Iustificatio à Christo inchoatur.

Neque enim Elisabeth ad Virginem, nec Ioannes ad Christum visitandum abiere; sed è contra Virgo ad Elisabetham & Iesus ad Ioannem, ad eum iustificandum, ascendit. Vnde discere licet, iustificationem omnem nostram à Iesu Christo venire: neque enim ipsi versus illum tendimus, sed ante ad nos ille venit, semperque præcedit; semper nos ille primus quærit, & primus vocat, vnde Apostolus: *Quos vocauit, hos & iustificauit*; vocat inquam, si autem vocati vocantis vocem audiant, mox eosdem etiam iustificat. In hanc rem scribit, in Psalmos commentatus, Augustinus: *Vt iustificentur iusti, præcedit vocatio, quæ non est meritorum, sed gratia.*

Rom. 8.

In Psal. 5.

Psal. 118.

Huc spectabat & Psaltes, dum queribundus ait: *Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum.* nisi enim ouiculam quærat Pastor, in luporum ipsa rabiem incidat necesse est: ita, ni peccatorem quærat Deus, verendum est, ne diaboli vnguibus præda fiat. Erat ergo Ioannes in vtero matris, velut ouicula, & peccato originali onerata à via deflexerat: (*Omnes enim errauimus ab vtero*) Pastor ergo eam quæsiturus exit primus, non vero ouis ad pastorem abit.

Psal. 57.

Hanc forsitan ob causam mundi Saluator, cum se honorificis donare titulis posset, quales sunt: Verbum æternum æquale Patri & consubstantiale, cœli terræq; natura rex, hominum simul & Angelorum princeps, vniuersalis mundi seruator, aliisque sexcentis honorem præferentibus ac dignitatem; pro ea qua erat humilitate, Pastorem se dixit: *Ego sum pastor bonus.* Vt pastor enim peccatores, qui iam inde à paradiso terrestri per primam originis labem errabant vagabundi, quæsiturus venit. Et, ô rem miram! mox vt in matris conceptus est vtero, ad Ioannem hac labe non secus atque ceteri hominum infectum properat, & ad eum quærendum, vocandum, & materno in vtero iustificandum exit. Quam eius benignitatem demirata sancta illa vetula, exclamat: *Vnde hoc mihi, vt veniat,* &c.

Ioan. 10.

Visitationis Virgineæ effectum primum esse dixi matris admirationem: secundum statuo extraordinarium infantis semestris gaudium & miraculosam materno in vtero exultationem. Certissimum autem est hunc contra naturæ leges motum, totque sexpatum mirabilibus vni filij Dei in Vtero Virgineo latentis præsentiæ ascribendum. Circa quæ tria à Doctoribus notantur, primum, vsum rationis tunc in Ioanne tempus præueniisse & acceleratum fuisse, ac tum cognitionis suæ dominum factum, dominum suum, cuius futurus erat præcursor, adesse præsentem cognouisse. Fuit profecto hoc magnum & singulare quoddam priuilegium.

Ioannis in vtero exultationem causata est Christi præsentia.

Tradunt rei herbariæ scriptores, florem quemdam esse, cui nomen, *filius ante patrem*: nec immerito, quod semen ante ac florem quam folia, præter communem herbarum consuetudinem, folia ante florem semenque proferentium, progignat, flori huic persimilis fuit Ioannes Baptista: existens enim Elisabethæ in vtero velut in horto quodam consitus, semen floremque iudicii, rationis, & cognitionis, ante ætatem contra naturæ ordinem ceteris hominibus communem, emisit. Vtrum autem hoc rationis exercitium semper exinde in puero perseuerarit, minime est exploratum; negari tamen non incommode potest. Vti & clara illa Dei visio, qua Deum suo in raptu Paulus, de quo in secunda ad Corinthios sermo est, conspexit, insigne quidem priuilegium ac prærogatiua fuit, sed minime continuum aut durans, sed quod vna cum visione cessauit & euanuit.

Herba quæ floreat & seminet ante folia.

2. Cor. 12.

Vsus rationis in Ioanne non durauit.

Secundum, quod huc afferunt Scholastici Doctores, est, verisimiliter ac pie credi posse, Ioannem infantem ratione vtentem, & iudicij maturitate adhibita in vtero sc matris tum mouisse, & quo poterat modo humillime Christum velut supremum Dominum salutasse, atque salutando vt Messiam & futurum mundi seruatorem adorasse. Neque vero id mirum cuiquam videatur: si enim ad Domini faciem terram ipsam

S. Ioannes Christum adorauit clausus clausum.

moram

motam ac concitatam Prophetæ dixerint, (*à facie Domini mota est terra*) non adeo insolens ac peregrinum, si ad eiusdem Dei præsentiam matris in vtero infans subsultet & moueatur.

Psal.113. Tertio sanctificatum tunc Joannem Doctores docẽt, & à peccato originali ablutum, & Spiritus sancti gratia repletum: adeo vt impleta tum promissio ab Angelo filij conceptionem nuntiante Zachariæ patri facta fuerit: *Replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ.* In huius rei signum hodie ad Dei sui præsentiam matris vtero exultat præ gaudio.

Mirabilia Joannis passim diuulgata ab omnibus. Esai.40. Malach.3. Luc.1. O prodigiosum & admirabilem puerum! cuius mirabilia & præconia ab omni sũt parte ac lingua terrena ac cœlesti diffusa. A Prophetis quidem: Isaias namque eum *vocem* dicit *clamantis in deserto*; Malachias Angeli ei nomen imponit, *Ecce ego, ait, Dominus, mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Post Prophetas, etiam Angeli laudes eius decantarunt. Archangelus enim Gabriel parentibus illius magnum eum corã Domino fore, & Spiritu sancto iam inde ab vtero materno replendum spopondit; Luc.1. *Hic erit magnus coram Domino, & Spiritu sancto replebitur.* Deinde post spiritus cœlestes, Zacharias eius pater, & magnus Synagogæ Pontifex, à Spiritu sancto inspiratus, Prophetam eum Altissimi ac Messiæ præcursorẽ indigetat, hac eum apostrophe compellens: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Post summũ illum sacerdotem omnes Euangelistæ, & Joannes imprimis ait fuisse *hominem missum à Deo venientem, vt testimonium perhiberet de lumine* veritati. Denique vt Euangelistas, homines, Angelos & Prophetas taceam, ipse Dei vnigenitus tantopere eum deprædicauit, vt nullum eum vmquam maiorẽ natum aut digniorem dicat apparuisse, *nter natos*, inquit, *mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Quid ergo mirum, pueri huius mirabilia iam inde ab vtero initium sumere?

Joan.1. Matth.11. Luc.7.

Psal.113. *Exultauit infans præ gaudio.* O insigne prodigium! Psalmographus Psalmo 113. magna admiratione rogat, *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum: montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium:* mox vero respondet, *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* Eodem etiam modo interrogemus licet, pari quoque cum stupore: *Quid est tibi peccatum, quod fugisti? Et tu Satan, quia conuersus es retrorsum: infans exultauit in vtero*, &c. Hæc quidem petere, deinde pari etiam modo respondere, *A facie Christi factum est illud.* ipsa filij Dei præsentia hæc causatur mirabilia, atque inprimis hanc pueri in materno ventre exultationem ac subsultationem. Testatur hoc mater ipsa Deiparam his verbis alloquens: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans.*

Gen.25. Gemellorũ in vtero Rebeccæ commotio. In Genesi quidem gemelli Rebeccæ in vtero collisi commotique leguntur: at motus hic matri grauis ac molestus fuit, adeoque intolerabilis, vt concepisse se pœnitens queritabũda diceret, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* ac si diceret, si sciuissem tantos mihi in gestatione vteri cruciatus subeundos, numquam impræguari optassem. Non vero huiusmodi fuit Joannis Baptistæ motus, sed lenis, gratus, ac matri iucundissimus. Rebeccæ gemini in vtero depugnando mouebantur, at Elisabethæ proles exultando: eratq; subsultatio hæc à gaudio nascens, vnde dicitur, *Exultauit præ gaudio infans.*

Joannis intellectus lyncem visus subtilitate superauit. Illustre sane atque inauditum prodigium. Intellectum & ingenium Joannis viuacitate & visus subtilitate lynces superasse tunc fit verosimile, quas ferunt muros & parietes visus acie pertransire; cum per duplicem parietem, maternum scilicet ac Virginis vterum, Dominum suum agnoscere potuit, de quo hoc modo in Canticis sermo est, *Ecce ipse stat post parietem.* Reuera enim Christus post vteris virginalis parietem latitabat, in quo velut paruulus coarctatus concludebatur. Atque ad parietem hunc, Ezechiæ exemplo, se suis in afflictionibus peccator cum lacrymis conuertat oportet, ad veniam impetrandam & misericordiam postulandam: *Conuersus ad parietem flenit amare.*

Cantic.2. 4.Reg.20.

Eccl.30. Ecclesiastici cap. L. mentio fit stellæ matutinæ in nebula conclusæ. Sidus hoc emblema quoddam obscurum inuoluit: at, qui eius expositionem adferre conati sunt, per ipsum Zachariæ filium Joannem dixerunt denotari; quippe, qui vera stella, & fax ardens & rutilans fuerit, *Erat Lucerna ardens & lucens.* verum stella matutina, solis exortum præueniens & prænuntians, Messiæ inquam aduentum, cuius propterea est prodromus appellatus. Hæc porro stella idcirco in medio nebulæ est, quod adhuc materno contineatur vtero, in quo gaudij, lætitiæ ac plausus festiui signa exhibet: *Exultauit infans præ gaudio.*

S. Joannes dictus stella matutina.

S. Joannes vsum rationis habuit in vtero matris.

Num vero exultationem & subsultationem hanc lætam vsus rationis, & iudicij exercitium comitatum sit, ambiguum est, & in controuersia positum, variæque hac de re SS. Patrum ac Doctorum sunt sententiæ æque discrepantes. Etsi enim, ex plurium Doctorum Scholasticorum opinione, infantem hunc, ratione ætatem præueniente, non sine singulari miraculo, viri instar iudicio vsum dixerim; negare tamen non possum, rem ita liquidam ac constitutam non esse, quin plurimos eosque grauissimos patiatur aduersarios. Reuocat quippe eam in dubium S. Augustinus; negat aperte Jansenius, vti & :: Angelicus Doctor S. Thomas. S Ambrosius vero alteram partem sustinet, docetque fauorem hunc & gratiam singlari quadam prærogatiua priuilegioque materno in ventre ei esse concessam. Eidem accedunt .·. Theophylactus, .. Venerabilis Beda, Euthymius, Leo :: Magnus, * Hieronymus, Petrus Chrysologus, .. Chrysostomus, aliique permulti. Atque hæc quoad duo primaria visitationis huius capita dicta sufficiant: restat ergo iam tertium prosequi, ipsam inquam peccati originalis ablationem.

Epist 57. ad Dardanum.
:: 3. p. q. 25. art. 6.
.·. In Lucam.
.. homil. de visitat.
:: Ser. 10. de natiuit.
** Epistola ad Letam.*
.. In encomio Ioan.

S Joannes Baptista, etsi Messiæ præcusor futurus, & vmquam alibi natorum puerorum esset maximus, cæterorum tamen ad instar in originali labe conceptus erat, letifera vt alij omnes in protoplasti morte plaga accepta, ac proinde vt reliqua Adæ posteritas, morti ac damnationi obnoxius, iuxta illam Apostoli sententiam, *In quo omnes peccauerunt, & mortui sunt.* Sicut omnes totius vniuersi montes, alti simul & humiles impetuosis diluuij aquis adobruti sunt & cooperti: ita & omnes vniuersim creaturæ, maximæ licet ac sanctissimæ, vehementi & horrendo originalis culpæ diluuio submersæ sunt, & S. Joannes non secus atque alij. Verum vt os Deipara soluit, & spectandum se Christus dedit, deleta hæc macula est, culpa omnis remissa, sanctificatio facta, & gratia simul infusa.

Gen. 6.

Dauid lyram pulsans à Saule malignum effugauit genium, à quo non mediocriter torquebatur, vti in Regũ libris refertur. Eodem quoque modo Dauid noster Christus, vt cognatam suam Elisabeth alloquitur pia mater, cuius verba & sermones omnem harmonicum concentum superabant, à Zachariæ filij anima peccatum originarium pepulit. *1. Reg. 16.*

Eodem in libro scribuntur Philistæi, barbari & idolis addicti, arcam Dei bello captam in fano Dagon collocasse; verum vt primum illa delubri limen attigit, idolum ad terram delapsum est in frusta comminutum. *Et tulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon, & ecce Dagon iacebat pronus ante arcam Dei, &c.* ô insignem cõparationem! arca Dei vix fanum Philisthæum subiit, & ecce simulacrum humi prostratum est; & gloriosa Virgo, vera Domini arca, quæque ipsum gestabat Dominum, vt Elisabethæ domum ingressa est, peccatum originale, quo Joannes erat infectus, velut secundus Dagon comminutum, confractum, & pessum datum est. *1. Reg. 5.* Insignis Allegoria.

Apud Lucam eum Redemptor in domum Principis Publicanorum, cui nomen Zachæus, intrasset, his eum est verbis allocutus, *Hodie salus huic domui facta est, quod & ipse sit filius Abrahæ.* Cogitemus idipsum & factum & dictum esse, eodem Deo Principis Sacerdotum Zachariæ domum ingrediente. Et sane Jesu Christo, vtero dum virgineo concluditur, hodie illustrem hanc domum intrante, salus illi facta est; cum puer ipse ab originali sit peccato mundatus, venia eiusdem data gratia collata, & misericordia passim in eadem eluxit, eo quod vere de filio-

Luc. 19. Allegoria.

rum

rum Abraham esset numero, & Messiæ præcursor.

Psal. 73. Hæc Psalmo 73. verba perobscura & intricata leguntur, *Posuerunt signa, & signa sicut in exitu super summum*, id est, iuxta Theodoreti expositionem, inimici nimium quantum elati sunt, & ianuis nostris sua affixerunt trophæa, quæ signa sunt & argumenta victoriarum. Aliter vero interpretatur Hieronymus, dicens: *Posuerũt signa sua in trophæum manifesta in introitu desuper*, vt ab omnibus passim conspiciantur. Vterque vero sensus innuit, Dei inimicos signa ac vexilla sua in ostiorum supremitatibus ad introitum collocasse. Vt hoc morali sensui adaptemus, sciamus oportet, portas & ianuas, per quas vitam hanc ingredimur, hominum esse conceptionem, & in his velut in primo in hunc mundum introitu, hostem nostrum, id est, diabolum, peccati originalis signa velut illustre victoriarũ relatarũ trophæum erigere. Hoc ipsum vexillum hostile etiam in introitu & conceptione magni Joannis Baptistæ erexerat, Regum Rex Christus hanc insolentiam non ferens, locum illico inuasit, hostem fugauit, signa sustulit, id est, peccatum originale aboleuit, eiusque animam recuperauit. Nec modo peccatum eiecit, verum etiam Spiritu sancto repleuit, gaudiique & lætitiæ occasionem illi iam tum dedit, expectans donec vniuerso aliquando orbi lætitiam pareret: *Et exultauit præ gaudio infans in vtero meo.*

Portæ vitæ humanæ sunt conceptio vniuscuiusque.

2. Reg. 6. Jucundum piumq; reuera fuit spectaculum, videre Dauidem Regem magno animi studio coram arca Domini tripudiantem, signaq; insolitæ lætitiæ præferentem, & præmentis iubilo gestientem. At spectaculum, mihi credite, longe iucundius ac mirabilius videre hodie, nõ videre tamen, infantem maternis clausum visceribus, præ gaudio subsilientem, & coram vera Dei arca, Deipara nimirum, Deum ipsum complectente, insolito animi iubilo plaudentem. Ipsum Dauidis tripudium nihil continebat admirabile, sed infantis huius exultatio purum ac merum erat miraculum. Atque in hoc finem faciam.

Vidistis igitur, Auditores, festi huius causam: vidistis quid ipsa Virginis huius visitatio designet: audistis effectus, mirabilia, & benedictiones, quæ ad eius ingressum in Zachariæ domum inuolarunt. Ipsam ergo magna animi contentione oremus, nobis vt eundem fauorem ostendere, atque harum gratiarum aliquam in nos effundere dignetur, fixo eam obtutu intueamur hodie surgentem, atq; instar auroræ progredientem, pulchram vt Luna, electam vt Sol, & ad illam confugiamus, opemq; speremus ab illa, quæ terribilis vt castrorum acies ordinata in libris sacris legitur: *Progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cantic. 6.

Hisce laudabilibus illustribusq; titulis permoti & inuitati te inuocamus sanctissima, sacratissima, ac glorioſissima Virgo. Tu namque vere pulchra es vt Luna, quæ nocte lucet iis, qui in peccatorum caligine ac tenebris versantes ad lucem magna animi contentione anhelant. Aurora vero iis, qui criminum tenebris egressi, ad pœnitentiæ diem transierunt. Deniq; Sol iis, qui postquam ad lucem peruenerunt, in gratiæ splendore ac claritate iam viuunt. Vt vero aduersus hostiles incursus ac violentiam auxiliatrices afferre manus queas, terribilis atq; horribilis es, vt castrorum acies ordinata. Hinc, ô beatissima Virgo, qui modo in peccatorum nocte degunt, te vt Lunam suam intuentur: quibus diei gratiæ aurora iam illuxit, te vt Auroram respiciunt: qui caritatis ardoribus flagrant, te in solem suum eligunt, ad te omnes confugiunt, & à te velut à castrorum acie ordinata auxilia exspectant. Vt hoc in mundo sub protectionis tuæ insignibus certantes, in altero, in quo omnis nostra beatitudo fita est, mercedem adipisci mereamur, ad quam nos Pater, & Filius, ac gloriosus Spiritus sanctus deducant,

Amen.

IN

IN FESTO S. BENEDICTI ABBATIS.

Partitio.

1. *De contemptu mundi.*
2. *De verbis illis: Ecce nos reliquimus omnia.*
3. *De S. Benedicto, cur mundum deseruerit.*
4. *De aliis eiusdem praclaris dotibus.*
5. *De Ordinis eiusdem nobilitate & antiquitate.*

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. Matth. 19.

FIGVRA.

MAgnus ille Deus viuens, omnipotens, & æternus, Abrahamum Patriarcham habens carissimum, eumque ad magna vocans, ac destinans, hoc illum est modo allocutus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eritq; benedictus.* Cum sanctum hunc virum, eiusque vocationem & obedientiam, qua Deo vocanti paruit, accuratius mecum perpendo, omnia quam aptissime sanctissimo viro Benedicto accommodari posse videntur. Quod enim ille fuit tempore legis naturæ, hoc hic in lege Euangelica exstitit. Abrahamus siquidem multarum gentium pater fuit, filiorum Dei origo, fidelium Patriarcha, ac præterea magnus fidei magister, & pio erga Dei obsequium zelo flagrans. Ad hæc omnia quam proxime accedens S. Benedictus, magnus ætate sua deuotione fuit magister, reformationis auctor, virtutum doctor, Religiosorum Patriarcha, Monasteriorum fundator, animarum sanctarum dux & director, adhæc omnem mundi contemptum penitus spirans, & Dei cultui addictissimus. Cæterum, quod Abrahæ dictum fuit, cum huic quoque diceretur, eadem vocanti Deo promptitudine est obsecutus, & factæ illi promissiones & adimpletæ, in hoc renouatæ sunt. Abrahæ namque exemplo cœlitus vocatus S. Benedictus, patrio excessit solo, mundum deseruit, domum & paternam omnem hæreditatem libens reliquit, & regionem cœlitus illi monstratam quantocyus contendit, vocantem secutus Deum. Hinc innumeram post se filiorum reliquit prosapiam, Religiosorum numero multiplicatus est, omnigena benedictione cumulatus, nomen eius magnificatum, fama eius exaltata, ac sanctitatis illius rumor per vniuersum diffusus orbem vereque fuit benedictus. Illius in laudem hodie, quo anniuersaria festi eius celebratur festiuitas, mirabilia eius deponere decreui, illius hodie panegyristam agere ac præconem. Vt vero cœlestem fauorem adipiscamur, & Spiritus S. gratia nobis sua auxilietur, ad Virginem primo conuertamur necesse est, vt solita eius intercessione iuuemur. Quamobrem flexo poplite & corde sursum sublato vna cum angelo eam salutemus.

Gen. 12.

S. Benedictus Abrahamo æquatur.

AVE MARIA.

Refert Theophrastus, Philosophos nonnullos apud Philippum Alexandri Magni patrem quodam tempore in certamen litterarium disceptando veniisse disquisituros, ecquid inter omnia creata in mũdo maximum foret: eisque sententiam rogaris, vnum inter alios dixisse maximum omnium esse Olympum montem, cuius apex & vertex mediam aëris regionem transcenderet: alium ab hac sententia deflectentem, asseruisse solem magnitudine creatis rebus omnibus præstare, cum ipse cœlos omnes & elementa naturalia illuminet, & illustret. Cum ergo discrepantes diuersæque afferrentur sententiæ, & suam quisque adstrueret, postremus tandem, meo quidẽ iudicio omnium sapientissimus, cuiusque opinionem omnes velut optimam ac probatissimam amplexi sunt, nihil esse dixit in rebus humanis maius aut eminentius animo magna contemnenti & generose calcanti, atque in hoc solo omnem mundi magnitudinem consistere. Nunquam quid

Disceptatio veterũ Philosophorum, vt scirent, quid in mundo foret maximum.

Nihil maius animo mundum spernenti.

quid ad fidem Christianam aut accommodatius, aut aptius Philosophus vllus protulit. Egregia enim hæc sententia, & qua afferri melior non poterat. Ille enim dubio procul maior est eo, qui omnem sibi orbem subigeret. Nam maius est longe mundum contemnere quam acquirere: & victoria ipsa dignior est contemptus. Hinc summũ quendã virũ Paulus censet, & credit eum, qui omnia pedibus subiicit & conculcat: atq; inde hanc elicit consequentiam in Epistola ad Corinthios, *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Ad quem locum Glossa & S. Thomas explicationis gratia illa adnectunt verba, *Altissima dicitur paupertas, quia, qui contemnit diuitias, altissimus est, & eleuatus super temporalia.*

1.Cor.1.

In huius rei figuram ipse mundi Seruator Christus Joannem Baptistam inter omnes natos mulierum summũ ac maximum censuit, dicens: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Quæ verba de corporea magnitudine intelligenda nequaquam sunt, alioquin enim multos fuisse gigantes legere est, qui corporis eum mole superarũt, sed de animi magnitudine & generositate, quam in rebus omnibus contemnendis, domo paterna deserenda, honoribus ridendis, vanitatibus explodendis, opibus conculcandis in tenera ætate ostendit, dum in desertum abiit, solus vt viueret à mundo elongatus, & Deo proximus.

Matth.11.

Magnitudo S. Joannis sita in mundi cõtemptu.

Vniuersa Baltasaris Babyloniorum regis regia non parum obstupuit, & deprædicauit generosum & sublimem in Daniele Prophetam, vero Dei seruo animum, quod omnigenas diuitias honoresq; à Rege oblatos, qualia erant torquem aureum gestare, purpura vestiri, tertium in regno esse, aliaq; impendio magna, heroica quadam constantia repudiaret. Quamobrem mente alta spectanti & egregia quadam virtute, his regem verbis est allocutus, *Munera tua sint tibi, & dona domus tua alteri da*, non mihi, qui sanctam quandam paupertatem & generalem rerum omnium contemptum spiro.

Dan.6.

Eandem generositatem, animiq; celsitatem Apostolorum ipse Princeps tum ostendit, cum tam suo quam collegarum nomine coram Redemptore hanc paupertatis professionem fecit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quæ verba singula pondus habent, & nullum est, quin energiam includat. Primo vox *ecce*, aduerbium admirationis & stuporis, denotat arduum quid esse & sublime, & admiratione dignum, relinquere omnia. Et sane est aliquid vel opes, vel honores, vel parentes, vel vxores, vel dignitates, ac magistratus deserere; sed omnibus simul cedere, & vno ense rescindere vniuersim omnia, admirabile est, diuinum, & prope par illi Dauidicæ paupertati, *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* quasi diceret, Deus meus & omnia, amor meus & omne bonum meum, te præ omnibus selegi ac proposui: nihil est cum in cœlo, tum in terra, quod præter te diligam aut ambiam. Omnia contemsi, te vt possideam solum in anima mea. Locupletissimum me censeo, te habens ac possidens, mundanum nihil.

Matth.19.

Psal.72.

Hebraica phrasis huic interpretationi robur addens præfert, *Et tecum nihil volui in terra*: & magis quoq; eidem fauet Chaldæus paraphrastes, *Tecum socium non habui in terra.* Vere autem hoc impletum in iis, qui Dei amore succensi animũ ac cor ab omni re terrena abstraxerunt, mundumq; ne hilum fecerunt. Multi quidem possidere Deum volũt, sed ei addere collegas & riuales, & simul honorũ, opum aliarumq; rerum amorem amori diuino permiscere satagũt: Exemplo scilicet Samaritanorum, qui verũ adorantes Deum, simul & gentium vicinarum numina colebant ac venerabantur. Aut Philisthæos imitando, qui eadẽ in ara & Arcam Dei veri, & idoli sui simulachrum statuere cupiebant.

Multi volunt amare cum Deo mundi vanitates.

Secundo dixit, *reliquimus omnia*: id est, mũdo valediximus, bonis omnibus vniuersim cessimus, deseruimus omnia tam præsentia quam futura, & habita & speranda, diuitias, thesauros, dignitates, ad maiora euectiones, & quidquid magnũ est, præ te contempsimus.

1.Reg.6.

Tertio, *& secuti sumus te.* In hisce postremis verbis vera animæ magnitudo, altitudo, nobilitas ac virtus sita est. Multi quidem omnes facultates reliquere, sed alea, dissolutionibus, ingluuie, libidine, ac vanitatibus amis-

Perfectio sita in Christo sequendo.

amissas, ac proinde ad extremam redacti sunt inopiam, non tamen propterea secuti sunt Christum. Illa bonorum cessio pusillanimitatem atq; inertiam, hæc magnanimitatem & generosum quid inuoluit.

Matth. 16. Luc. 9. Ipse Dei filius suos ad hanc magnitudinem & generositatem Christianam inuitans in Euangelio dicebat, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.* Notate Christiani, non dici hic vt præcedamus eum; hoc namque fieri nequit, quoniam *datum est illi nomen, quod est super omne nomen*, Phil. 2. & de eo dicitur, *Domine quis similis tibi?* Psal. 34. & alio loco, *Non est, qui similis sit tibi.* Nec vult nos ad latus suum incedere; nam quandam hoc æqualitatem denotat, & rursus hoc penitus impossibile est, nam idem ipse Apostolis alias ait, *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Ioan. 8. Verum dicit, *post me* atq; hoc inferiorum est, & in eo omnis creaturæ situs est honor, suum scilicet vt creatorem sequatur, vt famulus dominum, ducem miles, regem assecla. Vnde & in sacris libris legimus, *Quoniam magna gloria sequi Dominum, &c.* Eccli. 23.

Paupertas Euangelica vera Christi crux. Quid opus ergo est facto, vt quis *abneget semetipsum?* vt enim Christiane loquamur & spiritualiter, abnegatio aliud non est, quam derelictio aut cessio. Qui igitur ad perfectionem adspirat, non modo bona, facultates, honores, agros, parentes, consanguineos deserat oportet, sed seipsum abneget; nihil præter crucem gestet, id est, afflictiones, tribulationes, & Euangelicam paupertatem amplectatur: crucem inquam, in qua Christus fuit coronatus, & è qua cœlos ascendit, & in qua à centurione vt verus Dei filius in monte Caluariæ agnitus est.

Num. 21. Eandem etiam virtutem ostendit magnus Dei seruus Moses, cum Ægypto egrediens, terramq; promissionis petens vniuersarum tribuum nomine ad Sehon Regem Amorrhæorum legatos destinauit, dicentes: *Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas de puteis, via regia gradiemur, donec transierimus fines tuos.* Barbarus hic Amorrhæorum tyrannus mundi huius imago est, per cuius terram transeuntes Dei serui nihil secum ferant oportet, non agros, non vineas, neue alias vllas possessiones, sed regia gradiantur via, donec eius terminis territorioq; excesserint. Cæterum via regia est rerum omnium contemptus. Hoc porro ritu vitam instituit glorioſus Abbas sanctus Benedictus; hoc & ipse iter renuit, & tot illustribus animabus complanauit. Magnus inquam ille Benedictus, qui Mosis imitatione, mundi Ægypto egressus est, & ingens Sanctorum Religiosorum agmen in veram promissionis terram deduxit, nihil in hoc mundo inferiori, præter solum transitum postulans, vanitates eius vniuersas & cætera omnia conculcauit.

Regi Amorrhæorum cõparatur mundus.

II. Euangeliũ Apostolorum S. Benedicto accommodatum.

Hinc etiam Ecclesia sancta, vt laudes eius altiori plectro sonaret, & animi illius magnitudinem, sanctimoniam, & admirabiles virtutes longe lateque dispergeret; illustre hoc illi Euangelium, Apostolorum triumpho recensendo reseruatum accommodauit, *Ecce nos reliquimus omnia.* Circa quod vt benedictiones & mirabilia admirabilis huius Benedicti deprædicentur; primo vobis eum ob oculos, velut insignem mundi contemptorem ponam, deinde vt inclytum Religiosorum Patriarcham repræsentabo & duobus hisce punctis ac fundamentis (beneuolos modo vos in audiendo experiar) hanc exhortationem inædificabo, atque ita vniuersam prope illustrium eius factorum ac præclarorum operum historiam decurram.

S. Benedictus longo tempore in spelunca delituit.

S. Benedictus igitur adhuc iuuenis & in flore ætatis, ac vere annorũ constitutus, animo ac piis motibus plenus mundo eiusque vanitatibus valedixit, inque desertum concessit, in quo longo tempore speluncæ cuidam inclusus delituit, mundo incognitus, solius Dei, ob quem se à cæteris rebus elongarat, vicinia ac præsentia cõtentus. Hic sancta illa anima à terrenis vinculis libera, & ab omnibus mundi laqueis pedicisq; absolutissima soli Deo intendebat; spiritus eius ad solam cœlestem pulchritudinem contemplandam ferebatur, intellectus creatoris ipsius mirabilia mirabatur; voluntas ad eum honorandum, amandum, diligendum vnice tendebat; memoria gratiarum eius & beneficiorum nunquam non recordabatur;

S. Benedicti in deserto occupatio.

tur; oculi præclaram & admirabilem totius vniuersi fabricam, vt inde ad fabri & conditoris laudes mens assurgeret decantandas, assidue contemplabantur; genua in terra flectebat ad vnum Deum adorandum; manus iungebat & complicabat ad misericordiam diuinam suis delictis impetrandam, precesque quotidianas offerendas, os linguamque nonnisi ad Dominum benedicendum, eiusque laudes celebrandas laxabat; corde vero, vt perfecte fideli cum amore & perfecto in fidelitate, & super omnia eleuato diligeret, vtebatur. Denique vniuersum corpus, omniaque eiusdem membra & partes, & perfectam eorumdem Deo subiectionem & honorem illi, profundumque atque humile obsequium deferendum impendebat.

Magnus olim Deus animas ad perfectionis magnitudinem his est verbis adhortatus, *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Eccl.24. quibus nos amorem & affectum mutare vult, & amorem concupiscentiæ, qui seruilis, & mere mercenarius est, in veræ amicitiæ & beneuolentiæ conuertere: vt nimirum pure ipsum & simpliciter propter seipsum, & non ob aliud quippiam diligamus. Amor, quo eum S. Benedictus prosecutus est, huiusmodi fuit, nihil quippe præter Deum dilexit, & ideo tantum, quia diligibilis erat.

Ad primum hunc amorem Regius Propheta olim incitabatur, cum Deo diceret, *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*, quasi diceret, Modo decreui serio & ex animo tibi seruire, sed ea conditione, ne mercede destituat, tuque obsequium impensum remunereris. En, vt amor mercenarius bonis commoditatibusque temporalibus affixus sit, vt amor concupiscentiæ prosperitates & prærogatiuas proprias spectet. Verum deinde ad perfectionem tendens, & affectum commutans, amorem quemdam beneuolentiæ ostendit, dicens: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* quasi diceret: Non amo nisi te, te solum diligo, tu vnicus amoris mei scopus, non te amo ob bona & prærogatiuas, quas elargiri mihi potes, quæq; à magnitudine ac maiestate tua possum ac debeo sperare, at duntaxat ob solam bonitatem tuam, ob amorem tui, & quoniam nimis amabilis es.

In huius rei sequelam notarunt Patres, ac docuere, tum cum gloriosus Apostolorum Princeps Petrus, & Jesu Christi vicarius verba hæc pronuntiat apud Matthæum *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* locutum esse vel ad solatium imperfectorum, vel forsitan vt nouitium ac tironem inexpertum, qui que in illis materiis non satis erat versatus, nec rebus spiritualibus assueuerat. Matth.19. Verba S. Petri exposita.

Patriarcha Jacob eiusdem erat genij, & eodem ritu viuebat, cum diceret: *Si Dominus fuerit mecum & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, &c. erit mihi Dominus in Deum*, & toto vitæ tempore humile illi deferam obsequium. Bimembris eius erat petitio, petebat enim primo Deum possidere, deinde pane rebusque temporalibus non destitui. Primum amoris beneuoli erat, qui vnicæ Dei possessioni intendit, at secundus amoris concupiscentiæ, qui semper commoditatibus temporalibus inhiat. Atq; hanc ob causam cum bipes incederet, & duplici cor eius amore teneretur, femoris eius Angelus neruum tetigit, claudũque reddidit, minime permittens, vt desideria eius adeo inordinata forent, & affectus in auia distracti. Qui enim Deo nititur, nullo indiget fulcro, potest quippe ille appetitus nostros mutare, voluntatique satisfacere, quin imo non in mediocrem eius vergit iniuriam, desiderare & amare cum ipso simul & alia, imo vero meram esse fatuitatem censeo, duplici incedere passu velle, duplici inquam amore impelli, qui se inuicem minime ferunt, & alter alterum odit. Gen.28. Cur Angelus Jacobũ claudicare fecerit.

Hæc etiam est Gregorij Magni moralis expositio, qui hanc Jacobi historiam allegorice sic interpretatur: *Hinc Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit, quia, qui vere amore sublimia respicit, iam in mundo duplicibus incedere desiderijs nescit: vno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, & necesse est, vt alius marcescat.* Inc.4.Iob.

Credendum porro est, sanctum nostrum

Benedictum, qui vitam tam tempestiue adeo sapienter instituerat, affectusque suos moderatus erat, vti nõnisi Deum solum possidebat, ita quoque nonnisi ab eius vnius amore possessum atque occupatum fuisse, vnico hoc animam eius & corpede incessisse, & quidem recta secureque in hoc latus declinasse, cætera claudicasse: Credendum, inquam, sancto hoc eum & vero amore plenum mundum deseruisse, vanitates eius pedibus protriuisse, non vero altero, qui concupiscentias spectat, ebrium fuisse. Norat enim ita in oratione Dominica à Redemptori rogari præceptum: in qua diuini nominis sanctificationem ante, quam regni cœlestis possessionem petere docemur. Iubemur siquidem prius dicere, *Sanctificetur nomen tuum*, quam, *adueniat regnum tuum*. Quo cœlico ac Spiritus S. dogmate edocemur, Deo potius seruiendum, eum ex toto corde diligendum, illius honorem & gloriam quærendam quam cõmoda attendenda, aut mercedem sperandam.

S. Benedictus amore sancto plenus mundum deseruit.

Quærenda potius Dei gloria quã nostra commoda.

III. S. Benedictus perfecte mundũ contẽpsit.

S. Benedictus ergo corde à vero perfectoque amore inflammato, ac mentẽ fideli periculorum & insidiarum mundanarum cognitione illustrata, generosa quadam constantia mundum deseruit, eiusq; vanitatibus nuntium remisit, idque heroico quodam proposito, communi & humano longe maiori. Exteriora quidem, quæque in mundi huius theatro adeo sese efferunt, per voluntariam contempsit paupertatem, corpus rigida quadam carnis castigatione edomuit, voluntatem sui ipsius renunciatione subegit, ac seipsum voluntatis propriæ abdicatione abnegauit: atque in his omnibus integra perfectaque consistit rerum mundanarum abdicatio ac vituperium.

Externa quidem perfectissime contempsisse vero est verius; & iam inde ab adolescentia, honoribus terrenis ac diuitiis cessisse. Nec vero rationes desunt, quibus ad hãc cessionem faciendam inductus est: quarum hæc prima, Ob vanitatem eorum nimirum, & quod temporalia nonnisi vmbra quædam sint, & inanis & phantastica imago, quæ vel momento pertranseunt, & nunquam stabilia aut fixa permanent, somnia mera, omnis corporis expertia, & ad minimam expergefactionem somniantium in auras euanescentia, meræ nugæ, honore & vtilitate omni carentes, corda potius iisdem inhiantium inescantes, & fascinantes: denique adeo volatilia, vmbratica & fugacia, tamque exigui ponderis ac valoris, vt non immerito stolidus ille & amens censendus sit, etsi forte ingenio iudicioque alias polleat, qui ea ita ambit & amat, quasi & quæri & ab homine diligi quam dignissima forent.

Potens quidam princeps veritatem hanc perspectam habens, vniuersosque mortales ad mundanarum rerum contemtum ac nauseam adhortatus, quam iam ipse, vtpote relictis omnibus amplexus erat, his eos verbis compellat, *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* quasi dicat, quanta vestra, ô mortales, stoliditas & cæcitas, vt ad æterna creati, temporalia tanta contentione prosequamini? Quam dementes ac vecordes, vt cum summa & sincera vobis promissa sint bona, instar brutorum inferioribus & vilibus adhæreseatis? Proh animos degeneres & inertes? vt cum cœlũ in quo sceptra vos ac diademata manent, obtinere possitis, terra vobis sufficiat, in qua malorum miseriarumq; illiadem incurretis. *Psal. 4.*

Philippus Macedonũ rex, vt quidem profanæ referunt historiæ, viso filium Alexandrum in pueritia taxillis (est id exercitium iuuentuti proprium & permissum) ludere, acriter eum corripuit, negauitque eũ lusum Philipi regis filio, qui ad orbis imperium destinabatur, decorum esse, vtpote vilem nimis & tali Principe indignum. Hæc quidem in gentium scriptis, sed in sacris legere est Jesum Christum, Regem regum, ipso extremæ cœnæ suæ die, dum de prærogatiua ac maioratu Apostolos inter se videt contendere, & ambitione quadam de honoribus decertare, *quis eorum esset maior*, benigne eos suauiterq; reprehendisse dicendo, *Hæc gentes inquirunt, vos autẽ non sic.* dicere cupit: Indignũ est vos, Apostoli, honoribus inhiare, ad magnitudinem aspirare, dignitates captare, mundana conquirere, deq; iisdẽ esse solicitos, hæc gentium sunt & barbarorũ, Deum ignorantium, fidei *Matth. 27.* Reprehendit Apostolos Christus, quod terrenam gloriam spectarent.

fidei expertium, & alio in mundo nihil omnino sperantium: at vobis hoc indignum, vobis inquam, discipulis meis, qui paupertatis professionem fecistis, qui mundum dereliquistis, & supremum bonum in altera vita exspectatis.

Matt. 20. Zebediadæ à Christo reprehensi.

Idem ipse mundi assertor Christus Zebedæi filiis permatrem ad dextram & ad sinistram eius in regno confessus, i. mundanos honores, dignitates, ac prærogatiuas petentibus: *Dic vt sedeant hi duo filii mei, vnus ad dextram, & alter ad sinistram in regno tuo*; respondit, aut potius acriter eos corripuit, dicens, *Nescitis quid petatis*, i. plebeios nimium animos præfertis, ac mentem nimis angustam, nimis exigua poscitis, qui regno cœlesti destinati estis, qui vniuersos mortales diiudicaturi, qui Euangelii præcones, veritatis doctores, Ecclesiæ columnæ, & animarum doctores constituti, dum sc. infima hæc & vilia petitis, & toto mentis affectu in honores & mundi vanitates ferimini. *Nescitis*, inquam, *quid petatis*, q.d. Vos pueri estis nescii & ignari, nescitis quid petatis, dum sublimium loco vilissimis & minimis esse vultis contenti. Is namque suis in postulationib. errat, ac quid poscat, nescit, qui vanitates poscit, & ad æterna natus & vocatus, terrena sibi putat sufficere, qui propter nihilum supremum deserit bonum, qui interminabilem ac nunquam finiendam felicitatem cum gaudio, mox vt natum est, intermoriente, & minime perpetuo commutat: denique qui cum rex esse possit, & in regno quidem æternum duraturo & nunquam terminando, satis sibi esse putat, si vel plebeiam sortem, eamque triualem in terra nanciscatur.

Ignorantia hominum, dum æternis reiectis, temporalia tantum quærunt.

Filii hominum vsquequo graui corde? ô humana cæcitas! ô iudicia nimium quantum à recto aberrantia! ô nimis iniqua mensura, & statera dolosa! primus hanc detexit Psaltes regius, & exclamat velut rem prodens, *Mendaces filii hominum in stateris.* ô iniquitas! ô falsitas! eo quod in illorum bilancibus vanitates magni sint ponderis, lancemque deprimunt, & magna nullius, quod in ponderando metiendoque insignem fraudem falsitatemque redolet, non secus ac si pluma maximæ auri massæ, aut aliis rebus grauibus soli-

Psal. 61.

disque nimium quantum præponderaret.

Mundani mundana lance ponderant.

Non ita suis mensuris errabat S. Benedictus, sed in iudicii eius libra mundus, eiusque vanitates vniuersæ nonnisi pluma videbantur, & quam leuissima; at cœlestia ac sempiterna sola magni apud eum erant ponderis, animumque & desiderium omne ad se rapiebant. Hinc animæ eius bilanx persimilis illi Paulinæ, qui Apostolus, vt æquitatem ac sinceritatem spectans, & nullam in ponderando committens fraudem, dum mundi inanias, honores atque opes in iudicii sui statera poneret, earumque leuitatem perspicere, ait: *Omnia arbitror vt stercora*, q.d. Extollat, quicunque voluerit, mundum, honores, pompas & splendores eius; equidem ea vt sordes & stercora habeo, nec pluris quam ramenta, fraces, spurcitias, aut amurcam facio.

2. Ratio cur S. Benedictus mundum deseruerit.

Altera cur mundum deserere S. Benedictus voluerit, ratio eius fuit fraus & impostura, ac quæ in eius officina elucet fallacia. Et sane mundus insignis quidam impostor & mango est, & quidquid in eo habetur, meræ fraudes & deceptiones. Hinc merito rectèque in ipsum quadrat, quod de impio scribit Psalmographus, *Non est timor Dei ante oculos eius, verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere vt bene age et*: mundus siquidem iniquus est, vt qui maxime, & supra omnem modum impostor: timor Dei eius ab oculis exulat, verba quæ profert, mera iniquitas & mendacium, ac nunquam bonum vt ageret, in animum inducere voluit.

Psal. 35.

Impium eiusque dolos graphice depingens Sapiens, hoc eum periculo delineat, *Cor tuum plenum est dolo & fallacia.* Quam scite hoc eleganterque in mundum quadrat? ipse namque nequam est per omnes casus, scelestissimus & vaterrimus: cuius non cogitationes dumtaxat suspectæ sunt; verba mendacia, & opera iniqua, verum & omnia intestina eius falsitatem spirant; hinc cor eius & anima fraude doloque refertissima sunt.

Eccl. 1.

Mundus plenus dolo.

De Labani ingratitudine expostulans Iacob Patriarcha eum imprimis vt fraudulentum sugillat, seque sæpenumero ab eodem queritur, interim dum apud illum commoratur, circumuentum. Ita porro apud vxores de eo expostulat, *Sed & pater vester circumuenit*

Gen. 31. 7.

Mundus impostor ordinarius est.

me, & mutauit mercedem meam decem vicibus. Quanto æquius vir sapiens hoc pacto de mundo conqueratur! ipse namque metus impostor est, & deceptor ordinarius, qui nunquam non in fraudem pellicit, & hactenus omnes decepit, qui eius se cultui dicarunt. Has igitur eius fraudes perspectas habens S Benedictus, mature eum voluit deserere. Non est viri cordati ac sapientis, qualis erat Iacob, decies sibi ab idololatra Laban sinere imponi; maturius se ab eo subduxisset. Hominis autem iudicio valentis, & magni animi non est pati, toties vt sibi mundus imponat, toties in fraudem pelliceat, ante sibi caueat oportet, & tēpestiue ab eodē recedat.

Prou. 32.

Sapienter proinde nobis consulit Parœmiastes: *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* quæ proculdubio parœmia de mundo hoc capienda, cuius panis esca, vitæ ratio, conuersatio, ritus, delitiæ, voluptates, meræ sunt fraudes, & impostura: quicumq; ergo rite sibi consulcum volet, numquam de hisce ferculis missibusq; quidpiam gustabit.

Mundi voluptates sunt mendaces.

Mundi mensa panem habet mendacij.

In mundi igitur mensam nonnisi panis infertur mendacij; & mangonis huius epulæ & conquisitissima fercula præter illusiones & fraudes nihil sunt. Illis ergo verbis nobis insinuat Sapiens, voluptates, delicias (qui sunt adulterini huius inuitatoris missus) nonnisi fallaciam & mera mendacia esse. Simile quoque consilium nobis suggerit rex ille sanctiss. & alta inclamat voce, *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non abiit in vanitates & insanias falsas.* Locus hic paulo est obscurior & intricatior, cuius vt sensum ac verum intellectum dent Patres, allaborant. Recentiores nonnulli, vt Euthymius, quem alij non pauci sequuntur, per *vanitates* hasce idola Gentium, & per *insanias falsas*, eorundem oraculorum superstitionem intelligunt. Longius abiens S. Hieron. è fontibus Hebraicis hoc modo vertit, *ad superbias & pompas mendacium* cosmophilorum.

Psal. 39.

Loci è Psalmis difficilis expositio.

Verum communis & generalis aliorum Patrum & Doctorum, vt Ambrosij, Augustini, Chrysostomi aliorumq; plurimorum, expositio est, per *vanitates* has intelligenda omnia vana auxilia, quæ cum in hominibus, tum in alijs rebus creatis reperiuntur; per *insanias* vero *falsas* mundi fallaciam & imposturam; quæ idcirco insaniæ dicuntur, quod à socijs stolidis & insanis amentur, & quærantur, sed ad lineam redeamus.

Mundana dicuntur insaniæ falsæ.

Tertia, ob quam S. Benedictus à mundo recessit, ratio est, quod in alterius vitæ bona spem omnem dirigeret, quæ infinitis partibus, & nullo non intuitu mundana hæc & inferiora præcedunt. Testatur hoc in Euangelio Christus, cum Apostolos animans hisce promissis onerat, *Vos qui secuti estis me, centuplum accipietis &c.* q. d. Qui quæ mundi sunt, nempe honores, dignitates, diuitias agros, regna, propter me reliquerit, centupla, & maiori etiam fœneratione in altero mundo remunerabitur.

3. Ratio cur S. Benedictus mundum deseruerit.

Matth. 19.

Huc spem suam conuertens magnus ille Gentium Doctor Paulus, & alios exstimulans, ne quid terrenum ambirent, his eos verbis suis in aduersitatibus animabat, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Id est, Nolite generosæ mentes, heroica & infracta corda, in vitæ huius aduersis lassari quin potius certi estote omnes passiones nostras, & quidquid hoc in mundo patiendum occurrit, ad gloriam, quæ nos manet, & promissam in altera vita mercedem comparatum, nihil prorsus esse.

Rom. 8.

Historiarum monumenta ferunt, Alexandrum Macedonem à Patris Philippi morte, cum Indiarum imperium meditaretur, quidquid in Macedonia terrarum, agrorum, locorum, oppidorumque maiores bello armisque compararant, inter suos clientes ac satrapas distribuisse. Quam eius effusam largitionem cum vt prodigam & temerariam cordatiores viri ac vulgus culparent, vitioque darent verterent, hanc à se culpam dimouens, ac generose respondens, nemini nouum hoc aut peregrinum videri debere dixit; studio hoc se & debita opera facere, ideoque enim auitis paternisque sepossessionibus cedere, quo vastum Indiarum regnum maiorum imperio adiiceret, quod vniuerso Macedoniæ regno centuplo præualebat ac præponderabat. Et sane, quicumque regiæ est indolis, virtutis studiosus, & generosum & regium animum præferens, regis huius exemplo graue duce-

Insignis Alexandri Magni facinus.

re non

re non debet, quidquid in mundo est, contemnere, idque in egenos effundere, vnica cœlesti hæreditate contentus, & orientalis illius Indiæ imperium sibi reseruans, quæ millecuplo & sine vlla comparatione omnes mundi amplitudines ac dominia transcendunt.

Hoc præstitit magnus rex iuxta ac propheta Dauid: nam inferiora hæc despiciens, & sola cœlestium spe nixus, etsi patentissima regna temporalia possideret; hæc negligens ac nihili faciens, & ad longe sublimiora anhelans mentemque sustollens, ait, *Vnam petii à Domino, hanc* toto vitæ tempore *requiram, vt inhabitem in domo Domini.* mox vt è vitæ huius carcere euolaro. Expresse palamque ait vnam se dumtaxat rem petisse, cœlorum inquam hæreditatem; ob eamque & eius gratia omnes alias mundanas contemnere. Et alio loco suos sancta quadam cum contentione affectus repetens dicit, *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculo peccatorum*, id est, Mundus ita mihi displicet, cœlumque adeo sapit & arridet, vt electione & optione data, esse pauper & inglorius in Domini mei malim habitaculo, quam locuples & commoditatibus affluens in tabernaculis agere peccatorum, in medio regnorum & imperiorum. An non hoc, Alexandri more, auitis bonis cedere, & maiorum possessiones, mundi licet asseclæ indignentur & ringantur, deserere; vt regni cœlestis possessionem adeat? An non hoc & S. Benedictus noster præstitit; qui iam indeab ineunte ætate, rerum supernarum & æternarum excellentia ac dignitate præ oculis habita, ilico in temporalium perituramque contemptum venit?

Psal. 16.

Insigne Dauidis generositas.

Psal. 83.

4 Ratio cur mundum S. Benedictus relinquere voluerit.

Quarta denique & postrema ratio, quæ generosum hunc adolescentem induxit ac permouit, vt mundo nuntium remitteret, fuit, vt scilicet liberius minorique cum difficultate ac labore Iesu Christi crucem sequeretur, illiusque in officio & obsequio constantius perduraret. Qui enim negotiis mundi huius implicatus & immersus est, terrenisque affectibus inescatus; vix se mouere potest, & ægre libertate sua vti ad Deo famulandum, animamq; in eius obsequium dedicandam.

Rei huius exemplum velut allegoricum in Iacobo cernere licet. Hic enim cum fratri Esau è Mesopotamia rediens factus esset obuius, post mutuos medio in agro amplexus, & pro more salutationes, & Esau instaret vrgeretque, vt simul ambo iunctis turmis proficiscerentur; amice placideque se excusans, itinerisque difficultatate incommoditatisque propositis, respondit: *Nosti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & boues & oues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges: præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius, &c.* Iacob hic greges innumeros secum trahens, vt sequi Esau proficiscentem minime possit, mundanum hominem figurat, qui boues & oues fœtas secum habens, id est, affectus, desideria & cogitationes ambitionibus, concupiscentijs, passionibus & auaritia turgidas, negotijsque ac rebus mundanis grauatus, nec Iesum præeuntem sequi, nec sanctorum insistere virorum religiosorumque vestigijs potest præcedentium, & velociter per diuinorum mandatorum vias currentium; eius ad instar, qui ab omni sollicitudinis fasce & onere liber, atque à mundi pedicis curisque plane solutus, tam generose dicebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

Gen. 33.

Iacob gregibus & armentis impeditus hominis mundani imago est.

Hominis mundani imago.

Psal. 118.

Idem in Euangelio exprimitur per parabolam inuitatorum ad nuptias; ad quas tria hominum genera magno cum honore à rege magno vocata venire detrectarunt, suam quisque excusationem afferentes. Primus ait, *Emi agrum, & habeo necessitatem exire & videre illum*: alius villam se coemisse, quam inuisi à se ait oportere; tertius denique matrimonium recens initum in purgationem attulit, *Vxorem duxi, ideo non possum venire.* Primus auarorum, secundus ambitiosorum, tertius lasciuorum imago est: qui omnes in mundo, velut vinculis, illi opum & honorum, hi voluptatum pedicis constricti, ita sunt intricati & implagati, vt tametsi cœlitus ad beatitudinis nuptias inuitentur, eas dem

Luc. 18.

Parabolæ insignis expositio.

easdem adire nequeant, negotiorum & onerum molem in excusationem prætexentes, atque hoc pacto semper obstricti, ac veluti mancipia catenata in mundo manent.

Temporalia non nisi onera & impedimenta sunt hominem impedientia.

Et sane temporalia, & omnes terrenæ quisquiliæ ac nugæ, non nisi grauia impedimenta sunt & onera, quorum pondere ita hominum humeri prægrauantur, vt Christum sequi, & ad cœlestem beatitudinem tendere minime valeant. Ita hoc exponit S. Bernardus in sua Psalmorum paraphrasi: *Super Psal. 18.*

Quia, inquit, *exultauit Christus ad currendam viam, nec currere in sequi poterat oneratus, bona temporalia dimittere; & quia certandum est in agone, quia regnum cœlorum vim patitur, ab omnibus abstinere debemus, & nudi pugnare, & currere vt Religiosi, qui duces sunt Ecclesiæ candidi, expeditos nos esse vult Dominus ad equelam*

Quorum verborum is sensus est, ad Christum sequendum, & Euangelica fruendum libertate, non corpore, non humeris, sed animo & mente ab omni negotiorum mundanorum pondere expedita ac libera opus est.

Num. 32.

Tales erant olim inter reliquos filios Israel, Rubenitæ & Gaditæ, vt in libro Numerorum legere memini: qui generose atque athletice, suis relictis gregibus, & familia, vt aduersus Dei hostes in bellum proficiscerentur, his Mosem verbis sunt allocuti: *Nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos in loca sua. Paruuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in vrbibus muratis.* quasi dicerent, nullo nos impedimento onerare volumus, nullasque nobiscum ferre facultates, ne eæ nobis obstaculo sint, quo minus rem in bello viriliter geramus, & in prælio nos viros declaremus. Beati porro illi, qui Hebræorum horum exemplo aduersus mundum decertantes, & vitijs bellum denunciantes leui tantum armatura induti in aciem procedunt, omnia pessumdant, nihilque secum assumere satagunt, ne forsitan hoc à benefaciendo illos auocet, & obstet, quo minus inimicos debellent, deleant & conficiant.

Allegoria.

Psal 76.

Hinc nõ à scopo aberrarunt Sancti illi Patres & Doctores, qui hunc Psalmistæ locum, *Vox tonitrui tui in rota*, exponentes; diuinorum tonitruum vocem in illa esse dixerunt anima, quæ rebus omnibus mundanis pessumdatis, rotæ in morem terram vix attingit. Et sane quicumque mundi vanitates explodit, & rebus terrenis animum affectumq; non affigit, facile voluitur, idque sine vllo prorsus impedimento, instar orbitæ, ac sine labore aut molestia. Sola porro Dei vox eidem vertendæ sufficit, & vnica cœlestis inspiratio nimium quantum satis est ad eam commouendam & concutiendam.

IV. S. Benedicti austeritas in corpore edomando.

Huius farinæ erat Benedictus noster, qui penitus à terrestribus liber, & cœli potius ciuem quam terræ inquilinum agens, corde in cœlestia librato & anima sursum vergente, non modo terrena despexit omnia, sed & seipsum neglexit, nulla corporis habita ratione. Quam parum de illo delicate habendo, enutriendoque sollicitus erat, quam parum de diuturno somno, molli strato, veste nitida exquisitaque laborabat? E contra vero adeo rigide ipsum habuit, tam tenuiter sustentauit, tam acriter in ipsum animaduertit, tam viriliter vestiuit, tot alijs modis afflixit, tamque parui ipsum fecit, vt habere se corpus, & è carne constare, vt cæteri mortales, oblitus videretur.

S. Benedictus à carne impetitus in spinetũ se abiicit.

Quis ignorat, quo in vitæ ratione rigore vsus sit, qua in corpore castigando seueritate, qua in eius gubernatione prudentia? quadam namque die carnalibus stimulis impetitus, & à lasciuo dæmone impugnatus, in vepretum nudus se abiecit; hoc carnem tormento cruciatuque edomans, vt hoc pacto lacera vndique & concisa, sanguineque promanante perpluta, ab impugnando desisteret subacta, & spiritus de eadem triumpharet, hoc igitur modo insurgentes ac rebellantes carnis motus compescuit. In quo S. Pauli prudentiam est imitatus, qui, quoties à corpore impugnabatur ratio, in ipsum seuere animaduertere, & velut mancipium subigere se scribit, *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo.* *1. Cor. 9.*

Quin imo diuinum in eo Redemptoris Christi secutus est consilium; ita namque apud Matthæum piis animabus ipse consulit; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*, id est, mortificandæ carnis *Matth. 16.*

nis & omnis affectus terreni crucem libenter in humeros sustollat. Quid est autē crucem tollere? crux mortis est infamiæ ac cruciatus instrumentum, maleficorum suppliciū: crucem ergo in humeros tollere est corpus hoc Deo aduersarium, & tot criminum reum ad mortificationis supplicium rapere, & cum Iesu Christo cruci affigere.

Quid sit crucem tollere.

An non in passionis Dominicæ historia duos cum redemptore in Caluariæ monte latrones crucifixos legimus? *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, alter à sinistris.* Mundus & caro nobiles duo sunt latrones, ac maxime metuendi, quos Iesu Christo concrucifigere, & in cruce eius omnigena austeritate, mortificatione, & rigoribus enecare oportet. Enecauit Apostolus ille Magnus, & hoc in corpus rigore est vsus; Audiamus quid de se ipse scribat; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quasi diceret: Duos insignes latrones, mundum inquam & carnem propriam morti adiudicaui, & ad crucis supplicium rapui; quibus hostibus sublatis iam tranquillam sanctamque vitam ago. Hac igitur ratione corpus nostrum edomandum, ne insolescat, cornua tollat, & aduersus spiritum concupiscat, in ipsum insurgat, conspiret, & rebellionem concitet.

Matt. 27.

Gal. 6.

Egregiam huiusce rei Allegoriam suggerit Genesis. Iacob quodam die Angelo factus obuius, humanæ vilitatis, & angelicæ magnitudinis dignitatisque, ac reuerentiæ, qua creatura adeo sublimis digna erat, quodammodo immemor, cum ipso in luctam descendere, eiusque virium facere periculum voluit. Angelus vbi se compeditum, nec commode ab aduersario expediri posse vidit, nec ei præualere, *tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit, ipse vero claudicabat pede.* sæpe ijdem inter carnem ac spiritum conflictus, eadem certamina oriuntur ac luctæ; *caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Verum vbi spiritus, qui Angelicæ ac cœlestis plane naturæ est, carnem, velut alterum Iacob, cernit insolescere, & nulla dignitatis eius habita ratione, cum ipsa plebeia sit & triuialis, secum luctari & decertare velle; femur eius tangat, & eneruet, id est, delicias succidat, voluptates auferat, omniq; alia carnali delectatione priuet; quo facto ilico ipsa certamini se subducet, cum ignominia aduersarium deseret, ac victoriam illi & triumphum inuita licet deferet.

Gen. 32.

Gal. 5.

Allegoria.

Statim vt Abrahæ circumcisionis præceptum datum est, Isaac illi filium nascturum, promissum accepit. *Et ait Deus ad Abraham, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisq; nomen eius Isaac* Sublime hic reconditum latet mysterium, denotaturque, post affectionū carnaliū abnegationem, carnisq; mortificationem, quarum circūcisio ipsa figura fuit, gaudij sempiterni, cuius Isaac imago (quod nomen risum sonat) benedictionem homini promissam esse.

Gen. 17.

Non latebant hæc sanctum virum, cum non contentus mundo se subduxisse, corpus ipsum contempsisse, hunc ipsum etiam contemptum animæ fronti per voluntatis propriæ abnegationem & renunciationem voluit insculpere. Voluntatis siquidem frænos & moderamina cohibuit, suosque etiam edocuit superioribus eamdem submittere. Idque Redemptoris ipsius exemplo, qui hac de re loquens de se ipse dixit. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris.* Si ipse Dei filius voluntatem ab alio moderatore ac directore dirigi voluit; quomodo suam homo diriget ac moderabitur? si, qui cœlum terramq; moderatur, & nulla in re errare potest, sub Patris beneplacitum voluntatem suam redigit, eiusque directionem in alium reijcit, quomodo peccator, qui ad singulos prope passus cespitat & impingit, omni in via labitur, appetitus ipse suos regere, affectus conducere, ac voluntatem diripere audeat, in media vitæ huius rebellione, conflictu ac certamine constitutus?

S. Benedictus propriam voluntatem abnegauit.

Ioan. 6. Christus suæ renuntiauit voluntati.

Dauid rex in sancto hoc edoctus ludo, in quo moderandarum passionum & affectuum refrænandorum ratio traditur, voluntatis propriæ directionem à se abijciens, in Deum eandem reiecit. qua re gloriabatur, ac velut egregie mortificatus aiebat, *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*, nunquam à te recedens. Nulla iumento voluntas est,

Psal. 72.

tas est, nec quocumque allubuerit, tendendi potestas, sed ductoris iussa ac manum in omnibus sequatur oportet, non secus se apud Deum esse insinuat sanctus hic rex, voluntatis ductum impetumque minime sequens, sed iussis, imperio ac legibus diuinis plane se conformans, atque in omnibus subiiciens.

Simile. Insignis in animali, & equo præsertim, dos est & perfectio, si tractabilis ac ductilis sit, insessori pareat, & ad minimum fræni motum prompte obediens se moueat: è contra vitium & reprehensibile, si quando refractarius frænos non patitur, aduersus calcatia calcitrat, & insidenti resistit. Ita insignis est virtus, & magni meriti; summaque hominis perfectio, vbi omnem exuit sensum ac voluntatem, alterius legibus paret, superioris iussa capessit, & ad alienum nutum actiones componit, vti vice versa insigne vitium & rebellionis signum, mandata recusare, superioribus resistere, voluntatis propriæ ductum impulsumque sequi, & nonnisi, quod sensualitati propriæ videatur, facere velle.

Turpe est seipsum regere velle.

Hac via conuersionem suam cœpit Apostolus; id est, propriæ voluntatis abnegatio & repudium initium fuit summæ, ad quam pertigit, perfectionis. Deo namque ad vitæ emendationem ac resipiscentiam euocanti ilico respondit, *Domine quid me vis facere?* quasi dicat: Agnosco, eheu! Domine delicta, rebellionem meam plango, deinceps propriæ sequi voluntatis arbitrium nolo, sed tuæ in omnibus & per omnia me attemperabo. Quid ergo me vis facere? quomodo de me disponere cupis? quo vitam vis modo instituam? ecquod à me tibi impendi desideras obsequium? Quid à me, Deus bonitate & misericordia plene, postulas? ecce arma abiicio, tibi seruire, mundum derelinquere, ac te sequi, denique quacumque occasione vitam sanguinemque cultui tuo impendere paratissimus.

Actor. 7.

Insignis Apostoli generositas.

Exinde vero vbi ad summum perfectionis apicem peruenisset, & dicta olim executioni mandasset, aperte de seipso profitetur, *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus.* perinde ac si dicat, Propria voluntas non magis in me viuit, quam in cadauere vitæ omnis experte, si qua vero in me voluntas viuit ac viget, hæc Domini mei Iesu Christi voluntas est, per quem viuo, & quæ fieri videtis, facio; solus ille mearum actionum, operum, voluntatis ac vitæ tum auctor, tum motor est.

Galat. 2.

Eius ingenii animique erat S. Benedictus, hæc eius vita ac perfectio; aliam namque non habebat voluntatem quam Dei sui; animaque eius, maximæ quæ vmquam in mundo visa est, mortificationis palæstra erat. In mundo viuebat, non tamen vt mortalis homo; nam quod Angeli in cœlis sunt, hoc ipse aliquo erat modo in terra. Hic in terra viuens, quotidie mundo moriebatur, & mundum sibi emori cogebat; & hoc moriens modo, vitam ipse viuebat diuinam ac præclaram, & alijs ita viuendi auctor erat. Sed æquo diutius primæ inhæsimus parti, qua quo mundum contempserit S. Benedictus modo dicere polliciti eramus; iam ad secundam dilabamur, & religionis eius felicitatem, sanctique illius Ordinis propagationem describamus.

S. Benedictus aliam voluntatem non habebat, quam Dei.

Nouum hoc stadium ingressurus cum S. Benedictum tot sanctorum Religiosorum, post decessum suum ex hoc mundo patrem ac Patriarcham factum mecum ipse contemplor; reipsa in illo completum video, quod pio seni Mathathiæ in Machabæorum libris proditur in figura contigisse. Is ergo senex insigni honoris diuini actus zelo, videns abominationes ac scelera, quæ in diebus illis per mundum passim laxatis habenis grassabantur, & quibus nullo non loco Dei viuentis honos ac cultus flagitijs contaminaretur, illa minime ferens, statuit vrbes relinquere; quare cum vniuersa familia in solitudinem abijt, & in desertis montibus habitaculum fixit: neque ipse solum, sed & omnibus Dei timorem præ oculis habentibus, & eius obsequij cultusque studiosis, ipsum vt imitarentur, auctor erat. Verba sacræ historiæ audiamus, *Et exclamauit Mathathias, voce magna in ciuitate dicens, Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum exeat post me. Et fugit ipse & filij eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in ciuitate.*

1. Mach. 2.

S. Bene-

S. Benedictus collatus cum Mathathia.

S. Benedictus ergo ad magni huius Mathathiæ imitationem, hinc visis periculis & discriminibus quæ in mundo erant, & illinc quæ quotidie aduersus diuinam maiestatem committebantur criminibus; cum nonnisi virtutem & gloriæ Dei sui incrementum spectaret, vtpote, qui eius se totum cultui consecrarat; & oculi eius tantam cernere abominationem, & animus tam enormia ferre crimina non posset; boni pijque illius regis exemplo, qui mundo succensens, & amore Dei sui accensus ait, *Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*: impiorum contubernio se subducere statuit, & mundo valedicere, vt in desertum concedens, vitam traheret solitariam. Nec sibi soli hocce parauit bonum, sed confestim eius exemplo & sanctarum exhortationum fama commoti infiniti viri sancti, oculos mundo occludentes cœloque aperientes, eamdem semitam institere, & velut noui quidam Lothi. Sodomis egressi sunt in Segor confugientes, & montium cacumina petentes, vt eo loci Domino magna mentis quiete & conscientiæ tranquillitate deseruirent.

Psal. 18.

Gen. 19.

Vix sanctum hoc opus sanctus ille vir adorsus est, quin ilico virtutum eius fama, & sanctitatis rumore, per omnem late regionem peruagante, vti Deus eius felicitatem præsagiens nomen illi Benedictionis impertijt, ita & vniuersus eum mundus deinde benedixerit, & omni sanctarum benedictionum genere cumulatissime repleuerit: Ita quidem, vt iure meritoque hæc illi Ecclesiastici verba adaptari queat, *Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius.* Sic namque sanctum hunc Religiosorum fundatorem exaltare voluit Deus, ita magnum hunc mundi conculcatorem sublime euehere, vt vbique eum reddiderit admirabilem, gratum omnibus, illumque ab omnibus benedici, & ab vniuersis mundi nationibus coli honoratique voluerit. Nulla namque sub sole gens exstitit aut natio, terra licet, vel mari & vtroque sub axe posita, quæ non sanctum hunc virum benedixerit, eiusque merita sanctimoniamque deprædicarit.

Eccles. 45.

Omnes nationes S. Benedictũ honorarũt & benedixerunt.

Gloriosissima Virgo ac mater illustres in se cœlitus, prærogatiuas & charismata collata tacita secum demirans exclamat & præsagit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, & nulla non natio benedictione me cumulabit, *quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Nulla in parte incomparabili Beatissimæ matris dignitati præiudicando, eiusq; meritis vel minimum derogando, vel alijs eam creaturis æquiparando etiam sanctissimis, dixero hoc ipsum in S. Benedicti encomium dici etiam posse, & post Deiparam S. Benedictum inter cæteros sanctorum solum iure meritoque dicere potuisse: *Ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* Et sane omnes gentes; omnes omnino generationes, sæcula omnia, ac terræ populi vniuersi, ante mille & amplius annos, eum vt beatum habuerunt, quod omnipotens ille Deus magna & admirabilia illi fecisset, gratiam immensam & incredibilem in ipsum effudisset, & non exiguis miraculis eum condecorasset.

Luc. 2.

Verba Deiparæ S. Benedicto adaptata.

Quam vero multa *magna* in magni huius Patriarchæ vita & conuersatione eluxerunt? imprimis admirabilis quidã rerum omnium contemptus, incredibilis honoris diuini & salutis animarum zelus, vitæ austeritas non imitabilis, deuotio ac sanctitas incomparabilis, inæstimabilis in tolerandis afflictionibus patientia, inuictus in resistendo tentationibus animus, infatigabilis in sanctarum rerum exercitio perseuerantia & assiduitas aliæque sexcentæ perfectiones & virtutes summe perfectæ, nullus vt vmquam tam perfectas completasque habuerit, & ob quas laudatus ipse & ab omnibus hominibus beatissimis est prædicatus.

Cum pius ille senecio Isaac Iacobo filio benedictionem dedit, tribus eam rebus stabiliuit, rore inquam cœli, pinguedine terræ, & nationum ac populorum omnium seruitute, genuina benedicentis verba sunt hæc: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti ac veni & olei, & seruiant tibi populi* In quo haudubie vera S. Benedicti figura exstitit. Magnus enim hic Religiosorum ordinum Patriarcha, si sensum sustollere velimus, & anagogiam sequi, iis-

Gen. 37.

Benedictiones Iacobi S. Benedicto accommodatæ.

dem in rebus fuit benedictus. Primo, in rore cœlesti, quo diuina gratia & dona cœlestia denotantur. Nullus namque vnquam Sanctorum maiores cœlo fauores obtinuit, aut benedictiones. Non minus quoque fuit in pinguedine & abundantia terræ, id est, in bonis temporalibus & diuitijs benedictus, ordo namque Benedictinus à Principibus & Regibus, agris & opibus & diuitijs plurimis donatus fuit, vt terræ velut optimum ac medullam, & pinguedinem regnorum ac terrarum obtinuisse videatur: adeo vt si quis pulcher, deliciosus, amœnus, & à populari strepitu mundique incommodis sequestratus in Europa sit locus, ab Ordine hoc possideatur, & hunc vt dominum agnoscat.

Ordo S. Benedicti bonis temporalibus affluens.

Hasce illi opes peperit incomparabilis sancti huius patris pietas & deuotio: nam ob nimiam eius sanctitatem & admirabilium virtutum famam permoti, permulti omnium ordinum ac qualitatum, insigni zelo acti, & mundi contemptum spirantes in ordinem hunc tam locuplete largaque dextera suas opes effuderunt, vt tum vere illud Sapientis impletum fuerit, *Benedictio patris firmat domos filiorum.*

Diuitiarum harum causa.

Eccli. 3.

Tertium vero benedictionis Iacobææ caput, populorum scilicet seruitus & subiectio, non absone quoque in S. Benedictum cadit; quod tanta Religiosorum copia, tot illustres animæ, (non secus ac Regi subditi) fidem illi seruarint, sub eius regula & instituto militarint, sancta eius decreta statutaque seruarint, & obedientiam præstiterint, adeo vt de ipso dici illud debeat, quod in sanctis libris de Aser legitur, *Benedictus in filiis Aser.* Aser Hebraice tantundem sonat ac beatus: ita S. Benedictus suis in filijs beatus est, beatus inquam in Monachis, beatus denique in vniuerso ordine suo.

S Benedictus benedictus in religiosorũ multitudine.

Deut. 33.

V.

S. Benedicti ordo per totum orbẽ sparsus.

Gen. 28.

Ordo namq; hic tanto Religiosorum abundauit numero, vt de ipso prophetice dictũ credatur illud in Genesi Iacobo à Deo promissum, *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem & Meridiem,* & posteritas tua per quatuor orbis angulos dilatabitur. Ita namque hic est ordo multiplicatus & increuit, vt quatuor quasi cardines orbis occuparit: Sol Oriens eos vidit, Occidens aluit, Septentrio recepit, & Meridies ijs habitacula & cœnobia concessit. Denique nullus vel locus vel angulus in orbe, in quo sancta hæc congregatio non monasteria construxerit: sancti quippe fundatoris huius memoria per omnia est diuagata & per vniuersa mundi climata intonuit & effulsit.

Quotnam vero Sancti gloriose modo cælo regnantes è sancto hoc ordine prodierũt? quot illustres martyres, qui effuso sanguine & vitam prodigentes fidem Christianam asseruerunt? quot viri doctrina celebres, qui cœtos & doctum concionibus, tum scriptis, voce iuxta ac calamo hæreses iugularunt? quot vero inclyti Præsules, & summi Pontifices, qui vel animarum curam gessere, vel Ecclesiæ vniuersæ ad clauum sederunt?

Ordo hic innumeros produxit viros & sanctos & doctos.

Admirabilis hic Ordo magnificum imo regium fuit veluti armamentarium, hostibus Dei terribile ac metuendum, omnigenis instructũ armis, è quo & ex eius membris LII. Cardinales, XIV. Archiepiscopi, II. Patriarchæ illustres, & quod longe est dignius, X. Pontifices egregij prodierunt: quorum catalogum hic attexam, vt rem ita se habere vobis fiat verisimile: Leo IX. Gregorius VII. Vrbanus, Paschalis & Callistus II. Anastasius, Adrianus, Innocentius IV. Celmens VI. & denique Vrbanus V. filij omnes S. Benedicti, & illustres huiusce vineæ palmites; vti Platina, Trithemius & plures Ecclesiasticarum rerum commentatores scriptis prodiderunt.

Hic ordo est velut Christianitatis armamentariũ. X. Pontifices ex ordine S. Benedicti.

Et sane vbi amplissimi huius Ordinis magnitudinem, bonum, & quod inde semper commodum hausit Ecclesia, mecum ipse considero, assimilare ausim validæ fortique turri Dauidicæ, quæ circũsecus insessa armis & expugnari nescia, mille clypeos & vmbones, omnemq; armaturam fortium forinsecus è fastigijs pendentem habebat: de qua in Canticis scribitur, *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Ordo namq; hic velut turris & arx Christiani orbis, ex eo mille inclyti clypei deprompti sunt, mille inquam Sancti, Martyres mille, mille Doctores, mille Prædicatores, mille fidei & religionis tuendæ media & inuentiones: ex eo namque omnis panoplia spiritualis reliquorũ omnium

Ordo hic collatus cũ turri Dauid

Cant. 3.

Ordi-

Ordinum producta ; sanctissimi quippe & probatissimi aliorum fundatores ad illum velut ad matricem suos instituerunt, sancteque viuendi præcepta, & religiosa instituta ad illius imitationem & exemplum conformarunt.

Item eum fluuio paradisi terrestris. Gen. 2.

Quicumque anagogicum fluuij illius magni, qui è paradiso terrestri egredi, & vniuersam terram irrigare, & in quatuor ingentia se flumina diuidere in Genesi scribitur, sensum capere, & attentius eum perpendere voluerit; credet, aut saltem sibi verisimiliter persuadebit, ipsum aliquatenus ordinis Benedictini imaginem & figuram esse : ipse enim vt ingens quidam fluuius, & aquarum limpidarum scaturigo, scientiarum inquam, virtutum, pietatis, pœnitentiarum, mortificationum, aliorumque sanctorum exercitiorum abyssus, omnem Ecclesiæ agrum tót iam sæculis irrigauit, ac deinde in tot amplissimos Ordines, velut fluuios ac torrentes, ac præsertim in quatuor illos sanctissimos & illustrissimos, quos Mendicantes vocamus, sicut in quatuor ingentia sanctitatis & benedictionis flumina & elices se diffudit; quod quatuor illæ illustres familiæ, vti & prope omnes Religiones aliæ, ad Benedictinam se conformarint, & quidquid illustre regula, institutum, ac prima illarum fundatio habet, ab illa in suas deriuarint.

Benedictus mundum plane euegauit.

Nec vero mirum, tot ab vno parente illustres natos esse filios, tot generosos & strenuos milites tam inclyti sub ducis insignibus meruisse, tot bonos probosq; discipulos tam prudentis & probi magistri disciplinæ se submisisse. Vix enim, exceptis Apostolis sanctiorē illo vidit orbis. Hic ergo Deum totus spirans, mundoque valedicturus vt religionem amplecteretur, vitamq; profiteretur monasticam, perfecte integreq; omnia voluit deserere, sciens, quemadmodum Deus ex toto erat corde diligendus, ita & ex toto cordè mūdum esse detestandum.

Mundo igitur eiusq; vanitatibus valedicto, ita earum omnem memoriam exuit, & pedibus subiecit, quasi eas nunquam vel vidisset, vel cognouisset, Psalmographi in hoc securus consilium, animam cuiusque compellantis : *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, & obliuiscere domum patris tui.* quæ verba ad animam, quę terrenos iam vanitates deserere, mundoque egredi secum statuit, mihi dicta persuadeo. Primo ergo illi dicitur, *Audi*, audi inquam, quanta quamq; ampla promittat Deus iis, qui ad cœlestia aspirantes, animum à terrenis abstrahunt, *Et vide*, vide scilicet pericula, discrimina, pedicas, quas mundus tendit : est siquidem oceanus, tempestatibus ac procellis nunquam non exagitari solitus, & naufragiis infamis : *inclina aurem tuam* monitis, inuitationi cœlesti, vocationibus & inspirationibus diuinis; vocem vocantem sequere, & ausculta te appellanti, & tentationibus humanis viriliter resiste. Demum *obliuiscere domum patris tui*, id est, non modo mundana deserere, sed penitus eorum obliuiscere, & nunquam amplius relictorum memoriam repetas. Psal. 44.

Multi religiosi mundi relicti obliuisci nequeunt.

Multi vero hodie, prô dolor! longe secus faciunt; & sanctum hunc patrem, cuius se esse filios, & imitari virtutes ac vitam iactant, minime sequuntur. Etsi enim mundi domum reliquerint, parentum consortium, honorum desiderium, & opum amorem repudiarint; eadem tamen obliuisci nequeunt, sed perpetuo de iisdem cogitant, mundoque mortui cum sint, mundus nihilominus in iisdem viuit, inque verbis & cogitationibus ipsorum respirat & vegetat. Imitantur nempe ollares illos Hebræos, qui Ægypto egressi, eius tamen fructuum obliuisci minime poterant; sed noctu & interdiu, & nunquam non de allio Ægyptio, & porris & cepis cogitabant, & anheli ad eadem suspirabant : vnde hæc illorum verba & querimoniæ : *In mentem nobis veniunt cucumeres & pepones porrique, & cepe, & allia.* Num. 11.

Vxor Loth ab Angelis è Sodomis educta, & incendio subducta ideo periit, quod respexerit ad vrbem, quam deseruerat, forte dolens intrinsecus, quod eamdem inuita deserere cogeretur, aut forsitan cum dolore rerum & facultatum ibidem relictarum recordata. Ita quoque præsens Religiosorum exitium est, cum mundo veluti detestabili quadam Sodoma relicto, & inde diuina dextera egressi, respicere retro occipiunt, vt eum in- Gen. 19.

terdum adhuc videant, illius delitias ac voluptates ob oculos ponentes, & ad animum, viuaci repræsentatione reuocantes.

Rachel, vt Geneſis præfert, Labani parentis idololatræ domo egreſſa, omnia eiuſdem ſecum ſimulacra abſtulit, quo facto ſe pariter ac maritum Jacob in extremum vitæ diſcrimen vocauit. Nam deos ſuos Laban repetiturus itineri ſe dedit, & incidens in eos, qui clanculo abſtulerant, magna quadam mentis turbatione & ſtomachatus, ita generum eſt allocutus, *Cur furatus es deos meos?* quaſi diceret: Nimium quantum impius es Jacob & ſceleſtus & occaſionem præbes, cur furoris in te mei argumenta exhibeam, niſi alio impedirer intuitu: quod enim commiſiſti facinus, nimium quantum ſufficit, vt me adeui cædem abripiat. Multæ quoque illuſtres animæ, matronæ huius exemplo domum quidem Labani deſerunt, id eſt, mundo, qui patens noſter eſt, ſed idololatria infamis egrediuntur; verum exeuntes, abominationes & idola eius, id eſt, affectus, ambitiones, amores, vanitatem & cogitationes eiuſdem, quæ vera quædam idola ſunt, ſecum auferunt; atque hinc mundo eos proſequente, & in clauſtris & cellulis curioſe perſcrutante, in apoſtaſiæ, aut exitij periculo verſantur.

Gen. 30.

Allegoria.

Mandarat Sauli Deus, vt Amalec penitus deleret & exſcinderet, nulli parcēs. En mandati verba, *Demolire vniuerſa Amalec, non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Non modo iubet, ecce penitus & ad internecionem Amalecitas deleri, verum ne quidem aliquid è præda aut rebus in caſtris relictis, vel ad minimum animal deſiderari. Saul porro præceptum hoc prætergreſſus, & tauros pinguiſſimos per ſpeciem ſacrificij ſibi retinens, extremam perniciem, atque indè ruinam incurrit. Samuel enim Propheta audito taurorum boatu ac mugitu ait: *Et quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* Vt hiſtoriam hanc allegorice propoſito adaptem meo, dico, eundem ipſum Deum plurimis mandare, aut potius conſulere mundum vt internecione conficiāt, omnia ad ipſum ſpectantia derelinquant, planè ſe penitusq; ſubducendo, nihilque amplius concupiſcant: at illi ſæpe, mundo relicto, & per contemptum quemdam profligato, brutos ſibi & craſſos quoſdam affectus reſeruantes, qui numquam non in corde peruerſis cogitationibus & ambitionibus mundi clamant, magnæque inobedientiæ ſigna hoc pacto produnt, inde pateſiunt, Deumque grauiter offendunt, adeo vt meritis illos prioribus excidere ſinat, ad quæ eoſdem euocauerat. Et ecce exiguū hoccē manubium præter diuinam voluntatem & vota religionis reſeruatum, ſola perditionis & ruinæ illorum occaſio eſt.

1. Reg. 15.

Allegoria.

Causa ruinæ & perditionis multorum religioſorum.

Achan miles in Jerichuntis expugnatione cum præter Dei mandatum ac ducis iniuſſu chlamydem ſibi coccineam & ducentos ſiclos argenteos & virgulam auream è præda vniuerſa duntaxat retinuiſſet, publice inſpectante vniuerſo exercitu lapidibus obrutus eſt, omniſque eius ſubſtantia flammis addicta: *Lapidauit q; eum omnis Iſrael, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.* Quam multos vero nouos Achanes inter Chriſti milites, inter religioſos inquam, reperire hodie poterimus? qui nimirum in illa ruina, fuga, contemptu, deſtructione, & euerſione mundi, contra diuina conſilia, & longe ſecus ac Deo per votorum ipſi profeſſionem vouerunt, multa ſuffurantur, multaque ex deprædatione hac ſibi ipſis retinent, habitus inquam mundanos, cubicula bene inſtructa, lineam veſtem tenuem ac delicatam; menſas exquiſitiſſimis epulis refertas, aurum & argentum, & multa alia contra paupertatis monaſticæ leges, & propterea præterquam quod aſſidue & inceſſanter in anima & conſcientia torqueantur in hoc mundo, illi potiſſimum ſunt, qui æternum in altero damnentur. S. Benedictus autem non hoc ritu vitam inſtituebat, non hoc ſuis Religioſis exemplo præluxit.

Josh. 7.

Religioſi qui aliquid è mundo poſſidere volūt, comparantur Achano.

Accidit enim hoc illi in ſtatu Religionis, quod tribus olim Apoſtolis in monte Thabor. Matthæus ſiquidem refert illos ſuſtollendo oculos, transfigurationis Dominicæ ſplendore præſtrictos, nihil præter Jeſum ſolum vidiſſe. Ita quoque S. Benedictus animæ oculos per contemplationem, in vita ſcilicet ſolitaria (quæ ſine dubio cum monte Tha-

Matth. 17.

Religio mōti Thabor collata.

Thabor comparatur, cum in ipsa animæ penitus transfigurentur) sustollens solum Jesum Christum videbat, non amplius mundum, non parentes, non honores, denique præter cœlestia nihil.

3. Reg. 19.

Elias Propheta cum in solitudinem concessisset, crudelis Jesabelis persecutionē declinans, Deus ipsum consolaturus lenis auræ in specie illi apparere voluit. Vix suauem hunc Zephyrum Propheta sensit, quin pallio oculos suos texerit. *Et post ignem sibilus aura tenuis: quod cum vidisset Elias, operuit vultum suum pallio.* Hoc pacto ostendens nihil se videre amplius velle; simul significans, eum, qui semel diuinam penitus dulcedinem hausit, ilico cæteris omnibus oculos occludere. Idem sanctissimo viro Benedicto accidit: gustatis enim semel vitæ solitariæ voluptatibus ac bonis, & dulcedine percepta diuina, nihil amplius videre voluit, sed oculos, aures, sensus, memoriam, voluntatem, cor, & cæteras animæ facultates & partes, mundi huius rebus, quas semel deseruerat, occlusit.

Allegoria.

Magna scientia S. Benedicto infusa.

Quam igitur sanctus exstitit? quam sanctus Religiosus? ecquis scientiæ non tam labore acquisitæ quam diuinitus infusæ abyssus? Occultissima etenim quæque penetrauit, secretissima arcana reuelauit, in profundissimorum mysteriorum cognitionem peruenit; cognouit præterita, præsentia occulta patefecit, & futura contingentia certissimo reuelauit. adeo, vt illud Sapientis locum in ipso habuisse fiat verisimile, *Scit præterita, & de futuris æstimat; scit versutias sermonum & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit, antequam fiant, & euentus temporum & sæculorum.*

Sapi. 8.

S. Benedictus præterita, præsentia & futura nouit.

Certissima hæc sunt omnia, & certissimis argumentis notissima: cognouit siquidem præterita, cum puerum coarguendo cōfiteri coëgit surripuisse se vinum sancto viro ferendum; monuitq; ne inde biberet, quod serpens vase lateret, quem vino gustato obbibisset, itaq; mortem incurreret. Præsentia etiam occulta detexit, cum panem sibi ab æmulo oblatum veneno infectum cognouit, eoruo proinde præcepit, eum vt in desertum efferret, ne cui is noxam ac detrimentum afferret. Denique, quod multo prodigiosius est, futurorum etiam notitiam habuit, cum Religiosis suis petram eam ostendit, quam prædixerat, quæ effossa, magnam aquarum vim effudit, vniuersis Religiosis & voluptati & commodo futuram. Hæc scilicet scientiæ cuiusdam in mirabilibus profundæ, & profunde admirabilis secreta & effectus sunt.

S. Benedictus magna donatus sapientia.

Si autem tanta sanctus hic vir circa res has inferiores scientia fuit donatus, maiorem hauddubie quoad sublimia mysteria, & ea, quæ in altero peragebantur mundo cognoscenda nactus est. Adeo, vt noctu & interdiu continua quadam contemplatione & feruenti mentis eleuatione cum Deo conuersaretur: quod manifestissimum perfectissimæ cuiusdam animæ, & ab omni terreno vinculo penitus liberæ solutæque est argumentum. Cum contemplatio, deuotionis ardor, animę sublationes, colloquia cum Deo, familiares cum cœlestibus conuersationes, ac sermocinationes, suspiria, amores, amplexus, oscula, nōnisi mundum cor, affectus sinceros, & animam puram penitus habentium sint, iuxta hoc Euangelium, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Qui corporeos oculos sordibus & immunditia oppletos habent, res intueri pulchras non valent, sed immundas, fœdas & sordidas. Ita quibus animi oculi lippiunt, & terrenis sordibus oppleti sunt, Deum videre nequeunt, Deum inquam obiectum adeo excellens, quodque omnia mundi obiecta infinitis partibus exsuperat, aliud enim tales intueri apti non sunt, quam terrena, quisquilias & ineptias sæculi.

Matth. 5.

Hinc sponsa in Canticis, mundum habens cor & mire purum, & contemplationi assueta, in qua tam sæpe spōsum intuebatur, eumque sanctis. & ad amorem fouendum tendentibus, & ad perfectionem inuitantibus sermocinationibus reficiebat, ac vicissim ab ipso iisdem recreabatur, osculum oris eius expetit dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* quasi diceret: Carissime ac fidelissime sponse, tanto te affectu atque amore prosequor, vt tota langueam, & tantum non amando emoriar. Vitam ergo mihi vt conserues

Cant. 1.

hæc:

hæc vnica suppetit ratio, vt vel vnico diuini oris tui osculo eoque casto me impertiri digneris. Solæ porro perfectæ animæ hunc honorem promerentur, neque enim omnibus hic passim communicabilis.

2. Reg. 14. Absolon, regni Judaici princeps, tametsi patri ac regi, Joabi interuentu, reconciliatus esset, & concordia inter ipsos inita, pater tamen eum ad tempus suum in conspectum venire vetuit, & regiæ maiestatis intuitu exclusit: *Dixitq; pater, Reuertatur in Ierusalem, sed faciem meam non videat.* Ad eundem quoque modum pœnitens, qui etiamnum imperfectus est, & vitæ spiritualis semitam primum ingreditur, quamquam absolutionem sit delictorum consecutus, Deoq; sui ac Patri cœlesti reconciliatus, iustificationis suæ literas manu præferens; contemplationi tamen & diuinis colloquiis haud dum propius est: sed ille duntaxat, cui, & in cuius corde omnis mundi amor & concupiscentiæ ardor longo virtutum exercitio prorsus refrixit ac penitus decoxit.

3. Reg. 6. In huius rei figuram tertio Regum libro scriptum est, Dauide iam sene, effœto, & naturali calore destituto decreuisse proceres, illi vt adolescentula quæreretur vegeta, & succo viuida, quæ senescentia illius membra & exsucca, illi condormiendo, restauraret & calefaceret. *Senuerat Dauid, & quæsierunt ei adolescentulam speciosam, quæ dormiret cum eo, & calefaceret eum.* Vt omnem sinistram mundanorum carnaliumq; interpretationem excludam, ingens hic latere mysterium existimo, quodq; nos edoceat, cum concupiscentiæ ardores & incendia in anima refrixerint, tum demum consultum ac bonum esse contemplationi se addicere, atq; illustri huic & nobili cœlorum puellæ assuescere, eiusque contubernium frequentare, vt affectiones nostras calefaciat, & spirituales charitatis ardores incendat, ad imitationem eius, qui hoc modo inflammatus canebat, *In meditatione mea exardescet ignis.*

Contemplatio propria ad succendendũ ignem caritatis in nobis.

Psal. 38.

Gen. 41. Notauit hanc ob causam sacra Scriptura, nosque etiam notare vult, Josephum Patriarcham prius genuisse Manasse, quod nomen rerum inferiorum & terrenarum oblitionem denotat, quam Ephraim, quo nomine fructificatio per contemplationem significatur, vt sub mysterij huius inuolucro doceamur, antequam in rebus spiritualibus per contemplationem progressum faciamus, quod Ephraim declarat, Manassem generasse, id est, integram mundi memoriam seposuisse, & terrenorum omnium oblitos nos esse debere.

Magnæ perfectiones S. Benedicti.

Hæc omnia in S. Benedicto in summo perfectissimoq; gradu fuere: nemo enim eo fuit mortificationi addictior, nemo in rebus mundanis frigidior, nemo ad rerum sublimium & diuinarum contemplationem aptior: oratio namque omnis eius erat voluptas, meditatio summæ eius delitiæ, vigiliæ mira illi recreatio, austeritates & vitæ rigor omne eius studium, lachrymæ consolatio, & maxima pœnitentia gratissima mentis refectio. Deserta illi erant regalia palatia, cauernæ regia conclauia, ieiunia epulæ regificæ, flagra cimelia, cilicia delicatæ vestes, bestiarum fremitus & rugitus, iucundissima symphonia, vepres & spinæ diuitiæ, montes & syluæ recreationi destinata & æstiua Tempe.

Eia ergo, Auditores, cum iam aures sancti huius viri laudibus & præconiis audiẽdis accommodaueritis, iam animos & mentem sustollite, cogitationes ad gratiam ab illo petendam erigite, quo illius imitemini virtutes, cuius vitæ merita mirabiliaq; & vidistis & audistis. Vos vero pij sanctiq; Religiosi, qui mundum eiusq; inanias pedibus proculcastis, vt sub ducis huius generosi signis militaretis, atque ibi assiduum & implacabile cum carne, mundo, ac diabolo bellum geeretis, generosam hanc animam præeuntem sequamini, iter quod ille statuit insistite, ab illius virtute nolite degenerare, ab illius instituto ne vel latum vnguem descisatis, illius regulam ad vnguem & quam exactissime obseruate, sub eius obedientia constanter viuite, talique tamque illustri parente dignos vos filios gerite.

Vos autem, qui pietatis studio acti, mundi nauseam concepistis, qui eius fraudem perspectam habetis, vanitatem ad oculum cernitis, nequitiam notissimam habetis, & quotidie eius impostura & fallaciam intue-

mini,

mini, vos inquam, qui nonnisi Dei amorem, sanctorum cultum, ac salutis vestræ securitatem sectamini : vos etiam, qui nonnisi Deo quiete tranquilleque seruiendi rationes inquiritis, & vt paulatim à mundo recedatis, honeste ab hominum contubernio vos subducatis, & à terrenorum negotiorum turba vos sequestretis, omni ratione contenditis, & in S. Benedictum oculos coniicite, subluſtre hoc speculum contemplemini, eius ad exemplum vitam instituite, ad illum vota conuertite, illum vt patronum eligite, vt ducem sequimini, omnes denique cogitationes, verba, actiones, ac reliquam vitæ rationem ad eius vitæ operumque imitationem & exemplum semper componite.

Tu vero Beatissime vir, Cœnobitarum sol, anachoretarum fulgor, solitariorum lumen, magne & omni ratione admirabilis Benedicte Religiosorum decus, Dei famulorum gloria, Christi Jesu militum antesignane, sanctorum monachorum Patriarcha, ordinis maximi ampliſſimique, & quo nullus in Ecclesia aut latius patet, aut nobilitate præstantior est, fundator, sancte inter sanctos reliquos sanctitate admirabilis, inter homines vitæ austeritate incomparabilis, inter perfectos omnes charitate inæstimabilis, Glorioſe Benedicte, pietatis norma, religionis columna, omnis perfectionis exemplum, & piorum sanctorumq; exercitiorum magister; pro nobis, obsecro. Deum deprecare, noster esto patronus & intercessor, fac inquam, beatissime miles Benedicte, vt tua hic in terra sequentes vestigia, mundi scilicet contemptum, vanitatum fugam, castitatis honorem, paupertatis affectum, obedientiæ perfectionem, proximi charitatem, necnon cœlicorum desiderium gaudiorum, & Dei imprimis amorem, quæ sunt viæ ad salutem tendentes, inde, confecto tandem vitæ huius curriculo ac stadio ad gloriæ sempiternæ vrbem pertingamus: cuius nos ciues & possessores reddant,

Pater, Filius ac Paracletus Spiritus sanctus, Amen.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Partitio.

1. *De lachrymarum efficacia.*
2. *De muliere peccatrice, an publica & soror Lazari.*
3. *De mulierum in genere vanitatibus, & vitiis.*
4. *De circumstantiis peccatum huius peccatricis aggrauantibus.*
5. *De grauitate peccatorum vrbanorum.*
6. *De peccatrice promittente & lachrymante.*

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

FIGVRA.

ECquis non admiretur descriptam illam in Apocalypsi meretricem, superbam, elatam, insolentem, purpura amictam, auro rutilante, gemmis & omnigeno lapide pretioso fulgidam, manu poculum aureum gestante, quam principes terræ & reges sequebantur proni cultu supplici, & adorabant, quæq; velut immunditiæ ac libidinum trophæum & notam infame pudendumq; præferebat nomen, *Mater fornicationum*? Verum longe maiorem admirationem ac stuporem præterat, qui reipsa Jerosolymæ hodie cernit, quod nonnisi in imagine & figura in Apocalypsi videbatur illustrem inquam mulierem, sanguine nobilem, diuitiis affluentem, pulchritudine excellentem, ætate floridam & omnigenis dotibus cumulatam : mulierem inquam regifico vestitam luxu, dissolute viuentem, insolentem vt quæ maxime, omnibus prauo ad peccandum exemplo præluceentem, ab amatoribus permultis frequentatam, & in deliciis habitam, quæq; in fronte, velut dissolutionis, lasciuiæ ac libidinis argumentum ac testimonium præfert, infamem illum probrosumq; titulum, *peccatrix*: Hæc ipsa est Maria Magdalena, quam hodie vobis repræsentare velut in theatro est animus, *Apoc. 17.*

Spiritui S. modo placeat vires & robur ad id sufficere ac Deiparæ matri suis id apud eum precibus nobis obtinere. Hanc ob rem salutatione illam Gabrielis supplices compellantes, dicamus:

AVE MARIA.

I.

Ezech. 9. Angeli quidam apud Ezechielem à Deo emissi velut iustitiæ eiusdem administri & executores, antequam exterminium hec peragerent, præceptum accepere eos omnes diligenter notandi, & à morte imminente vindicandi, qui planctui se & lachrymis dederent, mundanaq; gaudia & vanitates perosi ac detestantes, peccata tum sua, tum aliena gemebundi deplorarent. Mandati verba hæc sunt: *Ite per ciuitatem Ierusalem, & signate omnes, qui lugent super iniquitates, quæ fiunt in medio Ierusalem.*

Lachrymæ pœnitentiũ signa sunt prædestinationis.

Qui hocce factum penitius cõsiderarunt, eiusq; arcana curiosius penetrarunt, horum pleriq; singulare hoc esse dixerunt mysteriũ, & sublimem quandam mundo doctrinam, vt hinc discat, sanctas pœnitentium lachrymas veras esse prædestinationis notas, salutis signa & certissimam aduersus inimici nostri violentiam & æternam mortem securitatem ac panoplian. Huc ipsamet respexit veritas, dum apud Matthæum suos ita alloquitur, *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ecce enim vt ipse Dei filius in lachrymis beatitudinem collocet, lachrymæ enim ad peccatorum eluuionem effusæ, vere peccatorem bęatum reddunt.

Matth. 5. Beati qui lugent.

Mundi Philosophia doctrinæ Christi contraria.

Aliam longe & à doctrina Iesu Christi nimium quantum dissonantem Philosophiam docet mundus: lachrymas quippe & planctum exosus, omnem in risu, voluptatibus, delitiis, recreationibus, iocis, lusu, honoribus, aliisq; vitæ huius inaniis beatitudinem collocat suam. Testem vademq; sententiæ huius habeo Dauidem, ita loquentem, *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Mundus, inquit, irridet & explodit eos, qui oculos lachrymis assuefaciunt, qui doloribus ac pœnitentiis animum affligunt, neminẽ beatum prædicat, quam qui in bonis ducũt dies suos, qui nunquam non risu dissoluuntur, necnon voluptates consectantur. Hos scilicet ipse beatissimos credit & prædicat: Deus è contra & filij Dei hæc omnia detestantur, voluptates aspernantur, & in lachrymis summam esse beatitudinem sitam putant. Egregiæ porro tum lachrymarum, tum risus nimiꝰ pere inter se disparum figuræ in sacris voluminibus occurrunt.

Psal. 143.

Babyloniorum tyrannus Nabuchodonosor omni musici apparatus genere & symphonia electissima suorũ oblectare animos gestit; cuius ad auditum omnes in terram pronos procidere iubet, auream quam erexerat statuam adoraturos; alios vero musicam hanc execrantes in ardẽtem coniici fornacem imperat. Mundi sectatores & assecłæ Mundus sua etiam habent instrumẽta, symphoniam, suos revoluptatem, & iocos suos, tum vt se his oble- creat, & iuctent, tum vt carni seruiant, & aureum mun- stos perse- di simulachrum adorent; verum Dei seruis, quitur, & voluptates hasce detestantibus atq; perosis, persecutionum fornaces succendit, & atrocissimo bello infestat.

Dan. 3.

Allegoria.

Israelitæ in Babylonicum exilium acti, sæpe sæpius à regni incolis rogati, secum vt choreas ducerent, ac patria illis præcinerent cantica, vt canerent, animum iuducere noluerunt, sed de salicibus organa, tibias, citharas, ac sambucas suas suspenderunt, ac gemebundi dixerunt, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Rem ita enarrat Psalmographus: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, de salicibus suspendimus organa nostra.* Ad horum exulum exemplum veri Dei filij, viso, se in mundi huius Babylone esse quodammodo exules & alienigenas, quamuis cosmophili instent, vrgeant, excitent, secum vt plaudant, risui, iocisq; se dedant, contubernia popinasq; frequentent, ac voluptatibus cum vulgo se oblectẽt; auscultare nolunt, omnia gaudij lætitiæque instrumenta sublime ex oculis pendent, & in terram prouoluti, lachrymis natant, cœlestis patriæ suæ memores, *Et flent, dum recordantur tui Sion.*

Psal. 136.

O sanctæ, benedictæ, ac perbeatæ lachry- Lachrymæ mæ, oratione efficaciores & nobiliores, di- oratione gniores meritiq; maioris, quæq; de Deo ipso maiores, triumphant, armaque illi eripiunt! præeun-

tem

tem hic mihi habeo magnum Doctorem Hieronymum, in Esaiam dum commentatur, *Oratio*, inquit, *Deum lenit, sed lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit.* Oratio cum Deo loquitur, sed lachrymæ iram illum cogunt deponere, armaq; abiicere.

Cant. 4. Huc forsan allusit ac respexit sanctus ille in Canticis sponsus hoc sponsam verborum lenocinio allocutus, *Vulnerasti me in vno oculorum tuorum*, quasi dicat, Cum lachrymæ veræ sint amoris illicia, & viua amorosissimorũ affectuum fomenta, si quando in amore, quo te prosequor, aliquis superuenerit tepor, vt primum te lachrymantem vidi, vbi prima oculo tuo lachryma prorupit, ilico cor meum vulnerasti, & ad te amplius amandam compulisti, quam toto illo tempore, ex quo te nouisse cœpi. Quibus ipsa D. Hieronymi sententia verbis confirmatur, maiestatem scilicet diuinam à lachrymis cogi.

Lachrymæ Deum cogunt.

S. Ambr in Luc. & habetur de pœnit dist. 1. c. Fer. Idem prope habet S. Ambrosius suo in Lucam commentario, quæ eius verba in ius Canonicum sunt relata: *Lachrymæ*, inquit, *veniam non postulant, sed merentur.* perinde ac si diceret; Per orationem gratiam postulamus; & misericordiam imploramus: at longe plura lachrymæ efficiunt; per eas siquidem petita promeremur. Vnde efficere vult, fletum precibus præcellere, & digniorem esse.

Super Ezech. hom. 7. & super Psal. 19. Idem etiam censet suis in Ezechielem commentariis magnus Gregorius, & in hæc Psalmi verba, *Holocaustum tuum pingue fiat.* ait ergo: *Holocaustum siccum est bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt: holocaustum pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.* Id est, mea quidem sententia, Oratio verum est sacrificium & holocaustum à corde pio & animo Deo oblatum, sed nisi lachrymis ipsum condiatur & irrigetur, aridum est, siccum, virtutis expers, ac prope sine vllo merito, verum vbi fletus simul & oratio concurrunt, perfectum demum est holocaustum, & diuinæ maiestati iucundissimum ac gratissimum.

Oratio sine lachrymis sacrificium siccum est, & sine merito.

Psal. 115. Hinc pius ille rex de lachrymis suis velut de re Deo acceptissima loquens ait, *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; quasi dicat, Eheu Domine, cum misericordiam tuam implorare, pacem tecum inire, & ab benignitatem deflectere & inducere gestio, ad solos oculos confugio, nullamq; tui euincendi, ac delictorum veniæ impetrandæ rationem adinuenio, quam lachrymas tibi meas offerre; quæ adeo tibi fuere acceptæ, vt ante oculos eas tuos velut obiectum speciosissimum iucundissimumque, quo eas ad libitum tuum considerares, posueris.

Lachrymæ Deo gratæ.

Nec Deum duntaxat, sed & beatos Angelos lachrymæ oblectant animarum pœnitentium. Præit hic mihi S. Bernardus, qui hoc in Cantica lachrymis attribuit elogium: *Lachryma*, inquit, *pœnitentium vinum sunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, & serena conscientiæ suauitas.*

S. Bern. in Cant. Ser. 30.

Lachrymæ sunt deliciæ Angelorum.

Cassiodorus magni nominis scriptor idem, sed aliis verbis in hæc Psalmographi verba, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*, scribit; *Fletus*, inquit, *est cibus animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum*, quibus nihil disertius, nihil eloquentius dici potest.

In Psalmos.

Bene lauacrum & balneum eas vocat, eo quod per lachrymas animæ abluantur, & à delictorum maculis purgentur. Hinc peccatores inuitat Esaias, vt se mundent & emaculent, peccatorum labes animam inquinantes lachrymarum lixiuio eluendo, *Lauamini*, inquit, *& mundi estote.* Nemo vero de corporis illum credat ablutione loqui: loquitur siquidem de animæ purgamine, quod fletu & lachrymarum aqua fieri solet.

Lachrymæ sunt cibus animarum.

Sunt lauacra peccatorum.

Vt vero expositio mea fidem apud vos inueniat, memineritis obsecro, Joannem Chrysostomum primum hoc locutum modo, & lachrymis *lauacri & purgatorij animarum* nomen dedisse. Audite loquentem: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, dixit David, vt ostendat esse lauacrum & purgatorium peccati lachrymas.*

Hom. 5 de pœnit.

Lachrymæ dictæ purgatorium peccatorũ.

Multo quoque est in lachrymarum præconium effusior & velut magis prodigus S. Gregorius Nazianzenus. vocat eas siquidem *diluuium & piamentum* mundi. De iustis

Gregor. Nazianz.

namque & proborum merito agens : *Quorum*, inquit, *lachryma diluuium sunt, & mundi pigmentum.* Ducta hæc est metaphora à diluuij effectis, atque eadem insinuat, quemadmodum magnæ & vniuersalis inundationis illius aquæ omnem libidinis & corruptelæ abominationem submerserunt, mundumque quodammodo expiatum redintegrarunt, ita bonorum lacrymis, diluuij instar, terræ iniquitates deleri & obrui, ac nouum velut eidem nitorem splendoremq; restitui.

Lacrymæ diluuium dictæ peccati.

Psal. 73. Huc proxime accedēs Psaltes, aquas quasdam describit, in quibus capita draconum mersa & exstincta ait, *Contribulasti*, inquit, *capita draconum aquis.* Postquam admirabiles has aquas accuratius mecum sum contemplatus, & SS. Patrum de iisdem expositiones consulendo examinaui, vt quid denotent exploratem, comperi nonnullos hæc de baptismi aquis exponere, in quibus (plurali pro singulari accepto) caput draconis, id est, peccatum originale (quod cæterorum omnium caput est) comminuitur & submergitur, verum enimuero sunt & alij, qui de lacrymarum aquis eadem interpretantur, aquis inquam illis potentibus & efficacibus, in quibus capita draconum, id est, maxima & grauissima peccatorum profligantur & conficiuntur.

Aquæ lacrymarum omnigena delent peccata.

Exod. 14. Harum figuræ fuere aquæ illæ maris rubri, Exod. 14. in quibus Pharao tyrannus, & vniuersi Ægyptij mersi periere, & per quas fideles Hebræi transeuntes, & insequentem hostem effugientes, se suaque alueo transuadato in tuto collocarunt. Lachrymæ reuera amore & pudore rubentes, simile omnino mare efficiunt; in quo Pharao eiusque asseclæ peccatum eiusque species prodigiose sepeliuntur, & filij Dei ac pœnitentes animæ ab omni persecutione & tyrannide liberæ, feliciter sane salutem cōsequuntur, non iam Moysem, sed Messiam præeuntem sequentes.

Hom. 16. in Matth. Quapropter non est veritus Joannes Chrysostomus doctrina iuxta ac facundia notissimus, lacrymas secundum dicere baptisma. nam sicuti sacræ baptismi aquæ omnia delent, omnia purgant, animamque pristinæ innocentiæ integritatique restituunt, ita quoque sanctis lacrymarum aquis nulla non labes sordes aut macula, nullum non vitium, etiam incestus, sacrilegium, latrocinium, cædes, patricidium, nulla non denique impietas etiam maxima lauatur, expiatur & emundatur. Exclamem ergo, ô aquas admirabiles!

Lacrymæ aquas omnes medicas superāt.

Si aquas è floribus, plantis, mineralibus, aliisque rebus eductas aut ab igne elicitas plurimi nemo non facit, quod medicæ sint salubres, variaque includant commoda, quarum hæ oculorum caligini perspicacitatique vt collyria conducunt, aliæ plagis persanandi: sunt peridoneæ; maioris hauddubie sanctas lacrymarū lymphas faciamus oportet, vtpote quæ animarū maculas & labes penitus eluunt, & earum vulnera curant, & plagas. Aqua vero hæc virtute, efficacia & pretio omnia mundi balnea longe exsuperat: omnes siquidem fontes, torrentes, & terræ fluuij non sufficiunt ad vel minimum carbonem scintillamve ignis purgatorij exstinguendū, & vel lachrymula è sincera animi contritione profecta ad vniuersum ignem hunc penitus exstinguendum ac decinerandum potens est.

Hæc longior lachrymarum laus in sanctæ Mariæ Magdalenæ, pœnitentium ac lachrymantium omnium reginæ gratiam deprompta est; quæ hodie lachrymarum suarum adminiculo plenam criminum omnium indulgentiam est consecuta, & ab omnibus animi sordibus, vitæque superioris inquinamentis penitus est abluta, atque hoc pacto cœlo terræque, extremæ & admirabilis pœnitentiæ exemplum speculumque facta. Atque hoc hodierno in Euangelio legitur: *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Vt suis hanc coloribus & ad viuum depingamus, bimembrem hodie concionem faciemus, primo mulieris huius dissolutionem, lasciuiam, scandala, vitæque impuritatem præmittemus, deinde eiusdem resipiscentiam, humilitatem, verecundiam, lachrymas, emendationem, ac reliqua sanctæ cuiusdam pœnitentiæ indicia subiiciemus.

Principio ergo, Euangelistæ, vt vno velut intuitu II.

S. Maria appellata mulier peccatrix.

intuitu ac fasce vitia, dissolutionem, vanitatem, vitamque lubricam Mariæ Magdalenæ spectandam darent, titulum illi assignant & nomen, quo hæc omnia simul ac iunctim comprehenduntur, *mulierem peccatricem* eam nuncupantes, & nemini non notissimam, vtpote quæ *erat in ciuitate peccatrix*. Longe odiosiori eam titulo, quique maiorem ignominiam, infamiam, & opprobrium secum inuoluit, compellant Patres, meretricem nãque vocant, quo profligati pudoris mulieres, honoris prostituti, & quæ omnem penitus verecundiam exuerunt, nomen omne proculcarunt, & nemini non sui corporis vsuram dederunt, nuncupari solent. Hoc primus eam nomine donauit sanctus Ioannes Chrysostomus homiliis in Ioannem, secutus hunc est sanctus Hieronymus in Matthæum, necnon Isidorus Peluſiota suis in Epistolis. Sanctus Augustinus vero tractatu quadragesimo nono in Ioannem publicam famosamque vocat peccatricem, id est, vulgati corporis feminam, & vt talem ab omnibus habitam.

Hom. 61.

Matt. 26.

Lib. 1 ep. ſt. 141.

S. Maria Magdalena publica meretrix non fuit.

Nihilominus tamen tantorum Patrum cum venia, miseræ huius peccatricis partes, causam, honorem, ac nomen defensurus, ostendere, multorum Patrum ac Doctorum pro me stante sententia, conabor, minime verisimile ac consonum, at dissonum prorsus videri, huius farinæ mulierem Magdalenam fuisse, id est, publicam meretricem, prostibulum omnibus vulgare, & omnem penitus pudorem exuisse. Et sane probabilis maxime opinio, & in quam vltro libenterque concedo, est nunquam illam infame, prostitutum, ac propudiosum, triuiale, vulgatumque omnibus scortum exstitisse, mulierem tamen nimis quam petulantem, delitias ac voluptates consectantem, delectamenta ambientem, vanitatibus plenam, parum modeste vitam instituentem, nec sine violati prostitutique pudoris suspicione, & publica quidem & communi fama, non tamen quidita cuncta pudoris verecundiæque repagula perfregerit, vt lupanar facta sit omnibus, Veneris mancipium, ac triobolare quoddam ac vile scortum. Nec vero mirum cuiquam videatur, hoc illam pacto vitam instituisse, vt ab ea nec frater illam Lazarus, nec Martha soror sororem deimpedire aut diuertere, aut seriis commonitionibus suadere ei meliora potuerint: vt enim liberius in cœpto prosequeretur, nullumque qui saniori consilio delinquenti remoram injiceret, haberet, à fratris sororisque contubernio se subduxerat, in castellum Bethaniæ concesserat, & in aliquo Galileæ loco, quocumque collibitum erat, viuebat modo. Quin & Iansenius in Euangelia scribens, eam in Galilæa ait coniugio iunctam fuisse, Opinio Iani atque marito defuncto tum demum luxuriæ senii. vacasse.

seruit, quo dissolute viueret.

Vt vero hanc alii tueri melius opinionem, & nos etiam amplecti tutius possimus, quæ scilicet tam acri & Catoniana in vitam eius censura non animaduertit, sed honorem & nomen potius propugnat, cum eam non vt publicam meretricem aut scortum habeat, equidem dixero, nemini hanc aut nouam aut peregrinam videri debere, cum à tot iam annis permulti, iique graues ac celebres auctores, verbo scriptoque, omnes acerrimi honoris ac famæ Magdalenæ nostræ propugnatores, declarare nemini non sint omni ratione conati, peccatricem illam Euangelicam Lazari ac Marthæ sororem non extitisse, ne vero vt futilis, inanis, ac fundamento nullo aut ratione nixa hæc eorum reiiceretur sententia, prægnantibus eam rationibus nec sane absurdis suffulcire contendunt, quas vt perspectas habeatis, in medium afferam.

Magdalena Lazarum fratrem & Martham

Prima esto: Maria Lazari viri apud Iudæos inclyti & illustris, castellique Bethaniensis toparchæ soror, mulier fuit nobilis, honesto nata loco, & parentibus insignibus, & familia perillustri, verosimile ergo non videatur, publico eam meretricio vacasse, aut ita omnem suam verecundiam exuisse, tamque nobili editam stemmate tam fœda nomen inclytum & pristinum maiorum honorem macula, & infami ac propudiosa vitæ ratione denigrare voluisse. Habebat adhæc sororem honestam, Martham, Virginitatis laude inclytam, & fratrem Lazarum virum nobilissimum, qui sororem eo libidinis prolabi minime passi essent.

Rationes quibus ostenditur peccatrix Euangelica non esse Lazari sororem. I.

2. Secunda, Maria Magdalena inter mulieres pias & eleemosynis insignes, Redemptorem Iesum semper comitantes, quæque eum è Galilæa ad vsque in Iudæam secutæ fuerant, connumeratur: erat ergo è Galilæa, non autem Iudæa, vti illa soror Lazari.

Matth. 27.

Marc. 15.

3. Tertio, Luc. 8. capite dicitur Maria Magdalena septem habuisse dæmonia, dissonum ergo videatur libidinis eam instrumentum fuisse, ab amasijs ambitam: neq; enim eo insaniæ viri veniunt, vt fœminam frequentent à diabolo infessam, quin potius eam fugiunt & abhorrent: alioquin namque ipsi potius à dæmonio occupati & emotæ mentis viderentur.

4. Quarto, Magdalena Christo erat gratissima, eumque familiariter suis in peregrinationibus sequebatur, de suis eum alens facultatibus, indecens vero fuisset, mulierem publica ante paulo scortatione infamem Christo ministrare, & familiariter cum illo & Apostolis conuersari. Offendisset hoc Iudæos, quin & discipulis, nec non omnibus passim suspicionem mouisset, cum ij ipsi Apostoli, viso Redemptorem absque arbitro apud puteum Sichar cum Samaritana, etsi in loco publico & plena die loqui, siniſtri quid de eo suspicantes, & perperam hoc colloquium interpretantes, Scriptura teste, *mirarentur, quia cum muliere loquebatur.* Et Simon leprosus, etsi ei carissimus, summopere offendebatur, & palam murmurabat, quod Magdalena peccatrix eius esset ædes ingressa, Deique filium & vnguento vnxisset, & lachrymis pedes irrigasset, vnde ait: *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.*

Ioan. 4.

Luc. 7.

5. Quinta deniq; & postrema. Fœmina illa, quæ in Euangelio *peccatrix* nuncupatur, externa erat & ethnica, non ergo Lazari soror, certissimum quippe est hanc Iudæam fuisse. Priorem autem ethnicam fuisse, hinc efficio, quod esset meretrix, & publica scortatione infamis. Lege autem Iudæis fœminis meretricari interdicebatur, aut lasciuiæ libidini ve se dedere. Lex ad manum est in Deuteronomij Digesta relata, *Non erit meretrix de filiabus Israël.*

Deut. 23.

An non ergo opinio hæc probabilis videatur? an non hæcce fundamenta solida, & rationes efficaces? Auctores eiusdem audire vultis? depromam nonnullos: Origenem, sanctum :: Ioannem Chrysostomum :: Hieronymum, sanctus * Augustinus vero dubitat, vti & sanctus Bernardus sermone de sancta Maria Magdalena. Euangelium vero, Magdalenas inter se non distinguens, reuera ait hanc fuisse mulierem in ciuitate peccatricem.

:: *Tract. 33. in Matth.*
:: *Hom. 81. in Matth.*
:: *Matt. 26.*
* *Tract. 49. in Ioan.*

Propudiosus hic titulus ilico in memoriam mihi reducit, Magdalenam hanc differentem, imo penitus contrariam fuisse ab illa muliere Apocalypseos, duodecim in capite stellarum diadema gestante, quod honestæ pudicæque matronæ symbolum erat, & imago: quæ in quantum talis, duodecim coronari stellis, id est, omnigena virtute, debet: duodenarius enim pro vniuersali accipitur numero, & virtutes per stellas denotantur. Sole insuper vestiatur oportet, id est, vndiquaque fulgeat & claresçat, bonæque sit in omnibus famæ.

Apoc. 12.

Symbolum matronæ honestæ.

Peccatrix hæc stellis aut virtutibus coronata non erat, sed vitijs, vanitatibus, & omnigena abominatione peregrina & noua Redimita quidem erat diademate, sed diademate ex insanijs, inanijs, vitijsque contexto. Nec abs re hoc, sed studio dixero, vt enim prudẽs & probamatrona duodecim egregijs coronata describitur in Scriptura stellis, ad imaginem & figuram eius, quam Apocalypsis depingit, ita alibi fatua impudicaque fœmina duodenis etiam redimita vitijs repræsentatur, quæ magna cum impudentia, velut coronam in capite gestat, in Magdalenæ huius imitationem, quæ exinde *peccatrix* est nuncupata.

III. Impudicæ fœminæ coronata duodecim vitijs.

Vt autem hanc coronam & opprobrij sertum videamus, primum à quo texi incipitur, vitium ipsa est superbia, quo mirum in modum fœminæ honor deturpatur, quando scilicet insolescit arrogantior, voluntatem sequitur suam, auctoritate prævalere vult, & in familia primatum superioritatemque affectat, docet hoc Ecclesiasticus, *Mulier si primatum habeat in domo, contraria est viro suo.* Hanc ob rem in veteri lege interdictũ omni fœmi-

Superbia primũ fœminarum vitium.

Eccli. 25.

fœminæ erat, ne se virili induat schemate, id est, viri auctoritatem & imperium non vsurpet.

Deut. 22.

Odium secundum feminarum vitium.

Secunda serti gemma, odium est & iracundia, vnde in Prouerbijs legere est, *Pro. 30. Tria mouetur terra, & quartum quod non potest sustinere, scilicet per odiosam mulierem.*

Tertia est ambitio & cõcupiscentia: hanc comperio in prauæ illius mulieris apud Zachariam vertice: *Zach. 5. Ecce duæ mulieres egredientes, & habebant alas, quasi alas milui.* Quid prodigiosæ illæ duæ mulieres denotare vobis videntur, Auditores, nisi ambitionem & cupiditatem? alas habent, eo quod suo limo euolent, & alas quidem milui, quod hoc auium genus natura sua rapacissimum sit, solique prædæ inhians.

Symbolum ambitionis & concupiscentiæ.

Quartus fatalis huiusce coronæ flosculus est luxuria. Ieremiæ ex horto hunc decerpsi, in quo Prophetice forsitan de peccatrice hac Euangelium legitur, *Ier. 2. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternebaris tu meretrix.*

Quintus est ebrietas, probrosum in mulieri vitium, & vera prostitutæ nota, detegit hanc Ecclesiasticus dicens, *Eccli. 25. Mulier ebriosa, tra magna, & consumelia, & turpitudo illius non contegetur.*

Ebrietas mulieri probrosa.

Sextus est clamor & vociferatio, quæ in muliere sunt quam turpissima & ignominiosissima: vbi enim clamoribus iam domum concitauit, & vociferando iurgandoque omnia turbauit, signum est eam stultam esse & fatuam, atque vt talem eam describit Sapiens, *Prou. 9. Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, super cellam in excelso vrbis loco, vt vocet transeuntes per viam.* Vidisti iam infamem hanc corollam, media ex parte è male olentibus contextam & coagmentatam floribus, quos è varijs sacræ Scripturæ locis hinc inde collegimus, iam reliquos in iisdem hortis indagemus.

Fœmina clamosa, quam res turpis.

Septimus flos ipsa est crudelitas, suggerit hanc Sapiens, *Eccli. 25. Nequitia mulieris, inquit, immutat faciem eius, & occecat vultum suum tamquam vrsus.* & alio loco. *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam:* quasi diceret, fœmineam nequitiam & crudelitatem belluarum, animaliumque ferocissimorum immanitati præcellere.

Crudelitas mulieris extrema.

Octauus est impudentia & inuerecundia; hanc deprimit Ieremias, dum de muliere perfrictæ frontis & audacula hoc locutus est modo, *Ier. 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Impudentia dedecet fœminas.

Nonus, qui sertum hoc concinnat flos, fraus est & impostura, quod sane probrum intolerabile est, ceteroquin peruersis fœminis perfamiliare & commune. Hoc illas colore depingit Sapiens, & probe neminem non monet in Prouerbiis: *Ne intenderis*, inquit *fallaciæ mulieris, fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius; nouissima autem illius quasi absynthium, & acuta lingua eius quasi gladius biceps.* *Prou. 5.*

Decimus est, inquietudo & discursio. In Prouerbiis item hæc eruitur, & est verum mulieris propudiosæ argumentum. Hinc Salomon meretricem ac pellacem describens mulierem, ad cæteras eiusdem proprietates has adnectit, *Garrula, & vaga, & quietis impatiens.* *Pro. 7.*

Vndecimus, est stultitia, qua permultæ perfusæ mulieres, tam introrsum in animo, quam foris in capite: intus quidem mille vanitatibus & inanitis, quas mente voluunt, opletæ sunt; foris vero tot fucos, artificiosa pegmata, vittas, tænias, fascias, tot artibus, inuentionibus, vinculis, gyris, nodis & modis paratas in capite gestant, vt omnigenas stultitiæ species in vertice præferant. Auctor huius rei est Sapiens, dicens: *Prou. 11. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & stulta.* Quo vno carbone ac fuligine mulieris nomen magis inficitur, quam vulgaribus & communibus omni fœminæ miseriis ac probris. Sæpe namque plus apud eas reperire est stultitiæ quam sapientiæ. Testes sunt decem illæ virgines Euangelicæ, quarum quinque erant fatuæ. Multæ mulieres stultæ.

Duodecima denique & vltima funesti huius serti pars & membrum, ipsa est à dæmone infessio: quando nimirum anima, corde, ac capite malignum mulier spiritum cõtinet. S. Lucæ Euangelium exemplum nobis

bis suggerit, dicens: *Erat mulier habens spiritum immundum.* Lucas nonnisi vnicam sui temporis producit, sed nostro nobis sæculo sexcentas afferre liceat, quæ vere non ab vno, sed ab infinitis spiritibus immundis possidentur.

Luc 13. Multæ fœminæ à maligno spiritu possessæ.

Magdalena omnigenis coronata vitijs.

Hæc igitur mulieris fatuæ & infamis corolla contexta non è duodecim lucentibus stellis, vti illa Apocalypseos, quæ matronarum honestarum & prudentium propria est, sed è totidem velut nigricantibus carbonibus & adulterinis partibus, peccatis inquam enormibus & vitijs detestabilibus, qualia etiam in suo Magdalena vertice gestabat. Cogitate enim eam vt mulierem fatuam infamem, omnique virtute destitutam, omnibus hisce vanitatibus, iniquitatibus, vitijs, abominationibus, alijsque nomine & sexu eius indignis titulis, redimitam. Erat siquidem superba, ambitiosa, luxuriosa, delitiosa, garrula, effrons, vafra, vaga, fatua & à dæmonio occupata. Vno velut face hæc omnia complexus est Euangelista, dum eam peccatricis nomine indigetat, *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.*

IV.

Quatuor Magdalenæ peccatum aggrauantia.

Quatuor rebus mulieris huius peccata aggrauantur & increscunt. Primo; quod carnalia fuerint, quæ, vt quidem Gregorius ait, longe cæteris fœdiora & enormiora sunt, imo maiorem infamiam inuoluunt: eo quod concupiscentia oculorum, quæ est auaritia, & superbia vitæ, nonnisi mentem, è qua proficiscuntur, inquinent; verum concupiscentia carnis, id est, libido, corpus simul inquinat & animam. Hinc peccata carnalia mentem homini eripiunt, ratione eum spoliant, mere eum commutant, & bestijs eum ac pecudibus haud absimilem reddunt. Exemplo nobis futurus rex Dauid, qui lasciuia ac libidine cor amisisse suum se conqueritur, & aliud à Deo postulat, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* item ille, qui in Euangelio, cum ceteri, qui auaros & ambitiosos representant, honeste & modeste se excusarent, ad nuptias regis inuitatus à carnali voluptate extra mentis statum abreptus, bruti instar & pecudis absolute ait, venire detrectans, *Vxorem duxi, id eo non possum ire.*

Peccata carnis sunt reliquis enormiora.

Psal. 50.

Luc. 14.

Secundo, quod peccata eius essent publica, ac proinde notoria & omnibus cognita. Dicitur quippe fuisse peccatrix in ciuitate. In ciuitate namque peccans omnibus loquendi dabat ansam, & nemini non erat offendiculo: nam peccata publica & manifesta non Deum modo offendunt, sed & vniuersæ Ecclesiæ & proximo sunt scandalo; ac proinde grauiora sunt, maiorique damnationi obnoxia.

Peccata publica sunt grauiora & damnabiliora reliquis.

Hinc etiam Nathan Propheta Dauidis culpas & crimina exaggerans, his eum verbis corripit, *Blasphemare fecisti nomen Domini,* perinde ac si dixisset: peccando tantum tamque patens regni colis simul & externis scandalum dedisti, vt qui te deliquisse inaudierunt, teque norunt, ita offensi fuerint, Deum ipsum vt exacerbarint, aduersus eius maiestatem murmurarint, sanctumque eius nomen blasphemijs prosciderint, quod Sauli regno & diademate ablato ipsum in te transfuderit, qui centuplo illo es deterior, omnigenaque nequitia illum exsuperas.

2. Reg. 12.

Tertio; quod delicta eius numero fuerint plurima. Colligere hoc est è verbis Redemptoris apud Lucam dicentis; *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Atque hæc ipsa multitudo mirum in modum peccatum aggrauat, vt eruimus ex illo Geneseos loco, in quo scribitur, Deum visa criminum & abominationum Sodomiticarum ac Gomorrhæarum copia his vsum verbis. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Per clamores Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatos intellige peccatorum ipsorum numerum; singula quippe delicta, dum committuntur, in cœlum clamorem tollunt, Deumque exacerbatum ad iustitiam & vindictam excitant. Colligitur hoc ex verbis proxime sequentibus, quibus Deus ait, *Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*: id est, an tot tantaque commiserint crimina, quot clamores audiui.

Peccata Magdalenæ numero plurima.

Luc. 7.

Gen. 18.

Singula peccata clamant ad Deum, dū committuntur.

Gen. 18.

Contritiones suas, dolores & pœnitentiã simul & peccatorum grauitatem recensens Dauid, in illorum numero & copia eam potissimum collocabat, & maiore lachrymarum quam verborum vi dicebat, *Circumdederunt*

Psal. 39.

derunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me, & bruto factus sum persimilis. Atque inde exclamandi laterio occasionem sumit, *Complaceat tibi Domine, vt eruas me, Domine ad adiuuandum me festina.*

Multitudinem delictorum deplorat Psalmista.

Quarto, quod omnigenis obnoxia fuerit peccatis, atque hanc ob rem apud Marcum dicitur à septem occupata fuisse dæmonijs, quæ insigni cum miraculo ab ea Dominus pepulit. Audite quid de ea scribatur, *Surgens autem mane prima Sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua septem eiecit dæmonia.* In quæ verba hanc adfert paraphrasin magnus Gregorius: *Quia septem diebus omne tempus comprehenditur, recte per septenarium numerum vitiorum vniuersitas designatur, & sic omnibus vitijs plena fuit & infecta* Idem ex Euangelio colligitur, in quo generali nomine *peccatrix* dicitur, & quidem *in ciuitate peccatrix.*

Maria Magdalena omnigenis dedita peccatis.

O igitur admirabilis boni ac benigni Dei misericordia! ô iudiciorum diuinorum abyssus! crimina eius per solam Hierosolymam diuulgata & nota sunt, sed quæ in illam collata est gratia, & qua eadem pœnitentia eluit, per vniuersum diffusa est orbem & prædicata. Promisit hoc illi etiamnum viuenti Saluator dicens: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, quia hæc fecit in memoriam eius.* & sane apposite ad illa Apostoli ad Romanos verba: *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* Nam delictum reuera in Maria Magdalena abundauerat, vnde & gratia deinde in ipsa superabundans fuit; scelerum eius fama Hierosolymitanas portas vix egressa est, verum pœnitentis eiusdem totum perambulauit orbem.

Matth. 26.

Rom. 5.

In ciuitate peccatrix. Studio forsitan hac illam ratione Euangelista designare voluit, vt simul causam innueret, ob quam misera hæc peccatrix eo miseriarũ prolapsa sit, eo quod nimirum in ciuitate commoraretur, in qua vt plurimum variæ peccandi occasiones occurunt, & maiores haud dubie Dei exacerbandi offendendique causæ quam in agris, aut rure. Hinc quam potest intentissime exclamat Ieremias; *Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suam.* & fugæ huius rationem subnectit, *Siquidem murus Babylonis corruit, egredimini de medio eius populus meus, vt saluet vnusquisque animam suam ab ira furoris Domini, & ne forte mollescat cor vestrum, & timeatis auditum, qui auditur in terra.*

In vrbibus maiores peccandi occasiones, quam in pagis.

Ieremi. 51.

V.

Quatuor in vrbibus discrimina.

Quatuór hisce è verbis eruemus ingentia quæ vrbibus imminent discrimina, quæ quicumque animæ saluti prospicere cupit, quam diligentissime euitet oportet. Primum est ruina & repentina mors: eo quod in vrbibus omnia ruinam & casum minitentur, omnia vacillent, earumq; muri semper prolapsui proximi sunt. Secundum, Dei furor, & iustitiæ eius acerbitas, quæ vt plurimum ante in vrbes quam agros & vicos detonat: testis Sodoma, Gomorrha, aliæque vrbes plurimæ. Tertium, morum corruptio & lasciua mollities: in vrbibus namque animi ignauescunt, virtutes emollescunt, & voluptatibus, delicijs, recreationibusque homines corrumpuntur ac pereunt. Quartum, turba, inquietudo, & anxia sollicitudo, quæ in rebuspublicis opidisque, ob quotidiana & assidua negotia, lites, turbas, ambitiones, dissidia, tumultus, ambitum, aliaque incommoda, alibi non occurrentia, & à pagis longe exulantia, nusquam non habetur. quamobrem verbo vt dicã, in agris pax est & quies, & turbæ bellaque in vrbibus: illic salutis pro curandæ ratio commodior, hic maiora, frequentiora euidentioraque animarum sunt pericula.

Ira diuina semper in vrbes grassatur.

Quies in agris, in vrbe tumultus.

Non sunt hæc vani commentitijque conceptus, aut leui manu procusæ inuentiones, Apostolus quippe discriminum quæ subierat vitæ catalogum texens, & pericula omnigena enumerans, ea quæ in vrbibus occurrere solent, inter prima collocat. Ad manum eius habeo ex secunda ad Corinthios verba, *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in mari.* Videte vt ciuitates inter loca discrimini obnoxia & ruinis aduersisque casibus exposita recenseat. Atque ob hanc fortasse causam Magdalenam nostram

2. Cor. 11.

Pericula quæ sunt in ciuitate, sunt maxima.

fuisse in ciuitate peccatricem, in Euangelio refertur, *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c.*

Peccata alia conclauium, alia domus, & vrbium alia.

Hæc à vero quidem minime dissentanea, equidem dictam existimo in ciuitate fuisse peccatricem, ad infamiæ notam exprimendam potius, quam huius mulieris probrum; sunt quippe alia peccata conclauium, alia domuum, alia vrbis, & quo hæc notiora euidentioraque sunt; eo & enormiora, & magis detestanda, adeo vt, si peccata, quæ in conclaui & in abdito committuntur, & in oculos vulgi non incurrunt, noxia sint; multo sane magis ea, quæ domi, quæque famulis, ancillis, pedissequis, culinariis, aliisque domesticis paulatim innotescere incipiunt: at quæ in ciuitate, quæ & publica sunt, & omnibus perspicua, omnium sunt & grauissima, & maximam perniciem secum trahunt, ideo scilicet, quod scãdalo & offendiculo alijs sint, & insignis prauitatis & communis corruptionis argumenta.

Fugite ergo, Christiani, fugite peccata ciuitatis, fugite & cauete peccata publica. Turpe namque & infame est, si quis publice diffametur, si vulgi fabula fiat, & in omnium ore linguisque natet. An non venit in mentem villici illius apud D. Lucam, qui apud patremfamilias diffamatus, & accusatus cum esset, omnes eum vt bonorum herilium dissipatorem, & dilapidatorem passim habebant: quem ad se euocatum herus, vt rationem villicationis redderet, acriter corripuit, & sparsam in populum famam, infamiæque notam illico obiecit, exprobrans, *Quid hoc audio de te?* quæ de te fama spargitur? ecquod omnibus ponis offendiculum? quasi diceret: Profusio tua & male administrata villicatio omnibus dicendi ansam præbent; ob inique gestam rem meam passim male audis: bonorum meorum quam facis dissipatione passim vulgi fabula factus es. *Luc. 16.*

Scio hoc reuera nonnisi parabolam esse, scio tamen moralem quoque hinc elici sensum posse, & cum Deus magnus quidam paterfamilias, nosque eius villici simus, nihil esse, quod maiestatem eius magis ad iracundiam prouocet, aut acerbius exacerbet, quam dum vita diffamata est, crimina nostra nemini non patescunt, fama & nomen omnium pedibus proculcatur, peccata publica sunt, & scandala data, & de nobis nostrisque actionibus omnes passim in omni contubernio sermonem spargunt. Si vero beatos Psalmista prædicarit eos, quorum tecta erant peccata, & nemini patebant; ipse longe potius eos plane infelices censeo; quorum crimina manifesta sunt, publica, notoria, & omnium oculis reuelata. Talia porro erant Mariæ Magdalenæ delicta, cum de ea scribatur, *Erat mulier in ciuitate peccatrix.* *Psal. 31.*

Peccata in ciuitate admissa maiorem promerentur correptionem quam ea quæ rure.

Non sine ratione & causa hæc ab Euangelista addita est circumstantia, vt hoc pacto miserlæ huius lasciuia magis exaggeretur. Si enim rure vitam instituisset, aut in pago aliquo obscuro, vbi rara est concio, docti viri qui consulantur infrequentes, diuina officia non ea qua par est celebritate peraguntur, & homines pecuino prope ritu vitam instituunt; tolerari aliquo modo queat; verum in vrbe, in qua quotidianæ sunt, eæque variis in locis adhortationes, in qua templa plurima eaque cultissima, in qua tot passim tamque varia pietatis exercitia, in qua sedulí Curiones & Religiosi feruentes magno sunt numero, in qua animabus iuuandis variæ habentur rationes, ita lasciuire, ineptire & obbrutescere, nimium quantum detestandum est.

Hoc respexit Isaias, dum Hierosolymorum peccatá exaggerans exclamat, *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicida.* quasi dicere vellet, si virginum constuprationes, pollutiones matrimoniorum, iustitiæ corruptelæ ac deprauationes, Leuitarum sacrilegia, templorum locorumque sacrorum profanationes, cædes & homicidia, aliaque sexcenta, quæ quotidie Hierosolymis admittuntur, flagitia & dedecora in pago aliquo ignobili & obscuro, in quo Dei honor, lex & timor non tã frequenter aut bene edocentur, committerentur, non adeo enormia illa crimina forent, purgationi esset locus, imo aliquam forsan excusationem mererentur, sed omnia hæc in tam insigni, ampla, sapienti, beneque morata & instituta ciuitate, qualis Hierosolyma est, in qua in Deum fi- *Isai. 1.*

des

des tam sancte docetur, iustitia tam bene exercetur, lex tam docte annuntiatur, in qua virtus in throno residet, increscere, & tanto omnium offendiculo dominari, abominabile est, & puniri dignum.

Peccatorũ vrbanorum grauitas. *Deut.* 22.

Lex in Deuteronomium à Mose relata mirifice huc facit: *si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur, puella quia non clamauit, cum esset in ciuitate; vir quia humiliauit vxorem proximi sui. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est causa mortis.* Quid sibi vult hoc in puniendo discrimen? idem crimen, diuersa tamen eius castigandi ratio & pœna. Duæ puellæ in idem præcipitium ruunt, interim tamen in vnam rigide animaduertitur, altera indemnis abit. Quænam rei huius ratio? vt hinc nimirum discamus, peccata vrbana longe esse grauiora, magis offendere, maiorique digna supplicio, quam quæ in agris admittuntur lociscque campestribus. Hinc Magdalenæ peccata tum Euangelista exaggerat, dum in ciuitate eadem scribit commissa, *Erat in ciuitate peccatrix.*

Vrbanorum peccatorum grauitas.

Quid? esse peccatricem in ciuitate? quid fieri hocce potest? Deumne in vrbibus ad iracundiam excitari posse, in quibus tot illustria dantur documenta, tot honesta habentur morataque contubernia, tam præclara monita, tot sancta exempla, tot viri doctrina celebres, tot pia loca? vndenam ergo tot in vrbibus peccatores, tot præuaricatores, tot perfidi Iudæ, tot aduersus diuinam maiestatem insurgentes? Deplorabat hoc hisce verbis Sophonias: *Desolatæ sunt ciuitates*, id est, vrbes & oppida, quæ virtutes esse debebant academiæ, honoris theatra, amoris timorisque diuini gymnasia, & honorabilia ad homines in ijs, quæ ad sapientiam spectant, continendos, & ad omnipotentis Dei cultum traducendos, loca desolata sunt penitus, omnia ibidem in perniciem ruunt, mera ibi dissolutio, abominationum illic receptaculum, lasciuiæ palæstra, ac publicæ peccatorum ac vitiorum scholæ. Hactenus hæc in peccatricis nostræ dedecus & ignominiam dicta sunto, iam honorem eius per insignem quamdam pœnitentiam & virtutum exercitium restauratum proponam, atque hoc est, quod secunda concionis parte facturos eramus polliciti. *Sophon.* 3.

Vt ergo partem hanc aggrediamur, ab ipsis Euangelistæ verbis eam auspicabimur: *Ecce mulier.* Nec immerito sane ab hoc aduerbio admirandi exordius est, vt nimirum mulier hæc tum mulieribus omnibus, tum viris, tum vniuerso etiam mundo velut speculum & imago proponatur: & sane singulare quoddam virorum, fœminarum, & omnium omnino mortalium fuit exemplum. *Ecce mulier* admirabilis in pœnitentia, *mulier* in amore diuino incomparabilis, *mulier*, quæ ea amoris in IESVM CHRISTVM signa & argumenta dedit, qualia nulla vmquam mulier præstitit. *Ecce mulier* generosa; virilis animi & fortis, qualem videre optauit velut raram in terris auem Paroemiographus, *Mulierem fortem quis inueniet? Ecce mulier* hæc admirabilis, *quæ fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor*, id est, diaboli, quod in Iudithæ viduæ olim elogium scriptum est. S. Maria Magdalena singulare omnibus exemplar fuit. *Prou.* 31. *Iudith.* 14.

Ecce mulier. Vocula hæc emphasin semper & energiam habet, & quocumque legitur loco, magna, admiranda, insolitaque notat. Ita Vagao Holoferni principi à cubiculis generosum & admirabile quoddam à femina commissum dextera facinus pro dignitate enarraturus ait, *Ecce Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.* quasi dicat: Rem nouam, inusitatam, & admiratione plenam! femina vniuersis Assyriorum castris insultauit, ecce Holofernes præfectus capite truncus in terram prouolutus iacet. Ita quoque Euangelista noster *Ecce* habet, id est, videte, considerate, estote intenti, audite loquentem rem nouam, memorabilem, & nunquam hactenus auditam enarrabo. *Ecce mulier*, quæ quia publice deliquit, publicam etiam agit pœnitentiam, & à suorum delictorum cognitione eam orditur. *Ecce* semper admirationẽ notat.

Primum enim, quod in peccatricis huius conuersione refert Euangelista, vera est Dei, & sui ipsius cognitio. *Vt cognouit* Deum quem

offendebat, animam quam perditum ibat, peccatum quod committebat, supplicium quod promerebatur, periculum in quo versabatur. *Vt cognouit* se Dei bonis abuti, diuinam se maiestatem ad iracundiam prouocare, honorem prodigere, & nomen pessumdare, familiæ se suæ maculam infamiæ affricare, & prauo omnibus exemplo esse; ilico ecce peccato valedicere, vanitates deserere, dissolutiones relinquere, diuinam misericordiam inuocare, præterita delicta lacrymis expiare, & pœnitentiæ fructus edere quam promptissima fuit. Mali ergo cognitio bene operandi illum initium suppeditat. *Vt cognouit.*

Primo ante omnia in rerum creatione lucem condidit Deus, dicens: *Fiat lux*, atque inde vlterius ad ceterarum creationem rerum processit; ita primo in parui mundi, id est, hominis reformatione, lucem, id est, veram cognitionem idem infert Deus. In huius rei signum Dauid vt peccator quidam, sed ad pœnitendum iam promptus, vtpote lacrymis oculos suffusus & gemebundo ore ait, *Amplius lauame Domine ab iniquitate mea, & à delicto meo mundame*; causam eius mox subnectit dicens, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, quasi dicat, eo quod peccatum ipse meum agnosco, hinc eius à te veniam, Domine, efflagito, teque supplex obsecro, vt secundum magnam misericordiam tuam mei miserearis. Quanta enim mea sunt delicta, & quænam tua patientia? quamdiu velatos habeo oculos, quamdiu peccato affixus hæsi, quamdiu cæcutiui in animo, quamdiu miseriæ statum agnoscere minime potui; tamdiu miseriæ statum agnoscere minime potui, tãdiu peccatis egredi nolui, nec de vitiis valedicendo, teque veniam rogando, & me pœnitentiæ dando vel minimum laboraui: at modo vbi à palpebris caliginem illam amouisti, cognitionemque iniquitatum mearum mihi dedisti; & agnoscere incipio in quo versor periculum, & quod adeo, si in delinquendo pergam, discrimen; hinc supplex tibi prouolutus, oculo lacrymante, & corde contrito & humiliato obtestor, vt misericordia tangaris mei, peccata deleas, & quidquid deliqui, pro tua indulgere mihi velis clementia.

Gen. 1.

Psal. 50.

Dauid à peccati cognitione pœnitentiam auspicatur.

Hoc etiam processit ritu sanctissima hæc nostra peccatrix; etenim mox vt peccatum cognouit, pœnitere cœpit, & ipsum vehementi aquarum diluuio eluere. Vt cognouit inquam vitæ probrum, peccatorum suorum horrorem, miserum animæ statum, noxarum multitudinem, derepente exsurgens domoque egressa vanitatibus valedicit, vestes dissringit, in capillos & oculos grassatur, perque compita velut lymphata ac furibunda vagatur, medicum quæritat, remedia consectatur, & ad pedes redemptoris supplex se, Dauidis exemplo, abiicit, & cum eodem exclamat, *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi.* Norat dixisse iam olim Redemptorem, & euocasse ad se omnes, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ipsa vero quia grauibus delictorum oneribus grauata erat, hinc ad Christum confugit, vt ab ipso exoneraretur.

Psal. 141.

Matt. 11.

Non imitatur porro scelestum illum Ægypti tyrannum Pharaonem, qui ranarum aliorumque fœdorum animalium, quæ & regiam complebant, & in conclaue penetrabant, imo & in thalamum & lectum insiliebant, molestia incursuque grauatus, & à Mose monitus, vt diem tempusque daret, quo ipse pro rege, pro seruis & clientibus eius, & pro populo vniuerso deprecaretur, vt abigerentur ranæ, muscæ & ciniphes; bene monentem à se reiecit, occasionem capillatam antrorsum non arripuit, in aliud rem tempus distulit, *& respondit, cras.* Hinc illæ lacrymæ. Non ita inquam Magdalena; verum vt cognouit, vt cœlitus inspirata fuit, ad animæ medicum curatoremque omni quo potest studio properat.

Exod. 8.

Deo Samuelem adolescentem noctu euocante, ilico quidem ipse strato surgit, vocem audit & vocantem, sed ad Heli dominum suum abit. Ita hodie permulti, durante tetra peccati nocte, & in vitijs altum stertentes, à Deo vocantur; qui statim quidem exsurgunt, sed ad mundum abeunt, non ad vocantem Deum. E contra vero peccatrix hæc, vt per internas inspirationes, per conscientiæ remorsum, per suppliciorum formidinem cognouit à Deo se vocari, confestim ad Redemptorem festinat.

1. Reg. 3.

Vt

Vt cognouit, vt cognouit inquam morbi sui discrimen ac grauitatem, statim ad medicum festinat salutem quæsitura: nihil illam remoratur aut impedimento est, quo minus in cœpto pergat; non mundi oblocutiones, non amasiorum irrisio, non æqualium mulierculatum explosio, non Pharisæi contumelia & exprobratio; Simonem Leprosum minime veretur, famulos domesticos non curat, non conuiuarum pudore tangitur, sola illi peccata verecundiam incutiunt, solam Dei offensam metuit, & ad vnicam Jesu Christi, quem offenderat, præsentiam erubescit. Ita pœnitens ille rex ad Dei sui pedes prouolutus ait, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, id est, Etsi, ô Deus meus, Vtiam grauiter offenderim, & subditis meis offendiculo & scandalo fuerim, te tamen solum curo, te solum timeo, tui solius me pudet. Ah! ita hodie agunt peccatores; Deum non verentur, sed ob homines dumtaxat & oculos hominum erubescunt. In quo illis Susannæ pudicitiæ insidiatoribus persimiles, gaudentibus viso ianuas & aditus omnes viridarii occlusos, quasi à nemine inter peccandum conspiciendis, perspicacissimi Dei oculos, omnia penetrantes, & nihil non in abdito commissum rimantes minime veritis. Peccatrix Magdalena longe aliter se gerit; nihil enim mundum reuerita, omni mundano intuitu conculcato, solius Dei eam pudet, & ad pedes illius retrorsum versa, seque prosternens, in faciem eius non audet intueri.

Magdalena ob sola erubescit peccata.

Psal. 50.

Peccatores solam mundi confusionem metuunt, de Deo parum soliciti.

Vt cognouit. Homines non metuit, in tenebrosam rem noctem non differt, qua à nemine conspicienda erat, Pharisæi obloquia minime attendit, amasiorum suorum risum explosionemque nequaquam moratur. Instat nempe delictum, vrget, cogit & compellit, vt remedium ei quærat. Quam ergo merito ac iure Jeremiæ Deus ait? *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te*, noctu & interdiu, & nullâ tibi requiem concedet. Et sane ita se res habet: peccatum siquidem ipsum aduersus peccatores insurgit, animum illorum exagitat, conscientiam diuexat, eosque violentissime cogit, ipsi vt renuntient, ac tyrannidi eius se subducant.

Peccatum peccatores compellit, vt ipsum deserant. *Ierem.* 2.

Ægyptij ipsi, qui filios Israel captiuitate & seruitute premebant, quàm enixissime & importunissime ipsos orabant, hortabantur, vt suis egrederentur, in libertatem seipsi restituerent, in promissam patribus terram abirent. Dicenti mihi forsitan fidem non haberetis, nisi Exodi verbis quod dico, confirmarem, ait ergo: *Vrgebant Ægyptij populum Israel de terra exire velociter.* Cogita, obsecro, peccatrix anima, peccata tua totidem esse velut Ægyptios, quorum ipsa seruitio imperioque subiecta es, & quæ te torquent & excruciant; hæc ipsa clamoribus te suis internis inuitant, quin imo cogunt & vrgent, vt illorum manibus te repente eripias, & captiuitatis tyrannicæ illorum terram relinquas.

Exodus.

Ipsa inquam peccata postquam eadem iã commissa sunt, aduersus nos insurgunt, bellum nobis mouent, animum mentemque lancinant, spiritum metu ac formidine complent, nosque noctu diuque assiduis curarum & inquietudinum tormentis exagitant, vt tandem aliquando iis valedicere, vincula captiuitatis abrumpere, & è tam barbara immaniq; crudelitate nos eripere cogamur. An non tortores ipsi & carnifices, qui in redemptorem tam immaniter omni tormentorum genere sæuierant, primi fuere, qui orabant, & in stando occlamabant, vt descenderet de cruce: *Clamabant dicentes, si filius Dei est, descendat de cruce.* Peccata profecto & tortores sunt, & Judæi, & carnifices animas nostras cruci affigentes, & ad mortem rapientes; quæ postquam lethalem intulere plagam, tum ipsa instant, clamant, & nihil non agunt, vt de cruce hac descendamus, hoc mortis tumulo prodeamus, & ad vitam resuscitemur.

Peccata nos oppugnant, mox vt eadem admisimus.

Matth. 27.

Hoc expertus ipse Dauid in se, gemens ait, *Peccatum meum contra me est semper*, numquam mihi quietem indulget. dicere vult; Peccatum meum tortor est, assidue me exagitans, & instans, ipsum vt eiiciam foras, cogit, impellit, instat, vrget, quin imo ensem porrigit, bellum illi vt moueam, quo tandem requiem inueniam, & interna conscientiæ pace gaudeam. Quod Dauid de se, hoc quilibet de se peccator dicat oportet, ac ne-

Psal. 50.

Peccatum ipsum nos cogit, vt fœtas eiiciatur.

mo sane est, si modo vere quod experitur, confiteri velit, quin libere dicturus sit, vix se sceleris conscisse, quin illico ab ipso atrocissime diuexetur, tamque crudeliter lancinari se ab eo sentiat, vt cogere hominem quodammodo ad se expellendum eliminandumque & bellum sibi indicendum, quo è conscientia tandem emigret, videatur. Patet hoc euidentissime in pœnitente hac peccatrice, quæ mox vt peccati sui fœditatem perspexit, nullam mundi confusionem morata, ad filij Dei pedes supplex se abiicit, vt ab eo liberetur.

Vt cognouit maiestatem ac dignitatem eius, quem tot criminibus offenderat, ad eius confestim pedes prouoluitur, veniam commissorum poscit, contritionem illi suam & lachrymas offert, eiusque nomine maximas deuorat difficultates & contemnit omnia. Duo sunt, quæ ex hominum opinione mundanorum insignem amorem testantur. Primum cum amici causa quis omnia aspernatur; alterum eiusdem in gratiam magna & ardua aggreditur.

Duo magni amoris argumẽta.

Vtrumque in Maria Magdalena locum habuit: nam ob Jesum Christum, quem vnice diligebat & complectebatur, reliquit omnia seipsam relinquendo, vestes inquam reliquit superbas, vnguenta illa pretiosa, fucos illos venereos, gestus illos amabiles consortia illa iucunda, symphoniam illam gratissimam, cubicula illa aulæis conuestita, amasios illos molliculos adeo & lasciuos, voluptates illas ad eo illices aliasque innumeras, quas mundus affert & spondet delicias: deinde opera adeo sublimia ardua difficiliaque aggressa est, tam promptam inquam vitæ emendationem, reformationem adeo sanctam, & pœnitentiam adeo rigidam.

Maria Magdalena propter Deum reliquit omnia.

Quod in domo quam occupauit incendium fieri videmus, hoc ipsum in Magdalena locum habuit. ardente namque domo, è fenestris vestes elegantes, aurea argenteaque vasa, aulæa auro intertexta arcæ gazam & thesauros continentes, aliaque supellex domestica eiicitur. Ita Magdalenæ nostræ corde diuino illo æstuante incendio, de quo in Threnis suis Ieremias, *De cœlo misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me*; omnis illico domus conflagrat, anima eius igne penitus inardescit. Quid ergo mirum, si auratas sericasq; vestes, si toralia, si torques, & murenulas aureas, si gemmas & annulos, inaures, specula, armillas, smyrmata & pallas, muscum, myrrham, nardum, pulueres pigmentarios, fucos, stibium & purpurissum, & quidquid in conclaui cubiculoq; suo elegans & pretiosum habebat, ab se reiecerat. Huc nimirum eam impulit notitia, *vt cognouit* scilicet.

Comparatio.

Mox ergo *vt cognouit*, quanta Jesu Christi misericordia foret, quam admirabilis, quæ in medico hoc eluceret potentia, quam beata spes peccatoribus data, & quam ratæ sint à Christo Jesu sanationes & medelæ passim per vniuersam Judæam datæ; vtpote, qui Simonem Leprosum à lepra mundauerat, Chananeæ filiam à dæmonio liberarat, Samaritanæ tot adulteria remiserat, in hæmorrhoissa sanguinis fluxum stiterat; agnouit, se eundem accedendo medicum similiter à lepra mundandam, à peccati dæmonio liberandam, à tot luxuriæ ac libidinum generibus abluendam, denique à tetro tot peccatorum ac scelerum fluxu persanandam. Hanc illi spem suggessit delicti ac suipsius cognitio.

Sanationes à Redemptore in alijs factæ spem dant Mariæ Magdalenæ.

Vt cognouit. His è verbis quatuor esse colligo, perfectam pœnitentiam præcurrere & antecedere solita ac veluti anteambula.

VI. Quatuor veram pœnitentiam præcedere solita.

Primum est, diligens vniuersæ vitæ anteactæ inquisitio, ac sedulum eiusdem examen. Veri namq; pœnitentis partes sunt, sedulo anxieq; inquirere, ecquo Jesu Christi misericordiam inueniat modo, idq; ad imitationem sapientis & solicitæ sponsæ illius in Canticis, quæ sponsum suum quæritans ait, *Surgam, & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea.* Idem vere pœnitens anima dicat & agat. *Cant. 2.*

Semei perfrictæ frontis vir & contumelioſus, vt qui maxime, cum regem Dauidem iniuriis & conuitiis suis offendisset, omni deinde qua potuit ratione illi reconciliari studuit, eius gratiam qua exciderat ambiuit, & pacem cum eo redintegrare, & veterem ami- *2. Reg. 19.*

amicitiam inire conatus est. Ita quoque Maria Magdalena dissolutioni deditissima, quęque toties Regem regum irritarat, eiusque maiestatem ad iram prouocarat, longa quadam ac sedula inquisitione saluti suæ quærendæ aptissimas rationes excogitauit, & Christi gratiam quæsiuit, quam tandem feliciter adinuenit. hinc Euangelista ait: *vt cognouit*.

Præparatio sufficiens veram præcedat pœnitentiam.

Alterum perfectæ pœnitentiæ præambulum ipsa est præparatio & sufficiens dispositio, verus namque pœnitens post sedulum & curiosum vitæ præteritæ examen, & diligentem misericordiæ diuinæ indagationem generosa quadam resolutione, & inuiolabili in bono perseuerandi, & numquam à Dei sui cultu discedendi proposito, se præparet oportet, pij illius Regis exemplo, qui heroica quadam mentis constantia ait, *Iuraui & statui custodire legem tuam*, & nunquam à statutis tuis diuinis deflectere. Idem pœnitens nostra statuerat, inuento enim eo quē quærebat, satis sufficienterq; se præparauit ad faciendum, quæ decreuerat; dictum siquidem in Euangelio est, attulisse illam alabastriten vnguenti nardi pistici pretiosi, & in illius, cuius implorabat misericordiam, caput effudisse.

Psal. 118.

S. Maria sufficiētem præparationem ad pœnitentiam attulit.

Pudor præcedat pœnitentiam oportet.

Tertium, quod fidelem & sinceram pœnitentiam præcedat oportet, pudor est, & verecundia. homo namque vere pœnitens, Deo se omnia scienti & cognoscenti sistens pudore emoriatur oportet, & coram eius, quem tot maleficiis offendit, facie erubescat. Quamobrem Dauid Rex, peccatores ad pœnitentiam, conuersionem, vitæque emendationem adhortans, auctor est, vt à pudore & confusione eam incipiant: *Conuertantur*, inquit, *& erubescant valde velociter*, ob diuinam maiestatem ad iracundiam prouocatam. Pudor vero aut erubescentia nihil est aliud, quam passio, quam rei alicuius inhonestæ & infamis perfert appetitus, præsertim coram hominibus honestis. Cum ergo peccati fœditas & infectio maxime sit abominanda & turpissima, & facies Dei viuentis summe honesta; hinc ei se peccator & reus per pœnitentiam sistens, insignem verecundiam ac pudorem præferat, omnigenaq; ratione erubescat oportet. Non defuit & hæc Magdalenæ dispositio: Christo namque hodie se sistens ita erubuit, & confusione oppleta fuit, vt retro secus pedes eius stet, eumque in facie videre non audeat.

Psal. 6.

Cur peccator Deo se sistens erubescere debeat.

Humilitas perfectam pœnitentiam præcedat.

Quartum ad pœnitentiam necessarium & maximi referens, & quod omnium caput est, veramque omnem pœnitentiam semper debet præcurrere, profunda est humilitas: verus enim pœnitens & de commissis dolens, summopere se deiiciat necesse est, suamque salutem & conuersionem à virtute peccato, à quo auersionem & ruinam suam est auspicatus, opposita inchoët: contraria enim, iuxta illud medicorum axioma, contrariis curantur. Exploratissimum porro est à superbia omne peccatum nasci, & initium ducere: nemo siquidem mortale scelus consciscit, nisi ex inobedientia, rebellione, & refractaria aduersus diuina mandata contumacia. Vnde sacra Scriptura: *Anima quæ pe cauerit per superbiam, peribit de populo suo, quoniam aduersus Deum rebellis fuit*. Quicumque ergo sacræ pœnitentiæ stadium ingredi vult peccator, à contraria & aduersaria superbiæ virtute, humilitate inquam, cursum suum opus est incipiat, & mente humili cum Maria Magdalena ad filij Dei pedes se abiiciat, ad quos ita se dimisit, vt retro eam stetisse Scriptura commemorat.

Num. 112.

Maria Magdalena insignem humilitatem ostendit.

Perfecta porro hæc pœnitens adeo verecunda & humilis erat, vt Deo se sistere minime auderet, neue oculis eius se sistere, sed retro staret, eiusq; pedibus aduoluta hæreret, passis per vultum capillis, oculis stillicidij in morem stillantibus, facie penitus immutata, & vestibus humi serpentibus, de decoro nitoreq; mundano parum sollicita. Ita Esther regina Deum precatura regium schema exuit, & quidquid ad reginæ ornatum spectabat, ac vestimentis luctui lachrymisq; propriis se cooperuit, fuci & stibij loco cineribus caput conspersit, & animam simul & corpus ieiunio abstinentiaq; macerauit humiliata.

Esth. 14.

Eandem respirauit humilitatem generosa ac pia Judith, quotiescumq; cum Deo agere statuit.

Judith. 9.

ſtatuebat, ac præſertim Holofernem confectura; tunc nempe cilicium induit, cineribus ſe cooperuit, & humi proſtrata cœlum verſus vocem intendebat, diuinamque opem expoſcebat. Ita ſcilicet Deus inuocandus, ita illius miſericordia expoſcenda, ita pœnitentia peragenda, ita eam peregit Magdalena, quæ omnibus pœnitentibus prælucere & exemplo eſſe debet.

Deus Sabaoth & zelator, in populum Iſrael concitatus, quod ſtolida quadam impietate vitulum aureum adoraſſet, Moſi imperat, vt ſuo illi indicaret nomine, *Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te, iam depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.* Parentes ergo iuſſis ilico *depoſuerunt veſtimenta, & tetendit Moyſes tabernaculum, & vocauit illud tabernaculum fœderis.* perpendite hiſtoriam hanc, Auditores, ac videte, quomodo ſuccenſeat, & ad iram concitetur Deus, quod cum peccatis filij Iſrael inquinati eſſent, ornati tamen incederent, & feſtiuas & gloriæ veſtes induiſſent; quibus depoſitis iram quoque Deus depoſuerit, & populo ſit reconciliatus. Quo docentur peccatores, ſi modo veniam à Deo commiſſorum obtinere velint, & eidem reconciliari, diuinæque illius iracundiæ furorem mitigare, veſtes eſſe ſibi prætioſas deponendas, & omne ſchema ſplendidum exuendum, ad crucis pedes corpus abiiciendum, cilicio tergum premendum, cineribus caput deturpandum, oculis lacrymas eliciendas, contritionem corde concipiendam, animo denique humilitatem exprimendam, ad exemplum ſcilicet præeuntis Magdalenæ, quæ hoc in ſchemate Chriſto ſe præſentat, ſed ea mentis humilitate ac verecundia, vix vt quaſi comparere audeat, hinc ſtat retro ſecus pedes Domini.

Exod. 33.

Veſtium inſolentia Deum irritat, & modeſtia placat.

Stare eo ſcilicet voluit, quo eam peccata ſtiterant loco: vt enim quibus mundum cor eſt, Deo ob oculos ſemper verſantur, iuxta illam Redemptoris doctrinam, *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* ita vice verſa impudicos & peccatores poſt tergum reiicit, hinc Moſi, commiſſo crimine, dictum ab Angelo fuit: *Poſteriora mea videbis.* Hinc & pœnitens Magdalena, quæ corde adeo erat inquinato, totq; delictorum rea, Dominum in facie non eſt auſa intueri, ſed à tergo ac poſt eum deliteſcit ſtans retro.

Deus peccatores à retro habet.

Matth. 5.

Exod. 33.

Hunc potiſſimum eligit locum, & hoc ſe locat ſitu, quod in Pſalmographo legiſſet, *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores,* id eſt, ſupra patientiæ & miſericordiæ meæ dorſum, non ſecus ac fabri ferrarij ſuper incudem, iniquitates ſuas cuderunt, & exonerarunt. Ob hanc fortaſſe cauſam Maria Magdalena, quæ tot tamque atrocia in ſanctæ huius patientiæ incude flagitia procuderat, eodem quoque loco iniquitatum ſuarum faſcem exoneratum venit, vt in immenſæ illius miſericordiæ dorſum & ſacros Redemptoris humeros illum coniiciat. Vt enim Eſaias ait, *Vere languores noſtros ipſe* (Dei ſcilicet filius) *tulit, & infirmitates noſtras ipſe portauit.* Ipſe namque in dorſum omnia mundi delicta ſuſtulit, & humeris tulit, vt ſecum illa cruci affigeret, & pœnas pro iiſdem lueret. O immenſam Saluatoris bonitatē! ipſe vt peccatores ab onere eximeret, ſeipſum grauare voluit, cumque ad montem vſque Caluariæ id ferre decreuiſſet, tam ingens ac graue id expertus eſt, vt ſub faſce exſpirarit.

Pſal. 128.

Eſai. 53.

Peccatorū noſtrorum onus Chriſtum mori coëgit.

Stans retro. A tergo conſiſtit: quod ſciret neminem in conſpectu Dei iuſtificandum, iuxta illam regis magni profeſſionem, *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo,* & coram diuinitatis tuæ oculis, & in iuſtitiæ tuæ tremendæ tribunali *omnis viuens.* & alibi: *Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* ac deinde metu exalbeſcens & tremens, exclamat, *Auerte faciem tuam à peccatis.* quaſi diceret: Ne obiicias obſecro, Domine, noxas meas oculis tuis, te namque nimiopere ad iracundiam concitarent, exitiique mihi & excidij periculum crearent; ſed poſt tergum eas reiice, ne illas videas & agnoſcas. Idem pœnitens hæc & ait & agit; Judicis namq; huius furorem formidans, ac ſententiæ eius rigorem, & oculorum minas, à facie illius ſe ſubducit, & *ſtat retro.*

Pſal. 142.

Pſal. 33.

Pſal. 50.

Retro ſtat, & poſt tergum Redemptoris latet, vt illum inter Patrem æternum ac ſe mediatorem obiiceret, quo benigniorem, mitioremq; illum Judicem experiatur. Hinc non

Magdalena Chriſtū in mediatorē eligit.

nõ immerito regius vates ait, *Protector noster, aspice Deus, respice in faciem Christi tui.* dicere vult; noli in me tuos coniicere oculos Domine, sed primum filij tui vnigeniti vultum intuere; si enim iniquitates hominum obseruaueris, & respexeris propius, quis tam seriam rigidamque inquisitionem sustineat, tam seuero examini se sistat.

Psal. 83.

Magdalena aromata pretiosa affert, vt iisdem tetram scelerum suorum maleolentiam tollat.

Maria ergo hac cum prudentia, & quas recensuimus circumstantiis, incredibili accedente verecundia, confusione & humilitate, domum Pharisæi subiens, in qua Redemptor conuiuabatur, ad sacros eius pedes supplex procidit, veniam scelerum efflagitatura, eumque ad clementiam indulgentiamque inuitatura. Consideratione dignum est, illam, priusquam Pharisęi tectum ingrederetur, diuinæque maiestati propior fieret, manibus vacuis minime apparuisse, sed vas secum alabastrinum vnguenti spicati pretiosi & fragrantissimi plenum attulisse. Norat nẽpe peccata sua coram Deo fœtere, & tetram exhalare mephitim, quin imo mera esse contagia, & pestes tererrimas. Hinc bonos ante affert odores & pretiosa vnguenta, quorum redolentia & fragrantia Redemptoris naribus esset iucundissima, vt hoc pacto omnem prẽteritarum noxarum maleolentiam ac fœtorem penitus tolleret.

Eund. 30. In huius rei figuram est, quod altare Thymiamatis sibi in Exodo construi iusserit Deus, vt in eo thus aliique suffitus odoriferi adolerentur. Ibidem quoque mandarit, vt summus Sacerdos Aaron semel quotannis super altaris huius cornua in sanguine, quod oblatum est pro peccati expiatione, deprecaretur. Legis verba sunt hæc, *Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato.* Recte quidem ante deprecationem ac propitiationem pro peccatis scilicet suffitus præcedebant, vt bono quodammodo odore viam præpararent, & impedirent, ne tetris maleolentibusq; diuina maiestas offenderetur. Ad ritus huius imitationem peccatrix hæc fœmina pretiosis & odoriferis vnguentis stipata, Dei filium accedit, ne forte peccatorum suorum putiscentia & fœtore eius amplitudo ac dignitas irritaretur.

Bessæi tom. 3. de Sanctis.

En & alium conceptum. Hæc enormium ac plurimorum rea flagitiorum fœmina, grauiter se Deum adiracundiam prouocasse, eiusque iustitiam concitasse agnõscit. hinc fortitan eundem placatura, & pacem cum ipso initura, aromaticis refertam odoribus pyxidem affert, ipsi eosdem vt offerat, simulque hac ratione testetur, quantopere eum exacerbatum doleat, & quo in posterum in illius cultum obsequiumque futura sit animo, ecquod etiam eius diligendi conceperit desiderium. Ita & Jacob Patriarcha, è Mesopotamia redux, comperto Esau fratrem, quem iam dudum aduersarium expertus erat, & inimicitias secum mortales gerere nouerat, in viam se dedisse, & in fraternam perniciem ruinamque conspirasse, quidquid è domo Labani electum ac pretiosum efferebat, selegit, vt in Esau eiusque comites dispertiretur, & illius hoc pacto animum & furorem leniret, secum ipse dicens, *Placabo eum muneribus.* Eodem quoque modo Magdalena nostra, cognito Dominum se aduersarium habere, & iam dudum iustitiam eius in delicta sua vindictam iurasse atque intentatare, naribus gratissima & pretiosissima omniũ, quæ domi habebat vnguenta seligit, eadem Domino oblatura, eum vt iisdem placaret, misericordiamque ipsius in se & caput suum muneribus similiumque rerum oblatione prouocaret.

Magdalena sua Christo offert vnguenta, eius ius vt iustiam placet.

Gen. 32.

Addam ad alios. Veteri lege cautum erat, ne quis è præsumptione temeritateq; coram diuina maiestate vacuus, nihilque deferens appareret. Lex est: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Quocirca mulier hæc legis huius non ignara, & in eadem enutrita, eum, quem verum esse Deum agnoscit, vacuis adire manibus perhorrescit; hinc munera defert, & odoramẽta in eum effundit electissime è mythecio suo deprompta. O egregia & illustris mutatio! ô præclara metamorphosis! absynthia mutari in suauitatem, spinas in rosera, fœtores in suffitus, mephitim in zibethum, venena in odoramenta pretiosa, & Magdalenam adeo ante sordidam, & fœtidam ac putiscentem, modo tam iucundum spirare odorem, & odoris vnguenta afferre gratissimi.

Exod. 34. Vetuit olim Deus quemquã suum in conspectũ venire vacuum.

Sed alia longe mutatio, eam quæ erecto incedere solebat vertice, ceruice præ impudentia, & inuerecundia elata gestu insolenti, oculos ludibundos voluere, & intuitu vndequaque impudico neminem non ferme assuetam, modo vultu stare mortificato ac demisso, fronte pudibunda, gestu modesto, decoro, & virgineo, oculis lachrymarum rore turgidis, quo sacros Redemptoris mundi pedes abluit. Vnde Euangelista, *Lachrymis cœpit rigare pedes eius*, Sanctæ hæ lachrymæ egregiorum mihi erunt conceptuum seminarium.

Ceruus inter quadrupedia non postremum venenato saucius iaculo, dolore percitus, ilico fontem quæritat, eo inuento eius in aquas se deiicit, ibique stomachum purgans derepente, exspirat. Hoc saucius erat modo Dauid Rex, dum ad propositum nostrum exclamat, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Hoc item modo vulnerata erat sancta hæc peccatrix, quæ innumeris confossa ad mortem vsq; telis, magna animi cõtentione & instant a Jesum Christum, fontem illum aquarum viuentium inuestigat; quo inuento ad eius se pedes prosternit, & honesto quodam vomitu è conscientia sua omnes scelerum spurcitias eiiciens, eodem loco pompis, voluptatibus, honoribus, vanitatibus, & quidquid mundi erat, moritur. Testãtur hoc piæ & vberrimæ eius lachrymæ; nam *lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Ceruus saucius fontes petit. *Psal.* 41.

Quemadmodum è salsa maris vnda vapores ascendere constat, qui deinde in nubes concrescunt, suo tempore in aquas dulces terræq; perutiles resoluendas. iuxta illud Psaltis, *Educens nubes ab extremo terræ.* Ita & hodie nemo non ex amaro, tristi, ac dolenti Magdalenæ ob admissa in Deum flagitia corde suspiriorum & gemituum vapores videt erumpere, qui deinde in nubes singultibus turgidas coëunt, sed postea in dulcem lachrymarum imbrem sterili eius animæ imprimis necessarium ac per omnem modum vtilem, resoluuntur ac liquescunt. Ita Dauidi Regi factum est dicenti, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Aliter hic Hieronymus ex Hebræo interpretatur, *Natare*, inquit, *faciam lectum pro abundantia*, videlicet lachrymarum, *ita vt lauari possit in lachrymis.* Magdalena vero non lectum duntaxat lachrymis suis irrigat, sed & Redemptoris pedes tristi hoc lachrymarum officio ministerioque humectat & irrorat. nam *lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Psal. 134.

Comparatio philosophica.

Dauid noctu & interdiu delicta plangebat.

Angelis cœlo delapsis, vt iustum Loth conflagratione Sodomitica educerent, dicitur Loth ipse pedes abluisse. Cum ergo magni ille consilij Angelus Jesus Christus, filius Dei viui, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, in mundum venisset, vt peccatricem hanc incendio, Sodomitico longe deteriori eriperet (nam Sodomiticus ignis nõnisi corpora, hic vero & animas adurit, & in cineres redigit) rationi maxime consentaneum erat, vt gratissima lachrymarum suarum lympha sacros illius pedes abluere.

Gen. 19.

Allegoria.

Prædixit olim Dei voce Esaias: *Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* in Magdalena nostra prophetia hæc ad vnguem impleta est: nam videas eã, quæ deserti instar sterilis erat, sacris gratiarum benedictionumque aquis destituta, terraque arida, & à nulla virtute inhabitante fœcundata, hodie in stagnum & patentem lachrymarum fluuium conuersam.

Esai. 1.

Dixit quoque regius alibi Vates: *Qui conuertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarum.* Ad litteram intelligendum hoc censeo de miraculo olim facto in deserto Sin, quando scilicet Moses virga rupem percutiens, copiosissimas inde aquas eduxit. In mystico tamen sensu referri id ad Mariam Magdalenam queat, in qua vere illud adimpletum: quæ enim vera petra scandali erat, & vetus quædam duritiei rupes, hodie non sine prodigio in stagna, & in fontes lachrymarum conuersa est, cum nimirum *lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Psal. 113. *Exod.* 17. *Num.* 10.

Magdalena erat petra scandali, & peruicaciæ rupes. *Thren.* 1.

Vtaceam Prophetarum oracula, adimpletum in illa quoq; salutare Jeremiæ consilium dicentis: *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem, non des tibi requiem, neq; taceat pupilla oculi tui.* Vltima porro notanda sunt

Lachrymæ coram Deo loquuntur.

da sunt verba, *Nec taceat pupilla, &c.* quibus significatur lachrymas ac fletum disertè coram Deo perorare, & esse quam eloquentissimas. Hoc porro ritu hodie Magdalena loquitur, & Prophetæ consilium exactissime complet: & oculis quippe suis torrentes elicit & oceanos, noctu & interdiu sibi requiem non indulget, illiusque pupillæ à fletu non cessent; lachrymis deniq; suis indesinenter loquitur & clamat.

Trialoquuntur sine lingua & verbis.

Memineritis hic oportet tria esse in homine, quæ sine lingua, ac verborum sono loquantur, ita tamen inclament, vt vel in cœlo illorum clamor exaudiatur. Primum sanguis est: ac propterea impio & parricidæ Caino, post fratrem Abel scelestà peremptum manu, Deus ait, *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, & iustitiam exposcit. Secundum, cor est: atque ita Anna Samuelis mater, tametsi ne vel verbum ore proferat, clamare dicitur; & ipse Dauid, ore in verba non laxato, è cordis penetralibus plena inclamat voce, *De profundis clamaui ad te Domine*, *Domine exaudi vocem* & clamorem *meum*. Tertium lachrymæ sunt: agnouit & hoc inter veteres Poëtas non infimæ notæ Ouidius.

Gen. 4.

1. Reg. 1.

Ouid. lib. 3. de Ponto.

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

& Prophetarum etiam non nemo cum ad Deum vociferàs ait, *Auribus percipe lachrymas meas.* Iis porro hodie loquitur Magdalena, filij Dei pedes lachrymis humectans.

Psal. 125.

Causæ primariæ lachrymarum Magdalenæ.

Vna è primarijs maximisque harum lachrymarum causis ipsa scelerum fuit recordatio & consideratio, in quatuor potissimum sita rebus. Considerabat namque primo, qualia, & quanta, quamque enormia essent, quæ conscruerat delicta; denique quæ negligentia sua omiserat bona, ad quæ tamen ex officio obligabatur; tum quæ iniquitate sua incurrerat mala & miserias; lubricitates quoque, immunditias, & sordes, in quæ prouoluta erat, scelera & abominationes, quibus indulgebat, dæmones quibus obsecuta erat. Hæc omnia animum eius lancinabant, torrentesque lachrymarum oculis eliciebant, & cum Psalmographo dicere cogebant, *Exitus*, inquit, & cum illo Magdalena, *aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*: id est, ita me macerat offensa tui, vt oculi illam mei quotidie luant, & nunquam non lachrymis natent, quod legem tuam violarint, & sancta mandata tua neglexerint. Quid ergo mirum peccatricem hanc in lachrymas resolui, quid mirum ita illam vt parturientem torqueri, cum tot diabolicos fœtus pariendi in discrimine ageret, quod aduersus Deum commiserat mala. Atque huc forsan Redemptor alluserit apud Joannem loquens, *Mulier cum parit, tristitiam habet.*

Psal. 13.

Ioan. 16.

Secundo, reuocabat in mentem inæstimabiles quas fecerat iacturas, & quanta, quamq; eximia essent, quibus peccando excideratbona, regnum scilicet cœlorum, Dei visio, Angelorum societas, Sacramentorum Ecclesiasticorum participatio, communio Sanctorum, bonorum quæ ante fecerat operum meritum, tot laborum molestiarumque in virtutibus assequendis antequam Veneris castra sequeretur, merces & remuneratio. Si diuites & Sapientes mundi huius interdum summopere affliguntur, & nimium quantum sæpe dolent, cum vel minimam bonorum temporalium iacturam fecerunt, vel commodorum quæstusque soliti incisus est cursus; quantopere ergo miseram hanc peccatricem indoluisse, & amariori fletu immaduisse fit verisimile, tantarum tamque eximiarum se rerum iacturam fecisse videntem? hoc scilicet cor eius dolore dissecat, hoc oculis lacrymas elicit.

Iacturæ quas peccatum parit.

Tertio, mente voluebat, ecquos offendisset, Deum imprimis rerum auctorem & creatorem, infinitam illam maiestatem esse quoddam infinitum & à nullo dependens, & cui cætera Esse subalterna sunt, Dominum denique supremum & incomparabilem. Deinde Angelos & sanctos omnes. Adeo, vt si prodigus ille præteritis insolentiis & vitiis adolescentiæ ad mentem reuocatis, in cælum & patrem peccasse lachrymis potius quam verbis se dixerit; fœmina illa vere omnibus in rebus prodiga maiorem dubio procul fiendi vberioresque lachrymas profundendi occasionem habeat, scelerib⁹ animo repræsentatis, quibus in Deum si-

Maria peccauit in Deum, Angelos, & Sanctos.

Luc. 15.

mul & Angelos, cœlum iuxta ac terram peccarat.

Quæ Magdalenæ mala peccatũ attulerit.

Quarto denique perpendebat, quas sibi peccata calamitates ac miserias crearent, regni cœlestis exhæredationem, omnium gratiarum priuationem, bonorum spiritualium sublationem, probrosam honoris amissionem, æternam damnationem, omnipotentis magnique Dei indignationem, supplicia denique æterna & numquam finienda. Si Esau

Gen.27.

summopere ob amissa primogenitorum iura cruciabatur, vt in lachrymas & suspiria prorumperet; credamus & censeamus oportet, miseram hanc pœnitentem longe magis indoluisse, & vberiores multo lacrymas tanta rerum quam fecerat iactura ad animum reuocata profudisse. Adeo vt quadruplex hæc consideratio simul sumpta extremos illi dolores & animi amaritudines attulerit, & infinitas amarissimasque oculis lachrymas eduxerit.

3.Reg.18.

Egregiam quadruplicis huius considerationis in veteribus Regum historiis comperio figuram: in quibus lego quatuor aquæ vrnas in altare Eliam effudisse, & è ligno ilico magnam erupisse flammam. Aqua quatuor illis vrnis effusa, vera est lachrymarum Magdalenæ oculis ob quadrifariam illam considerationem erumpentium imago: vnde tantum amoris prorupit incendium, omnia vt delicta eius ab eodem consumpta sint, & pœnitentiæ eius sacrificium redditum acceptabile. Vel potius quaterna hæc aquæ effusio quatuor alias denotabat causas, quæ innumeras hasce in peccatrice lachrymas causabantur, nimirum diuinorum iudiciorum metum, offensarum admissarum pudorem, bonorum neglectorum dolorem, ac diuinorum beneficiorum memoriam. Hæc forsitan tantam cordi amaritudinem peperere, & tantum lacrymarum fontem eduxere, vt pedes Redemptoris iisdem irrigare potuerit.

Figura.

Iudic.17.

Sacerdos quidam Ephratæus, nomine Michas, latrunculos, à quibus & domus eius compilata erat, & idola inprimis sublata, insequens, aëra replebat gemitibus ac fœmineo vlulatu, & lacrymis numinum suorum iacturam deplorabat: his clamoribus excitis latrunculi, lamentorumque causam scisitantes, audiunt ab irato & indignabundo, *Deos meos, quos ego feci mihi, tulistis, & quaritis, Quid ploras?* quasi diceret: Grauissimam & maximam feci iacturam, & mirum videtur vobis, me plorare, gemere & indolere.

Dei iactura æternis lachrymis deplorãda.

Hic mentem cogitationemque sustollite Christiani: si sacrificulus ille idolum inane, mutum, & quod suis sibi manibus concinnarat, sublatum tantis prosecutus est lacrymis, quod numine iam careret; quanto potius & magis peccatrix hæc plangat & ingemiscat, Deo suo vero ac vere cœli terræque conditore amisso? Nec ipsa solum, sed & quilibet Christianus eamdem passus iacturam: an non æternis res illa lachrymis digna? Ita sentiebat scilicet Dauid; vnde & ipse libere confitetur, se quoties amissi sui Dei recordatur, in lachrymas prorumpere solitum nec eas inhibere potuisse, *Fuerunt mihi*, inquit, *lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Mirumne ergo aut peregrinum, Magdalenam pœnitentem, post Dei sui, animæ, regni cœlorum rerumque aliarum iacturam, in lachrymas ita resolui? mirabimurne dicere Euangelistam? *Cœpit rigare lachrymis pedes eius, &c.*

Psal.41.

Dauid eiusq; comites videntes vrbem Siceleg incendio cõsumi, & mulieres simul & paruulos in seruiturem captiuitatemq; abripi, *Planxerunt, donec in eis deficerent lachrymæ*, quæ verba ex Hebræo etiam hoc transferri modo possunt, *Planxerunt, donec non esset in eis robur ad flendum.* Septuaginta porro ita legunt: *Sic fleuerunt, donec non erat robur in eis, vt flerent amplius.* Quid ergo hæcce pœnitens faciat, viso, ciuitatẽ Dei, id est, animã suam, à peccatorum flammis penitus insessam, & gratiam eiusq; comites, virtutes inquam simul omnes inde sublatas? quo se gerat modo tam triste & amarũ intuitu spectaculum? flet nimirum, donec in illa deficiant lachrymæ, donec flendi amplius non suppetat robur aut potestas.

1.Reg.30.

Mirifice beati Petri Principis Apostolorum lacrymas extollit sacra Scriptura, eumque amarissime fleuisse testatur, sed foras

iam

iam egressum, ac nemine conscio, *Egressus foras fleuit amare.* Hæc vero coram aliis in domo Pharisæi, medias inter epulas, à conuiuiis spectata, in lacrymas prorumpere non erubescit, quin imo iisdem gloriatur, vtpote probe conscia nihil iis esse apud Deum gratius, nihil fletu peccatori conducibilius, aut consentaneum magis.

Matth. 27.

Lacrymæ Deo placet.

Præcipit in libro Numerorum Deus, in solennioribus anni festiuitatibus hireumi sibi pro peccato offerri. Ad quid vero in festis celebrioribus pro peccato victimam exigit? Ingens hic latet mysterium, & insignem contemplationem hocce sacrificium inuoluit. Vt videlicet hinc discas homo, nullam esse festiuitatem, solennitatem nullam, nullam esse deniq; lætitiam, in qua delictorum recordatio Deo non sit quam gratissima. Nolito putare, Deo quid displicens te facturum, si media inter conuiuia, inque iucundissimis cõtuberniis & symposiis ob peccata interdum ingemiscas, & in solennitatibus festiuissimis & diebus amœnissimis pœnitendo te exerceas. Respice porro, quid pia agat Magdalena in triclinio pharisaico, in medio conuiuarum, medios inter plausus & symphoniacos: simul etiam tecum considera, quanti eius lachrymæ pretii fuerint, quanti habitæ, & noris omni eas tempore esse vtiles & permagni referre.

Num. 26.

Lacrymæ signa gaudii.

Exclamem ergo merito, ô beatas lacrymas! ô lacrymas plane diuinas & cœlestes! vos etenim pœnitentiæ estis symbola, vos doloris argumenta, vos item gaudii notæ, & amoris indicia, pœnitentiæ & doloris signa vos esse notissimum est, & nimis quam manifestum; sed etiam gaudii testes esse exemplis iam aliquot declarabo. Esau fratri Iacobo factus obuiam *amplexatus est eum, stringensque collum eius, & osculans fleuit.* Ioseph item Patriarcha, vt in eodem scriptum est libro, fratres suos agnoscens, secessit paululum à turba & lacrymis habenas laxauit: quibus scilicet suum ob illorum in terra aliena conspectum gaudium testabatur. Eius item pater Iacob, filium Ioseph adhuc viuere, & ad honores sublimatum cernens, *irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit*, lætitiam animi lachrymando testaturus. Euidentissimum omnium exemplum dabit Tobiæ historia: in qua pium senecionem cum vxore, ad filii, quem absentem magna animi amaritudine vt mortuum luxerant, reditum, illius in amplexus insigni cum effectu ruere videbimus, & ambos præ lætitia vbertim flere, *Et suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.*

Gen. 33.

Gen. 42.

Gen. 46.

Tob. 11.

Amoris eas symbola esse, facile quoque fuerit ostendere. Dixit iam olim Romanus Orator *fideles eas testes esse amicitiæ.* Quin & Iudæi, visis Redemptoris in Lazari resuscitatione lacrymis, euidens inde amoris & affectus eius in defunctum argumentum elicuere, & secundum naturalem consequentiam dixere, *Ecce quomodo diligebat eum!* Lacrymæ scilicet visæ eos ad hoc de mutuo inter illos amore testimonium ferendum pellebant. Idipsum è Magdalenæ lacrymis testimonium ferendum elicuit Redemptor, eque fletus magnitudine de magnitudine amoris & affectus iudicauit dicens, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Et sane lacrymæ amoris fomenta sunt, & viua affectuum pene intermortuorum flabra. Iisdem namque sanctum erga Deum amorem Magdalena, & charitatem penitus exstinctam reaccendit.

Lacrymæ signa benevolentiæ.

Cic. de amicit.

Ioan. 11.

Luc. 7.

In Epiro fontem esse tradunt rerum naturalium Scriptores, in quem coniectæ ardentes faces, pro naturali omnibus aquis qualitate, exstinguantur, exstinctæ vero & non ardentes accendãtur: quod mirum plane & admirabile est. Similes hisce aquis sunt lacrymæ, quod suo nobis exemplo penitus hæc ad oculum ostendit: in has enim coniecta, inflammata concupiscentiarum eius fax, quæ flammas circumquaqua eiaculabatur, penitus exstincta est, & diuini amoris teda, quæ antea nullas ignis scintillas euibrabat, perfecte accensa est. Nolite ergo mirari, si tam amare ad Iesu Christi pedes lacrymetur.

Fons admirabilis lacrymis collatus.

Puella à Iudæis in bello capta, externis orta parentibus, alicui de filiis Israel, cui arridebat nuptura, priusquam eius coniugio iungeretur, mense integro parentes captiuitate amissos deplorabat. Magdalena non quidem

Deut. 21.

alienigena, nec de gentibus orta, sed peccatis alioquin inquinata, non vno duntaxat mense, sed tricenis ipsis annis Patrem suum cœlestem, & sanctam Ecclesiam matrem suam, quas peccati captiuitate & dissolutione sua amiserat, eluget.

Iephtes filia, vt in libros Iudicum relatum est, morti se adiudicatam audiens, bimestre à parente spatium poscit, quo per montana cum sodalibus & coæuis virginitatē plangat. *Iudic.11.* Ita Magdalena ad damnationis sempiternæ mortem addicta, non bimestri, non biennij, sed triginta annorum spatio discurrit per montium prærupta & inuia, inque desertis commoratur locis, vt virginitatis suæ iacturam, honoris ruinam, & vitæ scandalum pœnitentis ac dissolutæ puellæ in morem deploret ac plangat.

Malefici ciuilis magistratus sententia ad mortem damnati, gemunt, flent, & plangunt, veniam commissorum rogantes, & vitæ emendationem spondentes. In diuinę iustitiæ senatu æternæ iam morti adiudicata Magdalena erat, iuxta illam supremi legem Legislatoris, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* & *Ioan. 4.* multo euidētius in lege de adulterio lata, *Hæc mulier deprehensa est in adulterio, secundum legem debet mori.* Magdalena igitur tot adulteriorum erat rea, ac proinde morti adiudicanda; sed videte, vt ploret, vt gemat, vt se excruciet, vt veniam poscat, vt vitam emendatiorem spondeat: videte, vt ad Iesu Christi pedes lacrymis natet, Deoque suo gemitus, suspiria, contritiones, planctus, ac lamenta offerat.

Dauid cum vicinos quosdam populos idolis addictos profligasset ac fudisset, & *2.Par.14.* superstites ideo in castris relinquentes fuga sibi consulerent; reperta rex idola flammis iniici iussit. Quænam ad idolorum horum combustionem pium hunc regem causa impulerit, quærit Augustinus: & respondet, quod *In lib. quæst.* pro more populus hic barbarus haberet, suos quotidie gemitus, suspiria, lamenta ac lacrymas illis offerre ac dedicare. Æquum porro & rationi consentaneum est, idola, quibus dantur lachrymæ, igni adiudicari: quod altissimo solum Deo illæ offerendæ sint, & eius duntaxat nomine, & ob crimina aduersus eius maiestatem admissa effundendæ. Quotnam vero in mundo idola sunt, quibus suos permulti consecrant fletus? quam multas hodie (proh dolor) ob auri & argenti iacturam, ob honores & voluptates amissas, & quam exiguas Dei causa, vel ad delictorum veniam obtinendam plerique lacrymas effundunt? Non ita Magdalena sed ob delicta sua, & Dei vnius amissi ergo plangit, cuius lachrymis pedes rigat, & capillis suis tergit. *Soli Deo offerendæ lachrymæ.*

Et capillis tergebat. Solent, qui in bello succubuere, & victi sunt, ad victoris pedes prostrati, quibus aduersarium oppugnarant, arma offerre: atque hoc ritu superatos se, & inferiores declarare, victoriq; palmam consignare. Ad eum plane modum pœnitēs hæc *Quibus armis Deum Magdalena oppugnauit.* peccatrix, quæ diuturno Deum bello lacessiuerat, superatam se tandem, & à Christo debellatam cernens, ad eius prouoluta pedes, supplex, summaque animi demissione arma illi offert, quibus eum toties impetierat, & violenter oppugnarat. Ecquæ vero alia peccatricis huius, quibus supremum imperiuit Numen, fuere arma, quam oculi, capilli, vestes, vnguenta, pulueres, & fuci pigmentarij? Hæc porro vniuersa hodie ad aduersarij pedes abiicit, inque eius manus tradit: oculos, lacrymando; vestes eas per terram raptando; vnguenta, in pedes Domini effundendo; crines denique, eosdem cæsarie passa detergendo.

Lyranus in Iosue commentans, è veterum Rabbinorum monumentis eruit, meretricem illam Raab pro more habuisse, amasios funiculo illo coccineo in domum & conclaue suum pertrahere. Erat scilicet funiculus hic illi peccandi, Deique offendendi instrumentum, sed eundem postea ad eius obsequium impendit, dum illius seruos per eundem velut per scalas in domum admisit, quo Deum ita officio permouit, vt id salutis eius & conseruationis fuerit exordium: idemque funiculus, qui peccati olim signaculum fuerat, post honoris & tutelæ aduersus militarem incursum nota fuit. Et sane nulla Deo gratior oblatio aut donarium, quam dum illa ei offeruntur, quibus mundo antea sumus obsecuti. Quod sciens Apostolus, Romanos *Lyranus in Iosue 2.*

manos hortatur, vt Deo illa offerant, & eius obsequio impendant arma, quibus ante eum impugnauerãt: *Sicut exhibuistis*, inquit, *membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra, seruire iustitiæ in iustificationem.* Magdalenæ venustas, oculi, capilli, vestes exquisitæ, funes & gradus quodammodo erant, quos domum suam ad Dominum offendendum & malefaciendum intrantibus hæc nectebat peccatrix, sed hæc omnia hodie Deo offert, obsequioque eius dedicat, suos etiam capillos, ad pedes eius abluendos, in insignis humilitatis & pœnitentiæ testimonium, impendens. Simul etiam vt doceret, peccatores ijsdem sanari malis, quæ olim iis afflictiones & morbos attulerant.

Rom. 6.

Res Deo grata offert illi eadẽ illa arma, quib. eum ante offendimus.

Et sane verissimum est, eadem quæ peccatori arma mortem afferunt, vitã ac salutem, è contra eidem afferre tum, vbi se agnoscere, vitamq; resipiscens in melius mutare decreuit. In huius rei figuram videbitis filios Israel in deserto ab ignitis serpentibus in idololatriæ castigationem immissis, sauciari, & eos ipsos ilico à serpente alio æneo cõspecto persanari, serpentes scilicet primi neci dabant, & ænei intuitus vitam pariebat. Quo mysterio declaratur, ea ipsa, quæ perniciem interdum nobis creant, esse sæpe media & causa, quib. salutem nanciscamur. Ne vero lõgius exempla petituri abeamus, ipsi Magdalenæ capilli perniciem illi & interitum ex parte crearant, & ei ipsi tandem felicitatis propriæ & animæ salutis fuere occasio.

Num. 21.

Eadẽ quæ mortẽ nobis causantur, sæpe etiam vitam causantur.

Philistæi cum arcam Domini bello cepissent, grauissime ob hoc ipsum in partibus verendis puniti sunt, & mures insignem per agros & fata illorũ stragem fecere. Hinc principum satraparumque consilio anos fecere, & mures aureos, quib. Deo in peccatorum condonationem oblatis, & ablata plaga est, & ira Dei conquieuit. An non ergo hoc ipsum, quo affligebantur, sanitatis ac curationis illorum fuit instrumentum? Magdalena sane eleganti sua coma in interitum præcipitarat, Deumque irritarat, & iis ipsis salutem consequitur, & furorem diuinum mitigat.

1. Reg. 9.

Allegoria.

Hinc quoq; Exod. 32. scriptum est, filios Israel eas ipsas armillas & inaures aureas, quas ad vituli aurei quem adorarãt conflationem contulerant, deinde etiam ad fabricam tabernaculi in Dei Israel honorem obtulisse, quod sc. olim diabolo pessimo exemplo obtulerant, idem postea sancto quodam animi motu in Dei viuentis cultum dedicarunt. Idem & nos imitati conuenit, Deo offerentes ac dedicantes omnia: quibus eum aliquãdo ad iram prouocauimus, ciusque iustitiam in nos irritauimus. Exemplo nobis est Magdalena, quæ Dei donis & gratiis male vsa, & omnia corporis membra & perfectiones ad mundo seruiendum, creatoremque offendendum adhibens, errorem tandem suum agnoscens, & resipiscens, alium viuendi agendique modum induit, & quæ mundo dedicarat, Deo deinde obtulit, admirabilem agens de commissis pœnitentiam.

Exod. 32.

In hoc igitur eam imitemini animæ peccatrices, ad eius pœnitentiæ normam vestram adaptate vitam, eius præeuntis exemplum moribus & agendi ratione sequamini. Illa vobis sit speculum ad affectus vestros dirigendos, ad peccato exeundum, eius horrorem agnoscendum, vanitates conculcandas, mundo valedicendum, & in vitæ reformatione, austeritate vitæque emendatione illam velut imaginem & prototypon æmulamini.

Vos vero puellæ, quæ peccantem secutæ Apostro-
estis Magdalenam, vestra estis forma abusæ, phe ad partũ
honorem prostituistis, nomen vestrum honestas
commaculastis, omnium factæ fabula estis, puellas ac
quæque vna ruina tot illustres vobiscum a- mulieres.
nimas in interitum pertraxistis, tot omnibus
dedistis scandala, denique varijs Deum si-
mul & proximum modis offendistis; peccatis & immunditijs vestris tandem aliquando egredimini, agnoscite inquam tandem, quo in discrimine versemini, peccatricis huius pœnitentis vestigia sequamini, cuius peccantis veritæ non estis semitæ insistere; datis cœlitus charismatibus rite vtamini, famam nomenque vestrum vitæ melioris exemplo reparate, nolite peccare in ciuitate, nolite in omnium ore ac lingua versari, nemini interitus deinceps sitis occasio; sed diuina perhorrescite iudicia, ac clementiam cœlestem supplices deposcite.

Vos

Vos inquam, quæ vt peccatrices in ciuitatibus agitis, veræ filiæ Sodomæ, matres fornicationum, illi Apocalypticæ persimiles, fornicæ corruptionum, & spurcitiarum sentinæ, petræ scandali & lapides offensionum, partus omnigena dissolutione funesti & infelices, calamitatum ac malorum omnium fomites, domorum, familiarum, generis, ac rerumpublicarum pestes & naufragia. Missella scorta, prostibula, & triobolares meretriculæ, flammantes Veneris faculæ, & fatales lubricitatis ac libidinis titiones, quæ pauonum instar elata ceruice per vrbem gradimini, dearum lingua loquimini, reginarum instar induimini, sed cacodæmonum ac pecudum instar vitam instituitis; in Magdalenam hanc oculos coniicite. Peccati vos, peccauit & illa; viuitis dissolute ac lubrice, vixit & illa, insolescitis, ineptitis, superbitis, amatis vanitates, præiuit Magdalena: sed vitam penitus ipsa priorem immutauit, & pristinam insolentiam tam amaris lacrymis expiauit. In illam ergo oculos mentemque deinceps conuertite, eius pœnitentiam notate, resipiscentiam & vitæ institutæ rigorem inspicite. Docebit vos illa mundum aspernari, eius vanitates pedibus proterere, vestes & splendidos ornatus nihili facere. Docebit, quomodo fucos & pulueres odoriferos, purpurissum, bolos aromaticos, zibethum proculcare oporteat, & ad Christi illa pedes abiicere. Docebit, quomodo salaces illi, impudici, effrontes sint intuitus cohibendi, quomodo in terram defigendus obtutus, quomodo ad lachrymas eluendis delictis & expiandis noxis efficaciſſimas oculi sint assuefaciendi. Intuemini eam, obsecro, diligenter; ab illa siquidem discetis turritas illas & fastigiatas capitis mitellas deiicere, ceruices elatas demittere, in comam denique, qua tot animas inescastis, rigidius animaduertere. Docebit denique, quanam cœleste numen sit ratione placandum, quonam eius iræ occurrendum modo, iustitia eius exarmanda, misericordia imploranda, peccata expianda, & quo pœnitentia ritu instituenda.

Gen. 19.

Apoc. 17.

Te vero inuoco, ô sancta pœnitens, peccantium spes, rigoris exemplar, Ecclesiæ miraculum, hominum spectaculum simul & Angelorum, pœnitentiarum schola, resipiscentium speculum. Quantopere, ô piissima Magdalena, hodie Ecclesiæ prodes, & quantos pœnitentibus addis animos, quot nomini deniq; tuo deuincis Christianos? Discunt siquidem ex te adolescentulæ ac puellæ mundo non fidere, voluptatibus non inescari se sinere, vanitates proterere, libidinem & dissolutionem fugere. Comptulis vero mundique sectatricibus exemplo præis, quomodo vitia sint relinquenda, præsumptio resecanda, affectus moderandi, diuina iudicia perhorrescenda, noxia deserenda contubernia, honor ac pudor præ oculis habendus, virtuti incumbendum, vitæque sit melioris propositum concipiendum. Peccatrices autem ac dissolutæ per te edocentur, non esse Deum semper exacerbandum, non continuo in nequitia perseuerandum ac progrediendum, non semper diuina patientia abutēdum, non semper in creatorem arma stringenda, non vsque vitiis indulgendum. Omnes denique vtriusque sexus & omnis ordinis peccatores tuo discunt exemplo, etiam infinitis grauissimisque commissis flagitiis minime esse desperandum, in quæcumq; demum vitiorum præcipitia ruerint, non esse despondendum animo. A matutina vsque ad noctem sperare debet Israel in Domino, iam inde à prima vitæ aurora ad vsque occiduum in mortis hora vesperum, venia, misericordia, gratia è cœlo speranda. Hanc nobis exemplo tuo, ô admirabilis Magdalena, fidem facis, simul & securitatem animo addis, nos peccando & identidem pœnitendo tibi similes tandem etiam misericordia donandos, & quo ipsa peruenisti, peruenturos; ad æternam inquam beatitudinem: cuius consortes ingenitus nos Patet & Filius eius vnigenitus ac Spiritus sanctus efficiat, Amen.

IN

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Partitio.

1. *De honorum mandatorum fucacia & nullitate.*
2. *De petitione indebita matris Zebedæadarum.*
3. *De amore inordinato parentum in filios.*
4. *De responso Christi: Ne citis quid petatis.*
5. *De Apostoli Iacobi titulis, cur Boanerges.*
6. *De aliis eiusdem laudibus.*

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20.

FIGVRA.

Gen 27. QVIS non miretur vt nouum quid & peregrinum, atque amoris naturalis legibus quodammodo repugnans, Rebeccam Isaaci Patriarchæ vxorem, sed ambitiosam alioqui matrē, paternam filio suo Iacobo iuniori benedictionem, seniori ac primogenito Esau, cui naturæ lege debebatur, excluso, deposcere? Longe vero mirabilius, videre hodie apud Redemptorem aliam quamdam matrem, sed eadem ambitione excæcatam, Zebedæi scilicet vxorem, filijs suis, magno aliorum Apostolorum, qui natu ijs maiores erant, præiudicio dextram ac sinistram, id est, honores, dignitates, & mundi præeminentias, quæ terræ benedictiones sunt, expetere. Hoc D. nostrum Iacobum singillatim refert, cum eius nomine ex parte hæc facta sit postulatio, quocirca historiæ huius vobis hodie seriem proponere decreui. Verum oculos ante manusque cœlo tendamus oportet, quo Spiritus sancti opem efflagitemus, vtque gloriosissima Redemptoris mater sua nobis ope succurrat, omnes illam Angelica salutatione donabimus, dicentes

AVE MARIA.

I. Val. Maxim. lib. 7. c. 2. Illustre profecto rex ille, Auditores, sapiētiæ specimen, referente Valerio Maximo, dedit, qui oblatum sibi à suis diadema, priusquam capiti adaptaret, manu diutius versauit, ipsumque introrsum & extrorsum inspiciens, inter versandum suspirijs ac lachrymis erumpentibus, in hæc tandem verba prorupit, *O nobilem magis quam felicem coronam, quam si quis penitus cognoscat*, quot tecum curas, anxietates, incommoda, & inquietudines trahas, quot stipent mala velut indiuidui laterones, *ne humi quidem iacentem tollat; hæc enim dulcedo* absynthio temperata est, & hæcce maiestas *exitio vicina.*

Vtinam Christicolæ omnes, regis illius sapientissimi exemplo, secum perpenderent, mundi huius honores longe esse nobiliores quam beatiores; & nossent ac pernossent, quot laboribus comparentur, quanto cum discrimine & periculo conseruentur, quo denique dolore, molestia, animique amaritudine perdantur! Vtinam inquam penitissime perspicerent, quot eos mala & calamitates sequantur, quam caro constent, quam ægre possideantur, quam velociter fugiant! Mera quippe sunt phantasmata statim euanescentia, chimeræ realitatis omnis expertes, meræ illusiones, & gemmæ adulterinæ ac supposititiæ. Vmbræ sunt corpore carentes, accidentia sine substantia, quæque nullum solidum subiectum habent; vanitates sunt transitoriæ, fumi volaces & fugaces, flores, mox vt calycibus emerserunt, marcescentes, statuæ Nabuchodosoris in somnio duntaxat apparentes, fortunæ ludibria, fraudes imposturæ & mundi fallaciæ, hominum incantamina, ac sexcentorum malorum ilias & seminatum.

Mundi honores illustriores quam feliciores.

Honores mundi quā viles.

Equidem spondere ac iurare ausim, si homines hæc penitius introspicerent, sibique proponerent, quam cito honores euanescāt, & eodem sæpe die, quo primum adeuntur, amitti, ac tolli, & hodie qui rex est, cras emori; hodie ad regni solium sceptrumque euehi, cras intra terræ viscera recondi; mane Crœsum esse, & vesperi Iro pauperiorem (*Irus & est subito qui modo Crœsus erat;*) si inquam perpenderent, quam vanitates nobis illudant, quam honores hominibus insultent & imponant, polliceri ausim fore, vt eosdem aut penitus fugerent & exploderent,

Mundani honores homines irrident.

Mundi honor fucata seruitus.

aut saltem in propriam eius ruinam interitumque non conuerterent, seque ipsos ijs non oppugnarent.

Epistola ad Romanum.

Mundanus ergo & cosmophilus, vanitatum studiosus, & ambitiosis moliminibus turgidus sanctam hanc Philosophiam ad animum interdum reuocet, ac iudicij quieti imperturbatique trutina hæc omnia secum ipse ponderet. Cogitet inquam amplissimum etiam magistratum, ac summum honorum apicem, non nisi pulchram & speciosam reuera esse seruitutem. S. Paulinus vero eam scelestam & malam vocat, eius afferre me verba æquo animo patiamini; ait ergo, *Blandum nomen honos mala seruitus*, id est; Mundi honores exterius quidem pulchri sunt, & in specie grati ac iucundi, sed nihil reuera tristius, nihil miserius. Venena quippe sunt melle illita, vincula gemmea, laquei aurei, abominationes laruatæ ac fucatæ, ac personatæ fictitiæque seruitutes.

Lib. de catechiz. rudib. cap. 16.

Magnus porro Augustinus meras eos indigerat vanitates, & nationum ruinam: *Quid sunt*, inquit, *honores sæculi, nisi vanitas quædam, & ruina populorum*? Noua quidem hæc, verissima tamen honorum definitio mundanorum. Omnis, ex philosophorum doctrina, definitio constat genere & differentia: quam porro honorum vitæ huius sanctus hic Doctor consignat, vanitatem habet pro genere, animarum vero gentiumque interitum pro differentia. Multa quidem in mundo sunt, quæ vanitatem includunt, sed non omnia homini ruinam & exitium causantur; vnis honoribus hoc reseruatum est, nulli rei præterea.

1. p. Pastor. cap. 9.

Magnus item Doctor & Pontifex Gregorius, mentis humanæ eos tempestates ac turbines, & animorum nostrorum procellas nuncupat: *Quid*, inquit, *est potestas culminis, nisi tempestas mentis*? perinde ac si diceret: Gradus throni & sublimes honorum tituli, omnesque terræ dignitates totidem sunt animorum tempestates, & mentium procellæ. Et sane sibi quisque persuadeat, se postquam honorem aliquem nactus fuerit, nulla deinceps requie perfruiturum, noctes dieiq; animum excruciandum, negotijs se obruendum, curis erodendum, ac rerum laqueos mille sibi inquietudines & anxietates parituros. Credat inquam, mare se procellosum conscendisse, in quo perpetuis agitandus turbinibus ac præter tempestates & fluctus elatiores nihil sit penitus habiturus.

Honores mundani sunt mentis humanæ tempestates.

S. Bernardus his quam proxime accedens, ambitionem, horum inquam parariam & proxeneram, mortalium nuncupat crucem, & martyrium: *Ambitio*, inquit, *ambientium crux; nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat.* E quibus inferendum est, hominem ambitione actum, honoribus inhiantem, sexcentis cruciari inquietudinibus, nec minori mitiorique torqueri supplicio, quam qui cruci suffixus est, aut è patibulo suspensus, iam ad extremum vitæ halitum efflandum redactus. Quapropter audacter dixero, sibi ambitio ipsa crux sit, ambitiosos & mundanos honores dum consectantur, miserrimos esse, & veros Satanæ Martyres, temporalibus hoc in mundo vitam supplicijs finientes, vt in altero eandem viuere in æternis cruciatibus incipiant.

Lib. 3. de consider. Ambitio ambientium crux.

Idem Bernardus hæc ipsa alio pertractans loco, & terrenorum honorum fucum imposturamque detegens, personamque qua cohonestantur, vt genuina ac naturalis ipsorum pateat hypocrisis & fictio, detrahens, hæc depromit verba, *Meditantibus honores blandiuntur, sed onera pensantibus terrori sunt ac formidini.* Nihil porro certius, quam honores, dignitates, opes egregio blandoq; schemate fascinare ac decipere eos, qui frontem extimam & vultum personatum dumtaxat intuentur; at qui eosdem euiscerant, qui cordis quodammodo penetralia rimantur; qui intima exta inspiciunt & præcordia, ijs plane desipere, displicere, formidini esse, ac terrori, vt eos & fugiant & detestentur velut onera ac fascem toleratu difficilem, præsentissimoque expositum periculo.

Epist. 42.

Honores exterius considerati homines decipiunt.

Deut. 22.

Præclaram rei huius figuram dabit Deuteromium: in quo legem hanc tulit Dominus, *Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua.* Elata ecce fieri tecta, & pinnacula nouarum ædium muro circumambiente coronari iubet, ne quis inde in præceps labatur: sed in hac muri constructione simul etiam

Alta dignitas semper periculosa.

iam insinuat & aperit, quæ in turribus, pinnaculis, altisque dignitatum locis occurrant pericula: hæc scilicet alto prudentiæ & considerationis muro ac vallo muniantur oportet, ne quis ex illis in præceps ruat, & salutis in discrimine versetur. Quamobrem danda opera, vt honorum fastigia & culmina virtutum ac cautelæ muro circumuallentur, ne quod ruinæ inde periculum pateat.

1. Reg. 4.

Vt in proposito simul & figuris pergamus, videamus, quæso, quid in Regum libris de Heli Pontifice scriptum sit: qui *cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est.* Sella hæc, quæ in Hebraico textu throni nomine dicitur, reclinatorium retrorsum non habebat, (vt diligentissimus iuxta ac doctissimus obseruauit Abulensis) cui caput & reliquum Pontificis huius corpus inniteretur; hinc retrorsum prolapso cerebrum comminutum, fracta ceruix, & repentina virum mors occupauit. Quam luculentum hic latet mysterium! Docemur hic in primis, sublimes cathedras, elatos thronos, & sellas regias ruinæ ac prolapsui facillimo obnoxias esse. Deinde, Pontifices ac Prælatos hisce in cathedris confidentes in præsentissimo lapsus, mortis, perditionis, damnationisque periculo versari. Tertio discimus, eos, qui ad alta dignitatum fastigia euecti sunt, & in sublimi honorum gradu constituti, nisi virtutum fulcro nitantur, nisi vitæ probitate circumuallentur, nisi alto meritorum muro muniantur, maximum exitij interitusque discrimen adire. Væ ergo illi Prælato, væ ciuitatis ac reipub. rectori, cuius turris & apex muro non cingitur, quo similia impediantur discrimina; cuius thronus virtutibus ac meritis non sustentatur.

Pontifices ac Præsules in casus vertuntur periculo, nisi bene fulti.

Eccl. 7.

Quæ prælaturas ac terrenas dignitates comitantur discrimina, præuidens Sapiens, prudens hoc nemini non suggerit consilium: *Noli quærere ab homine ductatum, nec a rege cathedram honoris.* Titulus quidem speciosus, schema extrinsecum illustre admodum ac splendidum, sed finis accasttrophe maximum includit periculum, ac proinde omnem sugillat, ac dissuadet ambitionem & omnem honorum, dignitatum, potestatum, imperiorumque terrenorum venationem.

Honores mutãt mores.

Periculorum honoribus annexorum exemplum esto Saul primus Israelitarum rex: qui antequam regni gubernacula capesseret, teste Scriptura, *Filius vnius anni erat, cum regnare cœpisset.* Paraphrastes Chaldæus vertit, *in quo nulla erant peccata.* E quibus efficio, Saulem, antequam ad regnum eucheretur, virum integerrimum, omnis expertem culpæ fuisse, & innocentia cum puero vnius anni, omnem ignorante malitiam conferri potuisse; sed regem factum ita in omne scelus ruisse, & honoribus sic eius immutatos fuisse mores, vt in damnationis statu exspirarit; quique, dum obscurus inter suos asinas patris custodiens latebat, honestam mora tamque vitam duxerat, ad honores elatus probrosa ac misera vitam morte termina uit. Quid? si, qui à Deo ipso ad regnum electus & euectus erat, tam miserandum nactus est finem, quid de illis sperandum, quos elegerunt homines? si, qui, dum corona illi & sceptrum deferebatur a populo, delituit, & abscondit se, ita deprauatus est & perditus; quid illis tandem fiet, qui tanta contentione, nixu, ambitione & cupiditate dignitatibus inhiant?

1. Reg. 13.

Exemplum periculorũ dignitatibus annexorum.

Daniel Propheta de quadruplici orbis Monarchia, nempe Persarum, Chaldæorum, Græcorum, & Romanorũ loquens sic scribit. *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.* Mira hic excutienda & consideranda occurrunt. Inprimis quod quatuor illæ magnæ monarchiæ ventorum nomine à Prophetis dicantur; tum quod omnia mundi imperia dignitatesque meri venti sint & fumus, eo quod numquam firma sint, nullamq; spondeant securitatem aut certitudinem; tum vero quod dignitates & potestates supremæ, violentorum impetuosorumque ventorum instar, ad superbiam, tyrannidem, insolentiam aliaq; flagitia nihil minus opinantem hominem abripiant. Atque ita hoc exponit Diuus Ioannes Chrysostomus in suis ad Antiochenos homilijs: *Quemadmodum*, inquit, *sæui quidam venti in tranquillum mare populi delati*

Dan. 7.

Monarchiæ orbis ventis affimilantur.

Hom. 11. ad

delati totum ab imo subruunt, vt & arena cum vndis misceatur, sic & ambitio & turpis quæstus animam subeuntes omnia subuertunt.

Mundi dignitates belluis ferocibus æquantur.

Eodem ipso loco Propheta quatuor hasce Monarchias bestiarum ingentium & efferatarum nomine donat, quod imperia, status ac dignitates, veluti indomitæ & feroces quædam belluæ possessores suos sexcentis modis mordeant, pungant, lacerent, torqueant ac discrucient. Ita mundi huius honores ventis æquantur, quod in vanitates nos abripiant; belluis vero sanguini assuetis, quod assiduis laboribus, tormentis, curis, & inquietudinibus nos lancinent.

Hom. 10. in Matth. 21.

Chrysostomus in Matthæum, assiduos honorum mundanorum stipatores, miserias ac mala recensens, omnem ijs prope animarum ruinam asscribit, velut causis primarijs: *Homo Christianus*, inquit, *fortiter cadit in peccatum propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut ob altitudinem dignitatis.* Adeo vt ex S. Chrysostomi mente ingentes honores ingentium sint causa culparum.

In vita.

Refert Demosthenem dixisse Plutarchus, si quis duplex nobis iter, quorum hoc ad mortem, illud ad imperia ac regna, aliosque mundi honores viatorem deduceret, ostendens, alterutrius eligendi potestatem faceret, prius potius, quod ad mortem & interitum, quam quod ad honores euntem conduceret, ineundum nobis fore. Quam ergo sunt inanes ac vanæ hominum ambitiones! quam stolidi ac culpandi mortales, in inquirenda ruina & exitio suo tanta virium & animorum contentione insudantes!

Ostendit hoc & patefacit ipse Dei filius, cum duos Apostolorum suorum terrenas adhuc vanitates quærentes, & matris patrocinio & interuentu dextram ac sinistram in regno suo, id est, honores & dignitates mundanas expetentes, acerrimis verbis obiurgauit, & velut sugillans reprehendit, *Nescitis quid petatis.* Hoc Euangelij hodierni subiectum est, quod hoc incipit modo, *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo, &c.* Idipsum bifariam pro more dispertiar, primo Euangelij textum decurram, deinde S. Iacobi vitam, virtutes ac præconia contexam.

II.

Primo itaque, refert Matthæus, Domino de passione sua verba faciente, quæ sane materia etiam saxis lachrymas elicuisset, & durissimas etiam mentes emollisset, & ad rerum omnium contemptum repudiumque etiam inuitas compulisset; mulierem, tamen si in virtutum ludo edoctam, & rerum piarum exercitio deditam, stolida nescio qua ambitione actam, matrem inquam Zebedæidum, cum duobus filijs ad eum accessisse adorantem, & aliquid ab eo petentem, atque in hæc tandem verba prorupisse, *Dic vt sedeant duo filii mei*, &c. quasi diceret, Certior facta ac minime diffidens, Domine, de ea quæ te manet sorte, & regnum Israel sine vllo dubio tibi deferendum credens; inanimum ipsa meum induxi, mihique persuasi, filios hosce meos, vtpote sanguine tibi proximos, & iam tuos clientes, discipulos, & assecias factos, tam lætæ fortunæ vtrumque participes esse, & primas in regno tuo partes obtinere debere; quocirca quam possum diligentissime eos tibi commendo, summaque animi à te contentione efflagito, vnum vt à dextris, alterum à sinistris in regno tuo constituas, id est, ad primarias & principes dignitates sustollas. Petitio matris filiorū Zebedæi.

Homines maiori cultu afficiuntur quam Deus.

E stultæ huius matris petitione sufficientissima dolendi ac lachrymandi materia elici potest, si tu afficiunt nimirum consideremus, quanta animi demissione, dum alicuius opem & operam deposcimus, cum rogemus, nobis vt auxilietur, quo eum honore afficiamus, qua veneratione ad eum accedamus: è contra vero quam exigua cum submissione, modestia, honore, ac reuerentia Deum, auxilium, & rebus in arctis opem remediumque postulaturi, adeamus, cum tamen infinitæ maiestatis sit Deus, ad quem solum gloria, honor, & summa pertinet reuerentia. (nam *soli Deo honor & gloria*) de quo etiam Psal- *Psal. 71.* mista scripsit: *Coram illo* (Messiam intelligit) *procident Æthiopes & inimici eius terram lingent*, id est, infideles & idololatræ, qui omnes, quoad hoc, Dei filij inimici sunt, ad eius pedes prouoluentur, summaque animi humilitate terram osculabuntur, postquam scilicet sancto obedientiæ eius iugo se submiserint.

Am-

Ambitiosa hæc mulier huc nos deducit: etenim vt honores & vanitates impetret, quam potest maximo cultu accedit, summe se demisit; tantoque honore, & reuerentia vtitur, vt & Redemptorem adorarit: *Adorans eum.* Ita se quoque hodie purpurati illi Regum ac Principum pedissequi gerunt: vt enim ad altiora euehantur, vt ad dignitates eleuentur, vt in aula amplioribus muniis admoueantur, vt honores obtineant, vt opes denique coaceruent; magnates supplices colunt, canes prostratos adulando imitantur, denique principes, velut idola quædam ac numina adorant. At si Dεvs, regum ille omnium Rex adeundus, si venia ab eo commissorum efflagitanda, misericordia deposcenda, necessitates aperiendæ, animæ illi salus commendanda, æterna vita & gloriæ sempiternæ fruitio petenda; tanta cum irreuerentia, tam parua cum humilitate, tam sine discretione, tam denique impudenter aditum parant, vt vel Deum non nosse, vel nosse nolle videantur.

Aulicorum mundanorum apud Principes agendi ratio.

Hoc ritu se gerit hæc Zebedæidum mater, quæ & præter indiscretionem hanc suam, insignem quandam præfert hypocrisin, quam Euangelista notat, dicens: *petens aliquid.* Primas in regno Dei petere cathedras tantum dicit esse *aliquid.* Ita quoque Bersabee Dauidis vidua, Salomoni regi se sistens, maximi momenti ab eo rem petitura, petitionem & causam accessus tacuit, sed exiguum se quid postulaturam præmisit, *Petitionem*, inquit, *vnam paruulam ego deprecor.* Ecquæ simulatio? ecquæ hypocrisis? petebat illa nimirum Adoniæ Abisaig coniugem, ac proinde regni totius euersionem, & vniuersæ Reip. Judaicæ ruinam. Quocirca Salomon eius preces reiiciens, & imprudentem petitionem fugillans, mox respondit, *Quare postulas Abisaig Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum.* Matris filiorum Zebedæi postulatio multo etiam imprudentior est & dissimulatior, primas namque cathedras in domo Dei rogitans, nonnisi pusillum quid & exiguum postulare dicit, *Petens aliquid ab eo.*

Mattis Zebedæidum hypocrisis. 3. Reg. 2.

Duo Apostoli, & fratres hanc mulierem, vtpote matrem (cui nomen Maria Salome, & Zebedæi coniux) adhibent vt patronam matronam ad ac mediatricem, quæ libellum hunc supplicem hibent ad cem suo nomine Domino offerat. Primo ne dignitates cæteros offenderent Apostolos. Secundo, postulãdas quo facilius petitorum compotes fierent. Tertio, vt Redemptor ipse mulieri huic culpam, si quæ forte ex indiscreta hac parumq; ciuili supplicatione oritura erat, facilius indulgeret. Notate, obsecro, filiorum artes, suas, in honorum quæstu & intentione, matres mediatrices adhibentium. Videte quoque astum & vafritiem mundi, qui, quo Deum imprudentibus precibus fatiget, importune vrgeat, & ruinæ propriæ interitusq; occasionem roget; etiam matrum opera vtitur.

Zebedæidæ matrem pa-

Verum quid stulta hæc matercula efflagitat? scilicet, *Dic, vt sedeant hi duo filij mei ad dextram & sinistram in regno tuo.* Torquent se Patres & interpretes in causa, qua ad hanc petitionem faciendam mater hæc impulsa fuerit, inuestiganda. Credit Hieronymus, verba illa *Tertia die resurget* postulationis huius occasionem fuisse. Mulier namque hæc, audito Dominũ rediuiuum à mortuis resurrecturum, credebat eum mox à resurrectione regni gubernacula adepturum & coronæ possessionem aditurum, atque hinc primas in regno sedes filiis ambiuisse.

Quid hæc mater petat.

Aliud sentit S. Cyrillus, docetque hæc eius postulata illis Domini verbis Matthæi 19. *Vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, nixa fuisse. Mater ergo hæc regnaturum Dei filium certo sibi è verbis hisce persuadens, cum de throno & maiestate eum audiat loquentem, atque Apostolos, inter quos duos illa habebat filios, ad honorum fastigia certissimo euehendos sperans, vtpote sedium mentionem fieri audiens, hinc occasionem sumpsit è duodenis hisce sedibus primas duas duobus filiis postulandi, vtpote ambitione instigata, eorumque in hoc mundo euectionis cumprimis cupida.

In Thes. lib. 10. c. 5.

Eiusdem est sententiæ Victor Antiochenus, Beda quoq; & Joannes Chrysostomus,

Beda hom. de S. Iacobo.

Chryſoſt. hom. 66.

vnde hic ait: *Quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros diſcipulos audierunt, volebant (vt conicio) primatum huius ſeſſionis impetrare*, quem per matrem poſtularunt, eum ipſi petere veriti.

Ipſe tamen Euangeliſta Marcus aperte docet, filios ipſos hæc Domino poſtulata propoſuiſſe, *Et accedunt*, inquit, *ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes, Magiſter volumus, vt quodcumq; petierimus, facias nobis.* Marc. 10.

Zebedæidum imprudens petitio.

Notanda hic ingens diſcipulorum horum impudentia, dicentium, *Volumus*, quod ſuperbiam ac miram quandam præſumptionem ſui includit; cum enim, vt filios morigeros & humiles, à mundo ſequeſtratos, mortificatos, ac Jeſu Chriſti diſcipulos, decere eos oportuiſſet, ſi placet, ſi modo ita tibi videatur, ſi nobis id expedire cenſeas, aliisque modeſtiam ciuilitatemque ſpirantibus verbis vti, inſolenter, vt vanitate pleni, vt mundani, vt perfrictæ frontis aiunt, *Volumus*, cupimus, hæc noſtra voluntas. O hominum impudentiam! ô mundi indiſcretionem! itane coram Deo, & cum Deo loqui, atque ea cum inſolentia & audacia?

Eandem prætulere apud Matthæum impudentiam Nazareni, cum à Redemptore miracula, velut poteſtatis eius argumenta ac teſtimonia poſtulantes, audacter aiunt: *Magiſter volumus à te ſignum videre*, ac miraculum, quod potentem dexteram tuam patefaciat, vt certo inde ipſi colligamus, eſſe te promiſſum orbi Meſſiam. Matth. 12. Audite impudentes, male moratos, ac præſumentes, cum modeſte, reuerenter, & humiliter petere ab ipſo prodigium aliquod debuiſſent, inſolenter & impudenter id ab eo fieri iubent, ſuamque filij Dei & mundi Redemptoris voluntati anteponunt. Sane ſi filiorum petita indiſcreta ſunt, ipſa matris verba haud multo honeſtiora ac ciuiliora ſunt dicentis, *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, &c.*

Dic, inquit: Quid? Dictone tantum opus eſt, mulier, vt quis ſedeat, vt beatitudinis reddatur compos, vt cœleſtem adipiſcatur gloriam, vt regnum æternum adeat? coronæ & ſceptra ſermone ſolo dantur? verbis duntaxat & ſolis verbis beatitudo comparatur? Loquime tantum oportet, ſermocinari, ac orationes texere, vt Angelorum ſanctorumq; ſocius & collega quis fiat? an non meminiſti eorum, quæ Seruator olim iam rediuiuus duobus in Emaus abeuntibus ait: *Nonne oportebat Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam?* oſtendens, paſſione, pœnis, cruciatibus toleratis gloriam comparari, tum is ipſe, ad quem ea natura ſpectabat, nonniſi poſt crucem & paſſionem amariſſimam exhauſtam, eam adire potuerit. O parum prudens mater! *Dic, vt, &c.* Mundumne Redemptor Chriſtus verbis ſolum redemit? tantumne prædicare eum oportuit, quo æterno no. Patri reconciliaret? anne Meſſiæ verba ſuffecere ad delictorum noſtrorum veniam impetrandam? ſatisne fuit linguam & eloquentiam adhibuiſſe ad portas æternas aperiendas, tartara claudenda, mortem exſtinguēdam, dæmones in fugam coniiciendos? Luc. 24.

Vera quidem hæc, & conſideratione dignißima: at mater hæc longe ſublimiora ſpectauit, & Theologico locuta eſt ſtylo: ſcit ipſa, dicere, & facere in Deo idem penitus eſſe, & tam late verbum quam eius patere potentiam, nec latius potentia, quam verborum eius vires extendi, verbum eius eſſe potens & efficax, & virtutem potentiamque verbo inſeparabiliter vnitam eſſe. Loquitur ergo vt cordata & ſapiens mulier, meminitque verbo Deum creaſſe omnia, & nihil non produxiſſe: *Dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Verbum eius creaturas omnes diſtinxit, & ſuum cuiq; locum aſſignauit, & habitaculum, terram animalibus, aëra auibus, mare piſcibus, cælum ſoli, lunæ aſtellis. Credit ego idem ſufficere verbum ad duos filios ſuos à dextra ſiniſtraque conſtituendos: *Dic, vt duo filii mei* Pſal. 32.

Meminerat adhæc, Centurionem ethnicum nonniſi verbum aliquod potentis huius operatij petiiſſe, vt ſeruus paralyticus ſanitati reſtitueretur, dicendo, *Tantum dic verbum, & ſanabitur puer meus.* Hoc ſecum mater cogitabat, atque ita ratiocinabatur, ſi Verbum incarnatum vel loquendo Matth. 8.

ægris

ægris mederi potest, facilius multo dignitates & cathedras conferet eas petentibus, & quidem ius petendi habentibus, vti huic suæ consanguineæ.

III. Parentes ut a filiis postulant.

Dic, vt sedeant hi duo filij mei. E matris huius filiorum amore intantum excæcatæ verbis colligo, tria vt plurimum parentes filiis suis & optare & parare.

Primum est requies, quod ex illis eruo, *Dic, vt sedeant.* Huc namque omnia tum patrum, tum matrum vota spectant, vt filios commode quieteque habere, labore & molestia carere videant: malunt siquidem eos otio diffluere, quam negotiis rebusq; gerendis operam dare: non aduertentes illud Sapientis consilium, *Multa mala docuit otiositas.*

Eccl. 33.

Secunda parentum eo cura spectat, vt filij commodis opibusque affluant. Exemplo

Gen. 27.

futura est Rebecca, quæ nihil non effecit, omnemque mouit lapidem, vt primogenitorum iura, quibus potissima Isaaci facultatum pars continebatur, in dilectissimum suum Jacob transferrentur. Item mater hæc Zebedæidũ, quæ amplissimas in regno Messiæ dignitates, atque honorum primas illis poposcit.

Tertium parentum pro filiis votum & solicitudo, sunt honores: ita Bersabee Dauidi

3 Reg. 1.

ad extrema vitæ redacto se stitit, filio Salomoni paternos honores, coronam & sceptrũ petitura. Et hodie mulier hæc Euangelica Christum adit, primos filiis honores ambiens, quos sedium, dextræ ac sinistræ nomine intellexit, *Dic, vt sedeant.*

Sed quid, si hinc mulier hæc reprehendi meretur, illinc sane excusatione digna est. Primo quod fuerit mater, nam matrum erga prolem amor, vt quidem S. Ambrosius sentit, blandus quidam tyrannus est. Secundo norat, quo filios Christus amore complecteretur, vt, qui arcanis intimisque consiliis eos semper adhibuerat, & præ aliis Apostolis altissimorum eos mysteriorum conscios reddiderat: quibus inducta credit, eos cæteris ab illo præponendos, & velut intimos familiarissimosque amicorum in dignitatum in regno suo distributione primas laturos. Tertio sancta fortasse quadam intentione ad dignitatum hæc fastigia filiis poscenda mota est, vt Christo consanguinitate adeo propinqui, & illius intimi cum essent, ad maiores honorum gradus euecti, fidelius illi obsequium præstarent, sincerius erga eum afficerentur, ac maiori cum affectu diligentiusque cultum illi ac ministeriam præstarent.

Omnia hæc excusationem merentur; vti & alia quædam consideratio laudem, quod, vt prudens & cordata mater, æquali erga omnes filios amore feratur, non maiori in hunc quam illum affectu propendens, cum dignitatem hanc, & prærogatiuam ambobus æqualiter poscat, & singulari quadam cum prudentia, vtrique gratiam hanc communem esse velit. Vtinam parentes omnes sanctam hanc matrẽ in hac paritate amoris imitarentur, vt domesticam hoc pacto inter filios pacem conseruarent, æmulationisq; ignem, qui post exstingui nequaquam potest, non excitarent, aut litium semina hoc pacto non spargerent, quæ deinde in nepotes etiam deuoluuntur! Vtinam, inquam, affectus illorum erga proles omnes æquali passu procederet, vnumque plus alio non diligerent!

Matres omnes filios æquali diligant amore.

Priuatus hinc & singularis patrum erga filios nonnullos amor extrema parere mala consueuit, implacabiles suscitat æmulationes, horrendas ciet tempestates, bellaque procudit, quæ hæreditates depeculantur, animos abalienant, & familias penitus eunruntur.

Quæ ex particulari hoc parentum amore mala nascantur.

Exemplo sit Jacobi Patriachæ familia, quæ mala, quas æmulationes, quas lites, quas peperit inimicitias, singularis sancti huius viri erga Josephum natu minimum filium præ reliquis filiis amor? in Genesi siquidem legere est, *Israel diligebat Ioseph super omnes filios, fecitq; illi tunicam polymitam* in pedes vsque propendentem. Quid porro malorum singularis hic affectus peperit? dicet ibidem loci Genesis: *Videntes autem fratres eius, quod à patre, plus cunctis filius amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, &c.* Cruentũ porro hoc odium eo etiam processit, vt vndecim fratres concitarit in que eius consp irare ruinam ac mortem coegerit, qui patris erga se affectus omnes excedebat, hanc

Gen. 37.

Turbæ in familia Jacob ob dilectionem Joseph.

hancque æmulationem & inuidiam inscius causabatur.

Ipse porro Israel hac in re redditus prudentior, cum magno suo dolore didicisset, quot malorum in familia esset occasio, patrum erga filios amoris distractio & inæqualitas, iam morti proximus & testamentum conditurus, ad vnum omnes ad se filios euocauit, & fatidico prædicens spiritu quid singulorum posteris ac tribubus olim euenturum esset, singulos est singulatim allocutus. Ad Judam autem vt peruentum est, lætum hoc illi prognosticon enuntiauit, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Verba sane ænigmatica & obscura, vaticinia intellectu perdifficilia.

Ad quid hæc spectat obscuritas, hæc figura, hæc ænigmata, & hi gryphi verborum? Hæc vnica est ratio. Noluit nimirum verbis manifestis & patentibus senex declarare, reges è tribu Juda nascituros, sed sub ænigmaticis inuolueris & verborum ambagibus: aliis fratribus hocce mysterium intelligentibus Judæ inuidendi, eumque odio implacabili prosequendi ansam & occasionem daret. Ita quoque mulier hæc, vt prudens & sagax mater æquali vtique filio honores affectu procurat. Verum quid respondet illi Christus? scilicet, *Nescitis quid petatis.*

Matth.17. Glorioſus Apostolorum Princeps Petrus cum Redemptorem Jesum in monte Thabor tranfiguratum vidisset, gaudio animi extra se raptus, ac propterea omnia deserere, ibique tabernacula & sedes figere paratus, vt ait: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*; ilico eius imperfectionem Euangelista redarguens, *Nesciebat*, inquit, *quid diceret*: id est, Ignorabat quid diceret, dum in monte Thabor commode habere vult, transfigurationis gloria perfruendo, qui ad mortem crucis Romæ subeundam destinatus erat, nesciebat quoque quid diceret, dum in vno Judææ monte suam collocare & terminare sortem vult, qui velut supremus Pastor, omnium filium caput, JESV CHRISTI Vicarius, per vniuersum terrarum orbem & in Ecclesię

S. Petri imperfectio in monte Thabor.

monte ab omnibus conspiciendus erat. Nesciebat quid diceret, vnica felicitatis guttula, & quodam gloriæ in monte Thabor apparentis specimine contentus esse cupiens, qui oceanos & abyssos eiusdem sperare poterat, & cui in cœlis tota pars, beatitudo inquam infinita, & gloria numquam terminanda reseruata erat.

Ita quoque Dei filius de duobus hisce discipulis ait, *Nescitis quid petatis*, aut quid dicatis. Vere quid peterent, nesciebant; & errabant, haud dubie petentes in regno Christi sedes: cum ipsius solius & non aliorum sit, in regno hoc sedere, cæterorum stare, vti ipse Daniel refert, & reipsa vidisse se testatur in Apocalypsi sua Joannes: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c. stantes ante thronum Dei.* Vel potenti huic regi ad pedes procidere; quod non modo iudibus hisce piscatoribus facere incumbit, sed etiam Patriarchis, Prophetis, Regibus, & sanctorum etiam maximis, qui cum senioribus illis Apocalypticis, capita inclinantes, coronasque deponentes coram Agno se prosternunt, in æternum profunda quadam humilitate Deum adorantes. Hi ergo, qui sedere hic optabant, nesciebant, quid peterent. hinc merito illis dictum, *Nescitis quid petatis.*

Ad solum Jesu Christum spectat in regno suo sedere. *Dan.9. Apoc.4. Apoc.4.&7.*

IV. Ita porro respondens Dominus, dicere illis vult, Quod cognati mei sitis & consanguinei, idcirco primas vobis deberi sedes putatis, atque hinc eas à me postulare audetis: sed dico vobis, *Nescitis quid petatis*; & tametsi sciretis, *non est meum dare vobis*, id est, Rationi minime consentaneum foret, mihique turpe futurum, vobis posthabere alios longe digniores, & minus quam vos ambitiosos. perinde ac si diceret, Diuina electio consanguinitatem necessitudinem- que non intuetur, neve humano nititur in- tuitu. Hinc Ecclesiæ regimen in S. Petrum, non in Joannem, tametsi dilectissimum, nec in Jacobum, quamuis sanguine proximum, collatum est.

Electio diuina non respicit carnem & sanguinem.

Quin imo maledictiones apud Prophetam intentat DEVS iis ac grauissime comminatur, qui consanguineos præ aliis ad Ecclesiasticas dignitates euehunt, *Væ*, inquit, *illis,* *Habac.2.*

illis qui ædificant Sion in sanguinibus, &c. Sion hoc loco, vti & aliis plurimis, in sacris litteris, Ecclesiam repræsentat, & *sanguis* consanguineos : *ædificare* ergo *Sionem in sanguine*, est ad munia, & beneficia Ecclesiastica parentes eligere & notos, & quotquot caro & sanguis nobis commendant : quod sane magnum Ecclesiæ malum est, ac sæpe desolationem & ruinam causatur.

Iudic.8. Hanc ad rem præclare ac mirifice facit, quod in libro Judicum de Abimelech notho legitur : Hic Sichimitis dominari cum vellet, eorumque ad se pertrahere animos, vt in ipsum propendentes suffragia pro eodem ferrent, hoc ipsos est modo allocutus, *Considerate, quia os vestrum & caro vestra sum*, id est, vobis sanguine iunctus sum, vestroque editus stemmate, hinc ceteris mereor præferri, sed mox vt ad imperium sublimatus est, fratres septuaginta legitimo thoro natos & veros regni successores (vnico dumtaxat excepto) de medio sustulit, parricida omnium factus. Videte ecquod causata sit malum electio hæc humano facta respectu. Vt hinc cum metu discamus, omnes ad munia altiora cum in rebuspubl. tum in religionibus promotiones, sanguine aut affinitate suadente, vix vmquam recte succedere, sed vt plurimum tum regnis, tum Ecclesiæ noxias esse. Hanc ob causam hodie Redemptor cognatos suos à se reiecit, elatiores postulantes cathedras, dicendo, *Nescitis quid petatis.*

Electiones ad munia sanguine nixæ plerumq; sunt noxiæ.

Parentes nesciunt quid petãt, dum filiis honores petunt.

Hic mecum sistite, parentes carnales, mundani, ambitione excæcati; verba Christi mecum perpendite, & vobiscum ipsi cogitate, nescire vos quid petatis, cum filiis honores, dignitates, & Prælaturas poscitis. Vos etiam filij vani & ambitiosi, nescitis quid quæratis, cum parentes impellitis, vt pro vobis ipsi prensent, honores vobis venentur, & vobis extollendis magna animi corporisque contentione insudent. Animalia ac iumenta rationis expertia gemunt, dum oneribus & sarcinis grauantur, & vos sub onere ridetis, sarcinæ vobis sunt delitiæ, iisque gloriamini. Quam recte igitur in Prouerbiis scopum ferit Sapiens, dum ait, *Stultorum exultatio in ignominia :*

Prou.33.

quasi dicat, Ambitiosi mundi huius, velut stolidi & insensati, gaudent & plaudunt, eo vnde erubescere eos oporteret, vitium vt virtutem, infamiam vt gloriam habent. Jactant se, seque efferunt summæque gloriæ ducunt ad dignitates euehi, cum tamen hoc ignominiam, pudorem, calamitatem ac ruinam illis causetur.

Stultum sane est, petere in hoc mundo, quod damnationem in altero afferre potest : Insanum vero, acquisitis iam honoribus & ad munus aliquod aut Prælaturam euectum, inde gloriari & insolescere, imitari hoc Pilatum est, qui sua Præsidis dignitate se iactans Christo vincto ait : *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & dimittere te?* quænam potestas? quis honor? quæ gloria? innocentes morti addicere, filio Dei crucem parare, sacrilegia & parricidia patrare, leges humanas simul & diuinas violare, perdere se ac destruere, ac damnationem in caput suum accersere : satius fuisset, ô miser & infortunate Præses, numquam hanc potestatem & honorem adeptum fuisse, quam eo habito tam impie abusum esse, & tam barbarum facinus commisisse.

Stultum est honoribus insolescere.

Ioan.19.

Dic mihi, an non vera ac mera Nabuchodonosoris Babylonij fuit stultitia, in statua fingenda metallum metallo superaddere, aurum, argentum, æs, ac ferrum permiscere, & nonnisi luteos illi pedes ac basin dare? hinc & ad primam concussionem omnia comminuta sunt & in cineres abiere. Ad eumdem sæpe modum hominibus accidit, quorum sæpe non minor stultitia est, cum enim ex se fragiles sint, omnisque meriti expertes, ambitione quadam impellente, honori honorem ac dignitatem dignitate superstruere, & imponere Pelion Ossæ aliosque montes volunt, & ecce ad minimum impulsum omnia hæc ilico collabuntur, & sæpe honoris simul & facultatum iacturam facientes in hoc sæculo, in altero animam æternæ addicunt damnationi.

Dan.2.

Allegoria.

Sapientius longe fecerunt arbores, (in parabola illa in libro Judicum) cum rogatæ, vt regnum capesserent, onus ida se excusserunt; atque inter cæteras vinea & ficul-

Parabola. *Iudic.9.*

nea suas ipsæ expendentes vires, & onerum horum ponderibus impares se affirmantes dixerunt, *Non possum deserere dulcedinem meam*, vt in amaritudine deinceps agam. Vilem & humilem conditionem meam deserere nequeo, in qua iucunde lætèque ago, quo altiores hasce dignitates adeam, & regnum accipiam, in quo molestiis exagiter, & sub sexcentarum inquietudinum fasce prope exspirem. Sapientes hasce arbores imitemini, ac scitote, cum munia & onera hæc ingentia postulatis, quibus vires vestræ ferendis impares sunt, vere nescire, *quid petatis*.

Non est mundi quoslibet ad dignitates eligere.

Verba hæc sunt certo certiora, vtpote ab æterna veritate prolata, quæ sonant etiam, non esse hominũ Deum docere, ac sanctam sapientemque eius pronidentiam limitari, nominãdo & declarando ei singillatim eos, quos ab æterno selegit, vt secum in cathedris cœlestibus considerent: quin etiam eos, quos mundus sequestrat, & parentes seligunt, vt ad dignitates promoueantur, à Deo plerumque reiici, & iisdem impares haberi, quos vero mundus vt indignos repudiat, eos cœlitus eligi ac prædestinari. Hinc quodam loco Sapiens ait, *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Vt hinc mystico sensu eruamus, quos mundus ac parentes velut propudiosos & peripsemata reiiciunt, vtpote sua sententia, qui aliis præsint, indignos, eos ipsos à Deo assumi, magni fieri, protegi, ad dignitates ac Prælaturas sustolli. At litterali sensu insinuare vult Psaltes, quod illi accidit, dum Samuelem mittit Deus, vt vnum è filiis Isai in regem Israel vngeret & assumeret. Samuel ergo domum Isai ingressus, omnes illum vnum in locum filios cogere iubet, quod vnus illorum in regem à Deo esset destinatus. Primogenitus ergo cum in conspectum venisset, illico didicit Propheta non esse illum, quem Dominus elegisset, quare secundum sisti iubet, & hunc etiam reiecit Dominus, & reliquos vsque ad sex. Adeo vt, cum omnes filios pater produxisset, minimi, Dauidis fuerit oblitus. Quocirca Samuel voti irritus petit ab eo, *Numquid iam completi sunt filij?* an non sunt tibi alij? *Non elegit Dominus ex istis*, quare aliquem superesse adhuc mihi fit verisimile. Tum Isai, *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues*, quasi diceret, Supersest quidem vnus tibi inuisus, omnium natu minimus, qui ouibus pascendis dat operam, sed hunc, quia regno ineptum & regendis tribubus Israel imparem credo, producere nolui, vtpote rure & in agris educatum, omnis orbis vrbanitatis, morumque vrbanorum, aulicorum, nobiliumque ignarum. Hinc Dauid merito, *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, &c.* Historiæ vero huius sensus est. Deum non eligere ad dignitates eos, quos parentes iisdem destinarunt, sed eos plurimum, quos vt indignos reiiciunt. Monentur quoq; hic eadem opera parentes, omnem mouentes lapidem, cœlum terramque fatigantes, filios suos vt ad honorum sustollant culmina, quin etiam, si fieri posset, regni admoueant gubernaculis. Hem cæci & fatui parentes, digni, qui illud Apostolis responsum audiatis, *Nescitis quid petatis.*

Psal. 26.

1. Reg. 16.

Dauid à patre reiectus vt regno indignus à Deo eligitur.

Idem profecto parentibus ambitiosis & cupidis numquam non Dei filius respondet, *Nescitis quid petatis*, vti nec mater vestra, vobis instigantibus, dum thronos, sedes, & honorum fastigia poscitis: quasi diceres, sæpenumero contingit, parentes filios ad dignitatum eminentias extollendos, illorum interitus causam esse, & ruinam certissimam iisdem afferre. Egregie huc facit, quod apud Oseam Deus ait, *Ephraim vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine, & Ephraim educet ad interfectorem filios suos*, id est, Ephraim magnificata, locupletata, & ciuibus abundans, ad instar veteris ac superbæ illius Tyri, extollere vult filios, & ad illustres eos honorum gradus subuehere, quin & reges efficere, sed hoc illis in ruinam, infelicitatem, exitium & desolationem, parentibus vero in dedecus & confusionem vertet, satiusque iis esset nunquam eos mundo genuisse. Hinc & ipse Propheta hic subsistens, & sortem hanc miseratus, ita Deo supplicat, *Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia*, id est, multo longeque satius est, Domine, liberis eos carere, quam habitos in pernicicm & interitum

Parentes filios euehentes sæpe causa sunt illorum perdendorum.

Osea. 9.

Satius ac melius est liberis carere, quam perditionis illorum causa esse.

tum pertrahere, illorumque ruinæ occasio esse.

Respexit Propheta, aut fortasse etiam mutuatus est hocce suum vaticinium ab eo, quod 1. Regum libro legere est Israelitæ siquidem à Deo petentes Regem, Samuelis
1.Reg.8. imperium directionemque perosi, quod abiectum nimis hoc & vile videretur, nec splendorem aut maiestatem præferret, mox Samuele rem dissuadente & superbâ illorum molimina infringente discunt, quæ sibi ab rege futuro ius suum vsurpante impendeant mala, quæ grauamina, quæ subeunda onera. *Hoc erit*, inquit, *ius regis, qui imperaturus est vobis, filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & cursores quadrigarum suarum*, quasi dicat: Nescitis quid petatis: quod enim filiis fore vestris honori arbitramini, hoc ipsum ruinam illis causabitur: atque hoc est, quod hodie duobus discipulis ambitiosis Redemptor ait, *Nescitis quid petatis.*

O immensa & infinita Dei bonitas! non vult Seruator ex immenso erga suos amore, è venenato ambitionis poculo eos bibere. quæ res historiæ cuiusdam admirabilis,
Cap. de aquila. quam Pierius Valerianus suis in Hieroglyphicis refert, mihi refricat memoriam: Messor, inquit, cum forte fortuna in aquilam cum serpente depugnantem incidisset, à quo cum illa spiritu circumsecus ligata stringeretur, ac tantum non, effugere minime valens, suffocaretur; ille tam illustrem alitem tanto in discrimine miseratus, propius accedens, falce serpenti caput præcidit; quo exstincto aquila & hoste caruit, & periculum mortis euasit. His peractis, cum messores, & inter eos ipse aquilæ vindex, è labore æstuque diei defatigati, bibituri vicino è fonte aquam hausissent, vtnam singuli ori admouissent; cum vero eius iam bibendi essent vices, qui aquilam liberauerat, ecce tibi nobilis illa auis beneficij ab eodem accepti memor, vtpote cui vitam salutemque debebat suam, bibere volentem desuper volitans impedit, tantumque rostro aliisque efficit, vtnam vt manibus excusserit, & in terram diiecerit. Quod messor factum demiratus, conuersus videt socios omnes exspirasse, quod fontem, vnde aquâ hauserant, serpens suo ante veneno omnem infecisset. Vt profanam hanc historiam sancto nostro proposito adaptemus, & Ægypti aurum veri Dei altaribus inferamus, ipse Jesus Christus, toties in Scriptura aquilæ comparatus, idem hodie prorsus cum duobus hisce fratribus facit, quibus multis erat nominibus, tum quod omnia ipsum secuturi deseruissent, tum quod toties eius honorem aduersus noxium illum serpentem, Synagogam inquam Judaicam propugnassent, deuinctus. Videns quippe eos è venenato hoc ambitionis fonte & lethali vanitatis amphora bibere velle, poculum hoc manibus eripit, & bibendi desiderium voluntatemque cordi animoque excutit, aliumque illis longe salutatiorem, melioremque, suæ inquam passionis calicem propinat, dicens: *Potestis calicem bibere, quem ego bibitus sum.*

Christus aquilæ comparatus in Scriptura.

Ne cui vero historiæ huius appropriatio parallela ac pariatio noua & insolens videatur, perspiciatisque ambitionem venenatam esse scaturiginem fontemque letiferum, qui quotquot inde bibere & haurire gestientes perimat & extinguat, adite S. Augustinum, qui verba illa Psaltis, *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, exponens, per cathedram hanc, in qua *Psal.1.* sedere nefas, peccatum ambitionis intelligi vult & mundi honorem. Hæc sufficiant quoad primam partem, etenim iam secundam aggrediar, & de sancto Jacobo Maiore magna proferam.

Ambitio pestilens est.

Antequam vero mare hoc conscendam, sciatis oportet, filium Dei, nostram vtredemptionem operaturum, in mundum veniendo, & huminitatis nostræ schema vestemque assumendo, 12 elegisse viros, qui semper & assiduo cum ipso agerent, qui eius indiuidui socij forent, atque exinde eos per omnes terræ angulos destinaret: fuere hi Ecclesiæ Principes, castrorum Domini duces, Euangelij præcones, mysteriorum interpretes, fidei bases, Religionis fundatores, quosque primos tum in militanti, tum triumphanti Ecclesia esse voluit. Verum inter 12. illa capita ac primos patriarchas, tres potissimum selegit, quos præ aliis dilexit, ac

Christus 12 viros magnos elegit, vt apud se agerent.

præposuit, maioris in eos amoris signa ostendens, iis altissima ac profundissima voluntatis suæ molimina communicans, arcana & mysteria ipsis reuelans, maxima illis miranda spectanda dans, transfigurationis sub fulgorem ac maiestatem in monte Thabor, passionis instantis agoniam, & angustias in horto oliuarum, Archisynagogi filiæ ad vitam resuscitationem in medio Synagogæ. Tres hi fuere, S. Petrus, Jacobus, Joannes, velut tres Messiæ familiares, ac triplices Ecclesiæ bases ac fundamenta.

S. Petrus Jacobus, Joannes Apostorum primi.

Cum generosorum ac validorum Ducum ac bellatorum Dauidis Regis catalogus texitur, ac velut lustrum initur, tres potissimum, vt principes, capita, antesignani ac primipili ante alios referuntur, ac deinde cæterorum nomina recensentur, sed singulis hoc epiphonema subnectit, *Verumtamen ad tres primos non peruenit*, quasi diceret, Tametsi alij fortes & validi fuerint, & in omni se conflictu vitos præbuerint, nullus eorum tamen robore, animo, virtutibusque cum tribus illis prioribus est comparandus. Sane in filij Dei exercitu multi generosi & illustres, inuictique fuere bellatores, quos S. Paulus olim lustrans & recensens ait, *Fortes facti sunt in bello*. Sed inter omnes illos tres præ aliis emicuere, eluxere, cæterisque præstantiores fuere, Petrus nimirum, Jacobus & Joannes; ac quantumuis reliqui sanctitate & animi generositate excelluerint, nullus tamen ad tres primos peruenit, nemo ad magnitudinem meritaque illorum ducum pertigit. Illos hinc semper Christus reliquos exemit numero, & maiori quam alios amore est prosecutus, & imprimis Jacobum hunc nostrum.

2. Reg. 15.

Hebr. 11.

Inter cæteros Apostolos tres præcellunt.

V. Cur Jacobus dictus sit Maior.

Dictus autem idcirco est *Maior*, aut etiam fortasse ad discrimen & distinctionem ab altero illo Jacobo minore, Mariæ Cleophæ filio, idque duplici de causa. Primo, quod Jacobus hic noster, vocationis iure, primo ad Apostolatum sit à Domino vocatus, ac proinde maior. Ac quemadmodum inter Antistites & Episcopos illi maiores & primi habentur & dicuntur, qui primo ad dignitatem promoti sunt: ius enim admissionis vel vocationis maioritatem in dignitatibus ac Prælaturis dicit. Secundo, quod Christo Domino fuerit familiarior ac magis intimus, vti enim iam dixi, inter reliquos Apostolos tres habuit amicissimos, Petrum Joannem & Jacobum; erga quos suum vt testaretur affectum, singularibus eos prærogatiuis donauit, quibus non alios. Petro quidem Ecclesiæ suæ regimen & administrationem concredidit, Joanni beatissimæ matris suæ tutelam directionemque commendauit, Jacobo vero nostro crucis suæ honorem & gloriam commisit: primus enim inter Apostolos martyrium subiit.

S. Jacobus primus inter Apostolos martyr.

De hoc Apostolo, deque fratre eius Joanne sermonem instituens Redemptor, illorum sortem & euentura illis præsagiens *boanerges* illos vocauit; id est, Hebraica phrasi, filios tonitrui, quod reliquos Apostolorum velut horrenda quædam terribilia tonitrua, prædicationis essent excellentia superaturi. S. Jacobus imprimis reuera tonitru quoddam ob martyrium fuit: cum enim primus ipse, ob amorem Redemptoris, pro veritate Euangelica, pro Ecclesiæ exaltatione, ad mundi confusionem, ad idolorum subuersionem, ad exemplum fidelium, ad inferorum terrorem, & rerum omnium contemptum, mortem subierit, magnum hoc fragorem dedit, hoc longe lateque insonuit, nec non terra marique intonuit, ac neminem non in stuporem rapuit; fuitq. hoc horrendum quoddam reuera tonitruum. Vita quidem eius, honor, sanctitas ac virtutes, ingentem quendam fragorem ediderant, sed longe maiorem mors illius & martyrium.

Mart. 3.

S. Jacobus dictus tonitrui filius.

Docent Physici ac Metaphysici ab igne nubibus coarctato, dum libertatem & egressum quærens, claustra ac repagula sua perfringit, tonitru oriri, atque inde fragorem illum ac strepitum, quem tonitru dicimus, mundumque vniuersum concutit, enasci, qui dum foras prosilit, vel exitum reperit, lumen suum patefacit, per fulgura scilicet & coruscationes naturales. Non secus etiam fidei lumen & charitatis ignis, quæ

Tonitruorigo.

quæ in magni huius Apostoli corpore, velut media quadam nube concludebantur, tyrannorum violentia, & horrenda mortis procella diffracta cum sunt, tantum fragorem dedit, tamque altum intonuit, vt omnes omnino mortales, ad instar tonitrui, percelluerit.

Iudic. 7. Luculentam rei huius figuram suggerit Iudicum liber, Gedeon enim aduersus Madianitas Dei inimicos pugnaturus trecentos ex omni filiorum Israel numero dumtaxat selegit, quibus & tubas & lagenas ardentibus lampadibus introrsum instructas in manus dedit, hoc addito mandato: *Quod me videritis facere, hoc facite.* Quare ad vnum omnes *fegerunt lagenas, apparuerunt lampades & tubis personuerunt, & castra Madian tubata sunt & superata.* Mira profecto bellandi ratio; sed eadem designare Deus voluit, quo mundus sit pacto debellandus. Fidei thesaurus & charitatis ignis figlinis continebantur lagenis, corporibus inquam Apostolorum, vti Gedeonis lampades lagenis; tum vero ignis lumen & lampades emicuerunt; cum lagenæ confractæ sunt, cum corpora Dei nomine morti obtulerunt, supplicciis, cruciatibusque eadem conscindēda præbentes; ac tum tubis personando, & sanguinem in Christi prædicatione effundendo, mundo terrori fuerunt, & vniuersos superarunt.

Mira mundi superandi ratio.

Psal. 5. Huc referas, quod à Psalmographo prædictum quodam loco est, *Et conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo, & annunciauerunt opera Dei*, &c. Quid porro magis homines cōturbauit, tyrannos percelluit, idololatras consternauit, dæmones perterrefecit, & mundum vniuersum in admirationem maiorem rapuit, quam ipsa Martyrum mors, ac præsertim Apostolorum? illorum siquidem doctrina, mors, prædicatio ac martyrium, mundum, inferos, peccatores iuxta ac diabolos confudit & fregit, ac præcipue Iacobi nostri, de quo, nescio quid Psalmista prædicere visus est, dum ait; *Tunc alluxerunt fulgura eius* (Iacobi scilicet prædicantis & ex amore Christi morientis) *orbi terræ, vidit & commota est terra.*

S. Iacobus ergo vere filius tonitrui ac boanerges fuit, ob sublimem scilicet prædicationis eius sonum, de numero illorum vnus, de quibus Psaltes prædixerat, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Solenne porro sacræ Scripturæ est, tonitrui nomine illustres prædicatores designare. Hinc Psalmo 103. dicitur, *A voce tonitrui tui formidabunt*, id est, peccatores percellentur ac timebunt, dum verbum Dei ex ore sanctorum prędicatorum emicans, in auribus suis detonans ad instar tonitrui audient. Psal. 8. Prædicatores per tonitrui in Scriptura designati.

In huius signum rei lego in Exodo, dum lex Dei in monte Sina populo Israel promulgaretur, fulgura micare, coruscationes videri turbines ventorum ac tonitruorum fragores exaudiri cœpisse; atque inde tantum inferne hærenti populo terrorem incussum, vt visis auditisque prodigiis nemo non pauore consternatus tremeret & albesceret, diceretque Mosi, *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, ad verborum eius tonitrua. Designabant hæc tum Euangelii verbique Dei & robur & virtutem; simulq; docebant, quemadmodum audito tonitruorum, ballistarum illarum naturalium, fragore mortales contremiscunt & pallent, ad eundem modum peccatores verbo Dei audito percellendos. Et sane Iacobi nostri prædicationes magis inferos quam naturalia tonitrua terram perterruere. Exod. 19. Cur lex cum fragore lata.

Stuporem mihi incutit mirabilis illa S. Ioannis, Apostoli huius nostri fratris visio, qui vidisse se scribit thronum, de quo fulgura, & voces, & tonitrua procedebant. Ecquæ Deus bone visio! quænam hæc symphonia, & harmonia, & sympathia? voces audiri permistas fulguribus & tonitruis. Designant hæc omnia præsentem Ecclesiæ statum; thronus, eius est imago, fulgura, tonitruaque prędicationem & miracula eiusdem repræsentant. Apoc. 4.

Singillatim omnia hæc exponere est animus, ac primo dicere, per fulgura cōmuniter à Patribus, vt Augustino, Ruperto, Richardo de S. Victore miraculorum, quæ Deus olim per seniores illos ad mundi conuersionem patrauit, magnitudinem intelligi. Vti enim Miracula per fulgura significāturr

fulgura & fulmina ad vtrumque mundi cardinem micant & videntur, iuxta illud Euangelij, *Mat. h 24.* *Sicut fulgur exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem*, &c. ita & miraculorum splendor fulgorque longissime patet, per omnium ora se extendit, omnium admirationem ciet, & infinitam hominum multitudinem ad fidem conuertit.

Miracula dicta splendor armorum Dei.

Hanc etiam ob causam miracula dicta sunt splendor & coruscatio armorum Domini. Hoc namque nomine eadem indigetat Abacuc; capite enim prophetiæ eius tertio, quo loco S. Hieronymus ex Hebræo transtulit, *Abacuc. 3.* *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ:* Septuaginta vertunt: *In lumine iaculatæ tuæ ibunt: in splendore seu coruscatione fulguris armorum tuorum.* Quem locum hoc modo exponit sanctus Gregorius, *Lib. 3. Moral. cap. 3.* *fulgur*, inquit, *armorum, est claritas miraculorum.* Quin etiam Regius Propheta ad miracula alludens, illorum splendore oculos & animos mortalium perstrictos & consternatos ait, *Psal. 96.* *Alluxerunt*, inquit, *fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra*, quo loco & S. Augustinus per fulgura miracula intelligi vult prædicatorum & Apostolorum, quæ velut fulgetra horrenda ex horrendis emicantia nubibus, omnes mundi cardines concusserunt. *In Psal. 96.*

Prædicationes per tonitrua intelliguntur.

Sicut autem miracula à throno Dei, id est, Ecclesia emicant, ita & voces ac tonitrua; per quæ verbi Dei prædicatio non inscite accipitur: hoc tamen discrimine, quod voces imago sint placidarum leniumque admonitionum, adhortationumque blandarum, tonitrua vero horribiles diuinorum iudiciorum pœnarumque sempiternarum commi nationes repræsentent: vti & sublimes, altas, profundas de Iesu Christi diuinitate, diuinis eius attributis & perfectionibus, mysterijsq; fidei prædicationes, quæ omnia sæpenumero è thronis & cathedris Ecclesiæ promicare & audiri solent.

Prædicatori, vt bene sancteque concionetur, formula præscribitur.

Hinc discere & eruere concionaror Euangelicus potest, quo concionari debeat ritu; eius est nempe interdum vocē communem adhibere, id est, ad res humiles, mediocres, moralemque conuersationem spectantes, aliquando descendere; alias intonare, id est, de reb. sublimibus ac profundis, animaique hominum percellentibus sermonem instituere. Hanc concionandi formulam seruabat Apostolus, vt ipse in ea quæ ad Corinthios est missa epistola declarat, *Siue enim mente excedimus, Deo siue sobrij sumus, vobu.* *2. Cor. 5.* Id est, si sublimes conceptus procudimus, & rerum profundarum diuinarumque tractatione per aera cœlosq; omnes peruagamur, studio & data opera id facimus, vt scilicet Dei naturam exprimamus, eiusque gloriam præ oculis habendam suadeamus; verum si sermo repat, si humana ac vulgatia tractemus, si facilia intellectu proferamus, id vestri causa fit, vt vestræ nimirum nos capacitati adaptemus, & ingenio viribusque vestris nostras commensuremus.

Tonitrua sublimes designant prædicationes.

Certissimum est ergo, & exploratissimum per tonitrua reboantia & sonora sublimes & altos prædicandi modos intelligi, tum ob stuporem & admirationem, quam profunda hæc & elata fidei mysteria in auditorum animis pariunt, tum vero ob terrores & timores, quibus peccantium animos tartareorum suppliciorum comminatione perterrefaciunt. Atque hæc sunt, quæ ad pœnitentiam eos prouocant, & sanctam vitæ recte instituendæ voluntatem eos parere faciunt.

Ceruæ pariunt lone tonante.

Huc mirifice facit, quod de ceruis naturalium rerum scriptores prodidere. Ceruæ enim cœlo tonante fœtus eiiciunt; nam nonnisi ægerrime & difficillime pariunt, nisi fragores & tonitrua illis obstetricum sint quodammodo loco. Testem huiusce rei habeo Iob Prophetam, *Iob. 34.* *audito tonitru præ timore pariunt.* Ad literam hoc Psaltes expressit, dum quodam in Psalmo ita scribit, *Psal. 28.* *Vox Domini præparantis ceruos.* Eo vero loco ex textu Hebræo *ceruas* legendum verisimile fit; adde quod Græcum λαφ@ sexum designet vtrumque, hinc nonnulli interpretes cum S. Hieronymo ex Hebraicis fontibus locum hunc vertunt, *Vox Domini obstetricans ceruis.*

Quamcumque demum quis versionem sequatur, certo certius est per hanc Domini vocem tonitrua ad literam intelligenda esse: verum mystice & allegoricè tonitruo verbi

Dei

Dei prædicationem designari, & cernis peccatores, qui ob timiditatem anxietatemque non absurde ceruis comparantur, iuxta illud Prouerbiorum, *fugit impius nemine persequente.* Prou.18. Tum vero peccator, ad instar ceruatum, nonnisi ægerrime scelerum onus eijcit, & summa cum difficultate spiritualem conuersionis suæ fœtum parit, sanctamque vitæ emendationem. Verum hac in re mirò illi auxilio est Domini vox, ac comminantium prædicationum tonitrua, dum eos conuertunt, facilem ijs & lenem partum reddunt. Testatur hoc Isaias dicēs, *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis.* Isa.26. quasi dicat, Hem quam difficulter conuerti potuimus Domine! sed mox vt faciem tuam vidimus, vt tonitruum voces tuæ audiuimus, tanta formidine correpti sumus, vt sanctum conceperimus propositum, ac sanctam quamdam conuersionem vitæque emendationem feliciter pepererimus

Miraculosæ conuersionis peccatorū figura. Exod.14. Ægram hanc & perdifficilem peccatorum conuersionem, quam vt prodigiosam penitus suspicio, mystice figurat curruum & equitum Pharaonicorum submersio & interitus, de quo in Exodo legimus, *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, subuertit rotas curruum.* Obseruat porro Psaltes, hanc rotarum comminutionem, & curruum subuersionem submersionemque, cœlestium tonitruorum fragori ac fulgurum emicationi Psal.76. asscribendam, *Viderunt te aquæ Deus, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.* Notandum vero *rota* hic pro rotis capiendum. Mysticum autem sensus denotat, quemadmodum olim tonitrua ad Ægyptiorum submersionem cooperata sunt, & omnes Pharaonis currus confregerunt, ita & hodie verborum diuinorum tonitru, id est terribilibus prædicationibus peccata deiici ac prosterni, quæ per currus non inscite designantur & omnes Pharaonis rotas diffringi, id est, omnē Satanæ fastum & superbiam & superba peccatorum molimina dissipari, eaq; omnia in lacrymarū mari mergi, adeo vt ad humilitatem conuertantur, crucem gestent, pœnitentiam amplectantur, & vitam in melius commutent.

Ad hanc de tonitruorum fragore digressionem me Iacobi nostri nomen abripuit *Boanerges*: latine id *filius tonitrui*, id est, *tonitru* simpliciter sonat; *filius* enim *tonitrui*, Hebræorum loquendi more, idem est quod tonitru, & sane frequentissima hæc loquendi ratio in Scriptura est; hinc est *filius iniquitatis*, pro iniquus; & *filius perditionis*, pro perditus, commune hoc sacris libris, vti & verum est, Iacobum nostrum ingens & genuinum tonitru extitisse: concionando enim peccatores consternabat, consternatos ad lachrymas & idem ad pœnitentiam inuitabat; quod verum prædicatoris Euangelici officium. Hebraismus notabilis.

Eleganter his quadrat, quæ in Apocalypsi sua vidisse Ioannes scribit, septem scilic. Angelos, habentes phialas plenas iræ Dei, quas in terram effundebat: *Exierunt*, inquit, *septem Angeli, habentes septem phialas de templo vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Apoc.15. Rupertus, Beda, Haymo, Richardus de S. Victore, alijq; loci huius interpretes per Angelos hosce, iræ Dei effusores, sanctos Prædicatores capiunt, qui indignationis diuinæ phialas tum vere in terram effundunt, dum horrenda supplicia & cruciatus in futuro sæculo impijs paratos destinatosque è suggestu denuntiant ac promulgant. Bonorum n. Prædicatorum partes sunt, diuinis cōcionib. suis ac seueris commination ib. peccatores perterrefacere, timorē ijs injicere, & sanctis hisce artificijs à vitijs eos auertere, ita tamen vt charitate & bono agantur zelo. In huius rei figuram dicuntur phialæ fuisse aureę, & qui eas effundebant, cingulo aureo altum cincti circa pectora & sub axillas; quod qui verbum Dei in Ecclesia prædicāt, magno id faciant oportet tum erga Deum, tum erga proximum zelo, seque id è sancta ac christiana quadam charitate, non vero è fastu & vana ostentatione alioue humano intuitu facere declarent. Prædicatores figurati in Angelis Apocalypticis. Prædicatores magno agantur zelo.

Dixit olim mundi Redemptor, & Magnus Prædicatorum omnium Magister Christus, Apostolos suos, qui primi Ecclesiæ suæ concionatores futuri erant, alloquens, *Vos estis* Matth.5.

Comparantur concionatores sali.

sal terræ. Non sine ratione autem aut mysterio, nec frustra sali mordenti eos omniaque exedenti, non autem melli lenienti & dulcoranti omnia assimilat; vt ostendat nimirum, veri prædicatoris officium esse peccatores coarguere, reprehendere, pungere, obiurgare, & aduersus eos debacchari, non vero ijs peccantibus abblandiri aut adulari.

Cant.4.

Huc alludēs sanctus ille in Canticis sponsus Christus, & dilectam suam, id est, Ecclesiam affatus, ait, *Mel & lac sub lingua tua*. Non ait eam mel & lac in lingua, sed sub eadem habere, eo quod prædicatores, qui Ecclesiæ lingua sunt, simpliciter, sine vlla artificij, fuci, nouitatis, elegantiarumue in verbis affectatione, non denique assentando loqui oporteat: lac enim eloquentiæ fucatæ, & verborum lenocinia, dissimulationisque aut adulationis mel in Ecclesiæ lingua non inueniuntur.

Concionatores non adulentur.

Matth.10.

Huc trahi etiam potest, quod concionantium omnium & Ecclesiasticarum antesignanus Christus olim apud Matth. dixit, *Non veni pacem mittere sed gladium*, id est, non præuaricatoribus in prædicationibus meis assentaturus, verborum eos mollitie ac lenitate demulcendo; sed militis & hostis armati ad instar veni, arma manu vibrans, perucaces percussurus, aut ijsdem formidinem incussurus. De huiusmodi porro ense loquebatur Ieremias, *Maledictus*, inquit, *qui prohibet gladium suum à sanguine*, nec passim in hoste stragem edit. *Maledictus*, inquam, vere prædicator ille, qui gladium suum & arma, id est, linguam, sermonem, orationes, & Euangelij prædicationem à sanguine, cæde & interitu peccatorum prohibet. Quam porro strages hæ laudandæ! His se oblectare & recreare debent magni & illustres prædicatores, qui Ecclesiæ milites sunt. Hoc nomine mirifice deprædicari laudarique meruit S. Iacobus. Quot enim ille peccata iugulauit, quot vitia exstinxit, quot idololatras trucidauit, quot ad Christum animas conuertit? lingua enim eius vere gladius acutus fuit, & merum prædicatio tonitru.

Ierem.48.

VI.

Statua Cæsaris.

In veterum historiarum monumentis legisse memini, Cæsari Iulio Imperatori à suis olim statuam erectam, quæ sinistra librum, dextra gladium præferret, hoc inferne addito epigrammate, *Ex vtroque Cæsar*. quo denotabatur, tam illum litteris, quam armis emersisse, & magnum euasisse, ac parem vtraque è dote gloriam promeruisse. Vt flosculum hunc è profano eductum solo in Ecclesiæ hortum transplantem, non absonum futurum videatur, si eodem quoque schemate S. Iacobus repræsentetur, & sinistræ illius librum ad doctrinæ magnitudinem, & prædicationis eius excellentiam, qua tot ille gentes Christo lucratus est, exprimendam; dextræ vero gladium addamus, quo sanctorum verborum eius zelum, animos, & ardentem charitatem designemus; quibus, velut gladio, Mauros in Hispania contrucidauit, & infinitos idololatras, Deique inimicos, per alia plurima mundi loca, peccato mori coegit: demum hanc illi inscriptionem addamus ad imitationem illius Cæsareæ, *Ex vtroque Iacobus*.

Insignis S. Iacobi imago.

Quocumque enim modo Apostolus accipiatur, quocumque ex latere vertatur, semper Iacobus est, semper in prædicationibus tonitru & sane sublimis hęc professio, potius tonitru perterrefaciens, quam oblectantem musicam referre debet & imitari. In huius rei figuram Isaiæ Prophetæ mandatum est, vt elata voce in prædicationibus suis clamaret, & vocem tubæ ritu efferret ad vitia coarguenda, *Clama*, inquit, *necesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum*. Quæ verba varios mihi conceptus suggerunt, quos vobis singillatim enarrabo. Primo namque prædicatoribus iniungitur, suis auditoribus non nouitates aulicas, non futiles & inanes quæstiones, neu noua & inaudita dogmata, non scrupulos conscientiæ, sed animæ peccata, & quæ commiserunt vitia referre.

Prædicatio tonitruo potius sit quā musicæ similis. *Isai.56.*

Prædicator futilia in cathedra nō referat.

Secundo, Prophetæ mandatur, ne Auditoribus aduletur, ne risum eis moueat, fabulas & aniles nænias non commemoret, verbis scurrilibus & comicis ac mimicis nō vtatur, sed tubæ instar, cuius in bellis vsus est, detonet. Ita concionabatur S. Paulus, qui de se in prima ad Corinthios hoc loquitur modo, *Nō misit me Dominus baptizare, sed euangelizare, non*

Concionator verbis mimicis aut iocularibus non vtatur. *1.Cor.1.*

non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi.

Achan primo Dei jussu, deinde populi totius decreto lapidibus adiudicatus est, eo q̃, vt Hebræa præferunt, è cherem Iericho linguam auream clanculo sibi feruasset. atque ita legunt Origenes & Hieronymus; cũ vulgata præferat *regulam auream*. Seuera quidem punitio, sed mysteriorum plena, qua designatur, eos diuinitus puniri merere, qui ex anathemate Iericho linguã suffurantur aureã; id est, qui è profanis eloquentiæ humanæ ac mundanæ sapientiæ terris, furtiue quodammodo surripiendo, lenocinantes sermonum flosculos, & fucata adulterinaq; verba ad doctrinam Euangelicam in Cathedris Ecclesiasticis adferunt.

Ioſ. 10.

Allegoria.

Regius propheta de legis Euangelicæ prædicatoribus agens sic psalmo suo LVII. locutus est: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Id est, Qui antea Ecclesiæ inimici erant, iam cœlitus conuersi, facti sunt velut latrantes aduersus Ecclesiæ persecutores, canes, & peccantium vlcera, vulnerumque saniem perlingentes. Ita S. Paulus, Matthæus, Dionysius alijq; prius hostes & acerrimi Ecclesiæ persecutores, illustres postmodum & feruidi facti sunt prædicatores, vigiles & ad eius defensionem canes. Notandum porro, canes illos dici: eorum namq; est lupos mordere, & persequi alienos, deinde noctu diuq; calamo linguaq; voce simul & scriptis, velut canes domui dominoque fidi, aduersantes lacessere. Hanc ob causam Isaias malos prædicatores, nec officio suo rite fungentes canibus mutis, nescientibus, nec latrare valentibus exæquat, *Canes muti non valentes latrare.* vnde efficiamus necesse est, canes bene latrantes, bonos merito concionatores dicendos esse.

Psal. 67.

Prædicatores canibus collati.

Isai. 56.

Talis erat Iacobus noster Maior, verus scilicet prædicator: toto enim vitæ tempore, noctu & interdiu in peccatores insurrexit, & aduersus infideles, aduersus Dei inimicos, aduersus idololatras detonuit: vox eius tuba quædam fuit, & eius prædicationes tonitrua. Vnde vniuersa quidem Ecclesia infinitis Apostolo huic nominibus deuincta est, sed singularibus vniuersa Hispania, cum ab illo fidem edocta sit, & ad Christum conuersa; in quam suum vt ipse affectum testaretur corporis sui ac reliquiarum illam hæredem & custodem esse passus est. Ex Hispania siquidem in Iudæam redux mortem occubuit capite imminutus, cuius deinde corpus rursus in Hispaniam diuino nutu velut amoris testimonium, vel regionis tutela ac thesaurus, & inexhaustum prodigiorum subiectum delatum est.

S. Iacobus magnus fuit concionator.

Hispania multum S. Iacobo debet.

Quapropter id Apostolo huic contigisse mihi auctor sum, quod olim Ioseph o Patriarchæ, qui in Ægypto exspirans, fratribus indixit, sua vt inde ossa secum in terram Chanaan transportarẽt, quem ille locum singulari honore & amore præ alijs prosequebatur. *Asportate*, inquit, *ossa mea de loco isto* Ita quoque S. Iacobus in Iudæa occumbens, sua ibi ossa & corpus remanere minime passus, eadem in Hispaniam transferri voluit, quam ille regionem tot illustrarat prædicationibus, tot bonis ædificarat exemplis, tanto labore ac sudore Christo asseruerat, tot miraculis in fide cõfirmarat, & quam denique inter reliquas prouincias singulari quadam beneuolentiæ & incredibilis affectus semper est prosecutus significatione.

Gen. 50.

In horum omnium confirmationem facit, quod in vitæ Apostoli huius serie legitur Dũ enim discipuli eius post martyrium corpus Hierosolymis asportarent, in nauim id exarmatam, omniq; nauarcho destitutam imposuerunt; feliciter tamen in eum illud locum appulit, quem Apostolus designarat, qui stellæ cuiusdam indicio patuit, tum primum non sine prodigio apparentis, atque hoc illud loco reponendum esse indicantis, qui deinde ab eo euentu Compostella, quasi dicas *campus stellæ*, eo in regno est nuncupatus. Insigne profecto & inauditum prodigium, quodque alterius, quod nato jam in mundum Saluatore Iesu contigit, refricat memoriam: cum scilicet sidus quoddam nouum magos ab vltimo Orientis cardine conducens, super stabulum Bethleemiticum fixum stetit, eum esse locum declarans, in quo nouus ille Rex, Messias inquam, quem amplissimis donatum muneribus, & adoratum venerant, recens natus inuenitendus esset.

Insigne prodigium in S. Iacobi reliquiarũ trãslatione contigit.

Luc. 2.

Platonis sententia.

Docuit olim Plato, qui ob ingenii magni-

tudinem, & mentis aciem *diuini* cognomentum inuenit, Deo parentibus, magistris, paria neminem posse reddere, id est, hominum erga Deum, quod ipsos creasset, erga parentes, quod generassent, erga præceptores, quod edocuissent, obligationes ac debita adeo esse ingentia & singularia, vt illorum agnosci magnitudo nequeat, & omnes vires excedat. Vt de ea quæ Deo debetur obligatione, quæ penitus infinita est, taceamus, certissimum est ea, quibus præceptoribus deuincti sumus nomina, tam esse ampla, vt ijs, quæ parentibus debentur, aut æquiualeant, aut sane ex aliorum sententia præualeant. Huius etiam opinionis fuit Alexander Macedo, qui se Aristoteli præceptori, quam Philippo patri plus debere dicere haud est veritus, quod a patre vitam dumtaxat & necessarias ad eam ducendam opes, sed ab illo virtutem, & bene viuendi rationem modumq; accepisset.

Alexandri Magni sententia.

Hinc colligatis velim, quot Hispania vniuersa sancto huic Apostolo obstricta sit nominibus, qui ei præceptor exstitit, qui eam tanto labore ac sudore tãto tempore edocuit, qui tam sapienter sub Christi Domini eam jugum redegit, qui tam feliciter ad Euangelij cognitionem ac lumen pertraxit, qui tanta potentia è Maurorum eã captiuitate ac tyrãnide vindicauit: Qui denique tanta charitate ac patientia salutis, ac deinde virtutis omnigenæq; pietatis iter illi strauit. Hanc ob causãm Hebræos suos exhortabatur non segniter Apostolus, nunquam vt obliuiscerentur, sed immortalem eorum conseruarent memoriam, qui veritatẽ ipsos edocuissent, magistri illorum extitissent, simul etiam ob oculos ponens, quæ ab ipsis deberetur obligatio: *Mementote*, inquit, *præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum*, ac mortem perbeatam, *conuersationis*, vitæq; illorum *imitamini fidem*.

Hispania quantum S. Iacobo debeat.

Hebr. 13.

Iisdem vos hodie compellare verbis animus est Christiani, ac dicere, Memẽtote, obsecro, generosi Galli, sanctorum illorum ac veterum Patrum, qui Euangelium vos edocuerunt, ac toties in templis vestris verbum Dei prædicarunt; mementote inquam S. S. Dionysij, Martialis, Martini, Hilarij, Remigij, Marcelli, Bernardi, aliorumque plurimorum, qui tam sancte vobis prędicarunt, suamque prædicationem ac doctrinam tot miraculis & ostentis confirmarunt. Recordamini tot Confessorum ac Doctorum, qui præter sanctam quam duxerunt vitam etiam varia litteris mandarunt, vt hoc vos pacto edocerent, vtq; proficeretis, tot præclara vobis posterisq; monumenta reliquerunt. Huiusmodi fuere S. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, S. Thomas & Bonauentura, alijq; permulti. Reminiscamini quoque tot glorioforum Martyrum, qui postquam scientia vos & virtute imbuerunt, pro eadem quã docuerant fide mortem etiam oppetere graue non duxerunt, & quam proposuerunt veritatem sanguinis sui sigillo confirmare. Verum mementote inprimis sanctorum ac diuinorum Apostolorum qui vt Euangelium vobis annuntiarent, & mysterja sancta traderẽt, tantopere laborarunt, sudarunt, tantum terrarum peragrarunt, tamq; grauia tam diuersis rationibus passi sunt; inprimis vero S. Iacobi nostri nolite obliuisci.

Quam porro æquum est, sancte Apostole, perpetuo tui meminisse, & quæ in mundum vniuersum contulisti beneficiorum immortalem inuiolatamq; memoriam tueri, cum de numero duodecim illorum Ecclesiæ Doctorum fueris, quorum singuli in Spiritus S. academia edocti sunt, indeq; egressi vniuersum mũdum erudierunt. Cum inquam ex primarijs orbis Christiani campanis fueris, quarum per omnes orbis angulos sonus est exauditus, & quæ omnes omnino nationes ad sacra mysteria, ad sanctissimorum Sacramentorũ prædicationem ac perceptionem compulerunt. Æquissimum inquam & par est, ab omnibus te coli ac suscipi, admirabilis Apostole, qui inter egregios illos recenseris Prædicatores, qui primi in Petri Ecclesia apparentes, veritatem docuerunt, errores jugularunt, idololatriam euerterunt, Philosophis ora obturarunt, mundi sapientiam obmutescere coegerunt, crucifixi honorem stabiliuerunt, religionem in tuto collocarunt, & aduersus Gẽtes decertarunt. Sancte, inter omnes Sanctos admirabilis, inter concionatores tonitru, in-

Laudes & elogia S. Iacobi.

ter

ter martyres ductor, & inter Apostolos amicos Redemptoris amicissimus: omnis nimis quam magnam tui colendi, honorandi, laudumq; tuarum euulgandarum rationem habet Ecclesia; nos vero eius filij etiam multo maiorem, tuam admirando vitam, mortem martyrium, felicemq; ex hoc mundo transitum, fidem & bonum sanctæ conuersationis tuæ exemplum imitandi, vt ad eam nostram conformantes, & sanctarum virtutum tuarum vestigia sequentes, tuasq; diuinas prædicationes opere ac reipsa exequentes, & Deũ tui exemplo metuentes ac seruientes, æterna donari gloria, qua modo ipse in altero potiris sæculo, mereamur, ad quam nos Pater, & Filius eius vnigenitus, ac Paracletus Spiritus S. vnus in personarum Trinitate Deus post decursum mortalis huius vitæ stadium perducere dignentur, Amen.

IN FESTO S. ANNÆ MATRIS B. MARIÆ VIRG.

Partitio.

1. *De B. Virginis perfectionibus.*
2. *De S. Anna, an pluribus nupta viris.*
3. *An plures illi, præterquam vna, fuerint filiæ.*
4. *De Sanctæ Annæ matris Deiparæ dignitate.*
5. *De eiusdem sterilitate, aliisq; mirabilibus in ipsa consideratis.*

Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Matth. 13.

FIGVRA.

Exod. 25. SAncta illa Sanctorum, in quę arca testimonij inferenda erat, locus erat dignissimus, ac summopere venerandus, atq; adeo gloria & diuitijs inclytus, nihil vt dignius, illustrius, ac diuinius vetus illa Iudæorum Synagoga habuerit. Videtur huic aliqua ratione B. mater Anna assimilari pariariq; posse. quia enim sancta hæc creatura, veluti quædam Sancta Sanctorum, destinata ac selecta erat, in qua mater filij Dei vnigeniti, vera illa fœderis ac testimonij arca collocaretur ac requiesceret; hinc sanctitatis ac benedictionis quidam locus fuit, matrona honore & gratijs, & virtutibus referta, ac creatura omnibus adeo numeris perfecta & absoluta, vt vnum ex inclytis Ecclesiæ miraculis semper & habita sit, & habeatur, & in perpetuas generationes sit habenda. Vt quid à parte rei subsit, sciamus, & tantum hodie in illam laudum & elogiorum effundamus, quantum ante perfectionum ac meritorum Deus in ipsam contulit. Spiritum paracletum rogemus, nobis vt opituletur, ac glorioſissimam Virginem Mariam, ad quam res hæc potissimum spectat, cum sacratissima eius fuerit mater, sua vt intercessione dicenti minime desit, quocirca omnes oculis, animis & genibus in terram deiectis dicamus.

AVE MARIA.

Dauid Rex de magnifico illo tẽplo, quod à filio Salomone ædificandum erat, & ad cuius fabricam constructionemq; tantum auri argentiq; ac variæ suppellectilis coaceruarat, ac tantum sumptuum impendebat, vt nemo non obstupesceret, loquens, his sermonem verbis est exorsus, *Grãde opus est, neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo*: hominum omnium conditori. Par equumq; videtur Auditores, vt quoniam hodie de secundi illius templi, sed animati & penitus admirabilis fabrica sermo instituẽdus est, ab ijs ipsis verbis eum ordiamur, dicentes, *Grande opus erat, neq; enim homini præparabatur habitatio, sed Deo.* Opus inquam admirabile, & res sublimis, ac nonnisi summi Dei inceptum erat sanctæ huius Virginis generatio, in qua non homini, sed Deo, non simplici creaturæ, sed rerum omnium conditori destinata ac præparata habitatio erat. 1. Par. 29. Generatio Deiparæ opus erat grande.

Hiuc profecto oportebat omnia magna, admirabilia & magnifica in ea concurrere, conceptionem inquã beatam, natiuitatẽ gloriosam, vitam plane diuinam, mortem mirabilibus plenam, gratiam incomparabilem, Omnia magna in hac Virgine concurrunt

gloriam inæstimabilem, aliaq; grandia, & cõmunem naturæ ordinem transcendentia. Et sicut oportebat, ita & factum est: nam quidquid in illa fuit, summũ fuit, ingens, gloriaq; & excellentia plenissimum, iuxta illum Psalmographi vaticinium, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei* quod nimirum sine peccati originalis macula concepta fuisti, quod tota pulchra nata sis, quod gratia fueris plenissima, cœli terræq; regina, Messiæ mater. *Gloriosa* ergo *dicta sunt de te* Vt porro hanc de Virgine gloriosa prophetiam capiendam constet, audite quid dicat Damasc. *Et quam aliam ciuitatem intelligamus quam eam, quæ Deum susceperit? de qua gloriosa ab ipso Domino dicta sunt?*

Psal. 86.

Orat. 1. de dorm. Virg.

Germanus Archiepiscopus & Patriarcha Constantinopolitanus, de Virgine hac sermo cum incidisset, nonnisi per admirationes, exclamationes, & apostrophes loquitur, *Omnia tua*, inquit, *sunt admirabilia, ô Despara, omnia supra naturam, omnia ingentia, & aliorum vires superantia.* Et sane nunquam vel minimum peccati næuum contraxisse, nunquam in Dei sui amore deliquium fecisse, nunquam ad illustres solis huius radios vel minimum conniuisse, nunquam in voragines illas peccati prolapsam esse admirabile profecto fuit matrem simul fuisse & virginem, sine dolore vllo peperisse, corruptionis expertem mansisse, in cineres non abijsse, communem naturæ ordinem transcendit: verum ab omni æternitate prædestinatam fuisse, Dei vnigeniti matrem fieri meruisse, ceterarum creaturarum vires longo superat interuallo.

In orat. de Virg.

Virginis perfectiones superãt perfectiones aliarum creaturarũ.

Ipsamet Virgo hæc omnia agnoscens, & suam beatitudinem prædicans, gratias agit Deo dicẽs: *Quia fecit mihi magna qui potens est, ideo magnificat anima mea Dominum* nec immerito ita locuta est, certissimum est enim Deum, qui sanctus & potens est, magna mirabiliaq; sanctæ huic Virgini præstitisse, *magna per gratiam, magna per gloriam, & magna per naturam.* Magna inquam per gratiam, cum Angelus eam plenam gratia saluarit, & ipsa sola plus gratiæ habuerit, quam sancti sanctæque omnes simul. In huius rei testimonium adfero illud è Prouerbijs, *Filiæ multæ congregauerunt sibi diuitias tu supergressa es universas.* Item illud Ecclesiastici, *Et in plenitudine sanctorum*

Luc. 1.

Virgo in gratia superat omnes sanctos.

Prou. 1.

Eccl. 24.

detentio mea. quin & illud è Canticis, *In horto meo omnia poma noua & vetera* tropice ac figurate denotabat, sanctam hanc Virginem in animæ suæ horto omnigenos, tum nouos, tũ veteres fructũ, id est, virtutes omnes, gratias & vniuersas sanctorum, sanctarumq; omniũ, qui in veteri ac nouo Testam. jam inde ab orbis primordijs vixere, benedictiones comprehendisse.

Cant. 7.

Magna per gloriam quoq; Deus ei præstitit, vtpote qui eam cum corpore simul & anima in cælos subuexerit, & super omnes Angelorum hierarchias collocarit: quod eos in tantum stuporem admirationemq; compulit, vt simul omnes extra se quodammodo rapti dixerint; *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Aurea plane verba, & Angelorum ore digna, & insignes Virginis huius perfectiones includentia. Fuit enim instar aurorę ante vitam in conceptione, pulchra vt luna in vita, omnis peccati & corruptionis expers, electa etiam vt sol post mortem, in glorificatione, terribilis denique vt castrorum acies ordinata, jam scilicet in Ecclesia ad fidelium omnium tutamen, ac defensionem.

Virgo Angelos superat gloria.

Cant. 1.

Magna denique *per naturam* in gloriosa hac Virgine a Deo facta sunt, erat siquidem, si mundi maiestatem ac pompam spectemus, è nobili ac magna prognata propagine, è stirpe regia ac domo Dauid & veterum Patriarcharum sanguine, quibus nulla in orbe exstitit prosapia nobilior, descendẽs. Matthæus eius stemma indagans, & genealogiam texens, lõgam deducit seriem, qua eam jam inde ab Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauide, Salomone, alijsque inde sequentibus regibus arcessit ad vsq; Ioseph, cui ipsa in coniugem data, *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, &c.* quem deinde hoc cõcludit epiphonemate, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus qui dicitur Christus.* Concludam ergo ipse, eam & per naturam, & per gratiam, & per gloriam magnam semper exstitisse.

Virgo regia stirpe prognata.

Virginis Genealogia.

Matth. 1.

Adhæc, ad magnitudinem eius & excellẽtiam non parum facit, natam fuisse parentibus & nobilissimis, & sanctissimis, Ioachimo.

inquam

inquam & Anna; ambobus è stemmate regio, & sceptrigero, id est, è tribu Iuda, è qua iuxta illud Iacobi præsagium, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est*, Reges Israel nascituri erant, descendentibus. Et de sanctis his ac millies honorandis parentibus alius quidam Propheta prædixit mystico sensu. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et tametsi ad litteram hoc de Ecclesia intelligi queat, cuius fundamenta sanctissima fuere, Apostoli scilicet, viri nempe vita sancti, & auctoritate, & dignitatis magnitudine in hoc mundo montes, mystice tamen non inscite de Deipara capi poterit, cuius fundamenta, id est, conceptio, natiuitas, origo & extractio in montibus sanctis, id est, parentibus pijssimis, religiosissimis, iustissimis, sanctissimisq; fuerunt.

Gen. 49.

Psal. 86. Virgo sanctos habuit parentes.

Ciuitatis cœlestis muri fundamenta è gemmis pretiosissimis constrata sunt. Virgo Deipara insignis quædam ciuitas fuit, ac ciuitas plane cœlestis, cuius primus fundator fuit Deus, *E ipse fundauit eam altissimus:* verisimile ergo fit, fundamenta eius, conceptionem, id est, originem, ortum, natiuitatem omnigenis gemmis, id est, omnigenis gratiis, donis, charismatibus, benedictionibus ac prærogatiuis insignitam fuisse. Ac minime dubitandum est, quin è parentibus sanctissimis descenderit, quibus nulla aut honoris, virtutis, sanctitatis, aut iustitiæ pars defuerit.

Apoc. 22.

Hac de re hora hac matutina ad vos dicere decreui, & propitio Numine beatissimæ ac sacratissimæ Annæ, reginæ hominum simul & Angelorum, quæque filium Dei mundo peperit, matris vitam, virtutes, & mirabilia omnia decurrere constitui. In quo vt methodice certoque procedam ordine, duas concio partes habebit, primo sanctæ huius matronæ coniugium ac genus exponam, deinde ad eius præconia dilabar.

S. Anna Ioachimo nupta.

Primo ergo indubitatum est, sanctam Annam, parentibus annuentibus, Ioachimo viro integerrimo honore ac virtute pleno, Nazarethi orto nupsisse ipsam vero Bethleemi, quæ duo oppida tribus sunt Iudæ, natam fuisse. Quod vt manifestius & euidentius pateſcat, illa prius dissoluenda controuersia, quæ in scholis, & inter Patres & Ecclesiæ Doctores agitari consueuit, num scilicet sancta Anna Deiparæ mater solam hanc & vnicam habuerit filiam, & maritum vnicum, an vero plures & filias & coniuges. Magna sane hæc difficultas est, & perantiqua, & iam à multis inter Ecclesiæ Patres sæculis acriter ventilata & disceptata. In duas diuersi abeunt opiniones simul omnes, & duæ eorum statuuntur partes & cohortes.

Quæritur num Anna plures habuerit maritos.

Prima, eaque vulgaris, quæque & numero potior, pars docet sanctam hanc matronam tres habuisse maritos & filias, & è singulis singulas sustulisse. Opinionem hanc propugnant multi & perillustres viri, ijque numero plurimi, D. Antoninus in Historijs, Magister Historiæ in historia Euangelica, Petrus à Natalibus Episcopus in Catalogo, Ludolphus in vita Iesu Christi, Eckius sermone de sancta Anna, Petrus Sutor libro de triplici Annæ connubio, Ioannes Gerson Vniuersitatis huius Cancellarius sermone de Natiuitate glorioſissimæ Virginis, alijq; permulti.

1. Histor. p. c. 4.

Tradunt ergo hi ac sustinent, B. Annam primo nupsisse Ioachimo, eoque mortuo, Cleophæ; quin & hoc vita functo, cuidam tertio, nomine Salomæ: Ioachimo peperisse gloriosam Virginem Dei matrem, è Cleopha sustulisse Mariam illam, quæ vulgo ab Euangelistis nomine patris sui Maria Cleophæ nominatur; Salomæ natam illam tertiam Mariam, quæ in Euangelio itidē Maria Salomæ dicitur. Deiparam matrem Iosepho, Mariam Cleophæ Alphæo, Mariam Salomæ Zebedæo nupsisse. Filios autem trium harum sororum fuisse, primo Deiparæ Iesum Christum, verum Dei filium, ac mundi seruatorem, Mariam Cleophæ quatuor peperisse, Iacobum minorem, Simonem, Iudam, & Iosephum cognomento Iustum; Mariam Salomæ duorum tantum matrem factam, Iacobi scilicet maioris & Ioannis Euangelistæ. Sacram hanc genealogiam versibus his complexus est Gerson loco superius indicato:

S. Annæ genealogia.

Ser de natiu. Deiparæ.

Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleophæ, Salomæq;
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias:
Quas duxere Ioseph, Alpheus, Zebedeusq;.
Prima Iesum, Iacobum, Ioseph cum Simone Iudam
Altera dat; Iacobum dat tertia, datq; Ioannem.

Mantuanus in Fastis. Quin & in Fastis suis sacris Baptista Mantuanus:

Anna puerperio fortunatissima sancto
Tres habuisse viros, & tres habuisse puellas
Dicitur, &c.

Validis opinio hæc nititur fundamentis, & prægnantissimis asseritur rationibus. Quarum hæc prima est, & Glossam Ordinariã vt auctorem agnoscit, ita in epistolam ad Galatas glossantem, *Mortuo Ioachimo Cleo, hic frater Ioseph Annam accepit vxorem, & genuit Mariam, quæ nupsit Alpheo.* Idipsum legere est in prologo S. Hieronymi, quem Epistolæ D. Iacobi præfigit. Duo hi opinionem hanc & rationem primam mirifice confirmant & corroborant.

Ioss. ord. ad Gal. 1.

1. Ratio.

2. Ratio. Secunda. Certissimũ est, & è multis Scripturę locis aperte eruitur, Christo fuisse fratres & sorores, vti illo Ioannis 2. *Descendit in Capharnaum ipse & mater eius, & fratres* & ex epistola Pauli ad Galatas, *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini,* & illo Matthæi, *Ecce mater eius, & fratres stabant foris quærentes eloqui.* Denique illo Marci 6. *Non* (aiunt Iudæi) *hic est filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph, & Iudæ & Simonis? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?* fratres autem hi Virginis proles non erant, quod vel cogitare impium foret; ergo sororum eius filij, & Iesu Christi consanguinei, atq; idcirco fratres eius dicti.

Ioan. 2.

Gal. 1.

Matth. 12.

Marc. 6.

3. Ratio. Tertia. S. Ioannes Euangelista Christo sanguine fuit proximus, vti ex Euangelio colligere est, verisimile ergo sit, illum è gloriosa Virginis sorore natum esse. Probatur assumptũ. Indecens enim fuisset & minime ex Deiparæ honore, tanto eam tempore cum viro commorari, & tam cum eodem familiariter agere, cui non consanguinitatis gradu iunctissima foret. In rei huius confirmationem facit, quod mater eius primas à Iesu Christo sedes eius in regno filijs suis petere ausa fuerit, nixa videlicet maximæ illius necessitudinis vinculo, & consanguinitatis, vtpote sacratissimæ Virginis soror, ac proinde matertera eius, à quo rem hanc tam enixe contendebat.

4. Ratio. Quarta. Ioannis capite 19. Maria Cleophæ manifeste clareque matris Dei soror dicitur, his verbis, *Stabat*, inquit Ioannes, *iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Si ergo eam Ioannes Deiparæ sororem vocare non veretur, efficitur necessario, Annæ eam filiam fuisse. Hæc sunt primaria opinionis huius robora, & præcipua argumenta, quibus auctores hi generose ac publice suam hanc causam propugnant. Tametsi Scholasticus quidam sæculi huius scriptor eam mirifice labefactarit, eiusque auctores vt vecordes & nescios sugillarit; quasi nulla nixos neque Scripturæ auctoritate, neque historiarum fundamentis, & omnes omnino Doctores rectius sentientes calamo eam ac voce oppugnare; esse enim petram scandali, & vniuersalis omnium contradictionis scopum. Hæc eius verba. *Huic sententiæ ab omnibus contradicitur, quippe quæ nullum habeat fundamentum, neque in Scripturis, neq; in historijs.*

Ioan. 19.

Medina 3. p. q. 38. art. 3.

Secunda ergo opinio penitus contraria est, & in aciem prodit arma veritatis vibrans, declaratura scilicet sanctam Annam non nisi vni coniugi nuptam fuisse, & vnam duntaxat filiam genuisse, gloriosam scilicet Virginem Mariam. Partem hanc vtpote probabilissimam tuentur plures ijque grauissimi tum Græci tum Latini Patres. Primus huic subscribit Euthymius, qui in hæc Ioannis verba, *Stabat iuxta crucem Iesu*, scribens, credit Virginem Deiparam vnigenitam matri filiam fuisse, asseritque *sororem matris Domini* eo loco tantundem valere, quod cognatam.

Secunda opinio dicẽtium S. Annam vni duntaxat nupsisse.

Euthymius Ioan. 19.

Eam-

Theoph in Ioan. Eamdem veritatem tuendam suscipit Theophylactus inter Patres Græcos non vulgaris notæ, & eo ipso Ioannis loco negat *Harm 78.* Mariam Cleophæ Deiparæ sororem fuisse, sororem tamen dictam, id est, cognatam. S. Epiphanius eamdem sententiam secutus, affirmat Mariam Salomæ Virginis Deiparæ sororem non fuisse, sed Ioseph filiam. Eidem veritati è nuperis scriptoribus adstipulantur Lipomanus in historia Sanctorum; ei concinunt Illustriss. Cardinalis Baronius in suo ad Annales Ecclesiasticos apparatu, Re- *In 3. D Th. tom. 2. q. 28.* uerendus Pater Canisius libr. 1. Marialis capit. 4. & inclytus ille Theologorum princeps Franciscus Suarez, quorum omnium constans & indubitata opinio est, nonnisi vnicum Annæ maritum fuisse, Ioachimum scilicet, & vnicam filiam, glorioſissimam nempe Dei matrem Mariam. Quibus eam stabiliunt rationibus, ad sex potissimum capita reuocantur, quasiam ordine vobis deductus sum.

1 Ratio. Prima. Honor, excellentia, magnitudo ac dignitas sacratissimæ Virginis, in matrem Redemptoris selectæ ac prædestinatæ, quæque miraculosa quadam ratione, post statam iam vtriusque parentis sterilitatem, in mundum nata erat, merebatur ac postulabat, solam eam & vnicam in sanctæ Annæ familia esse, non secus atque Isaac in Abrahæ, ac Ioannes Baptista in Zachariæ.

Læna nõ- nisi vnicum parit. Tradunt qui de animalium natura scripsere, nonnisi vnicum semper è læna catulum nasci, quod scilicet quadrupedum omnium rex ille sit: cui proinde natura socios aut fratres nascenti dare detrectat. S. Annam ergo, quæ diuino decreto ac nutu in matrem Deiparæ electa erat, verisimile sit nunquam aliam concepisse prolem; & quia cunctarum illa creaturarum erat regina, hinc hoc magnitudo & maiestas illius donari priuilegio digna erat.

2 Ratio. Secunda. Nefas est cogitare, nedum credere, aut affirmare, ea mulierem sanctimonia, & honestate, qualis sancta Anna erat, quæ post longam illam sterilitatem, singulari quædam Dei prærogatiua, nec sine miraculo, Deiparam produxerat, tali filia ac coniuge Ioachimo contentam minime fuisse, sed eo vita functo alijs nupsisse, & ad tertias vsque nuptias conuolasse. Redolet hoc enim, nescio quam lubricitatem, & animi inconstantiam sapit, & aliquam in carnales voluptates pronitatem & incontinentiam viduis indecoram. Vt taceam hoc cum virtute minime cõsistere, castas aures offendere, pudicitiæ honori non paruam affricare maculam, carnalitati ac libidini trophæa erigere, mortificationem omnem tollere, & honesti nominis matronæ famam non mediocriter deterere.

Portiæ Rom. sententia de viduis secundo nubentibus. Portia Romana, quam virtus & vidualis continentia apud omnes illustrem celebremque reddiderat, cum iuuenculam quamdam munificis extolli laudibus audiret, quæ ad secundas patricij cuiusdam illustris nuptias transisset; illico subintulit, se eas parum facere viduas, quæ primo amisso coniuge in alium etiam quantumlibet inclytum nobilemque virum amorem transferrent; negabatque eam vt honestam habendam, quæ amorem à priori coniuge extincto in alium virum deriuaret. Si ex Portiæ sententia vere ita se res habet; hinc sine dubio sequeretur, S. Annam post tot nuptiarum celebrationes non modo non laudandam videri, sed & nomen decusque suum etiam ex mundi sententia, non exigua macula infecisse.

Turtur symbolum castitatis ac continentiæ. Dicitur turtur, cui sponsam suam sponsus in Canticis parem esse dicit, quæq; veræ castitatis symbolum, & imago est continentiæ, amisso compare masculo, numquam alteri iungi, sed in perpetua viduitate perseuerans semper in aridis arborum ramis nidos construere, & nonnisi è turbidis connosisq; aquis bibere. Quo naturali exemplo docemur, veram honestarum matronarum fidem ac continentiam nonnisi in vno diligendo marito consistere, eoque extincto ad alias nuptias non conuolando. Verisimilene ergo sit, viduam adeo sanctam, virtutum studiosam, libidinis domitricem, pudorique ita deditam, qualis haud dubie beata Anna erat, auibus insipientiorem, ac naturalis consuetudinis penitus immemorem, pudoris sui adeo negligentem eo incontinentiæ veniſse, vt plures sibi iunxerit viros, & plures pepererit filias?

filias? Equidem in animum vt credam inducere nequeo.

3. Ratio. Non est moris idem omnibus vnius familiæ prolib. nomē indere.

Tertia Non solent parentes, vllo in loco, aut vllas apud gentes, idem omnibus familiæ suæ liberis nomen imponere, sed potius è contrario nominum diuersitate ac discrimine numerosam è sese natam prolem distinguere, & internoscere. Aduersarij vero opinionis huius docent tres sanctam Annam peperisse filias, & eodem MARIÆ singulas nomine donatas. quod nemini hactenus visum vel auditum. quare efficio, probabile aut rationi consentaneum minime videri, imo nec verosimile, plures eam vna filias habuisse. Quartam addamus.

4. Ratio.

Anna, matrona venerabilis, ætate iam prouecta erat, dum Virginem Deiparam edidit, non ergo deinceps duplex adhuc matrimonium inijt, nec duplicem nacta maritum est.

S. Anna 20. annis mansit sterilis.

Annis grauem fuisse, antequam Mariam Virginem peperit, hinc eruo, quod viginti ipsis annis in matrimonio sterilis manserit, vti in Breuiario Romano legitur. Si ergo Ioachimo nupserit anno circiter ætatis vicesimo, quadragesimum haud dubie agebat, cum primū fœtum in auras dedit. Deinde vix credibile videatur, Ioachimum illico post fœtum editum ad Patres appositum esse, & viduam Annā, eo defuncto ad alias statim nuptias transisse, tum aut secundum tam cito exspirasse, & eum ab Anna non deploratū & viduali planctum luctu esse, neue eam adeo coniugis impatientem fuisse, vt ad tertias statim nuptias conuolarit. Ratio hæc valida mihi & consona videtur, & aduersarias acriter partes premere.

5. Ratio.

Accedat tamen & quinta. Ipse mundi Redemptor Iesus summus puritatis & virginitatis maternæ exstitit æmulator; ergo & continentiæ honestatisque in auia sua Anna. Non ergo permisit tot eam maritis, ac tam vario connubio iungi, quod ex parte probrosum est, & euidens summæ incontinentiæ nota.

6. Ratio.

Sexta & vltima opinionis huius ratio hæc esto. Fidem omnem superat, quin imo ita se habere, cogitare plane nequeo, sanctam hanc Deiparæ Virginis matrem Annam inferiorem fuisse alteri illi Phanuelis filiæ Anæ, quæ Euangelio teste, cum septem in cōiugio egisset annos, vidua ad annos octoginta quatuor mansit. Verisimile quoque Anna filia non est, Iudith pudore, virtute, puritate, & Phanuelis qualicumque demum castitate hac nostra vidua manAnna superiorem excellentioremque fuisse: sit ad anvtpote quæ primo marito datam fidem adnum 84. eo inuiolatam sanctamque custodiuit, aliIudith seum vt cognoscere, aut ad secundas conuocundo nulare nuptias noluerit Quis ergo credat, imo bere noluit. vel cogitet, Annam nostram his inferiorem imparemque longe fuisse? & Ioachimo viro prudentissimo, totque donis, virtutibus, meritis illustri, ac coniuge dilectissimo, ac primo defuncto, alijs dein duobus nupsisse? quod reuera & absurdum, ac nefas est credere, & plane commentitium videtur, neque vllam apud viros cordatos fidem inuenit.

Luc. 2.

His omnibus attente matureque examinatis, & rationibus vtrimque allatis in recti iudicij libra appensis, secunda opinio & probabilior & certior videbitur, nec Ecclesiæ, Patribus, vel S. Scripturæ vllo modo aduersari. Non quidem Ecclesiæ, quod ipsa tum in Lectionibus, tum in officio de S. Anna, Probabilinullam trium eius maritorum, nec trium fi- or de maliarum mentionem faciat. Non etiam Patri- trimonio S. bus, nullus enim illiorum triplex hoc matri- Annæ opimonium, triplicemque eius partum vel lin- nio. gua, vel scripto asseruit. Tum denique sacræ Scripturæ non repugnat; quidquid enim ipsa hac de re scribit, verissimum quidem est, etsi tamen hinc efficere non velimus, tot Annam coniugibus iunctam fuisse, aut tot genuisse filias.

Ad horum stabilimentum, præter ratio- III. nes iam antea contra aduersarios productas, Nouæ ravelut nouos testes producturus alias quasdā tiones, quiconsiderationes adnectam, ob quarum pon- bus probadus hanc sum partem sequi, & tueri causam tur S. Ancoactus. Primo, quod nulla probabilis exstet nam plures historia, aut monumentum certum, in quo non habuisplanum fiat, duas Annæ aut plures filias fuis- se filias. 1.

se; credendum ergo potius, quod & dignitati Virgineæ conuenientius ac decentius, & ad eius decus, & marris honorem propius spectat, quod demum à veritate & æquitate maxi-

maxime dependet, ad alias eam nuptias non transijsse.

2. Secundo, docentes S. Annam plures vna habuisse filias, hoc duntaxat è Ioannis cap. 19. eruunt. Dicunt tamen loci huius interpretes, sororem ibi pro affini vel cognata accipiendam, & sensum esse hunc, *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius*, id est, affinis, vel cognata matris eius, *Maria Cleophæ*. Vt & illo Marci loco, *Nonne & sorores eius* id est, Christi cognatæ, *hic nobiscum sunt?* solet siquidem Scriptura sacra fratrum nomine cognatos, & sororum cognatas exprimere. Sexcenta huius phrasis afferre exempla queam, quibus quod dico confirmetur, sed vnum è Tobiæ historia depromam, vbi Tobias iunior ita Deo supplicat: *Tu scis, quia non luxuria causa accipio sororem meam.* quo loco cognata per sororem accipiēda est: certum quippe est, Saram vxorem non sororem eius, sed cognatā duntaxat fuisse. Atque hæc è magnorum illustriumque Ecclesiæ Græcæ luminum scrinijs deprompta sunt, Euthymij inquam & Theophylacti.

Ioan. 19. Soror pro cognata accipitur. *Marc. 6.* *Tob 8.* Fratres pro cognatis accipiuntur in Scriptura.

Doctrina notabilis. At si exactiorem difficultatis huius habere solutionem ac notitiam velitis, ac perspicue nosse, in quo hæcce cognatio aut cōsanguinitas eorum, qui Christo sanguine adeo proximi fuisse dicti sunt, consistebat, & quęnam fratres illi & sorores attribuendi fuerit occasio; sciatis oportet, Cleopham, Iosephi sponsi Deiparæ fratrem, proinde affinitatis iure, Mariam Cleophæ, Deiparæ Virginis sororem fuisse. Ac propterea Sanct. Iacobum Minorem, quod Cleophæ (qui è Bedæ sententia aliter dictus est Alpheus) esset filius, fratrem, id est, cognatum affinemq; Redemptoris dictum esse: vt enim S. Augustin. *Tract. 10. in Ioan.* ait, Omnes consanguinei Virginis, fratres erant Christi.

Lingua Hebraica verbis non abundat. Accedit adhæc, linguam Hebræam iejunam maxime, & in verbis inopem, & angustis admodum limitibus circumscriptam, cum suis in sensibus & conceptibus se dilatare nequeat, eidem sæpe verbo plures dare significationes, easque inter se aliquando disparatas: cum è contra Latina & Græca vberes sint, copiosæ & verbis abundantes, latissimeque se diffundentes. Hinc Hebræi verbis nominibusque destituti necessarijs, fratrum nomine cognatos, & sororum cognatas donant. Atque hæc primaria ac potissima causa est & origo, ob quam in sacris litteris fratres habuisse Redemptor dicatur, quod nomen, cognatis exprimendis dedicatum & vsurpatum, sæpe etiam ad fratres denotādos adhibeatur. Nō me fugit adhæc, Patres Græcos, Chrysostomum, Epiphanium, Origenem, alios q; in ea esse sententia, ac docere, eos qui fratres Domini in Euangelio dicuntur idcirco fratres dici, quod Iosephi essent filij, qui Virginis erat coniux, & putatitius hominum opinione, Redemptoris parens, sed hāc mouere in præsentiarum litem nolo, nec discutere, tum quod temporis coarcter angustijs, tum vero, quod parui controuersiæ huius diremptio emolumenti foret atq; compendij.

Parentes Deiparæ. Omnibus ergo ita discussis, examinatis, & exploratis, notissimum est, sacratissimæ Virginis Mariæ, filij Dei matris, vnicæ ac solius matris suæ prolis, parentes fuisse, Ioachimum & Annam, quos ob eximiam castimoniam turturum par dicere Damascenus non erubuit, quibusque hoc canit elogium: *O castissimum par turturum ratione præditarum, Ioachim & Anna! ô par beatum! vobis omnis creatura obstricta est: per vos enim donum omnium donorum præstantissimum creatori obtulit, nempe eam matrem, quæ sola creatore digna erat. O beatum Annæ uterum, qui vnicum cœlum cœlis ipsis latius peperit?* *Orat. 1.*

Niceph. lib. 1. cap. 7. De ijsdem sermonem instituens Nicephorus sic loquitur, *Ambo erant accuratiore vitæ præstantes, nec non primis quibusque & splendidissimis nobilissimisque genere coniuncti.* S. Gregorius Nyssenus è nescio qua historia veteri prodidit, Ioachimum Virginis patrem, inter eos, qui in lege Mosaica summam vitæ perfectionem sectarētur, atq; virtutum exercitio sese totos occuparent, quo tū moris erat, facile principē & caput fuisse, & acquisitis habitu virtutib. nimium quantum excelluisse. Ipse quoque auctor libri, cui nomen *de ortu Virginis*, apud D. Hieronymum, tribus verbis & quam paucissimis, sanctorum horum coniugum vitæ historiam complectitur, *Vita*, *Orat. de Christinæ.* *Apud Hieron. tom. 4.*

inquit, *Ioachimi & Annæ simplex & recta apud Deum, apud homines i reprehensibilis erat & pia.* Ceterum satis superq; S. Scholasticorum more, quæstionibus dubijsq; prima hac parte occurrentibus proponendis dissoluendisque immorati sumus; iam ad moralia & ethica descendamus, & paucis S Annæ perfectiones, excellentias, laudes & præconia, ꝙ altera nos parte facturos promiseramus, recenseamus.

IV. Hoc ergo vt stadium decurrere incipiam[2]; vetus Ecclesiæ sane traditio est, quæq; ab illustrib. eminentibusq; Patribus asseritur, Ioachimum & Annam, è nobilissimo Dauidis stemmate descendentes, Virginis Deiparæ parentes fuisse; ita namq; docet Hippolytus Martyr, Apostolorum discipulus, apud Nicephorum in historia Ecclesiastica, & concinunt Epiphanius in hæresi Collyridianorum, & Ioannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa. Adeo vt, cum communi Ecclesiæ traditione, tum manifesto trium horum Patrum testimonino constet, gloriosissimam Annam, vna cum coniuge Ioachimo, è stirpe Dauid progenitos fuisse, & domo nobiles & illustres.

Hippolyt. Mart. Niceph. lib. 2. hist Eccles. c. 3.

Lib. 4. de fid. c. 15.

Accedit D. Augustinus, & Epiphanius hæresi 70. simul & D. Hieronymus, qui nobilitatem Ioachimi & Annæ cum eorundem virtute, & stirpis familiæque decus cum vitæ sanctimonia pariantes, nobilissimos eos iuxta ac sanctissimos fuisse tradunt, ac viginti ipsis annis prole & hærede (quod Anna sterilis esset) caruisse; cumque quadraginta diebus assiduo ieiunio simul & orationi vacassent, apparuisse ipsis Angelum, & Virginis Gloriosissimæ illis natiuitatem promisisse. S. Hieronymus in alia discedens, in tres eos patres facultates suas ait dispertitos, quarum prima templo cessit cultuique diuino, secundam pauperibus, tertiam denique in vitæ necessaria reseruarunt.

Lib 23. contra Faust. c 9.

Ioachim & Anna bona sua in tres partes diuiserunt.

A Ioachimi autem laudibus commemorandis supersedebo, cum S. Annæ duntaxat recensere sit animus ac sententia: tametsi fieri nequeat, quin laudata vxore simul & laudetur maritus. Vt n. in facultatibus, pietatis exercitijs, amore, affectu alijsque rebus pijs coniunctissimi fuere, ita & in laudibus & præconijs inseparabiles iunctique sint oportet; die tamen hodierna Annæ solius Panegyristen agam. In quo, si quod à nomine trahendum omen & augurium, dico, quatuor in sacris literis Annas reperiri, & eas omnes sane perillustres, virtute nobiles, sanctitate admirabiles, æternisque singulas dignas laudibus.

Quatuor sacris literis Annæ nomine recensentur.

Primam inclyto hoc dictam nomine comperio matrem Samuelis, de qua primus Regum meminit liber, cordatam illam, prudentem & illustrem Annam, cui viciissim maritus prudentia, honestate, ac pietate eximius obtigit Helcana de Ramathaim. Erat hæc similiter sterilis; quod illa probrum parum æquo ferens animo, & prolem à Deo postulans cœlitus fuit exaudita, filiumque dono nacta est, qui Samuelis donatus est nomine: quem ablactatum ipsa ilico in domum Domini tum in Silo commorantis attulit, & eià quo acceperat obtulit, eiusque cultui & ministerio voluit ęternum esse consecratum.

1. Reg. 1.

Anna mater Samuelis.

Secunda, quæ hoc nomen promeruit, fuit illa è tribu Nephthalim, tēpore captiuitatis tribuū Israel in Niniue, viri sanctissimi Tobiæ vxor, & Tobiæ, qui Raguelis duxit filiā, & Angelum Raphaelem indiuulsum viæ longæ comitem habuit, mater.

Luc. 2.

Tertia fuit filia Phanuelis, quam Lucas Euangelista depingit, ea castimonia & sanctitate; vt insigni continentiæ nota ad annum vsque ætatis octogesimum in viduitate permanserit; sanctitatem vero testatura, assiduo ieiunio precibusque vacauerit, nocte dieque à templo non recedens, quæ propterea vna cum Sacerdote Simeone donum prophetiæ promeruit, cum infans Iesus in templum illatus est Domino præsentandus.

Quarta vero ac postrema, omniumque nobilissima ac sanctissima, fuit S. Anna gloriosissimæ Virginis mater, quam hodie Christianus orbis qua patet, colit & reuereretur.

Anna Perenna mulier apud ethnicos celebris.

Non me latet insuper, fuisse & apud Romanos olim Annam, cui nomen *Perenna*, cuius tam illustre apud eos erat nomen & fama, vt in

vt in Dearum relata sit numerum, hinc inter varios disceptatum est, ecquænam hęc femina foret, & vndenam venisset. Credũt siquidem nõnulli Didonis tantopere à Poetis celebratæ sororem esse. Alij Lunam esse sibi psuadent, quod è mensibus anni constent, ac proinde ipsa temporis longitudo ab ijs dependeat & in ijs sita sit; menses quoque ad lunæ cursum & distinctionem dimetiantur. Alijs insedit opinio, Annam hanc Perennam celebrem Romæ matronam fuisse, quę commeatu olim Populo Romæ summa annonæ penuria laboranti & ad extrema redacto auxilio fuerit; adeo vt nisi pia hæc mulier opem tulisset, fame omnes ad vnũ perijssent. Hinc communi senatus consulto statua illi à republ. in grati animi signum beneficijque accepti memoriam decreta est, vtq; ita perpetua & perennis apud Romanos foret, & semper à populo coleretur, per quam factum erat, ne funditus populus interiret. Meminere huius Poetæ, & Ouidius in fastis in primis:

Lib. 3.

Ipsa loqui visa est, placidi sum nympha Numici,
Anna Perenna latens, Anna Perenna vocor.

Tametsi vero omnes hæ fabulæ & Poetarum commenta ad veritatem vel hilum facerent; equidem vobis ipse auctor sum, vt credatis, inter Annas omnes, quas tantopere orbis suspexit, coluit, & reueritus est, nullam laude digniorem illustrioremq; hac ipsa nostra, Virginis sanctissimæ matre, & matronarum omnium, quas vlla viderunt sæcula, regina exstitisse. Hæc ipsa præ omnibus & inter omnes, honoris statuas, trophæa, pyramides, marmoreas æreasque statuas & rostratas, quin & immortale nunquamque intermoriturum nomen meretur.

Num mulieres laudandæ forent, ambigebant veteres.

Non possum, quin mecum ipse rideam, dum veterum ineptias Philosophorum accuratius perpendo, disceptantium ambigentiumque, num mulierum essent virtutes deprædicandæ publicoque decantandæ præconio. Plutarchus sane magnus ille vir docere non est veritus mulierum nec virtutes, nec vitia esse cuiquam manifestanda; credebatque illam inter fœminas omnes & primam & dignissimam & præstantissimam habendam, cuius nulla foris vel ad vituperium vel ad laudem fama sit, & cuius neminẽ non actiones lateant, nec palam sint. E contra vero Gorgias Leontinus mulierum famam ac prædicationem propugnans, tametsi species ac venustas mulierum occultanda sit, virtutes tamen earum omnibus innotescere debere contendebat.

Plutarch. de virtutibus mulier.

Gorgias Leontinus aiebat matronarum virtutes diuulgandas.

Et sane prudenter admodum & sapienter Philosophus hic censuit; cuius opinioni etiam accedens Spiritus sanctus mulierem bonam sanctamque deprædicandam docuit, eiusque virtutes, ac bona opera meritaque passim celebranda. In Prouerbijs namque legimus, *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius*, in omnium scilicet conspectu. Si qua autem vmquam laudari meruit mulier, Anna certe inprimis laudem & præconia promeretur, cuius nimirum opera manuum plane fuere admirabilia, & virtutes quodammodo infinitæ.

Prou. 11.

Sane si Dei sanctos, & in sanctis Deum laudare & celebrare iubemur à Psalte dicente, *Laudate Dominum in sanctis eius*, longe sane æquius & potiori iure in parentibus, & consanguineis, & in Anna præsertim laudandus est; de cuius virtute ac sanctitate minime est dubitandum, cum certissima credamus fide, Deiparam ab illa sine peccati originarij labe conceptam esse, eamque diuinitus inter reliquas mulieres electam, quæ Messiæ auia foret. Ecquæ hæc dignitas, quantum hæc illi honorem adfert & decus? quantopere hæc cæteris illam præfert mulieribus?

S. Anna Deiparã sine peccato originali concepit.

Vt singulares olim prærogatiuas ac beneficia quædam ingentia Abrahæ & Dauidi promisit Deus Messiæ illos proauos & maiores, tametsi longa nepotum interiecta serie, fore. Atq; hæc fuere beneficia illa magna, quæ Dauidi Nathan Propheta exprobrauit dicens, *Si hæc tibi parua videntur, adiiciam tibi maiora*. Magna Dei beneficia eaque temporalia & corporalia in Dauidem cœlitus collata iam recensuerat, & maiora silentio inuoluit.

2. Reg. 12.

Promissa Abrahæ & Dauidi de Messia facta.

uit. Sed quænam illa? sane, vt alia prætermittam, quod promissum cœlitus accepisset, eius è posteris Messiam oriturum, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod adeo magnum immensumque est beneficium habitum, vt idcirco in lachrymas prorupisse Ezechiam regem, audito è Propheta propediem se inopinato emoriturum, auctor sit

4. *Reg.* 20. Lachrymarum Ezechiæ regis, causa.

Diuus Hieronymus. Videbat namque iam illiberem se esse, hærede omni carere, ac proinde moriente se, promissum Dauidi de Messia èse nascituro factum penitus concidere & euanescere, hęc scilicet lachrymarum illi ac doloris causa erat. Quod? si tam illustre, & vtingens habitum fuit beneficium, Messiæ ac Iesu Christi parentem nonnisi lõge dissitum esse, quales fuere Abraham, Dauid, & Ezechias: quanto maior, obsecro, futura gloria, quantoque dignius, proximum eius parentem, quin imo auiã existere? Honor hic Sanctæ Annæ reseruabatur, vtpote omnium honorum maximus, ac præcellentissimus.

Gen. 17.

Abraham Patriarcha dãdum sibi è Sara filium audiens, qui à Deo benedicendus esset, illico in terram pronus ac venerabundus cõcidit, non tam coram Deo se humiliaturus, eique gratias acturus, quam quod tanti sub beneficij fasce & onere fatiscens, suis id humeris pondus minime sustinere se posse fateretur. Quid de sancta ergo Anna dicem⁹, quę in Dei filij auiam proximamque mundi Redemptoris parẽtem assumpta fuit? anne quid simile vnquam homini euenit? parne cuiquam honos obtigit?

Magna Annæ dignitas auget, quod immaculatæ Virginis Mariæ, Deiparæ matrem fuisse.

Prou. 15.

Dignitatem excellentiamque S. Annæ adVerbi æterni matris genetrix facta sit: Si enim Sapientis iudicio, *Filius sapiens gloria est Patri*; non minus quoq; filia prudens & cordata matris suæ futuræ est honor & ornamentum. Cum ergo S. Annam tam prudentis, sanctæ, perfectæ, adeoque admirabilis filiæ fuerit mater, quanta eius futura est gloria? quanta dignitas? quam admirabilis excellentia?

Si Ioanni Baptistæ Zachariæ filio tanta collata sit iam inde ab vtero materno sanctificatio, vt & in matrem illa redũdarit, adeo vt & Spiritu sancto, sicuti recte Beda obseruat, repleta fuerit; quidni ipsum Annæ nostræ, in filiæ suæ sanctificatione, contigisse credamus, cum hæc illa fuerit maior, pluribusque gratijs & benedictionib. insignita? si simplex Messiæ seruus & præcursor tantum matri honorem & beatitudinem peperit, cur hominum simul & Angelorum regina, filijque Dei genetrix non maiorem longe suæ afferat? An non Annæ, quæ Verbi incarnati & Saluatoris omnium mortalium matrem vtero tulit, conditio ac fors Elisabethæ sorti præponderabit, quæ nonnisi hominem in mundum edidit?

Luc. 1. *Beda in Luc.*

Anna S. Elisabetha dignior.

Tantis Deus Obededom Gethæi domum benedictionibus cumulauit, quod arcam testimonij ad mẽses aliquot domi seruasset, vt Scriptura dicat, *Benedixit Dominus Obededom, & domum eius propter arcam Dei.* Vnde hoc efficio, si Leuitæ huius domum ita benedixit Deus, quod arcam fœderis domo duntaxat excepisset; Anna vero cum domus fuerit, in qua diuinorum thesaurorum arca, sacratissima inquam Virgo, Dei mater, nouẽ mẽsium spatio commorata est, ecquas illam ideo benedictiones, gratias, charismata cœlitus accepisse, quanta beatitudine donatam credemus?

2. *Reg.* 6.

Vere itaque de illa dici illud è Deboræ de Iahele cantico potest, *Benedicta inter mulieres Iahel, & benedicatur in tabernaculo suo.* Benedicitur Iahel in tabernaculo, quod in eo Sisaram hostilium copiarum ducem confecisset: Sancta Anna vero inter mulieres omnes benedicta est, & ab omnib. omnino Christianis benedici meretur in tabernaculo suo gloriosa inquam Virgine, quam ipsa velut tabernaculum filio Dei destinatum tulit, & in qua non iam Sisara, sed inferorum tyrannus dæmon, & rebellium ac prẽuaricantium omnium princeps iugulatus est; ipsa namque serpentis comminuit caput, & robur hostile potenti manu confregit; hanc ob causam sancta hæc mater æternas promeretur laudes & benedictiones.

Iud. 15.

Refert Alexander ab Alexandro vineæ *Lib.* 4. *c.* 9. quoddam admirabile genus esse, quæ pampinos & folia aurea, racemosque auri instar gemmarumque rutilantes proferat. De rei huius,

Vineæ, folia vuasque aurei coloris proferẽtes.

huius veritate disceptare nolo, nec curiosius indagare: dixero nihilominus S. Annam velut egregiam quandam fuisse vitem in Iudææ consitam agro, & auratas frondes protulisse, admirabiles inquam virtutes, & racemos auri instar fulgentes & gemmarum in morem resplendentes, Virginem inquam Deiparam, quæ de seipsa ait, *Ego quasi vitis fructificaui*; & Eccl. 24. alio loco legitur, *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus*. Vti vuæ fulgor vineæ decus Psal. 44. & ornamentum addit, eamq; reddit admirabilem; ita filiæ huius magnitudo, maiestas & excellentia, matris virtutes, gratias, ac merita mirum in modum perfecta reddit, omnibusque numeris absoluit.

Lib. 2. c. 5. Fulgosius auctor, Lucullo in Asia agenti terribile in somnis atq; horrendum spectrum se obtulisse, dixisseque: *Luculle, am cus tuus uenit, ut te um sit, & commoretur*. Excitatus ergo, & quid hæc species portenderet inscius, dum animo hoc ipse visum volutat & excutit; ecce tibi repente affertur nuntius, Romanos naues aliquot Siculas in fugam compulisse, quæ clade perterritæ statuam quandam marmoream in littore deseruere; in quam ipse postmodum obambulans incidit (erat autem amici illius statua:) hanc ipse cum considerasset & circum vndique intuitus esset, nihil se magni inuenisse ratus, inuentum contemnebat. At cum tolli eam jussisset, vix loco moueri potuit. E pondere ergo aliud in ea latere agnouit, quam sibi ipse ante persuaserat: igitur aperiens inæstimabilis in ea pretij thesaurum reperit. Hæcce Luculli statua Annæ nostræ interioribus animæque persimilis erat. Ipsa namque exteriori quidem schemate, & in oculis hominum, vere inutilis statua erat, mulier inquam ab alijs non differens; sed cordis eius thesaurum & animę merita si quis consideret, & pro dignitate ponderet, nullas ponderosior, maiorisque pretij mulier exstitisse comperietur, vtpote incomparabili thesauro & cimelio pretiosissimo, Deipara inquam matre, plena, hæc namq; gratiarum omnium thesaurus, de qua scriptum est, *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es universas*. Deiparæ gratiarum omnigenarum thesaurus. Prou. 31.

His omnibus ergo rite ac pro merito examinatis, & obrationes, quas paulo post subiungam, assero, S. Annam, vna excepta filia, omnibus quæ ante exstiterant, & futuris retro seculis exstabant, mulieribus, sanctitate gratijs, meritisq; præcelluisse, ac superiorem fuisse. Quod hoc pacto confirmo: Quicumque ad aliquod à Deo opus exequendum electus est, eo ipso ad eximium gratię gradum euehitur & singularis in eum sanctitatis prærogatiua confertur: & quo opus & munus, ad quod vocatur, maius est & eminentius, eo & maior illi gratia communicatur, per quam ad opus hoc & officium dignus reddatur. Huc velut in confirmationem facit, quod in Numeris ad seditiosos Moses ait, *Quemcunque elegerit Dominus, ipse erit sanctus*: nunquam enim aliquem Deus optimus maximus ad sui obsequium ministeriumque vocat, quin collatis in eum gratijs simul etiam sanctitatis charismata infundat. Huc addo illud Augustini in illa Apostoli verba, *Elegit nos ante mundi constitutionem*, dum ait, *Deus quos eligit, bonos facit*. Vnde hoc elicere argumentum licet: Quos Deus eligit, hos bonos simul & sanctos reddit: quos ergo ad dignitatem eminentiorem assumit, sanctiores eos & meliores facit: & vt gradatim ascendamus; si ad maximam summamq; quempiam dignitatem euocet, illum quoq; & optimum & sanctissimum efficiet, secundum hoc Aristotelis axioma, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maxime ad maxime*. Cum igitur jam inde ab omni æternitate beatam Deus Optimus Maximus Annam elegerit, & è reliquo creaturarum vulgo veluti sequestrauerit, vt filij sui matris genitrix foret, (quæ insignis & supereminens est dignitas, & infinitæ cuiusdam dignitatis opus) credendum est, minimeq; dubitandum, quin eam & sanctissimam & perfectissimam reddiderit.

Num. 17. In gloss. ordin. sup. epist. ad Ephes. c. 1. In Topicis.

Confirmatur idipsum ex illis Redemptoris verbis apud Matthæum, *Arbor bona facit fructus bonos*: quæ ergo futura melior, meliores etiam faciet; & quo quæque melior erit, eo & sapidiores proferet; si vero eminentissime summeq; bona, & optima, indubitatum est optimos etiam ex ea fructus progignendos. Certissimum porro est S. Annam excellentissimum, optimum, sanctissimumque tulisse fructum, si quis vnquam exstitit, gloriosissi-

Matth. 7. S. Anna nulla vnquam mulier sanctior.

ſiſſimam ſcilicet ac ſacratiſſimam Virginem. vnde efficiamus licet & colligamus, eam & optimam & ſanctiſſimam, & inter omnes mulieres omnigena benedictione cumulatiſſimam fuiſſe.

Luc.6. Ad dictorum meorum confirmationem vſurpabo & illud Luc. 6. Saluator docens, ecquo hypocritæ ſceleſtiq; pacto argumentoque à viris ſinceris dignoſci poſſent, hac vſus eſt metaphora, *A fructib. eorum cognoſcetis eos*; quaſi dicat, Hypocritas vafroſque è ſuis exercitijs & operib. non ſecus cognoſcetis, quam

Arbor è fructu cognoſcitur. è fructibus arborem. E fructu ſcilicet arbor, & ex illius bonitate huius cognoſcitur bonitas ac perfectio. Certiſſimum eſt autem, S. Annam, arborem illam eximiam, in Eccleſiæ viridario plantatam, omnium quos vlla viderunt ſæcula fructuum & excellentiſſimum, & pretioſiſſimum, maximeque admirabilem produxiſſe, eius proinde magnitudo, ſanctitas, maieſtas & excellentia omnibus terræ mirabilibus magnitudini eminentiæq; præferatur neceſſe eſt. Vnde Damaſcenus, *Ex fructu*, inquit, *arbor cognoſcitur; optima ergo arborum, Ioachim & Anna, ex quibus eximius fructus productus eſt.*

Orat.1.

S Anna ceteris creaturis prælata. Exploratiſſimum eſt ergo, Auditores, creaturam hanc ſanctam, præ alijs mulieribus, diuinitus benedictam, locupletatam, & omnigena ratione prælatam fuiſſe. Eruo hoc è tribus, quæ in illa eluxere, mirabilibus, quæque ad nomen illius & magnitudinem magis extollendam, ac cœlo terræque declarandum, quidquid in illa erat, communes aliarū creaturarum excellentias longo interuallo tranſcendiſſe, in illa efficere diuina maieſtas dignata eſt.

V.

S. Anna ſterilis viginti ipſis annis. Primum in S. Anna mirabile. Horum mirabilium ac miraculorum, quæ naturam omnem in admirationem rapuere, primum fuit viginti annorum, diuino potius nutu, quam naturali quodam defectu, procurata ſterilitas, nulla vt ſtirpis ſucceſſioniſque ſpes ſupereſſet. Mirabile dico aut miraculum, non quod ipſa natura ſua ſterilitas miraculoſum quid aut prodigioſum ſit, cum nonniſi pure ſimpliciterq; priuatio quædam ſit mere naturalis; ſed quod diuino ſuo eam decreto ac deſtinatu Deus permiſiſſet, ad magnum inde ſuo tempore eliciendum myſterium. Atque vt Annæ Helcanæ cõiugis Dominus vluam, vt in libris Regum dicitur, concluſit, vt nimirum eam deinde reſeraret, matrem illam Samuelis viri ſanctiſſimi efficiendo; ita quoque veriſimile ſit, eumdem ipſum Deum cõſtituiſſe, vt Ioachimi viri integerrimi vxor Anna viginti ipſis annis infœcunda foret, vt poſt non ſine miraculo tam egregiæ, nobilis, illuſtriſq; filiæ, ſacratiſſimæ ſcilicet Virginis Mariæ mater redderetur. 1. *Reg.* 10.

Admirabilis huius ſterilitatis rationes dãt Patres, eaſq; elegantiſſimas. Primam ſuppeditat ſanctus Ioannes Damaſcenus, *Vt ad incarnationis ſummum miraculum per miraculum natiuit. hoc fieret gradus*, vtq; paulatim è rebus infimis & abiectis ad magna & ſublimia, ſummaque fieret gradatio. *Orat. 1. de* 1.

Idem auctor adfert & ſecundam, aitq; naturam, velut ſubiectam & inferiorem obſequentiſſimam, gratiæ, ceu reginæ ac dominæ in Virginis cõceptione cedere & obſequium quodammodo deferre voluiſſe: *Natura*, inquit, *voluit gratiæ in conceptu Virginis cedere.* 2.

Vt ſcilicet eſſe, origo & productio tam perfectæ abſolutæq; creaturæ gratiæ diuinæ, non vero naturę viribus attribueretur; & verbo vt dicam, omnib. manifeſtum hoc pacto fieret, cœlitus hoc, neu vulgari & terrena quadam ratione contingere, opus eſſe Excelſi & omnipotentis dextræ, quin illuſtre quoddã miraculum, non vero cauſæ ordinatæ ſubalternæq; effectum & radium. Natura ceſſat gratiæ in Virginis cõceptione.

Tertia ex Angeli qui Ioachimo apparuiſſe dicitur verbis colligitur, quæ memoriæ ipſe mandaui, vt hæc ipſa ad vos afferrem, *Cum alicuius vterum claudit Deus, ait Angelus, ad hoc facit, vt mirabilius denuo aperiat, & non libidinis eſſe quod nascitur, ſed diuini muneris cognoſcatur.* S. Annam ergo infœcundam eſſe Deus voluit, vt, cum è tali matre Virgo Deipara naſceretur, ſuam ipſa extractionem, conceptionem, omnemque originem non ſine inſigni miraculo à ſola Dei gratia, non autem à brutali concupiſcentia & ſenſuali libidine acciperet. 3. *Lib. de ortu Virgin.* Deus mulieres ſteriles reddit, vt deinde miraculo fœcundet.

Quarta, è noſtro deprompta horto, ſit hęc. Diuino factum eſt conſilio ac nutu, vt ſacratiſſima Virgo è matre ſterili ac tanto tempore infœcunda ederetur, quo naſcituræ hoc 4. Annę ſteritas denotabat ma-

pacto

gnitudinẽ nascituræ Virginis.

pacto magnitudo excellentiaq; patesceret, & nemini non perspecta foret, vtpote de cuius natiuitate & ortu tanto cœlum tempore cõsultabat, & in qua tanto natura ipsa labore infudabat. Ita & in Isaaci & sancti Ioannis Baptistæ conceptione & ortu contigit, illorumque matrum sterilitas magnitudinis mirabiliumq; nascituratum prolium fuit argumentum.

Hom. de vigil S. Ioa. Bapt.

Ratio hæc Venerabilis Bedæ auctoritati innititur dicentis, *Diuinitus*, inquit, *procuratũ est, vt ex sterili matre, & vtroque parente prouectioris ætatis Ioannes nasceretur, quatenus etiam ortus eius miraculo patefieret virum magnæ virtutis futurum esse.* Insinuare, meo iudicio vult, steriles idcirco matres prole cœlitus donatas esse, vt natiuitatis miraculo ac prodigio nascituræ prolis proderetur dignitas, & originis notatus horoscopus & nouitas, illustrem illorum sortem futuram declararet, ipsique filij inde nati magni, & in vita admirabiles futuri censerentur, vtpote, qui in primæuo vitæ exordio communia conditionis humanæ iura ac consuetudinem vulgarem transcendissent.

Secundum in S Anna mirabile.

Secundum in Sancta Anna mirabile est, glorioſam eius filiam, Virginem scilicet glorioſam, jam inde a primo conceptionis articulo, in beato matris vtero, rationis esse donatam vsu. Veritatem hanc altruit & confirmat Sanctus Bernardus, cuius hæc genuina sunt verba: *Ex dictis*, inquit, *sequitur, quod beata Virgo etiam dum erat in vtero matris, habuit, vsum liberi arbitrij, atque lumen perfectum in intellectu & ratione* quasi diceret: Naturali fieri consuetudine solet, vt, quamdiu proles veluti captiuæ, obscuris materni vteri ergastulis continentur, in tenebris etiam agant ignorantiæ, adeo, vt non plura mente quam oculis perspiciant, nec plus rationis judiciiq; vsu polleant, quam si animalia bruta, & sensus omnis rationisq; expertia forent. At Virgo singulari quadam prærogatiua, & præter consuetas naturæ leges & iura, iam inde ab vtero materno rationis vsum nacta, libero voluntatis arbitrio vsa est, eiusque intellectus, pulsis ignorantiæ tenebris ac nebula, perfecto donatus fuit lumine, quo cũcta perspexit. Eiusdem quoque opinionis est Dionys. Carthus. libr. de laudib. incomparabilis Virginis.

Tom. 2. ser. de 2.

B. Virgo vsum rationis habuit etiam in vtero matris.

Art. 1. c. 12. 3 q. 27. art. 3.

Refragatur ei tamen D. Thomas, cum palam ait, *Virgo non statim habuit vsum liberi arbitrii, adhuc existens in vtero matris, hoc enim est speciale priuilegium Christi.* perinde ac si diceret, Deipara ante debitum tempus libertatẽ, cognitionem alioſque rationis actus non habuit, eo quod soli Iesu Christo, æterni Patris filio hocce priuilegium ac prærogatiua concessa sit. Tametsi magnum, doctum, sanctũq; hunc virum summopere suspiciam, in hoc tamen puncto ab eo desciſco, in alia longe ratione fortiore vrgente abreptus. Concedo quidem, singularem hanc prærogatiuam fuisse, & Iesu Christo propriam, cum tamen Ioanni Baptistæ ea data sit, Virgini cur Deiparę negetur? dicere nefas erit matrem Dei inferiorem minoremque fuisse Ioanne Zachariæ filio? nequaquam, auditores: nec enim id ratio sinit, aut æquitas.

S. Ioannes jam inde ab vtero matris vsum rationis habuit.

Angeli à primo creationis suæ instanti cognitione donati.

Certum insuper est, Angelos, beatos illos cœli ciues jam inde à primo creationis suæ momento cognitione donatos, & libero voluntatis arbitrio. Conueniens ergo, & honori Filij Dei, & Deiparæ dignitati decens fuit, idem in ipsam priuilegium conferri, eademque gratia donari, ne in hoc forsan Angelis foret inferior, illa scil. quæ ceteris in reb. infinito eos interuallo superabat. Deinde in Apocalypsi repræsentatur vt mulier amicta sole, & vndiquaq; iplendens & fulgens, vt nimirum hinc euidens fiat, eam tam intra quam extra matris vterum, nunquam fuisse rationis vsu, nec perfectæ cognitionis radijs destitutam.

Tertium in S. Anna mirabile.

Tertium denique mirabile, quod sanctam hanc matronam non parum illustrauit, fuit, q; beata eius filia, glorioſiſſima sc. Deipara, sine peccato originali, aut vlla macula in gratia ab illa cõcepta fuerit; quod singulare sane fuit priuilegium, ac nemini nisi S. Annæ fœtui concessum. Hoc vt probemus, meminerimus oportet, duplex in sacris Litteris pondus ac mensuram contineri, vnum sacris, alterum rebus profanis ponderandis ac dimetiendis; quorum illud sanctuarij, hoc commune ac vulgare dicebatur. Vnde Leuit. 27. legimus: *Dabit quinquaginta ſiclos ad mensuram sanctua-*

Leu. 27.

Leuit. 5. *ctuarij.* & alibi eodem in libro, *Emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij.* Vnde hoc modo concludo, si sanctuarij mensura à communi & vulgari discrepabat, par etiam est, mensuram ac pondus, quo sacratissimæ Virginis, diuini illius sanctuarij & admirabilis matris Dei res ponderamus, plurimum à pondere ac statera differre, qua aliarum mulierum & virorum, qui velut plebs & vulgus sunt, statū, qualitatem, perfectionesque ponderamus. Quidquid in Virgine est, & omne eius pretium, valor & existimatio, ad rerum sanctarum bilancem appendendum est. Commune reliquarum creaturarum pondus, & mensura vulgaris hæc est, *Omnes in Adamo peccauerunt, & mortui sunt.* & illud Psalmi. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* quasi diceret, Vita mea ab aliorum vita nō discrepat, eiusdem pretij est, ad idē appenditur pondus, cum in ijsdem cōceptus sim peccatis, quibus alij. Verum separatum diuersumq; ab alijs pondus habet Dei para, cum à communi ipsa fuerit clade exempta, & vniuerso mundo peccati originalis a quis adobruto, sola idipsa euaserit.

Virginis status differebat ab aliorum statu. 1 Cor. 15. Psal. 50.

Esth. 15. Huc peregregie facit, quod in Esther historia proditum est. Cum enim perfido Amani instinctu & instigatione in regio Assueri concilio generalis in vniuersam Iudæorum gentem mortis lata esset sententia; rex ipse venustæ Esther amore illectus ab hac eam sententia eximens, sic eam est allocutus: *Non moriuris Esther, non enim pro te, sed pro omnibus hac lex constituta est.* Quod rex ille Persarum in Estheris gratiam olim dixit, communi eam strage excipiens; idipsum à totius vniuersi rege ad cœli terræq; reginam dictum fuisse fit verisimile, dum ab ea æternum illud decretum, quod peccati mortem comminabatur, & in omnes omnino mortales latum erat, abstulit: *Non moriuris* Mardochæi nepti dictum fuit, & à generali Iudæis omnibus impendēte decretaq; mortis sententia eripieris; sed S. Annæ filiæ dictum fuit, Morte peccati originalis in vtero matris non emorieris, ab ea te Deus eximit, te solam excipit, non enim lex illa tibi, sed ceteris constituta est.

Virgo à peccati originalis lege exempta.

Hæ ergo sunt excellentiæ, Auditores, prærogatiuæ, & mirabilia, quæ S. Annæ honorem virtutemq;, velut individuæ quædam comites, semper sunt comitatæ. Eius vidistis sanctitatem, integritatem, virtutum complementum, meritorum thesaurum, immensum gratiarum pelagus, & simul vniuersas animæ eius perfectiones; quarum de causa eam cōmuni fœminarum turbæ efferimus, & præ reliquis terræ matronis laudibus cumulamus. Ex toto ergo eam corde honorare nobilitatem eius, progeniem, decus, & genus ad sanctuarij pōdus appendite; nolite vero ad vulgarem aliarum creaturarum mēsuram excellentiarum ac meritorum eius pretium valoremq; ponderare. Nihil in illa vulgare, sed omnia rara & singularia, omnia magnifica, & eius altitudinem redolentia, nihil in ea vile & exiguum, sed omnia extra communem rerum ordinem, & mirabilia: fuit deniq; primarium quoddā & eximium omnipotentis Dei in terra opus.

Omnia rara in S. Anna fuere.

Ceterum his illam dotibus & perfectionibus à Deo donari, ac prærogatiuis condecorari oportebat, eum ab omni eam æternitate destinasset & præuidisset, velut primarium ac princeps ad mundi redemptionem, & in primis necessarium instrumentum, nimirum ex vniuersa naturæ humanæ massa ac turba selecta, quæ eius foret Virginis mater, quæ Messiam, Dei filium ac totius esset vniuersi Saluatorem allatura. Cœlum sane vniuersos suos in illam thesauros & promptuaria effudisse oportuit, quo inter omnes Adæ filias, & orbis totius mulieres primam à filia sua eam redderet ac principē Hanc ergo honorate Christiani, vestra illi vota offerte fideles, eius mēsuras dimetiamini, & æternis eam numquam non laudibus cumulate.

S. Anna ab omni æternitate destinata in matrem Deiparæ.

Quam hoc porro æquum est & rationi consonum beatissima mulier! cœlum, terra, homines iuxta atque Angeli nimium quantum te honorare, & omni quo possunt modo laudare ac prædicare tenentur. Fuisti namq; è primis Ecclesiæ lapidibus fundamentalibus è primarijs redemptionis nostræ operibus, è præcipuis gemmis in Summi Pontificis rationali collucentibus, deniq; è maximis orbis miraculis & prodigiis Fuisti adhæc paradisus ille terrestris, in cuius medio Virgo beatissima velut generosa quædam arbor consita,

Exod. 28. Gen. 2. Exod. 25.

ta, Iesum Christum, æternæ vitæ fructum, nobis protulit. Fuisti lignum illud Sethim, lignum æternum, & omnis corruptionis expers, è quo arca Testamenti compacta fuit, in qua non iam manna, nec legis tabulæ, sed ipsemet legislator requiesceret. Fuisti benedicta illa viuentium terra, quę sacratissimam Virginem genuit, semper in gratia viuentem, & numquam peccato mortuam, & per eam ipsummet vitæ auctorem Iesum Chri-
Isa. 11. Isai. stum mundi Redemptorem. Fuisti denique, vt quidem D. Hieronymus ait, illa Isaiæ verba, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, interpretatus, virga illa Iessæa; è qua virgo mater velut virgula, & Iesus Christus ceu regius quidam flos pullularūt. Horum omnium ob causam & hisce titulis, summo te honore prosequimur, tibiq; communi omnium summissione pietateque supplicamus, ita vt nobis tuis adsis precibus & intercessionibus, vt tandem à Deo optimo maximo delictorum in hoc mundo remissionem & indulgentiam, in altero vero gloriæ eius possessionem impetremus, ad quam nos dirigere dignetur Deus Pater, vnigenitusque eius Filius, ac glorioſus Spiritus sanctus. Amen.

IN FESTO SANCTI PETRI AD VINCVLA.

Partitio.

1. *De Ecclesiæ splendore per figuras illustrato.*
2. *De iudicio diuerso mundi & Dei.*
3. *Festiuitas hæc cur ad Vincula dicta.*
4. *De nomine Vinculi.*
5. *De catenis S. Petri moraliter expositis.*
6. *De eiusdem liberatione per Angelos: & quid hoc.*

Misit Herodes Rex, vt affligeret quosdam de Ecclesia, &c. Actor. 12.

FIGVRA.

Act. 12. HOrrendum sane ac funestum spectaculum est, Auditores, videre in Apocaly-
Bessai tom. 3. De Sanctis,
psi ingentem illum draconem rufum ante mulierem duodecim coronatam stellis, & Sole amictã, lese sistere, eamq; iamiã parturientem vehementissime persequi, vt recens editam prolem deuoret, in eamque quibus potest modis grassetur. Describit eo loco Ioannes, quæ tunc Ecclesiam premebat, persecutionem, quæque Antichristi eam tempore oppressura erat. Mulier enim hæc duodecim rutilantibus redimita sideribus haud dubie Ecclesia erat, iam inde à sui exordio duodecim illustrata & decorata Apostolis; qui velut fulgentissima quædam astra, sole Christo Iesu, per vniuersum terrarum orbem longe lateque fulserunt, & Euangelij omnia luce collustrarunt. Vastus & ferus hic draco diaboli erat imago, aut potius Herodis Tyranni, qui furoris & rabiei æstu rufus, & effuso sancti Iacobi, quem decollauerat, sanguine etiamnum rubescens, hodie Ecclesiam persequitur, & vehementissime exagitat, eius opprimere filios satagens, & inprimis primogenitum eiusdem filium Petrum, quem in vincula coniicit, & compedibus constringit, vt inde ad mortem eum, nisi cœleste numen impediat, & Dei viuentis iustitia hominis malignissimi tyrannidi immanitatique obluctetur, rapiat. Materia hæc tragicomica est: eius namque initia tristia, feralia, & illætabilia sunt; sed iucunda catastrophe. Equidem hoc eam modo vobis percurrere constitui; vt autem Spiritus sanctus auxilium dicenti afferat, nostra illi vota preeesq; offeramus, & glorioſissimam Dei matrem rogemus, suam vt opem etiam conferat, quam eam ob causam Angelica salutatione inuocabimus, dicemusque

AVE MARIA.

Inclytum illud Apostolorum decus Paulus admirabilem olim diuinæ sapientiæ dispositionem decretaque circa Ecclesiæ suæ regimen miratur, sic de ijsdem in ea quæ ad Ephesios, locutus est, *Vt innotescat*, inquit, *principibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu.* In quem locum scribens Angelicus Doctor D. Thomas, I. Ephes. 3.

S. Thom. vult hæc in Angelorum præiudicium ab Apostolo minime dicta esse, neve mentem eius fuisse, docere, Angelos Apostolorum è prædicatione quippiam quod antea ignorabant didicisse: indecens enim minimeque consentaneum & statui felicitatis repugnans videri, beatum ac comprehensorem viatoris in gymnasio agere, & Angelis cœlestibus ac immortalibus homines mortales in præceptores, ac pædagogos obtingere: docere autem voluisse (quod sane exploratissimum & maxime indubitatum est) spiritus ac mentes illas cœlestes magnam Dei sapientiam ex Ecclesiæ successibus quos Apostolis prædicantibus ac mysteria exponentibus annotarant, cognouisse, ac præcepisse.

Ab hominibus Angeli non discunt.

Dei sapientia in Ecclesiæ regimine patet.

Ait ergo Apostolus, Dei se sapientiam diuersimode aperire ac patefacere, eamq; tam in cœlo terraque, quam Ecclesiæ regimine ac directione elucere: quia varios in ea adhibet modos, diuersos producit effectus, variaque mysteriorum genera vsurpat, omniaque sapientiæ suæ æternæ & infinitæ signa manifestat. Quod regius ille Vates admirans exclamat, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Psal. 86. Etsi vero locus hic sensu literali de ciuitate Ierusalem intelligendus sit, de qua gloriosa reuera dicta fuere, nimirum quod regia sacerdotalisq; esset ciuitas; quod templum Domini & testamenti Arca in ea foret; quod vero omnem superat laudem, maximeq; glorioſum est, quod in ea Messias, Angelorũ rex, & totius vniuersi Dominus docuerit, Euangelium prædicarit, miracula patrarit, mundi salutem operatus sit, crucem in ea ac sepulchrũ suum reliquerit, spiritum ibi paracletũ miserit, denique prima Ecclesiæ suæ fundamenta iecerit, vt in æternum perdurarit: mystice tamen & proposito conuenienter de Ecclesia hoc potest ac debet intelligi, cum totus ipse Psalmus à Patribus de Ecclesia sit olim expositus; *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, Ecclesia in Apostolis & Prophetis, qui omnes sanctitatis ac doctrinæ montes fuere, est fundata, iuxta illam Ioannis visionem, *Et ciuitas habebat fundamenta duodecim, & in eis nomina duodecim Apostolorum Agni, &c.* & ad Ephesios 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ephes. 2.

Ecclesiæ figuræ.

Et de sancta hac ciuitate, de Ecclesia, inquam, gloriosa ac mirabilia dicta sunt, quod nimirum regnum esset Iesu Christi, quod illustris ac fertilis illa vinea, quam homo quidam plantauit, locauit agricolis, sæpe circumdedit, turri addita communiuit, ac torcular in eius medio constituit: quod esset ager paterfamilias, in quo bonum creseceret semen intermistis zizanijs: quod esset sagena ac rete, quæ in medium iacta pelagus varios & omnigenos concludit pisces, bonos iuxta ac malos: quod esset ingens illa nauis, quæ aduersis agitata ventis, tempestatibus ac procellis huc illucque raptabatur, quod esset denique domus illa regia, quam in petra Sapientia exstruxerat, septemque columnis suffulserat; de qua in Prouerbijs, *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Prou. 9.

Gloriosa vere de Ecclesia hac dicta sunt: quod eam Deus in roboris ac potentiarum suarum armamẽtarium, regnorum imperiorumq; suorum arcem, in gratiarum suarum, indulgentiarum ac misericordiarum tribunal, in omnium peccatorum, maleficorum ac reorum omnium refugium, in thesaurorum ac diuitiarum promptuarium elegerit; quod Deus optimus maximus in eo pretiosa Sacramentorum monilia, thesauros incomparabiles, & omnibus mundi morbis medelas, sed inprimis pretiosum suum corpus, mirabilium omnium maxime admirandum, & omnium magnorum vnquam cœlitus editorum operum compendium, iuxta illud Psalmographi, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors ac miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, reliquerit: quod duodecim piscatorum miserorum, abiectorum, plebeiorum, idiotarum, obscurorum, militum exarmatorum, & ducum auctoritate destitutorum auspicio ductuque eam asseruerit & fundarit.

Magnam Deus olim sapientiam, ac sapientem magnitudinem ac potentiam tum per Ægyptum exhibuit, cum ranarum, cinipum, locustarum, animalculorum inter omnia in rerum natura vilissimorũ, adminiculo vniuersum Pharaonis regnũ concussit, perterruit, & exagitauit. At maiorem idem Exod. 7. & 8.

Deus

Deus sapientiam potentiamq; tum in Ecclesiæ suæ exaltatione & fundatione exseruisse visus est, cum duodecim pauperculorum virorum, quibus nulli in orbe viliores & abiectiores erant, opera industriaq; eam fundare, eorumque tum dextra, tum lingua mundum vniuersum subiugare, & tartareas simul & terræ potestates consternare voluit. Vnde merito Apostolus Dei optimi maximi magnitudinem, maiestatem, sapientiam ac potentiam exaltaturus, dicere potuit, *Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quaque confundat,* deiiciat, destruat, atque subuertat. *1. Cor. 1.*

Persecutione crescit Ecclesia.

Illustre profecto & glorioſum est, quod diximus hactenus, magnaque mirabilia in hoc includuntur: confitendum nihilominus est longe sublimiora & admirabiliora de hac Ecclesia dicta esse in ijs, quæ ad eius regimen & directionem spectant, quod nimirum per crucem Iesu Christi fundata, persecutionibus excreuerit, per vincula, catenas, compedes, ignominiam, & opprobria illata seruis illius nimium quantum eius sit honos dilatatus, mors illi vitam attulerit, tempestates malaciam, bella pacem, prælia victoriã, afflictiones augmentum, vexationes securitatem, honorem confusio, & immortalem dederit infamia gloriam. In his hauddubie relucet maxima quædam Dei sapientia, & Angelis hoc ex sensu Apostoli ingentem admirationem adfert; *Innotescit,* inquit, *principibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.*

Iudicia Dei differunt à iudicijs hominum.

In quo dicendum, sicut & in omni re alia Christiane confitendum, alia longe Dei esse iudicia, alia hominum, imo sanctorum cœlesti gloria donatorum discrepare nimium quantum ab hominum in mortali hac vita degentium iudicijs. Cœlum siquidem longe alia sentit quam terra, aliaq; habet axiomata. Ipse quoque Christus Dominus, Verbum Patris æternum, sed in mundo incarnatum, vt magister aliquis ac doctor cœlo missus ad homines eadem edocendos, vti in monte Thabor audita cœlitus vox testata est. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite*; toties namq; alta voce clamauit, *Qui habet aures audiendi audiat* nouas propositiones, axiomata cœlestia, sanctorũ maximas; & alibi, *Qui ex Deo est, verba Dei audit,* & rursus, *Beati qui audiunt verbum Dei.* *Matth. 17.* *Matth. 11.* *Ioan. 8.* *Luc. 11.*

Axiomata philosophiæ mundi.

Axiomata honoris, & generales scientiæ mundanæ, & philosophiæ terrestris conclusiones sunt hæ, vile esse & vecordis animi argumentum iniurias ferre, contumelias æquanimiter tolerare, honori repugnare, maxime esse indecens pauperem esse, omni carere commodo, & opes nullas penitus possidere; ignaui, inertis, & imbecillis esse sese abiicere, alijsque libenter cedere. Illustre è contra, speciosum, perhonorificum, & summæ beatitudinis genus, diuitijs affluere, honoribus beari, voluptatibus innatare, delitias consectari, hinc *beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* hæc scilicet beatitudines sunt mundi, ac plenæ eiusdem felicitates, ac lætæ sortes

Axiomata Dei ac Sanctorum.

Dei vero sanctorumque eius axiomata & maximæ sunt plane oppositæ, & penitus à prioribus discrepantes. Audite illorum de iniurijs, contumelijs & infamia etiam grauissima toleranda iudicium & sententiam: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* quod autem generaliter hic dixerat, de se singillatim alibi sic explicat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quod mundus & cosmophili vt probrosum, infame, ac dedecorosum cẽsent, hoc Paulus & reliqui sanctorum vt solidum honorem, & æternæ gloriæ titulum amplectuntur; crux illis laureæ, iniuriæ acroamata, opprobria decora, persecutiones deniq; triumphi ac diademata erant. *Rom. 5.* *Galat. 1.*

S. Paulus vinculis suis gloriatur.

Idem ipse Apostolus reipsa exequens, ante verbis tantum docuerat, cum ad compedes, carceres, vincula se cerneret redactũ, longe secus ac mundus, in infamia quærens honorem, & in probrosissima cõfusione maximam constituens gloriam, gloriatur & effertse, quod Iesu Christi vinctus, captiuus & catenis onustus esset, in compedibus & carcere, idque ob Domini sui gloriam incomparabilis honoris titulum constituens, *Obsecro ergo,* inquit, *vos ego vinctus in Domino,* quasi diceret, nosque simul omnes edocere vellet. Obtestor vos omnes, nõ vt filij Dei legatus & Apostolus, non vt Ecclesiæ eius Doctor, non denique vt vas electionis, sed dun- *Ephes. 4.*

taxat vt vinctus, ligatus & incarceratus propter Christum: quæ sane dignitas eminentissima est, quamque omnibus, quos offerre mundus potest, titulis nominibusque illustribus antefero, ac pluris facio. Ad quæ Apostoli verba hæc commentarij vice adnec-

nc. 4. Eph. ctit magnus Chrysostomus, *Magna sane dignitas, & regno quouis & coronatu longe maior, vinctum esse* compedibus & vinculis, vti erat magnus hic Apostolus.

Magnus hic Constantinopolitanorum Præsul huiusmodi afflictionum decus honoremque ita sublime effert, vt pro Christi gloria tolerata vincula Regum Imperatorumque diadematis anteferat; quin imo honorem afferre maiorem forsitan & gloriam credat, catenarum nexus & carceris ignominiam ob solum Iesu Christi amorem pati, quam ad illius cõsidere dexteram, & in duodecim thronis præsidere. Audite ipsissima

Ibid. viri verba; *Maius est*, inquit, *vincula sustinere pro Christo, quam regium diadema; & forsan illustrius, quam sedere ad dexteram eius; honestius quam sedere super duodecim thronos* Audax quidem, vera nihilominus sententia.

Verisimile fit, huius Apostolos omnes opinionis fuisse, cum tam læto hilarique animo ad cruces, supplicia tormentaque properarent, & tanta mentis gestientis lætitia iniurias, opprobria, confusiones, vituperiaque tolerarent, vti recte in Apostolorum Actis obseruat D. Lucas, *Ibant Apostoli gaudentes à*

Actor. 5. *conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Hunc sibi honorem dum quidam è vete-

Chrysostom. ribus Græciæ Patribus proponeret, si sibi daretur optio, vel cœlo donari, vel cum Paulo

Eph. 4. in carcere catenis onerari; malle se ait cum Apostolo in compedibus gemere, quam cum Angelis in cœlo beatitudine perfrui, quin & vlterius progressus, non tam beatum se ducere Paulum asserit, quod in tertium sit cœlum subuectus, quam quod in tertium caliginosumque sit carcerem compactus. Audite eius verba, *Si mihi optio daretur*, inquit, *aut esse in cœlo, aut in catena cum Paulo, præligerem catenam: neque ita beatum Paulum dico, quod in paradisum raptus, atque quod in carcerem est coniectus.* Tandem velut epiphonema subiungit, *Non tanti æstimo vniuersa Sanctorum miracula, quanti vincula.*

Minime autem dubitandum, quin omnes omnino Sancti diuinam hanc scientiam à summo Doctore Iesu Christo didicerint, qui vt stolida mundi axiomata illuderet, doloDies passionis dictus dies gloriæ. rosum & probrosum passionis diem, gloriam ac triumphum suum dixit, cum sic apud D. Ioannem locutus est, *Clarifica me Pater*, per-

Ioan. 17. inde ac si diceret, Aduenit iam tandem passionis meæ hora, Pater, per quam me ipse clarificaturus es, & ipse honorem sum & gloriã adepturus, suosque ipsum imitari & repetere dum vult, ita in Euangelio alloquitur, *Beati*

Matth. 5. *eritis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint.* non ait, Beati tum denique eritis, cum mortuos ad vitam reuocabitis, cum dæmones pelletis, cum morbis medebimini, miracula patrabitis, &c. sed, cum persequetur vos mundus; in terrenis scilicet turbationibus & exagitationibus veri honoris summam, & solidam fidelium beatitudinem sitam esse persuadens.

Cui mirum ergo videatur, hodie ab Ecclesia Catholica vniuersa magna gloria & honore, festiuo plausu ac pietate Principis Apostolorum vincula & catenas coli ac celebrari? quid mirum, si vniuersus qua patet orbis Christianus hodiernũ diem festum habeat, & annua celebritate venerabilem? fundata porro sunt omnia in verbis illis ex Actibus Apostolorum depromptis: *Misit Herodes rex,* Actor. 12. *vt affligeret quosdam de Ecclesia, &c.* Vt autem vniuersam historiæ seriem perspectam habeatis, & aliquid inde in vestram consolationem faciens hauriatis, in duas hodiernam concionem pro more partes diuidam, primam iniquam & violentam B. Apostoli Petri incarcerationem comprehensionemque prosequar, altera liberationis eius lætitiam simul & miraculum deducam.

III. Quatuor causæ instituendæ huius festiuitatis.

Principio ergo, antequam vela ventis laxemus, longiusque pelago volemus, in litore nõnihil sistamus, & nobiscum festi huius originem, & quas ob causas institutum fuerit, disquiramus oportet: quas ad quatuor primarias easque præcipuas reuocabimus.

I.

Prima est, in gratam miraculosæ S. Petri

tri è carcere laxationis, quæ sane insignem fidelibus omnibus, qui Hierosolymis persecutionis Herodianæ tempore commorabantur, lætitiam & incredibilem consolationem attulit, memoriam.

2. Secunda, vt hoc pacto Christianis omnibus refricaretur facti illius illustris memoria, quod Alexandri à S. Petro sexti Pontificis & Ecclesiæ capitis Pontificatu gestum commemoratur. Quirinus ergo Præses Romanus, sacrificiis Ethnicorum deditus, cum Alexandrum Papam in carcerem compegisset, audito, Hermetis viri in rep. illustris filiam ab eodem ad vitã reuocatam, fidei se nostræ accessurum, & Christiana sacra amplexurum spopondit, hoc miraculo excitatus, suam filiam Balbinam nomine morbo nulla hominum naturæve arte pelli nescio affectam sanitati redderet. Alexãder ergo cum iussisset, Balbina vt Principis Apostolorum vincula supplex exoscularetur, illico ipsa sanitatem est consecuta, parens vero voti reus, & ex filiæ sanitate sanam mentem induens, baptismo tinctus est; Alexander vero insignem exinde S. Petro Basilicam dedicauit, in quam sacra illius vincula & catenas intulit, vt maiori postmodum honore colerentur, & ab omnibus suspicerentur.

3. Kalendæ Augusti solennes ethnicis. Tertia festiuitatis huius instituendæ causa fuit, vt hac inducta, gentilium superstitiones ritusq; diabolici penitus abolerẽtur. Veteribus namq; Romanis solenne erat, Augusti Kalendas annuo cultu, in Imperatoris Octauij Augusti memoriam, celebrare. Sed Eudoxia Imperatrix, magni Theodosij filia, illustri pietate ac virtute fæmina, cum Hierosolymis vincula & catenas, quibus Petrus ab Herode vinctus fuerat, Romam attulisset, Pelagio Pontifici suasit ac persuasit, vt abolitis Gentium sacris ac ritibus, dies illa Kalendarq; sanctorum Petri vinculorum recolendæ memoriæ posthac dedicaretur.

Quarta deniq; & vltima causa forte fuit, vt hoc pacto magno huic Ecclesiæ directori data vinculorum peccatorum ligandorum dissoluendorumq; potestas aliquatenus repræsentaretur. hæc porro causa ad moralem magis & allegoricum sensum spectat, quam tres priores.

Secundo notemus ante necesse, quam historiæ contextum euoluamus, *Vinculi* significatum diuersimode in sacris literis accipi solere. Interdum namq; ipsos denotat carceres & locum, quo vincti abducuntur. Sic vsurpauit ipsum Ioseph his fratres verbis alloquẽs, *Vos autem ertis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis, vtrum vera an falsa sint.* & in Euangelio, *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.*

IV. Vinculi nomen diuersimode in Ecclesia accipitur. *Gen. 42.* *Matth. 11.*

Alias captiuitatem ipsam sonat ac seruitutem. Hoc sensu vsurpatur apud Psalmistam, *Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum.* Quin & apud Prophetas. Vnde Esaias, *Solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Et Jeremias eadem significatione duobus in locis, *Fac tibi vincula & catenas.* Jubet namque Deus, Propheta ab vt catenas adaptet eas; ad reges Juda vicinosq; principes mittat, veluti instãtis seruitutis & futuræ captiuitatis præsagia, in quã eos Nabuchodonosor Assyriorũ Rex esset abrepturus. Et deinde cap. 2. expostulans cũ populo suo Deus, quod obedientiæ uæ iugum excussisset, à cultu suo desciuisset, & ad falsam quandam libertatem aspirans præstitum toties fidelitatis Sacramentum tam nequiter violasset, exclamat exprobrando, *A seculo confregisti iugum, rupisti vincula mea, & dixisti, Non seruiam.* Leuitici quoq; cap. 26 Hebræorum Deus erga se obligationem, & beneficium imprimis relaxationis ex Ægypti captiuitate & libertatis exaggerans, sic loquitur, eodem sensu *vinculorum* nomen vsurpando, *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas inimicorum vestrorum, vt incederetis erecti*, honesta libertate fruentes. Quibus è verbis manifestissime apparet *ti catena* vel *vinculum* seruitutis interdum symbolum esse, & pro eadem vsurpari. *Esai. 52.* *Ierem. 27.* *Leuit. 26.*

Interdum vero Sacramentum repræsentat matrimonij, sic acceptum videas Ruth cap. 1 *Nec apta vinculo coniugali*, id est, nondũ nubilis, coniugioque inepta. Et sane hodie ita vulgata est in hoc significatu vox hæc, vt quotiescunque de Sacramento matrimonij sermo incidit, sacrum id matrimonij vinculum appellemus. *Ruth. 1.*

Sed vt plurimum & plerumq; *vinculum* in sacris literis pro peccato accipi videbimus. Quod euidentissimis mihi testimoniis comprobare liceat: duo suggeret Psaltes, vnum eius filius Paroemiographus. Psalmo ergo 115 sic Deo suo gratias ob ablata peccata agit. Propheta, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, & alibi multo euidentius, *Funes peccatorum circumplexi sunt me* quasi diceret, Peccata mea totidem sunt veluti vincula, funes & catenæ, quibus alligor, quæ mihi libertatem auferunt, meq; in seruitutem abripiunt. Salomon porro in Prouerbiis sic loquitur: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

Peccata sunt vincula dæmonum.

Psal. 115.
Psal. 118.

Prou. 5.

His præludiis ac velitationibus præmissis, veluti historiæ nostræ præambulis, iam vela laxabo; causas tamen, circumstantias, cæremonias, aliaque particularia, quæ in Petri Apostoli captiuitate contigerunt, prætermittens, hoc vnum dicam, mysticum sensum insistendo, & mysteria indagando, quod, quicumq; moraliter tam vincula ac persecutiones, quam incarcerationem magni huius illustrisque Apostoli perspicere voluerit, ilico agnoscet, & agnoscendo fatebitur, his omnibus ad viuum, ferali tamen funestoq; spectaculo, miserum peccatoris statum, sub diaboli captiuitate ac vinculis, in mortali hac vita constituti repræsentari.

Vt enim Herodes, efferus ille tyrannus & nobilis hypocrita siquis vnquam (qui ob insignem simulandi artem, & impostoras suas præstigiatrices ab ipsomet Redemptore vulpis est dictus nomine, *Dicite vulpi huic*) Iesu Christi discipulis bellum indixit, & sublato Iacobo, (quod nomen Luctatorem aut laboratorem denotat) statuit simul & Petrum populo producere, quod Petri nomen inter alia significata sonat *Cognoscens*; ita diabolus verus ille mundi tyrānus, ac vetus Hypocritarum omnium Rex, seruis Dei bellum indicit, viros iustos exagitat, omnesque suas vires, furias & violentias in aciem producit; vt, quicumq; sub diuinorum mandatorum obseruatione vel actiuam, vel contemplatiuam vitam complectuntur, cum sæculares, tum religiosos, tam qui in mundo agunt, quam qui eodem egressi monasteriorū vallo obumbrantur, iisdem omni quo potest modo exagitet, affligat & oppugnet. Est namq; hostis immitis, flecti nescius ac nemini parcens.

Luc. 13. Herodes dictus vulpes à Christo.

Dæmon sæculares simul & religiosos vexat.

Illustri hoc in Danielis libro figura præsignatum est. vidit namque Propheta ingentem & ferum arietem duobus obarmatum cornibus, quibus omnibus terræ animalibus insultabat, & solo prosternebat, quocumque demum sub cœli cardine agerent: *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, & contra aquilonem, & contra meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neq; liberari de manu eius.* Quis prodigiosus hic aries est, manibus simul & cornibus, quibus instrumentis noxa infertur, armatus? Diabolus scilicet, qui variis semper cornibus manibusque, id est, omnigena malitia & crudelitate instructus, nonnisi duo vt plurimum adhibet, quibus omnia animalia, id est, vniuersos mortales, oppugnet, duo inquam cornua, id est, duo persecutionū genera aduersus duplex hominum genus, contemplantes inquam & actiuæ vitæ deditos producit: qui sæpe, nisi diligenter aduigilent, ab illo vincuntur, & ad terram alliduntur.

Dan. 8.

Diabolus aries est duobus armatus cornibus.

Et sane Herodes hic tartareus, si quem tentationum suarum pedicis constrinxerit, ne forte elabatur, idem plane cum ipso facit, quod Herodes Agrippa cum Principe Apostolorum Petro. Primo namque hic cum in Petrum manus violentas iniecisset, in carcerem illum coniecit, qui vt plurimum obscurus est & caliginosus: quo cordis denotatur cæcitas, ad quam per peccatum miseram diabolus animam pertrahit iuxta illud Sapientiæ, *Excæcauit eos malitia eorum*, peccantium inquam. Et illud epistolæ ad Romanos, *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Herodes Petrum in tetros abripit carceres, diabolus peccatorem in mentis animorumque cæcitatem, quæ tenebris nostris & caligine omni caliginosior & tetrior est.

Diaboli & Herodis comparatio.

Sap. 2.

Rom. 1.

Egregias nobis suppeditat figuras S. Scriptura, quæ mysteriorū omnium Theatrum est. Prima sit Samson, qui cū in Philisthæorum manus cecidisset, funibus & taureis vinctus,

Iudic. 16.

ctus, & in tenebricosum ab ipsis compactus carcerem, oculis est miserè priuatus. Altera Sedecias Rex, qui regno exutus, filiis orbatus, & opibus omnibus spoliatus, tandem Babyloniorum feritate oculorum orbes amisit. En vera peccatoris imago ac misera & calamitosa eius sors: vbi namque semel in diaboli manus incidit, confestim regni cœlestis iacturam facit, omnigena gratia ac virtute spoliatur, thesauris inquam incomparabilibus: omnia eius merita abripiuntur, cuncta bona opera pessumdantur; catenis insuper & compedibus ferreis grauatur in carceres tetros pertrahitur, oculos denique amittit & lumen: hi namque sacrilegi immanesq; Carnifices intellectus oculos auferunt, & animam tetra circumfundunt caligine.

Peccatoris miserstatus.

Miſera Dauidis conditio.

Dauid tametsi rex, & longe lateque per Judæam imperitans, tristi nobis exemplo fit, qui oculis lacrymantibus hæc sibi omnia contigisse confitetur, vbi primum in scelus impegit, & mentis inprimis se cæcitate percussum, *Dereliquit*, inquit, *me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Solebam, inquit, generosos præferre animos, masculo mente & heroica omnia contemnere pericula, sed modo quæ mea inertia & languor? nullæ mihi suppetunt vires, animus concidit, lumen amisi & oculos, & in horrenda viuo caligine; eo scilicet me miseriarum peccatum deduxit. Talis hauddubie peccatoris est status, an non vere miserabilis ac lacrymis dignus?

E maximis & summe horrendis Ægypti plagis fuit ipsa tenebrarum, nihilque adeo Pharaonem & vniuersum eius regnum perterruit, ac triduana illa per omnia penetralia caligo atque obscuritas generalis. Fatendum sane, animæ cæcitatem non minorem esse in peccatore plagam. est namque cœlestis quædam punitio, diuinæ iracundiæ effectus, iustum & par peccato supplicium, quodque proculdubio metuendum.

Apoc. 16.

Vidi iam olim in Apocalypsi, & videndo simul obstupui malignum quemdam Angelum, qui phialam ira Dei plenam aduersus solem effundebat, qua eius obscurare lumen conabatur. Mysteriorum profunda rimatus dicere audeo, hac nobis allegoria dæmonis, Angeli illius peruersi ac scelesti malignitatem denotari, qui omnimodis & nulla non arte irarum suarum ac furoris phialam contra animæ solem, id est, rationem, effundere, hancque obfuscare facem connitur, vt hoc modo nos excæcet, itaque in intolerabiles tenebras & caliginem conijciat. Hæc sunt in quibus Herodis carcer & tenebræ cum peccati Dæmonisque carcere pariantur.

V.

Refert deinde historiæ series, duabus ingentibus ab Herode catenis Petrum in carcere vinctum fuisse, ex more scilicet & consuetudine omnium gentium, quibus, quotquot carcere frænabant, sollenne erat vincula, compedes, funes iniicere. Quam Arrianus exponens consuetudinem, manus & pedes simul reis ait constringi solitos, vt omnis iis hoc pacto libertatis laxationisque spes & occasio tolleretur. Hinc in Apostolorum Actis legitur tribunus Paulum iussisse duabus vinciri catenis, vt scilicet vna manus, pedes altera constringerentur. Tradit item Suetonius, detectos à Nerone coniuratos, & in carcerem coniectos, tribus præter morem catenis ingentibus vinctos & oneratos fuisse.

Lib. 2. Ar.

Actor. 21.

Sueton. in Nerone.

Hæc quin verissima sint, nullus neget: non hinc tamen efficiemus, S. Petri pedes catenis vinculisue constrictos fuisse, quod duobus è locis sacræ Scripturæ euidenter eruo. Expresse namque de eo dicitur, *Ceciderunt catenæ de manibus eius.* Verisimile sit ergo in pedibus eum catenas minime habuisse? nam alioquin & illæ excidissent. Deinde, Angelus illi mandat, caligas confestim vt indueret; quod pedum est indumentum. Constat ergo verisimiliter, pedibus catenas minime iniectas fuisse: hoc enim si fuisset, impedimento fuissent, quo minus commode caligas indueret.

S. Petri pedes vincti non erant.

Quoniam catenarum mentio iam fit, proposito quadrabit, quod de Æthiopibus scripto mandauit Herodotus; moris scilicet apud eos fuisse aureos reis compedes iniicere. Notat quoque Plutarchus, Lydo-

rum

rum regem Crœsum aureis item à Cyro Persarum rege catenis vinctum fuisse. Prodidit deinde Ammianus, Arsacem regem à Sapore Persa argenteis catenis constrictum. At quibus Petrus noster constrictus fuit, eius materiæ non fuere; sed pro more ferreæ & quidem binæ, quo minus effugij locus pateret, & simul mysteria nobis manifestarentur, hincque eadem opera disceremus, misellos peccatores non secus, & eadem plane immanitate, à diabolo vinctos haberi.

Plutarch.

Lib. 27.

Ceterum duplex hæc catena duplex peccatorum genus repræsentat, vnum quod omittendo, alterum quod committendo fieri solet: quibus generis humani hostis ita peccatorem constrictum tenet, vt dum libet, inde se commode expedire, aut amissam semel libertatem recuperare nequeat. Hoc vt intelligatis, memineritis oportet ad duo nos potissimum à Deo obligari, ad bonum scilicet faciendum, & malum euitandum. Docet hoc hisce verbis Psalmographus, *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos... quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam, & diuerte à malo, & fac bonum*, & omni felicitate vita tua cumulabitur. Perinde ac si dicat: Quidquid præcipit Deus, quidquid edoceri homo potest virtutis studiosus, ad duo potissimum capita reuocantur, ad mali scilicet fugam, & boni praxin: inque his duobus Christianæ perfectionis cardo vertitur.

Moralis catenarum S. Petri sensus.

Psal. 33.

Facere bonum & fugere malum sunt perfectionis Christianæ capita.

In huius rei figuram & in schemate ænigmatico Jeremiæ mandauit Deus, vt eradicaret, & plantaret, destrueret & ædificaret. Vt hinc doceantur Christiani prauos exstirpare habitus, & passionum seruum impetum retundere, mala fugiendo, illinc vero virtutes plantare & ædificare, simul & opera bona, bene agendo. atque in his sita sunt vniuersa, quæ præcipit Deus.

Figura.

Ierem. 19.

Huc facit, quod de veteribus Hebræis in Esdræ libro legitur. Illi namque è Babylonica captiuitate reduces, vna manu trullam, altera gladium vibrantes, quo ab se hostium violentiã propulsarent, templum reędificabant. Dogma hoc Christianis esto, vt, postquam semel, Omnipotentis misericordia, diaboli captiuitate egressi fuerint, vna in virtutum exercitium bonaque opera incũbant manu bene agendo, altera se aduersus insultantium tentationum impetus tueantur, malum fugiendo. In hoc nempe vitæ perfectæ altitudo ac sublimitas sita est. Hoc legis est caput & compendium, hoc omnium diuinorum mandatorum scopus: dæmon è contra hoc vnum à nobis efflagitat, vt bonũ omittamus, & malum committamus; hocque turbationum complementum, & æternæ damnationis initium & origo.

Allegoria.

Non erit omnino abs re, si dixerimus duplici hac Herodis catena culpam & pœnam denotari: peccatrix siquidem anima, iniquitatum pelagus conscendens & peccatum consciscens, vtrumque hoc malum incurrit, culpam inquam aut reatum, qui est quidam diuinæ maiestatis, quam offendit, contemptus, & pœnam, id est, ad æterna supplicia, quæ delinquendo promeretur, condemnationem. Hæ porro catenæ ita concatenatæ sunt & firmiter iunctæ, vt, qui ab vna soluitur, non simul & eadem opera ab alia dissoluatur.

Pœna & culpa sunt duo vincula, quibus peccator ligatur.

Addo rursus, duplici hæc catena significari posse, vna quidem voluptates carnales ac libidinem, altera eiusdem consuetudinem inueteratam: & ambo vincula sunt admodum dura, quæque nonnisi ægerime diffringuntur. De prima siquidem sub specie mulieris garrulæ ac vagæ, insidiasque iuuentuti struentis in Prouerbiis scriptum est, vincula catenasque manus eius esse. Hinc etiam in Euangelio legere est, illum, qui recens vxorem duxerat, ita carnalibus voluptatibus ac deliciis inescatum ac cõstrictum fuisse, vt ad splendidissimas magni Regis nuptias inuitatus, venire se posse, aut ab vxore discedere prorsus negarit, *Vxorem duxi*, inquit, *ideo non possum venire*. Hoc namq; peccatum ita hominem constringit, vt mouere se loco nequeat, aut vel pedem limine efferre.

Peccatum carnale fortis est catena.

Prouer. 7.

Luc. 14.

Consuetudo vero etiam catena est, non minus valida ac fortis, eiusdem prope cum natura potentiæ: nam consuetudo altera dicitur natura, naturam porro cogere, aut inclinationes naturales mutare velle, res est longe difficilima. In huius rei confir-

Consuetudo est catena valida.

Prou.22. confirmationem in Prouerbiis legitur; *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea:* id est, si semel lubricam insistere in flore ætatis viam cœperit, toto vitæ tempore ab ea non deflectet, quin imo nec in senio eam deseret.

De gemina hac catena egregie admodum locutus est S. Augustinus, nimiū quantum earum robur ante conuersionem expertus: *Ligatus eram*, inquit, *non ferro, sed ferrea mea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. quippe ex voluntate perniciosa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est cōsuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellauī, tenebat me vi obstrictum dura seruitus, &c.* Lib.7.confess.

Omnia hæc, veluti in figura & emblemate, in Manasse rege contigerunt. vt est historia, quæ in Paralipomenon libris refertur, eruere est. Hic enim à Regis Assyriorum præfecto captus, & vinculis onustus & ferro, Babylonem adductus est. An non eodem plane modo infelicē peccatorem habet dæmon, propriis eum sceleribus constringens, atque in de in tartara, quæ vera Babylon meræ confusionis ac perpetuę captiuitatis locus est, abripiens præcipitem, perpetuoq; constrictum tenens? Sed nos historiæ cœptæ glomus deducamus. 2.Paral.33.

S.Petrus à duobus custoditus militibus.

Herodes ergo cum Apostolorum Principem in vincula compegisset, & catenis ferreis grauasset, à duobus enim noctu & interdiu custodiri iussit militibus, veritus ne compedes solueret, solutusque in libertatem se assereret. Vt moralem allegoricumque etiam in hac re sensum demus, cogitemus oportet, dæmonem idipsum cum homine, vbi semel nexus eius subiit, agere. Duo namque hi Herodis milites, duos etiam Satanæ satellites, longe prioribus deteriores, repræsentant, mundum videlicet & carnem: hi quippe sunt, qui miseros peccatores ac demonis victos fideliter asseruant, hi tartari custodes, & tenebrarum satellites.

An non meministis eorum, quæ in Redemptoris passione contigerunt? Et sane recens semper eorum seruanda memoria, magnique huius mysterij notæ ac symbola cordi numquam non insculpta inscriptaque gestanda. Scriptum igitur est, Judæos positum in sepulcro Redemptoris Dei filij demortui corpus adhibitis circum monumentum custodibus asseruasse, impedituros scilicet, ne ad vitam rediuiuus resurgeret, *si nantes lapidem cum custodibus.* Non aliter etiam dæmones fidelibus veris Dei filiis (*Dedit eis potestatem filios Dei fieri*) per peccatum mortuis, & semel in iniquitate sua sepultis fidas iis adhibent custodias, ne tumulo hoc egrediantur, perque pœnitentiam à peccati morte ad gratiæ vitam resurgant. Mat.27. Ioan.1

Egregiam huius rei figuram, sed historicam depromam. Philistæi iurati & implacabiles Samsonis hostes comperto illum Gazam abiisse, vt Dalilæ, cuius amore illaqueatus erat, amplexibus peteretur, illico eum obsederunt, & circumdederunt positis ad portas vrbis custodibus, ne clanculo vrbe elaberetur, & ibi tota nocte cum silentio præstolati sunt. Qui allegorico hoc exponere sensu voluerit, confestim videbit, idem penitus peccatori à dæmonibus fieri. Mox enim vt infelicem eius in funestum peccati & lapsus territorium ingressum, vt vel carnis, quam Dalila adumbrat, illiciis irretiatur, vel mundi vanitates consectetur, perspexere, continuo eum obsident, omnes aditus occludunt, omnia itinera intercipiunt, exitum omnem impediunt & omnimodis allaborant, vt hoc in carcere perpetuo eum detineant, omnemque viam præscindant, quo minus in libertatem se asserat: primarij autem eius milites caro sunt & mundus. Iud.16. Allegoria.

Sunt hi nimirum truculenti & barbari illi murorum custodes, de quorum rabie ac furore conquerens sponsa illa, percussum se, male habitam, vulnesatam, ac flammeo spoliatam ab illis expostulat, *Inuenerunt me*, inquit, *custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me; tulerunt pallium meum custodes murorum.* Caro enim & mundus fideles tartari satellites & custodes, vbi in animam Jesu Christi sponsam incidunt, eam Cantic.5.

diripiunt, spoliant, percutiunt, & sexcentas inferunt iniurias.

Luc. 11. Huc forsitan respexit Redemptor, cum apud D. Lucam obiter ait, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* Diabolus fortis est armatus, & imperterritus cataphractus, quod semel occupauit, sedulo admodum solicite que custodit, & quas captiuas detinet animas, tam anxie asseruat, in quo suas mundus & caro partes quam diligentissime obeunt, vt eius illæ elabi carcere nequeant, nisi suum Excelsus brachium, dextram & potentiam violenter adhibeat.

Caro & mundus fidi dæmonum custodes.

Caro itaq; & mundus fidi dæmonis sunt satellites: caro namque deliciis, blanditiis, & illiciis peccatores, vinculis suis iam compeditos, retinet, ne inde aliquo modo elabantur, mundus quoque honoribus, voluptatibus & diuitiis, retibus eos suis illaqueat, omnemque exitum iis occludit. facit quippe mundus, quod olim Vagao Holoferni principi à cubiculis, cum casta Judith: dixit enim pararius ille impurus, eam ad probrum & pudoris ruinam sollicitans, *Non vereatur bona puella intrare ad dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, & manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Iudith. 12.

Mundus Vagao similis.

Offert ecce infamis ille libidinis proxeneta, vt honestam matronam ad libidinem compellat, honores, voluptates, delicias, & conuiuia exquisita: non secus & mundus, vt miseras animas inesset, & Satanæ pareat, honoribus iis & exteriori schemate & pompa abblanditur, & voluptatibus, deliciis, recreationibus & opibus illaqueare studet.

Gen. 3. Caro idem quoq; facit, quod Princeps Sichimorum cum virgine Dina Jacobi filia, qui vt eam vi compressam tristem vidit, & ob pudicitiæ iacturam dolentem, blanditiis & delinimentis demulcere studuit. imitatur hoc caro; vbi enim animam violauit & peccatorem in casses suos pertraxit, ficte illi abblanditur, vtque eam commissorum pœnitere videt, omnigena eam assentatione & palpo demulcere conatur.

Denique persecutor ille Herodes, præter duos illos ad Petrum custodiendum delectos laterones, quatuor alios delegit quaterniones, id est, milites, quorum singuli quatuor aliis præerant militibus, adeo, vt vniuersum viginti numero forent. Neque enim satis ei fuit intra carceris illum angustias custodire, nisi etiam foris eum custoditi iubeat, & ad omnes ianuas & aditus excubias collocet, ne forte effugiat, & immanibus manibus suis elabatur. Res noua & insolita profecto, vt qui plane exarmatus est, tot militum cingatur custodia, tot excubiis positis asseruetur. Hinc & videri allegorice dæmonis truculentia & crudelitas potest, qui vbique locorum & ad singulos aditus fidum locat custodem, necubi semel vinctus peccator manibus se suis subducat. Quatuor quaternio. nes ad Petri custodiam deputati.

Nescitis ecquid Euangelio proditum sit? Inuenietis ibi lunaticum quemdam nocte dieque ab integra dæmonum legione exagitatum, qui iuxta Romanorum legionum numerum sex mille, sexcenti, sexaginta sex, vniuersum erant. Ecquæ barbaries! ecquæ rabies! quis furor! ad vnius dumtaxat ruinam, vexationem ac perniciem tot à tartaro vires adhiberi, tot artes adinueniri, tot tamq; atrocia produci molimina. Legio dæmonum vnum hominem affligit.

Vt autem in tropis nostris ac figuris pergamus, mihi fit verisimile, per quatuor hosce quaterniones alia quatuor denotari, quæ obstant, quo minus ad pœnitentiæ remedia ac medelam peccator confugiat, & hoc pacto peccati captiuitate & infernali tyrannide egrediatur. Quatuor quaterniones moraliter exponuntur.

Primum est relapsus formido & reincidentiæ, quæ suggerit, frustra illum & incassum delictorum exomologesin facere: breui namque in idem scelus prolapsurum, & ad eandem rursus petram pedes offensurum. sed hæ stolidus & fatuus, qui panica hac formidine concutitur, qui metum hunc meruit, illi futurus perfimilis, qui præ morbi vehementia ad extrema vitæ redactus, vel lethali saucius plaga, medicum chirurgumq; idcirco reiicit, quod vereatur, ne sanitati restitutus, in eundem denuo morbum reincideret. Relabendi metus multos à peccati confessione retrahit.

Secundum est, emendationis finalis spes, & spe-

& sperata in vltimo senio pœnitentia. hæc permultis peccatoribus imponit, inque sceleribus confirmat & detinet. De stolida & inani hac spe, quæ mera potius præsumptio est, ita loquitur per Ecclesiasticum Spiritus sanctus, *Præsumptio nequissima multos perdidit.* Fatuæ illæ virgines quod æquo diutius sponso venienti obuiam procedere distulissent, venientes tandem, clausas viderunt ianuas, & ad nuptias ingredi minime potuere. Ita non pauci in procuranda salute morosi, & ad sui conuersionem nimis lenti, pœnitentiamque æquo diutius differentes, beatitudinis nuptiis excluduntur, & misericordiæ ianuas obseratas reperiunt. Pœnitentiæ ergo dilatio noxia est, periculosa, & maxime metuenda.

Eccli.37.

Pœnitentiæ dilatio periculosa est.

Figuræ loco erit, quod primo Regum libro de Samuele legitur etiamnum adolescente. hic ergo à Deo vocatus, nõ ad ipsum, sed ad Heli Sacerdotem se conferebat, qui eidem assentando dicebat, *Vade & dormi.* Heli porro *fortis* interpretatur, denotat autem mysterium, multos à Deo cum internis & occultis inspirationibus, tum publicis concionibus vocatos, ad Heli se conferre, id est, proprias consulere vires & robur, sibi ipsis oggerentes, adhuc ætate viges, adolescens es, & viribus polles, *vade & dormi*, id est, voluptatibus ac genio indulge, animi caperati turbines ac nebulas discute, mentem serena, labores molestiasque in Dei cultu occurrentes declina: quid te ieiunio emaceras? lætitiam indue, primos adolescentiæ annos deliciis ac gaudiis dedica, & sanctæ pœnitentiæ propositum conceptumque in vltimos decrepitæ effœtæque senectæ dies differ. Atque hoc ilicio permulti in muscipulam & interitum pertrahuntur.

1.Reg.3.

Allegoria.

Tertium, ipsa est voluptatis esca, & delectationis in peccato latentis consectatio Animo siquidem auribusque peccatoris cacodæmon occinit, ac suggerit, quas vitium offerat delectationes, quas contineat voluptates, quibus si quis se priuet, vita forsan priuabit, aut grauem saltem molestam, tetricam eam trahet. Quomodo inquit, voluptatem ac delectationem deseras, quam hac & hac è re percipere soles? quomodo ab hac te muliere sequestres, adeo scita, blanda, mollicula, tantaq; te recreatione perfundere solita: fierine potest tam iucundos gratosque relinquere te contubernales? quid desereſne tot splendidos & exquisitas epulas, voluptatum incredibilium matres & parias? His similibusque artibus vafer ille impostor multas decipit animas, easque in seros vitæ annos & canos deferre pœnitentiam cogit.

Tentationes diabolicæ circa delectationem, quæ in peccato occurrit.

Quartum denique ipsa est pœnitentiæ iniungendæ à confessario formido. Persuadet siquidem & suggerit peccatori dæmon, si peccata Sacerdoti aperiat, graui intolerabiliqueipsum pœnitentia grauandum, seuere acriterque corripiendum, dure inclementerque habendum; itaque timorem ille ingerit, à conscientiæ consulendo deterret, & à vitæ melioris proposito dehortatur. Hi quatuor Herodis tartarei quaterniones sunt & stipatores, qui peccatorem suo in peccato detinent, & impediunt, ne qua elabatur: quatuor hi sunt venti violenti, quos olim in mari vasto depugnantes vidit Daniel, venti inquam, qui inter se depræliantur, & horrendas in peccatoris corde tempestates ac procellas cient. Illius enim cor à sacra Scriptura mari confertur; *Cor impij sicut mare feruens.* id est, cor peccatoris quatuor hisce ventis agitatum, quadruplici hac passione concussum, & hoc diabolicarum tentationum assidue pulsatum quaternione, æstuans quidam ac procellosus oceanus est. Atque hæc sunt, quæ circa primam hanc partem dicenda mihi erant, iam ad alteram descendam.

Multi pœnitentiam in confessione imponi solitã perhorrescentes confiteri nolunt.

Dan.4.

Esai.57.

Noua hac parte miraculosam D. Petri laxationem ac liberationem prosequi polliciti eramus, quam si ad imitationem prioris allegorice moraliterq; exponere voluerimus, inueniemus profecto, non minus hanc ad peccatoris iustificationem, quam incarcerationem ad eiusdem ruinam interitumque facere. Etsi enim solus Deus iustificationis & liberationis peccatoris sit auctor, secundum illa sacræ Scripturæ testimonia, *Libera me de sanguinibus Deus, Deus meus*, id est, à peccatis: sit alibi: *Erue à framea Deus animam meam,*

Deus solus auctor iustificationis peccatoris.

Psal.50.

Psal.119.

meam, & de manu canis vnicam meam. &, *Quia apud Dominum misericordia, & copio a apud eum redemptio*; multa tamen ad eam aliunde concurrunt, & magno huic operi humerum quodammodo subiiciunt, operi inquam magno: nam D. Thoma teste, maximum Dei opus ipsa est peccatoris iustificatio, quæ omnia prope in sancti Petri liberatione, velut in figura concurrunt. *Psal.* 129.

Ecclesia pro peccatoribus orat.

Primum, Vniuersa militans Ecclesiæ nunquam non pro peccatoribus, generatim saltem, Deum obsecrat, quemadmodum hic dicitur pro Petro vincto nocte dieque Ecclesia vniuersa preces ad Deum incessanter fudisset, *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo*, Ecclesia namque est carissima illa ac dilectissima sponsa, quæ suis orationibus lachrymis, charitate, humilitate, aliisque modis Jesu Christi cor animumque ita vulnerat, nihil vt illi negare queat, sed ad petita qualiacumque demum annuere cogatur: iuxta illud Canticorum, *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Permagnum profecto est, tantilla re sponsam, vti oculi ictu, & tenui crine, sponsi cor vulnerare, quod armis & omni violentia fieri in aliis vix queat: vt hinc discant fideles, etiam minima ab Ecclesiæ oculis dimanante lachrymula, & minimis etiam eius ore fusis precibus, Dei cor in tantum peti, vt compassione tangatur, emolleseat, & velut inuitus ad miserendum iis, pro quibus ipsa supplicat, compellatur. *Cant.* 4.

Ecclesia precibus suis cor Dei vulnerat.

Ipsa scilicet pia illa, bona & diligens mater est (Ecclesiam intelligo) quæ ad imitationem Chananææ illius, Jesu Christi aures numquam non fatigat, pro filiorum suorum in peccati captiuitate agentium, & à dæmonio misere diuexatorum liberatione supplicans. Dixit illa, *Miserere mei Domine, Fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.* Ecclesia porro pia illa mater clamat, Domine clementer respice peccatores, fideles, filij mei grauiter à peccatis diuexantur, & ab immundis spiritibus nimiopere infestantur; miserere Domine, propitius eos intuere, & misericordiam iis præsta. *Matth.* 15.

Secundum, quod ad sancti Petri liberationem, atque inde ad generalem peccatoris iustificationem concurrit & cooperatur, Angelus custos est, qui ad peccatoris custodiam conseruationemq; constitutus, nem allaomni qua potest ratione illum iuuare, & borat. peccato, si in aliquod prolapsus est, educere contendit, vti & sanctum Petrum ab Angelo ex Herodis carcere eductum prodit historia. Certissimum est namque Angelos salutis nostræ studiosissimos & cupidissimos esse, vtpote quam iisdem Deus Optimus Maximus concredidit, & peculiarem eius ipsos rationem habere voluit, vti ex hoc Psalmi eruimus loco, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis:* id est, ante vitam, in vita, & etiam à vita, *in omnibus viis*, id est, terra marique, rure in vrbe, domi & foris, *in omnibus viis*, id est, tam in aduersis, quam in prosperis, belli & pacis tempore, in tempestate & in malacia, *in omnibus viis*, id est, noctu & interdiu, mane & vespere, omni denique loco, tempore & casu. Quorum verborum occasione ita se in Soliloquiis suis S. Augustinus extendit: *Diligunt nos*, inquit, *sancti Angeli Dei, ideoq; magna cura adsunt nobis, omnibus horis & locis, succurrentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos ad Deum, gemitus nostros atq; spiritia referentes ad eum, vt impetrent nobis propitiationem & misericordiam, ambulant nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum.* Angelus custos ad peccatoris conuersionem allaborat. *Psal.* 90. *Cap.* 17. Angeli amant homines. *Ser.* 46. *ad fratr. in eremo.*

Idem quoque Doctor, sed alio loco & aliis verbis hanc rem pertractat, eamque latius deducit. Sic porro fratribus suis in eremo agentibus Angelorum custodiam, curam solicitudinemque pro miseris mortalibus depingit: *Angeli sancti sunt*, inquit, *per quos sustentamur, per quos in terra & mari iuuamur, per quos monte & corpore illuminamur, per quos in tribulationibus & angustiis consolamur, per quos ab infirmitatibus frequentius liberamur, per quos & à quibus in extremis protegimur, per quos in fide solidamur, per quos à maligno spiritu defendimur.* Dicine quid elegantius, quid ad nostri consolationem efficacius, aut ad Angelorum honorem commendandum potentius queat. Mirabiles effectus Angelorũ in hominũ custodia.

Jacob

Iacob è Mesopotamia redux hæc omnia figuiate & in mysterio conspexit, dum nimirum prodigiosam illam scalam intuetur, per quam sine intermissione & assidue Angelorum plurimi hinc descendebant, illinc rursus alii ascendebant, vti in libro Geneseos refertur, *Vidit scalam, Angelosque ascendentes & descendentes.* In quæ verba hanc pius Bernardus paraphrasin producit. *Nunquid sedentem quempiam vel stantem vidit ce te non, qu a non habemus h c manentem ciuitatem, nec futuram adhuc possidemus, sed inquirimus, & vt eam consequamur, & in illa eis similes simus, Angeli summo studio ac diligentia ascendunt, ac descendunt.* Gen. 28.

Ad propositum est quædam Diui Hieronymi Psalmo 33. lectio: Nam quo loco vulgata editio præfert, *Immittet Angelos Dominus in circuitu timentium eum*: ipse legit ex Hebræo, *Circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum.* Alii vero sic interpretantur, *Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Quod reipsa, & ad oculum seruo suo Elisæus Propheta, ob oppidum, in quo tum commorabatur, à copiis Syriacis obsessione circumcinctum trepidati & expauenti ostendit. Orante namque Prophetæ, oculos seruo Dominus aperuit, quibus apertis vidit haud procul inde montem vicinum equis & ignitis circumquaque curribus circumsepum, Elisæo auxiliari paratis, si forte hostes obsessionem premerent & oppidanos vrgerent acrius, quæ omnia Angelorum fiebant adminiculo; vt hinc eadem opera manifestum fieret, quam sollicite pro nobis Angeli laborent, quantam salutis nostræ curam gerant, quo ad hominum conseruationem cooperentur modo. Psal. 33. 4. Reg. 6. Figura, qua declaratur, quam sint salutis nostræ angeli studiosi.

Sanctorum Angelorum singularis cura, & admirabilis quædam Dei prouidentia, qua id hunc potissimum instigantur, euidenter ex illis Canticorum verbis colligitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vnusquisque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Lectulus ille regius, in quo Salomon noster quiescit & dormit, animam iusti haudd ubie repræsentat: in illâ siquidem cœlestis ille sponsus suauiter requiescit, cuius nimirum delitiæ sunt esse cum filiis hominum, vti de seipse testatur. Excubiæ autem & vigiles illi fortes, sancti sunt Angeli, vt colligere est ex illo I salmi loco, *Benedicite Domino Angeli eius, potentes virtute faciente verbum illius.* Cant. 3. Insignis moralitas. Psal. 102.

Opem hanc & sollicitam Angelorum pro mortalibus curam, auxiliumque in omnibus rebus nostris, mirifice deprædicat sapiens, cordata & admirabilis illa Iudith. Ita porro loquitur, *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Iudith. 13. Iudithæ de Angelorũ ope verba.

Vere ergo, vti colligere licet è iam dictis, Ecclesia simul & Angeli ad peccatoris liberationem iustificationemque concurrunt, & allaborant, quemadmodum ad sancti Petri è carcere eductionem Angelus eius est cooperatus: fatendum tamen ac dicendũ, Deum vtriusque rei solum & auctorem esse & causam primariam. De peccatoris siquidem sanctificatione ac iustificatione res est quam certissima. Testem omni exceptione maiorẽ habemus Psaltem dicentem, *In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.* & alio in Psalmo, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi; auxilium meum à Domino.* Deus solus vtriusque auctor iustificationis peccatoris. Psal. 61. Psal. 120.

Veritatem item hanc perspectam habebat sapiens illa Esther: in ardenti namque & humili oratione sua alium præter solum Deum cõseruationis suæ auctorem, salutis causam, & omnis spei basim non agnoscit, orantem audire vultis? hæc eius orationis sunt verba, *Nos autem libera in manu tua, & adiuua ancillam tuam, nullum aliud auxilium habentem nisi te Domine* Ipsemet Dominus etiam rem ad amussim ita se habere apud Prophetam testatur: sic namque de se Israeli loquitur, *In me tantum auxilium tuum*, quasi diceret, Noueris peccator ab alio te præter me saluari non posse, in mei solius manu situm auxilium tuum, quapropter alia te sperare nefas est. Denique quidquid in miraculosa S. Petri liberatione peractum est, in peccatoris iustificatione habere etiam locum solet. Esth. 14. Osee 13.

Vt rem ita se habere vtrimque videamus, & paria in vtraque peragi, primo notemus oportet, lumen per carceris caliginem subito emicuisse, & horrendas illas tenebras discussisse, *Lux enim refulsit in habitaculo*, id est, in carcere, in quo Apostolorum Princeps vinctus tenebatur Ita dum peccator è captiuitate & carcere peccati soluitur, quod iustificari dicimus, internum cõscientiæ lumen semper præcedat necesse est, id est, quamdam gratiæ præuenientis facem, quo interiora illuminantur, cor irradiatur, peccatori oculi aperiuntur, adeo vt eius adminiculo & claritate iniquitatum suarum horrorem agnoscat, obtinendæ veniæ & impetrandæ misericordiæ rationes excogitet.

Vti primum, quod in totius vniuersi fabrica condidit Deus, ipsa fuit lux, *Dixit fiat lux, & facta est lux:* ita in peccatoris iustificatione, quæ secunda velut creatio est, primo omnium producitur lux, ac lumen gratiæ infunditur. Dauid vt peccator hoc agnoscens propterea sic Deum obtestatur, *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* *Psal. 12.* oculos reserari ac recludi petit, non corporeos (neque enim cæcutiebat) sed animæ & internos, eo quod peccati nox tetra eos caligine tenebrisque oppleuerat. Et sane hoc in sensu alibi exclamat, *Domine Deus meus illumina tenebras meas, &c.* *Psal. 17.* quasi diceret: Primum quod peccatori malum peccatum creat, est solem obtenebrare, rationem tollere, tenebrasque vbiuis circumfundere, ita etiam prima gratiæ origo & effectus est diem inducere, fenestras aperire, lumen afferre. Atq; hanc ob causam peccatum etiam nocti tenebrisque, gratia autem diei ac lumini æquiparari consueuit

Primum peccati malum rationẽ quod fuscet.

Hinc Regius Propheta eum de seipso locutus esset, de alijs loquens, hoc illis consilium dedit, vtilissimum sane ac prudentissimum: *Vanum est vobis ante lucem surgere.* *Psal. 126.* Verba hæc ænigmatica & obscura, sed insigne includunt mysterium. Dicere porro vult, peccatores, vbi semel in peccati abyssos præcipitastis, inque tetram illius voraginem prolapsi estis, erratis, si inde egredi, & ad iustificationem peruenire vos posse antepuratis, quam lux ex alto vos præueniat, & primæ gratiæ, quam excitantem appellamus, sol in animis vestris exoriatur.

Quod vt melius intelligatis, præsupponendum est, tantam esse peccati nequitiam, vt eo peccantium mentes excæcentur, & quocumq. demum loco reperiatur, eo semper nox ac tenebræ proxime sequãtur: adeo vt quo peccator delinquit momento, eodem spiritus & rationis oculos, id est, animæ amittat veroque intelligentiæ lumine spolietur, iuxta illum damnatorum apud inferos clamorem expostulationemque apud Sapientem, *Sol intelligentiæ* cognitionisque *non est ortus nobis*, *Sap. 5.* nec animę nostræ oculis, mensque nostra perpetuum luminis passa deliquium est, sed per gratiam peccatoribus lux exoritur, aurora inquam illa gratissima: actum accommodari illis hoc Propheticum queat, *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*, *Isai. 9.* id est, verbo vt dicam, Qui in peccati tenebris agebant, quæ vera animæ mors est, lumen gratiæ superuenientis conspexerunt.

Figura huius rei esto pius ille senex Tobias. Hic cum hirundinecorum stercorum in oculos delapsu lumen amisisset, & penitus cæcutiret, ac felle piscis exenterati illos illiuisset, visum amissum recuperauit. *Tob. 10.* Omnes medelæ huius prodigiosæ circumstantiæ insigne denotabant mysterium, peccatorem videlicet rerum temporalium sordibus ac stercore (quas fœdo hoc titulo Apostolus dedecorat, *Omnia arbitror vt stercora*) vel potius turpibus fœdatum delectationum è peccato manantium inquinamentis & illuuie excæcatum, felle piscis exenterati confestim illuminari, dum sc. non tam delectationem peccato forinsecus adhærentem, quam amarum pœnarum sempiternarum & suppliciorum nullo finiendorum æuo, quæ in caput suum peccando accersit, fel ad animum aduocat. *Phil. 3.*

VI. Angelus Petri latus tangit, vt eum excitaret.

Secundo, dicitur Angelus cœlo delapsus, Petrum in carcere, medios inter latrones dormitantem excitaturus, eius latus tetigisse. Per quem tactum motus quidam interior cœlo veniens, & à diuina proficiscens dextera repræsentatur, iuxta illud Apocalypseos, *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Deum ad cordis *Apoc. 3.*

nostri

nostri ianuam consistere, & pulsare, vt auditus detur, metaphoricæ locutiones sunt, quibus occultæ Dei inspirationes, mores interni, & cordis pulsationes, quibus gratiæ suæ iter & aditum paret, nosque in vitiorum nostrorum carcere dormitantes excitet, intelliguntur. Postquam enim palpebras Deus reclusit, & peccatoribus lumen iam infudit, cuius splendore culparum caliginem agnoscant, illico dolorum sensum, contritionem, & internam scelerum displicentiam immittit, qua velut in corde tacti & percussi, è somno obliuionis Dei expergefiunt, dolentque tam benignum se offendisse Dominum, pœnitetque illos tanto cum contemptu & iniustitia illius maiestatem ad iracundiam prouocasse.

Motus interni in peccatore ad eum è peccato excitandum.

In huius rei figuram facit, quod de Elia in tertio Regum libro legimus, hic igitur sub vmbra iuniperi dormiens ab Angelo è somnis est excitatus, *Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi, & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, Surge & comede.* Ita etiam peccator sub siluestrium voluptatum ac delectationum è peccato orientium vmbra suauissime sterrens à Deo, vel Angelis vel per motus internos, vel per inspirationes occultas excitatur.

3. Reg. 19.

Obseruemus hic necessum est, varia peccantium esse genera, vti & dormientium varia sunt. Dormientium alii leuiter dormiunt, & ad minimum excitantur strepitum alii altius stertunt, & antequam expergiscantur, pulsari trahique debent, denique alii tam profundo tenentur sopore, vt violenter percutiendi siut, & vi facta è lecto trahendi. Ad eundem plane modum inter peccatores alii ad solam prædicationis vocem excitantur, alii correptionibus, obiurgationibus, ac comminationibus pulsari debent, alii demum vt expergefiant, (adeo enim peccatorum somno ac letbargo profunde adobruti sunt) tribulationibus, aduersis aliisque à diuina dextra immissis flagellis feriendi sunt.

Dormientium diuersitas collata cum peccantium diuersitate.

In quam rem in Moralibus scribens sanctus Gregorius ait: *Impiorum oculos culpa claudit, sed ad extremum pœna aperit.* Didicerat hoc ab Isaia scribente capite vigesimo octauo: *Sola vexatio intellectum dabit auditui,* quasi diceret, peccatum consopit peccatorem, eiusque palpebras in somnum trahit, sed pœna eum suscitat, & oculos aperit. Quibus accedens eloquentiæ Græcæ torrens Chrysostomus, hoc suum adfert symbolum, *Nihil sic peccata in memoriam reuocare consuevit, vt pœna & castigatio,* quæ ob eadem immittitur.

Isa. 29.

Hom. 3.

Exemplo & argumento sint fratres Iosephi: cum enim in innoxii vitam omnes conspirassent, post multorum demum annorum euolutionem in carcerem Ægyptium conjecti, veriti ne capite luerent, & vitæ discrimen ob præteritas noxas adirent, statim in mentem reuocarunt pristinum illud commissum in fratrem facinus, ac secum ipsi dixerunt, *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum* Ioseph, quem in Ægypto vendidimus, peccata nostra sunt, quæ afflictiones nobis has causantur & procellas. Hinc ergo vobiscum dispicite, quomodo aduersis & immissis plagis è somno scelerum peccatores excitentur, vti Angeli pulsu tactuque Petrus dormiens in carcere excitatur.

Gen. 42.

Afflictiones peccatores sopitos excitant.

Tertio, historiæ textus habet, Angelum Petro dixisse excitato, *Surge velocitur.* Vnde discimus, & res ipsa docet, prompte celeriterque post peccati ruinam nobis surgendū, & è cœno vitiorum, in quod incidimus, sine vlla dilutione, nulla indulta requie egrediendum. Consulit illis hoc pacto Sapiens, *Non tardes conuerti ad Dominum, & non differas de die in diem: subito enim veniet ira eius, & in tempore vindicta disperdet te.*

Eccl. 5.

Conuersio non est differenda.

Huc faciunt S. Augustini verba ad Fratres in Eremo, *Promisit Deus veniam pœnitenti, sed non promisit vsque in crastinum differenti.* In pœnitendo namque dilatio est noxia, & celeritas nimio pere laudabilis. Quapropter peccatoribus probe consulit Psaltes, vt quam celerrime è peccati volutabro exsiliant, *Conuertantur,* inquit, *& erubescant valde velociter,* & summa diligentia. Consilium hoc regium bimembre est, & duo includit, primo promptam velocemq; conuersionem deinde pudorem & confusionē, quæ eam sequi

Ser. 30.

Psal. 6.

Conuersionē peccatoris semper.

debet erubescentia sequi.

qui debet. Peccator enim non modo peccato faciem debet obuertere, & ad Deum conuertere, sed etiam erubescere, & cum pudore & verecundia ad eum accedere. Duæ hæc semper indiuidui esse debent comites, & numquam à se mutuo disiungi: conuersio enim pudoris expers, præsumptio potius quædam est, vel effrons impudentia, quam sincera contritio aut pœnitentia.

B. Apostolus Petrus verum huius rei nobis, etsi in figura exemplum dedit, præiuitque quo in hac re gerere nos oporteat modo. Ab Angelo namque expergefactus, iussusque confestim surgere, statim surrexit, carcere egressus est, portam pertransijt ferream iamque se in libertatem assertum cernens, oculis in cœlum sublatis, præstupore exclamauit, *Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum:* alludens ad hæc Psalmistæ verba, *in hoc cognoui, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Herodes scilicet super morte mea, nec de me velut victor trophæa eriget.

Psal. 40.

Videtur hæc eadem verba rursus mutuatus Apostolus ab eodem Psalmista, sed alibi dicente, *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* quoniam suum hoc pacto erga me amorem patefacere voluit. Ita eodem sensu Apostolus noster Deum misisse ait Angelum suum, & ab Herodis tyrannide omnique aduersariorum suorum exspectatione, mortem, interitum, exitiumque suum spectantium liberasse. Videbantur porro hoc illi modo insultasse aduersarij, dicendo: *Speranit in Domino, eripiat eum saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Et ita reuera factum est, vt in ipso illud Paræmiographi locum haberet, *Iustus de angustia liberatus est*, & in tuto collocatus, cum ad extremum redacta omnia videbantur.

Psal. 19.

Psal. 21.

Prouerb. 31.

Hæc igitur est, Auditores, vniuersa captiuitatis, carceris, & admirabilis liberationis è vinculis beatissimi Apostolorum Principis series & filum. Hinc discatis licet sexcenta documenta, sexcentos hauriatis conceptus, consolationum mare, & miraculorum iliadem. Discite inquam, quomodo summi Dei amici & perfamiliares ab afflictionibus & aduersis minime sint immunes, vt illustrissimi Ecclesiæ Præsules persecutionibus non minus alijs exagitentur: vt balenæ ac pisces maiores in amaritudinum salsedine viuant & enatent. Eadem quoque opera videte, quomodo mundus nouos semper Herodes emittat, qui Apostolos in vincula coniciant, quomodo tyranni discipulos Christi in ergastula compingant, vriusti ferro grauentur, & velut malefici ac rei ad mundi tribunalia pertrahantur. Insuper considerate, quomodo afflictis & exagitatis Deus semper succurrat, insontium patrocinium suscipiat, consilia impiorum dissipet, Angelos ad soluendos vinctos submittat, suamque ibi exerat potentiam, vbi humana non suppetunt auxilia. Hæc cogitate, hæc mente animoque voluite, Deum laudate, eique gratias agite, & lætum ob lætam vicarij sui Christi & Principis Apostolorum liberationem epinicion canite.

Nec immerito sane, Domine, totius vniuersi Redemptor; atq; hanc etiam ob causam festiuo cultu & religione rei huius memoriã orbis Christianus celebrat, & Ecclesia post effusas in capitis sui incarceratione lachrymas, lætitiam & plausum præfert, audito eum iam è carcere liberatum. Tu ô magne animarum nostrarum Deus, afflictionum in caput tuorum procellas aduocas, & cum tibi placet, eas iterum submoues, tu ad ima barathra, & ad inferos vsque discipulos tuos deducis, & vbi lubuerit, inde reducis, tu ferocia Herodis molimina explodis, tu persecutiones in fumos cogis euanescere, tu lumen tetro in carcere oriri iubes, tu portas æreas confringis, tu exarmata vigilum ac satellitum custodia potenti manu vinctos educis, & mundi potentiæ victor insultas. Tu in omni consilio tuo, magne Deus, afflictos semper consolaris, persecutionibus exagitatos iuuas, pauperes recreas, & imbecillis robur animumque suppeditas. Tu Deus omnipotens, & penitus admirabilis, vbi vires nostræ deficiunt & humanæ, miracula operaris, vbi natura debilis est & languet, gratia vt præualeat, facis, vbi res extrema & restim minantur, numquam in tempore oportunum denegas auxilium, cum Petri in carcere gemunt

munt ferro onusti, tunc cœlestes auxiliatores submittis & Angelos. Hem! quam es in consilijs sapiens, in auxilio promptus, in promissis fidelis, in consolationibus liberalis, in operibus ac mirabilibus tuis incomprehensibilis! Nefas erat eum, qui vt alios solueret, destinatus erat, in Herodiano carcere vinctum ligatumque remanere: rationi minime consentaneum erat, vt qui in aquis seruatus erat, & vndis sospes inambularat, in continenti tutus non esset, & in truculenti carceribus tyranni vitæ periculum adiret. Hæc mirabilium tuorum sunt opera, & potentiæ tuę effectus, hinc honor, gloria, salus & benedictio tibi in æternum, hic ab hominibus, & in cœlo ab Angelicis spiritibus æterna beatitudine perfruentibus, decantetur, ad quam ingenitus nos Pater, & vnigenitus eiusdem Filius, atque ab vtroque procedens Spiritus S. deducere dignetur. Amen.

IN FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS.

Partitio.

1. *De martyrij præstantia.*
2. *De eiusdem elegys.*
3. *De Martyris Laurentij martyrio speciatim.*
4. *De eiusdem in tormentis perferendis constantia.*

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c. Ioan. 12.

FIGVRA.

Lev. 1.

VEteri sacrificiorum lege cautum apud Iudęos erat, vt, si quando auis, vti turtur aut columba, Deo offerēda esset, in altari eadem subiecto igne cremaretur, & hæc victima holocaustum dicebatur, eratq; suauissimi odoris sacrificium, Deoque quam acceptissimum. In figuræ ac ritus huius complementum videte hodie, vt in lege Euangelica, sanctus Laurentius velut auis quædam cœlestis, Deo jamjam immolandus, non in ara, sed in craticula subiecto igne collocetur, viuus concremetur, & grauissimi coram Deo cœli fideliumq; omnium Domino odoris fiat holocaustum. Hac de re hodie verba faciā, hoc hodie vniuersa Ecclesia Catholica summa religionis cultusque significatione admiratur, hoc item martyrium illud est, cui par nō vidit orbis, quod cœlum juxta ac terram in admirationem rapit, quod vt decurrere atq; intelligere mereamur, ad Spiritum Paraclitum confugiamus, eiusq; auxilium supplices inuocemus & gratiam, sed Deiparam, aduocata nostra ac patrona vt hic sit, adhibeamus, eamque ob causam cum Angelo Gabriele ipsam salutemus.

Bessai tom. 3. de Sanctis.

AVE MARIA.

Inter sexcenta mysteria & magnitudine eximia & profunditate magna, quæ in Canticorum scrinijs archiuisq; recondita latent, non postremum, meo quidem judicio, locum obtinet aureum illud Salomonis Regis reclinatorium, vel cœnaculum, cuius ascensus & gradus erat purpureus, ac rubicundus. Per reclinatorium hoc vel cœnaculum designari nō inconuenienter queat cœlū ipsum, Dei palatium, illustre Sanctorum omnium refectorium, & gloriæ cœlestis locus; ad quā inter alias vias, per mortem potissimum & martyrium, velut per cruentum ascensum, & gradus purpureos aditus patet. S. Hieronym. inter alios hoc exponit modo, dum suis in Ezechielem commentarijs scribit, *Ascensum habet purpureum, quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ per martyrij sanguinem peruenit ad regnum.* I. *In Ezech. li. 1. hom 15.* Martyrium gradus ad gloriam cœlestem.

Eandem, opinor, ob causam in prouerbijs de Ecclesia sub schemate nempe illustris cuiusdam matronæ, dictum est, eius *indumentum* esse *byssum & purpuram:* vt byssō quidem candida eius signaretur innocentia, purpureo vero & coccineo colore tribulationes eius & martyria. Ven. Beda hæc ipsa eadem plane ratione verba exposuit, quem loquen- *Prou 31.* *Beda in Cant. c. 3.*

rem hic faciam: *Byssus*, inquit, *indumẽtum Ecclesiæ est in candore puræ conscientiæ & conuersationis, purpureus autem color sanguinis habet speciem, vnde pulchre dictum est à Patribus, quod Ecclesia electorum floribus vernans, in pace habet lilia, & in bello rosas.* Tantundem, id est, ac dicere, Ecclesiam velut hortum quendam ac viridarium regium omnigenos diuersicoloresq; proferre flores, eandemque dum pace, tranquillitate, & malaciæ quiete gaudet, castissimas purissimasq; progerminare Virgines, vbi vt bello premitur, persecutionibusq; exagitatur, martyrib. abundare, atq; illas quidem candidis lilijs, hos autem vermiculantibus rubricantibusq; rosis esse persimiles.

Martyres rosis, virgines lilijs assimilantur.

Sanctus ergo hic Angliæ monachus martyribus rosas, aut potius rosis Martyres assimilat, in quo ad S. Augustini allusisse, aut descripsisse potius verba videtur. Hic enim in quodam de Sanctis sermone sic loquitur: *O vere beata mater Ecclesia! quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, & candida induit virginitas, floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt, notent igitur singuli amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas.*

Ser. 37. de Sanctis.

Purpureus autem inter ceteros colores facile princeps, symbolum est martyrij, nõ tam quod rubeat, & ad sanguinem quam proxime accedat, quam quod Regum sit & Imperatorum proprius. Hinc sponsa in Canticis sponsi sui dilectissimi crines regali cum purpura cõparat, *Comæ capitis tui, sicut purpura regis*: id est, capillitium tuum, carissime, non est vt ceterorum hominum, sibi simile nullum habet, sed vti regia quædam purpura enitescit. Si litteralem seponere hic sensum necesse, vt anagogico sit locus, credo equidem sponsam, quæ Ecclesiam figurat, Martyres, quibus velut cæsarie & comis ipse Redemptor Iesus Christus, qui Ecclesiæ vertex est, non secus quam regio quodam paludamento, condecoratur ac nitescit, designare intendisse.

Purpura color regius.

Cant. 7.

Eandem ob causam & eodem intuitu beatissimi Martyres malorum punicorum granis ac fragminibus, ob coloris scilicet huius regij ac rubicundi, qui hoc in pomo emicat, splendorem, esse dicuntur persimiles. Hoc videlicet sensu accipienda sunt illa Canticorum verba, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*: quæ hac etiam ratione Venerabilis Beda interpretatur, *Mala*, inquit, *punica, quæ sanguineo rubent colore, eorum in Ecclesia triumphos insinuant, qui post fontis signati ablutionem suo sunt etiam sanguine baptizati* ipsorum scil. Martyrum. sed relicto colore hoc, iam alia de martyrio proferamus.

Martyres comparati malogranatis.

Cant. 4.

In Cantic.

Egregium illius mihi schema repræsentat Isaias: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris, & ponam iaspidem propugnaculæ tuæ, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Certissimum est, eo loci ad litteram de Ecclesia Prophetam locutum esse, a Iesu Christo aliquando fundãda: lapides porro in illam coaptandi fabricam, ordinatimque collocandi, Ecclesię huius officiales ac ministros figurabant, qui suo singuli disponendi essent ordine & dignitatis gradu; vti suo etiam tempore docuit Apostolus, *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores*, & suo singulos gradu & ordine contentos esse oportet. Hinc est quod Propheta eos *pernondos* & in terra collocandos dicat, vt humilitatem omnibus necessariam insinuet, deinde *per ordinem* disponendos, vt charitate mutua iungendos doceat. Simul vero vt ostendat, obedire eos, & ad summi architecti & fabri primarij se nutum dirigi sinere debere.

Isa. 54.

1. Cor. 12.

Omnia in Ecclesia certo quodam ordine & seriatim disposita sunt.

Addit insuper Propheta, Ecclesiam in Sapphyris fundandam, fundamento vere regio & gemmis admodum pretiosis, id est, in viris prorsus cœlestibus, ac diuinis, quales dubio procul fuere Apostoli, qui hanc forsan ob causam Ecclesię nostræ sunt fundamenta appellata, vnde in Epistola ad Ephesios legere est, *superædificati super fundamentum Apostolorum*. Sed mysterij medulla ac nucleus, quodque proposito meo maxime deseruit, est, propugnacula ciuitatis illius ac valla ex Iaspide esse constructa, qua re martyres repræsentari nullus dubito, cum ob fidei robur, tum vero ob apertas sanguinis in supplicijs effusi venas.

Apostoli fundamenta Ecclesiæ sunt.

Ephes. 2.

Iaspis martyrum symbolum.

venas. Quod vt melius intelligatis, notetis velim, hanc inter cæteras Iaspidi proprietatem ac virtutem à natura inditam, vt aduersus inania terriculamenta & illusiones phantasticas robur audaciāq; animo addat, quod martyrio egregie admodum quadrat. Nihil quippe Martyrum est exemplo ad vanam mundi gloriam, quæ phantasmatis in morem initio quidem aliquid præfert apparentiæ & splendoris, sed ad finem nihil includere solidi comperitur, repudiandam conculcandamque potentius. Tum vero ad timores, terrores, & inanes dæmonum consternationes exsuperandas, omnesq; qui sese offerunt labores magna animi cōstantia perfringendos nihil eodem aptius ac conuenientius: hæc siquidem omnia cum glorioſorum Martyrum laboribus, supplicijs, ac cruciatibus comparata, nonnisi vt vmbræ & vana phantasmata habenda sunt: Iaspis autem, vera Martyrum imago, hæc omnia præfigurat.

Li. de exhort. ad martyr.

S. Cyprianus porro quam in decantandis Martyrum triumphis, eorumque laureis ac victorijs recensendis diſertus est! *Martyrium*, inquit, *inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria incomparabilis titulus, triumphus immensus.* Hæc quidem hactenus occasione hodiernæ festiuitatis, in qua Catholica nobis Ecclesia inclyti mortem ac passionem Laurentij, eius supplicia, tormēta, cruciatus, ac martyrium celebranda recolendaque proponit, & hoc eius in honorem legendum. Euangelium præscribit, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c* Duo vero hodierna potissimum cōcione paucis prosequar: primo de martyrij dignitate in genere agam, ac deinde singillatim glorioſi Martyris Laurentij omnium Martyrum facile principis martyrium mortemque Deo propitio depromam.

Ser. de Mart.

Principio magnus & illustris Doctor Augustinus in ijs, quos de S. Martyribus conscripsit sermonibus, & quos in eorum honorem ac virtutis & generositatis celebrationē velut panegyricos, & olympionicias decantauit odas, persæpe bellorum vtitur metaphora, martyriumq; vt conflictum, prælium, ac cruentum certamen indigetat. Quam ipse metaphoram mecum perpendens, mihi persuadeo, S. Augustinum, alioſq; eum secutos Patres hanc ab Apostolo Paulo loquendi rationem tropicamque phrasim esse mutuatos. Hoc porro modo Ephesios compellat ille Gentium Doctor: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundirectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* Quin & apud Hebræos ijsdem vsus est tropis & metaphoris: *Deponentes*, inquit, *omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorem fidei & cōsummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Hæc verba ad martyrium nō mediocriter neminem nostrum non inuitant, quod ipse certamē & cōflictum nominat, quod in eo fideles vere aduersus mortem, diabolum, mundum, deniq; aduersus semetipsos decertent in quo certamine vt non deficiant animum despondēres, sed victoriam è contra consequantur, duos Apostolus stimulos quodammodo subdit & calcaria, primum patientiam, alterum Iesu Christi seruatoris nostri exemplum, qui proposito sibi gaudio & honore, quem patiendo sibi comparabat, omne probrum, infamiam, dolores & supplicia, quæ illi in monte Caluariæ crux erat allatura, nihili fecit. Hinc & Martyr, eius ad exemplum, posita sibi ob oculos gloria, quam morte & cruciatibus sibi acquirit, præter illum tolerantię stimulum, quo non mediocriter impellitur, supplicia omnia contemnit ac ridet, ac sæuissima quæq; tormenta illi nonnisi gaudia, flores, deliciæ ac rosæ sunt.

Ephes. 6.

Heb. 12.

Martyrium dicitur certamen & bellum.

Duo ad martyrium constanter tolerandū media.

II. Elogia martyrij.

Ceterum martyrium sanctorum est seminarium, Christianorum gloria, vitę radix, religionis testimonium, veritatis sigillum, patientię triūphus, charitatis excellus, cœli propagatione colonia, Ecclesię multiplicatio, ac fidelium semen Exodi initio dixisse Pharaonem satrapis suis legimus, *Venite, sapienter opprimamus filios Israel, ne forte multiplicentur.* & illico subnectitur: *Quantoque opprimebant*

Exod. 1.

Sanguis martyrum Christianorum semen.

bant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant Idipsum in primigenia contigit Ecclesia: quo enim tyranni feritate & rabie perciti; magis fidem pitebantur exstinguere, Euangeliũ euertere, religionem perdere, crucem obruere, & Christianos, Ecclesiam fidelium morte, interitu ac sublatione auferendam & delendam rati, eo ipsa efflоruit magis, eo eius status fundatus solidius, sacramenta inualuere potentius, fides altiores egit radices, & Christianæ fidei limites eo sunt latius propagati, & eo Iesu Christi seruorum ac fidelium numerus redditus copiosior. Quam rem, Deiq; circa hoc prouidentiam demiratus è primis Ecclesiæ Patribus quidam dixit, sanguinem Christianorum effusum semen quodammodo fuisse, è quo vno demortuo sexcenti de nouo exsurgerent.

Vineæ cum Ecclesiæ similitudo.

Hæc animo voluens, mirari desino, cur tot ies, tum in parabolis, tum in ænigmatis ac figuris, Redemptor ipse simul & Propheræ, vineæ cuidam Ecclesiam assimilarint. Magna namq; ac mira inter vtramq; est similitudo, ac parallela proprietas, atq; hæc inprimis notanda est, & proposito meo mirifice deseruiens, quod quemadmodum vinea eo crescit magis, vuasq; copiosiores profert, quo pampini plures ac propagines præsecãtur; ita quo Ecclesia magis persecutionibus ac procellis exagitatur, eo magis excrescat, ac latius fines suos extendat. Mors siquidem aliquot filiorum eius aliorum plurimorum de nouo est productio.

Ioan. 12.

Huc facit, quod apud Ioannem Saluator ait, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Eius enim vnius mortem vitas centum progignere. Vno quidem sensu denotabat, hominẽ nisi in terram cadens, id est, humilians se, & præ humilitate terram se esse agnoscens, se mortificet, vt quidem mundo mortuus esse videatur, solum manere, id est, nullam tum sibi, tum alijs vtilitatem afferre. Alio vero signat, glorioſos illos Martyres, velut vera frumenti grana, in Ecclesiæ area triturata, & in terram coniecta, & humi à tyrannis allisa, tormenti ac suppliciorum grauitate emorientes centuplum fœnus attulisse, ac pro vna qua excidebant vita, centum alias Ecclesiæ reddidisse.

Atq; hanc ob causam veteres illi Patres nihil esse Ecclesiæ vtilius aut maius martyrio censuerunt. Primus hoc de illo iudicium tulit & omnium nomine testimonium Augustinus, *Sancti Patres*, inquit, *nihil maius soluerunt esse martyrio*, nihil dignius, nihil denique excellentius, vnde & Theodoretus rationibus & exemplis ipsum astruens ait: *Hinc est*, inquit, *quod cum multi viri fuerint in mundo celebres, tum victoriis clari, tum regia potestate, nulli eorum nunc honos tribuitur, nullius gloriosum est sepulcrum nisi martyrum.* Indead exempla transit, & veterum monumenta excutiens subiungit: *Vbi nunc sepulcra Alexandri, Iulij, Augusti, aut Pompeij? memoria vero Martyrum durat, & eorum nomina imponuntur fidelibus, & eorum sunt sepulchra gloriosa, quæ adomnibus inuisuntur, & eorum ossa veneratione habentur: impletumq; est illud Psalmi CXXXVIII. Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Certissimum namque est, Martyres tametsi olim exiguos & pauperes in hoc mundo, hodie honore & gloria Cæsaribus Alexandris & maximis mundi monarchis præcellere.

Lib. de Martyrio.

S. Martyres illustriores quam mundi principes

In hoc scilicet martyrij magnitudo consistit: nec vero in hoc duntaxat, sed etiam quod in eo charitatis Christianæ perfectio & summa sita sit. Et sane Angelicus Doctor Thomas, inter omnes virtutis actus, maxime martyrio demonstrari ait perfectionem charitatis. Quam rei huius fundamentalem assignat rationem, hæc est: eo quis erga rem aliquã magis affici perhibetur, quo magis eius causa contemnit, quod carissimum habet, & amplectitur arctius, quod maxime habebat exosum. Certissimum porro & exploratissimum est, inter omnia vitæ huius bona, vitam homini esse carissimam & intimam, nihil autem habere exosius ac fugere magis quam mortem, ac præsertim si doloribus permissa sit, quos corporea tormenta causantur, quorum metu & apprehensione ipsa etiam bruta multis abstinent voluptatibus, naturalibus duntaxat delicijs contenta, vti ipsemet Aug. testatur. Quæ cum ita sint, indubitatum est Martyrium inter reliquos humanos actus esse perfectissimum, vt extremæ dilectionis nota, notam.

Martyrium magnam Charitatis perfectionẽ denotat.

2. 2. q. 124. art 3.

Lib. 13. qu. Martyrium maximi amoris nota.

notam, & maximæ charitatis argumentum, iuxta hoc Euangelij pronuntiatum, *Maiorem hac dilectionē nemo habet, quam vt animam suā ponat quis pro amicis suis* & sane ratio hæc valida & potens est.

Ioan. 15.

Martyrium charitatis triumphus.

Martyrium ergo honor, triumphus, pretium & summus dilectionis est valor, vltimus amoris & charitatis erga Deum gradus etiam è Redemptoris sententia apud Ioannem dicentis: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Martyr porro mortem oppetens, vitamque pro Deo exponens, maximum sane amorem patefacit, eoque facto super omnia diligere se Deum testatur, magis quam honores inquam, quam amicos, quam vitam quam seipsum, denique plus quàm omnes omnino creaturas, qui vltimus, perfectissimus ac supremus amoris est gradus, quoq; dari altior nequit.

Ioan. 15.

Exod. 28.

Summus in lege Mosaica Sacerdos, è rituum cæremonialium præscripto in pectore & humeris omnium tribuum gestabat nomina, sed Dei viui nomen gerebat in capite aureæ insculptum laminæ: vt hinc manifestum fieret, si cor & humeri, id est, affectus & auxilium proximo rebusque mundi huius debentur, caput & locum supremum Dei summi amori dilectionique impendendum. Atque hoc re ipsa martyr testatur, cum summi huius DEI amore mortem ipsam perfert, eius honorem, gloriam & amorem rebus omnibus anteponens.

Dei amor rebus omnibus præferendus.

Marc. 12.

Legis quidam peritus cum à Redemptore petisset, ecquod primum ac maximum in lege mandatum esset, audit extemplo ab eodem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis, hoc est primum ac maximum mandatum.* Quo audito responso subintulit legisperitus, *Bene dixisti magister, quia vnus est Deus:* quem qui eo quo dixisti modo & affectu diligit, næ ille maiori afficere honore & amore nequit, atque hoc omnia mandata longe transscendit, & holocaustis omnibus ac sacrificijs multo est dignius. Cum ergo Deum martyr ex toto corde, omnibus viribus etiam cum vitæ suæ dispendio diligat, sequitur tum iuxta Redemptoris, tum iuxta legisperiti huius sententiam ac testimonium, maiorem illum, seipsum vltro immolando, erga Deum amorem dilectionemq; patefacere, quam veteres suis victimis ac sacrificijs tam genere præstantibꝰ, quam numero infinitis. Atque hoc scilicet quidam dilectionis est excessus & summus quidam amor.

Deum ex toto corde amare est primum in lege mandatum.

Accedit huc, quod martyrium primus & maximus fortitudinis sit actus, qui ab aliquo exhiberi queat & ostendi. cum enim circa rerum arduarum exercitium virtꝰ versetur, ipsa sane fortitudo præ alijs, id quod labores maximos includit, ac perdifficile est, pro obiecto habet, & exercitiorum suorum scopum & palæstram: eo quod mortem, quæ ex Aristotelis sententia omnium terribilium est terribilissimum, præ oculis vt scopum habet. Idem ipse Philosophus in Moralibus docet, fortitudinem, vehit occupationum suarum palæstram, mortis habere pericula: ipsa namq; animum corroborat, mentemq; confirmat, ne forte mortis formidine ac metu de statu dejiciatur, à bono & honesto resiliat, & à cœpto virtutis cursu deflectat. Cum ergo fortitudinis proprium sit animo vires addere, eique in boni exercitio hoc velut pondus, ne nutet, subijcere in aliis etiam conflictibus omnibus mors minime certa est: quin imo masculus animus aliis etiam mortem inferre non dubitat, suam vt effugiat, honoremque consequatur, & tametsi vitam præsentaneo exponat periculo, ea tamen se minime priuandum arbitratur. At martyr extraordinario quodam motu, & animo plane heroico & generoso in mortem ruit, supplicijs se exponit, sine vlla effugij spe aut inducia, nisi forte miraculo quodam diuinitus subducatur. Et profecto manifesto vitam periculo exponere, eiusque iacturam haud perhorrescere, & in mortem plenis quodammodo velis tendere, animi generosi ac strenui iudicium est, ac summæ fortitudinis opus, & proinde summe deprædicandum; æternisque laudibus dignissimum.

Martyrium primus actus fortitudinis.

Lib. 2 Ethic. c. 6. & 9.

Martyr manifesto se mortis exponit periculo.

Abraham Patriarcha cum illustre hoc coram Deo simul & hominibus opus præstitis-

Gen. 21.

ſet, vnigenam ſcil. immolare filium in monte dum parat, & iam dextram in ictum librasſet, Deus, ecce, eum pergere verans his eum vocibus compellauit, *Quia fecisti hanc rem*, id eſt, cum tam generoſe te geſſeris, tãtos prætuleris animos, vt nec proprio parcere ſtatueris filio, cum tam illuſtre tentaris facinus, *multiplicabo ſemen tuum*, beabo te, proſperitate affluęs, & tot ex te naſcentur proles ac nepotes, quot cælum ſtellas habet. Conſtat autem martyrium actum eſſe multo illuſtriorem, & martyrem qui ipſum ſubit, longe illuſtrius patrare opus maioriſque meriti: ipſe namq; ſe immolat, & magna animi conſtantia in mortis ſacrificium conſecrat, propriũque ſanguinem profundere & exponere minime dubitat.

Ioan.12. Dixit olim apud Ioannem Redemptor paradoxon illud peregrinum, *Qui amat animã ſuam, perdet eam: & qui odit eam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam* nouum profecto & exoticum dogma, doctrina inaudita hactenus, & recens ad omniũ aures accidens. Quis audiuit, vitam & animam ſuam odio proſequendam, cum ipſa nos doceat & vrgeat natura, nos vt ipſos præ rebus alijs diligamus. Illuſtre hic reconditum latet myſteriũ: nam per animam eo loci, vti & alijs plurimis, in ſacris litteris vita intelligenda venit: ac proinde ex S. Auguſtini expoſitione, is verborum ſenſus eſt: Qui vitam amat, & delicijs voluptatibuſque eam dedicat, genioque genialiter indulget, eius in perpetuum amittendæ ſe periculo exponit, at qui eam odit ac perſequitur, ieiunio, maceratione, vltroneiſque eam affligens ſupplicijs, ipſam cuſtodit, & in tuto collocat. Martyr porro profecto eam odio proſequitur, cum morti ac tormẽtis illam obijciat, quo nulla dari cogitarique maior conſtantia ac fortitudo virilior in hoc mundo poteſt, in quo proinde ipſum Redẽptoris conſilium amplectitur, dum eam perdeudo exoſamque habendo, conſeruat, & in vitam æternam ſummo cum honore cuſtodit.

Martyr vitam exoſus in vitam æternam cuſtodit eam.

Matt.10. Eodem itidem ſenſu, ſed alijs verbis apud Matthæum, eodem etiam ore dictum eſt, *Qui perdidit animam* (id eſt vitam) *ſuam propter me, inueniet eam.* Martyrum hoc dictum eſt intuitu, qui ſuam tunc perdere videntur vitam, cum ad mortem ac cruciatus pertrahuntur: verum tum potiſſimum eam inueniunt, & magno ſane impendio, cum vitæ ad triduum forte vix duraturæ loco æternam ſibi comparant. Huc ex parte Sapiens alludit dicens, *Viſi ſunt oculis inſipientium mori*, cum ad tormenta raptaretur, *illi autem* mortis pretio vitam ſibi immortalem compararunt, & modo *in pace ſunt*, æternæ gloriæ beatitudine æternum perfruentes. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.* Adeo vt generoſi illi athletæ omnes mundi fortunæque caſus & perſecutiones neutiquam morati, moriendo vitam in tuto collocent, & in arena & ſtadio ipſo exſpirantes, de aduerſarijs triumphum luculentiſſimum agat, victoreſque abeant. *Sap.3.*

Apud Matthæum dixit olim eodem loco Seruator, ſed verbis paulo durioribus, *Qui non accepit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus* id eſt, indignus eſt, qui meus dicatur ſeruus, meq; Dominum habeat. Generoſi porro martyres hãc in humores crucem accipiunt, & morti ſe exponunt: ipſi ſunt, qui ſequuntur Dominum; eiuſque crucifixi imitantur exemplum: hinc ipſo digni ſunt, iuxta ea Sapientis verba, *Deus tentauit eos* cruciatibus, ſupplicijs, morte, *& inuenit eos dignos ſe*, dignos inquam diſciplina, dignos malitia, dignos deniq; amicitia ſua & ad huiuſmodi tentationum lapidem veluti lydium probatos dignos iudicauit, qui ad honores ſuſtollerentur, dignos qui ad Ieſu Chriſti conſpectum admitterentur, dignos deniq; immortali & ſempiterna gloria. Exclamare ergo iuuat: O ingens martyrij decus, & ſumma eiuſdem excellentia! cum amaritudinem in dulcedinem, ſpinas in roſas, putiſcentiam in zibethum, probrum in decus, lachrymas in delicias, mortem deniq; in vitam lætiſſima metamorphoſi commutet. *Matth.10.* *Sap.3.* Martyres moriendo vitam nanciſcuntur.

Certiſſimum eſt autem & exploratiſſimũ, peccati pœnam mortem eſſe, & in primi parentũ noſtrorum delicti caſtigationem, iam inde in terreſtri paradiſo lata Dei ſententia omnes omnino mortales morti & corruptioni ſecuturæ adiudicatos eſſe; at infamem Mors peccati pœna.

hanc

hanc pœnam, & probrosam maculam in maximum decus & gloriam conuertit martyrium. Præeuntem hic mihi habeo magnum Augustinum, qui libris de Dei ciuitate idipsum docet, *Mors pœna nascentis, si pro iustitia pietateque pendatur, fit gloria renascentis.*

Lib. 1 c. 6.

Apostolus item in ea, quæ ad Romanos, palam docet mortem esse peccati stipẽdium ac mercedem, id est, pœnam & castigationem. Nemo id quidẽ negarit, at si mors hæc Dei nomine perferatur, hoc peccati manubium, & hoc probrum, hæc infamiæ nota, ac turpis & funesta hæc pœna in honorẽ, gloriam, triumphum, vitam denique commutatur, secundum illam Psalmographi sententiam, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, atq; inprimis Martyrum, in quę verba hãc paraphrasin cudit S. Cyprianus, *Pretiosa mors, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accipit coronam de consummatione virtutis.*

Rom. 6.

Psal. 115.

Epist. 12.

Martyrium summæ potentiæ triũphus est.

Equidem insuper addidero martyrium esse supremæ cuiusdam potestatis triumphum, & maximum benignitatis, mansuetudinis, ac suipsius contemptus perfectionem, Martyr quippe vitam prodigens de veteri homine triumphat, prauos affectus retundit, passiones refrænat, seq; ipsum Deo totum in gratissimum offert sacrificiũ. Proposito nostro mirifice quadrabit, quod in primo Regum libro legere est. A chis regis Philistæi Satrapæ & optimates coacti in cõsilium, de Dauidis exteri commoratione inter se consulturi, hanc tandem vno ore tulere sententiam, *Quomodo hic poterit placare Dominum suum nisi in capitibus nostris, cum eo simus inimici?* Verus illẽ homo, magnus & iuratus Dei aduersarius est: eum ergo qui morti addicit, & in crucem rapit, Dei iram placat illi reconciliatur, eius gratiam sibi comparat, indulgentiam admissorum obtinet, remq; illi præstat longe acceptissimam. Hoc autem martyr facit, qui animo virtuteq; plenus veterem hunc tyrannum crucifigit, inueteratas illas rebelliones eradicat, omnes animi impetus retundit, commoda propria pedib. proterit, & insigni quadam mentis generositate & constantia plusquam humana, solum hoc ab homine mutuata, quod humano more velit, in mortem ruit.

1. Reg. 19.

Allegoria.

Facit huc non minus eleganter, quod eodem legere est libro, vbi dicitur, *Non indiget rex sponsalibus, sed tantum centum præputijs Philistinorum, vt fiat vltio de inimicis regis.* Scire vultis, ecquo hæc spectet allegoria? aures arrigite, mox dicam. Regum Rex Deus idem penitus ab illo poscit, cui benedictiones suas & gratias impertitur, vt nimirum prauorum affectuum suorum præputia ac superfluitates resecet, quo de inimico suo, id est, veteri homine, fiat vltio. Hoc autem quam perfectissime Martyr facit, de vetere homine illustrem vindictam sumens, cum proprium pessumdans amorem vita se exuit, mortis tormentis se exponit, crucemque, eculeos, extremaq; supplicia pugilice & constanter tolerat.

1. Reg. 18.

Martyr de veteri homine vltionem sumit.

Atque hoc est, quod ipse Redemptor suiipsius abnegationem vocat, & omnis vitę spiritualis esse basin dicit, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. Matth. vero cap. 10. violentiam quamdam nuncupat, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Apostolus mortificationis id donat nomine, dum Romanis scribit, *Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, &c. Alias etiam crucifixionem appellat, vti in ea quæ ad Galatas, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* At ipse Dei filius verbo vnico vitæ odium vocat, *Qui odit animam suam in hoc mundo.* Hæc porro omnia diuina quadam ratione martyriũ in se complectitur: qui enim ad ipsum se accingit, primo seipsum abnegat, cœlum violenter rapit, opera carnis perfecte mortificat, cum ipsam eculeis, tormentis & cruciatibus offerat, corpus quoq; & membra crucifigit cum concupiscentijs, dum letho ea exponere nõ veretur; vitam denique & animam suam odit cum eam negligat, & supplicijs & tyrannorum violentiæ tradat perdendam & enecandam.

Matth. 16. Luc 8. Matth 10. Rom 8. Gal 5. Ioan 12.

Martyrij profectio.

Martyrium ergo mirabilium omnium maxime admirabile est, suiipsius victoria, mortis contemptus, athletarum Iesu Christi gloria, animarum fidelium palæstra, animorum generosorum examen, primarium fortitudinis

Martyrij præconia.

dinis opus, charitatis perfectio, omnium denique virtutum Christianarum theatrum. Huic insuper regnum cœlorum certissimo velut merces debetur. In huius rei signum in Apostolorum Actis cœlum protomartyri Stephano reseratum visum legitur, cum iam ad extrema vitæ per lapidum imbrem redactus esset; vnde ipse ad rei huius nouitatem

Act.7. stupefactus exclamat, *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Vt hinc manifestum fiat, cœlum martyribus semper patere, eosque vbi primum corporeo hoc vinculo soluuntur, alterius vitæ possessionem adire, in qua verba beatitudo sita. Docuit hoc Redemptor suos, dum in mõte sic turbas est

Matth.5. allocutus, *Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* Martyr, qui propter iustitiam persecutionem tolerat, & Dei nomine recta cœlos

Martyres recta cœlum ingrediuntur. petit; nihilque impedimento est, quo minus possessionem eorum adeat, & eorum reddatur compos.

Hebræi olim mare rubrum, quod modo Erythræum dicitur, sine vllo impedimento & pede sicco peruio itinere pertransiere, vti

Sap.19. Sapientiæ cap. xix. legitur. Mare rubrum, cruentum martyrij mare est, in eo via est recta in cœlum dirigens, ac sine vlla peccati pœnæque remora eo conducens: vti namq;

In Apologet. Tertull ait, *Omnia huic operi id est, martyrio donantur, cum examinamur à iudicibus, à Deo absolumur.*

Martyrium semper cœli ianuas habet apertas. Ergo Martyrij est prærogatiua, quæ illi cum aquis baptismi communis est, cœli ianuas semper vt patentes habeat; homines tum beatos reddat in cœlo, tum in terra apud mortales immortales; honorem ijs hoc in mundo immensum afferat, & æternam in altero gloriam. Postquam Gedeonis & commilitonum eius, quas secum in bellum tulerant, lagenæ confractę sunt, quod ijs conclusum erat lumen, subito omnium oculis com-

Iudic.7. paruit. Hoc sanctus Gregorius Martyrib. adaptat; quo enim illi magis affligebantur, cædebantur, torquebantur, exagitabantur, ac

S. Gregor. supplicijs exhauriebantur, eo magis recondi tum in animo virtutum ac gratiarum lumen ostendebant.

Considerate vobiscum, obsecro: ecquod protomartyr Stephanus lumen, quam claritatem, quem fulgorem foras emiserit, dum eum lapidibus aduersarij rabie ac furore perciti adobruerent, & obrutum neci dederunt? Hæc namque de illo Acta Apostolorum habent: *Positis autem genibus, clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* O lumen admirabile! ô patientiam inæstimabilem! ô amorem erga proximum incredibilem, & hactenus inauditum! Ecquod etiam ab Andrea in crucem acto lumen emicuit? quale vero quamq; illustre ab Laurentio nostro in craticulam coniecto, & medias inter flammas posito prosilijt? de illo iam loqui oportet, quo ita ad alterum orationis membrum dilabamur. *Actor.7.*

Vix vllus est Ecclesiæ Doctorum aut veterum Patrum, qui non inclytum & admirabile sancti Laurentij Leuitæ martyrium celebrent, & omnigenis præconijs accumulent; hinc nemo est, qui non eius in honorem orationes, panegyricos, sermones, homilias, concionesque conscripserit: Leo magnus inprimis, sanctus Ambrosius, & Maximus ad Italos. Inter ceteros porro hoc illi occinit elogium Leo Magnus, *Quam clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustrata fuit Roma Laurentio* Scripsere de illo & Afris Augustinus, Græcis Gregorius Nazianzenus, & Ioannes Chrysostomus, alijq; alijs in locis & ad alias gentes. Omnes prope SS. Patres de S. Laurentij martyrio scripsere.

Nemo non sanctorum inuincibilem hunc animum & indomitum tormentis robur, hactenus nec visum, nec auditum in adolescẽti corpore, demiratur. Sanctus Ambrosius & Augustinus tribus illum pueris in fornacem ardentem Babylone coniectis, & inde sine vlla vstulatione non sine miraculo eductis assimilant. Addunt quoque vniuersam aulam cœlestem illustri pugilis huius certamini spectatricem adstitisse, & martyris viso robore & generositate, non mediocriter obstupuisse, iuxta illud Apostoli ad Corinthios, *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus*, id est, orbi vniuerso, cœlo terræ, & omnibus omnino creaturis. Sermo est sanctorum Martyrum Apostoli ore loquentium. S. Laurentius compar. ratus 3. pueris in fornace Babylonia. 1. Cor. 4.

Doctissimus Rupertus ad martyrij eius genus

genus alludens de illo veluti pisce quodam alio loquut⁹ est: *Laurētius*, inquit, *vnus & bene notus de magnis illis piscibus, & piscis magnus, idemq; assus, cuius assatura suauiter in tota flagrat Ecclesia.* Eisdem metaphoris vsus est & sanctus Augustinus & verbis pene ijsdem. *Ideo*, inquit, *de magnis illis piscibus, quos Petrus traxit ad terram, conuenienter hic electus est, qui Christo assaretur.*

Lib. 1. de diuin. offic.

III. Idē ipse Rupertus libro supra memorato, hunc ipsum Laurētium Abeli iusto innocuoque comparat. Audite loquentem: *Sicut in prima ætate Ecclesia protomartyrus Abel sanguis iustus clamat de terra; sic in Romana Ecclesia pretiosa mors beati Laurentij nouo & inaudito genere passionis clamauit in cœlum, & auditus est per mundum vniuersum.*

Lib. 4. de diuin. offic. c. 9.

Admirabile hoc eius martyrium mille in lege Mosaica, Psalmis, & Prophetis, factis, oraculis, figuris & præsagiis designatum fuit ac repræsentatum. Quoad legem Mosaicam namque in Leuitico legimus, *Hæc est lex holocausti, cremabitur in ultari tota nocte vsque ad mane* Hoc non inscite de glorioſi Martyris Laurentij morte exponi capique possit. eius namque martyrium verum ac perfectum holocaustum exstitit; eo quod corpus eius in craticula & carbonibus tota passionis eius nocte ad vsque alterius vitæ auroram, ac donec æternæ gloriæ illi sol oriretur, crematum fuit.

Leuit. 6.

Allegoria.

In Psalmis vero hoc illi quadrans reperitur. in sextodecimo quidem: *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*, quod dubio procul ad generosum & innocuum athletæ nostri animum referri queat. Solius quippe Laurentij est, hisce verbis vti, ac libere & audacter profiteri, igne, craticula, carbonibus, & dolorū acrimonia tolerantiæ meæ robur examinasti, animæ meæ fortitudinē expendisti, & eiusdem periculum fecisti, nulla interim, in me est inuenta culpa, erratum nullū, & omni in re mea tibi eluxit innocentia vitæq; sinceritas.

Psal. 16.

Oraculorum autem Propheticorum plurima hunc in scopum collineāt. Ab Ecclesiastico ducam exordium, in cui⁹ postremo capite quæ leguntur, Laurentio nostro mirifice nec inconcinne adaptes: *Liberasti me à prosura flamma, qua circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* An non hoc in Laurentium nostrum eleganter quadrat? quisquam ne melius aut meliori iure hæc eo vsurpare verba potuit? an non ipse solus velut inuictus & indomitus quidam adamas, atq; incōsumptibilis Salamandra, flammis restitit, & igni impositus de animi constantia neutiquam remisit?

Eccles. vlt.

In libro Iob hæc occurrunt verba, *Probabit me quasi aurum quod per ignem transit.* Crediderim equidem de seipso Iobum loqui, & de afflictionum, quibus eius patientiam probauit Altissimus, igne hoc intelligendum. Et quamuis nonnisi metaphorica & ænigmatica loquendi hæc ratio sit; vere tamen ac sine ænigmate pure simpliciterq; dicere Laurentius noster potest: Igne me non aliter probasti & examinasti, quam in fornace aurum solet.

Iob. 23. S. Laurentius igne examinatus.

Eodem in libro aliud est, & ad martyris nostri carbones insigniter quadrans. Capite namq; 30. dicitur *Cutis mea denigrata est, & ossa mea aruerunt.* Dices, Iobum his miserias suas, afflictiones, ærumnasq; verbis insinuare voluisse. Equidem haud diffiteor, non obstat tamen, quo minus & S. Laurentius ore Prophetę de se dicat. Ignis latera mea amburens vniuersam cutem meam denigrauit, atque ossa mea in craticula arefacta in cineres conuersa sunt.

Iob. 30.

Aliud suggerit Ezechiel, *Ecce igni datum est in escam, vtramque partem eius consumpsit ignis.* Nemo negarit, quin hoc de inuincibili martyre Laurentio capiendum sit. Ipse enim medios in ignes coniectus est, ijs pabulum futurus & alimentum, & illius vtrumq; latus incendio consumptum. Constat etenim generosum hunc pugilem tortorib. incendiarijs ac tyranno media inter tormenta dixisse, *Assasti vnam partem, versa aliam, & manduca* O virtus incomparabilis! ô animus, qui parem non habuit!

Ezech. 15. Laurentij tolerantia.

Inter ceteras Salomonis parœmias hæc mihi præ alijs ob excellentiam ac venustatem arridet, *Sicut igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat Dominus.* quod ipsum & cap. 2. Ecclesiastici reperitur. Fateor quidem hoc de omnib. in genere hominibus intel-

Ezech. 2. Prou. 17.

intelligendum, generoso tamen huic athletæ singillatim etiam accommodari potest. Deus enim optimus maximus corpus eius, cor, animum, & tolerantiam igne examinauit, non secus atque aurifex suum in camino aurum.

Hæc quidem sacra sunt de Laurentio testimonia è diuinis litteris petita, iam figuras ex eodem horto decerptas depromamus. Occurrit primum illa, si vel figura vel symbolum dicenda sit, parui interest, in libro Ecclesiastici: *Quasi thus redolens in diebus æstatis quasi ignis effulgens & thus ardens in igne.* Non ignoro ad litteram metaphoricum hoc elogium de summo Pontifice Simone accipi debere; mystice tamen ac figurate vitam ac mortem magni Leuitæ Laurentij eodem exprimi, haud vanus mihi sum augur. Ipse namque suaue quoddam thus exstitit, & gratissimus suffitus carbonibus accensis inardens, idque in die æstatis, id est, sub primigenia Ecclesiæ tempora. Obtulit siquidem Deo aeceptissimum sacrificium, aut verum potius holocaustum, cum totus igne fuerit consumptus, nullumque vmquam thus aut thymiama gratiorem odorem ac fragrantiam efflauit.

Eccli.50.

S. Laurentius assimilatur thuri in ignem coniecto.

Admirabilis huiusce sacrificij alia in Leuitico figura præcesserat, vbi dicitur, *Si autem de craticula fuerit sacrificium, æque similia conspergetur oleo, quam offerens Domino trades manibus sacerdotis; qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino.* Dicere fas est, ac iure meritoque dicendum, à S. Laurentio de craticula Deo esse sacrificium oblatum, cum in craticula assatus fuerit, & oleo insuper vndique conspersus, id est, pietate & feruore diuino totus perfusus; vti namque oleum flammarum & ignis est alimentum, & ignem cogit inualescere & gyros conuoluere elatiores; ita dilectionem Dei accendit pietas ac deuotus animi affectus. Vt persæpe in re culinaria fieri constat, vt caro oleo inuncta non aduratur, tametsi igni superposita; ita & in hoc feruore & pietate sancti Laurentij contigit, etsi enim illius anima ignibus superposita fuerit, ne vel minimum tamen est vstulata, id est, animus illius ne minimum concidit, nec de robore solito quidquam amisit, vt in ipso illud Isaiæ adimpletum fuerit vaticinium: *Cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te.* *Leuit.2.*

Figura.

Isai.43.

Primitiæ frugum nouarum si quando in lege Mosaica Domino offerendæ essent, hic erat seruandus ritus: *Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis igne, & confringes in morem farris, fundens oleum super ea, & thus imponens.* Vt rem hanc proposito accommodemus, dicimus Ecclesiam, dum frugum suarum, i. e. Martyrum ac Sanctorum, inter quos S. Laurentius inter primos fuit, & in ætate etiamnum viridi, offerre vult primitias, voluisse, vt ipse torreretur, & igne vstularetur, & in modum farris comminueretur, misericordiæ oleo, & orationis thure superiniecto. *Leuit.2.* Figura.

Eodem in libro verba hæc, veluti ritualia & ceremonialia, leguntur, *Omne sacrificium Sacerdotis in igne consumetur, nec quisquã comedet ex eo* S. Laurentius de ordine erat sacerdotali; seque ipsum Deo in sacrificium dum vult offerre, secundum legis Mosaicæ præscriptũ ac pronunciatum, igne erat consumendus, & carbonibus flammisq; ad cineres vsq; torrendus. *Leuit.6.*

Madianitis profligatis, & manubijs spolijsque ex hoste relatis Mosis ante pedes positis, sic vniuersum populum à prælio reducem Eleazar sacerdos est allocutus, *Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Mosi, aurum & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur, aqua expiationis sanctificabitur.* Hoc quidem legis præscriptum; sed illius iam dabimus mysteriũ. Perpetuum Deum inter & mundum certamen est; mundo ergo subacto, & sanctis præda eius ex agro intercepta onustis ad suos redeũtibus; cœlo iussum est, omne vt aurum, argentum, æs, ferrum, ceteraq; metalli genera, id est, Sanctorum maximi & illustrissimi, & Martyrum generosissimi fortissimiq; flammis inijcerentur, ibiq; expiarentur, vti Laurentio nostro factum est. Ceteros vero sanctorum, quib. ad huiusmodi flammas ferendas *Num.11.* Figura.

das vires non erant, aqua expiationis sanctificari, i.e. per pœnitentiam, lachrymarum effusionem, vitæq; austeritatem ad perfectionis apicem pertingere Deus voluit. horũ de numero sunt Confessores, Doctores ac sanctæ Virgines.

In sacris voluminibus varias etiam gentium circa ignem abominationes legere est. Samaritanos enim in quarto Regum libro
4.Reg.17. legimus filios igne lustrasse, *Et consecrauerunt filios suos per ignem.* Eadem Manasse Regi asscribitur impietas eodem in libro, *Et traduxit filium suum per ignem* & in Paralipomenon libro, *Transireq; fecit filios suos per ignem.*
4.Reg.21. 2.Par.33.
De impio Achab eadem inibi legitur superstitio, *Ipse est qui adoleuit incensum in valle Benennon, & lustrauit filios suos in igne iuxta ritum Gentium* Laudatur porro pius rex Iosias
1.Par.28. ob abominanda hæc sacra abolita lustrationesque sublatas, vnde legimus, *Contaminauit quoque Topheth, quod est in conualle filij Ennon, vt nemo consecraret filium suum per ignem*
4.Reg.23. *Moloch.* Eiusdem quoque impietatis meminit Psalmographus dicens, *Iuuenes eorum comedit ignis* Quod autem gentibus impietatis, sacrilegij & abominationis nequissimæ ac superstitiosissimæ nota fuit, apud Christianos in insignis sanctitatis argumentum, & vt veræ Religionis signum Ecclesia habuit, si filij nimirum sui igne lustrarentur, & Deo vero per flammas offerrentur, vti hodie Laurentius noster, cuius animus ab igne diuino æstuabat introrsum, quemadmodum foris vniuersum igne materiali corpus amburebatur.
Psal.77.

Angelus cœlo delapsus hæc Esdræ sacerdoti iussa perardua proposuisse legitur, *Vade, pondera mihi pondus ignis, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diẽ quæ præterit* Cui
4.Esd.4. ilico Esdras, *Quis natorum poterit facere, vt me interroges de hijs?* at Laurentio nostro quæstionis huius sublimis solutio ac responsio reseruata est, Esdra; solus ipse inter reliquos hominum ignis tibi dicere pondus poterit, vtpote qui ab vno latere assatus, sciens iam id satis superq; tostum esse, tyranno dixerit, vt in aliud verteretur, tantundem vt & in illud ignis sæuiret.

Quæsita perdifficilia Esdræ ab angelo data.

Prouerb.6. In Prouerbijs varias Salomon difficultates ac quæstiones proposuit, atq; hanc inter ceteras: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Quærenti quis respondeat, id quidẽ
Dan.3. iam olim Babylone factum esse, vbi tres adolescentes medios inter ignes constituti, & flammã tam in sinu quam corpus circumsecus ambientem habentes, vestibus tamen & membris illæsis ac sospites è camino prodiere. Sed hæc ipsa in Ecclesia nostra denuo cõtingere, Laurentius noster locupletissimus est testis: ipse namque ignem non sinu duntaxat abscondit, sed vniuerso etiam corpore excipit; nec prunis tantummodo inambulauit, sed sine vlla formidine, interritus & impauidus, in craticula medios super carbones extendisse, quantus quantus erat, à carnificibus passus est.

O supplicium inauditum! ô cruciatum nimis quam atrocem! ô tormentum intolerabile, ac minime ferendum! Referens ad Hebræos Apostolis veterum Sanctorum afflictiones & ęrumnas, quas Dei causa subierunt, & acerba mortis genera, quibus vitam suam illustres ac generosi martyres exposuere, hãc seriem texit, *Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, egentes, angustiati, afflicti.* sed si addidisset, *Combusti sunt, tosti sunt, super craticulam positi sunt*, quam porro maiorem narratione
Hebr.11. Magnę Sanctorum afflictiones.
horum cõmiserationem excitasset? quam eius fuisset oratio lamentabilior? quis sine lachrymis, aut ficco eam oculo legere, recitare, audire potuisset?

Hierosolymorum ruinam, excidium ac destructionem & piorum exagitationem exaggerans Psaltes, sic apud Deum optimum maximum conqueritur, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Hæc quidem
Psal.78. tristis est cantilena & elegia; tristior vero sit, & luctuosior, ac maiorem crudelitatem spirãs, audire ac dicere alios viui comburio absumptos esse, alios craticulę superpositos tostos esse, per ignem & prunas ardentes non-

nullos in cineres abijsse, vti Laurentio nostro contigit, qui ea tyranno subditus est supplicio, cui nullum vmquam est par seu visum, seu auditum.

Iobi ærumnæ & afflictiones à nemine non magno verborum pondere exaggerantur, eiusq; patientiam passim omnes mirifice celebrant; is tamen malis adobrutus ac tantum non immersus, legitur quasi impatiens expostulasse, *Iob.6.* *Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Perinde ac si dicere vellet, lapidum ac saxorum instar sensus expers non sum, nec vt æs fortis & indomabilis, non mihi corpus est æreum, nec præcordia ferrea, tam graues vt ærumnas ferendo sim. Dicerene ausim hoc in genere eo Laurentium fortiorem exstitisse, & victorem hunc martyrem maiorem tolerantiam, illustriores animos, & constantiam inuictiorem prætulisse? Temerarium hoc fortasse cuipiã, aut hyperbolicum videatur: nihilominus dicere mihi fas erit, si non maiorem, parem tamen, nec inferiorem & proxime accedentem Laurentio nostro magnanimitatem ac constantiam fuisse. Post Iobũ enim, quis vmquam amicorum Dei intensiores vehementioresque subijt cruciatus? Videte enim illum in craticula extensum, medios inter ignes constitutum, ignitis superpositum prunis, ardores explodentem, & carnificibus supplicij administris insultantem.

Patientia S. Iobi collata patientiæ S. Laurentij.

In cœlum vsq; laudibus euehunt Romani Mutium Scæuolam, eiusq; tolerantiam nusquam non deprædicant, quod igni intrepidus errantem in percussione purpurati dextram, iniecerit eam ardentem siccis oculis adstuporem omnium in cineres redigi cerneret. Inter alios sic de illo Seneca, *Lib.9.ep.69.* *Non dubito*, inquit, *quin magis laudauerim tu rridam illam manum Mutij, quam cuiuslibet fortissimi saluam.* Ceterum si Romanus hic adolescentis omnium celebratur laudibus, quod vnam tantum foco dextram iniecerit, quantis, obsecro, Laurẽtius noster dignus est, qui toto flammam in corpore pertulit, prunis se torreri finens, in craticula succensa extensus, super carbones versatus. Decioq; & eius satellitibus media inter tormenta insultans? Nulla inter vtrumque sane comparatio est, eiusque cruciatus Mutianos longo superant interuallo.

Equidem dum generosum hunc athletam & infractum martyrem in supplicio acerbissimo ridentem volutumque in prunis propius contemplor, Salamandræ ignes neutiquam metuenti comparare ausim, aut insectis illis ab igne dictis pyraustæ, quæ magno naturæ stupore in igne nascuntur & viuunt, & in fornacibus succensis agunt. Aut vero Achati gemmæ, aut illi, quam Hispani *Laxiam* vocant, grandinis in modum efformatæ, comparare: cuius ea est dos & quidem maxime mirabilis, quod igne non modo nõ consumatur, sed ne calefiat quidem; non flamma eam adurere, non æstus peruertere queat, sed contrarijs frigidisque qualitatib. gaudeat. S. Laurentius Salamandræ assimilatur.

Linum Carpathium ferunt ignes non metuere, & flammis ipsum inijci solitum, vt alborem induat adeo vt qui cetera omnia denigrat & consumit ignis, huic vni splendorẽ & colorem addat ac conseruet. Credite, Auditores, hæc qui admirabilia obstupescitis, maiorem vehementioremque Laurentium virtutem & habuisse & exseruisse: heroicus enim animus illius igne superari domarique non potuit, & quæ ad desperationem indignationemque alios redigere incendia solent, spem illi & tolerantiam suggesserunt, omnigena gaudia attulerunt, & immẽsam gloriæ ac meritorum segetem pepererunt. Naturæ prodigia.

Priscis Græcorum monumentis proditum est, fuisse nonnullos, qui spectantib. mirantibusq; plurimis, in sacrificio Apollinis, illæsi & indemnes prunis inambularunt. Vix fidem hoc apud me alioq; cordatiores inuenit; sed notissimum est, & certo certius, S. Laurentiũ martyrem non tantum prunis inambulasse, sed toto etiã corpore super easdem extensum fuisse, & magno Romanorum omnium cum stupore incendia, flammas & titiones ardentes pertulisse. Sunt qui prunis illæsi inambulant.

Huic ergo athletæ adaptare velim perdifficilem illum Psalmistæ locum, *Dominus o-* *Psal.40.*
pem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stra-

Cruciola Laurentiana lectus doloris.

stratum eius versasti in infirmitate eius. Non incommode hic de S. Laurentio capi queat, cuius craticula egregie & merito lectus queat doloris appellari, in quo victor hic pugil & infractus palæstrita recubuit, atque hoc in amaritudinis lecto opem illi Deus Opt. Max. tulit, & auxiliaturus misericordiæ eum oleo iunxit, eo quod omnes dispersit, & dedit pauperibus facultates. Deus porro lectum hunc afflictionis versat, inuersat, & ambit, vt solatium auxiliumque afferat, & in manu valida ardentem protegat.

Martyrium S. Laurentii theatrum mirabilium.

Vidistis, auditores, cruentam martyris generosi tragœdiam, quæ sane & lacrymas oculis & commiserationē pectore elicit palæstra; tametsi eadem ipsa ceu egregius quidam hortus sit, ad omnigenum virtutum flores inde decerpendos. Est item theatrum quoddam mirabilium ac prodigiorum Laurentij nostri certamen ac stadium, quin & illustris quædā academia, in qua heroicæ generosæque virtutes, constantia, fortitudo & infracta in aduersis magnanimitas reapse edocentur.

S. Laurentii martyrium sancta quædam philosophia.

Huc igitur ludum adite, fideles Christiani, huic philosophiæ animum applicate; discetis namq; hic intentum vehementemque erga Deum amorem, & extremam erga inopes indigentes caritatem: discetis insuperabilem contra aduersa omnia constantiam, indomitam in afflictionibus tolerantiam, mirabilem in persecutionibus generositatem, & videbitis quis aduersus Tartari & mundi insultus & oppugnationes sit gladius vibrandus.

Te vero mundi vindex, afflictorum spes, dolentium solamen, anxiorum & oppressorum asylum, & gementium auxilium: tu qui inuictam martyribus ad tam generose omnigena probria pro nominis tui gloria toleranda, constantiam & animos suggessisti, qui sanctis tuis aduersus omnigenos mundi insultus & aduersa arma necessaria in manus dedisti, sed qui Laurentio inprimis tātum animi, fortitudinis, ac virtutis es impertitus, vt mortem omnium acerbissimam dirissimamq; infracta mente perferret: te inquam animarum Redemptor supplices rogamus, nobis vt ad imitationem glorioſi huius Leuitæ, vires præbeas, quo resistere tentationibus generose valeamus, des in aduersis patientiam, rebus in arctis fortitudinem, in prosperis humilitatem, & quacunq; demum in fortuna generositatem. Vt Laurentio gratiam dedisti, hominum simul & angelorum Domine, ad incendia tormentorum perfringenda, ad cruciatuum ardores tolerandos, eandem obsecro nobis ne neges, vt animo, generositate, constantiaq; obarmati, delictorum exstinguere flammas, & æstuantes carnalium animaliumque concupiscentiam ardores suffocare & obruere mereamur, atq; inde de efferata brutalium passionum nostrarum tyrannide, & omnibus mundi tribulationibus triumphantes, tandem aliquando decurso vitæ præsentis curriculo, ad æternæ gloriæ repotia admittamur; ad quæ nos vnus in personarum Trinitate Deus, atq; is optimus maximus, deducere dignetur. Amen.

IN FESTO S. ASSVMPTIONIS DEIPARÆ VIRG.

Partitio.

1. *De supereminente B. Mariæ Virginis præcellentia.*
2. *De obdormitione Deiparæ.*
3. *De conuenientia suscitandæ Mariæ & seruandæ ab incorruptione.*
4. *Probabilitates aliæ super eodem priuilegio.*
5. *De triumpho & gloria assumptæ.*
6. *De cultu Virgini & matri debito.*

Quæ est illa quæ progreditur, quasi aurora consurgens, &c. Cant. 6.

FIGVRA.

MAGNA illa, prodigiosa & admirabilis nauis Noe, inquam, arca, postquam lōgo tempore diluuij aquis, fluctibus & tempestatibus agitata, procellis & tempestatibus concussa innatasset, in montibus Armeniæ tandem sterit. Hodie vero videmus gloriosam Mariam Virginem, veram arcam, quæ

verum Noeum saluatorem & restauratorem totius vniuersi tulit, postquam longo tempore super aquas, & miseriæ & tribulationũ vitæ huius tentationum ventis pulsata, & tot tãtarumq; tempestatibus ac procellis aduersitatum agitata, natasset, in montibus æternis substitisse. Est hoc festi gloriosæ Assumptionis occasio & subiectum, subiectũ triumphis & mirabilibus plenum, subiectum quod homines simul & Angelos ob Reginæ suæ coronationem recreat & gaudio replet. Tu vero sacratissima Virgo, quæ hodie instar auroræ ascendis, quæ pulchra vt luna es, electa vt sol, & terribilis vt castrorum acies ordinata, cum de tuo hic honore agatur, tua gloria in aciem hic veniat, nobis gratiam impetra, opem cœlestem implora, cymbam hanc nostrã dirige, cumq; hodie te Angeli cœlum ingredientem noua quadam salutatione compellent, nos veteri te salutatione, quæ tibi olim ab Angelo Gabriele impertita fuit, compellabimus, communi voce dicentes

AVE MARIA.

I. Mirabilia Apellis opera.

Magnus ille, celebris & admirabilis pictor Apelles, de quo tanta tradit, quemq; tanti olim fecit Antiquitas, vt nomen suum ad posteros egregio quodam opere transmitteret, Venerem quandam pingere voluit, quam vt perficeret & omnib. numeris absolutam redderet, decem ipsos annos in illa depingenda impendit, sed tantum huc cõtulit ingenii, laboris, industriæ & artificij, nullum vt simile opus à quoquam fuerit alias elaboratũ: adeo, vt, cum publice Athenis spectanda proposita esset, & omnes eam extollerent & pro dignitate admirarentur, vtpote quæ omnium animos & oculos simul raperet, iuuentus Athenensis in eius amorem exarserit: quamobrẽ visum senatui ad desideria iuuenilium, & lubricorum cupiditatem restringendam, imaginem tollere, eamq; in loco aliquo non ita patulo ponere, ne quam forte reip. corruptionem afferret, & adolescentum animos nouo cupiditatis fomite succenderet.

Maria nulla imago pulchrior.

Magnum hoc & stupendum artis & naturæ miraculum; sed non sunt huic imagini cogitationes vestræ ita affigendæ, auditores, vt auellere nequeatis, nam quid aliud longe dignius admirari & obstupescere par est. Videre quippe hic licet opus centuplo perfectius, admirabilius & subtilius: videre licet, inquã, pulcherrimam, elegantissimam, perfectissimã imaginem, qua nulla in mundo vnquam conspecta fuit dignior Imago hæc Deipara est, non Dea impudicitiæ, & lasciuiæ vermis, sed sacratissima Maria Virgo, omnis castimoniæ regina. Qui eam depinxit pictor, Spiritus S. est, quod impensum est tempus, quinque annorum excedit millia, sed opus ipsum & imago adeo præclara sunt, vt cum in die natiuitatis esset in terra ad spectandũ proposita, & hodie in die assumptionis in cœlũ euecta, totus orbis obstupescens confiteatur nihil se vnquã simile conspexisse, vnde canit Ecclesia:

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Libro tertio Regum dicitur Salomon regium construxisse thronum, idq; ex ebore, & auro mundo eum conuestijsse, & ecce addit scriptura simile nihil vnquam conspectũ fuisse, *Nõ est factum tale opus in vniuersis regnis.* Regum Rex Deus cum virginem hanc conderet, quæ veri Salomonis Christi esse debebat thronus, eamq; ex ebore castitatis efformaret, & mundissimo caritatis auro conuestiret, tam luculentum id opus fuit, nihil vt in omnibus mundi regnis simile apparuerit, nec in Angelorum regno in cœlo, nec hominum in terra. 3 Reg. 10.

Deipara throno Salomonis assimilata.

Scriptura de templo Salomonico agens, res tam nouas & admirandas profert, vt nisi credere teneremur, quod Dei verbum sit fallere nescium, incredibilia crederemus, quod nimirum, *Ædificarunt eam annis septem*, cum tamẽ quotidie septuaginta millia onera portantium, & octoginta millia latomorum in eo occuparentur. Ipse quoq; ædificij fabricator & constructor dicebat, *Grande opus, nec enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Sane quicumq; magnitudinem, maiestatem, & quidquid in prædestinatione & perfectione Virginis huius peractum est, propius intueri voluerit, quod quinque annorum millibus & amplius in eius consummatione laboratum sit, quodq; 3 Reg. 6. 3. Reg. 5. 1. Par. 29.

quodq; vniuersa Trinitas in ea perficienda allaborarit; merito Salomonis hæc verba repetere potest, *Grande opus*, admirabile, & nõnisi ab omnipotentis Dei manu profectum, nec proinde mirum cuipiam videri debet, si opus sit admirabile, *Neq; enim homini præparabatur habitatio, sed Dei filio*, cuius illa esse Mater debebat.

Quamobrem D. Thomas cum eius mirabilia, dotes, gratias, & perfectiones considerasset, tandem concludit, ipsam quoddam omnipotentis Dei opus, & singulare quidem exstitisse, sed perfectum adeo & admirabile, vt Creator ipse maius aut perfectius aliquod efficere non posset. Omnipotentiã enim Dei examinans, & inuestigans, num agens illud infinitum & æternum pulchriora & præclariora quædam facere posset quam ea quæ fecisset, & mundum aliquem ab ipso quo fruimur perfectionem fabricare, concludit tandem & asserit, posse. Tria tamen ab ipso facta tam perfecta, vt imposterum perfectiora excellẽtioraue efficere nequeat, scil. ipsam, quã Beatis parauit gloriam & compensationem, deinde Iesum Christum, in quantum erat homo, deniq; gloriosam Deiparam Mariam: nã vt priorum ratio omittatur, creaturam aliquã Deus altius eleuare non poterat, aut maiorẽ ei honorem, gratiam aut perfectionem conferre, quam creatoris illam matrem, & cœli terræq; Reginam constituere. Quod ipsa Virgo etiam obstupescens, alios admirari etiam cogens ait, *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Quasi diceret, magnificare Dominum debet anima, eiusq; potentiam deprædicare, quod in me magna patrarit, & sane (Virgo sacratissima) ita magna & eximia, nihil vt maius digniusue dici aut fingi potuerit.

1 p. q. 25. ar. 4 Deipara opus Dei primarium.

Luc. 1.

Magna Deus in Virgine fecit per gloriam gratiam & naturam.

Et sane omnipotens Deus magna in Virgine hac fecit; primo in eo quod gloriam illius spectat, illam hodie super omnium tum Angelorum, tum Sanctorum gloriam extollendo, deinde etiam quo ad gratiam, vtpote cui maiorem amplioremq; hac in vita gratiã quam omnibus simul creaturis communicarit, tum deniq; quo ad naturam, plura siquidem illi merita ac dotes maioremq; pulchritudinem contulit, quam alteri cuidam mulieri, quæ hac aliquando in terra vixerit. Fuit scil. Deipara vera Apellæa imago, quæ in admirationem amoremq; omnes omnino homines pellexit. Ita hoc prædixit Psalmographus, *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Id est, Ita te, Virgo, perfectionibus locupletabit Deus ac ditabit dotibus, vt ditissimi quiq;, quos orbis fert, easdem sint admiraturi, magnumq; sibi honorem exhiberi putaturi, si vultum tuum adorare & colere posse illis contigerit.

Psal. 44.

Iudicium Dionysij de Deiparæ pulchritudine.

Dionysius Areopagita, cum audiuisset tãtam è virginali hoc vultu elucere pulchritudinem, patriam reliquisse dicitur, & in Iudæã venisse Deiparam visurus: quam mox vt vidit, maiorem è vultu illius pulchritudinem emicantem conspicatus est, quam ab alijs audiuisset, quare illam demiratus, & venerandam vultus maiestatem ex oculis & fronte promicantem veneratus ingenue confessus est, se, nisi diuinitatem quandam in cœlo latitantem docuisset fides, aliud in terra numen præter hoc ipsum non adoraturum, credebatque nullum diuinius in terra subiectum posse & augustius reperiri.

Iudith. 10.

Milites Assyrij, interea dum Bethuliam obsiderent, visa Iudith viduæ pulchritudine capti fuere, quin & ipse Imperator Holofernes, mox vt in conspectum eius venit, oculorum illius illicio inescatus est, & confessus, similẽ aut parem se nunquam conspexisse, *Cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes.* Nulla fuit cum Deiparæ pulchritudine Iudithæ pulchritudini affinitas, comparatio nulla, fuit enim totius vniuersi admiratio, naturæ stupor, omnisq; tum cœlestis, tum terrenæ venustatis ornamentum. Atq; ideo fideles omnes Ecclesiæ militantis milites, qui eandem vel in terris cogitationũ oculis videre potuere, confestim vultus illius pulchritudine, & animæ dotibus capti & illecti fuerunt, vt libere aperteq; confessi sint, nihil vnquam solem vidisse admirabilius, atq; hinc extra se rapti, inq; illius affectum transformati, suum illi obsequium, affectum & cultum lubenter meritoq; ab eo momento, dedicarunt.

Iudith pulchritudini præfertur B. Virgo.

In officijs Cicero de virtutis venustate ac splen-

splendore loquens, tam venustam eam & exactam esse tradit, vt si humanis cerni posset oculis, admirabile sui in animis hominū excitaret desiderium, atq; omnes in amorem suū pertraheret. Quod orator ille de virtutis dignitate, mihi potiori iure de Deipara virtutum omnium Regina dicere licuerit, dico igitur tantum illam pulchritudinis in vultu, tantum in animo gratiarum cōtinere, nullus vt vnquam propius illam sit intuitus, qui non eandem admiratus sit, & eius exemplo ad virtutum ac vitæ imitationem fuerit incitatus. Non loquar hic de hominum stupore, non dicam quo modo eam creaturæ omnes sint demiratæ, quo ad Angelorum admirationē, stuporem meritorumq; illius prædicationem descendam. Audite enim vt illa cœlum subeunte, admirantes, consternati, perculsique clament: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, & electa vt Sol?* Subiectum hoc thema meæ panegyreos, quā vt debito ordine prosequar, primo mortem & assumptionem Deiparæ proponam, deinde illius ad cœlos ascensum describam, & gloriæ magnitudinem recensebo.

II. Nonnullorum opinio Virginem vna cum Filio exstinctam.

Principio igitur, quamuis historici non cōueniant in mortis Deiparæ tempore & circumstantijs recensendis, omnium tamen simul opinio est, vna cum Filio illam non expirasse, vti nonnullorum scriptorum sententia fuit, sed longo post illum tempore mortē obijsse, quod mysterij huius & historiæ summa est & breue compendium. Certum quidem est ac manifestum, nullum in sacris litteris reperiri locum, qui Virginem mortuam doceat, adeo vt credere possemus, nunquam illam mortuam fuisse, vti indubitate Enoch, Eliam, & Ioannem Euangelistam mortem nō sensisse credimus, qui tamen in fine sæculorum morituri sunt, vt ipsa Apocalypsis tradit, cum nullum scripturæ haberi possit testimonium, quod refragetur: Discimus quidem generaliter è sacris litteris omnibus mortē oppetendam: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, ait Apostolus, & *quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* canit Dauid: at hūc autem illum mortuum esse non traditur, at è cōtra è scripturæ cui potest, aliquos nondum obijsse. Verum sacra & sancta docet traditio, quæ per tot jam secula inuiolata permansit, virginem vere obijsse. Traditione igitur id constat, non vero è scriptura.

Apoc.12.

Hebr.9.

Psal.118.

Traditione constat, Virginem obijsse.

Dicere vero vna cum filio illam obijsse in tristi Caluariæ tragœdia, Scripturæ simul & Euangelistis aduersatur. Constat enim sacratissimam Virginem, filio patiente & in crucē sublato, iuxta crucem firmam infractamque constitisse. Quin & in Actis Apostolorum traditur, illam post filij ascensionem vna cum Apostolis in die Pentecostes Deum orasse, *Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus & Maria Matre Iesu & fratribus eius.* Ad hæc Ecclesiasticæ historiæ docent, Dionysium Areopagitam illius videndi causa in Iudæam profectum, eamq; tot à morte filij annis in terra conspexisse.

Virginem vna cum filio obijsse Euangelio repugnat.

Igitur vna cum filio non est mortua, sed lōgo deinde post tempore: idq; duas ob rationes prægnantissimas, primam quæ ipsam spectat, alteram quæ nos, vt scilicet ipsa merita varia coaceruaret, ac velut fascem colligeret: cum enim vita hæc ad merendum concessa sit: hinc diutius viuere illam permisit Deus: nostri vero respectu, vt hac ratione varijs hæreticis via obstrueretur, ac præsertim Manichæis, credentibus Christi corpus verum nō fuisse corpus, sed phantasticum, euanidum, apparens, aereum: quos vt conuinceret Christus, Virginem ac Matrem suam in terra commorari voluit, vt fidelis ac vera testis foret, omnesq; illam conspicati sibi persuaderent, filium verum ac reale corpus habuisse, quale habere matrem videbant.

Cur Virgo post filium vixerit.

Aliam adhæc rationem adfert Anselmus, docetq; idcirco vitam illi productam, vt in filij absentia Apostolos, ceterosq; fideles edoceret, Ecclesiēq; solatio foret. Prouidit solerter haud dubie natura, vt Sol & Luna nunquā simul à terra absint, adeo vt Sole absente Luna radios & lumen diffundere soleat. Maior etiam fuit sapientia naturæ ipsius auctoris in Ecclesiæ suæ bono procurando, censebat n. rationi consentaneum non esse, vt Christo Sole Iustitiæ in cœlum sublato, Luna, id est, Deipara, quæ pulchra vt luna, simul cum ipso in cœlum ascenderet, manſit hæc igitur

Lib. de excel. Virg.

super-

superstes, ad Ecclesiam illustrandam, & fulgore suo illuminandam.

Opinio nonnullorum Virginem morte violenta obiisse.

At quo mortis genere sacratissima hæc Virgo occubuit? nonnulli, martyrio & morte violenta illam extinctam credunt, verbis illis Simeonis innixi, *Tuam ipsius animam doloris pertransibit gladius.* At falsum hoc est, & contrarium figuris affirmari potest. Nam in Deuteronom. Mosi præcepit Deus, Æ *dificabis ibi altare Domino Deo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Vti Deus ferrum tangere lapides altaris vetuit, ita & Virginis huius membra.

Deut. 27.

Libro tertio Regum velut miraculum refertur, numquam malleum, securim, serram, aut aliquod ferramentum in Dei domo esse exauditum, interea dum ædificaretur, *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, dum ædificaretur.* Ita quoque gladius nullus, nulla violentia, aut cruciatus in virginis huius corpore, quod vera Dei domus, cum ex hoc mundo decederet, fuit exauditus.

3. Reg. 6.

Virgo mortem filij sui extincta est.

Dicendum igitur, alijs curiositatibus relictis, filij sui morte eam extinctã esse, quod hac ratione probo: Eamdem quam filius vitam vixit Virgo, eadem ergo qua ille morte exstincta: non quod eamdẽ Christum & Matrem animam habuisse velim, sed eo modo quod dicitur in Actis, *Credentium vnum cor & anima fuisse*, idque vt magnam vnionem communionemque, quæ inter primitiuæ Ecclesiæ fideles erat, amor porro & vnio Christum inter & Matrem adeo perfecta erat, vt vna amborum vita esset. Atque vt de se Paulus ait, *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus*, ita Virginis animæ filio sic vnita erat, vt merito parodice dicere posset, *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Filius.* Cumque vita filij vixerit, sequitur etiam morte illam filij occubuisse.

Act. 4.

Galat. 2.

Tanta Ionathan inter & Dauidem fuisse scribitur coniunctio, vt anima Ionathæ animæ Dauidis adglutinata amoris visco diceretur, *Anima Ionathæ conglutinata erat animæ Dauidis, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam*, &c. Quam igitur magnus fuisse amor Virginis erga Filium credendum est? an non dicendum, Mariæ animam animæ Iesu adhæsisse agglutinatam, Filiumque à matre velut animam suam dilectam? Adeo vt vna parte exstincta, alteram eodem vulnere occubuisse credendum sit. Atque hæc fuit Simeonis Prophetia, qui Virgini hoc mortis genus prædixit, dicens, *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Loci huius interpretes hoc modo illum exponunt, spiritualis passionis gladius, id est, tormenta crucis, animam tuam transuerberabunt, ad mortem vsque te sauciabunt, & verbo vt dicam, morte filij tui occumbes.

1. Reg. 18. Dauidis & Ionathæ amor.

Luc. 2.

Cum vehemens quidam ictus & magna violentia corpori infligitur, sæpe ipsum traijcit & transadigit, vt & proxime astans eodem sæpe vulneretur. Ita quoque tormenta crucis tanta violentia inflicta non modo Christum in cruce mori coegerunt, sed & gloriosæ Virginis animam, quæ filij sui animæ conglutinata erat, & cruci quam proxime adstabat, transuerberarunt.

Simile.

Cerui venatorũ saucij iaculis in ipso mori loco quamprimum non solent, sed per agros & auia fugientes, letale corpore nihilominus vulnus tenentes, procul à venatoribus emoriuntur. Mors venatrix quædã cruenta cum in ipso Caluariæ loco magnum illum ceruũ, Iesum Christum occidisset, & eodẽ ictu præclaram illam ceruam, Deiparam scilicet, vulnerasset, ipsa tamen eodem in loco non exspirauit, sed à monte Caluariæ fugitans, & animo ferale & lethale hoc vulnus fouens, nonnisi aliquot post annos mortua est.

Aliud, Mors venatori similis.

Aristoteles litteris prodidit, ceruos Cretenses, cũ telo se vulneratos sentiunt, quamprimum dictamnum quærere, quã herbam vbi gustarint, & iacula statim excidere, & plagã coalescere. Nullum Christianum esse crediderim, auditores, qui non, vbi oculos in crucem cõiecerit, & Dominicę passionis supplicia perpẽderit, cõpassionis telo intrinsecus in animo saucietur: sed ceruis hisce Cretensibus persimiles sumus, vt enim vulnus hoc salutare sensserimus, ad mundum quãprimum confugimus, dictamnum consolationum mundanarum, vanitatum ineptiarumq; secularium quæsituri, atq; ita clauorum, spinarum, & lanceæ sensum doloremq;, quæ cor nostrum ad mortem vsq; vulnerant, reiici-

Ceruorum Cretensiũ astus.

mus: at glorioſa hæc Virgo ad mortem ſemel vulnerata, nullum deinde medicamentum aut remedium quæſiuit, ſed religioſe ſemper plagas ſuas ſeruauit.

Virgo præ amore mortua.

At qua tandem morte exſtincta eſt? morte filij, porro vt ille ex amore & libere ac ſponte mortem oppetijt, ita idem quoque de Virgine cogitandum. Hæc ſcilicet eſt Magni Alberti opinio, *Virgo præ amore & ſine dolore mortua eſt.* Scio Chriſtum Dominum infinita tum in corpore, tum in anima tormenta perpeſſum eſſe: quoad animam quidem, proponite eum vobis in horto gementem & afflictũ, ac præanimi amaritudine dicentem; *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortẽ:* quoad corpus vero reſpicite illum in cruce cõſtitutum. Sed non ſatis erant hæc omnia ad illi vitã eripiendã, ſed ſolus ei amor vitam eripuit. Teſtatur hoc in Euangelio dicens, *Animam meã pono*, id eſt, morti me offero. Neq; enim audebat ei mors vincula iniicere eumq; cõprehendere, atq; ideo *inclinato capite tradidit Spiritum*, quem non mors violenter abſtulit, ſed vltro, ſponte, libenterq; emiſit. Ita quoq; amor virginẽ hanc mori coegit, ſancta quippe & cœleſtis hæc paſſio ita corpus hoc nobile inuaſerat & occuparat, vt tandem ipſam proſtrauerit, & animam exire compulerit.

Matth. 26.

Ioan. 10.

Matth. 27.

Similè.

Ignis nube velut carcere quodam concluſus, non quieſcit, donec erumpat & violenter ſibi exitum paret. Ignis amoris eſt Symbolum, qui in animo virginali incluſus, & accenſus non prius ceſſauit, quam animæ exitum è corpore, quod illam captiuam detinebat, pararit. Amor ſiquidem & mors eiuſdem ſunt potentiæ ac viriũ & imperio dominioq; pares. Vnde Cantica, *fortis eſt, vt dilectio.* Quaſi dilectæ diceret Sponſus, Tanta amoris tui & dilectionis vis eſt, ac robur, quanta mortis, & iurare auſim, mortem illum mihi illaturum, vitamque erepturum.

Cant. 8.

Amnon Dauidis filius ſororis ſuæ Thamaris amore dum inardeſceret, elanguebat & tantum non emoriebatur. Vnde dicitur, *Ita vt propter amorem eius ægrotaret.* Si amor laſciuus & impudicus tantarum apud ſtolidos Veneris clientes virium eſt, quãtarum amor ſanctus, purus & diuinus eſt futurus? annon ille Virginem elanguere, & tabeſcere coegit? animamque & vitam à corpore violenter abſtulit? adeo vt morte voluntaria ſponta-neaque exſtincta ſit.

2. *Reg.* 13.

Phœnix omnium auium Princeps, & Arabiæ Felicis incola, cum iam annis grauis vitam pertæſus eſt, ligna calida & bene olentia coaceruat, eaque Solis radijs exponens, alas concutit, vt ignem concipiant, quo ſe aduri finit. Ita quoque Virgo noſtra, vera mundi Phœnix, iam ſenior aromatica crucis ligna, clauos & ſpinas coaceruans, & alis meditationis ſuper eadem aſſidue volitans ignem amoris excitauit, (*Et in meditatione mea exardeſcet ignis*) qui illam hic aſſumpſit, vt rediuiuam & ſoſpitem in altero mundo ſiſtat.

Mors Virginis morti Phœnicis collata.

Pſal. 38.

Sed mortua quamprimum reſuſcitata eſt, ita porro hoc prædixerat Pſalmographus, *Exurge Pſalterium & cithara, exurgam diluculo.* Scio Hieronymum, & Auguſt. de Chriſti hoc reſurrectione exponere, ſed quid impedit, quominus etiam de glorioſa illius matre intelligamus? ipſa ſiquidem verum exſtitit Pſalterium, quod ſuperius cecinit, docendo, credendoq; myſteria, & lyra, quæ & infimum tonum ſonuit, tribulationes & aduerſitates vitæ huius perferens, atque hæc ipſa diluculo ſurrexit, id eſt, ſtatim à morte, à corruptione, quæ cæteris communis eſt, libera penitus & exempta.

III.

Pſal. 56.

Voluit in Exodo Deus Arcam fœderis è ligno Sethim, quod corruptionem neſcit, compingi & conſtrui. Glorioſæ Virginis corpus vera arca fuit, pacis & fœderis noſtri Symbolum quæ verum manna, & ipſum legis auctorem in ſe continuit, ac proinde ab omni liberum eſſe corruptione debebat, nec in cineres, quibus cetera hominum corpora obnoxia, conuerti. Prærogatiuam hanc & gratiam præſignarat Propheta, cum diceret, *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, id eſt, Virginis noſtræ corpus, quod penitus ſanctum erat, nec ab vllo vnquam peccato profanatum.

Exod. 25. Arca è lignо incorruptibili conſtructa.

Pſal. 15.

Propheta in Chriſti perſona hæc ait, ſed loco verborum: *Sanctum tuum*, vertunt nonnulli, *carnem meam*: quod Apoſtolorum Princeps Act. 2. de Chriſto interpretatur: qui fieri queat igitur, Virginis corpus corruptioni obnoxium eſſe, è quo ſuam Chriſtus humanitatem

tatem acceperat? Ad hæc, si Prophetas quosdam in corpore simul & anima ad cœlum sustollere potuit Deus, cur Virgini matri idipsum denegarit?

Vnum est, sed non tanti momenti, quod hoc impediat, generale sc. illud decretum, aduersus vniuersum hominum genus promulgatum, *Puluis es, & in puluerem redigeris.* Nam multæ ab hac regula dari possunt exceptiones. Legimus enim Eliam in curru igneo per aera raptum; nullam corruptionem passum, vbi hic cineres & puluis? Docet etiam Genesis Enoch non apparuisse amplius, sed subito disparuisse, nulla mortis cinerumue mentione facta. Quamuis certum sit circa mundi finem illos moritutos, vt docet Apocalypsis: Sed aliter se in Virgine hac res habet, si enim anima illius contra vniuersalem illam regulam, *Omnes peccauerunt in Adam*, &c. speciali quadam gratia ob originali peccato præseruata fuit, cur non corpus quoque illius, eadem gratia ab omni naturali putredine præseruetur? Quod figuræ Biblicæ facient manifestius.

4. Reg. 2.

Gen. 4.

Apoc. 12.

In excidio & euersione Ierichuntina cum oēs domus & basilicæ ad terrā deijcerentur, & ferro & igni euerterētur, sola domus Raab cōseruata fuit & sospes, quod Iosuæ exploratores occultasset. Audite militare decretum aduersus vrbem promulgatū; *Sitq; ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino, sola Raab meretrix viuat cū vniuersis qui cū ea in domo sunt, ab condit enim nuntios, quos direximus.* Ita quoq; in generali generis humani excidio & euersione, in qua cœlesti decreto omnia hominū corpora cinerib. adiudicata fuerāt, sola domus Raab, id est, Deiparæ corpus, quod ipsum Iosuā, id est, Christū Dominum sacro vtero suo tulisset & occultasset, exempta fuit.

Iosu. 6.

Virginis corpus cū domo Raab comparatū.

Gen. 6.

Diluuio per vniuersam terræ superficiem sæuiente, si forte memineritis palatia omnia, vrbes, & integræ regiones, & quidquid in mundo esset, euersum & perditū fuit, at sola Arca Noei tēpestatibus, aquis & vndis resistēs, fluctuauit enatauitq; incolumis. Ad eumdē modū in diluuio primæ illius condemnationis omnia hominum corpora, quæ viua animarū nostrarum domicilia sunt, pereunt & putrescunt, ac nullum, præterquam virginis, post filij sui, quod vera illa Noei Arca enauigauit, & numquam fundum petiit, id est, numquam in cineres & corruptionem redactum est. E sacra Scriptura conceptus hic eductus est, *Tu & arca sanctificationis tuæ.* Psal. 133.

Abiathar Sacerdos quod eum Adonia aduersus Salomonem conspirasset, læsæ Maiestatis crimen ei condonans Rex ait, *Vir quidē mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus*, &c. Ita omnipotens Deus, videns Virginem sub conspiratione vniuersali aduersus maiestatem suam inita, & ab Adamo in paradiso terrestri tentata comprehendi, proinde mortem & corporis putredinem mereri gratiam ei præstitit, & prærogatiuā, quod salutis nostræ arcam, id est, sacram filij sui humanitatem, portasset.

3. Reg. 1.

Omnes filij Iob in morte primogeniti occubuerunt, corporaq; eorū sub ruderibus ac ruinis domus obtrita, adeo vt nonnisi, qui rē nuntiaret, euaserit nuntius, *Et ego solus euasi.* Verus quidā Iob Deus est, cuius filij oēs sunt homines, quorū primogenitus ipse fuit Adā, quo moriente, oēs simul mortui sunt, omniūque animæ sub peccati originalis ruderibus sepultæ, corpora vero morti & cinerib. adiudicata, *Omnes peccauerunt in Adamo, & mortui sunt*, sola hæc euasit Virgo, ac sola dicere potuit, *& ego sola euasi*, in die cōceptionis anima ab originali peccato pręseruata, & hodie corpore illius à cinerib. & corruptione exempto.

Iob. 1.

IV. Quomodo puniri soleant Regū proditores.

Solent apud iudices ciuiles eorū domus, qui regni & Regū ꝓditores fuere, & aduersus eorum incolumitatem ac salutem conspirarunt, euerti & solo æquari, at fideles Regum clientes & regni sospitatores huic legi cōsuetudiniq; obnoxii non sunt. O diuina iudicia! Oēs nos Dei nostri proditores exstitimus, & aduersus Principis nostri maiestatem in paradiso terrestri conspirauimus, idcirco in criminis expiationē, domus nostræ, id est, corpora morte euertuntur, & in cineres redigūtur, idque irreuocabili hoc decreto, *Puluis es, & in puluerem redigeris.* At Virgo hæc, quæ nullā vmquā proditionem machinata erat, sed Deo suo & Regi fida semper exstiterat, à

Virgo semper Deo fidelis exstitit.

legis huius rigore eximi debebat: ideoque corpus illius quamprimum vt sepulchro illatũ fuit, resurrexit, nec corruptionem aut putredinem sensit.

Plutarch. Augustus Cæsar cum Alexandriam Ægypti metropolim obsidione premeret, eãdem euertere aut muros eius solo prosternere noluit, eam solũ ob causam, quod magnus eam Alexander excitasset, & in suã habitationem delegisset. Non potuit igitur Magnus ille orbis Monarcha Deus, omnia corpora hominum euertens, & in cineres ac vermes redigens, pati, vt Virginis nostræ corpus periret & corruptioni succumberet, tam sancta, inquam, ciuitas, æterni Dei manu fundata, *Et ipse fundauit eam altissimus*, & quam filius vnigenitus sibi ad habitandum delegisset.

Cant.7. Virgo duos egregios fecit gressus in mundũ veniens & hinc abiens.

Legitur in Canticis, *Quam pulchri gressus tui filia Principis in calceamentis tuis.* De Virgine Deipara, cœlesti Regina hoc interpretor, ac duo, quos fecit passus, pulchri supra modũ fuere, primus in conceptione, qui primus est passus ad vitam hanc ingrediendam, hunc illa fecit ab originali tunc peccato exempta, alter in obitu, qui vltimus est, quo è vita egredimur, at in quo tanta felicitas eius fuit, vt ne in terram decideret, cauere potuerit, id est, ne corpus in cinerem ac puluerem conuerteretur. At gressus quem calceata & vestita fecit, nam ad cœlum corpore vestita atque induta, præter aliorum beatorum consuetudinem ascendit. Hunc mihi cõceptum S Bernardus suggessit, qui per calceamentum hoc corpus intelligi vult, quo anima, non secus ac mortui animalis exuuijs induta est.

2.Reg.30. Adeo vt corpore simul & anima ad cœlum ascenderit eisdem quibus filius gaudens priuilegijs, cuius rei eximiam producam figuram. Dauid Amalecitas persequens eosdem funditus deleturus, iter suum, vti vellet, prosequi non poterat, quod saucios aliquot secum duceret, & exhaustos, & ob viarum difficultates defatigatos, quibus præcepit, vt in tuto loco manerent, impedimenta, currus, arma, comeatũ, & belli sarcinas custodirent. Interea cum alijs inimicos prosecutus est, quos profligauit, atq; ita ad suos opimis onustus spolijs reuertit, at cum ea iam diuidenda essent, magna lis & controuersia inter milites

Insignis allegoria.

orta est, num qui ad sarcinas & machinas mansissent, & hostem non vidissent, è præda participes esse deberent, quare cũ inter se litẽ dirimere non possent, Regẽ cõtentionis placuit arbitrum deligere, qui ait, *Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus: aqua enim pars ibi erit descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum & quasi lex in Israel vsque in diem hanc.* In cruento & ferali illo Caluariæ conflictu, auditores, Iesus Christus Dominus noster inimicos debellauit, & solus dæmonem confregit, *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum*, ait Isaias, Ieremias, *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter cecidêrunt.* Nemo victoriæ, quam de Satana retulit, aut Angelorum, Apostolorum, aut Sanctorum aliquis, particeps exstitit: idcirco ad hoc designandum ab omnibus derelictus fuit, sola Virgo ad sarcinas mãsit, sola ipsa iuxta crucem stetit immobilis, & sola fidem seruauit: non disputabo hic aut inquiram, num Apostoli eamdem seruarint nec ne. At in ipsa non defecit, sed fidelis exstitit: cum igitur æqua debeat esse & eorum qui castra tutantur, & eorum qui conflictum ineunt & sanguinem effundunt, portio, cumque Christus è conflictu nominis sui exaltationem, corporis glorificationem, & ascensionis suæ gloriam sit consecutus, sequitur, idem omnino ius iure meritoque in Virginem nostram competere. Atq; hoc illi hodie in assumptione concessum, & eiusdem cum Filio sortis esse iudicata est.

Isai.65. Ierem.46.

Denique Virgo hæc vix exstincta est, quin Filius eam suus in altum euexerit. Huius esse magnes naturæ dicitur, vt ferrum quocumq; demum loco sit, ad se attrahat, ita lapis ille angularis, & de quo Paulus ait, *Petra autem erat Christus*, è summo cœlorum habitaculo sacrum matris suæ corpus sepulcro inclusum in cœlum sustulit.

Ciconiarũ affectus in parentes.

Tradunt Physici Ciconias, dum cœlum mutant, & ex vno climate in aliud cõcedunt, parentes senio graues & viribus destitutos in humeros excipere, & in aliam regionẽ transportare feruentiorem, *Exurge Domine in præcepto quod mandasti.* Animalibus etiam brutis

hunc

hunc instinctum indidisti, vt parentes colerent & honorarent. *Exurge Domine*, hoc amoris præceptū & effectum illius in gloriosa matre tua exhibe, atq; ita potentiæ tuæ alis matrem excitauit, & in cœlum transtulit, iā mortem perpessam, & sexaginta quinq; annos, vt communior fert opinio, agentem: decimoquinto enim ætatis anno peperit Christum, triginta tribus annis cum eodem conuersata est, ac quindecim post mortem illius annis mortua est.

Mortua, inquam, morte miraculis & priuilegiis plena. Primo, sine vllo dolore, & morbo nullo diuexata, vt quidem Joannes Damescenus testatur: ita mortuus est Aaron in monte Hor, & Moyses in monte Nebo, *Num. 33.* vnde ait Scriptura, *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, iubente Domino. non caligauit oculus, nec dentes illius moti sunt.* 2. Omnes Apostoli, qui tum temporis in mundo viuebant, diuino quodam miraculo illi morienti adfuerunt. *Luc. 17.* Apud Lucam scriptum est, *Vbicunq; fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ:* Sacrum Virginis corpus Jerosolymis erat, & ecce mortis illius articulo aquilæ illæ imperiales, quæ per totum mundū volauerant, congregabantur. 3. Omnes illi morienti astitere Angeli ad tam diuinam puraq; animam recipiendam, eamq; ad æternam beatitudinem perlaturi, quod secunda me parte expositurum promiseram, inquam mentis impetu delatus eram, & nesciebam.

V. Hodie igitur, auditores, triumphi gloriæ, *1. Reg. 6.* & coronationis Deiparæ dies est, hodie arca illa testamenti è terra Philistiim ad Bethsamites, id est, domum Solis refertur. Hodie egregium tabernaculum, quod tanto tempore sub vitæ huius tentoriis & papilionibus commoratum fuit, in magnificum cœli templum illatum est; hodie verus Salomon dilectissimam matrem ad dextram suam collocauit, sancte illi promittens ac iurans omnibus illius precibus postulationibusque se annuiturum, hodie formosa illa Ester Regni cœlestis corona, quod præ cæteris fœminis Regi Assuero placuisset, insignitur, hodie pulchra illa Sara à Principibus domus *Gen. 12.* Pharaonis commendatur & extollitur, hodie denique pulchra vt Luna facta est, & vt plena luna, quæ tot prius dolorum & molestiarum Eclypses erat passa.

Ecquod tunc cœlesti in aula gaudium, ecquæ fuit exultatio? Hanc Patres describunt & quam sertissime depingūt, & sanctus Anselmus imprimis, *Contempletur anima, qui potest, quo gaudio, qua festinitate, quibus concentibus, iubilabant omnes beatorum Spirituum ordines, quando & amicam Domini sui matrem aduentare, & ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle occurrere?* Plura etiam Bernardus: *Quis cogitare sufficiat, quam gloriosa Regina mundi processerit, & quanto deuotionis affectu tota in occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus gloriosa anticis ad thronum sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus susceptа à filio, & super omnem exaltata creaturam.*

Lib. de excell. Virg.

Serm. de Assumpt.

Jacob Patriarcha cum filium suum Josephum visurus, in Ægyptum descenderat, *Gen. 46.* qui tum primus à Rege erat, omnes regni Principes Josepho congratulaturi eidem occurrerunt, omnemque quem potuere honorem exhibuere. Ita hodie Maria Virgine cœlum subeunte glotiosum visura filiū qui tunc vniuerso orbi dominabatur (nam de seipso ait, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*) omnes cœli ciues ac Principes, in Christi, qui dux & Caput eorū erat, gratiam, illi obuiam procedunt, tamq; excellentem matrem honoraturi, admirantes simul & gaudentes illi occinunt, *Quæ est ista, qua ascendit de deserto, delitiis affluens?*

Regina Saba dum relicto regno Regem Salomonem visum venit, multis stipata comitibus & diuitiis multis & aromatibus onusta venit, *Multo cum comitatu & diuitiis, camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas.* Additque scriptura tot antea diuitias & aromata Jerosolymis conspecta non fuisse. *Non sunt allata vltra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit regina Saba Regi Salomoni.* Maior & excellentior fuit hauddubie cœli terræque Reginæ in cœlum introitus, nam è mundi huius territorio, filium suum Christum verum Salomonem visura, eodem conscendens multis angelorum myriadibus, & infinita Cherubinorum

3. Rep. 20.

Ingressus Deiparæ in cœlum collatus cū ingressu Reginæ Saba in Jerusalem.

binorum multitudine stipata, & omni aromatum & diuitiarum spiritualium genere affluens introiuit, & nullus vnquam sanctus, nullaue vnquam creatura, tantum aromatum aut tot bonorũ operum gemmas, quot illa vita hac egrediens, secum tulit, contulisse comperitur.

Prou. 31. Deipara reliquos sanctos meritis transcedit.

Cordatam mulierem describens Salomon ait, *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.* De virgine Deipara sine dubio locutus est, nam quamuis multæ creaturæ & sancti multas virtutes bonaque opera in hac vita congregarunt, meritis tamen omnes longe transcendit: in hoc mundo multa bona congregamus, sed eadem quamprimum etiam dissipamus: cum scilicet sæpius ieiunauimus, multas effudimus eleemosynas, multum temporis orationi impendimus, ingentes nobis thesauros & diuitias collegimus, at vnico lethali admisso peccato omnium iacturam facimus. At gloriosa hæc Virgo nunquam vllum admisit delictum, & à primo natiuitatis suæ puncto semper diuitias accumularat, neq; vmquam destitit. Quam igitur diues & opulẽta cœlos ascendit? Quanta fuit, & hodie etiamnum est illius gloria?

Ioel. 1.

Apostolus gloriam Christi exaggeraturus, his ad Hebræos verbis est vsus, *Sedet ad dextram maiestatis in excelsis, tanto maior angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditauit, cui enim aliquando Angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Vnde efficere vult gloriam angelorum nonnisi seruorum gloriam esse, Christi vero, filij vnigeniti. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.* Eodem ergo vti argumento possum & concludere, gloriam virginis longo interuallo aliorum Sanctorum gloriã antecellere, vtpote quæ sola gloriam accepit, quod sc. Dei mater esset, quæ nulli vmquam creaturæ concessa fuit. Adeo vt tanto gloria eius ceterorũ gloriam excedat, quanto meritorum numero ac magnitudine ceteris præcelluit.

Ioan. 1.

Ioan. 12.

Dixit apud Joannem Dominus, *Vbi ego sum illic & minister meus erit*, i. e. ea qua fruor gloria fruetur & is, qui mihi obsequium impenderit, atqui Virgo, quamuis ancillam se dixerit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, quid tamen maius fuit, hominum scilicet & Angelorum Regna, naturæ miraculum, totius vniuersi gemma, deniq; Dei mater, credendum igitur gloriam illius omnem aliam transcendere gloriam.

Luc. 1.

Paulus de Sanctorum loquens gloria, eam adeo eximiam, magnam & admirabilem esse prædicat, vt nec oculus viderit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Huic ipsi sententiæ innixus, ad eundem modum dico, si gloria Deum amãtium adeo futura est magna, vt comprehendi nequeat, ecquæ futura est & modo etiam est illius gloria, quæ non modo illum dilexit, sed mundo etiam peperit, illiusq; mater extitit? illa exprimi potest, aut cogitatione comprehendi?

VI. Apoc. 12.

Vidisse se signum magnum in cœlo Joannes ait, mulierem scilicet amictam Sole, & duodecim stellis velut diademate redimitam. Virgo nostra signum hoc est, quæ hodie in cœlo apparet, & amictus ille solaris & corona è stellis compaginata, fulgorẽ & splendorem, ac maiestatem gloriæ illius denotat: corona mulieris illius è duodecim composita erat stellis, & virginis nostræ è duodecim pulcherrimis qualitatibus compacta, prima est clarissima SS. Trinitatis visio: secunda ardentissimus è beata hac visione procedens amor: tertia extremum & infinitum quoddam gaudium: quarta admirabilis quædam creaturarum in verbo cognitio: quinta corporis splendor: sexta, impassibilitas: septima, agilitas: octaua, subtilitas: nona, super omnes angelos exaltatio: decima, matris Dei dignitas: vndecima, virginitatis laureola: duodecima excellẽtia Reginæ cœlorum. An non corona hæc splendida & gloriosa, & duodecim egregiis stellis insignita?

Virginis gloriæ descriptio.

Virginis triũphus.

An non magnificus ille triumphus? introitus quidam admirabilis? assumptio plane admirabilis & stupenda? Virginem quatuor elemẽta transcendentem videre, ac Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Jouis & Saturni orbes, primum mobile, cœlum Crystallinum transeuntem, & cœlum empyreum ingredientem? est profecto aquila illa, quæ in Scriptura nidum suum in arduis posuisse dicitur, aquila inquã, quæ vltra angelorum

gelorum caput transuolat, & ab angelis honoratur.

Cum igitur ab angelis in cœlo hodie honoretur, par est & nos homines illam in terra colere, non velut deam quamdam, vt insani quidam hæretici commenti sunt, non velut creatricem, sed creaturam, non velut mediatricem, sed aduocatam duntaxat. Et sane eãdem vt Dei matrem, & matrem misericordiæ honorare debemus & reipsa etiam honoramus, filium in illa honorantes: si enim gloria filiorum parentũ est gloria, ita vicissim ac reciproce parentũ gloria in filios redundabit, *Gloria filiorum patres eorum.*

Stulti igitur & vesani hæretici, qui creditis peccare nos & idololatriam committere; cum Virgini huic obsequium aliquod impendimus, facimus enim hoc antiquitus, & semper & ab omnibus Patribus factitatum est, Augustino, Bernardo, Gregorio, aliisq; plurimis, at quis vnquam Virginem nostram digno non est honore prosecutus? oculos per vniuersum Christum orbem circumferte, circumspicite singula, quatuor mundi angulos cogitatione percurrite, tot veteres Basilicas inspicite, ac videbitis tertiam eorum partem Virgini huic dedicatam esse.

Erratis hauddubie, cum idololatras nos dicitis & putatis, quid enim de virgine credere nos creditis? dicimus illã magis Christo deuinctam esse, magisque ab illo propendere, quam nos, dicimus magis eam illius ancillam esse & creaturam, magis ab illo redemtam, quia plura ab ipso accepit beneficia, maioremq; gratiam, quidquid enim est, per Christum est, *Pulchra vt Luna*, ait scriptura in laudem eius, quæ lumen habet, sed non à se, at à Sole: ita gloriosa virgo pulchra est, & peccati omnis expers, sed à Christo Domino id profectum.

Audite vt hoc ipsa confiteatur in Cantico suo, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes gene ationes*, & quamobrem quæso? *Quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Eam igitur vt aduocatam nostram, vt Domini atque vnici Redemptoris matrem colimus, est enim in cœlo velut noua quædam Bersabea ad Salomonis dextram residens, certa se impetraturam, quodcumque precibus ab eo postulauerit, velut altera Esther iuxta Assuerum pro misero Mardochæo, genere inquam humano deprecans, velut secunda Abigail Dauidis iracundiam & furorem aduersus stolidum Nabal, id est, peccatorem, indignantis mitigans, denique velut cœlestis quædam Thecuitis, rebelles Absalomos, id est, peccatores, Regi ac Patri suo reconcilians.

Est igitur honoranda, cum & angeli illam honorent, idq; dupliciter, primo laudes eius dilatando deprædicandoq;, *Ecce enim beatam me dicent omnes generationes:* deinde filium illius amando & obsequendo, atque is potissimus est, qui reddi ei honor potest. Bersabee coram Dauide se magna humilitate prosternẽs, aliud ab eo non postulauit, quam vt filius patri in regno posset succedere: Deipara quoque aliud ab hominibus non postulat, quam vt filius illius Rex sit, id est, in animis nostris & cordis throno dominium exerceat. Non reperitur in vniuersa scriptura virgo nisi bis hominibus locuta, semel cum cognatam suam Elisabeth salutauit, deinde ministris in Cana Galilææ dicẽs, *Omnia quæcumq; dixerit vobis, facite.* Cogitate, idẽ illam nobis dicere ac suggerere, pro nobis in cœlo intercedit, vultq; omnia seruari atq; exacte fieri, quæ filius nobis suus præceperit, non sufficit rosarium è cingulo gestare, nisi obseruationi mandatorum eius incumbamus, filio igitur obediendum, si placere voluerimus matri.

Et se vere ita res habet, Virgo sanctissima, vt enim seruire & colere & adorare quã humilime tuum debemus filium, ita te ex toto corde & ex animo, toto vitæ tẽpore honorare ac venerari. Tu namque cœli porta es, stella maris, peccatorũ patrona, angelorum Regina, mater misericordiæ, & quantum te hic in terra colimus & veneramur, tãtum in cœlo pro nobis orare constat. Ideoque te suppliciter obsecrantes, solitum vt fauorem nobis exhibeas, iisdem te iam precibus ac verbis compellamus, quibus olim Adonias Bersabeam *Precor vt dicas Salomoni Regi*, (neque enim tibi negare quidquam potest) *vt det mihi Abisaig virginem orem.* Eadem tibi preces, tibi ô cœli terræque Regina, depromimus, tibique magna animi demissio-

Quomodo virgo honoranda.

Prou. 17.

Orbis Christianus vniuersus virginem honorauit.

Catholicorum fides de honore virginis.

Cant. 1.

3. Reg. 1.

Psal. 2. 2. Reg. 25.

1. Reg. 14.

3. Reg. 2.

Virgo non nisi bis soluta legitur hominicus.

Ioan. 2.

3. Reg. 22.

missione supplicamus, verum vt Salomonem Filium tuum Jesum Christum deprecetis: certi quippe sumus, nihil illum tibi denegaturum, vt nobis non Abisaig, sed gloriam cœlestem in præmium concedat. Bersabee vero illum exaudiens, ait animo promptissimo, *Ego loquar pro te Regi.* Idem obsecro fac Deipara, pro nobis apud filium intercede, nostram apud illum causam age, nostriq; apud maiestatem illius suscipe patrocinium.

Esth. 5. Assuerus Rex præ affectus, quo Estherem prosequebatur, vehementia ait: *Quid vis Regina Esther? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* Idem tecum agitur in cœlo, quod olim cum Esthere in Perside apud Assuerum: nam summus Regum Rex Christus tanto tehonore, amore, reuerētia, & affectu prosequitur, vt quidquid ab illo petieris, tibi daturus sit. Tu igitur, spes nostra & refugiū vnicum, veniā nobis delictorum impetra, emendationem vitæ obtine, & gratiam illius in hoc mundo adipiscere, & in altero gloriā & beatitudinem, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

IN FESTO S. ROCHI CONFESSORIS.

Partitio.

1. *De Sanctorum vitis & exemplis imitandis.*
2. *De eorundem historiarum vtilitate.*
3. *De vitio pestilentiæ.*
4. *De S. Rocho, eius patria ac rebus præclare gestis.*

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, Luc. 12.

FIGVRA.

Tobiæ 1. VEteri Testamento celebratur vir quidam sanctus & illustris de tribu & ciuitate Nephthalim in Galilæa superiore, cui nomen Tobias: dicitur hic iam inde ab incunabulis virtutis studiosus fuisse, Dei timorem ob oculos habuisse, in eoq; ad vsque vitæ extremum perseueraſſe, adeo, vt quantum creſceret ætate, tantum & vitæ sanctimonia meritorumq; crescceret copia: vt ne quidem à rege Assyriorum Salmanasar cum vniuersis contribulibus suis in captiuitatem Babylonicam iam abductus, Niniueq; commorans, tyrannide licet & immanitate Barbarorum oppressus, ab amore, timore, ac præstita Sacramento Deo suo fide, vel latum vnguem deflexerit, magnæq; cum patientiæ significatione ac modestiæ triste hoc & ingratum exilium ferens, omnium piorum operum, ac præsertim charitatis ac misericordiæ exercitio se consecrauerit. Vehemens enim erga proximum amor tam ardentes animo eius subdebat faces, noctu & interdiu alio vt opere non occuparetur, aliudq; non actitaret, quam Deum assiduis precibus fatigare, afflictos consolari, ægros adire indigis auxiliari, pauperibus de facultatibus succurrere, saucijs medelam afferre, mortuos denique terræ mandare. Quæ omnia vno velut fasce complectens sacra historia, hoc eius vitæ compendium texit. *Esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, & mortuis atq; occisis sepulturam solicitus exhibebat.*

Hic ergo vir mire sanctus fuit, & sancte admirabilis; sed si vetera hæc & prisca seponere gesta, & ævum auorum transeundo ad recentiora venire tempora voluerimus, in nostra prouincia, ne dicam ætate (ab hinc n. 300. floruit annis) alium non minori præditum sanctimonia, nec inferioribus donatum reperiemus meritis. Nomen illi Rochus, patria Gallia hæc nostra; virtutes porro eius inexplicabiles. Hic ergo virtutem naturali sanguinis nobilitati combinans (fuit namq; domo & stirpe illustris) ad Tobiæ veteris imitationem, iam inde à flore ætatis virtutū studio se dedit, ac toto vitæ tempore ipsum non deseruit; imprimis vero in operibus pietatis & charitatis & misericordiæ mirabilem, ac prope dixero diuinum atq; inimitabilem se reddidit. Parentibus namq; intermortuis generose mundum protriuit, mundanisq; cedens, facultates in egenos dispertiit, inque voluntarium & vltroneum secedens

dens exilium, & natali excedens solo, in alienum se contulit, & regiones ne fama quidem notas & remotas adiit, vitamque omnem, vtpote amore & charitate æstuans proximo subleuando impendens, ægris & nominatim pestilenti lethalique correptis morbo, quos alij mortis formidine ne aspicere quidem, nedum attingere ausi essent, sedulo ardenterq; adesse, & si quam posset verbo manuque opem affetre studuit. Adeo, vt cum sola frequentaret nosodochia & ptochodochia, interq; afflictos perpetuo victitaret, & eius moliminibus, Deo cœlitus aspirante, hac ipsa lue infectos, ad quorum medelam humana deficiebat industria, sanitati redderet, etiamnum viuentis celebrari passim nomen cœperit, & ad exteras diffundi regiones, atq; hinc factum est, vt etiam vita functus inter illustres sit sanctos relatus, & ab omnibus, qui epidemico hoc morbo correpti sunt, toto passim Christiano orbe, vt patronus & alexicacos inuocetur. Hodie ergo, quoniam anniuersaria religione & obseruantia festiuitas eius recolitur, reliquam vitæ eius seriem deducere, & præconia enarrando prosequi constituí. Cum vero hæc nobis felicitas obtigerit, quam sane haud exiguam interpretor, quod Gallia nostra sanctum hunc Confessorem dederit, par est maximeq; consentaneum, apud Gallos & eos fideles & Catholicos, scriptorē Ecclesiastemq; Gallum, qualem me libens gloriansq; agnosco, illius elogium auspicantem, pro dignitate, & ea qua potis est eloquentia & dicendi energia, vitæ eiusdem mirabilia ac præconia deprædicare. Benigna porro sacratissimæ Virginis patronæ nostræ ordinariæ aura & intercessio, & priuati vestrum erga Beatum hunc virum affectus, gratiam nobis & auxilium Paracleti Spiritus efflagitabunt; quod vt impetremus, pariter & vno omnes ore & affectu, corde supplici dicamus,

AVE MARIA.

I. Cur Ecclesia Sanctorum nobis vitas & exemplapro-ponat.

Sancta Ecclesia Catholica velut pia & prudens fidelium omnium mater, cum probe perspectum habeat, quanta quamq; eminentia nascantur è frequenti historiarum, vitarum, elogiorum, piarumq; actionum illustrium sanctorum sanctarumq; lectione, meditatione, ac pia earundem contemplatione ac ruminatione emolumenta; sæpe nobis eadem & ob oculos obiicit, & animo proponit, vt ex iisdem in necessitatibus hauriamus solatium, in aduersis sentiamus firmamen, eorumq; sedula imitatione æmulari virtutes non pigeat, quorum vitam operaq; demiramur. Ita Apostolus Paulus primorum Apostolorum non postremus, & Ecclesiæ huius Doctor, veros Dei filios exhortaturus, vt in sancta fide & vera religione immobiles infractiq; persisterent, vetera quidem, sed prudentia alioquin sanctorum Doctorum, venerabilium Patrum, ardentium Prædicatorum & honorabilium Prælatorum exempla illis ad oculos animumque aduocat, qui cum eandem verbo docuissent, sanctitate etiam vitæ excelluerunt, quam tandē sancta etiam glorioſaq; morte & fine illustri cōcluserunt. Sic porro populares suos alloquitur: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Heb. 13.

Apostolica hæc paræneſis veteris cuiusdam ritus apud Spartanos obseruari soliti memoriam refricat. Hi ergo etsi superstitione idololatrica infames, prudentia tamen sæculari & politicis moribus illustres, vt iuuenturem suam ad maiorum virtutes imitandas, & rem præclare gerendam, heroicaque facinora incitarent; viris omnibus i lustribus, qui famam sibi stratagemate aliquo compararant, rebus gestis tum domi, tum belli caput cæteris altius extulerant, & tam literis, togaq; quam armis & marte patriam illustrarant, statuas marmoreas æneasque in senatu & in curia ante oculos omnium erigebant, hoc addito inferne epigrammate auratis characteribus exarato, *Si fueritis sicut hi*, virtute scilicet animo, rebus gestis, generositate ac meritis, *eritis sicut illi*, honore scilicet ac gloria pares, quasi vel verbo dicerent, Æmulamini & sequamini virtutes ac præclara illorum gesta, quorum statuas hic conspicitis, vitamque suspicitis, eodem prorsus sensu, quo deinde Apostolos Hebræos suos compellauit, *Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Veterum Lacedæmoniorum ritus.

Cur Sanctorum imagines spectandas Ecclesia proponat.

Hanc proculdubio ob causam Ecclesia, vt filios suos ad perfectionem animaret, & ad opera heroica generosaque calcar ac stimulos adderet, in templis suis, quæ vera diuinitatis sunt palatia, tot illi Sanctorum proponit imagines, & in aris suis eorum omnium sustollit corpora ac reliquias, qui sanctitate ac vitæ dignitate, tum pace, tum bello, tam in mundi prosperis, quam aduersis, immortale sibi nomen comparatũt, & immarcescibilem gloriæ coronam nacti sunt, vt iis conspectis, vitæq; illorum historia, veluti litteris quibusdam patẽtibus audita, ad eorum imitationem animentur, illorumque vitæ sanctimoniã ac mores illustres sequãtur, quorũ auribus percipiunt prœconia, & mirabilia obstupescunt. Et sane permagnę sunt ad excitãdas mentes, & omnium omnino animos inflãmandos egregia hæcce exempla efficaciæ.

Iudith. 4.

Exempli loco erit, quod in historia Judith legere est. Israelitæ in terra Juda habitantes dum ad Holofernis ex Assyria aduentum nimium quantum consternarentur, & tantum non præ metu exanimarentur, summus sacerdos Eliacim vt animos illis adderet, omnẽq; pectore illorum metum eliminaret, veterum ipsis patrũ similibus in casibus exempla, & in primis Mosis fidem ac generositatẽ spectandam proposuit, dicens: *Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit.* Ac tandem orationem his verbis finit, *Sic erunt vniuersi filij Israel:* perinde ac si diceret, Hostilia arma & copias nolite perhorrescere, viri, sed vnius Dei nitimini auxilio, & ad preces velut ad aram & ancorã sacram confugite; ab his namque magis quam ab armis & robore victoria omnis dependet.

Eamdem pene ob causam & simili in discrimine magnus ille bellator Judas Machabæus viso, Gorgiæ copias per vniuersum agrum Israel derepente sparsas esse, ac populum proindè in maxima agere formidine, cum nonnisi tria hominum millia, eaq; semifracta ac lacera in repentino hoc motu coadunare potuisset; ad meticulosos animãdos & inertiam mentibus depellendã efficacius medium non habuit, quam prodigiosum illum maiorũ, Mosis ductu auspicioq; per mare rubrum transitũ, & Patrum in illo sequendo audaciã generositatemq; proponere. His ergo eos verbis compellauit, *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis, mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu.* *1. Mach. 4.*

Mathathiæ ad suos oratio.

Eodem ipso libro, & quidem sub initium, Mathathias venerabilis ille senex, legis diuinæ zelo æstuans, vt Hebræos zelotas ad legis eiusdẽ obseruantiã accenderet, ne nimirum à sanctorum rituum custodia vmquam descisceerent, & infidelium Gentiumque minas, impetus, ac molimina nequicquam exhorresce- *1. Mach. 2.*
rent, maiorum exemplo vsus est, & hac eos oratione est affatus: *Nunc ergo filij amulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrũ vestrorum, & mementote operũ patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* & iam inde ab Abrahamo, Josepho, Phinees, Josue, Caleb, Dauide, Elia, Ananía, Azaria, Misaele, aliisq; Dei legis zelatoribus & amicis ducta ad vlque Danielem serie, hoc tandẽ epiphonemate orationem suã terminat, *Et ita vegitate per generationem & generationem, quia omnes, qui sperant in Deum, non infirmantur.* Agnoscebat nempe pius ille senex, veteres maiorum historias ad filios ac nepotes ad diuinum cultum pertrahendos, & à vitiis auocandos permultum posse.

Non ignorabat id Gentium ille Doctor Paulus, cum Hebræos suos ad tolerantiam malorum exhortans, plurium Sanctorum velut catalogum ac seriẽ texit, quos ad imitationem illis proponit, vitasq; ipsorum depingens sic loquitur, *Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Hinc capite sequenti sic orationẽ terminat, *Ideoq; & nos tantam habentes impositam nubẽ testium, deponẽtes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.* vt hos ergo Apostolus in fide solidaret, intraq; Euangelij terminos cõtineret, plurimos illustres illis sanctos *Hebr. 11.* *Hebr. 12.* S. Pauli ad Hebræos oratio.

sanctos repræsentat, qui vt ipsam tuerentur, tam gloriosam mortem oppetierunt: inprimis vero & ante omnes Christū Iesum, velut sanctorū omnium regem, & legis auctorem, proponit, qui eandem in mundo plantaturus, mortem subire, & tam cruentæ passionis torrentem ingredi minime dubitauit.

Iacob.5. Post hunc Gentium Doctorem, Iacobus etiam Apostolus latius se diffundens, hanc omnibus fidelibus adhortationē præ oculis habet; *Exempla*, inquit, *accipite, fratres, exitus mali; & longanimitatis, & laboris, & patientia. Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini: ecce beatificauimus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Dei vidistis.* & quo patientiam eius modo coronatit. Egregia sane verba, Sanctorum semper exemplum proponentia, & gloriosam maiorū vitam velut in speculo repræsentantia.

Iacobus sanctorum exempla laudat.

Iob 8. Ipse etiam Baldad Suhites, vnus de Iobi amicis, sancti huius viri vitam calūniis proscindens, & quibus poterat modis fugillans, veterum exempla in dictorum suorum confirmationem allegat. Sic enim ipsum allocutus legitur, *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam: hesterni quippe sumus, & ignoramus, quia sicut vmbra dies nostri sunt super terram, & ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia, &c.* Inferre hinc alienigena ille vult, maiorū ac patrum memoriam, atq; inprimis virorum virtute præstantium iuuenibus scholam veluti esse atq; academiam.

Baldadi ad Iobum oratio.

Cantic.1. An non hucamans ille sponsus in Canticis respexit, cum dilectam suam sic alloquitur, *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Quorum allegoricorum verborum hic est sensus, Si te ipsa cognoscere nequeas, anima, quæ creaturis reliquis venustate ac pulchritudine præcellis, egredere pauliſper extra te, & Ecclesiasticorum illorum gregum sequere vestigia id est, imitare gressus; vitam virtutesque tot illustrium Sanctorum, qui gregum ad instar antecurrerunt, ac veluti omnes innocuæ sine fraude doloque, animalia sacrificiis destinata in mortem rapti sunt, tamque atrocia subierunt supplicia. Norat quippe sanctus ille spōsus, Martyrum reliquorumq; Sanctorum exempla mirifice ad inertes languidosque animandos, & eos, qui à virtutis tramite deflectunt, ad eumdem reuocandos pollere.

Ephes.6.

Hinc ad hæc ipsa Canticorum verba alludens Apostolus sic nos in Epistola ad Ephesios commonefacit, *State ergo succincti lumbos vestros in veritate & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij.* Singula verba metaphorica sunt & figurata, quorum hic genuinus ac legitimus sensus, Cogitationem de veterum patrum gestis, & tot Sanctorum in fide mortuorum exemplum maximopere excitare & consolari eos, qui hoc in mundo degunt. Vti enim calceos è mortuorum animalium exuuiis confectos induti secure intrepideque ingredimur, spineta, saxa, aut quicquam pedes offendere natum, neutiquam morati: ita dum Sanctorū, qui ante nostra vixere tempora, historias ac vitam euoluimus, aut ad mentem reuocamus, ad eorum sequelam, & ad eadem quæ præstiterunt præstanda accendimur, illorum fidem æmulando, & in sancta religione, in qua ipsi & salutem nacti sunt, & pro cuius tuitione omnigenos cruciatus & mortem ipsam tandem subierunt, viuēdo. Hæc sunt, quæ nos ad illorum sectanda vestigia, etiam quibuscunq; oblatis difficultatibus, compellunt, & ad mala, aduersitates, persecutiones, quas obiicere mundus potest, exsuperandas: atq; hoc est reuera, ex Apostoli mente, in Euangelium præparari.

Exemplum sanctorum viuentibus in hoc sæculo maximum solamen adfert.

Et profecto ita se res habet: cum enim ad montem reuocamus, & ob oculos ponimus, eos ipsos, quos modo vt sanctos colimus ac Sanctorum reueremur, fragiles mortales fuisse, & nostri ad instar etiam peccatis infames; gratiæ tamen datæ, quæque nemini non offertur, mnes omnino ad virtutem excitādos.

II. Historiæ valent ad omnes cooperatos, mirabilia, vti in historiis ipsorum ac vitæ serie ad oculum legenti apparet, præstitisse; quam hoc efficax & potens est, ad omnis generis & conditionis homines, vt generosarum illustriumque actionum exercitia frequentent, honori & virtuti incumbant, & sanctis decretis & institutis diuinis repugnantia deuitent, excitandos?

In sancta porro & admirabili tot Sancto-

Christiana religio cōcinnata è vita Sanctorum.

rum admirabilium vita Christiana religio mirifice, veluti in tabulis quibusdam ad viuum depictis, & sensibilibus depicta est. Nec mirum cuiquam videatur, si Ecclesiam dictum est è lapidibus viuis concinnari (*quæ cōstruitur in cœlis viuis ex lapidibus.*) Tam multi namque Sancti, qui modo cœlesti gloria perfruuntur, nocte & interdiu nos incessanter alloquuntur, & sanctarum rerum desiderium in nobis excitant; glorioſi inquam illi sancti, qui veluti fundamentales Ecclesiæ nostræ lapides fuere, proprio sanguine, velut cæmento, coagmentati, & inæstimabili charitate inter se combinati.

Num.21. In Numeris legimus, omnes eos, qui à serpentibus virulentis saucij æneum à Moyse in deserto erectum serpētem respiciebant, confestim & à puncturis & à venenato morsu sanatos fuisse. Eodem itidem sensu ipse dico, omnes ambitionis, auaritiæ, libidinis, aliorūque vitiorum peste ac tabe correptos, si in glorioſos Sanctos, in cœlum iam euectos, & quorum in templis nostris imagines & effigies erectæ sunt, oculos coniiciant, eorumq; vitas contemplando ponderent, maximam inde consolationem elicere, ac persæpe delictorum offensarumque medelam inde consequi.

Exod.33. Quemadmodum Moyses prodigioso illo ligno, quo de Exodus meminit, in aquas Mariā coniecto, easdem sapidas ac potabiles reddidit, cum antea amarissimæ forent & insipidæ, ita Deus boni nostri perquam studioſus, & sancta mater nostra Ecclesia, vt amaras tot tribulationum, afflictionum, dolorum, acerbitatum, aduersitatumq; hac in vita occurrentium aquas dulcoraret, & eas tolerabiles redderet, tot Sanctorum vitas & historias adinuenit, & nobis legendas proponit, simul & spectandas eorum cruces, cataſtas, ecaleos, compedes, trahas, vncos, aliaq; martyriorum ipsorum instrumenta, velut prodigioſa quædam ligna & Mosaico illi persimilia.

Omnes è Sanctorum vitis consolationem sentiunt.

Et sane omnis conditionis & qualitatis homines hac è re in omni casu maximum sentiunt auxilium & incredibilem quamdam consolationem. Exempli causa, si concionator quispiam salutem animarum maxime spirans, & solius honoris diuini studioſus, aduersus peccata generoſe detonans, crimina animoſe reprehendens, & feruentis zelantisq; Ecclesiasticæ partes ac munera pro debito explens, virulentis maleuolorum linguis proscindatur, calumniis & conuitiis iniquorum impetatur; adeo nō mouebitur, aut ob officio vel latum vnguem recedet, vt permagna inde potius sit consolatione perfundendus, si Sanctorum historias ac vitas legendo animaduerterit, Redemptorem ipsum Christum, Prophetas, Apostolos, & quotquot vnquam honoris diuini ardore æstuarunt Ecclesiastæ, simili linguarum virulentia esse impetitos.

Quę è Sanctorum vitis legendis sequantur commoda.

Si quis aduersæ fortunæ malignitate & mundi huius inuidia ad ima subsellia redigatur, è summa opum affluentia ad summam inopiam deueniat, & è summo honorum gradu ad infima infamiæ deturbetur, atque inde non mediocriter perturbetur; illico maxima consolatione viciſſim perfundetur, si Jobum, Tobiam, Dauidem, alioſq; afflictos & exagitatos sibi proponat. Si in exilium coniectus & procul à patria extorris mœrore cōficiatur, confestim vegetescet & animum recuperabit, oculos in Abrahamum, Jacobum, Clemētem, Joannem Chryſostomum aliosque infinitos, qui etiam cum infamia & dedecore patrio pulſi solo, non idcirco animum contraxerunt, nec à Dei cultu desciuerunt, sed in barbara & peregrina regione non minus eum, quem suis in ædibus ac terris coluerunt, coniiciens.

Vitæ Sanctorum remedium sunt generale contra omnigena vitia.

Adhæc si quis carnalis concupiſcentię ſtimulis exagitetur, si quis lasciuarum mulierculārum illicijs impetatur, si quis tentatione venerea pulsetur; reuocet ad mentem generoſos illos pugiles, castimoniæ laude inclytos, Josephum Patriarcham, D. Thomam Aquinatem, sanctum Bernardum Clareuallēnsem, & alios sexcentos, qui belluam hanc tam generoſe sancteque edomuere, carnisq; violentiam tam heroice exſuperarunt, & iurare ausim fore, vt extemplo mirabilem sit consolationem & robur insolitum experturus.

Si quis item mundi se pedicis expedire nequeat, aut eius valedicere vanitatibus; si quis facul-

facultatum comparandarum nimium auidus, erga inopes non pro eo ac debet sit animatus, afflictis succurrere detrectet, eoq; se deiicere non sustineat, vt inuisat, ijsq; auxilietur; facilem in his de se ipso victoriam referet, & solamen extremum capiet si S. Benedicti, Antonij, Hilarionis, Francisci, & nominatim S. Rochi, illustris illius confessoris vitam intueatur: hic enim postremus iam inde à prima ætate virtutem sectatus, in egenos facultates omnes dispertitus est: relictaque patria reliquum vitæ tempus ægrorum & pestifera labe infectorum ministerio dedicauit. Hinc totus Christianus orbis summo eum cultu prosequitur, magnos illi honores defert, & Ecclesia Catholica hanc illi diem anniuersariam assignat, & eius in honorem hoc legendum Euangelium præscripsit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, &c. Habuit namque inter cæteros Sanctorum renes vere castitate præcinctos, & manus bonis operibus, veluti lampadibus ardentibus instructas. Verum ne Euangelij textui diutius inhæream, aliam semitam insistens, & Sancti huius viri elogia prosequens, duobus omnem hanc concionem membris inædificabo: primo velut medicus & Theologus de morbo epidemico ac peste loquar: cum ab huius morbi lue correptis sanctus hic inuocari soleat & suspici; altero summatim simul & singillatim vitam, sanctimoniam, charitatem, virtutes, reliquaque eiusdem merita prosequar.

III. Pestis primis duobus annorum millenarijs in mundo nulla fuit.

Principio igitur, nomen contagij, aut pestis, quod vel à *pernicie* aut *perdendo* originem trahit, quod primaria quæq; quæ vitam acceperunt, perdat, destruat & corripiat, nonnisi à bis mille quadringentis post mundi creationem annis mundo cœpit innotescere. Constat namq; ante vniuersale aquarum diluuium, quod iuxta communem annorum supputationem, anno à mundo condito millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto contigit, nullam morbi huius aut notionem fuisse aut formidinem. A diluuio ad vsque tempora Abrahæ, duobus intercurrentibus sæculis, quid esset pestis, nemo notat; ab Abrahamo ad vsq; Isaac, ad vsque Iacob, ad vsque Ioseph, ad vsque Mosen, (trecenti & amplius interfluunt anni) quid esset contagio, nondum quisquam sciebat; adeo vt si quis secula superiora & primas mundi ætates euoluere voluerit, facile ex sententia mea reperturus sit bis mille & quadringentos pacifice effluxisse annos, antequam hoc aliquis in terra morbo correptus legatur.

Prima eius mentio fuit tempore Pharaonis, & durante seruitute filiorum Israel in Ægypto. Legimus quippe in Exodo, Mosem & Aaronem regiam Pharaonis ingressos, sic eidem locutos esse, *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus iter trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis & gladius*: quasi verbis manifestioribus dicerent, Deus optimus maximus, qui verus Hebræorum Dominus est, nos euocando præcepit, vt Ægypto egrederemur, regnum hoc desereremus & triduj itinere in solitudinem abeuntes, ibi Deum nostrum adoraremus sacrificiaque immolaremus, ne forte eius iussa negligentes voluntatique refragati, peste corripiamur, & bello opprimamur. Hæc prima est, quantum equidem meminerim, pestis in sacris mentio. *Exod. 5.*

Prima pestis mentio tempore Pharaonis.

Ceterum morbus est contagiosus, & maximopere metuendus, quique sæpenumero ab aeris infectione ortum habet initia, qui eo quo infectus est, virus in omnia terræ animantia effundit. Atque hanc ob causam à Galeno & omnibus medicorum filiis morbus publicus & communis dicitur, quod omnes omnino homines, nullo sexus, ætatis, dignitatisque intuitu inuadat. Malum est initio quidem latens, clanculo serpens, & sæpe antequam patescat, occulta quadam proditione hominem enecat. Introrsum interdum desæuiens, & corpus prorsus corripiens, suas etiam foras vires exerit, & tubera, panos, & phlegmonem in lateribus, in quibus plus materiæ ad hominem inficiendum, & vitam in discrimen vocandam dispositæ reperitur, causatur.

Aeris infectio pestis causa.

Pestis dicitur morbus publicus.

Vt vero profundius in medicorum penetralia penetremus, sciamus oportet duplicem morbi huius causam dari, vnam quidem infimam & naturalem, aliam sublimiorē & naturæ præcellentem. Naturalis causa item duplex, prima aeris infectio è putiscentibus &

Duplex pestis causa.

corruptis exhalationibus enata; deinde longa prauorum humorum in corpore nostro collectorum, & ad infectionem tendentium coacernatio. Varia porro sunt, quæ aerem inficiunt, eumque pestilentem reddunt, non modo videlicet maligni vapores, & maleolentes exhalationes è locis putiscentibus ascendentes, & mephitis intolerabilis; sed excessiui etiam & insoliti calores, humidum item insuetum, indebito scilicet tempore & hora anni dominantia, quæ duo in aere corporum cœlestium influxus causatur. Quod autem homines sine communi & continuo elementi huius vsu viuere nequeant, mirum sane non est, aere corrupto & infecto, homines eum haurientes etiam infici; quem si corruptum ducant, vitam etiam illorum corrumpi ilico necesse est.

Aeris inficiendi causa.

Causæ supernaturales, quæque communia & elementaria agentia longe transcendunt. enormia sunt hominum peccata, & iusta Numinis vindicta, quod mortalium flagitijs exacerbatum flagella exerit insolita, vt extraordinario in terram modo animaduertat. Ita Moses inter alias in Pharaonem & Ægyptios à Dei dextra immittendas plagas, pestem etiam recensет, Deum sic loquentem inducens, *Ecce manus mea erit super agros, & super equos & asinos, & cameles, & oues & boues, pestis valde grauis.* Concludens ergo sacra Scriptura sic ait, *Mortuaque sunt omnia animalia Ægyptiorum.* Atrocis autem mortalitatis huius causa fuit barbari illius regis obduratio.

Causæ pestis supernaturales.

Exod. 9.

Et sane, potens ille ac metuendus Deus maximis semper peccatoribus pestem intentauit, ad abominationes ipsorum scilicet hoc flagello castigandas, iramque suam ostendendam. Non de alia loquuntur re prophetæ frequentius, & plenæ sunt exemplis ijsque mirabilibus sacræ scripturæ. Quæ vobis, vniuersa sacra volumina à capite ad calcem percurrendo, continua serie depromam. In Leuitico, cum legis prævaricatoribus immittendus maledictiones Deus recensет, hãc inter alias adnectit, *Inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei, cumque confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium.* Si iam inde à Mosis temporibus Deus de mandatorum suorum obseruatione tantopere solicitus fuerit, pestemque eiusdem violatoribus intentarit; ecquid mirum in lege Euangelica sanctis eiusdem mandatis toties violatis, eumdem ipsum Deum toties exardescere, & ijsdem in nos flagellis, bello inquam ac morbo pestilenti, animaduertere?

Deus vtitur peste ad peccatores castigãdos.

Leuit. 26.

Deus delegis suæ custodia zelosus.

Eamdem ob causam legitur Deus aduersus populum infidum & prævaricantem excandescens, suamq. iram expostulando exerens in libro Numerorum dixisse, *Vsque quo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia atque consumam,* &c. Vnde liquido patescit pestem & contagia Omnipotentis Dei dexteræ opera esse, eiusque iustitiæ effecta, in terram ad maleficiorum & scelerum humanorum punitionem immitti solita.

Num. 14.

Pestis sunt signa diuinæ iustitiæ.

Mira sunt, quæ huius occasione in Deuteronomio legimus: Inter maledictiones aduersus Deo rebelles & legis eiusdem effractores emittendas, *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ;* hæ speciatim enumerantur, *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro.* Pessima autem omnium hæc est, *Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra: sit cœlum, quod suprate est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea.* Adeo vt inter Dei viuentis & irati maledictiones & comminationes omnium atrocissima & maxime metuenda sit, quæ mortem, & pestilentiam comminetur.

Deut. 28.

Idem ipse Deus eadem in indignatione persistens, eamdem etiam comminationem intentat apud Ieremiam, cũ Ierosolymæ ruinam, excidiũ vastitatemq; prædicens, sic suũ est Prophetam allocutus: *Hæc dices ad eos, sic dicit Dominus Deus, viuo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent, & qui in agro est, bestiis tradetur ad deuorandum; qui autem in præsidijs & speluncis sunt peste morientur.* Hic ergo locus alijque innumeri ad oculum nobis patefaciunt, pestem flagellum Dei esse, & è iustitiæ

Ierem. 33.

stitiæ eiusdem instrumentis maxime cruentum & metuendum.

Tria diuinæ iustitiæ flagella sunt.

Certissimum est autem, & nemini non obuium, inter innumeras virgas & rationes, quas septimus ille vindex ad iniquitatum humanarum vindictam exercere consueuit, tres illum potissimum ac speciatim, quibus ad enormissima flagitia castiganda vtitur, & è quibus iusta eius aduersus eadem iracundia & furor maxime eruitur bellum, inquam, pestem & famem, quo triplici ferro nihil non deiicitur, nihil non edomatur, cum ipsum Deo visum exerere, nemo vt illi queat resistere.

Fabula Poetica.

Iouem fingebant veteres in cœlo tonare, dextræque illius trisulcum addebant fulmen; quo illum telo omnia in terra concutere & perterrefacere credebant. Hæc quidem Poetica & commentitia sunt: sed veritas verissima, Deo nostro ter maximo triplici hoc flagello, velut trisulco eius iustitiæ telo, dextram obarmatam esse; quo in terram horrende sæuit furorem exerit, indignationem ostendit, seque mortalibus terribilem ac metuendum exhibet.

S. Scriptura bellum, pestem & famem plerumque coniungit.

In huius meæ sententiæ confirmationē notetis velim, sacra volumina, quotiescunque Deum ter maximum aut iratum, aut per potentiæ suæ arma, aut iustitiæ flagella mūdo minitantem nobis describunt, semper hęc tria coniuncta in aciem producere, bellum inquam, pestem & famem; velut indiuiduas comites, perpetuo connectere, quod variis ex sacro textu testimoniis deductis afferere vobis conabor.

4 Esd. 13.

A libris Esdræ ducam exordium, in iis noto Deum Asiæ succensentem, quod Babylonis esset delicta æmulata, has eidem minas intentare: *Odibilem imitata es in omnibus operibus, & in adinuentionibus suis; propterea dicit Dominus, immittam tibi mala, viduitatem paupertatem, & famem, & gladium, & pestem ad deuastandas domos tuas.* An non hæc tria flagella & trina hæc fulmina hic iunctim & vno velut sub fasce posita conspiciuntur.

Ierem. 14.

Idem & in Ieremia legitur: nam idem ipse Deus aduersus populum Israel maiorem in modum exacerbatus, quod debitū Deo cultum ad idola & vana numina transtulisset, Deus Israel sterilitatem illi intentans, suumque furorem & indignationem verbis testatus, sic vatem est allocutus: *Noli orare pro populo isto in bonum, cum ieiunauerit, non exaudiam preces eorum, & si obtulerit holocausta & victimas, non suscipiam eas quoniam gladio, & fame & peste consumam eos.* An non hic denuo tria hæc tela vno ictu vibrata? Deus Israelitis bellū, pestem & famem minatur.

Ierem. 29.

Idem Domini furor & indignatio cum nondum cessaret, minas etiam nequaquam intentare desinit; capite namque XXIX. ira & furore æstuans, velut verborum tonitrua & fulgetra eiaculatur; *Persequar eos*, ingratos scilicet & idololatras Israelitas *in gladio, & in fame, & in pestilentia, & dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego eieci eos.* Quam ignita, quam terribilia verba? quam horrenda verborum iacula?

Ezech. 6.

Producam & terribiliora, & semper eorundem flagellorum comminationibus stipata. Apud Ezechielem namq; Deus optimus maximus ad iustam, ob populi infidelitatem & idololatriā, indignationem conciliatus, Prophetæ hæc iniungit, *Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic, heu ad omnes abominationes malorum domus Israel, quia gladio, fame & peste ruituri sunt: qui longe est, peste morietur: qui autem prope gladio corruet; & qui relictus fuerit & obsessus, fame morietur, & complebo indignationem meam in eos.* O verba horrenda! ô rationem feralem & terribilem! anne vmquā vobis terribiliora audita? an grauiores minacioresq; vmquam ad aures vestras comminationes acciderunt? tantamne cœlo indignationem contineri? Deumne tam vltrices deposcere pœnas? tantæne animis cœlestib. iræ? vos peccata & iniquitates, toto passim orbe inualescentes, vnica harum cōminationū causa estis, hosce vos ignes veluti flabro succenditis, vos iram hanc & vindictam susc itatis, vos maiestatem hanc benignissimā irritatis, vos tela hæc è pharetra in apertum profertis, vos hæc flagella exeritis, vos trisulcum hoc fulmen procuditis. Sed ad lineam redeamus, & sacra volumina vlterius per-

peruoluamus, quærentes num triplex hoc telum etiam alibi simul pariterque intentetur. Tria insuper loca proferam, sed alio schemate & velut emblematico conuestita.

2. Reg 24. Primus est in historia regum Israel. Deus namque in Dauid regis peccatum acriter animaduersurus, Gad Prophetam ad eum destinat dicentem: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur, aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua: nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei qui me misit sermonem.* Rex ergo anceps, quid eligeret ignorans, pauidus & consternatus, lachrymabundus & gemens in hæc tandem verba prorupit; *Coarctor nimis, sed melius est, vt incidam in manus Domini (multæ enim sunt misericordiæ eius) quam in manus hominum.* Ergo cum optione data pestem prætulisset, eaque triduo dumtaxat in regno vniuerso grassata esset, septuaginta hominum millia à Dan vsque Bersabee eadem exstincta Scriptura tradit.

Optio Dauidi data belli famis aut pestis.

Dauid pestem bello famique præfert.

Multa historia hæc continet dignissima notatu, quæque ad nostram instructionem mirifice desetuiunt. Primo quod Dei flagellis pius ille Rex minime refragetur, neve impij Pharaonis instar obluctetur, sed vt supplex & humilis pœnitens debitas delictis pœnas agnoscat, easque magna animi demissione admittat, & pœnitentias vltro subeat. Secundo, quod Dei viuentis naturam agnoscens, & de hominum conditione diffidens, malit inter adeo elementis Dei brachia se conijcere, cuius misericordiam perspectam habebat, quam hominibus se credere, quorum crudelitatem & malignitatem sæpe sæpius esset expertus. Tertio, quod inter cuncta Dei flagella ipsum pestilentiæ sit grauissimum, & maxime metuendum, quod septennio sterilitatis, & trimestri bello triduana solum pestis velut æquipollens & æquiualens ex opposito opponatur. Sed ad emblemata nostra redeamus.

In historia hac de Dauide multa sunt documenta moralia.

Ezech. 5. Alterum, quod in Scriptura noto emblema legere est apud Ezechielem, quod priori aliquatenus respondet, & cum historia Dauidis aliquo coincidit modo, cum enim de capillis, quibus populi exeidium designabatur, ænigma Propheta huic propositum esset, sic illum Deus est allocutus, *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos.* cui rei hæc nouacula? quid his crinibus facies Domine? audi: *Tertiam partem ignibus combures, tertiam partem concides gladio, tertiam vero aliam disperges in ventos.* quod deinde exponens & mysterium reuelans ait, *Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium euaginabo post eos.* An non & hic rursum tria hæc tela mystico subschemate simul prolata? sed addam aliud & eiusdem omnino farinæ.

Emblema mysticum expositum.

Ieremiæ reuelaturus Deus, ecquæ Ierosolymam ruina & excidium, Sedechia regnante maneret, duo illi canistra ficubus his bonis & suauibus, illis amaris & grossis repleta ostendit: primæ illarum dulcem, lætum festiuumque populi è captiuitate reditum, aliæ feralem eorum, qui Sedechiæ tempore in Iudæa victuri erant, perditionem excidiumque denotabant: vnde subnectit: *Et dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ ejecti eos, & mittam in eos gladium, & famem, & pestem, donec consumantur de terra, quam dedi eis & patribus eorum.* Ecquæ verba, Deus bone, quam horrendæ comminationes! ac deinde ficuum visionem adaptans capite 29. subiungit, *Ecce mittam in eos gladium & famem & pestem, & ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt eo quod pessimæ sint.*

Ierem. 14.

Emblema mirabile Ieremiæ exhibitum.

Ierem. 29.

An non ergo pestis semper inter arma Vindicis Dei reperitur? an non inter præcipuas iustitiæ eiusdem administras? an non item è maxime terribilibus omnipotentis Dei irati signis, & è grauissimis quibus affligere mundum & mortales consternare plagis solet?

Et sane inter omnia mala & flagella, quibus perterreri & percelli homines solent, pestis facile primum obtinet locum; hinc eadem in Scripturis peccatum & iniquitas omnis, velut symbolo & nota, designari consueuit. Hinc Spiritus sanctus sceleratam quempiam & perditum per omnia denominaturus,

Pestis malorum omnium pessimum.

natutus, pestiferi eum nomine indigetat. Sexcentis hoc probari exemplis queat, & locis variis. Primus ille sit Ecclesiastici: *Attende tibi à pestifero*, id est, scelesto; *fabricat enim mala, ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum.*

Eccli. 11.

Eodem item sensu capitur in Apostolorum Actis. Apostolus enim Paulus à Iudæis apud Felicem Præsidem accusatus cum esset, aduersus eum agens Tertullus actor, ab hac inuectiua suam est auspicatus orationem: *Inuenimus hunc hominem pestiferum*, id est, prauum & scelestum, *& concitantem seditionem omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & auctorem sectæ Nazarenorum, qui etiam templum violare conatus est.* Calumnians hic maledictus sanctum Apostolum in odium adducturus, *pestiferum* eum nuncupat: qua denotare metaphora volebat, illum esse profligatis moribus perditum, noxium, & rerum perturbatorem, eum hoc pacto Iudæis omnibus exosum & inuisum redditurus.

Act. 24.

Pestifer dicitur in Scriptura scelestus.

Eadem in significatione *pestiferos* appellat Scriptura eos, qui aduersus pium & cordatum Ionatham insurgebant, eiq; perniciem & interitum moliebantur, viros peruersos & ad omnem malignitatem efformatos: *Et conuenerunt*, inquit, *aduersus eum viri pestilentes ex Rael, viri iniqui interpellantes aduersus eum.*

1. Mach. 10.

In Prouerbiis eadem est vsus metaphora Salomon ad peccatores, & nefariam eorum vitam designandam: *Homines pestilentes dissipant ciuitatem, sapientes vero auertunt furorem* diuinum.

Prou. 29.

Addo his omnibus Deum ipsum apud Ieremiam Prophetam Babyloniorum iniquitatibus, impietate & abominationibus exacerbatum, eadem figura vsum: illorum enim vrbem veluti montem quendam compellans ait: *Ecce ego ad te mons pestifer, ait Deus, qui corrumpis vniuersam terram.*

Ierem. 51.

Pestis futuræ posterus mundi plagis.

Hactenus producta & tædiosa hæc præambula hunc in scopum primarie collineant, vt hinc euidenter patescat, peccatum & pestem mire inter se, velut effectum & causam conuenire, eamq; maximam esse plagam, & qua vix grauior atrociorq; à peccatis mortalium irritato Deo immitti in terrã queat. Hinc & ipse Dei filius Apostolis signa ac portenta supremum illum ac formidabilẽ mundi diem anteceſſura patefaciens, & quæ tum calamitates homines oppressuræ sint præmonens, pestem inter alias producit, *Erunt*, inquit, *pestilentiæ in locis*: declaraturus scilicet, pestifera hæc contagia è supremis mundi plagis fore, & vna cum bellis atrocibus, fame vniuersali, horrendis terræ tremoribus, incendio passim vaganti, astrorum confusione Deum pestem inducturum, vt si quid superiores clades euaserit, & sospes perstiterit, pestilenti hac lue penitus deuastetur.

Luc. 24.

Partem hanc latius deduxi morbiq; huius horrorem, malum ac pericula pluribus sum prosecutus, vt inde maiorem Sanctorum illorum illustrium honorandorum, colẽdorum, inuocandorumq; occasionem eliceretis, quibus Deus vitæ mortisq; dominus ac princeps, malli huius pellendi, & auerruncandi, eum eam ob causam ab hominibus pie suppliciterque illorum potentia imploratur, potestatem ac prærogatiuam concessit. atque inprimis & nominatim S. Rochi, cui hæc cœlitus gratia & donum concessum, vt etiamnum inter mortales agens, multos mortalium, oppida etiam integra & prouincias ab hac liberarit lue; & iam cœlesti gloria perfruens hanc ob causam omnibus passim eius auxilium inclamatur. Ipse scil. hoc contagio correptorum asylum & refugium, & eius inuocatione plurimi hactenus hoc malum excusserunt, & etiam modo eius opem implorantes exeutiunt, quæ miracula Christianus orbis & deprædicat, & passim demiratur; hinc magnum & illustre sancti huius Confessoris per orbem nomen redditum est, quod ipse etiam modo vobis ad oculum repræsentabo, eiusdem virtutes vitamque propositurus; quod altera concionis parte facturum me promiseram.

IV.

S. Rochus inter cæteros sanctos à peste infectis inuocatur.

Nouum ergo hoc stadium ingressus, ab hac Psalmistæ exclamatione rem auspicabor: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Si quo enim in sancto Deus redditus admirabilis, in Rocho certe nostro maxime se mirabilem præbuit, si vel eius ortum & natalem, vel vitam & actiones, vel mortem atque eam secuta miracula intueamur. Plurimi viri magni, è singulari quo erga sanctum hunc Confessorem fere-

Deus in S. Rocho factus admirabilis. Psal. 67.

Tot bantur

bantur affectu, vitæ eius historiam, præclare gesta, virtutes, merita & elogia litteris consignarunt. Illustrissimus Cardinalis Baronius suis in Martyrologium Romanum Notis aliquot profert, nimirum Franciscum Driedonem, Petrum Pinum, Claudiũ de Rota in leg. Sanct. ca. 191. Petrum in Catalog. adpend. c. 15. Crantzium in Metrop. Sax. lib. 9. c. 25.

Baron. in Martyrol. Qui de eius vita si plerin t.

Quo tempore S. Rochus innotuerit.

Inter alios Driedo obseruat, anno illum millesimo trecentesimo vicesimo septimo aut circiter vitæ diem clausisse, & anno millesimo quadringentesimo quarto decimo à Patribus in vniuersali Constantiensi Concilio congregatis nomen eius celebrari cœpisse: ex quorum communi decreto, postquam sanctitas eius iam pluribus miraculis declarata esset, & amplissimum ipsi de eadem testimonium tulissent, vt imminentem vrbi illi pestem eius interessione auerterent, debiti reliquis Sanctorum honores etiam in ipsum collati sunt, eiusque effigies magna cum veneratione, cultu & honore; vniuerso populo supplicantium ritu sequente, pro palam per vrbis compita Patrum humeris delata est, & ecce, confestim sancti huius viri interuentu & ope à pestilenti hac plaga regio vniuersa vindicata, omnesq; eiusdem eam pulsam meritis passim non sine grati animi significatione confessi sunt.

S. Rochus in Gallia natus.

Galliæ nostræ, quæ semper Christianitatis fuit armamentarium, & sanctorum seminarium, obtigit virum hunc inclytum mundo dedisse, & in Ecclesiæ vtilitatem eundem educasse Orbi quippe illum dedit Mons Pessulanus Narbonensis prouinciæ, regni huius prouinciarum non postremę, caput. Genus ac stirps illi fuit inclyta: pater, cui Ioannis erat nomen, inter generosissimos temporis sui equites fuit numeratus, & mater eius Franca nomine illustrissimis tota prouincia matronis merito annumeranda. Cognito porro illustri se editum sanguine parentibusque secundum sæculum inclytis & magnis, sanguinis ipse nobilitatem virtutibus bonisq; operibus etiamnum puer exprimere & nobilitate contendit.

S. Rochus bis in hebdomada v-

Hinc, dum adhuc lacte materno aleretur, quot hebdomadis bis, ad S. Nicolai Myrensis imitationem, vbera sugere detrectauit, iam inde ab incunabulis ieiunio se dedens, simulque declarans, quo factus iam grandior membra esset ieiunio castigaturus. Iam tunc reipsa & opere salutare hoc Sapientis monitum exequens, quod adolescentibus omnibus præscripsit, *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam.* Et sane primæ illę impressiones ægre admodum eraduntur, meræq; sunt in reliquos vitæ annos efficaciæ; vt taceam rem Deo longe esse gratissimam, & præ aliis acceptissimam.

beribus abstinebat e- iam puer. *Eccli. 6.*

Agnoscens hoc ipsum Ecclesiastes hoc sæculi sui iuuenes modo commonefacit, *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ*: quasi diceret, Virtutis suecum vna cum lacte nutricis imbibe, & primos vitæ annos bonorum operum exercitio dedica: perutile namque est, mature & tempestiue benefacere, vitamque cum honore & virtute instituere discere. Bona siquidem hæc fundamenta in virtutum fabrica posita reliquo vitæ tempore perseuerant, nec vllo vnquam malignitatis motu flabroq; concutiuntur aut labascunt. *Eccles. 11.*

Capite sequenti eadem monita prosecutus addit, *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent, antequam tenebrescant sol, & lumen, & stellæ, & luna.* Ænigmatica plane & tropica hæcce paræneſis est. Per annos namque afflictionis & amaritudinis tempus intelligit senectutis, tempus inquam displicens, triste, ingratum, molestiis & tetricitate plenum, atque infinitas secum ærumnas ac dolores trahens; tempus inquam, quo sol, luna, & stellæ tenebrescunt & caligant; tum nempe oculi rutilantes illi hominis soles caligine opplentur, tum scilicet visu & dulce siderum contemplatione priuamur. Monet ergo & consulit Sapiens, iuuenum esse iam inde ab infantia vere Deum colere, virtutibus incumbere, non vero in senium & ærumnosos decrepitæ ætatis annos id deferre, ante scilicet quam appropinquent anni displicentes. Iuuentus enim virtutum exercitio propria magis est, quam morosæ & effœtæ senectutis fæx. *Eccles. 12.* Præclara monita Sapientis ad adolescentes.

Quod omnes in genere adolescentes ac filios

Tobi.

lios commonefaciebat Ecclesiastes, hoc suum nominatim Tobias, vti ex eiusdem eruitur historia. eius namque initio legimus, filio illum, Dei vnius timorem iam inde ab adolescentia vt præ oculis haberet, & ab omni peccatorum genere sibi quam maxime caueret, suasisse: *quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Beati porro patres illi, qui sancti huius viri exemplo, filios iam inde à flore ætatis & primis annis, Dei timorem edocent, & omnis peccati fugam persuadent. Hæ scil. bonorum parentum partes, hæ fidelium lectio, hoc Deo præ ceteris gratum est.

Serui Dei, Deo iam inde ab infantia seruisse gloriantur.

Quod cum veteres sibique Dei serui perspectum haberent, quoties sua merita magni facere, & sine vanitate vlla cum apud Deum, tum homines virtuosarum actionum suarum pondus deprædicare cupiebant, semper prope tempus, quo Deo primum famulari ceperunt, produxere: imprimis vero permagni fecerunt, quod iam inde à pueritia Deum timere occœpissent. Sexcenta eaque illustria rei huius exempla sacra Bibliorum volumina nobis suppeditant. Imprimis Abdias Achab Regis œconomus, fidus ille & pius Dei cliens, qui Iezabele sanctos Dei Prophetas ad necem persequente, centum vna vice neci, eosdem in cauernis clanculo enutriendo subduxit: is inquam cum Deum præ oculis haberet, suamq; pietatem deprædicaret, sic Eliam Prophetam est allocutus: *Seruus autem tuus timet Dominum ab infantia sua.*

3 Reg. 18.

Huc facit & illud Iobi de vitæ suæ innocentia apud omnes testimonium dicētis, *Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa mecum est.* Hyperbolica hac exaggeratione dicere vult, se iam puerum & infantem, virtutis & imprimis commiserationis semitam insistere cœpisse. Si Rochus noster vitæ suæ præconium etiam concinnare, meritorumq; suorum texere catalogum ac virtutum vellet, hoc ipsum identidem repetere, vereque dicere posset, non charitatem modo & misericordiam, sed & ieiunium, pœnitentiam, amorem tum Dei, tum proximi, aliasque virtutes plurimas secum crescente creuisse, quod se nascente simul illæ enatæ essent.

Iob. 31.

Iob cum misericordia natus.

Sapiens, extra humilitatis lineam non abiens, nec vanæ gloriæ aura extra mentis statum abripi se minime sinens, de sapientia (cuius initium timor Domini) loquens illam se puerum studiose summaq; animi contentione quæsisse, & iam inde à primis incunabulis & flore iuuentutis dilexisse testatur: *Hanc amaui*, inquit, *& exquisiui eam à iuuentute mea.* Tametsi non ea Rochi nostri fuerit fama & nomen, quod Salomonis; in eo tamen illi par fuit, quod eamdem sapientiam & Dei timorem iam inde à primis & floridis annis dilexerit; cum nempe adhuc in cunis agens, & puerilibus fasciis inuolutus, maternoq; pendens ab vbere, ipso abstinuerit, & à sugendo sibi temperarit, hoc pœnitentiæ auspicio vitam auspicatus. *Sap. 9.*

Ezechiel Propheta vitæ suæ innocentiam pōderare dum gestit, sic Deo loquitur, *A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, & morticinium & laceratum à bestia non comedi ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.* Per magni puritatem illam Prophetæ hic faciebat, quod iam inde ab incunabulis nihil immūdum gustasset: sed eadem in Rocho nostro magis & laudanda & admiranda videtur, quod non modo rebus immundis vetitisq; abstinuerit, sed etiamnum in fasciis infantibus inuolutus ab honestis & licitis, imo & necessariis sibi etiam temperarit, bis singulis hebdomadis vbera trahere detrectans. *Ezech. 4.*

Ezechielis Prophetæ puritas.

In Ecclesiastico Iesus Siracides Deo supplicans vitæ suæ innocentiam duobus tribusque hisce colis declarauit: *Lætatum est cor meum in ea, ambulauit pes meus iter rectum, à iuuentute inuestigabam eam:* de sapientia porro loquitur. Quod sanctus ille de vitæ suæ integritate dat testimonium ac præconium, nos sancto Rocho adaptare possumus & debemus: mox enim vt vitæ huius ianuam est ingressus, & primum solis huius vsura frui, virtutis cœpit exercitio delectari, pedes eius recte ambularunt, numquam aut nusquam ab honestatis semita deflectentes, & à prima adolescentia Dei amorem & sapientiam exquisiuit, in eademque studiose incubuit. *Eccli. 51.*

Princeps quidam Palæstinorum, vti Lucas obseruat, cum quodam tempore Redemptorem interrogaret, *Domine, quid faciendo vitam æternam possidebo?* audiuit illico, *Mandata nosti? non occides, non mœchaberis, &c.* Respondit princeps pietate & feruore ardens, *Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.* Rara res & insolita profecto, virum principem iam inde ab adolescentia tam sincere vitam instituisse, & diuina mandata tam sedulo obseruasse: verum longe mirabilius sanctum hunc virum, vt primum vtero materno egressus est, virtutis lac sugere cœpisse, vbera nutricis declinando. Quam ergo merito illud Propheræ vsurpare potuit, Deo ob bonas inspirationes, & quæ ab eo vitæ recte instituendæ rudimenta initiaque acceperat, gratias agentis, *Deus docuisti me à iuuentute mea*, tu tuum mihi timorem, aliasque sanctas virtutes iam inde à pueritia instillasti: præter Deum enim B. Rochum, virtutum iter, ieiunium, aliaque pœnitentiæ opera, quæ etiam puer & fasciis inclusus exercuit, edocere nemo potuit.

Luc. 18.

Psal. 70.

S. Rochus ætate crescens, virtute creuit.

Si hisce virtutum primitiis, & lætis initiis, quæ nonnisi quid magnum portendebant, adeo se mirabilem sanctus hic puer omnibus reddidit; tum vero multo maiorem in admirationē vniuersos rapuit, dum ætate crescens & annis, virtute etiam ac sanitate creuit, & omnigenis bonis operibus vitam florescentem quotidie florentiorem effecit. Cum enim ad duodecimum ætatis peruenisset annum, pater commune naturæ debitum iam persoluturus, his eum verbis postremo compellauit, quatuor illum rerum commonefaciens, primo vt Iesu Christo nunquam non infatigabile obsequium præstaret, deinde erga pauperes benignum se semper ac pium exhiberet, tertio facultatibus relictis ritę debitaque ratione vteretur, quarto denique vt ne nosocomia & xenodochia desereret, sed qui in eo gemebant pauperes & ægri auxiliatricem eius sentirent manum.

S. Rochi pater moriens quatuor illi commēdat.

S. Rochus facultates in pauperes effundit.

Piis hisce monitis acceptis, & parente vita functo, filius, solius pietatis ac sanctimoniæ studiosus, eadem executioni mandaturus, à generali rerum omnium contemptu cœpit, & omnibus facultatibus magna charitatis in egenos effusis patrio egredi solo constituit, in alieno & incognito peregrinaturus. Quapropter Romam petere sancta visitaturus loca cum decreuisset, Italiæ fines iam ingressus, comperit oppida pleraque pestilenti malo infecta; ad quæ cum concessisset, & nosocomia frequentaret, vt peste correptis ministraret, ecce, subito omnis euanuit contagio, & Deus sancti huius viri zelum & benignum in morbidos affectum insigniter remunerans dedit, vt vniuersa circumquaque regio à contagioso hoc & epidemico morbo liberaretur, adeo vt quo longius procederet Rochus, & noua semper oppida adiret, in quibus pestilens hoc malum grassabatur, sanctitatis eius fama eo etiam longius peruagaretur, & noua quotidie miracula eius meritis intercessioneque cœlitus patrarentur.

Hic ancoram iaciamus oportet, Auditores, & eminentem sancti Rochi, quam omnibus exhibuit charitatem, admiremur, dum se nosodochiis totum consecrauit ægris ministraturus, vitamque præsentissimo mortis periculo intrepide exponens. Docuit olim Redemptor maiorem dari ea fingique caritatem non posse, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, vitamque propriam alienæ conseruandæ ergo periculo obiiciat. Quæ cum sint, vt sunt verissima, sancti huius nostri charitatem ad summum perfectionis gradum pertigisse credendum est, cum pro salute proximi vitam ipse suam exposuerit, ac toties tamque variis in locis mortis discrimina adierit peste infectis sedulo succurrendo, ministrandoque, quo ipsi salutem recuperarent, neue amicis modo ac notis, sed plerisque incognitis & peregrinis. opus profecto heroicum, summe pium, & meriti infiniti.

S. Rochi charitas.

Ioan. 15.

Et sane adeo excellens & præstans est, vt martyrii quædam sit species morbidis ægrisq; & nominatim contagiosa lue infectis, apud quos maxime vita periclitatur ministrandis, & mortis in discrimine versatur, ministrare. Quod perspectum & prope cognitum habens Ecclesia, Sacerdotes quosdam ac diaconos aliosq; viros pios permultos debito veris martyribus honore & cultu afficit, qui Valeriani Imperatoris tempore, cum terra quædam pestis

Peste correptis adesse, specimen martyrii est.

stis Romanos, & vniuersas exinde prope impetii Romani prouincias inuasisset, vltro ac sponte morbidorum obsequio se, magna pietatis significatione offerentes, mortem pie in obsequio suo inuenerunt, regnum cœleste hoc pacto & vitam sempiternam adeuntes; quorum etiam pia memoria in Martyrolog. Rom. ad vltimum Februarii diem consignata est, vt notat suis ad ipsum Notis Card. Baron.

Ian. not. in Martyrolog.

Inter omnia enim charitatis & misericordiæ opera primas fert, quod morbidis ægrisque præstatur: & hoc ipsum in primis consulit Ecclesiasticus, & maximopere suadet, dicens: *Non desis plorantibus in consolatione & cum lugentibus ambula, nec te pigeat visitare infirmum.* Egregia & salutaria sane monita, quæque omni fideli animæ proposita; consolari scilicet afflictos & mœrentes, lugentibus adesse, & ægris non deesse. Illustres sane hæ virtutum sunt actiones, & opera vere Christiana.

Eccl. 7.

His actionibus mire deditus erat magnus ille Gentium Doctor Paulus, sed inprimis infirmorum visitationi & consolationi. Suum enim Corinthiis zelum & ardentẽ charitatem patefaciens ingenue confitetur, se, vbi quẽquam illorum male habere & infirmari inaudierit, mali ilico reddi participem, eodem dolore dolere, & simul quodammodo infirmari. *Quis infirmatur*, inquit, vestrum, *& ego* Christiana quadam sympathia cum ipso simul *non infirmor*.

2. Cor 11. Pauli charitas erga ægros.

Non omnes vero eiusmodi charitatem spirant; ac nimis quam multos sæculo hoc nostro exulcerato reperire est, qui ad omnem crudelitatem inhumanitatemque eruditi, & sola externa specie homines, humanum nihil habentes, afflictorum commiseratione non tanguntur, aduersitates aliorum exhorrescunt & abominantur, deque morbis alienis ne hilum laborant. Habent nimirum sorda barbara, animos immites & rigidos, pectora ferrea & ænea, omnique saxo & adamante duriora, ad vllam commiserationem commoueri nescia. Hos iam olim designasse regius Vates videtur, dum expostulans & exprobrans ait, *Infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret*, quasi diceret: Magna & intolerabilis horum fuit crudelitas & immisericordia; permulti namque morbidi decubuere, multi ægritudine fatiscentes omne corporis animique amiserunt robur; nullus tamen auxilio fuit, nullus suppetias tulit, auxiliatus est nemo. Huiusmodi, proh dolor, etiam hodie duritiem animorum in multis passim est reperire.

Magna multorum hodie inhumanitas.

Psal. 106.

Sed longe aliter Rochus noster erga proximum se gessit, longe alium se præbuit afflictis: charitatis etenim flamma cor eius æstuabat, anima solis misericordiæ operibus intendebat, suum credebat decus in nosodochiis inter ægros versari, suam gloriam morbidis adesse, & omne suum in eo collocabat studium, vt proximo succurreret, & pestem habentibus auxilio foret: in quoscumque enim hoc malo correptos incidebat, signo crucis super eos efformato pristinæ sanitati restituebat, eadem scilic. gratia & prærogatiua, quam Apostolis suis abiens ad Patrem Redemptor promisit, & tam euidenter confirmauit. Nam inter priuilegia & gratias, quas Dei filius in terris agens Discipulis consignauit, non postrema fuit ægrotis sanitatem reddere, & super morbidos manu posita eosdem restituere viribus; vti ab omnibus obseruatum est Euangelistis & Matthæo nominatim, qui cap. 10. hanc gratiam recensет: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* quasi dicere vellet, Duo illustria & insignia in Apostolos collata sunt priuilegia, primum auctoritas in spiritus tartareos, vt ad eorum nutum ac iussum energumenorum corporibus egrediantur, alterum morborum persanandorum potestas. Idem notat & D. Marcus, *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates*; loquitur porro de Christo & Apostolis. Capite vero 16. longius rem deducens, & credituros in Christum signa & notas prosequens, quas ipsemet Redemptor declaratat, *Signa autem*, inquit, *eos qui crediderunt hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eicient, linguis loquentur nouis, & serpentes tollent, & si mortiferum biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Hæc in S. Rocho non minus quam in Apostolis quam perfectissi-

S. Rochus signo crucis pestem pepulit.

Matth. 10.

Marc. 3.

Marc. 16.

me completa sunt, ac nominatim morbidorum medela, nam eodem cœlitus priuilegio donatus, & in ludo supernaturali archiatri titulo ornatus, tantam in omnigenas infirmitates potestatem accepit, vt vel manu dumtaxat morbidis applicita, & crucis signo efformato grauissimos & periculosissimos morbos, qualis haud dubie pestifera contagio est, persanauerit.

Multæ vrbes & regna S. Rocho obligata.

Adeo vt finita loca, vrbes & prouinciæ, quin imo regna integra potentiæ eius brachium persenserint, & quam diuinitus accepit gratiam, permultis signis, prodigiis & miraculis stipatam experti sint: quorum vt paucis succincteque aliqua velut aliud agens commemorem, sciatis oportet vitæ eius historiam prodere, dum in quodam Italiæ oppido in nosodochio pestilentia laborantibus adest ministrando, diuina prouidentia factum esse, vt & ipse eadem lue inficeretur: cuius occasione cum grauissimis vehementissimisque excruciaretur cruciatibus, sibi vt temperare nequiret, quin in voces queribundas, gemitus profundos ac quiritationes ac planctus præ doloris acredine erumperet; iratus ipse nosodochii præfectus, & tales vociferationes haud æquo ferens animo, nocte intempesta Rochum domo eiicit, vt qui ceteris importuno clamore molestus esset. in hunc ergo cum & ipsi vrbis Consules incidissent in publico iacentem, (quod ad afflictionis incrementum permisit Deus) ne vniuersam sua lue rempubl. inficeret, vrbem ei interdixerunt.

S. Rochus peste tactus.

Ergo cum beatus hic vir tam ingrate indigneque haberetur ab iis, qui tantis erga illum deuincti nominib. essent, ex amore Dei hæc magna cum patientia perferens, & vrbe hoc pacto proscriptus, in solitudinem locumque desertum haud grauate concedit; in quo constructo ad habitandum è frontosis ramalibus tugurio, magno animi ardore & contentione Deo supplicat, sui vt commiseratione tangeretur, neu se in tanta calamitate desertum ab hominibus desereret. Audiit preces afflicti omnipotens, & ad opem illi ferendam quam promptissimus, duo eius in gratiam confestim miracula patrat. Primo namq; fons limpidissimus subito terra prorupit, & tugurium, in quo Rochus iacebat, circumquaque irrigauit, cuius ille vnda æstuantes pestilentis contagii ardores intolerabilesque refocillauit, quod illi non mediocre solatium & voluptatem attulit. Deinde diuinitus factum, vt canis quidam è pago, qui aberat propius, quotidie panem illi è penuario herili in siluam deferret, quo in summa egestate vir hic pius vitam traheret.

Fons erupit è terra subito ad S. Rochi refocillationem.

Cum hæc mecum ipse animo voluo, noua hæc miracula veterum mihi simili prope occasione & pari in necessitate factorum reficiant memoriam. Fons quidem erumpens renouat eius mihi fontis memoriam, quem Agar ancillæ cum filio Ismaele per desertum vaganti, & extrema siti laboranti, Angelus cœlo delapsus ostendit, vt se filiumque eiusdem aqua à morte vindicaret, *Aperuitque oculos eius Deus, qua videns puteum aquæ abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere*, qui præ siti pene exspirabat, & vix animam aridam trahebat. *Gen. 17.*

Simile etiam miraculum in Numerorum libro legere est: filii Israel namque cum in desertum Cades & Sin venissent, & rerum inibi inopia conflictarentur, murmurare cœperunt, & aduersus Mosen & Aaronem ductores suos insurgentes, has illis querelas proposuere: *Cur eduxistis Ecclesiam Dei solitudinem, vt nos & nostra iumenta moriamur?* deinde in seditione pergentes vlterius dixere, *Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit: nec vineas, nec mala granata, insuper & aquam non habet ad bibendum.* Consternati ergo & perterrefacti Moses & Aaron, vt hinc popularem furorem sedarent, ac tempestatem serenarent, ad tabernaculum confugerunt, & Deo supplices facti his cum precibus compellarunt, *Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum.* Vt audiit vocantes Deus, ilico imperat Mosi, vt ad petram loqueretur, & aquam inde eliceret, quod cum factum esset, & Moses insuper virga petram percussisset; *Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.* quod Psalmographus miraculum exaggerans, canit, *Num. 20.* Seditio Israelitarum aduersus Mosen & Aaronem in deserto. *Psal. 113.*

Qui

Psal. 113. *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.*

In Breuiar. Rom. in Vita Clementis.

Vt vetera illa miracula omittam, in vita S. Clementis discipuli S. Petri, & eius in Cathedra successionis, vniuersalique Ecclesiæ Pontificis, legimus, cum in persecutione Traiani Imp. Roma pulsum, & trans mare Ponticum in Chersonesum relegatum, vbi bis mille Christianos ab eodem tyranno in exilium actos, & ad secanda marmora condemnatos reperit. hi ergo cum aquę penuria laborarent, sanctus hic vir in montis quoddam iugum concedens, rem ipsorum communi omnium Deo per orationem commendauit, eiusque illis opem & auxilium efflagitauit. Vix orationem absoluerat Clemens, cum ecce vidit Agnum pede dextro terram ferientem, & subito fontem limpidissimum prosilientem; qui sitibundos Christianos recreauit, & infidelibus plurimis arripiendæ fidei orthodoxæ fuit occasio; *eoque miraculo*, inquit Breuiarium, *multi infideles ad Christi fidem conuersi Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt*: In Rochi etiam nostri gratiam, ad imitationem veterum illorum miraculorum, fons quidam in Italiæ desertis insolita quadam ratione scaturiit, qui malo eiusdem aliquatenus auxiliaretur, & febris illius ardores temperaret. Hæc quidem quoad primum miraculum, iam de alio dispiciamus.

Canis quotidie S. Rocho in siluam panem attulit.

Certe si hæc aquarum scaturigo & supernaturalis fontis productio, qui Sancto huic æstuanti refrigerio foret, admirabilis fuit; non minore mihi dignum admiratione videtur, canem quotidie ad illum in siluam è proximo pago, velut statum œconomum cibum deferre. An non enim mirum, animal iudicii & rationis plane expers, quotidianum hoc iter suscipere, & stata hora solitarium hunc eremicolam inuisere cibo onustum? Vt taceam generalem omnipotentis Dei prouidentiam, creaturas omnes hactenus indiscriminatim pascentis, nihil vt cuiquam vnquam necessariorum defuerit; singulare sane Dei hic, animal hoc ad famuli sui ministerium quotidie destinantis, priuilegium & gratia eluxit, ac proinde nouum & inauditum miraculum dicendum.

Nouum porro inauditumque minime est, audire vel legere in veteribus monumentis, Deum in extremis famulorum suorum necessitatibus, quo iisdem succurreret, canum, coruorum & similium animalium ad cibum iisdem deferendum, opera vsum esse. In 3. namque Regum libro habetur, coruos, diuino nutu Eliæ Prophetæ, cum in deserta Iudææ concessisset, quotidie mane ac vesperi statuto tempore panem carnemque, quæ clanculo è Regis Achab regia auferebant, detulisse, quo ille alimento vitam longo tempore traxit: *Corui quoque deferebant ei panem & carnes mane*, &c.

Deus vtitur interdum animalibus ad alimentum seruorum suorum.

Idipsum primo Anachoretarum parenti & institutori & magistro Paulo accidisse, historiarum monumentis proditum est: cum enim in inferiori Thebaide natus, Decii & Valeriani Imperatorum persecutionem fugeret, in abditam speluncam concessit: in qua cum ad annum vsque ætatis centesimum decimumtertium commoratus esset, & donec ab alio anachoreta sanctimonia vitæ ei pari, ac nonagenario diuino instinctu visitaretur; coruus qui sexaginta ipsis annis quotidie dimidiatum illi panem attulerat, ad Antonii noui hospitis aduentum duplicans dimensum, integrum deportauit: quam rem demirantibus piis Anachoretis, sic coruo abeunte, Antonium Paulus adorsus est: *Eia, Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors sexaginta iam anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam.*

S. Paulus eremita in deserto à coruo pastus.

In Breuiar. Rom. in Vita & festo S. Pauli erem.

Er sane Deus ipse de clientum suorum conseruatione, & alimento, & annona tam anxie sollicite que laborat, vt satis illi non sit, si ordinaria alendi ratio deficiat, animalium brutorum, vilissimorum scilicet creatorum operam adhibere, nisi etiam Angelos, spiritus illos cœlestes & excellentes, interdum cum cibo & alimento ad famulos in ipsum confidentes sperantesque, inque eius famulatu intrepide perstantes mittat. Sic videmus in Regum libris, Angelum ad Prophetam Eliam afflictum, & ob ærumnas persecutionesque inter montes & inuia siluarum gementem cum pane subcineritio & lagenula aquam continente destinari, illique ex parte Dei impera-

Angelorū opera vtitur interdum Deus ad pios eo ducandos.

3. Reg. 19.

perare: *Surge, & comede, grandis enim tibi restat via.* O immensam & infinitam Dei benignitatem, tam sedulam seruorum suorum rationem habentis, vt etiam Angelorum famulatum iis præstet!

Dan. 14. In Historia Danielis idem Angelorum in homines obsequium occurrit. Vt enim sanctus hic Propheta, Satraparum Babyloniorum prævalente invidia, in leonotrophium coniectus est, eius tuendi conseruandique curam in se Deus ter maximus suscepit, ne rerum penuria (vti conceperant æmuli) conficeretur, descendere ergo ilico Angelum cœlo iussit, qui in Iudæa Abacucum messoribus suis prandium deferentem sublimem per capillos sustollit, & apprehensum subito in locum, vbi captiuus Daniel detinebatur, quingentis & amplius inde distantem leucis sistit, ad loci ergo editum cum ventum esset, hoc Danielem modo compellauit, *Daniel serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.*

Daniel ab Angelo enutritus in lacu leonum.

Addo insuper, magnum illum Deum sapientia & prouidentia admirabilem, satis non habere extraordinariis insolitisque rationibus, cum communis statutus in rerum natura ordo deficit, suorum necessitatibus prospicere, animalium, auium, elementorum, quin etiam Angelorum opera vtendo; sed ipsummet persæpe, quod maximam admirationem meretur, suam hic operam impendere, & palam facere, incredibili se erga suos amore ferri; quem vt testatum faciat, multa mira edidit omnes potentiæ modos exerens. Mihi vt dicenti credatis, memineritis obsecro, quid in filiorum Israel gratiam præstiterit, quos quadraginta ipsis annis in vasta & inclusa solitudine manna cibo adeo sapido & exquisito pauit, vt Angelorum sit panis appellatus. Memineritis rursus, quomodo publicum iis & solenne instruens epulum, infinitam coturnicum illis multitudinem aliunde adduxerit: memineritis rursus, quid antequam cibum hunc daret, suo illis ore denuntiarit. audite Moyseos ore loquentem, *Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester*, nec alius præter me in terra quærendus sit aut adorandus.

Deus ipse suos aliquando enutrit.

Filii Israel manna & coturnicibus cœlitus pasti.

Exod. 16.

In inextricabilem hunc diuinæ prouidentiæ labyrinthum me indui, occasione canis huius, cuius ministerio panem quotidie in deserto S. Rochus accepit. Addam ad animalis huius commendationem, præterquam quod benignum, domesticum hominique fidum sit, ipsum à S. Scriptura dilaudari, eo quod affectum, commiserationem & misericordiam, qualis in animali rationis experte haberi potest, variis in casibus in Dei seruos patefecerit. In primis namque D. Lucas, diuitis illius & infortunati Epulonis texens historiam, eiusque in egenos inclementiam ac duritiem, velut notatu dignum obseruat, opulento illo Lazarum ad ianuam stipem postulantem non commiserante, benigniores se erga illum canes domesticos præbuisse: nam ad miserum hunc vlcerosum venientes, velut naturali quadam compassione moti, lingebant vlcera eius, saniemque omnem & purulentiam inde emanantem exsugebant. Vt vero rem altius arcessamus, in Tobiæ historia legimus, catellum domesticum, qui filium in exteras profectum prouincias, velut individuus comes secutus erat; vt primum re-dux paternis factus est ædibus vicinior, præcucurrisse quasi gestientem, & felicis reditus nuntium esse voluisse consolationi futurum parentibus filii vnici absentiam lugentibus, suamque orbitatem plorantibus. Vnde Scriptura, *Tunc præcucurrit canis, quasi mul fuerat in via, & quasi nuntius adueniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.* Hæc quidem mira sunt & præclara, quoad bestias, exempla, sed quod de cane Rochum nostrum quotidiana alimonia nutricante præ omnibus palmam fert, & insignem miraculi speciem includit.

Canis fidum & familiare homini animal.

Luc. 16.

Tob. 11.

Hinc de eodem hic tacebo, finemque faciam vos simul omnes exhortaturus, Auditores, vt sanctum hunc virum colatis, & noctu & interdiu omnigenas ad illum preces & vota dirigatis. Proposui, & quidem pluribus, quænam sint pestis discrimina, & quam Deus optimus maximus illi in morbum hunc potestatem contulerit: prosecutus sum, eo quod pluribus oppidis & prouinciis etiamnum mortalem vitam agens auxilium attulerit, & qua cœlo iam receptus mundo ratione

tione persæpe succurrerit. In huiusmodi ergo afflictionibus ad ipsum confugite, ipse vestrum contage pestifera grassante sit asylum, ad ipsum quocumque demum pressi morbo cor, vota, preces conuertite: multum quippe apud Deum potest, potentia eius nemini non in terra nota est, homines eum simul & Angeli demirantur. Ipsum ergo qua potestis obseruantia colite, vestra illi summa animi demissione vota offerte, merita & laudes eius passim deprædicate. Inuitat eodem exulceratum quo viuimus sæculum, mundi ætas, in qua versamur, & tempora huc compellunt, & aer ipse, quem corruptum, infectum, morbis plenissimum trahimus, prægnantissima illius inuocandi, ad ipsum confugiendi, & numquam memoriæ eiusdem seponendæ occasio est.

Tibi vero, ô beati Roche, Montepessulanorum decus, Galliæ nostræ ornamentum, & totius vniuersi gloria, debitum semper cultum deferemus, & quibus tibi deuincti sumus, nomina numquam non agnoscemus. Tu siquidem miserorum & afflictorum spes, peste laborantium solamen, & omnium morbidorum refugium. Tu, ô glorioſe Confessor, tot tamque illustres morborum curationes fecisti, tot respublicas à contagio asseruisti, à tot locis & regnis pestem effugasti, tuaque potentia tot signis & miraculis orbi innotuit. Perge, obsecro, fide Dei cliens, ac beate cœli indigena, morbidis auxiliari, miseræ huic Galliæ suppetias ferre, & natale solum benignis oculis intueri. Fac tantum de tuis nobis fauoribus & donis impertire, quantum vota tibi precesque Galli offerimus, à ceruicibus illorum atrocia diuinarum indignationum flagella auerte, diuini furoris flammam in nos merito accensam exstincturus, obuiam procede, omnipotentis dexteram intercessione tua exarma, & atrocem hanc epidemici morbi virgam, quam tot iam annis in nos strinxit, & quam aeris intemperies & inordinata tempestatum anni volutio toties nobis comminatur, manibus excute. Noli obsecro, ô magne & supreme afflictorum omnium medice, regni huius tutelam ac protectionem, quam auspicatus es, deponere; curam quam hactenus eius habere te tot miraculis & prodigijs demonstrasti, habere perge, precibus tuis sanitatem nobis impetra, impetratamque conserua, nos vero votis ac precibus numquam nomen tuum in terra extollere, laudes tuas deprædicare, virtutes demirari desinemus, quarum adminiculo factum est, vt cœli gloria & gaudio sempiterno sis donatus, cuius iam quiete possessione perfrueris, & qua donare nos omnes Pater, & Filius & Spiritus sanctus, decurso hoc mortalitatis stadio, dignetur. Amen.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Partitio.

1. *De duodenario Apostolorum numero.*
2. *De origine S. Bartholomæi, an idem qui Nathanael.*
3. *De dignitate Apostolica generatim.*
4. *De eiusdem S. Bartholomæi speciatim.*
5. *De eius pelle decorticata.*

Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei, &c. Luc. 6.

FIGVRA.

ILlustre profecto & heroicum prorsus opus fuit, adolescentem Ioseph, in filijs Iacobi natu minimum ad lasciuiam ac libidinem heræ, lenocinijs importune sollicitatum, pallio illius in manibus relicto, fuga sibi consuluisse, quo sic vehementis amoris æstus declinaret, infami adulterio se non pollueret, fidemque hero datam sanctam inuiolatamque conseruaret. Verum summi amoris & animi longe generosioris testimonium fuit, videre hodie sanctum Bartholomæum è Christi Domini discipulis vnum, mundi persecutionibus infestatum pellem suam tyrannorum manibus cedere, ne forte in idololatriam, quæ spiritua- *Gen. 39.*

lis quædam fornicatio est, prolaberetur, & Iesu Christo Domino suo ac Magistro fidem integram & intemeratam seruaret. Hoc scilicet Ecclesia hodierna festiuitate nobis proponit, & vobis ipse pluribus hoc mane deducere constitui. Vt vero & ipse & vos mecum hac donari gratia mereamini, cœlestem opem imploremus, & Spiritus paracliti auxilium inuocemus, idque intercessione ac patrocinio Deiparæ Matris, quam hanc ob causam Angeli verbis salutemus, & dicamus omnes:

AVE MARIA.

I. Sanct. Lucas, vnus è quatuor rerum fidei nostræ commentariensibus agens de Iesu Christi discipulis, hoc loquitur modo, *Factum est autem in illis diebus, exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei, & cum dies esset, vocauit discipulos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit*, &c. Nobilis hic & inclytus duodenarij numerus Domino summopere placuit, qui erat & numerus tribuum Israeliticarum, & veterum Patriarcharum, è quibus populus Iudaicus prognatus per vniuersas mũdi plagas dispersus est, vt scilicet tribuum numerus Apostolorum numerum referret, & tot Christiani populi progenitores ac distributores essent, quot olim fuerant Iudaici. Hinc eum numerum Dei filius permagni fecit, & magnam eiusdem rationem habuit.

Numerus duodenarius Christo gratissimus.

In Psal. 103. Conc. 3. S. Augustinus in Psalmum 103. scribens, aliam rei huius rationem assignat, scilicet Apostolorum duodenarium in quatuor ternarios diuisum fuisse, quod à quatuor mundi angulis, Oriente, Occidente, Septentrione & Meridie, in sanctissimæ Trinitatis nomine ad Euangelij prædicationem, esset terrarum orbis vocandus, & quatuor per tria multiplicata numerum hunc præclarum constituunt. Idem docet & Venerabilis Beda in Ioannem commentans, *Ideo*, inquit, *quaterni electi sunt, vt sancta Trinitas per quatuor partes orbis prædicaretur.*

Beda in Ioan c. 6.

Numerus duodenarius sacer.

Numerus hic adeo sacrosanctus & mysticus habitus fuit, vt cum scelerati Iudæ apostasi & morte imminutus fractusque esset, ilico eum suppleri, S. Matthia in locum eius surrogato, oportuerit, ac ne forte postea numerus hic immutaretur, non plures in perfidi locum sunt suffecti, sed vnus duntaxat. Vnde sic Augustinus, *Non frustra duodecim Apostolos habere voluit Dominus, & ita numerus ille sacratus est, vt in locum vnius, qui ceciderat, non posset nisi alter ordinari.*

Tract. 17. in Ioan.

Ceterum augustus hic numerus iam inde à mundi primordio, plurimis in ipsa natura, aut sacra Scriptura occurrentibus rebus designatus fuit. Primo manifestum eius sunt hieroglyphicum duodecim Zodaici signa, vti enim oculus ille vniuersi totius sol luminis princeps, & motus omnis Dominus, per duodenas hasces constellationes suum mundo lumen & influxus subministrat, ita & iustitiæ Sol Christus per duodecim Apostolos suos veritatis & Euangelij sui lumen orbi communicauit.

Numerus Apostolorum varijs rebus denotatus.

Offerunt se mihi in tertio Regum libro duodecim ingentes boues, qui efformatum à Salomone mare illud æneum dorso subiecto suffulciunt, ac quodammodo gestantis vero illorum erat situs ac dispositio, terni vt Aquilonem, terni Meridiem, terni Orientem, terni reliqui Occidentem obuersi respicerent, quasi capacissimum hunc luterem ad quatuor hæc climata ferre singuli voluissent. Sunt hi vera ac genuina duodecim Apostolorum imago, qui vt torosi & fortes quidam boues, animo & ardore pleni, mare Iesu Christi, id est, Baptismum & Euangelium humeris tulerunt, & ad quatuor orbis cardines prædicationis efficacia ac robore deportarunt. Cui figuræ adstipulatus Paulus Apostolus Prædicatores ac præcones Euangelij bobus, laboriosis illis animalibus confert, sic Corinthijs suis scribens, *Non alligabis os boui trituranti*: quo symbolo efficere vult, alendum esse Christi Domini prædicatorem, si quando Euangelij annuntiandi gratia sudat ac laborat.

3. Reg. 7.

Duodecim Apostolos denotant totidem boues mare æneum gestantes.

1. Cor. 9.

Lib. 4. c. 38.

Doctus & admirabilis ille Irenæus, duodenarium hunc, vti & alij, altius rimatus, duodecim illos Apostolos dodecastylum firmamentum nuncupat, id est, duodecim suffultum

Apostoli 12. comparati cum 12. columnis.

fultum columnis, eo quod Christus Ecclesiæ suæ domum ac fabricam moliturus, duodecim hasce columnas ingentes ac principes præparauit, quibus tanta tamque illustris moles inniteretur. Vnde & ipse Deus, suam voluntatem aperiens, per quendam Pophetarum denuntiat: *Ego confirmaui columnas & fundamenta eius:* loquitur autem de Ecclesia sua. Isai. 48.

Iustinus Martyr aliam inuentionem procudens auctor sibi est, duodecim nostros Apostolos repræsentari per tintinnabula illa aurea ad imam Pontificiæ vestis oram dependentia, cui comparationi vt robur addat, sibi persuadet nonnisi duodecim illa numero; ad duodenarium Apostolicum denotandum fuisse. Ipsissima eius vobis depromam verba: *Quod*, inquit, *traditum est, vt duodecim tintinnabula è veste Pontificis penderent, simulacrum erat duodecim Apostolorum, qui vt æterni Pontificis incensi sunt, quorum voce & oratione terra omnis Dei eiusque Christi gloria & gratia plena est. Itaque Dauid nit Psalmo decimo octauo: In omnem terram exiuit sonus eorum.* Apostoli in denotandi per 12. tintinnabula aurea.

Illustris hic Martyr Apostolos nonnisi tintinnabulis assimilat, equidem bona illius cum venia vastis & ingentibus illos campanis pares esse censeo. Sacerdotes Mosaicos tintinnabulis similes fuisse haud diffiteor, eo quod sonus ac prædicatio ipsorum longe nō diffunderetur, & Iudææ limites non excederet, intra quos tum Dei nomen duntaxat innotuerat (*Notus in Iudæa Deus, in Israel magnū nomen eius.*) At Apostoli ingentes sonoræque fuere campanæ, in Ecclesiæ turri & campanili constitutæ, quæ tam ingentem dedere sonitum, vt ab vno mundi cardine ad alterum vsque, & per omnes orbis angulos sit longe lateq; exauditus. Sacerdotes Mosaici tintinnabulis similes. Psal. 75.

Antiquus ille Tertullianus libris aduersus Marcionem alio respiciēs, duodecim hosce Apostolos æquales fuisse ait duodecim illis lapidibus pretiosis, magno olim artificio in rationali summi Pontificis adaptatis, ac mirum in modum collucentib. Apostoli enim adamantes & hyacinthi rutilantissimi, & infiniti pretij fuere, qui per vniuersam Ecclesiam mirifice resplenduerunt: quem illorum fulgorem designans Redemptor, soles illos, faces, ac mundi lucem nuncupauit, *Vos estis lux mundi.* Lib. 4. contra Marcionem. Duodecim Apostoli assimilati totidem gemmis in rationale Sacerdotis summi insertis. Matth. 5.

Idem auctor etiam aliter sacrum hunc numerum adaptat, vultque Apostolos 12. denotatos per duodecim illa saxa, quæ Iordanis alueo educi Iosue præcepit, vti in sacris libris legere est. Nec sane absone: Apostoli namque vere viui quidam ac solidi tum fide, tum doctrina lapides sunt, super quos mundi huius mari ereptos Ecclesia cōstructa est.

Equidem omnes hasce comparationes Apostoli summopere demiratus & exosculatus, meam comparati etiam addam symbolam, quam à Tertulliano duodecim aliquo adumbratam modo ipse perficiam. fontibus in Dico igitur Apostolorum duodecim figuElim. ram fuisse duodecim illos fontes limpidissimos, & exundantissimos, quos filij Israel in Elim repererunt. Ipsi namque hauddubie velut duodecim fuere fontes, qui splendida & vberi sanctimoniæ ac doctrinæ aqua vniuersum terrarum orbem irrigarunt, & totum Ecclesiæ agrum sic eadem fœcundarūt, vt fructus effuderit amplissimos. Huc non inscite faciet illud Prophetæ, *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris:* Sancti enim & gloriosi Apostoli vere viuæ fuere scaturigines, & limpidi fontes, è quibus nemo non Seruatoris mysteria, incarnationis eius arcanum, vitæ, mortisq; eius cognitionem Ecclesiæ Sacramenta, & defæcatam Euangelij doctrinam hausit. Isai. 12.

Cui rei, dices, longum ac productum hoc exordium duodenario Apostolorum numero inædificatum? In gratiam scilicet S. Bartholomæi, qui de hoc numero fuit, & inter Iesu Christi meruit discipulos annumerari: & cuius hodie anniuersaria festiuitate gaudet Ecclesia, & hoc nobis Euangelium prælegit: *Exijt ipsus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei* Quo omisso, vestra bona cum venia, Auditores, satis hodie mihi fuerit, duos vobis tractatus proponere, primo exponam quis qualisue sanctus Bartholomæus fuerit, deinde dolorem, tormenta & cruciatus martyrij examinabo. Aures benignas tantum date, & mirabilia ad eas dem accident.

II. Magna circa nomen S. Bartholomæi controuersia, & qualis fuerit.

Principio ergo non modica inter Theologos ac patres Ecclesiæ controuersia est, sed ea & permagni ponderis, & hactenus acriter in vtramque partem disceptata, quærentes, ecquis ille fuerit Bartholomæus, qui inter duodecim recensetur Apostolos. Multi neoterici ac nuperi scriptores, inter quos sunt Rupertus, Iansenius, Montanus, Ferus, alijque sibi persuadent, eum ipsum fuisse Nathanaelem, cuius Ioannes duobus in locis meminit. Cui scilicet hoc ipse dat elogium Redemptor, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Nathanaelem, inquam, cuius fides tanta fuit, vt ad primum Iesu Christi conspectum, in hanc de illo confessionem proruperit: *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel:* quibus eum verbis diuinitatem Iesu Christi detexisse & confessum esse, docent Augustinus, Cyrillus, Beda, Rupertus, & alij nonnulli. *Ioan. c. 1 & 21.*

Si Sanct. Petrum ita laudarit Redemptor, quod visis tot iam signis & miraculis, quæ veram quamdam diuinitatem & nonnisi perfectam omnipotentiam præferebant, in hanc Confessionem de Christo Iesu palam intrepideq; proruperit: *Tu es Christus Filius Dei viui.* *Matth. 16.*

Quanto maiorem laudem mereatur Nathanael, quantoq; magis admirabilis, qui eandem nullis dum conspectis prodigijs, vel auditis miraculis, veritatem asseruit, eamdem professionem edidit, & eamdem abyssum subijt?

Rationes, quib. Bartholomæũ & Nathanaelem vnum eumdemq; esse asseritur.

Ceterum qui hanc opinionem ac sententiam propugnant, non leui aliqua ratiuncula nituntur, sed argumenta, & rationes ad causæ huius propugnationem efficacissimas producunt, vt eam non omnino improbabilem esse demonstrent: quin & aduersarij hoc ipsis testimonium dant, non temere illos, ignoranter ac sine vllo fundamento ad eamdem tuendam ruere. Sex primarias illorum, quibus potissimum nituntur, rationes producam, quas fideliter hinc inde sparsas, simul hic connectam. Prima sit, Ioannis primo capite Nathanaelis quidem vocatio describitur, non autem sancti Bartholomæi illo quidem nomine; non tamen verosimile sit illam præteritam esse; credendum igitur Nathanaelem & Bartholomæum vnum eundemq; fuisse. 1.

Secunda, cum Apostolorum in Euangelio texitur catalogus, illi nominatim, qui iunctim, pariterque a Christo vocati sunt, vti SS. Petrus & Andreas, SS. Iacobus & Ioannes, qui vna eademque sunt vocatione vocati, simul etiam recensentur, ita & eodem modo SS. Philippus & Bartholomæus semper pariãtur, & combinantur, quasi pariter etiam vocati. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Porro cum Philippo vocatus non fuit, nisi idem sit cum Nathanaele, si vero duo diuersi essent, vocatio hæc suspecta foret: credendum ergo & asserendum hosce duos nonnisi vnum constituere. 2. *Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6.*

Tertia, alij Euangelistæ, qui S. Bartholomæi meminere, Nathanaelis nullam faciunt mentionem: è contra vero Ioannes, qui Nathanaelem nominauit, Bartholomæum tacet. Cuius reddi rei alia ratio non potest, nisi quod idem omnino sit qui nominetur. Neq; enim verisimile sit, aut Euangelistas alios de Nathanaele nihil penitus scripsisse, imo eius quodammodo oblitos videri, aut nullam S. Ioannem Bartholomæi mentionem fecisse. Dissentaneum porro videatur aut hunc, aut alios tres tam illustris Apostoli nomen silentio inuoluisse. 3.

Quarta, videtur Ioannes alias Nathanaelem duodecim inter Apostolos annumerasse, capite enim XXI. sic ait, *Postea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis: manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.* Verba hæc Euangelica ad causę huius stabilimẽtum mirifice faciunt. Cum enim Euangelista hic inter Apostolos Nathanaelem recenseat, Apostolus fuerit oportet, & quidem idem qui S. Bartholomęus, aut tredecim vniuersim Apostoli exstiterint. 4. *Ioan. 21.* Nathanael inter Apostolos numeratus.

Quinta, Bartholomæus proprium non est nomen aut particulare ad quempiam singillatim designandum, aut potius cognomẽ aut appellatiuum, vti & *Bariona*, id est, filius columbæ: Bartholomæus autem tantumdem valet ac filius Tholomæi, at è contra. 5. Bartholomæus nomen proprium non est.

tra Nathanael vere nomẽ proprium est: hinc Euangelistæ promiscue & cõfuse vnum pro altero vsurpant, vt ambo nonnisi pro vno capiantur, & vnum eundemq; designent.

6. Bartholom. nomen Syriacum.

Sexta, qui peregrinas & sacras callent linguas, norunt *το Bartholomæus*, nec Græcum, nec Latinum, nec Hebraicum, sed Syriacum esse nomen, ac notionem eius esse *filius suspẽdentis aquas*. Et forte is ipse è Cana Galilææ fuit, vt cap 21. tradit Ioannes, & huius ad nuptias Redemptor inuitatus, in quibus aquam in vinum conuertens, eam magno omnium discipulorũ, qui in ipsum hac occasione crediderunt, stupore suspendit. Nathanael vero nomen Hebræum est & patrium, denotatq; *domus Dei*. Verisimile est ergo, si quod è nominum notione de hominib. ferri iudicium potest, proprium ac verum Apostoli nomen Nathanaelem fuisse, hinc toties, & à trib. nominatim Euangelistis hoc dictum nomine reperiri.

Opinionis ergo huius fundamentis, confirmatione, argumentis & rationibus accurate libratis ac ponderatis confitear necesse est, eam mihi probabilem vtcumque videri, & parum abesse, quin eidem subscribam, si quem grauem antiquumq; scriptorẽ aut auctorem haberet, aut Doctores eam veteres Ecclesiæ, vti Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, propugnarent. Deinde Rupertus, qui sententiæ huius primarium quasi caput & anteſignanus est, nõ eius mihi est auctoritatis, aut tanti apud Scholasticos nominis, qui sancto Augustino aliisque illustribus Patribus, qui secus sentiunt, & in alia longe concedunt, in hac opinione comparetur, nedum præferatur. Accedit quod idem Rupertus formaliter hoc ipsum minime doceat, sed disputationis causa tantum proponat, credatque vt verisimilius, Nathanaelem de Apostolorum numero nequaquam fuisse.

Rupertus. huius opinionis auctor.

S. Augustinus ergo & reliquus sanctorum Patrum chorus opinioni huic refragantes, ad Euangelij mentem conformiter & veritate potissimum nixi docent, Bartholomæum & Nathanaelem duos diuersos ac differentis conditionis viros extitisse, & postremum hunc nunquam de duodenario Apostolorum cœtu fuisse, tametsi legis esset Doctor, & inter primarios Synagogæ cathedraticos non postremus. Et sane Augustin. ipse non aliam Nathanaelis inter Apostolos non cooptati rationem adfert, quam quod legis esset peritus. Decreuerat autem Redemptor debilia & infima terræ seligere, vt fortia altaq; deiiceret ac protereret, vti ipsum postea declarauit Apostolus, *Infirma mundi elegit, vt fortia quæq; confundat.*

S. Barthol. & Nathanaelem diuersos fuisse creditibilius est.

Tract. in Psal. 65. & tract. 17. in c. 1. Ioan.

1. Cor. 15.

Huic sententiæ subscribit & Cardinalis Baronius ad Martyrologium Romanum, S. Gregorius in moralibus: Petrus de Natalibus Episcopus in Catalogo Sanctorum longius paulo digreditur, remq; prodidit inauditam, nempe sanctum Bartholomæum Syrum domo fuisse, & à paterna linea, regis Syriæ nepotem, solumque inter reliquos Apostolos sanguine ac familia nobilem, & huius occasione magnam illam inter Apostolos de primatu contentionem disceptationemque ortam, quæ Luc 22. describitur, *Facta est*, inquit, *contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*. Cum enim è Redemptore audissent ab vno se discipulorum tradendum, sibi confestim persuadebant, proditione hac ad regnũ Messiæ inuadendum viam sterni, ac neminem ad hanc procudendam conspirationem aptiorem & suspectiorem inter eos videri, quam S. Bartholomæum, quod regium illi stemma & sanguinis nobilitas ad hanc addere animos, & occasionem suggerere posse viderentur.

Lib. 33. mor. c. 22.

Luc. 22.

Apocrypha multa de S. Barthol. feruntur.

Verum omnia hæc apocrypha sunt, ac potius vt inania & anilia commenta reijcienda, quam vt pura puta veritas amplectenda: falsæ porro huic opinioni occasionem & vires ipsum Bartholomæi nomen dedit, quod perperam & pronuntiatum, & non prout oportet expositum, filium Ptolemæi regis designare prima fronte apparet. qui sane error & siniſtra expositio intolerabilis est, tum quoad nomen, tum quoad rem ipsam. Certissimum est namque, filium illum nec Ptolemæi, nec alterius cuiuspiam Regis aut Principis terreni fuisse, & in Syriaco textu simpliciter *Bartholomæi*, id est, filius Tholmai vocatur.

Ioseph. in vitas S. Barthol.

Iosephus quippe ille, qui S. Bartholomæi

vitam apud Simeonem Metaphrastem & Surium describit, piscatorem fuisse docet, & piscatoria vitam traxisse. Hæc eius sunt verba, *Petrus*, inquit, *idiota, & pauperem vitam agebat, & ex piscium piscatore hominũ piscator factus est*. In quibus ad ipsa Redemptoris alludit verba, sic Apostolos suos ad se vocantis, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*; quasi diceret: Mundus hic oceanus quidam est, homines pisces sunt, vos vero destinaui in piscatores, Euangelium autem meum sagena erit.

Marc. 1. Matth. 4.

Omnes Apostoli fuere Gallilæi.

Adhæc, omnia hæc frustra dici videntur, & omni ex parte mendacium inuoluere: qui enim vel minimum in historijs versatus est, hæc commenta sugillans, facile respondebit, Ptolemæos non in Syria, sed in Ægypto regnasse Docent insuper Scripturæ sacræ Apostolos omnes Galilæos fuisse. Actorum siquidem 1. capite dicitur ab Angelis, *Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cœlum?* Constat autem ab Angelis hæc ad Apostolos dicta esse, oculis magistrum in cœlum sublimem abeuntem prosequentes. Sciebant autem omnes è Galilæa ortos esse, nullum vero è Syria aut alia regione. quin & capite sequenti dicentes Iudæos audies, *Ecce omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt*.

Act. 1.

Act. 2.

Ceterum si quis nodum in scirpo quæritans, mordicus tueri velit, S. Bartholomæum Syrum fuisse, quod Palæstinæ pars sit Galilæa, & ad Syriam spectet ipsa Palæstina, idem & de ceteris dici Apostolis queat, & Syria illis, non Galilæa in natale solum assignanda, simul etiam Angelos & sacram Scripturam mendacij coarguendo, dicendum foret, *Ecce omnes qui loquuntur, Syri sunt*.

Theodoretus in præfatione verit. Euangel. dum de legis libris agit, palam asserit, & docte probat, S. Bartholomæum non secus ac reliquos Apostolorum, ne vno quidem excepto, piscatorem fuisse, nititurque illo potissimum Pauli testimonio: *Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus*. Hinc in Exodo præcepit Deus, vt altare illi de terra rudi & impolita construeretur: *Altare*, inquit, *de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta*. Si preces illi offerendæ essent, super communia illas saxa, rudia, impolita, insecta & infecta fundi

Theod. in præfat. de Verit. Euangel.

1. Cor. 1.

Exod. 20.

voluit, *Quod si altare*, inquit, *lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus*. Ingens hoc erat mysterium, quo simul denotabat, non electurum se homines politos, elegantes & eloquentes, quales sunt Oratores & Philosophi mundi huius, quorum opera in Ecclesiæ regimine ac directione vteretur, sed rudes & idiotas, quales Apostoli eius fuere, & hos inter S. Bartholomæus cæteris non absimilis.

Quæstione hac ergo constituta, & veritatis partibus stabilitis, jam de nostro Bartholomæo addo, præter ea, quæ de eo sancti Euangelistæ scripsere, eiusdem insuper meminisse sanctum Dionysium libro de mystica Theologia. Refert quoque Eusebius ad Indos illum concessisse, & assumpto secum sancti Marthæi Euangelio, idipsum barbaris illis annuntiasse. Multi etiam ante & post Eusebium hoc ipsum de eodem testati sunt, vti Origenes in Genesim, Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Socrates libr. 1. c. 15 & Nicephorus libro 4. histor. capite 32. Addit Ioannes Chrysostomus, Lycaonios anthropophagiæ assuetos Euangelio abore eius audito, ad sobrietatem & temperantiam redijsse.

Hist. l. 5. c. 10

III.

Adeo vt sanctus Bartholomæus, sine vlteriori dubio, vnus è primis duodecim fuerit Apostolis, qui in hoc mundo velut dij quidam minorum gentium, aut potius ceu illustres quidam Angeli apparuerunt, & Euangelij præcones & tubicines, & fidē Iesu Christi per omnia mūdi climata diuulgarunt. Vnde sanctus Gregorius de Apostolis interpretatur locum illum è Prouerbijs, *Sapientia ædificauit sibi domum*, id est, Christus Iesus Ecclesiam, *excidit columnas septem*, id est, instituit in eadem septem diuina Sacramenta, velut septem columnas, *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem*. Ancillæ porro Sapientiæ dantur, quod muliebri illa schemate & vultu repræsentetur; per easdem tamen, ex sancti Gregorij opinione, Apostoli designantur, cui expositioni fauent Septuaginta interpretes, dum *Ancillæ* loco *seruos* genere masculeo transtulere. Sic porro loquitur D. Gregorius, *Misit sapientia ancillas suas, Apostolorum videlicet animas, in ipso sui initio infirmas*.

Apostoli tubæ fuere Euangelicę

In c. 9. Prou.

Lib. 7 mor. c. 17.

O in-

Mundus armorum pompa expugnandos erat.

O ingens mysterium! emisit sapientia mulierculas imperitas, quin & omnium vilissimas & maxime contemptibiles, quales sunt famulæ & ancillæ, ad conuocandos viros ad arcem Ecclesiæ, non vero duces aut principes aut alios bellatores generosos, omniaque exsuperantes, arma tractare, balistas eiaculari, valla perfringere, acies instruere, omnemque mundi potentiam ferro edomare edoctos Erat hoc scilicet Dei propositum, itaq; rem hãc moderari voluit, neq; enim indigebat negotium hoc armis, nec pugna aut conflictu dirimendum aut componendum erat, sed vnico Altissimi consilio & sola sapientiæ æternæ potentia, verbo vt dicam, armorum potentia mundum superari aut subijci nequaquam oportebat.

Mirifice sua, vt solet, eloquentia rem hanc exaggerat eloquentissimus Ioannes Chrysostomus: audite perorantem: *Peragrarunt Apostoli orbem non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, nec eloquentiæ confidentes, erant nudi iaculo, sed induti Christo.* Quin & eadem homilia Apostolos vinitores Ecclesiæ, animarum piscatores, Euangelicas turres, religionis bases, peccantium medicos, fidelium ductores, Christianitatis doctores, terræ gubernatores, Præsides ac principes iuxta illud, *Constitues eos principes super omnem terram*) nuncupat, & alijs elogijs honorificis, & epithetis condecorat.

S. Paulus Apostolicam dignitatem exaggerans, & ad summum eam decus & altissimum gloriæ gradum euehens, Apostolos legatos nuncupat & caduceatores Iesu Christi; hinc tam suo, quam aliorum nomine gloriatus ait, *Legatione pro Christo fungimur*, cius nomine rem Ecclesiæ tractamus, *tanquam Deo exhortante per nos*, & per manus nostras operãte, nobisq; velut potentiæ suæ organis & instrumentis vtente.

Idipsum Chrysostomus exaggerans mira loquitur, *Apostoli* inquit, *munus, res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus maius, ac dona omnia complectens* & benedictiones cœlestes. Vnde efficias licet, Apostolos præ reliquis Sanctis eminere & caput efferre, quacunque demum hi qualitate, gratia, prærogatiua aut dignitate virginitatis scilicet, aut doctrinæ, quin imo martyrij, effulgeãt, vtpote qui maiori plenitudine & copia Spiritus S. acceperint gratiam, juxta illud Apostoli, *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Rom. 8. in quæ verba Angelicus Doctor Thomas sic scribit, *Spiritum S. & tempore prius, & ceteris abundantius habuerunt Apostoli.*

Ad sublimem hanc dignitatem euectus fuit S. Bartholomæus, & è primis illis fuit fundamentis, de quibus ad Ephesios loquitur Apostolus, *Superædificati super fundamentum Apostolorum*: Ephes. 2. & quæ deinde in Apocalypsi vidit & agnouit Ioannes, duodecim videlicet fundamenta Ierusalẽ de cœlo descendentis, quibus duodecim Apostolorum nomina erant insculpta. Et scite notat in superiorem illum Pauli locũ D. Thomas, tametsi Ecclesiæ fundamenta sint Apostoli, non idcirco illos ceteris inferiores credendos, etsi domuum fundamenta ceteris soleant parietibus esse inferiora. Habet hoc quidem locum in fabricis aut domibus in terra fundatis, sed in ędificio, cuius in cœlo fundamentum est, vtpote Ierosolymæ cœlestis è cœlo descendentis, quæ Ecclesiæ symbolum est, fundamenta lapides sunt & altissimi & vniuersæ domui supereminentes: atq; hoc Apostolorum magnitudinẽ & superioritatem repræsentat. Hæc sunt igitur, Auditores, quæ vobis de S. Bartholomæo, quo ad vitam, prosapiam, mores eiusdem dicta voluimus; iam reliquum est, vt de passione, martyrio, ac morte illius, vti facturos nos secundo hoc membro promiseramus, loquamur.

Historiæ contextus & series est huiusmodi. Magnus Apostolus Bartholomæus, dispertitione ac diuisione orbis inter Apostolos facta, cum ad Indos barbaros & idololatricis superstitionibus assuetos se contulisset, idolum Astaroth, quod ab omnibus passim ijs in locis stolide colebatur, illico in frusta cõminuit. Apud quos cum infinita maximaque diuina ope patrasset miracula, Regis Polemij ibi longe lateque imperitantis filiam à cacodæmone obsessam tandem à maligni spiritus vexatione vindicauit: quo portento stupefactus rex & ipse baptismo tingi se est passus, & plurimi subditorum eius exemplo

S. Bartholomæi mors & martyrium refertur.

plo excitati Christo manus dederunt. Quod ægre ferens Astyages Regis germanus, sacrificulorum instigatione, sancto Apostolo necem molitur: eum ergo comprehensum & tetro clausum carcere dire flagris concidi iussit, flagellatumq; capite in terram obuerso ac pedibus sublimem cruci jussit affigi, affixoq; etiamnum viuo pellem toto corpore detrahi: tandem, quod ad summam impietatem feritatemq; requiri videbatur, viro sancto ceruices præscindi imperauit.

Lib. de glor. orat. c. 43.

Gregorius Turonensis lib. de Sanctorum gloria Martyrum Apostoli huius pertractans martyrium, pauculis id verbis complectitur, *Apud Asiam passum* S. Bartholomæum, *agonis ipsius narrat historia.* Illi vero à veritatis tramite non longe abeunt, qui eum in Armenia mortem oppetiisse volunt, vti Sophronius apud D. Hieronymum: de mortis eiusdem genere & modo discrepãtes sunt auctorum sententiæ. Tradit namq; commentarius Hippolyti, quem de Apostolis cõcinnauit, S. Bartholomæum pedibus in altum sublatis, capite in terram deorsum obuerso crucifixũ fuisse. Idem & testatur vitæ huius auctor apud Metaphrastem: subscribit eisdem & Nicephorus in historia. Ferunt alij viuum illum excoriatum fuisse, & habẽt hi præeuntem Isidorum in vita Sanctorum, capite 177. Sancti Ambrosii præfationem, vetera Ecclesiæ monumenta, & antiquam quandam traditionem.

Lib. 2. c. 35.

IV. Quæ cum ita sint, certissimum est, quam perfectissime S. Bartholomæum compleſſe, quod olim in sua paupertatis professione Apostolorum Princeps ait, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:* neq; enim bona & facultates mundi huius tantum deseruit, sed & veste se, quin imo pelle propria è Christi amore spoliari passus est: in quo illud Iobi adimpleuit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua.* Iam cuncta quæ possidebat & habebat in terra, Christo libens dederat hic Apostolus; restat pellis, & hanc in honorem Dei, & animæ salutem libenter gratanterque offert.

Iob. 2.

Cant. 5.

In Canticis queribunda ac lamentabili casum suum voce deplorat sponsa dicens: *Inuenerunt me custodes ciuitatis: percusserunt me & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Longe maior in S. Bartholomæum à barbaris illata feritas. Longe ipse crudelius habitus: inuentus enim à tyrannis, & in idololatrarum manus incidens, immanes ab ijs plagas accepit, cruci est affixus, & insigni quadam cum barbarie corio spoliatus.

Eliphas audito Iobi infortunio & casu, ad eum properauit, & adeo eum non est consolatus, vt etiam calumnijs eum onerarit, crudelitatis accusarit, aliaq; illi crimina obiecerit, dicens: *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem, viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti*, & quod omniũ credit grauissimum, & crudelitate omni crudelius, *Et nudos spoliasti vestibus.* O rẽm nouã & inauditam! quis audiuit vnquam nudum aliquem denudari? ecquis vestem auferat nõ vestito? Latet hic insigne mysterium. Nam hoc quoad sensum litteralem in sancto Bartholomæo nostro locum habet, & hocce barbariei genus in illo exercitum est. Vere enim denudatus est & spoliatus, tametsi nudus foret, dum propria ab illo pellis, quæ vera naturæ vestis est, & toga propria ablata est. Hinc non immerito Astyagi tyranno quis illud Eliphæ objiciat, *Et nudum spoliasti vestibus*, tum quidem cum leges omnes humanitatis violans, suam Apostolo huic pellem auferri iussisti.

Iob. 22. Crimina falso Iobo obiecta.

Michæas infortunium & calamitatem Israelis deplorans, sic loquitur; *Super hoc plangam & ululabo, vadam spoliatus & nudus.* Hoc deinde in S. Bartholomæo completum est, qui conspectus fuit olim in Armenia nudus ad martyrium properare, imo & propria denudatus pelle. Cuius autem ea est duritiei & inclementia, qui hanc immanitatem audiens non gemat, plangat, & in lugubres ploratus erumpat, & quis talia spectando temperet à lacrymis.

Mich. 1.

V. Equidem dum Martyrem hunc mihi repræsento, & pellem hanc animo objicio, vt taceam horrorem, quem inde totis artubus concipio, & qui extremos mihi affert dolores & sensum compassionis incredibilem, mirabiles inde mihi suggeri sentio conceptus. Quorum hic primus sit, Auctor mihi ipse sum,

S. Bartholomæi triplicem reliquit pellem.

sum, S. Bartholomæum non vnam dumtaxat pellem, sed trinam amisisse, vnam in morte, duas interim dum viueret, & quidem ex Christi amore, cui fidem, cultum, obsequiumque iurarat. Prima quam deseruit pellis, fuit veteris hominis, & turpis conuersationis mundi huius, quam in nouum hominem & in vitæ genus Apostolicum commutauit, secutus in hoc illud Apostoli Pauli consilium, *Exspoliantes vos veterem hominem:* & reipsa serpentis astum exprimens, qui veterem exuturus pellem per angusta petrarum foramina prorepens, seipsum excoriat.

Col. 3.

In huius rei figuram est iussum illud Dei filijs Israel datum iamiam Ægyptiaca seruitute egressuris, *sed postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* Capite autem sequenti, cum iam re ipsa iussum essent executuri, dicitur *Dominus dedisse gratiam populo coram Ægyptijs, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.* Spoliare autem Ægyptum, allegorice veteris est hominis exuuias deponere, vetera concupiscentiæ scruta & lacinias exuere, cor & affectiones suas penitus denudare, animum ac passiones excoriare, & prauas & inolitas consuetudines in meliores commutare. Mirifice hoc illustrabit, quam mox afferam figura.

Exod. 11.

Indignis Allegoria de veteris hominis exuuijs.

Exod. 12.

Leuit. 6. iubetur Sacerdos victimam holocausti Deo immolaturus, priora vestimenta exuere, & alia induere: legis verba sunt hæc: *Et ponens iuxta altare spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis offeret eos extra castra.* Ex legis huius præscripto & instituto, sanctus Bartholomæus offerre Deo eidem cupiens totius corporis sui holocaustum, amoris igne succendendum, prioribus se vestimentis exuit, id est, à veteribus moribus se ablactauit, à vanitatibus sæculi se subduxit, & prauas omnes mundi huius consuetudines deseruit.

Leuit. 6.

Secundo, quam magnus hic Dei famulus pellem exuit, fuit diues & potens bonorum temporalium, & voluptatum vitæ huius pellis, quam reliquit, vt pauperiorem & austeriorem amplecteretur. Quam vero pauperes hodie reperire est in mundo, qui hoc ritu in Christi gratiam, & proximi salutem se denudant & spoliant. E contra vero quanta eorum est multitudo, qui numquam seipsos, sed alios deglubere & despoliare solent. Non hi ouibus, quæ tam libenter lana se spoliari sinunt, quo eadem alios operiant, sed tortoribus potius sunt persimiles, qui maleficos vestibus priuant, quo seipsos conuestiant.

Bonorum temporaliū pellē S. Bartholomæus amisit.

De huiusmodi scelestis bene loquitur vnus de numero Prophetarum: *Audite principes Iacob, & duces domus Israel; numquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum? qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, &c.* O verba horrenda! ô actum crudelitatis inauditum!

Mich. 3. Tyrannis Principum Israel.

Huiusmodi tyranni & hominum depeculatores corniculæ Æsopicæ persimiles sunt, quam fabulator ille ab alijs fingit auibus plumas mutuatam ijsdem insolentiorem redditam, sed cum suam quæque repetitum plumam veniret, furtiuis nudata coloribus, omnibus ludibrio & fabulæ fuit auibus. Ita scelesti hi ab vno pileum, ab alio pallium, ab hoc ocreas, ab illo equos auferentes, & alienis exuuijs insolescentes & intumescentes, vbi iam mortis hora venerit, qua deserenda & relinquenda erunt omnia, nudi plane & infames, & confusione coram vniuersis, qui vnquam exstitere, hominibus oppleti apparebunt. Quibus generatim adaptari illud Ieremiæ potest, quod de alio quopiam singillatim dixit; *In alis eius inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentum.* Et sane si plumatuli illi aulici & nobiles propius inspicerentur, cristæ pauperum sanguine rubricantes conspicerentur, eas enim vt gestent, ad ossa vsque illos arrodunt, & viuos deglubunt, illorum domos & familias euertendo, & violenter eos bonis & facultatibus spoliando.

Populi depeculatores cornici Æsopicæ similes.

Ierem. 2.

Tertia, quam reliquit sanctus Bartholomæus pellis, fuit ipsa corporea, quæ illi in supplicio incredibili cum dolore & inaudi-

ta feritate ablata fuit. Restabat hoc scilicet vnum ad ardentissimum amorem & perfectissimam virtutem patefaciendam. In Genesi scriptum est, Iacobum Patriarcham, domesticos omnes vnum in locum vocatos de offerendo à se sacrificio certiores eos redditurum, sic allocutum esse, *Abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.*

Gen. 35.

Allegoria.

Iacob cum vniuersis domesticis ascendens in Bethel sacrificium oblaturus, idola abijci, mundari suos, & mutare vestimenta iubet. Sanctus Bartholomæus noster idem penitus fecisse comperitur, dum in crucem vellet ascendere, atque in eadem seipsum in victimam offerre. Video namque illum omnia mundi idola relinquere & abijcere, honores scilicet, diuitias, ambitionem, vanitates. Deinde tot se ieiunijs, vigilijs, laboribus, austeritatibus, rigoribus & pœnitentijs mundare & purificare, denique vestimenta mutare, non cordis dumtaxat, sed & corporis, quin imo & propriam pellem, viuum se decorticari sinendo. O patientiam admirabilem! ô cor nimis quam generosum! ô vere heroicum virtutis actum!

Si illustria nomina & tituli, quos generosi sibi viri, vitam periculis & mortis discrimini exponendo acquisiere, magni semper apud Deum & homines fuere, ac apud Deum præsertim, cuius in obsequium sanguinem profuderunt, & tot discrimina & casus interrita mente adierunt, iuxta illud Propheticum: *Et honorabile nomen eorum coram illo*, vel, vt Hieronymus & Hebræi legunt, *Sanguis eorum pretiosus coram eo*, ecquis honor, & gloria, ecquod nomen & laudes sancto Bartholomæo debentur, qui tam strenue animoque adeo inuincibili sanguinem profudit, pellem cessit, vitam exposuit, idque in obsequium ac ministerium eius, cuius fidelis erat Apostolus. Hanc solam ob causam sanctus Dionysius Areopagita sanctum hunc Apostolum *diuinissimum* nuncupat, Origenes vero tam sublime eum euehit, sancto Petro eum an sit ob sanctitatem aut vitæ recte institutæ rationem præpositurus, vt ignoret.

Psal. 71.

Patientia S. Bartholomæi comparata cum patientia Iobi.

Equidem censeo Iobo illum patientia præcelluisse, & maiores illum pœnas & persecutiones pertulisse: etsi enim Iob virtutis huius fuerit exemplar ac speculum, eo tamen non pertigit, suam vt cutem tolli auferrique cerneret: maxima namque grauissimaque quæ pertulerat tormenta recensens, magna animi compassione dicebat. carne penitus consummata, solam sibi pellem, ossa superuestientem remansisse, *Pelli meæ*, inquit, *consumptis carnibus adhæsit os meum.* Verum gloriosus Martyr noster pellem obtulit, & incredibili cum dolore viuus fuit excoriatus. Inauditum sane supplicium, & qua nulla vmquam maior visa, aut in aliquem exercita crudelitas ac barbaries: sed etiam hoc ipso sancti suum erga Deum amoris, & illustre insignis patientiæ suæ dedit testimonium.

Iob 13.

Lib. 3. c. 24.

Refert Alexander ab Alexandro in varijs suis tractatibus, barbaros, honorem & gloriolam, simul & immortale nomen aucupantes, in virtutis & bellicorum stratagematum notam & fortium factorum insigne, hostium bello profligatorum cutes nepotibus ac posteris relinquere solitos. Vt hanc profanorum consuetudinem ad gloriam sanctorum transferam, dico ad eumdem plane modum, gloriosum Apostolum Bartholomæum, qui carnem, sanguinem, ac vitam temporalem semper vt grauissimos hostes habuerat, cum eos tandem subegisset, eos excoriauisse, & propriæ carnis, vt primariæ hostis, pellem & exuuias omni Christianorum posteritati velut illustre fortitudinis suæ trophæum, fidei notam & admirabilis erga Deum amoris reliquisse.

Veteres duces pelles hostium posteris cedebat.

Alciatus in Emblem.

Refert Ziscam Bohemorum ducem Alciatus, cœcum quidem, iam ad vitæ extrema redactum, cum vix vlla eiusdem longius producendæ spes superesset se excoriari, & è detracta pelle bellicum tympanum concinnari iussisse, quod eo audito inimicos in fugam mox agendos diceret, & de hoc ipso elegans auctor hic emblema composuit. Hoc quidem è vana quadam gloria & fastu Zisca fieri mandauit, sed solidam virtutem & verum honorem spirat, Apostolum nostrum, non iam mortuum, sed etiamnum viuum exco-

Res notatu digna.

excoriari voluisse, eius autem pellis adeo passim insonuit, vt non terreni hostes, id est, tyranni, sed & tartarei, id est, dæmones ita exhorruerint, vt vel ad eiusdem conspectum & auditum in fugam illico compellantur, contremiscant, paueant, & consternentur.

Psalc. Solent athletæ aepugiles cæstuum ac luctæ certamen inituri, & in antagonistæ conspectum venturi vestem abijcere, & eadem se quodammodo exonerare, vt hæc vestis depositio in certamine eos expeditos reddat, & palmæ de aduersario referendæ spem faciat. Sic & qui per æstatem graues cœli æstus non ferunt, vestimenta ponunt, & ad vsque interulam sese calore fracti dispoliant. Ad horum imitationem sanctus Bartholomæus noster suam & virtutem & animum patefecit; hinc namque aduersus mortem, carnem ac mundum pugnaturus, illinc vero vehementi amoris diuini flamma æstuans, exonerare se voluit, pelle se spoliauit & exuuijs, vitamque propriam exposuit. In quam rem aliquot veteri è Testamento figuras depromamus.

Leuit. 1. Leuitici primo capite iubet Deus, vt quoties aliquod illi animal in sacrificium offerendum esset, prius illi pellis demeretur, deinde membratim concideretur. Verba textus sunt, *Detracta pelle hostiæ artus in frusta con ident.* In Bartholomæo nostro hoc adimpletum est: Deo etenim est velut hostia & victima gratissima oblatus, ac proinde illi primum pellis detracta. Vere enim pellem dedit, fide & spe plenus, ac certus eam se aliquando resumpturum, idque ad exemplum Iobi, qui medijs in ærumnis hac se sententia solatur, *Credo quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea.*

Iob. 19.

Exod. 35. Cum in Exodo primitias & donaria ad tabernaculi constructionem à populo vniuerso offerenda exegisset Deus, quisque pro facultatibus vltro gratanterque varia obtulere: hic aurum, argentum ille, alius æs, alius hyacinthum & purpuram & coccum bis tinctum, & abyssum; alij, vt mulieres, annulos & armillas; denique alij pilos capturn & pelles ouium rubricatas & hyacinthinas. Vnde Scriptura addit, *Obtulerunt mente promptissima, atque deuota primitias Domino*, &c.

Primitiæ ad tabernaculi.

Iam vero non Tabernaculum Mosaicum, sed Christi Domini Ecclesia construenda omnes ad hic omnes omnino sua illi donaria offerre, & qua poterant ratione illi auxiliari tenebantur. Quapropter omnes eiusdem clientes maxima tum libertate, tum liberalitate huc contulere pro facultatibus singuli, hi aurum charitatis, vt Apostoli, alij spei argentum, vti Confessores; alij æs & metalla, vt Doctores, qui prædicationibus suis altum & elate insonuerunt; illi hyacinthum, & purpuram, vti Martyres sanguinis sui effusione; alij coccum, byssum, & puritatis linum, vti Virgines; non nemo denique pelles ouium rubricatas, sicut S. Bartholomæus, qui velut ouis in crucis medio Deo optimo maximo oblatus, suam illi pellem libens cessit, idque animo quodam heroico & mente deuotissima.

Ecclesiæ cõstructioni aliquid cõtulerunt.

Intuere modo, Christiane, Bartholomæum penitus excoriatum, eius inspice tormenta, patientiam demirare, animum eius considera, & fiet, vt in tribulationibus leuiter conquiescas, in afflictionibus serenata mente rideas, nec aduersus Deum murmurando insurgas, si quando aduersitatum mundanarum procella ingruit. Ita namque in ea, quæ ad Hebræos est epistola, admonet Apostolus eos, quibus Christi nomine aliqua perferenda calamitas incumbit, *Recogitate eum*, inquit, *qui talem sustinuit à peccatorib. aduersus semetipsum contradictionem, vt ne defatigemini viribus deficientes: nondum enim vsq; ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes*, &c. Quasi dicat, Expostulas & quiritabundus gemis, ô homo, quod leues aliquas molestias & aduersitates subeas, anne vsq; ad sanguinem restitisti? an vitæ discrimen adijsti? an pellem Dei causa cessisti? an Bartholomæi exemplo viuus es excoriatus? Hæc omnia menti obijce, & obmutesce patiens: magnas has ærumnas perpende, & generose tuas perfer.

Hebr. 12.

Iacob, vt greges copioso fœtu adolescerent & crescerent, in canalibus, è quibus Gen. 30.

oues bibebant, virgas corticibus denudatas collocauit, vt in eas coniectis oculis oues diuerficolores & maculosos & conciperent fœtus & parerent Vt vero prouidus & sagax hic ouium Pastor diuersas ouibus virgas obiecit, illas integras & cortice tectas, has decorticatas & nudas, vt diuersus & varius hic color ad aquarum motarum vmbram ludens, oues ad similes fœtus concipiendos inclinaret: ita & nobis, vt diuersis ornemur virtutibus, & omnigenas omnimodasque progignamus, varij Sancti obijciuntur & proponuntur, qui omnibus hisce virtutibus mirifice resplenduerunt, alij quidem pelle conuestiti, alij decorticati & corio denudati, vti S. Bartholomæus, vt in eosdem oculos animumque conijcientes, eorumq martyrium spectantes, easdem mente virtutes concipiamus, & similem omnibus in rebus tolerantiam pariamus.

Allegoria.

Agite dum ergo, Christiani, & pij Auditores, nolite de terrenis hisce nugis amplius cogitare, à mundi vanitate & inanijs oculos auertite, cogitationes à sæculi apinis & tricis abstrahite, & ab earum prosecutione, & mendaciorum & fatuitatum consectatione affectus declinare. Cor in altum sustollite, animam eiusque faculrates sublime eleuate, meditationes in cœlum dirigite, illustrium Sanctorum vitas cogitatione percurrite, in his vos speculis contemplamini, his noctu & interdiu euoluendis vacate, historias illorum decurrite, virtutes imitamini, illorumque exempla in omnibus passim sequamini.

Exhortatio ad imitationem Sanctorum.

Imprimis vero memineritis velim S. Bartholomæi, eius martyrium animo voluite, pellem eius semper oculis præsentem habete, eum excoriatum, dilaniatum, cruentum, & in cruce exspirantem numquam non cogitate Persarum Rex Cambyses Iudici cuidam iniquo pellem olim detrahi iussit, eademque sellam illam conuestiri, in qua ipse aliquando confidens æquitatem & iustitiam violasset, sed pœnam hanc eius flagitia & iniquitas promerebantur, vitaque probrosa mortem etiam probrosam exposcebat: at Bartholomæo nostro ob virtutum studium, ob Dei amorem, iustitiæ eiusdem zelum, vitæque sanctimoniam exuuiæ ablatæ, atque hinc & mors illius glorioſa exstitit. Hanc ergo memoriæ multoties insculpite, hæc oculorum sit vestrorum obiectum, cogitationum materia & scopus, atque animi solatium In prosperis eius intuemini modestiã, in aduersis constantiam, in tepore zelum inflammatissimum, in morosis procrastinationibus promptitudinem, in ingratitudine vestra charitatem, in anxia nutatione animositatem, in pietatis frigore feruorem, in desperatione fidem & spem, in aduersitatibus denique vestris ipsius meditamini tolerantiam.

Cambyses quemdam iudicem decoriari iussit.

Tu autem Domine Deus, magne totius vniuersi prouisor, & œconome, supreme peccantium iudex, & summe Sanctorum tuorum remunerator ac merces, qui ab omni eos æternitate elegisti & prædestinasti, eos deinde in terra educasti, & omnigena virtute & mirabilibus sustulisti, iuxta id Prophetæ tui vaticinium, *Mirabilis Deus in sanctis suis:* quos cum deinde in cœlum euexeris; sicut eos gloria in paradiso cœlesti donas, ita & ab vniuersa Ecclesia tua coli eosdem & honorari iubes. Tu nobis eos velut generosos bellatores & pugiles proponis, eorum vt æmulemur generositatem & præclare gesta, vti illustres Magistros & Doctores, eorum vt doctrina nobis prosit, vt fidos ductores & directores, quo in gressibus & vijs nostris eos sequamur; vt peritos & intrepidos naucleros, illorum vt è ductu in mundi huius oceano, sine iacturæ & naufragij discrimine, vitæ nostræ cymbam moderemur, denique vt insignium virtutum & quidem omnium exempla & normas, vt saltem aliquas ab ijsdem discamus. Psal. 67.

Gratiam igitur nobis præsta benignissime animarum nostrarum Redemptor, eos vt imitari valeamus, illorum sectemur vestigia, bonos illorum mores discamus, ad ipsorum exemplum viram moderemur, & studia, contentiones, molimina, ac desideria nostra ad illorum, quæ quidem adeo perfecta fuere, conformemus: verum imprimis da, vt Apostoli Bartholomæi sanctitatem æmulemur, ac tui super omnia creata amorem, pœnarum, tormentorum-

torumque contemptum, tentationum victoriam, & in aduersis patientiam ab eodem discamus: da, vt eius exemplo & imitatione, veterem hunc hominem & prauarum consuetudinum exuuias exuamus, pellem item affectus & amoris erga bona temporalia, & rerum sæcularium concupiscentiæ: quin etiam eam, qua in humeris & toto corpore conuestiti sumus, si vel cum vitæ periculo, quod tibi debemus obsequij ac fidelitatis testandæ occasio præsentetur, vt tui causa omnibus rebus mundanis relictis, in altero æternam beatitudinem, vt operis mercedem accipere mereamur. eam nobis Pater increatus, & Filius vnigena, & ab vtroque procedens Spiritus, vnus in Trinitate Deus, donare dignentur, Amen.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAptistæ.

Partitio.

1. *De mulierum feritate.*
2. *De dictis illis S. Ioannis: Non licet tibi.*
3. *De Herodiadis malitia.*
4. *De S. Ioannis Baptistæ prærogatiua.*
5. *De Herodis crudelitate.*
6. *De S. Ioannis sanctitate & magnitudine.*

Misit Herodes Rex, & tenuit Ioannem, &c. Matth. 14.

FIGVRA.

2. Paral. 26. SVmmus Sacerdos Azarias, zelo Dei viuentis, eiusque honoris flagrantissimus in Paralipomenon libris mirificis in cœlum laudibus extollitur, quod insigni & infracta quadam mentis constantia sacrilegis & profanis Oziæ regis Sacerdotij dignitatem & munus, magno Dei eiusque templi honoris contemptu, temere sibi arrogantis, moliminibus ausus fuerit resistere. Sed videmus hic alium, non minori zelo ardentem Dei seruum, & Zachariæ magni filium, qui non minori celebratur præconio, quod animose se etiam Regi opposuerit Herodi, eiusque incestas cum fratris vxore nuptias, quæ in diuinorum mandatorum contemptum, Sacramentorum Ecclesiasticorum & præsertim matrimonij violationem, & insigne proximi scandalum cedebant, heroica generositate coarguerit. Joannem Baptistam intelligo, qui quod veritatem tueretur, impietati resisteret, honoris diuini zelo arderet, & enormia scelera reprehenderet, caput simul & vitam perdidit. Vt latius de tam egregia materia agamus, cœlestem inuocemus opem, idque intercessione sacratissimæ Virginis, quam idcirco Angelica salutatione impertiamur dicentes.

AVE MARIA.

Sapientum omnium Princeps Salomon suis in libris passim, & nominatim in Ecclesiastico de mulieris nequam moribus, natura, & indole tractans, paucis & tribus prope verbis complexus est, quod multis alij forte libris & tractatibus dilatassent; *Breuis*, inquit, *omnis malitia super malitiam mulieris.* perinde ac si dicerent: Nulla vsquam in mundo malitia reperietur, quæ cum muliebri sit conferenda. Vnde etiam Menander Comicus Græcus: I. *Eccli. 2.* Nihil simile malitiæ mulieris.

Θηρῶν ἁπάντων ἀγριώτερον κακὸν γυνή.
Feris omnibus agrestior mala mulier. *Menander*

& alio loco:

Ἰσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ἀμότης.
Par est leænæ & mulieris crudelitas. *Eurip. in Phœniss.*

Ad eundem sensum alius Poëta, & is tragicus, Euripides inquam, mulierum malignitatem describens satis atrociter loquitur:

Cum multa in terra mariq; fera sint, Fœmina belluas feritate superat.
Omnium maxime mulier fera est:
Mulier enim efferatissimum malum est.
Vbi mulieres, ibi omnia mala sunt.

Joannes Chrysostomus hæc latius deducit, & pro sua eloquentia inductione hoc probat, *Nulla*, inquit, *bestia in hoc mundo similis est mulieri malæ: quid leone inter quadrupedia* *Chrysost.*

sauius? quid serpentibus aut draconibus atrocius? sed hæc animalia in malo mulieri inferiora sunt. Exemplis deinde hancce mulieris nequitiam, & animalium è cõtra manſuetudinem aſtruit, *Iuſtum Danielem in lacu leones reueriti ſunt, iuſtum Naboth Ieſabel interfecit: cetus Ionam in ventre cuſtodiuit, Dalila Samſonem tradidit Philiſthæis: Eliam corui pauerunt, & Ieſabel eum perſequebatur.* Vnde efficere vult, nihil eſſe, quod cum mulieris malitia ſit comparandum.

Eccli.15. Spiritus ſanctus hæc omnia confirmans, hoc apud Eccleſiaſticum conſilium omnibus ſuggerit, *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam*, & rixoſa. atq; inde infert, mulierum pernicioſarum contubernium ac commercium ipſarum beluarum ſilueſtrium incurſu magis eſſe metuendum.

Ibid. Eodem in loco non abſimilis ab eodem profertur ſententia, *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris*, in eadem eccebilance collocat & caput ſerpentis, & mulieris iram.

Chryſoſtomus, quem iam ſæpius citauimus, hanc iterum chordam tangẽs, & illum Matthæi locum, *Non expedit mulierem, &c.* interpretans hæc explicationis loco adducit, *Quid eſt aliud mulier, niſi amicitia inimica, neceſſarium malum, ineffugabilis pœna, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, deleCtabile detrimentum.* Non offendantur, quæſo, mulieres his auditis mihique ſuccenſeant, prudentium & moratarum honos hic nulla ratione tangitur, ſed ad prauarum & improbarum confuſionem hæcce duntaxat ſcripſit Chryſoſtomus, non ego.

In illud Matth.8. Non expedit mulierem, &c.

Secundi Philoſophi gnome. Eadem ſi non verbis, ſenſu ſaltem eadem, eademque in ſubſtantia, apud veterẽ quemdam Philoſophum, nomine Secundum reperio: hic etenim interrogatus, ecquid eſſet mulier, hoc reſpondit modo, *Hominis confuſio, inſatiabilis beſtia, continua ſolicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, ſolitudinis impedimentum, viri incontinentis naufragium, adulterij vas, pernicioſum prælium, animal peſſimum, pondus grauiſſimum, aſpis inſanabilis.* Verba ſane odioſa & offendentia. Credi-

derim Philoſophum hunc vna quaſi fidelia vniuerſa ſexus huius ſegnioris propudia, vitia ac labes perſtringere voluiſſe.

Refert Laërtius, vt profanis citationibus inhæreamus, magnum illum Philoſophum Pythagoram, cum de mulierum natura ac moribus ſermo incidiſſet, dicere ſolitum prauas duntaxat ſugillando, duo in earum oculis lacrymarum genera reperiri, veri doloris vnum, inſidiarum vero aliud. Docere, mea ſententia, volebat, tantam capite muliebri malitiam foueri, vt, tametſi oculis prorumpentes lachrymæ doloris interdum ſint teſtes & notæ, vt plurimum tamen illarum proditionem & inſidias quam pernicioſiſſimas occulant.

In vitis Philoſophorum.

Hoc apud Euripidem in Medea de ſe ipſæ teſtimonium ferunt mulieres: *Mulieres ſumus ad bona conſilia pauperrimæ, malorum autem omnium artifices ſapientiſſimæ.* Suam huc etiam ſymbolam alius de Græcis Poëtis, is quem iam ante produximus, Menander conferat,

Euripi. Medea.

Θησαυρὸς ἐστὶ τῶν κακῶν κακὴ γυνή.

Theſaurus eſt malorum fœmina improba.

Alibi autem apud illum, velut prouerbij vicem, hic verſus occupat:

Θάλασσα, πῦρ, γυνὴ κακὰ τρία.

Tria ſunt mala, Oceanus, & ignis, & mulier.

Alius eiusdem ætatis Poëta, neſcio quis, ſed vir alioquin magnus, dixit, & reapſe exemplis oſtendit, nullum dari fingique in obre grauius aut exitioſius muliere ipſa malum poſſe, eſſe quidem maris fluctus impetuoſus, ignem violentum & noxium, paupertatem duram & intolerabilem, aliaque eſſe, quæ quidem perpeſſu grauia forent, nihil vero fœmina deterius eſſe aut cogitari poſſe: eſſe quidem eam malum adeo tetrum, verbis vt exprimi aut calamo nequeat, &, *quod ſi Deus aliquis mulierẽ formauit, is ſe opificem malorum eſſe ſciat maximum, & hominibus inimiciſſimum.*

Si durum & graue auribus veſtris accidat ſexus huius probra excipere, & quidem è profanorum auctorum ſcriniis, paucis & verbo idipſum è ſacris litteris declarabo. Magnus ille Propheta Elias, iam laboribus exhau-

3. Reg. 19.

hauſtus, & quodammodo ſub eorum onere fatiſcens, & impiæ Jeſabelis, mulieris, ſi quæ vsquam ad omnem impietatem feritatemque edoctæ, rabiem declinans, finem vitæ mortemque ſumma animi contentione, totisque votis à Deo ſupplex exoptauit, dicens, *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quam Patres mei.* Res mira: Propheta hic vnicam veretur mulierem, qui vel verbo ignem cœlo deuocaſſet, qui poſt triennem ac ſemeſtrem aridítatem imbrem precibus impetraſſet, qui oratione mortuum ad vitam reuocaſſet, aliaque plurima prodigia in terra Iſrael operatus eſſet.

Exploratiſſimum eſt ergo, mulieris nequitiam merito ſemper optimo cuique eſſe metuendam, & illam viris ſanctiſſimis maxime ſemper formidabilem fuiſſe, illamque variorum per orbem malorũ, ærumnarum, calamitatum ſeminarium ac fontem exſtitiſſe, quod vt perſuadeam, aliunde mihi exempla arceſſenda non ſunt, Euangelium preſens nobilem quamdam dabit inſtar omnium futuram. Hic namque videbimus Herodiadem mulierem, omnium mea ſententia & ſceleſtiſſimam & deterrimam necem moliri, in innoxium ſanguinem conſpirare, Herodem ad nefas pellicere, regi inceſtuoſo concubitu copulari, ad Prophetas de medio tollendos illum nequiter impellere, & tantum moliri, Joanni Baptiſtæ viro ſanctiſſimo vt ceruix in carcere præcidatur. Ex Euangelij ſerie id diſcere licebit dicente, *Miſit Herodes Rex, & tenuit Ioannem.* Ipſe in duas vniuerſum partis diſpertiar, prima Herodiadis nequitiam & Herodis immanitatem proſequar, altera Joannis Baptiſtæ tum virtutes, tũ martyrium deducam.

Primam ergo vt aggrediamur, & hiſtoriam iam inde à ſui exordio ac fonte arceſſamus, nouerimus neceſſe eſt, tres vniuerſum Herodes in Scriptura nominari; Primum Aſcaloniten, qui paruulos ad necem eſt perſecutus; ſecundum Antipam, qui & Joannem capite minuit, & Redemptorem in die paraſceues, alba ad ludibrium indutum veſte, eum vt fatuum ſuggillando, riſui omnium ſanniſque militaribus expoſuit; tertium denique Agrippam, qui Apoſtolum Jacobum de medio ſuſtulit, & Petrum in carcerem compegit, ei necem pariter illaturus, ni miſſo cœlitus Angelo eum Deus indeeduxiſſet. Herodes ergo Antipas cum fratris Germani etiamnum viui vxorem nefario matrimonio ſibi iunxiſſet, quod inceſtus erat, crimen, & maximum proximi offendiculum, eius rei fama per omnes Judææ angulos eſt diuulgata, & tandem etiam Joannis Baptiſtæ ad aures venit. Ille ergo honoris diuini zelo actus, & ſalutis animarum deſiderio ardens, ſolitudine egrediens, regiam recta petit, regem adit, & audacter libereque peccati illius fœditatem & abominationem reprehendit, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui:* quaſi diceret: Regibus quidem, qualem te eſſe ſcio, multa, inclyte Rex, licent, quæ non aliis; fas enim illis eſt omnibus abſolute præeſſe, & ſubditis dominari, iisque leges, edicta conſtitutiones præſcribere, iuſtitiæ tribunalia conſtituere, vna quidem manu gladium geſtare ad noxios morte multandos, altera vero lauream & oliuam miſericordiæ ad eoſdem morte eripiendos, vitaque donandos; licet illis ſubditos ad bellum ciere, tributa & vectigalia imponere, oneraque & portoria indicere, & ſuo in regno ita omnia efficere, vt à ſolius Dei dependeant dextera: at diuina violare mandata, cœleſtis legislatoris legis infringere, infanda ſcelera committere, & ſubditis ſcandalum creare, minime licet, quare *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Licet tibi quidem, Rex, habere ſtipatores & corporis cuſtodes, illuſtres in regia viros, qui te circumſtent, in ſcriniis aurum, in equilibus equos, in cynotrophiis canes venaticos, in caueis aues altiles, in cõclauibus tapetia, in abacis tũ aurea, tum argentea vaſa, in veſtibus gemmas & margaritas, gratiſſimam autibus accidentẽ harmoniam, exquiſitiſſimos & lectiſſimos in menſis miſſus, aliaq; voluptatum ac delectationum genera; at Deum rem maximum offendere, illius maieſtatem irritare, in vitia præcipitare, fratris vxore abuti plane non licet, & ſummum eſt nefas, *& non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Laſciꝫ

Lascivus vero & venereus hic Rex tã honestam & adeo ardenti è charitate proficiscentem correctionem minime ferens, & illa oratione exacerbatus, vnde in melius vitæ emendandæ occasionem haurire debuisset, inde est in deterius mutatus, & aduersus sanctum hunc veritatis præconem conspirans, in carceres eum coniecit & vincula. Vnde huic contigit, quod illi, de quo apud Ezechielem, *Miserunt eum in carcerem, ne audiretur vltra vox eius super montes Israel.* Ioannes ergo in abditissimum detruditur carcerem, ne prædicationis eius vox, sanaque & salutaria monita vltra in Herodis impij aula audirentur.

Ezech.19.

Num Pharisæi Ioannis incarcerationi sint cooperati.

Quæritur hic, num iniquæ huic & sacrilegæ incarcerationi Pharisæi & Scribæ sint cooperati, & Herodi in eadem assenserint? non vsque adeo exotica aut insolens hæc quæstio est, nec etiam ratione careus, neque enim verisimile videatur, Antipam, tametsi Tetrarcham & potentem Principem in talem tantumque virum, quem olim ceu Messiam plerique habuerant, Synagogæ Principum & capituminiussu manus impias iniicere ausum fuisse. Lyranus in Matthæum sic hanc controuersiam dirimit, *Herodes*, inquit, *de consilio Pharisæorum, & Iurisperitorum, vt probabiliter creditur, Ioannem in carcerem coniecit.*

Eidem opinioni accedit pius iuxta ac doctus Dionysius Carthusianus in eundem Matthæi locum scribens, *Herodes de consensu, & forsitan consilio Scribarum, Pharisæorum, ac Sacerdotum, Ioannem incarcerauit ac decollauit.*

Dionys. Carthus. in Matth.17.

Caietanus in Joannem commentatus idem omnino asserit, *Insinuat*, inquit, *Euangelista Ioannes, Pharisæorum inuidiam tradidisse Ioannem Herodi.* Subscribit his & Jansenius dicens: *Verisimile est Herodem neque potuisse, neque ausum fuisse capere Ioannem, nisi consentientibus & cooperantibus Iudæis, quorum tunc summa erat auctoritas.* Eisdem succenturiatus Toletus addit, Pharisæis Joannem exosum fuisse, eosque proinde in vitam eiusdem conspiratione facta, suis tantum molitionibus ac machinis feciisse, vt in Herodis incideret manus. Elicit hanc ipse opinionem à Christi verbis apud Matthæum, *Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quæcumq; voluerunt.* Loquitur ibi de Joanne Redemptor, quem Eliæ donat nomine, decla atque non ab Herode illum solo, sed ab aliis etiam plurimis, Scribis scilicet, Pharisæis & Synagogæ Principibus, in ergastula constrictum, & morti adiudicatum. Hinc sanctus Hieronymus in illud ipsum Matthæi caput commentatus Pharisæorum aduersus Joannem conspirationem, magni huius Prophetæ morti initium & consensum dedisse testatur.

Cap.2. Concordiæ.

Toletus Ioan.4.

Matth.17.

In Ioan.4.

Eruitur hæc rursus opinio ex illis Matthæi verbis: *Cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset.* E quibus efficiamus necesse est, Joannem in Herodis manus ab alio quopiam, aut permultis traditum esse. Credibile sit ergo à Pharisæis ipsum tyranno traditum fuisse, vt à proditore Juda Seruator Principibus Sacerdotum. Notetis hic velim: Auditores, mundi inconstantiam, & hominum proditionem; Pharisæi, ecce, hodie Herodi in manus eum cõsignant, quo morti deinde addicatur, quem alias vt Messiam suspexerant, coluerant, & illustri missa legatione honorarant, Mundus ergo merus est impostor, nihil eius actionibus fidi, nulla in verbis fiducia, nulla in promissis certitudo.

Matth.4.

Mundi impostura.

Est & alia controuersia, num scilicet publice, an vero priuatim dum taxat Herodem peccantem Joannes coarguerit? Relictis aliorum hac de re opinationibus & concertationibus, sequar, & dicam, quod maxime videtur probabile, nempe publice illum in eius scelera insurrexisse. Vt omittam enim rationem, qua publicum peccatum publice etiam reprehendi debere fit verisimile, plurimos eosque grauissimos huius sententiæ habeo suffragatores: Abulensem imprimis dicentem, *Ioannes prædicans arguebat publice Herodem de illicitis nuptiis.* Victorem item Antiochenum, *Ioannes*, inquit, *palam Herodem reprehendit.* Plura addit Chrysostomus: vult enim pleno foro eam correptionem factam esse, id est, coram omnibus: *Ioannes cum fiducia in medio foro dicit: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

S. Joannes Herodem publice coarguit.

Abul. Matth.14. & 15.

Hom. 1 ad popul.

Gloria-

Gloriatur Psalmographus, cum sibi alias animum & generositatem fuisse, vt de rebus diuinis coram regibus & terræ principibus intrepide & sine rubore vllo loqueretur: *Loquebar*, inquit, *de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Quam scite hoc apteque in Joannem quadret, tum quod reges reprehenderit, tum vero insignem in vitiis taxandis libertatem prætulerit? Ecce enim vt coram Herode cõcionetur, aduersus eius sacrilegas nuptias detonet, denique vt sine confusione, pudore, formidine, pauore peccantem intrepide coarguat. Non longas nectit ambages, non parabolarum narratione mollem sibi ad regias aures aditum sternit, vt apud Dauidem Nathan, sed simpliciter & audacter, coram & in faciem sine fuco vllo ait, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Psalm. 118.

2. Reg. 12.

Sed notate hic miseram concionatorum commonentiumque sortem, mundi ingratitudinem, Principum stuporem & cæcitatem, denique mulierum rabiem ac malignitatem.

III Herodias conspirat in Joannẽ.

Salutaris hæc monitio Herodiadem offendit, prædicatio hæc displicet pellici, sancta & sana correctio voluptatibus venereis ac lasciuiis meretriciis est inimica. Vindictam ergo vltionemque cogitat, zelosum hunc Ecclesiastem aula eiicere statuit, & impedire, ne cœlũ terraq; deinceps lubricæ suæ voluntati incestuiq; vllo modo aduersetur. Hinc necem illi molitur, in perniciem eius coniurat, monitorem de medio tolli optat; & vt optatum res exitum nanciscatur, omnem mouet lapidem, & qua potest arte elaborat. Ergo epulum instruitur, indicitur tripudium, choreæ ducuntur, venereæ faces inardescunt, amor & mors inter se confligunt, in innocentem noxia fertur sententia, illius caput in disco postulatur, præcidi ipsum mandatur, &, ecce mandato facto in carcere præciditur. O fatales Thyestææ epulæ! ô sceleste conuiuia! in quibus Herodias simul & Herodes concurrunt, venerea scilicet & regia potentia, cupiditas & suprema maiestas, malignitas simul & potestas.

De huiusmodi conuiuiis hanc sententiam tulit Sapiens, *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonemur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Quæ verba paraphrastice sic exponit magnus Hieronymus dicens: *Vtilius est ad exequias funeris, quam ad domum conuiuij: quia ibi recordatione conditionis naturæ, & fragilitatis humanæ ex præsenti cadauere commonemur.* Prò! quanto fuisset satius, defuncti alicuius cadauer ad tumulum stipasse, quam luctuoso & fatali Herodis epulo interfuisse, in quo sanguine natant vniuersa, in quo in innocentissimi viri necem conspiratur, & feralia molimina procuduntur! Conuiuia sane nonnisi mala calamitates & casus tragicos secum trahunt. Conuiuia turbant & confundunt quidquid in homine; rationem captiuam ducunt, cerebrum perturbant, sensus cogunt obbrutescere, affectus succendunt & inflammant, reges in tyrannos, sapientes in furias terrachas in Herodes commutant. In quam rem deseruient, quæ iam producam, emblemata.

Hieron. Eccles. 7.

Conuiuia noxia sunt, & malum afferre nata.

Veteres, moralitatem in omnibus prope consectantes, Bacchum bicornem pingebant, & cribrum manu gestantem. Hac ce pictura denotabant, vinum moderate ac debita cum temperantia sumptum, & conuiuia honesta & rite ordinata, tristitiæ fugandæ & prauis animæ passionibus pellendis peridonea esse, non secus ac cribro triticum à palea segregatur. Testatur hoc etiam Scriptura dicens, *Vinum latificat cor hominis*, si nimirum cum moderatione bibatur; verum si immodice, & temperantiæ fines excedendo, bruti instar hominem in furias rapit & insaniam; quod ipsum binis hisce cornibus designabant. An non enim hodie vinum, ebrietas & bacchici illi vapores Herodem in furias adigũt, & in teterrimum, si quod vsquam auditum facinus, consensum præbere cogunt?

Cathar. lib. de imag. Deor.

Eccli. 40.

Quam vero scite locutus est Oseas Propheta, cum hac super re agens, quam paucissimis ea complexus verbis ait, *Vinum & fornicatio auferunt cor homini*, ratione eum despoliant, passiones armant, animæque imperium ac dominium penitus perturbant &

Osee. 4.

Vinum & luxuria hominem in belluam mutant.

distrahunt. Duo nempe abominabilia hæc flagitia hominem in belluam mutant. Vetera aliunde exempla in testimonium arcessenda non sunt; respicite dumtaxat hunc Antipam, & videbitis Herodiadis illiciis, & vini ingluuie illi cor auferri, & in belluam ac pecuinos appetitus conuerti, vt vel dimidium regni lasciuiæ impudicæque offerat saltatriculæ, & virorum iustissimum morte cõdemnet.

Conuiuia causant mala varia

Hic finis est conuiuiorum mundanorum, Herodum scilicet furor, Herodiadum offensarum rabies, iustorum interemptio, sanctorum condemnatio, sanguinis humani effusio, Messiæ præcursoris decollatio, impudica stupidia, sanguinariæ postulationes, promissa inconsiderata, aliaque mala sexcenta; quæ spiritu Prophetico præuidens Jeremias, neminem non exhortatur, ne conuiuiis vnquam interfit, *Non ingrediaris domum conuiuij*. Conuiuia quippe loca sunt, in quibus de cæde perpetranda consulitur, proditionis coguntur conciliabula, homicidiorum ponuntur fomenta, & mortis intentandæ tribunalia eriguntur. Mille ad manum exempla sunt: Filij Job medias inter epulas ruina inuoluũtur, magnus Sacerdos, Simon, eiusque duo filij Judas & Joannes in mensa, à Ptolemæo oppressi contrucidantur, vti Machabæorum prodit historia: Amnon filius Dauid in conuiuio immissis percussoribus obtruncatur: Godolias Babylonicarum copiarum præfectus ab Ismaele mensas inter & vina & lautitias opprimitur: denique diues Epulo conuiuio & lautis ferculis viam sibi ad æternam damnationem strauit. Exclamare ergo merito licear, ô infortunata, horrenda, infelicia, & funesta conuiuia!

Ierem.5.

Iob.1.

1.Mach.16.

2.Reg.13.

Ierem.4.

Luc.16.

Nihil vero vmquam simile vidit mundus iis, quæ hodie in Herodis conuiuio peraguntur. In eo namque impudens fœmina, arrogans pellex, & incestuosa Herodias caput Joannis filij Zachariæ mercedem poscit, in eo Antipas iudicium, mentemque amittit, in eo temere inconsiderateque regni medium saltatrici leuiculæ cum iuramento offert, *Licet*, inquit, *dimidium regni mei petieris*. Et sane longe fuisset tibi satius, integrum regnum amisisse, quam tam illustrem virum tuo consensu caput amittere. Hic paulisper gressum fige anima mea, & mundi abusum cæcitatemque attenta meditatione intuere. Diuites, opulenti, & mundi huius magnates, liberales se, quin & prodigos aliquando & effusos in illicita, noxia, & animæ damnosa ostendunt, sed si quando virtutum, bonorumque operum res agitur, auaros & tenaces. Lusibus, tripudiis, Iaruis, conuiuiis, tapetiis deesse nihil potest, sed omnia impenduntur quam liberalissime; pauperibus è contra, egenis, præ rubore mendicare non ausis, & necessitate domi pressis vix teruntium dant, non suppetere sibi conquerentes. In fidicines, aulædos, mimos; histriones, meretrices & scorta, amorum conciliatrices, & patarios turpitudinis omnia effunduntur quam effusissime; sed in Ecclesiarum restaurationem, cœnobiorũ ac religiosorum alimenta, & xenodochia & ptochodochia si quid erogandum, mera vbique indigentia, parcimonia & auaritia.

Mundani effusi sunt in illicita, in sancta parci.

Vt rem ita se habere perspiciatis, videte vt in Dominica passione liberales se declarent Judæi in Redemptori vestibus dandis, sed ad eum magis inde affligendum, patentiusque eius ludibrium, data veste alba in Herodis domo, & coccinea in Caiphæ: sed dum turbas instruit, dum tot prodigia operatur, ægros sanitati restituit, ne vnam quidem illi datam legere est. Ita cosmophili, ceu noui quidam Judæi, cum de Deo exacerbando, vitiisq; admittendis agitur, merã vtique pompam crepant, & magnificentiam ostentant; sed si quod bonum suscipiendum opus, plebeios & triuiales passim animos videas.

Judæi liberales in Redemptore vestiendo, vt eum intiderent. *Matth.27.*

Veteres illi Hebræi aureum conflatuti vitulum, qui idololatriæ fuit occasio, nullis pepercerunt sumptibus, omne suum ilico aurum & argentum offerentes, ipsæ etiam mulieres armillas, monilia, inaures & cimelia: at cum cõstrui tabernaculum Deus cœli iussit, & pro sua quemque facultate ad eius constructionẽ contribuere, quam paucissimi vltro quid oblatum, aut de suis facultatibus grataner donatum venerunt. Non secus etiam hodierna die in mundo viuitur, si quando ho-

do honos Dei, aut rerum sanctarum promotio agitur, omnis ilico charitas extincta apparet; contra cum vanitati, & mundi ineptiis quid tribuendum, liberalitas inualescit, patent thesauri. Exemplo sit Herodes noster: forte in honorem & cultum diuinũ animæq; beatitudinem vix obolum pauperibus dedisset, & in lasciuias & peccatorum fomenta, & vt ne impudico displiceat scorto, medium regni vltro libenterque donat. Quin quod longe deterius, sanctissimi ac zelosissimi, si quis vnquam mundo visus, concionatoris caput offert.

Mundani honorẽ. Spectãtes parci, in vitium liberalitas effusi.

O ferales amores! ô libido detestabilis! ô luxuria summe damnabilis! quot tu mundum calamitatibus inuoluis? tu familias florentissimas euertis, domos turbas, respublicas mergis, regum palatia ad solum deiicis, templa profanas & altaria, per regna denique & prouincias incendia & flammam spargis. In huius rei figuram vidisse olim se Daniel ait efferatam quandam belluam vrso simillimam, cui dictum, *Surge, comede carnes plurimas*. Vera hæc luxuriæ imago est & libidinis. Est quippe bellua indomita, effera & ferox, cuius omne exercitium est deuorare carnes plurimas, id est, permultos vtriusque sexus mortales carnalibus illecebris irretitos in perniciem trahere. Atque ita ipsa nonnisi carnibus victitat ac pascitur, insurgitque ac sæuit in eos, qui easdem faucibus educere satagunt. Conabatur quo poterat modo Joannes Baptista vrsæ huius dentibus extrahere carnem, Herodiadem inquam, eamque Herodi auferre, sed in ipsum vrsa dentes exacuit, ac furorem omnem stringit, primo illi impetu caput abripiens.

Luxuriæ symbolum.

Refert 17. Apocalypseos capite hanc visionem Joannes: *Vidi*, inquit, *mulierem ebriam sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum*. Scio, qui mysterij huius penetralia accuratius rimantur, sanguinariam Synagogam in hac muliere signare: quid ni tamen moraliter & allegorico in sensu de luxuria capiatur? Vitium enim hoc mulieris sub imagine repræsentatur, quæ nonnisi innocuo potatur sanguine. Hausit nempe imprimis illa genetrix Vriæ sanguinem; discrimini obiecit illustris Josephi vitam in domo Putipharis, deniq; Joannis Baptistæ nostri in Herodis aula cruorem magna cum immanitate effudit. Longe etiam rei foret accommodatius, si quis mulierem illam Apocalypticam incestuosæ Herodiadis esse imaginem dixerit: ipsa namq; vere sanguinaria est mulier, sincero innocentium sanctorum, prædicatorum, etemicolarum, & Prophetarum sanguine saturata.

Apoc. 17.

Herodias assimilata mulieri sanguinariæ Apoc.

Inter Thomyridis Scytharum reginæ barbaram immanitatem hæc primum haudubie locum obtinet, quod Cyrum Persarum monarcham bello captum capite minui iusserit, & ipsum in vas plenum sanguine demergi, dicendo, *Satia te sanguine Cyre, quem sitisti*. Non minor aut mitior Herodiadis sæuitia est, quæ cognito iuratum aduersarium suũ Joannem Baptistam, virũ inter sanctos sanctissimũ, in Herodis agere carceribus, caput illi præcidi, & in disco medias inter epulas adferri mandat, vt vindictæ cupidissimum animum tabido hoc cruore manante satiaret.

Trogus Pompeius Iustin. lib. 1.

Docet Genesis lasciuæ heræ accusatione & machinis castissimum æque ac sanctissimum adolescentem Josephum in carceres coniectum, quasi ipse heræ eiusdem pudori insidias struxisset, & præsentissimum hoc nomine vitæ discrimen adiisse. Ibi quidem Putipharis vxor est adulterium molita; hic vero Philippi vxor tetro in incestu viuens, innocentem sanctumq; Joannem in vincula compingi iubet, eius vitæ & perniciem molitur & insidias, & tandem ceruices eiusdem præcisas deposcit. Cui Herodes venereo excæcatus fascino haud grauate mortem gerit.

Gen. 39.

Mira sunt ac præclara, quæ huius occasione scribit S. Ambros. *Samson*, inquit, *validus & fortis leonem suffocauit, sed amorẽ suum suffocare non potuit; vincula soluit hostiũ, sed suarum non soluit nexus cupiditatũ, messes incẽdit alienas, sed vnius ipse mulieris accensus igniculo messem suarum virtutũ amisit*. Verba hæc non inelegant impudicis Herodis regis amoribus accommodari queant, qui Herodiadem ardens, honoris, famæ simul & animæ iacturam fecit. Ex iisdem omnes itidem discimus, nihil adeo vehemens ac violẽtum, nihil for-

Lib. 1. de Dauid.

Nihil amore muliebri fortius.

midandum magis, quam mulieris cuiuspiam cupiditate inardescere, vbi firmas ea semel in viri animo radices egit. Et si vel vniuersum domet orbem, & vniuersos suo subiiciat iugo, ab hac tamen passione miser subiugabitur.

Inter primaria Salomonis Prouerbia non postremum hoc obtinet locum, *Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena, insidiabitur in via quasi leæna, & quos incautos inuenet, interficiet.* An non hoc liquido in Herodiade patescit? an non ipsa præcipitium, fouea, abyssus, & angusti orificij puteus fuit, in quem cum miser Herodes delapsus esset incautus, nunquam eodem potuit educi? an non velut sanguinaria quædam fuit leæna, in Herodis regia grassans & insidias struens, vt viros innocuos intercipiat? an non Joannem Baptistam nihil minus opinantem adorta est, & vita spoliauit?

Prou. 23.

S. Ambrosius sanguinariam hanc mulierem introrsum & foris contemplatus, & eius impudentiam, crudelitatem, impietatem immanitatemq; abominatus, illius occasione in vniuersum omnino sexum inuehitur & detonat: *Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis persecutio, noxiumq; genus est fœmina, cum proximat, ignem accendit.* Sanctus Joannes Chrysostomus homilia in hoc ipso festo habita longius progreditur, maiorem indignationem præfert, & viuacioribus Herodiadem hanc coloribus depingit: *Ioannem Baptistam in deserto viuentem dracones & aspides cornuta subdita feritate tremuerunt, Herodias vero eidem caput abscidit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit.*

Lib. de offic.

In festo decoll. S. Ioan. Bapt.

Quapropter rei atrocitate cõcitatus, & iracundiæ & indignationi suæ habenas laxãs, exclamat: *O summum malum & acutissimum diaboli telum mulier! per mulierẽ Adam ab initio in paradiso cecidit, mulier ipsum exterminauit.* Audite & alia longe terriora & indigniora: *Per te bella fiunt, per te sapientes se perdunt, per te Sancti occisi sunt, per te ciuitates combustæ sunt, per te vita perdita est, per te mors inuenta est, per te diuites paupe es, per te pulcri turpes, per te fortes debiles, per te veraces mendaces, per te casti luxuriosi, per te humiles superbi, per te pœnitentes inobedientes, & Deo odibiles fiunt, &c.* Quid porro in malignarum mulierum dedecus & ignominiam dici amplius posset? quapropter pluribus hac de re non agam, atq; inde ad aliud concionis membrum digrediar.

Ibid.

Fœminæ multorum malorum causa.

IV.

Audistis, Auditores, quibus tum Herodiadis scelus verbis expressérim, cuius occasione de malis in genere mulieribus, deque earum affectibus sermonem instituí, tum vero Herodis & immanitatem & impietatem, qui impudicis lasciuæ huius mulieris captus amoribus in Angeli humana in carne in terra agentis vitam conspirauit. Reliquum iam est, vt sancti huius viri merita eiusq; mortis diritatem vobis exponam. Sed heu! interiora hic mea ad inuicem colliduntur, cor mihi palpitat, sanguis intra venas congelascit, stant præ metu comæ, toto vultu expallesco, oculi caligant, Spiritus omnino confunditur, lingua sonum negat, & halitum pulmones non sufficiunt, vt adeo ferale supplicium, mortem adeo tragicam, tam cruentum martyrium pro dignitate exprimam. Quid? scelerum magnitudo virtutum è mundo aufert lumina ac decora, de innocentia triumphat iniquitas, libido castitatis florem cogit emarcescere, Herodem in S. Joannis Baptistæ necem consentit.

Exaggeratio martyrij S. Joan. Bapt.

O rem nouam & inauditam! ô paradoxa! ô prodigia! S. Joannes virtutum Academia, vitæ piæ instituendæ magisterium, sanctitatis norma, iustitiæ forma, virginitatis speculum, pudicitiæ vexillum, castitatis exemplar, pœnitentiæ triumphus, solitudinis gloria, & fidei pater: Joannes inquam homine maior & dignior, Angelis par, legis compendium, Euangelij pretium, Apostolorum vox, Prophetarum omnium silentium, lux mundi, Jesu Christi prodromus, Judicis præco, Domini tuba, Dei testis, vniuersæ SS. Trinitatis delicium, mundi miraculum, incestui, adulterio, meretrici infami vltro offertur? ô nimium iniquas abominationes, & abominandas nimis ah! iniquitates!

Joannis Baptistæ elogia.

Sceleatus & sanguinarius tyrannus veritate hac & salutaribus Joannis commonitionibus irritatus, caput illi præcidi iubet. Immane & cruentum mandatum, & impietas

Capitis S. Joannis elogia.

tas nimis quam enormis, caput illud præseeare diuinum, tanta sapientia ac virtutibus instructum, quod continebat duos illos oculos qui Spiritum sanctum iam olim in specie columbæ descendentem viderant; caput illud illas habens aures, quæ magni illius Patris cœlestis vocem exceperant, caput inquã illud, illa donatum lingua, quæ tot sanctas prædicationes fecerat, tot Deo laudes dederat, tot efficaces ad superos preces effuderat: lingua inquam illa, quæ sacra illa prolocuta erat verba, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; quæ cœlo terræque admirationem mouerant.

V. Pharaonis & Herodis crudelitas.

Pharao Ægypti rex natalem suum solenni celebrans epulo, crudeli illud cæde fœdauit, dum ea ipsa die pistorem suum de medio tolli iubet, dici sacri lætitiam ac plausum ferali interturbans morte. Hic vero non minor conspicitur crudelitas: Herodes enim tyrannus, quo primum die in cœlestis editus est aures, eo etiam mediàs inter epulas & tripudia Ecclesiastæ suo, qui vitæ panem (de quo Prophetæ dicunt, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret*) illi propinabat, caput præcidi imperat. Vnde tyranni huius crudelitas colligi potest, & simul haud diuturnam eam fore, cum adeo prodigiose grassari incipiat.

Genes. 44.

Naturæ portentum Nero, hominum carnificina, diuinitatis omnis explosor, cum in deorum omnium simulacris & Cæsarum statuis capita deturbari iussisset: senatus rei attrocitate turbatus, cõsulendos augures censuit, responsum est, euidens hoc signum esse, breui Neronis fore imperium vt finem accipiat; quod nefas esset eum qui nec diuorum, nec hominum capitibus parceret, mundi vniuersi caput esse. Viso ergo hodie Herodem in Deum simul & homines, & inprimis Ioannem Baptistam insurgere, caput illi auferri dum mandat, auguror & conijcio, non diu illum fore superstitem: diuos quippe & cœlum offendens, diutius in terra qui imperet, prorsus indignus est.

Richard. Iun. lib. 1.

Herodes Neroni assimilatus.

Ergo in sancti huius viri vitam conspirat, illius de medio tollendi rationes & consilia agitat, denique caput eius velut donatium & honorarium adulteræ consignat. Sanctus autem Propheta sententiam æquo animo fert, ensi collum præbet, tyrannique impietati feritatique cedit, & ad mortem vsque pro iustitiæ tuitione decertat, consilium Scripturæ secutus, *Vsque ad mortem certa pro iustitia.* Magnus sane martyr & longe omnes mundi martyres transcendens, eo quod ob Christum dirissimam mortem oppetierit, antequam etiam pro ipso Christus in cruce moreretur. Gæteri martyres suum secuti sunt ducem, non vero præcessere; illũ prius morientem conspexere, ac deinde palæstram ac certaminis ingressi locum, eius ad exemplum & imitationem vitam & animam pro ipso exposuerunt.

Eccli. 4.

S. Ioannes omnes martyres superauit.

Mortuus deinde est sine vllo consolationis externæ auxilio, quod vix vlli Sanctorũ legimus contigisse S. Stephanus Protomartyr magnos haud dubie cruciatus perferebat, vti è sacra Actorum historia legenti fit manifestum; sed videbat quoque cœlos apertos, & Iesum stantem ad dexteram Dei Patris, quod incredibilem illi consolationem afferebat; adeo quidem magnam, vt saxorum imbrem minime sentiens, nec mortis perhorrescens agonem, gaudio satur exclamarit: *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextera virtutis Dei.* Idipsum & reliquis sanctis certum est contigisse, qui suis supplicijs & tormẽtis aliqua semper recreatione cœlesti, ac consolatione mentis interna perfusi sunt. Verum sanctus Ioannes Baptista patitur cœlo etiamnum obserato, aditu eius vndiquaque occluso, & cum nemo adhuc in ipsum penetrasset.

Actor. 7.

Sanctus Gregorius Nazianzenus Machabæorum martyrum elogium texens, hoc potissimum eos dilaudat nomine, quod ante Christum passum mortem subierint, & nullo præambulo illo exemplo pro Deo occumbere non dubitarint. *Nam*, inquit, *qui ante Christi passionem subiere martyrium, quid post Christum in persecutione, eiusque pro nobis obita morte imitatione facturi fuissent? quorum enim nullo proposito exemplo, tales tantaque virtus fuit, an non ii exemplum illud intuentes, fortius in certamen descendissent?* Verba hæc quam verissima sunt: nam in generoso aliquo facinore nimũ dandum patrando, quale est mors subeunda, nihil ad ani-

Greg. Naz. orat. 10.

Exemplum permultum valet ad animam

animos suggerendos potentius, quam illorũ exemplum, qui hoc ante nos iter calcarunt.

Apostolus ergo Paulus hac in re, vti in ceteris versatissimus, ad fideles animãdos, eosque ad mortem Christi causa subeundam inflammandos, illius ipsis exemplum duntaxat ob oculos ponit, dicẽs, *Curramus ad propositũ nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Atq; hæc efficax & prægnans est ratio, ecquis enim hoc exemplum conspicatus, non in certamina promptus erat, & ad certandum animos sumat! *Hebr. 12.*

Hinc etiam Saulis armiger, cum antea mortis formidine corriperetur, regem in proprium incubuisse ferrum conspicatus, vitam etiam contempsit, eiusque exemplo ad mortem subeundam se animauit. Ioannes tamen noster, Christi exemplo nondum conspecto, insigni mentis cum constantia martyrio se obtulit. Atque hanc ob causam Ecclesia eius celebrans præconia, eo illum condecorat epitheto, quali non alios martyres, dum *martyrem prapotentem* indigetat: vt enim mortem, quam subijt, oppetat, ingenti illum animo & maxima mentis potentia præditum fuisse oportet. *1. Reg. vlt.*

Inter alias visiones vidisse ait se Ioannes Satanam ab Angelo colligatum, & beates cum Iesu regnantes, hinc ait: *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & Verbum Dei & qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius; nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis.* Minime dubitandum est, quin Ioannem Baptistã hæc spectat visio, atque is inter decollatos princeps fuerit; ipse namque propter testimonium Iesu Christi (scriptum est namque, *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*) & verbum Dei, quod apud Herodem prædicare non est veritus, capite est imminutus, neque tetram illam belluam adorauit, id est, incestuosæ pellici non est assentatus. *Apoc. 20.*

Visio Apocalypseos Ioanni Baptistæ accõmodata. *Ioan. 10.*

Impietas Herodis detestabilis.

Exploratissimum est ergo, tyranni huius, dum sanctissimum hunc virum neci addicit, crimen, scelus, impietatem in tantum abominabilia, & ingentia fuisse, quantæ fuere è contra perfectiones, virtutes & merita eius, cui mortem intulit. In hoc namque scelere tria alia continentur summe atrocia: Angelum namque de medio sustulit; Ecclesiæ lumen exstinxit, & capite minuit eum, quo maior aut dignior inter homines, etiam Iesu Christi testimonio non comparuit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Vere inquam Angelum de medio sustulit: Ioannes enim Baptista adeo diuinus & vita mirabilis fuit, vt nonnulli eius excellentiam nimium quantum exaggerantes, vere naturam Angelum, ac de spiritibus illis cœlestibus vnum fuisse existimarint: quod Origenem docere voluisse fit verisimile. Quin imo asserit * Eusebius fuisse nonnullos dignitatis tanti huius viri extollendæ in tantum studiosos, vt non hominem cæteris parem, sed Angelum aut dæmonem fuisse eum sint arbitrati. Sed euidens hic est error, & intolerabilis blasphemia, quæ vel vnico verbo Euangelistæ iugulatur & condemnatur dicentis: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes:* vnde manifestum fit, verum illum hominem, alijs mortalitate non dissimilem, exstitisse. *Hom. 5. in Ioan.* * *Lib. 9. Demonstr. Euang. c. 5.*

Erat ergo officio duntaxat, non natura Angelus; atque ob similitudines, congruentias, conuenientias, parallela & admirabilem cum Angelis sympathiam, Angelico dictus est nomine. Vt enim Angeli primo pueritiam & insciam rerum ætatem ignorant, omnesque liberi arbitrij vsu & exercitio iam inde è primo creationis suæ instanti donati sunt: non secus & S. Ioannes Baptista, quoad ea, quæ animam spectant, quid puerum esse sit, nescivit; cum sexto à conceptione sua mense vaticinatus, & rationis sit vsu insignitus, quando scilicet matrem eius Deipara visitat, ad Domini ac Dei sui conspectum præsentiamque exultans, & præ mentis gaudio materno in vtero subsultans. Cur Ioannes dicatur Angelus.

Secundo, Angeli, indigenæ illi cœlorum, visibili non vescuntur cibo, quali ceteræ creaturæ: vti hoc ipsum Raphael Tobiæ significauit dicens: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Eodem *Tob. 12.*

dem prope cibo vtebatur Ioannes; nam ait de illo Redemptor apud Matthæum, eximiam eius commendans abstinentiam, *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, &c.* Matth. 11. Quamobrem ad ieiunia ciborumque abstinentiam auditores suos animans S. Basilius, vniuersam Ioannis vitã perpetuum ait fuisse ieiunium, adeo vt vitam talem ducendo, & tam modico ac parco vtendo cibo, Angelus reuera terrestris fuisse videatur. Basil. de vir.

Tertio, Angeli purissimi sunt, & ab omni carnis inquinatione quam liberrimi. Hinc beati in Euangelio ob eximiam castitatem, in cœlo Angelis dicuntur futuri persimiles, *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Atqui Ioannes puritatem adeo integram inuiolatamque seruauit, nulla vt vnquam vel minima eam labecula infecerit. Cor quippe eius semper mundum fuit, mores & agendi ratio quam honestissima, oculi puritatem spirantes, vita innocens. Quocirca non immerito Angelus est appellatus, eumque morte condemnans tyrannus, Angelum sustulisse censendus est. Matth. 22.

Nec vero hoc solum nomine culpandus, verum etiam quod lucernam illam ac facem extinxerit, quæ per deserta Iudææ lucebat & ardebat: de illo namque scriptum est, *Erat lucerna ardens & lucens.* Hoc porro donatus est nomine, eo quod lucerna nonnisi sub noctis tenebras accendatur, & die plena extinguatur sole iam omnia collustrante. Veteris legis tempus, nox erat & tenebræ. Euangelicæ vero dies & splendor. Vnde Apostolus Gentium, *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*; id est, Iudaismi legaliumque cæremoniarum nox iam præterijt, Euangelij legisque gratiæ dies accessit. Quandiu ergo Iesus Christus, magnus ille iustitiæ sol, nondum illuxit, nec Euangelij sui radios diffudit, S. Ioannes facis instar omnes illuminauit; at postquam ille manifestari iam cœpit & illucescere, hic se subduxit, lucerna exstincta est, & Ioannes ab Herode interfectus. Præsagijt hoc ipsemet, dum de se ac Redemptore simul ait: *Illum oportet crescere, me autem minui:* oportet inquam in crucem illum tolli & eleuari, me vero abbreuiari, ac capite imminui. Ioannes dictus lucerna. Ioan. 5. Rom. 13. Ioan. 6.

Secundo lucernæ lumen modicum est, nec multos illuminat, sed eos tantummodo, qui in eadem versantur domo: sol vero per omnia lumen & radios spargit, splendoreque minima quæque illustrat. Sic Ioannes lampadis cuiusdam ac candelæ instar solum luxit, Palæstinæ limites eius lumen non est egressum, ac solos Iudæos, ad quos missus erat, illuminauit: at Iesus Christus rutilans ille sol, per omnes mundi angulos lucem & radios dispersit: ac propterea dicitur in Euangelio, *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* quin & hoc ipse se nomine insigniuit dicens: *Ego sum lux mundi,* atque eamdem ob causam Apostoli eiusdem, lux etiam orbis sunt nuncupati (*vos estis lux mundi,*) eo quod per omnia mundi regna & climata profecti, concionati, & visi sunt. Christus solis instar omnes illuminauit. Ioan. 3. Ioan. 1. Matth. 5.

Tertio, lucernæ lux claritatem quidem diffundit, & aliquatenus illuminat, sed non fœcundat: cum è contra solis splendor afferat lumen, & terræ fruges producat, vegetet, & in omnia terrena & subterranea influxum præstet, metalla namque sublimat, animalibus vitam, plantis vigorem & virorem suppeditat, ac sexcentas alias omnium rerum naturalium generationes, productiones ac natiuitates causatur. Sic Ioannes in deserto quidem rutilabat, & prædicationibus suis splendebat, sed animarum conuertendarum ac iustificandarum virtutem à seipso nõ habebat. Solius Dei enim est huiusmodi præstare, atque hoc penitus à sola Dei potentia, non autem hominum robore dependebat. Testatur hoc & Apostolus Paulus dicens: *Ego plantaui,* prædicando & docendo, pœnitentiam, virtutes, amorem Dei, mundi contemptum erga proximum dilectionem, aliaque plurima tradendo: *Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit: sed neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3.

VI.

Herodes ergo Ioannem ensi subiiciendo, rutilantissima orbem est lucerna frustratus, Angelum illi abstulit, quin & sanctissimum ac maximum, si quem vmquam sol conspexit, mundo virum inuidit. Hoc de illo iudicium suo Veritas ipsa ore in Euangelio dedit, dicens: *Inter natos mulierũ non surrexit maior* Matth. 11.

S. Ioannes hominum sanctorum habitus sanctissimus.

Luc. 1.

S. Ambr.

nior Ioanne Baptista. In huius porro iudicij confirmationem facit hoc Angeli de illo apud Zachariam patrem testimonium, *Et multi in natiuitate eius gaudebunt, erit enim magnus coram Domino.* Porro *coram Domino* varie a SS. Patribus exponitur. Credit namque Ambrosius, Angelum his verbis magnitudinem hanc à coporali & sæculari distinguere voluisse, quod Ioannis magnitudo talis non fuerit, sed quædam sanctitatis, virtutis, & muneris, quod exercituras erat, excellentia.

Theophyl.

Theophylactus putat, hoc pacto inter illius & hypocritarum magnitudinem factum discrimen, qui cum coram Deo nihil prorsus sint, magni tamen coram mundo compareant. Nuperi denique ac neoterici quidam commentatores phrasin esse Hebraicam volunt, ad eximiam aliquam claritudinem exprimendam vsurpari solitam. Vti & illa locutio Geneseos qua insigne Nemrodi robur exprimitur: *Nemroth robustissimus venator coram Dom no.*

Gen. 10.

Triplex magnitudo.

Ceterum vt morale aliquid afferam, non erit prorsus proposito dissentaneum, si quod legendo obseruaui, huc accersam; tripliciter scilicet quid magnum dici posse, coram se, coram hominibus, coram Deo; & triplici hac magnitudine comprehenditur omnis, quæ fingi darique in mundo magnitudo potest. S. Ioannes vero duplici posteriori magnitudine, præ omnibus terræ magnatibus magnus fuit, non vero priori: coram se enim & in oculis suis ac suijpsius iudicio paruus fuit, seipsum parui fecit, vt nihilum habuit, nonnisi infima quæq; ambiuit, ac delitescere studuit; quin magnitudinis suæ titulos ac qualitates exprimere iussus, aliud se negauit esse, quam vocem clamantis in deserto.

Is ergo coram se magnus est, qui se arbitratur magnum, sublime quid de seipso sentit, seque effert & extollit. De hac magnitudine exponit locum illum Isaiæ, *Inducit super mentem magnam*, S. Basilius qui vero hoc magnus est modo, vere magnus non est: quin potius eo quod magnum se credat, deprimitur, minoratur, omnique meriti sui claritudine priuatur. Hoc porro de se ipso Psalmographus testatur, aitque nihil se huiusmodi de se vnquam sensisse; *Non ambulaui, inquit, in magnis, nec in mirabilibus super me si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.* Imitatus est hoc Ioannes noster, intraque contemptus sui limites consistens, ac nihili sui consideratione semper præ oculis habens, magni nunquam quid de se ipso sensit, sed humilitatem in omnibus passim prætulit, quam sane adeo ipse eminentem habuit, vt pro Messia habitus, atque, vt D. Augustinus obseruat, cum hominibus imponere, ijsque certo persuadere potuisset, se Christum esse, nihil simile quid vnquam cogitarit nedum fecerit, sed libere & palam omnibus, magna sane mentis demissione de Messia dixerit, *Non sum ego dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Zebedæi filij, inani de se ipsis opinione oppleti, dextras & sinistras in regno Christi, & summas identidem dignitates apud eum ambiebant, & ecce magni Zachariæ filius, qui ad illius accidat pedes, & calceos dissoluat, indignum se arbitratur.

Psal. 130.

Tract. 4. *in Ioan.*

Secundo, is coram hominibus magnus est, qui hominum opinione ac iudicio magnus habetur. Hoc etiam magnitudinis ab hominum æstimatione ac sententia dependentis genus, summum & proxime admirabile in Ioanne Baptista fuit. Primo namque tantæ creditus est fuisse sanctitatis ac vitæ integritatis, vt plurimi eum vt Messiam suspexerint, vti Lucæ 3. proditur. Deinde quod eius testimonio omnes ad vnum Euangelistæ sint ad Iesu Christi veritatem contra incredulos adstruendam vsi: vnde liquido patescit, magnum illum coram hominibus fuisse. Quod vero maxime mirandum est, ad hanc ille magnitudinem peruenit, & illustre hoc sibi apud omnes passim nomen peperit, non miraculorum aut prodigiosorum operum patratione, sed sola vitæ sanctimonia: quod sane, nisi viuendi eius ratio excellentissima & perfectissima fuisset, omnibusq; admirationem mouisset, numquam contigisset.

S. Ioannes coram hominibus magnus etiam fuit.

Luc. 3.

Tertium magnitudinis genus est, esse magnum coram Deo, in quo solida ac genuina sita est magnitudo. Et næ ille vere magnus ac clarus, qui ea habet, in quibus hæcce consistit magnitudo. In eo vero sita est, quod magnus

gnus habeatur ab eo, qui falli in iudicādo nequit, quiq; infinitæ cuiusdam perfectionis & magnitudinis est. Tantus sane adeoque magnus fuit Ioannes Baptista, si quidem eius virtutem & officiū spectemus. Officio namque omnes qui præcesserunt Prophetas præcelluit; teste Redemptore ipso, qui apud Lucam hoc de illo fert iudicium, *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est.* Quoad virtutem vero & sanctitatem magnitudo eius eluxit primo per admirabilem illā pœnitentiam, per incomparabilem vitę puritatem, per summam animi demissionem, per prædicandi zelum, & austeram triginta annorum spatio in desertis Palæstinæ vitæ conuersationē. Vnde merito de illo dixit Zachariæ Angelus, *Erit enim magnus coram Domino.* Scelestus porro ac nefarius Herodes hāc imminuere magnitudinem dum cogitat, illi caput præscindi jubet: verum caput, quo nullum exstitit, sapientius prudentius ac sanctius.

Luc. 7.

Richardus Brixiens.

Pictor quidam ingeniosus expressit alias hominem quadruplici instructum capite, cū tamen nonnisi vnicum singulis natura attribuat. Primo nomen erat prouidentię, secūdo sapientiæ, tertio virtutis, & postremo fortunæ: qua portentosa imagine designabat, quatuor hæc concurrere & coniungi debere ad perfectum aliquod caput constituēdum. Cui vero dubium sit, quin huiusmodi Ioannis nostri fuerit caput, & quadruplex hæc perfectio pariter in illo concurrerit? Quem enim vnquam vidit orbis, qui maiori fuerit illo donatus prouidentia, qui etiam altiori & eminentiori sapiētia? missus quippe à Deo est ad scientiam non vni duntaxat prouincię, vti ceteri Apostolorum, sicut Petrus Romæ, S. Andreas Achaiæ, S. Thomas Indiæ, sed orbi vniuerso communicandam. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* quin etiam illum testatus est Zacharias pater veniisse *ad dandā scientiam salutis plebi eius.* Quis etiam maiores sibi assiduo exercitio virtutes comparauit? hinc Angelus est cœlitus nominatus, & terræ eum incolæ vt Deum suspexerunt. Adeo autem fortunatus exstitit, vt mox illo nato, dicere vicini cœperint, *Quis putas puer iste erit?* Quā merito ergo de illo dici illud Sapientis potest, *Benedictio omnium gentium super caput eius?*

Emblema ad excipiendum caput sapiens.

Ioan. 1.

Prou. 10.

Hæc igitur, auditores, vita & mors, laudes & aduersitates, benedictiones & persecutiones, prædicationes & martyrium S. Ioannis Baptistæ. Ab hoc ergo armamentario omnigena jam arma vestrum est educere, ad vos ipsos contra carnem, mundum & diabolum defendendos. E regio hoc horto omne odoriferorum, & egregiorum florum genus decerpite. Hic scilicet turris est Dauid, è qua omnis armatura fortium & panoplia dependet, ab hoc concionatores verbi Dei annuntiandi zelum, peccatorum coarguendorum charitatem, & coram regibus & magnatibus sæculi audacter concionandi animum ac libertatem discant: Eremitæ & Religiosi solitudinis seruandæ leges, austeritatis regulas, vitæ monasticæ perfectionem: viri justi notēt quod in mundo occurrit periculum, mulierum nequitiam, tyrannorum immanitatē, & quæ viris sanctis in aulis Principum imminent discrimina: Dei serui constans hic obseruent propositum ad omnia pro Dei amore æquanimiter toleranda, cruces & tormenta patienda, cruciatus & supplicia perferenda, & si necesse fuerit, ad collum gladio submittendum, vitamq;, si se offerat occasio, eius nomine exponendam, à quo eandem acceperunt.

Cant. 3.

Tu vero Deus æterne ac viuens gratiam nobis præsta, vt tam præclaro in ludo tam egregie proficiamus. Linguam, obsecro, concede ad verbum tuum interrite annunciandum, zelum ad errantes corrigendos, constātiam ad tormenta superanda, & propositum ad omnia pro te, etiam cum vitæ dispendio, tolerāda. Da, vt admirabilis huius filij Zachariæ, Angeli incarnati, & hominis Angelici, Doctoris solitudinis, prædicatoris Regum, terroris Herodiadum, aulicorum flagelli, tripudiorum censoris exemplo, tuam discamus iustitiam propugnare, gloriam & honorem diuinum zelari, animarum salutem procurare, scandalis occurrere, peccata coarguere, Herodi similes reprehendere, & aduersus incestus detonare. Discamus, inquam, ad glorioſi ac beati huius martyris imitationem, insignem patientiæ virtutem ad carceres ac ferrum, rabiem & violentiam, iniustitiam & iniqui-

quitatem & omnia aduersa ferenda, etiam vitæ jacturam faciendam: sed inprimis profundam illã humilitatis virtutem, quo nos ipsos despiciamus despiciẽdo reliqua, eo quod primus ille ad cœlestem gloriam sit gradus, ad quam nos Pater, nos Filius, nos Spiritus S. deducere dignentur. Amen.

IN FESTO NATIVITATIS DEIPARÆ VIRGINIS.

Partitio.

1. *De infelicitate natalium mortalium.*
2. *De nata Seruatrice: sed cur tam sero?*
3. *De gaudio ex Nata concepto.*
4. *De festiuitate gaudij ex Nata.*
5. *De Nata meritis.*

De qua natus est Iesus, qui dicitur Christus, Matth. 1.

FIGVRA.

Gen. 40. VEteres Ægyptij pro more habebant Auditores publico quodam festo & applausu Principum suorum natalem celebrare, vt è quadragesimo Geneseos capite colligi datur. Longe maiori cũ ratione fideles & Christiani, magno lætitiæ & exultationis testimonio, hodie & singulis etiam annis, beatum ac felicem natalem Principis suæ, id est, Deiparæ Virginis hominum simul & Angelorum Dominæ ac Reginæ celebrare possunt. Hoc est, quod hodie colit & veneratur Ecclesia, quod vniuersa celebrat Christianitas, quod cœlum terramq; lætificat, quod præsenti concione & celebrare & deprædicare conabor, euiusque laudes, triumphos & mirabilia canam: tu sacra Virgo cymbam nostram dirige, cumque tui causa nauigationem instituerimus, tu nobis cynosura & helice esto, tuisque ad Deum intercessionibus præsta, vt Spiritus S. flabrum auramq; propitiam sentiamus. Atq; hunc in finem salutationem Angelicam omnes pronuntiabimus.

AVE MARIA.

Magna eorum dementia & insania erat, auditores, qui vitæ huius miseræ & ærumnosæ dulcedine inescati felicem ac fortunatum eum putabant diem, quo in mundũ exierant, & sui amore dementati, omni eum plausu celebrabant: si enim oculos coniecerimus in id, quod vitæ nobis parat introitus, ingressus, commoratio & vita, quam in ipso viuimus, exiguam gaudendi, sed plurimas lachrymandi dolendiq; occasiones reperiemus. Et sane iniquum & impar videatur & rationi aduersatium, diem illum ab homine interbeatos & albo notandos calculo referri, quo magna cũ infamia in carcerem cõiectus est, gehennam passus est, & quo nõ prius egressurus est, quã dum ad supplicium rapietur. Idem nobis in vitæ huius introitu contingere solet, mundũ enim hunc intrantes tristem quendam ingredimur carcerẽ, in quo mille tormenta & mille cruciatus pati debemus, nec eo prius egredi datur, quam ad mortem dum rapimur, nefas igitur & indignum diem illum inter felices recenlere. L.

Fatuitas natalem suum celebrantiũ.

Mundus hichominis est carcer.

Hoc perspectum habens Plinius, quamuis alioquin veti Dei cultus ignarus, diem natalem suum detestabatur, & cum natura expostulabat, quod erga cætera se animalia vt matrem, erga hominem vero solum, vt nouercã, se exhibuisset. Nec immerito ea expostulatio deprompta, certumq; est, hominẽ quamprimum vt in mundum editus est, duplici carceri includi, corpori quidem animam, & corpus mundo, è quo post primos exantlatos labores non prius egredi dabitur, quam in cineres & putredinem conuertemur.

Plinius de natura expostulabat.

Egregia hoc figura è libro Exodi deprompta faciet manifestius. Moyses è stirpe Leui prognatus mox vt natus est, in profluentem deijcitur, & Ægyptiarum aquarum impetum experiri cogitur, *Posuit q; infantulum intus, & exposuit eum in caricẽ ripæ fluminis* Calamitatis nostræ augurium & signum manifestum nos quamprimum vt nati in hunc mundum venimus, vitæ infortunijs obnoxios & fluctibus, milleq; aduersitatum hoc in mundo occurrentium vorticibus expositos esse.

Exod. 2.

Hæc

Duo Philosophi diuersingenij

Hæc fuit causa, cur duo Philosophi nimiũ quantum inter se discrepantes vitæ inanias & aduersitatem hic risu, ille fletu exceperit: suã prior natiuitatem natalemque deridebat explodebatq; dum quibus nos illa malis inuolueret, perpenderet, & huic nomen Democriti, alter dum vitæ calamitates sibi ob oculos poneret, in lacrymas resoluebatur, ac nullo non tempore ingemiscebat, Heraclitus scilicet.

Non discrepat multum filiorum Israel historia, in Babylonem enim captiui abducti, in clima barbarũ & immite cum ab inimicis ad patria carmina decantanda inuitarentur, omnem risum perosi, lacrymãtes gemiscentesq; dicebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Idem quoque homo cœlo extorris, & in mundi captiuitatem mundiq; tyrannidem redactus respondeat, cum inimici illum ad risum & iniquitates sæculi consectandas inuitant, cogitet, inquam, se in loco ærumnoso, & immiti climate versari. Quis igitur rideat, gaudeatue in vita tam molesta miseraq; constitutus?

Psal. 136.

Thracum mos.

Thraces immanitate ac feritate barbari, vitæ huius afflictionem & ærumnas perspectas cum haberent, in filiorum natiuitate plorabant, cum tam miseram & ærumnosam illos ingredi vitam viderent, in eorum vero morte ac funere plaudebant ac lætabantur, q tam periculosam nauigationem cõfecissent, & vitæ huius captiuitate soluti, vitæ alterius gaudiorum suauitatisque compotes facti essent.

Plut. in consolatio ad Apollon.

Huic consuetudini quam proxime accedebant Ægypti, diem enim natalem suum negligentes vnicum mortis & funeris præ oculis habebant, vtq; nunquam illum animo exuerent, mortis imaginem epulis inferri mandabant, eam amplectentes, ac velut miseriarum suarum finem, ac felicitatis initium habentes.

Refert Antipatrum Sidonium Poetam Valerius Maximus diem natalem suum detestatum semper fuisse, quod vnico hoc die semper ægrotaret, & eodem etiam exstinctus sit, vt qui vitam ei dederat Sol, idem quoq; mortem & interitum afferret, quique vitæ fuerat introitus, foret & exitus. Merito igitur diem hunc detestari poterat, eumque vt feralem & nigro dignum lapillo auersari, vt qui mortalis ei fuerit & extremus.

Nemini igitur mirum aut nouum videri debet, si gentiles hi primum dierum suorum ita sint detestati, eumque dierum esse duxerint acerbissimum: cum & Iob, qui Dei cognitione fuit imbutus, eundem diris deuouerit ac maledictione prosciderit, *Maledixit diei suo & locutus est, pereat dies quo natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo, dies ille vertatur in tenebras.* Quin & impatientiæ limites egressus in recensendis ærumnis pergit dicens, *Quare de vulua egressus sum? qui vtinam consumptus essem, essem quasi non essem.*

Iob 3.

Iob maledicit diei natali.

Gen. 47.

Quam vitam hanc auersaretur, quamque illius molestias ægre ferret, satis Iacob Patriarcha declarauit: Pharao namq; ætatem illius scisitatus ait, *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* cui ille respondit, *Dies peregrinationis meæ centum & triginta anni, sunt, parui & mali.* Tanto cum vixisset tempore, nonnisi minimo se vixisse credebat, vitæ enim huius ærumnas & calamitates sibi proponens credebat vitam mortis potius, mortem vero vitæ nomine appellandam esse

Iacob vitæ huius miserias dolebat

Atque ideo Ecclesia à Spiritu Sancto edocta, diem natalem Sanctorum non celebrat, sed eum quo ex hac vita abierunt, ac præter mundi consuetudinem diem mortis, eorum *natalitia*, nuncupat. Adeo vt nonnisi trium dies natales Sanctorum celebret, ceteros vero deplorare videatur, Iesu Christi scilicet, Beatæ Virginis, & Ioannis Baptistæ, Filij inquam, matris ac clientis, prioris ante natiuitatem, secundæ in conceptione, natura sanctificati, Deiparæ igitur natiuitas inter feliciores natiuitates numerari potest, cuius hodie Ecclesia memoriam recolit, & Euangelio hoc hodierno continetur: vt vero in illius expositione gaudendi quoq; & exultandi sit occasio, primo de festi huius celebritate, deinde de illius quæ hodie nascitur & celebratur meritis & dignitate loquar.

Ecclesia diẽ mortis sanctorum natalem nuncupat.

II.

Quo tempore nata Deipara.

Primo itaq; felix ac beata gloriosæ Virginis ac Dei matris natiuitas, ex Abulensis supputandi ratione contigit anno mundi MMM. DCCCC. XLVII. & à transmigratione è captiuitate Babylonica DLXXVI. & ab

vrbe condita DCCXXXVIII. vigesimo secundo Imperij Augusti, secundum Danielis hebdomades, hebdomade LXIV. cum Herodes Ethnicus alienigena ad regnum & sceptrum Israelis peruenisset, iuxta vaticinium Patriarchæ Iacob. *Auferetur sceptrum de Iuda.* Nata porro Virgo nostra est octaua Septembris die, nec sine mysterio: annum quippe suum Hebræi à prima Septembris luna auspicabantur, credebantque mundum eodem esse mense conditū, eo nixi fundamento, quod arbores tum fructib. & pomis onustæ essent, quod nonnisi in autumno fieri potest. Adeo vt eodem tempore, anno, mense, & eodem propemodum die, quo infelix Eua malorum pandora à Deo creata fuit, gloriosa Virgo, omnis felicitatis nuntia & causa, nata sit, atque ad præuaricationem primæ fœminæ expiandam destinata.

Nata eo quo creata Eua tempore.

Vnde factum vero & quamobrem, vt sanctissima natiuitas tanto fuerit tempore dilata? multæ ac præclaræ dari rationes possunt. Prima sit hac similitudine expressa, cum Rex aliquis nouum sibi regnum acquisiuit, & ipsum adire vult, vt in eo in Principem admittatur, Principes suos ac præfectos viam paraturos præmittere solet. Ita quoque totius vniuersi Monarcha mundum ingressurus, atque infinitam maiestatem suam & incredibilem potentiam patefacturus, Principes suos, Patriarchas, scil. Prophetas, Reges plurimos, ac varios sanctitate illustres viros præmittere visū fuit. Catalogum eorum texit Matthæus, dum Euangelium suum ab eodem auspicatus ait, *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Isaac genuit Iacob* O egregiam seriem & recensionem! duodecim hic videre Patriarchas, totidem Prophetas, totidem quoque summos licet Pontifices, qui ordine quique suo incedentes, quatuor annorum millibus præcessere, antequam Christus Rex, eiusque sacratissima mater, ac Regina nascerentur: quos deinde duodecim Apostoli, septuaginta discipuli, & infinitæ Martyrum myriades, tot confessores ac virgines & plurimi Sanctorum secuti sunt.

Rationes cur dilata Virginis natiuitas.

Ecce & aliam. Natiuitas hæc dilata etiam partim est, vt hinc mundo Dei omnipotentis furor & indignatio manifesta fiat, qui vñico mortali delicto ita irritatus erat, vt ad quatuor annorum millia iram suam extenderit, nec generi humano voluerit reconciliari, *Tãtane animis cœlestibus ira?* E quo peccator grauitatem & malū peccati agnoscere potes, cū enim ipsius te reum cōstituis, in tam profundam ac præcipitem laberis voraginem, ex ea vt sine Dei misericordia egredi nequeas. De filio prodigo apud Lucā dictū est, quod postquam paternam domum dereliquit, in regionem longinquam concesserit, in qua cum ad multos annos substitisset, omnem substantiā dissipauit. Veram ecce peccatoris imaginem, qui dissolutione sua domum Patris cœlestis deserens, in peccati regionē concedit, quę vere regio longinqua & remota est, in qua longo commoratus tempore, gratias, virtutes, bona, tempus, & reliquum substātiæ dissipat. Quantum Deus bone peccatum inter & gratiam interuallum! Quam sunt hæ viæ à se inuicem distantes, & iter hoc longum?

Peccati mortalis grauitas.

Luc. 15.

Infœlix Adam, atq; omnis illius posteritas cum in hanc regionem veniisset, & vias illas abditas esset ingressus, quatuor aut quinque annorum millib. errauit, priusquam exitum reperiret, & à statu damnationis ad beatam iustificationem se conuerteret Angeli Spiritus illi prompti, celeres pernices, cum semel hoc iter ingressi essent, idq; ob superbiam & arrogantiam, nondum redire potuerunt, nec vnquam reuertētur, eorumq; elongatio perpetua futura. Sed ecce allegoriam huc spectantem.

Iter à peccato ad gratiā longum est.

Hebræi rerum penuria & fame stimulante pressi patriam & cœlum mutare coacti sunt, & in Ægyptum se conferre, nonnisi ad triennium vel quadriennium forte ibidem permanere proponentes, quamdiu scilicet fames & rerum inopia duraret, vt fertilitatis annis venientibus, iterum in patriam reuerterentur, sed longe secus & præter opinionem accidit, omnes enim in Ægypto mortui, atque eorum posteritas quadringentis ibidem annis commorata est, & nonnisi Deo iuuante, vi armorum, ac præuijs miraculis egredi potuit. Vnde Psalmista, *Emisit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes*

Allegoria.

Psal. 134.

Psal. 9. *omnes seruos eius*: & alibi, *Fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro*, &c. Eheu peccator infelix, cum fame & inordinata voluptatum & deliciarum mundi huius fatue pressum te vides, placidum ac suaue gratiæ diuinæ clima mutas, quo in peccati Ægyptum descendas, è qua te mox, vbi voluptatibus nonnihil indulseris, rediturum, breui exomologesin facturum, ac breui pœnitentiam facturum speras, sed sæpe te diutius ibidem commorari contingit, & spe frustratus in peccato moreris, iuxta interminationem illam Euangelicam, *Et in peccato vestro moriemini*. Numquam vero inde egrederis, nisi diuina tibi affulserit misericordia, & miraculorum violẽtia extraharis. Adeo vt, sicut Diuus Thomas Tract. de gratia. asserit, iustificatio & remissio peccatorum maximum opus Dei sit. Sed iam in tentationibus nostris proferendis pergamus.

Tertiam hanc statuo. Natiuitatis huius felicitas tam diu dilata fuit, vt hinc Dei de peccatorũ salute sollicitudo denotetur. Huc Cant. 7. respiciebat in Canticis Sponsa, cum de Sponsi interrogata qualitatibus, *Qualis est dilectus tuus ô pulcherrima mulierum?* inter cetera respondit, *Caput eius aurum optimum, coma eius sicut elatæ palmarum, nigra quasi corvus*: per palmam denotantur iusti, per coruum vero peccatores, atque ideo dicere vult delicti sui cogitationes, quas comæ figurant, & de iustorum & iniustorum salute occupatas esse, hos vt conuertat, illos vero vt in gratia conseruet.

Gaudet Deus de peccatorũ conuersione. Tantopere Deo præuaricantium emendatio cordi est, vt aliud propemodum cogitare aut facere, quam media illius suggerere, & inspirationes sanctas immittere ad eos conuertendos, & in gratiæ viam reuocandos, non videatur, imo gaudet, & omnes cum eo Angeli, audito vel vnicam animam errantem in viam redire, quæ maiori illum gaudio afficit, quam nonaginta nouem, quæ non indiguerunt pœnitentia, sed in vocatione firmæ & immobiles perstiterunt, vnde ait, *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia*. Luc. 5.

In domo & aula Principis alicuius nemo Simile. gaudet vel admiratur, cum arietes, agni, capelli, vituli, gallinæ, columbæ, aliaque domestica animalia iugulantur, quia ordinarium & solitum est; at si vrsus, aper vel leo mactetur, omnes exultant & gestiunt. Iusti animalia domestica sunt & ad Dei domum spectantia, ob quorum mortificationem nulla noua Angelis Deoue oritur exultatio; at dum peccator immite & ferox illud animal leone & vrso immanius bestiales impetus sequendo, per diuinas inspirationes, contritione & pœnitentia intrinsecus saucius, peccato mori incipit, quantum in cœlo interbearos sit gaudium exprimi nequit. Hæc igitur est ratio, cur tanto tempore Virginis huius natiuitatẽ aduentumq; distulerit Deus, vt hac ratione ijs tempus de salute cogitandi, seseq; ad pœnitentiam disponendi concederetur.

III. Omnes hæ rationes præclaræ sunt, attamen qui fieri potuerit, cur aduentum tuum, Regina mundi optatissima & expectatissima differre volueris, intelligere non possum, tu enim iam olim, vel tuo nomine prophetæ gloriati sunt, ante mundi creationem te prælectam & prædestinatam fuisse, *Dominus* Prou. 8. *possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, cum eo eram cuncta componens*. Quamuis enim locus hic primo & per se iuxta Origenem, de æterna sapientia intelligatur, proprie tamen & aptissime ad Virginem Deiparam referri potest, quin & Galatinus libro de Catholicæ veritatis arcanis docet, quamuis loca hæc Prouerbiorum *Lib. 7. c. 2.* & Ecclesiastici Christo & Ecclesiæ conueniant, Virgini tamen non improprie adaptari posse, cum & Epiphanius iam à mille annis locum hunc Salomonis de Messia intelligi posse negauerit. eiusdem opinionis sunt Gregorius Nazianzenus & magnus Basilius: accedit quod Arriani loci huius auctoritate grauiter Catholicos, aduersus verbi diuinitatem, insectarentur. Cum itaque loca hæc de gloriosa virgine intelligi debeant, atque ipsa in Dei matrem, iam inde ab initio viarum illius, id est, iam inde à peccati præuisione & de genere humano redimendo decreto & voluntate verbi, qua humanam naturam

assumere voluit, præelecta & prædestinata fuerit, vnde fit ergo, natiuitatem hanc tanto dilatam esse tempore?

salm.68. Psalmographus hanc temporis moram & exspectationem diuturnam ante quam Messias descenderet perosus, dicebat lacrymans, *salm.108.* *Defecerunt oculi mei suspicientes in excelsum*, & alio loco, *Defecit in salutare tuum anima mea, dicendo quando consolaberis me*, & venies ô Redemptor orbis? Idem mundus de natiuitatis huius dilatione dicere poterat, defecerant scilicet oculi eius ob continuas lachrymas, raucæ factæ erant fauces eius; & viscera singultiendo suspirandoque fracta, dum aduentum illius præstolantur. Sed quid? non sic visum Deo, & arcanum hoc prædestinationis secretum erat, eamq; nasci fecit, dum voluit & placuit. Ecce tandem aliquando apparuit & nata est, omnes gaudio & exultatione replens.

Exultate iam igitur Angeli, vos Spiritus non minus perfecti quam beati & felices: ecce enim in foribus illam, quæ ruinas vestras restaurabit, videte hic iam auroram, quam olim demirati estis dicentes, *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Aurora noctis est extremum, & diei exordium: hic vero vera aurora conspicitur, Virgo enim nascens noctis Synagogicæ, rigoris legalis, exilium illorum Sacramentorum, Sacrificiorum cruentorum, & ceterarum Mosaicarum cæremoniarum finem adfert, simul & diei Ecclesiæ, noui Euangelij gratiæ, remissionisq; peccatorum; Sacramentorum efficacium ac Sacrificij Missæ exordium. Huc alludens Apostolus ad Romanos ait, *Nox præcessit* damnationis & peccati, *dies autem* gratiæ, ac misericordiæ *appropinquauit*, quorum prius finem, & alterum initium nascente hac Virgine habuit.

Exultate etiam Patres, qui iam à tot annorum millib. in limbi cauernis delitescitis, & terro illo carcere captiui detinemini: iã certa liberationis vestræ spes affulsit, iam breui captiuitatis vestræ vincula disrupta ac dissoluta videbitis. Felicem vobis offero nuntium, illam iam natam esse, quæ in Messiæ matrem iam olim delecta est, quamque iam tanto tẽpore exspectastis, videre virgam illam, quæ è radice Iesse pullulare & florem iucundissimum proferre debebas, iam progredientem, *Egredietur virga è radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* *Isai.11.* Videte redemptionis vestræ simul & totius orbis certissimum indicium ac signum, quod iam olim Ioannes vidit, *Signũ magnum apparuit in cælo*, &c. *Apoc.12.* Signum misericordiæ, gratiæ, salutis & redemptionis hominum.

O diem millies beatum! ô natiuitatem gloriosam, & admirabilem! vere dixit mirabilem, quod illam viro sanctissimo Ioachimo è tribu Iuda, & Anna è stirpe Isachar è domo Dauid, post viginti sterilitatis annos vtrinq; transactos videam enasci. Quod miraculum *Num.10.* mihi veterum veteris Testamenti prodigiorum memoriam refricat. Magnum haud dubie prodigium ac miraculum fuit, eum aquarum torrentes è durissima petra in Sinai deserto proruperunt. At longe maius & excellentius, dum Virginem hanc, quæ puteus & fons aquarum viuentium nominatur, è Ioachimo & Anna, quæ steriles rupes & quasi de prole suscipienda desperantes, enasci conspicio.

Sara magni Abrahæ vxor cũ ab angelo di- *Gen.21.*
dicisset, filium è se nasciturum, effuse ridere cœpit, ac dicere sibi ipsi congratulando, *Risum fecit mihi Dominus, & omnes qui audierint, corridebunt mihi*: quasi diceret: An non ridiculum est, omnibusq; ridendi causam dare, me, cum iuuencula & valido vegetoq; corpore prolem concipere non potuerim, iam nonagenariam & effœtam Abrahamo marito meo centesimum etiam annum excedente, parere? an non hoc me sannis & sibilo omnium exponere? Quãto potiori iure S. Anna, egregiam hanc totius vniuersi margaritã pariens, tamque eximiæ filiæ præterspem omnem & communem naturæ ordinem mater futura, eadem verba vsurpet? & sane omnib. ridendi, non quidem irridendi subsannandique, sed tam præclaram filiæ huius natiuitatem admirandi datur occasio. Atque ideo vniuersa Ecclesia in huius celebritate exultat & plaudit.

Sol⁹ Lutherus sacrilegus apostata, inferni soboles & Megeræ anguib. prognatus festum hoc oppugnauit, eiusq; memoriam abolere voluit,

ant.6. go au- æ com- ata.

m.13.

Natiuitas Virginis o- nnes limbi atres re- creauit.

Circa Euangel. fest. Nati. uit. Mariæ.

voluit, quam ob causam odio & rabie tumēs Virginis huius honori aduersatus, quodam in loco scripsit, *Peruelim hoc festum omitti, cum nullo scripturæ nitatur testimonio:* sed ostendat ipse peruelim, quo scripturæ testimonio Dominicæ diei, Paschatis, Pentecostes, & Natalitiorum Domini obseruatio nitatur. Deinde in præsumptione & arrogantia progressus vlterius alio quodam loco ait, *Assumptionis & Natiuitatis festa plane reijcimus.* At debacchetur infernalis hæc Tisiphone quātum voluerit, quaslibet effundat calumnias ac blasphemias, Christi fideles tamen festum hoc ad Deiparæ honorem perpetuo obseruabunt.

Ob de pijs commen. ob seruandis.

IV. 3. Reg. 7.

Si Salomon, omnisque adeo populus Israel tantum gaudij & exultationis in dedicatione & erectione templi magnifici, in quod nonnisi tabulæ legis inferendæ essent, ostendit, quid non Christianos, natiuitate, id est, in veteri huius templi perfectione, in quo ipse legis auctor & lator habitare & domicilium figere debet, facere par est? Conceptum hunc à Petro Damiano, sanctissimo simul & doctissimo Cardinale sum mutuatus, qui cum figuram superiorem protulisset, in Virginis tandem præconia erumpens, hæc illi epitheta affingit, *hæc est thronus Dei, solium diuinitatis, palatium Regis æterni, gazophylacium thesauri, quo de cruenti prædonis seruitio sumus comparati.* Quis igitur hoc in festo non exultet, cum Ecclesia eodem vniuersos fideles inuitet?

Serm. 2. & 3. de natiu.

Mulier illa Euangelica cum drachmam, quam perdiderat, reperisset, gaudio & exultatione effusa, *conuocat amicas & vicinas dicens, Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Magna illa mulier ac parens natura, non vnam, sed omnes margaritas, diuitias, moniliaque pretiosissima amiserat, gloriam scilicet, innocentiam, gratiam, immortalitatem, aliaque innumera, sed cum hodie Virginem hanc reperiendo, gemmam pretiosissimam, quaque nulla vmquam exstitit illustrior (*multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas*) omnia hæc reperisset, omnes mundi nationes cōuocat, & vnum in locum colligit, vt sibi congaudeant, & de tam perfectæ creaturæ inuentione, id est, natiuitate congratulentur. Et vere gaudio & lætitia dignissima est.

Luc. 15.

Gauisus sibique congratulatus esset Salomon, si hanc tempore suo mulierē fortem & generosam reperisset, quā tantopere in Prouerbijs suis quæsiuit, sibiq; ostendi postulauit: *Mulierem fortem quis inueniet?* Nostris eam temporib. inuenimus Christiani, & coram oculis nostris nasci vidimus, quod Reges veteres suo tempore tantopere videre cupiebant. Ecce hic mulierem illam fortem, bellatricem illam Amazona, quæ omnipotentem debellabit, diabolum sibi subijciet, & redemptionis mundi, quę iam in foribus, futura est occasio & exordium.

Prou. 31.

Tres Purpurati Persæ cum in aula Darij disceptarent, quid rerum omnium forte fortissimum, & suam singuli sententiam protulissent, tandem suam Symbolam attulit etiam Zorobabel, omnib. fortitudine præstare censens mulierem. De Virgine hac nostra sine dubio loquebatur, ac velut Propheta præsagiebat Spiritu S. plenus, tandem aliquando, hodierna scilicet die, Virginem nascituram, quæ omnium vnquam in rerum natura exstitere, fortissima futura esset. Quę enim fortitudo ac robur iram cœlestem auertere, inferos obserare, Dæmones cōsternare, Solem ad deliquium cogere, infinitum certis terminis ac finibus circumscribere, omnipotētem vtero ferre, creatorem parere, Dei genitrix existere, aliaque fortitudinis opera edere? Quæ omnia cum hodie contigerint, an non ingens gaudij & exultationis nobis materia data est?

3. Esth. 3.

An nō vrbi obsessæ ab hostibus, & ad extremam necessitatem redactæ magnum gaudium foret, si ad portum suum nauem commeatu onustam appellentem videat? Mundus hic magna quædam ciuitas est, Oriens, Occidens, Septemtrio & Meridies illius portæ sunt & ingressus: quinq; annorum millibus hæc obsessa erat, & ad extremam necessitatem redacta, at gaudio illa non mediocri hodie perfunditur, cum portum suum nauem illam regiam ingredientem videt, videt Virginem inquam nostram, quæ hodie mūdi huius mare ingressa, post annos quatuordecim

Simile.

decim panem illum vitæ adfert, qui vniuerso orbi commeatum suppeditabit. Ad hunc conceptum respexisse videtur Salomon, cum in Prouerbijs de naui institoris de longe panem ferente locutus est. Virgo enim hæc vera nauis est ad panem de longe venientem vehendum destinata, veniet enim panis ille è cœlo, de quo apud Ioannem dicitur, *Hic est panis, qui de cœlo descendit*. Panis qui nauib. deuehitur, bis coqui debet, ita quoq; panis ille, quem deferet Virgo, *bis coctus, bis genitus*: semel ab æterno in gremio Patris, deinde in tempore, in sacro virginis vtero, quis igitur in nauis huius pane vitali onustæ aduentu non exultet?

Prou.31. Virgo naui institoris comparata. *Ioan.19.*

Iacob Patriarcha non mediocriter angebatur, quod patria abesset, & in aliena regione laborib. & vitæ molestijs fractus versaretur. Sed nõ minus recreabatur gaudebatque, cum mysticam illam scalam, in qua Angeli & descenderent & ascenderent, in somnis videret. Hactenus quidem dolore & angi potuit homo, patria cœlesti extorris, ac varijs ærumnis & miserijs obnoxius, at scala illa noua in medio mundi fixa, per quam Deus in terram cœlitus descendet, & homo è terra in cœlum ascendet, animos illi addit, & gaudij segetem occasionemq; non mediocrem sub ministrat. Hanc mihi inuentionem & cõceptum Petrus Damianus suggerit, vti qui pri⁹ me dixerit, *Hodie nata est Regina mundi, fenestra mũdi, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit*. O gaudium! ô plausum!

Gen.28. Virgo scalæ Iacob collata.

Noe Patriarcha non parum affligebatur, & in animo non exiguam molestiam sentiebat, cum mundum diluuio generali oppressum cerneret, omnesq; adeo mortales aquis vehementibus inuolui, at vbi magnam illam arcam ad se & vniuersam familiam suam ab aquis conseruandam paratam vidit, molestiam exuit, & è contra lætitiam induit. Quanto in mœrore, dolore & tristitia gen⁹ humanum versabatur, cum omnes omnino homines damnari, & horribili damnationis diluuio inuolui cerneret, at quam lætandi iubilandique materiam hodie nanciscetur, cum egregiam illam arcam vitę huius aquis innatantem, veram, inquam, Noei Arcam ad vniuersum hominum genus saluandum destinatam ac compactam videt?

Gen.6. Item arcæ Noei.

Præter hæc, festum hoc lætitiam & gaudendi occasiones suggerit, quod nouũ quid & penitus admirabile nobis spectãdum proponat, creaturæ inquam, quæ sine omni prorsus peccato & gratiæ plena in hunc mũdum venit, natiuitatem, idque præter communem naturæ humanæ ordinem & filiorum Adam in hoc mundo nascendi consuetudinem, qui iuxta Apostolum omnes filij iræ nascuntur. At hæc sola sine peccato concepta fuit & nata. Atq; ideo sponsus illam in Canticis dilaudans ait, *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te*, non originalis, non mortalis, non venialis. Cur putatis illum repetijsse, *pulchra es?* quod amoris eum forsan vehementia & impetus ex affectu sic loqui coegerit, quasi sic eam pulcherrimam esse significare voluerit, vel forsitan quod interne in anima & externe in corpore foret pulcherrima, fieri quidem potest. Sed meo iudicio indicatum hic est, in conceptione illam sua pulchram extitisse, & in natiuitate hodie sua nõ minus formosam existere.

Virgo penitus pulchra. *Eccles.2.* *Cant.4.*

Dilectus sponsæ suæ dotes & qualitates dilaudans ait, *Quam pulchri sunt gressus tui, filia Principis!* Per Sponsam illam & filiam Principis omnes omnino Patres Virginem intelligunt, quæ duos quosdam gressus fecit, vnum *à non esse ad esse*, in conceptione scilicet sua, alterum *de esse ad nasci*, in natiuitate nimirum, atque ambo pulchri fuere, qui feliciter admodum sine vllo peccati lapsu peracti fuere, cum ceteri omnes in ijs offenderint, cespitarint, ac misere ceciderint. Atque ideo hac, ab omni peccato exempta, in mundum veniente & gratijs plenissima, omnes diem hunc vt felicem, salutarem & festum habent. De quo iam plura non loquar, ad reliquum materiæ me accincturus, merita scilicet & dignitatem Virginis enarraturus.

Cant.7.

Tanta nempe eius, quæ hodie in mundum venit, merita sunt, vt cum illa Euangelista comprehendere non posset, eadem quam

quam pauciſſimis ſit verbis complexus, *de qua natus eſt Ieſus qui dicitur Chriſtus.* Quaſi diceret: Quicunque ſcire voluerit, quam perfectionem, quot dotes, quot virtutes, gratias & merita Virgo hæc noſtra in ſe com-
1.15 d.4. plexa ſit, cogitet oportet, Matrem illam Vnigeniti Dei Filii exſtitiſſe, qua nulla teſte Diuo Thoma, maior aut amplior haberi dignitas poteſt, cum maiorem perfectioremque filii ſui Matre creaturam, propter qualitatem & priuilegium ei datum, creare non poſſet.

Prou. 10. Dixit olim Sapiens, parentum decus & ornamentum eſſe filiorum virtutem ac ſapientiam, *Filius ſapiens, gloria parentum.* Adeo vt Pater cœleſtis omnem gloriæ ſuæ magnitudinem ac diuinitatis ſplendorem filii ſui
Pſal. 2. ſapientiæ acceptum referat, *Filium meus es tu, ego hodie genui te.* Cum igitur Virgo ipſum repetere poſſit, & Patris cœleſtis inſtar gloriari, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* ecquæ obſecro illius magnitudo, dignitas & maieſtas?

Pandoram laxere Poetæ, Poëtæ fabularum Patres vna cum Heſiodo in Theogonia commenti ſunt, Deos olim Pandoram omnigenis donis & muneribus cumulaſſe, quod cœleſtem & diuinam ſobolem edidiſſet, quod è nomine illius etiam colligi poteſt, quod tantumdem Græce ſonat, atque omnia dona, fabuloſum hoc eſt & commentum, at certum cum ſit, Virginem tam egregii filii, vnigeniti, inquam, Dei Patris Matrem exſtitiſſe, quibus eam donis cumulatam fuiſſe credendum? quibus dotibus locupletatam? *De qua natus eſt Ieſus qui dicitur Chriſtus.* O dignitatem admirabilem!

Deus cum Abrahamum & Dauidem, egregios viros & ſanctitate eximios amore ſingulari proſequeretur, & ſingularem iis gratiam dare decreuiſſet, ſuum vt amorem in eos teſtatum faceret, promiſit filium ſuum è ſtirpe & progenie illorum naſciturum, *In ſemine*
Gen. 17. *tuo benedicentur omnes gentes*: alteri in Pſalmis
Pſalm. 131. iurauit, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam,* &c. Quo audito in terram ſe proſtrauit Abraham ſupplex, tanti honorem ac ſingulare hoc beneficium faciens, ſibi vt vires deeſſe putauerit ad dignas benefactori gratias perſoluendas.

Si tantum ſit beneficium Chriſtum conſanguineum, ſed nonniſi poſt multas annorum centurias naſciturum, habere, vti Abraham eum & Dauid habuere, quæ futura eſt dignitas ac maieſtas Mariæ, quæ vera illius & parens & genitrix exſtitit, quæq; illum ſacro tulit vtero nouem menſibus incluſum? *De qua natus eſt Ieſus.*

Hieronymus Ezechiæ Regis lacrymarum rationem reddens (*fleuit Ezechias fletu magno*) ait, non ob aliam eum cauſam fleuiſſe, quam ob promiſſum ac iuramentum Dauidi factum, è ſua ſcilicet progenie ac ſtirpe Meſſiam naſciturum, quod in ſe iam morti proximo, & illibero hinc abeunte fractum cerneret atque interruptum. At cum quindecim annos vitæ addidiſſet Deus, in illorum tertio Manaſſem genuit, fletus igitur hæc erat ratio, quod hac ſpe fruſtraretur, dicebatque intra ſe, In me igitur longa hæc & catenata annorum ſeries deficiet, atque illa fruſtrabor gloria, quod meus non ſit nepos Meſſias futurus? Magni, vt videtis, Princeps faciebat, quod Chriſtus è ſtirpe illius deſcenderet, quid ergo de Virgine hac cogitandum, quomodo magnitudo illius ponderanda, quantiq; gloria illius facienda, quod Dei mater fuerit, atque illum vtero tulerit? *In Iſai. 38. & 4. Reg. 10.* Fletus Ezechiæ cauſa.

Dauid Rex vt audiuit à Saule ſe in generum adoptandum & filiam illius Michol ducturum, ſeſe humilians ait, *Quis ſum ego: aut quis eſt filius Iſai, vt ſim gener Regis?* cumque in aula intet magnates & Principes verſaretur, hoc nomine gloriatus dicebat, *An parum vobis eſſe videtur eſſe generum Regis?* Tanti ſcilicet honorem hunc faciebat, vt omnes in Pſalmo 112. ad gratias ob tantum beneficium ſibi collatum agendas inuitet, *Laudate pueri Dominum*: quaſi dicere vellet, vos pueri pauperes, plebeii & ignobiles, huc adeſte, ac mecum nomen Domini deprædicate, & ſanctum nomen eius per omnes mundi angulos extollite ac dilaudate, *Quis ſicut Dominus Deus noſter?* id eſt, dicite num aliquem Deo, quem adoramus, videritis maiorem? *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens* 1. Reg. 18. Pſal. 112.

pauperem, vt collocet eum cum Principibus. Ipse enim bonus ille Deus est, qui paruulum & inopem Dauid è mundi huius fæcibus & miseriæ fimo, ab omni fortuna destitutum, & inglorium sublimauit, vt cum Principibus illum collocaret, Regis eum generum constitueret, & inter Reges terræ numerari faceret. Si tanti hoc faciebat Dauid, & maximæ sibi id gloriæ esse dicebat, quid de illa cogitandum, quæ hodie nascitur, vt in Dei ipsius matrem assumatur: Euangelista porro honorem illum comprehendere non valens, ait duntaxat, *De qua natus est Iesus, qui dicitur Christus.*

V. Simile.

Imitatus Apellem hic Euangelista videtur, qui cum exigua in tabella gigantis alicuius colossæam magnitudinem effingere deberet, videretque commode hoc fieri non posse, pollicem illius tantum depinxit, inferne hoc addito Epigrammate, *Ex vngue leonem*, id est, è pollicis huius proportione facile reliqua gigantis huius magnitudo cognosci potest. Euangelista magnitudinem, excellentiam, maiestatem ac reliqua merita illius, quæ hodie nascitur, exponere cum vellet ac velut in tabula depingere, videretque hoc apte sciteque fieri, tantamque meritorum copiam tam exiguo in subiecto contineri non posse, satis putauit dixisse, Iesu Christi illam matrem esse, sola hac qualitate de ceteris illius meritis perfectionibusque sufficientem coniecturam fieri posse sibi persuadens, *De qua natus est Iesus*, &c.

Num. 13.

Simile quid vetus proponit testamentum, cum nobis duos illos exploratores è terra promissionis redeuntes depingit, qui vt Hebræis regni illius fœcunditatem & fructuum illic prouenientium abundantiam declararent, botrum ingentem in vecte velut diuitiarum & feracitatis terræ illius specimen, humeris detulerunt. Cogitate Euangelistam nostrum idipsum hic imitari voluisse: glorioſæ enim Virginis diuitias, perfectiones & admirabiles virtutes eius depingere & declarare volens, magnam illam, quod Christi Domini mater exstiterit, dignitatem ob oculos ponit, quæ velut specimen & omnis magnitudinis infinitorumque meritorum eius indicium, *De qua natus est Christus*, &c.

Eia igitur, Catholici auditores, virginem hanc demiremini, solemne hoc festum colite, felicitatem natiuitatis illius magnificate, ac diem hunc velut dierum omnium iam inde à mundi exordio felicissimum existimate, diem, inquam, qui vniuersum recreat: & non sine ratione, si enim in natiuitate filii Zachariæ plurimi gauisi sunt, (*Et in natiuitate eius multi gaudebant*) an non potiori iure matris Dei natiuitas omnes omnino Catholicos magis recreet & gaudere cogat?

Natiuitatis Deiparæ figuræ.

Et sane totus hodie exultet orbis & plaudat, hodie quippe salutis nostræ ac redemptionis exordium fuit, hodie vitæ arbor in paradiso terrestri plantatur, quæ vobis fructum vitæ est allatura: hodie arca illa absoluta in mundi huius mare exponitur, quæ verum Noe & totius orbis Saluatorem vehere & gestare debebit: hodie thronus ille eburneus & auro conuestitus, mundi miraculum, perfectus est, in quo verus Salomon Iesus Christus considebit, hodie arca illa fœderis è ligno incorruptibili compacta, & ad legis ipsius authorem recipiendum destinata, perfecta & constructa est: hodie denique turris illa Dauidica, ex qua omnigena dependet armatura, & vndique communita velut inimici terror, fidelium præsidium, ac velut Ecclesiæ propugnaculum agnoscitur. Ad illam igitur confugiamus, illam in asylum deligamus, & toto illam oremus corde, in patronam adoptemus, deuoti illi & obsequiosi simus, & numquam à laudibus illius deprædicandis diuulgandisque lingua nostra conticescat.

Gen. 1. *Gen. 6.* *3. Reg 10.* *Exod. 25.*

Ita etiam fiet, glorioſa ac beata Virgo. Oculi nostri perpetuo te admirabuntur, linguæ te laudabunt, & cor totum tibi dedicabitur, te enim velut dignissimam, maximam, ac creaturarum omnium, quæ vmquam in mundo vixere, perfectissimam agnoscimus. Deus enim, qui omnibus in rebus liberalis erga te se velut prodigum & profusum declarauit, in vnicam animam tuam colligens, & simul coaceruans, quod ceteris creaturis nonnisi sigillatim ac minutim distribuit. In Exodo præcepit Deus, vt Moysi tabernaculum constructuro omnes aurum, argen-

argentum, gemmas, imo & animalium pelles conferrent. Mysterium hoc fuit & prognosticon, gloriosissima Virgo, ac meritorum tuorum magnitudinis quodammodo præsagium: vt enim tu in verum Ecclesiæ tabernaculum destinata es, ita declarare voluit Deus, omnes sanctissimarum quarumlibet creaturarum perfectiones in tuis finiendas, & Sanctos omnes, qui te præcederent, è suis virtutibus aliquid ad tuarum perfectionem & complementum collaturos. Adeo vt fidelitate Sara, pulchritudine Rebecca, humilitate Abigail, fortitudine Iudith, & gratia fueris Esther.

E natiuitatis tuæ felicitate de cæteris vitæ tuæ mirabilibus licet præsagire: tibi namque Deus huiusmodi priuilegia & gratias contulit, quæ numquam vlli alteri collata sunt. Conceptio siquidem tua sine peccato originali, natiuitas gratia & vitæ sanctitate plena fuit, & præter hæc, ipsa Dei matris dignitas, quæ tibi collata, verum esse ostendit, quod angelus tibi prædixit, inter cæteras scilicet te mulieres, imo & creaturas omnes benedicendam. O Virgo decus mundi, hominum beatitudo, Angelorum gloria, peccantium patrona, atque omnis misericordiæ Mater, pro nobis, obsecro, iam intercede, iram Dei nostri mitiga, nos patri illi reconcilia, furorem illius compesce, & castigationis fulmina manibus illius excute, vtque natiuitatis tuæ hic festum celebramus, fac obsecro, vt post mortem gloriæ tuæ fauorem sentire mereamur, ad quam Patre, & Filio, & S. Spiritu ducente vtinam aliquando peruenire, contingat, Amen.

IN FESTO EXALTATIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Partitio.

1. *De S. crucis veneratione.*
2. *De eiusdem maiestate figuris expressa.*
3. *De eius exaltatione multiplici.*
4. *De verbis illis: Omnia trahamad meipsum.*

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahamad meipsum. Ioan. 12.

FIGVRA.

SI veteris legis Sacerdotes magna observantia & cultu in sanctuario iuxta arcam Testamenti suspenderunt ensem, quo Goliadæ Gethæo ceruicem Dauid adolescens, præciderat, inuolutum post Ephod, vt tam illustris facinoris instrumentum trophæum quodammodo foret & perpetuum tum generositatis Dauidicæ, tum glorioſissimæ de Philisthæis relatæ victoriæ monumentum: ecquid ergo mirum, Redemptoris crucem, qua ille mortem mori coegit, ac diabolum subiugauit, hodie tanto cultu & honore exaltari velut magnitudinis ac potentiæ Iesu Christi, illiusque triumphorum, ac de vniuerso mundo subacto victoriarum signaculum, trophæum ac monumentum? illustris & multis digna verbis materia est: verum vt ipse eam deducere, & vos audire digni reddamini, more solito cœlo auxilium aduocemus, cor sursum extollamus, genua vero deorsum submittamus, quo Spiritus Paracleti opem imploremus, idque pio Virginis glorioſissimæ interuentu & patrocinio, quam hanc ob causam Angelica voce compellabimus

2. *Reg.* 21.

AVE MARIA.

I. Signũ crucis ab omnib. gentib. cultum.

Admirabile sanctissimæ, sacratissimæ, & maxime venerandæ crucis signum, adeo illustre, regium, mysticum, mirabile ac regifi-

cum in seipso est, vt permultæ gentes nescio quo occulto pulsæ motu aut instinctu summo id cultu affecerint, & maximopere, etiam longo ante tempore, quam in orbem Redemptor adueniisset, honorarint. Arabes namque astrologiæ laude inclyti, & quorum omne studium in cœlorum motu, reuolutione, cursu, actione, influxu indaganda situm erat, inter omnes figuras, imagines, symbola, quæ vel saxis aut metallo insculpebant, crucis figuram imprimis magni faciebant, & ceteris præferebant, vt quidem Marsilius Ficinus auctor est.

Marsil. Ficin. lib. de triplici vita.

Non minoris apud veteres Ægyptios æstimationis erat: antequam enim characterum ac litterarum notas adinuenissent, & calamis ad scribendum vterentur, varias rerum variarum figuras, vti arborum, animalium, lapidum ac mineralium, aliasque plurimas exsculpebant, quas hieroglyphicas nominabant. Sed in his primum cruci dabant locum, qua vel vitam, vel salutis spem exprimebant. Hinc carissima illis erat, & in summi honoris signum magni Dei Serapidis pectori ab ipsis solita insculpi. Vnde Ruffinus in Ecclesiastica sua historia: *Signum Dominica crucis inter illas, quas dicunt περσικὰς, id est, Sacerdotales litteras habere Ægyptii dicuntur, velut vnum ex ceteris litterarum, quæ apud illos sunt elementis: cuius litteræ seu vocabulum hanc asserunt esse interpretationem, Vita ventura.*

Crux symbolum vitæ & spei salutis.

Lib. 2. c. 29.

Idem refert & Socrates, & addit, templo Serapidis, quod primarium Ægyptiorum erat numen, diruto, inter rudera & veteres substructiones, lapides quosdam characteribus insculptos repertos, qui crucis figuram repræsentabant, quam apud Ægyptios summo in honore, & vitæ ait fuisse symbolum. Simile quid refert & Petrus Crinitus.

Lib. 3. hist. cap. 17.

Erant hæc præsagia ac velut signa præambula honoris & reuerentiæ, quam sanctæ huic & ter venerabili cruci olim vniuersalis redditura erat Ecclesia, eo quod salutis hæc humanæ cœlorum reserationis, publicationis pacis, remissionis delictorum, & totius mundi redemptionis fuerit instrumentum. Præit hic mihi Apostolus Paulus dicens, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum.*

Lib. 8. de honesta disciplina.

Ephes. 1.

Vt quod dico verum esse comprobetis, ipse Dei Filius, supremus Dominus noster, sanctam & admirabilem crucem suam in mediis Ecclesiæ castris, velut regium quoddam vexillum erexit, crucem inquam gloriosissima carne sua consecratam, & pretiosissimo sanguine irrigatam. Vt sic euidens fiat, eam solam esse ductricem, & candidum vexillum, sub quo omnes Dei seruos ac milites generose decertare oporteat: esse fidelium insigne, Christianorum omnium aquilam, ac regium Ecclesiæ signum: esse terrorem gentium; idolorum ruinam, bonorum securitatem, peccantium solamen, hominum simul & Angelorum gloriam, hæreticorum confusionem, ac dæmonum formidinem.

Crux regiũ Ecclesiæ vexillum.

Sanctus Hieronymus in hæc Ezechielis verba, *Signa Thau super frontes virorum gementium atque dolentium*, scribens, ait sane perquam curiosè, literam hanc *Thau* Hebraico insertam alphabetho, olim apud priscos Rabinos crucis imagine ac figura exprimi solitam. addit insuper, Sacerdotem Esdram è captiuitate Babylonica reducem, veteres characteres aboleuisset, & nouos adinuenisse, ne Hebræi & Samaritani in litterarum characterumque efformatione coinciderent, & vt vtrorumque scribendi ratio diuersa foret.

Cap. 9. Ezech.

Quin imo Chassanæus historicus insignis, *Thau* ait signum ac veluti vexillum vniuersi populi Israel fuisse, vti Romanorum aquila. In huius rei figuram mundi Redemptor discipulos suos per vniuersum orbem Euangelium diuulgaturus emittens (vt olim prædixit Isaias) inter cætera hoc illis iniunxit dicens, *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum*, id est, per vniuersum orbem infidelitatis tenebris ac caligine oppletum prædicate non minus opere, quam verbis quasi diceret, Non verbis modo prædicare, nec satis sit etiam doctrinam operibus manuum, id est,

Chassanæus historiographus.

Isai. 13.

est, miraculis confirmasse, verum etiam crucis signum extollite, ipsumque apud omnes terræ nationes gloriosum & admirabile reddite.

Quidquid in cruce Christus fecit, eidem cruci attribuitur.

Vere & reapse hæc Prophetia adimpleta fuit. Crux namque adeo gloriosa facta est, tantaque afficitur veneratione, vt quidquid in eadem Christus est operatus, omnes quos per eandem comparauit thesaurus, & omnes honorum titulos, quos in eadem nactus est, vni cruci adscribamus, eamque omnia hæc operatam dicamus. Docuit hoc me S. Augustinus, qui non aliter de cruce, quam de crucifixo Christo Iesu loquitur, eique non minus salutis nostræ bonum ac salutem, quam Messiæ attribuit, *Crux*, inquit, *de erroribus nos liberauit, sedentes in tenebris & in vmbra mortis illuminauit, ac nos Deo coniunxit*; & eidem, quem toties delictis & sceleribus offendimus, reconciliauit.

August.

O mirabilia! ô mysteria! Quemadmodum in incarnationis mysterio humana natura in tantum exaltata est, vt propter vnionem hypostaticam, quæ inter diuinam & humanam naturas reperitur, per ipsam idiomatum communicationem quidquid vni conuenit, conueniat & alteri, & propter admirabilem hanc communionem humana natura adeo extollatur, nobilitetur, ac potens fiat, vt quamuis è seipsa nihil omnino sit, omnino nihilominus attributorum, titulorum, qualitatum ac perfectionum diuinarum participes, quin imo Deus, Saluator, Creator, Omnipotens, summe bonus, summe infinitus dicatur, aliisque diuinis nominibus donetur: Non aliter, etiam in mysterio passionis, sacra Iesu Christi crux, propter eximiam illam eius cum filio Dei vnionem adeo magna, potens, illustris, inclyta, honorabilis, admirabilis, adorabilis, sancta, ac venerabilis reddita est, vt, etsi nonnisi rude & impolitum ipsa sit lignum, quinimo infamiæ ac probri nota, ad tantum tamen honorem euecta sit, vt quidquid de Christo dicitur crucifixo, quidquid in eius accidit morte, quidquid eiusdem nobis passio repræsentat, ei velut ipsi auctori ascribatur, atque vt crucifixum compellamus, ita & crucem eiusdem salutemus, *O crux aue spes vnica*: qua Saluatorem inuocatione, eadem & crucem imploremus, & quo cultu vnum, eo & aliam afficiamus. Crux ergo omne Ecclesiæ decus est, ornamentum & gloria.

Crux mirifice exaltata in passione filii Dei.

Mystico olim Dei ore, in huius rei figuram prædixit Isaias, *Figam illum paxillum in loco fideli, & suspendent super eum omnem gloriam, vasorumque diuersa genera.* Vt vero manifestum fiat, de quibus Propheta vasis loquatur, exponit Apostolus Timotheo suo scribens, *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Quibus Apostolus verbis aliud non significauit, quam esse in regia Ecclesiæ domo diuersa vasorum genera, alia aurea & argentea, id est, viros sanctimonia vitæ illustres & summum perfectionis gradum iam nactos, alia vero lutea & lignea, id est, reliquum Christianorum & fidelium cœtum. Hæc ergo vasa quacumque demum materia constent, à crucis ligno & paxillo dependent: nullum siquidem in Ecclesia vas est, homo nullus, qui non sacra hac cruce opus habeat. Hinc Christiani omnes, & animæ tam sanctæ, quam peccatis infames, communis illius debiti nominibus huic obstrictæ sunt, & tam aurea vasa & argentea, quam lignea & figlina, id est, omnes, tam perfecti, sancti, pii, quam incipientes & peccatores, à cruce dependent, omnisque ipsorum gloria nonnisi à sola cruce procedit. S. Paulo, non mihi credite dicenti, *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, hæc etenim sola gloriæ meæ subiectum. Quod vero de se Pauli, hoc de seipsis reliquorum Sanctorum fuit iudicium, omnes namque mortales cruce indigent & redemptionis suæ felicitatem augusto & venerabili huic ligno acceptam ferre debent.

Isai. 22.

2. Tim. 2.

Christiani omnes à cruce dependent.

Gal. 6.

Figura sit, quod in Exodo legimus, & deinde ab Apostolo in epistola ad Hebræos repetitum, *Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit, & omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Omnibus hisce ceremoniis, vt ostendit Apostolus, aliud non innuebatur, quam non laicos modo & profanos, sed & librum & altare, & omnia vasa ministerii sanguine emundari, id est, verbo vt dicam, non publicos modo & manifestos peccatores pretiosi Iesu Christi sangui-

Exod. 24.
Hebr. 9.

nis lauacro, crucisq; meritis opus habere, verum etiam sanctos & iustissimos quosq; Confessores scilicet, Martyres, Apostolos, & omnes omnino mortales. Magnus ergo crucis est honor, & sublime admodum ipsa cuecta est.

Quamobrem Ecclesia Catholica hæc omnia considerans, & quam ingentibus sit ipsa cruci nominibus deuincta, perspectum habens, solennem illi festiuitatem, sub Exaltationis eiusdem titulo instituit, vt eam tam orbi gloriosam & celebrem reddat, quam ab omnibus Christianis & fidelibus adorari colique meretur. Eam ob causam Euangelium nobis proponit, in quo crucis simul & passionis memoria recolitur, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ad digne materiam hanc, & prout oportet deducendam, bimembrem eam faciam, primo per crucis præconiorum campum discurram, deinde eius exaltationem & festum hoc concernentia prosequar.

II. Crux diuersimode adumbrata.

Principio ergo sanctissimæ ac sacratissimæ Iesu Christi crucis maiestas, excellentia, dignitas tanta tamque admirabilis est, vt eam iam inde ab orbis primordiis diuersimode in sacris Litteris figuratam adumbratamq; conspiciam. Nam in ipso Geneseos limine præstans illa vitæ arbor, in medio paradisi terrestris consita, crucis arborem mihi repræsentare videtur, quæ Iesum Christum in se ferens, vitæ fructum protulit, & in monte Caluariæ fixa, deinde in mundi medio consita fuit. *Gen. 2.*

Noe arca, mundi reliquias ab insurgentibus diluuii vndis conseruans, crucis mihi etiam virtutem designat, cum per eandem verus Noe mundum vniuersum furibundo æternæ damnationis diluuio eripuerit. *Gen. 6.*

Inde vlterius progressus, & oculos in viridantem illum oliuæ ramum coniiciens, quem in pacis ac reconciliati cum Deo mundi & aquarum subsidentium signum columba redux attulit, deinde & respiciens arcum illum diuersicolorem in aere promicantem, quem fœderis sui cum hominibus esse Deus notam voluit: ipse mihi persuadeo, duo hæc crucis Dominicæ symbola fuisse: quæ vt egregia quædam oliua, pacis nostræ signum fuit, *Gen. 8.* *Gen. 9.*

ac testimonium irati numinis furorem pacatum esse, & velut admirabilis quædam iris, fœderis & reconciliationis inter Deum & homines, inter creatorem & creaturas initæ tessera.

Progredienti porro longius, & propius intuenti tum lignum sacrificii Abrahamici, tum scalam Iacob, tum etiam baculum, in quo Iordanem fluuium transuadauit, denique et iam Mosis virgam, illico in mentem venit, hæc omnia arboris crucis signa prænuntia exstitisse: quæ modo lignum sacrificii Iesu Christi in eius passione, modo scala in cœlum erecta, quo per eamdem in cœlum ascendamus, modo baculus regis Patriarcharum, quo vndantem tot pœnarum torrentem tranauit, modo denique & virga fuit, quæ peccatorum serpentes penitus deuorauit, & tot est operata prodigia. *Gen. 22.* *Gen. 28.* *Gen. 32.* *Exod. 4.*

Sed nondum hic finis, quo plures comparationes produco, eo & aliæ plures mihi minus quærenti occurrunt, quæ etiam omnes particularia mysteria repræsentant. Cum enim contemplor perticam illam oblongam serpente æneo in deserto præfixo, lignum item aquas amaras dulcorans, clypeum illum Iosue, funiculum quoq; coccineum è domo Rahab dependentem, torcular illud Gedeonis, currum Philisthinorum, baculum illum Dauidicum, quo colossæum illum Goliadam solo prostrauit, auream illam Assueri Regis virgam, denique signum Dei viui, cuius Apocalypsis meminit, non possum, quin credam hæc totidem esse notas, & mystica velut emblemata, ad crucis mirabilia denotanda, vtpote quæ semper & fuit, & est, & erit vbique & in omnibus admirabilis. *Num. 21.* *Exod. 16.* *Ios. 5.* *Iosue 2.* *Iudic. 6.* *1. Reg. 4.* *1. Reg. 17.* *Esth. 15.* *Apoc. 1.*

Crucis elogia.

Ipsa namque Christianorum spes est, desperantium securitas, in tempestate agentium, & procellis vndiquaque agitatorum portus, ægrorum & clinicorum medicina, scelerum effugatio, ad sanitatem recuperandam remedium, mortuorum vita, impietatis proscriptio, blasphemiarum exilium. Crux est imperuius aduersus inimicorum rabiem vmbo, regium sceptrum, pulchritudinis diadema, virga potentiæ, fidei propugnaculum, Senectutis scipio, cœcorum ductrix, & in tetra caligine versantium lumen. Crux est i-

gne-

ghorantium doctrina, paruulorum disciplina, peccati abolitio, pœnitentiæ exemplum, vitæ reconciliatio, mortis solutio, & regni cœlestis clauis.

Crucis Epitheta. Ipsa noctu excubatrix est, interdiu arx & vallum, lucis columna in tenebris, supplicum refugium, amicorum solatium, in tentationibus auxilium, in afflictione suppetiæ & fulcrum, in necessitatibus lenimentum, in mari directio, in ærumnis ac malis resocillatio. Ipsa imbecillium robur, meticulosorum animatio, laborantium quies, indigorum alimonia, ieiunantium refectio, nudorum vestis & pauperum omnium decus & ornamentum.

Qualitates & tituli crucis. Crux rursus viduarum protectio, orphanorum tutamen, minorum tutela, magistratuum gloria, sapientium academia, Christianorum Philosophia, Sanctorum omnium Theologia, Angelorum stupor, Regum potentia, militum victoria, Pontificum gloria, Religiosorum professio, Anachoretarum dulcedo, & omne Virginum delectamentum.

O mirabilia! finem non inueniam, nisi vno velut sub fasce vniuersa complectendo dixero, crucem esse totius vniuersi miraculum, terræ benedictionem, rerumpublicarum custodiam, regnorum securitatem, Ecclesiæ armamentarium, esse Scripturarum summarium, legis compendium, prophetiarum finem, sanctorum Sacramentorum scaturiginem, mysteriorum originem, Iesu Christi triumphum, scientiarum & virtutum scholam, & omnium si quæ vnquam in mundo euenere miraculorum ac prodigiorum coronidem ac complementum.

Crux tabula post naufragium. Crux denique enatantibus post naufragium tabula est: iustitiæ namque originariæ cymba diffracta, & ad protolastæ peccati scopulos illisa, triste omnes in misero hoc pelago primo parente pereunte naufragium fecimus: verum Christi crux auxilii tabula est, quæ post feralem hanc nauis iacturam & submersionem, ad æstus impulsum agitationemque hinc inde in procelloso hoc oceano iactatis offertur vt ventorum rabiem declinent, tempestates euitent, vitamque in tam præsentaneo periculo periclitantem in tuto collocantes, ad optatum alterius vitæ portum enatare queant.

Crux scala cœli. Ad hæc, crux scala est, cuius adminiculo in cœlum penetremus, cœlum quippe sublime erat ac longe dissitum, scala proinde quærenda etiam altissima, per quam eodem homo ascendat. Hanc Deus ipse adinuenit, filiiq; sui crucem scalæ huius vsum supplere voluit: cuius imago exstiterat scala illa, quam in Genesi conspexit Iacob stantem super terram, & cuius cacumen intra nubium abdita penetrarat. O admirabilis Dei prouidentia & sapientia! dum ex scala, per quam latrones & malefici ac perduelles ad æternam descendebant mortem, scalam fecit, per quam iusti ad vitam ascenderent sempiternam. Sic enim philosophatur S. Leo: *De instrumento*, inquit, *quod iniquitas Iudæorum paranit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam.* *Gen. 28.* *Lib. serm. 4. de passione.*

Meminit Genesis arboris cuiusdam mirabilis, quæ tum boni, tum mali scientiam gustantibus afferret, & cuius esu primos humani generis auctores prohibuit Deus. Scio arborem hanc mille conceptus suggerere, & anno toto concionaturo præbere materiam posse: sed in præsentiarum mihi satis fuerit dixisse, Filii Dei crucem vere hanc scientiæ boni ac mali arborem esse: eius quippe adminiculo discimus, perspicueque cognoscimus, quantum sit gratia ac gloria bonum, quam enorme vero sint peccata malum; cum ad illam nobis acquirendam, ab his vero nos eripiendos, verbum æternum in cruce mori, & intolerabiles & grauissimos perpeti cruciatus oportuerit. Quicumque ergo in his materiis perfici ac scientia cupit, perfecteq; & bonum & malum, gratiam ac peccatum nosse, in cruce studeat, & arborem hanc curiose contempletur. Crux arbor scientiæ boni ac mali.

Hymnus Ecclesiæ in laudem crucis. Ecclesia crucis mirabilia & laudes prosecuta, hoc illam modo salutat, *Salue crux sancta, salue mundi gloria; vestra spes nostra vera ferens gaudia signum salutis, salutis periculis, vitale lignum, vitam ferens omnium.* Merito autem lignum vitæ appellatur, vere namque arbor vitæ exstitit, non in medio paradisi terrestris consita, sed in mundi medio. Patres vero veteres, vti Cyprianus sermon. de resur-

Lib.10.c.6lt. Hom.83.in Ioan.c.19.

resurrectione, Epiphanius libro de hæresibus, sanctus Augustinus sermone 71. de Isaac immolatione, S. Chrysostomus in homiliis in Ioannem, aliique plurimi, omnes hi inquam Patres tam Græci quam Latini docent, crucem sanctam, admirabili quadam Spiritus sancti prouidentia, protoplastæ Adami sepulchro impositam esse, atque exinde montem Caluariæ esse appellatum, eo quod generis humani *caput* ibidem esset loci tumulatum, *vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Et primum caput ex arbore vetita vetitum fructum comedens, nos omnes infecit, & in peccati abyssum deiecit; ita secundum Redemptoris nostri caput, excellenti arbori crucis se coniungens, nos ad se pertraxit, vitæque nobis fructum attulit.

Crux arbor vitæ varias ob causas.

Ioan.14.

Ceterum varias ob causas crux vitæ dicta est arbor. Primo ob fructum, quem in se tulit, Iesum Christum inquam, qui vera est vita: vtpote qui de seipso asseruerit: *Ego sum via, veritas & vita.* Secundo propter effectus, eo quod vitam reddat iis, qui eandem amiserũt: quo referri queat illud è Prouerbiis, *Lignum vitæ est his, qui apprehenderunt eam.* Vt enim arbor in paradiso plantata virtutem habuit vitæ in hominem transferendæ, qui immortalitate alias perpetua non floruisset: sic noua hæc arbor, sacra inquam crucis arbor, vitæ nobis restituendæ potestatem habet. Tertio

Apoc. 12.

eo quod vitam nobis conseruet. Figuræ loco sit, quod vidisse se Ioannes dicat arborem vitæ iuxta aquas consitam, & duobus fluuiis interiectam. Erat hoc verum crucis emblema, quæ vera vitæ est arbor, prope tormentorum, pœnarumque aquas sita, & inter duos fluuios, id est, vtrumque testamentum media: prædixerunt namque eam Prophetæ, agnouerunt Apostoli; tum vero quod legem quoque simul & Euangelium complectatur.

Mirabiles Dei inuentiones.

Eia ergo, Christiani auditores, animos cogitationesque sustollite, & cum hæc auditis verba, *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: notas facite in populis adinuentiones eius.* Arbor quæ infamiæ mortisque esse solebat occasio, diuinitus eius natura immutata,

Simile.

gloriam nobis ac vitam vice versa attulit. Dicite mihi obsecro, si quæ in mundo arbor daretur, quæ, cum hactenus naturalem pro more fructum tulisset, natura commutata, alium eumque penitus contrarium progerminaret, multi dubio procul ambigerent, eadem num arbor foret, vel forte alia quæpiam, aut saltem, si eandem & non aliam esse certi essent, non mediocriter sane obstupescerent, & nouum hoc prodigium mirarentur. Nec profecto sine causa, nam iuxta Euangelicum testimonium, ex fructu arbor cognoscitur (*à fructibus eorum cognoscetis eos*) Exempli causa, si quem rubum, nonnisi spinas aut siluestres baccas proferre solitum, videas subito, nobiliori assumpta conditione, poma aurea & cidonia ex se vulgo progignere; an non æterni stuporis hoc causa foret & occasio? *Matth.7.*

Ecce porro, vt arbor crucis, quæ infectum prauumque maledictionis lignum ferre solebat, de qua nimirum in Deuteronomio scriptum est, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno,* naturam repente & conditionem exuerit, aliamq; assumpserit, ac fructum protulerit penitus contrarium, Iesum Christum videlicet, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Arbor inquam peccati ac mortis in gratiæ ac vitæ lignum conuersa sit, patibulum acsti pes infamiæ in pyramidem honoris, colum- Crux honoris pyramis.
nam triumphalem, ac victoriæ trophæum transierit. *Deut.21.*

Hinc sancta crux, reorum vnicum est asylum, tempestate iactatorum portus, & peccantium omnium refugium. Adam peccato commisso, Domini de admisso prævaricationis delicto pœnam deposcentis voce audita, consternatus aufugit, & vt Scriptura testis est, *Sub arbore vitæ, quæ in medio paradisi erat, se abscondit.* Ecquæ hæc fuga, Adame? ecquod subsidium, auxilium, ecquod tutamen, etiam aduersus iratum Deum, exspectas, speras, aut tibi sub arboris huiusmodi frondibus fragilibus & caducis spondes? Videtur vero iam tum Deus Optimus Maximus peccantium cordibus inspirasse, sibi vt persuaderent, proprium ad vitam sibi tutandam & conseruandam locum fore, ad arboris crucis pedem se coniicere, vtpote quæ vera vitæ est arbor, cuiusque fructus sane persapidus amor est & patientia. *Gen.3.* Allegoria.

Agar vna cum filio Ismaele è domo herili profuga, & per desertum vagans, cum ad sitim

tim restinguendam aqua non suppeteret, viso filium præsiti prope emori, dolore & tristitia tantum non extra mentis statum rapta, ad arborem filium abiecit, dicens: *Non videbo morientem puerum*, atque ita paululum à prole recedens supplici Deum prece inuocat, sui vt commiseratione tangeretur, cui extemplo apparens Angelus ait, *Noli timere, exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est.* O egregium & admirabile mysterium! vultisne, auditores, à Deo obtinere misericordiam? eumne vestri misereti? à Dominica cruce nolite recedere, sed eidem potius affixi adhærescite: ad hanc namque mortis euadetis discrimen, ibi sitim restinguetis, & Angelica consolatio affulgebit. Quod autem Ismaelis pueri ad arborem expositi vocem non vero matris ab arbore longius recedentis planctum Dominus exaudierit, in eo docemur, quantum homo mereatur ad sacræ crucis arborem gemens & plorans, ad hanc namque supplicationes nostræ ac vota exaudiuntur, ad hanc afflictionib. datur auxiliũ, hic animæ quies paratur.

Gen. 21. Allegoria. Consolatio omnis ad crucis pedẽ reperitur.

Elias Propheta dum impiæ Iezabelis persecutionem & rabiem fuga declinat, & iam fugitando defatigatus sub vmbra iuniperi se reclinat, quietis paululum capturus, ecce, vt sacra narrat historia, eo loci alimentum refocillando corpori reperit: nam dum forte fortuna circumspicit, *ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* An non igitur ipsi à mundo oppressi, & ab inimicis vndiquaque exagitati ad sacram hanc crucis arborem confugiemus, vt ibidem loci aliquam in angustijs & ærumnis quietem, in necessitatibus maximis recreationem & nutrimentum inueniamus? Nihil quippe sub hac deest arbore, ibi securitas, ibi quies, ibi mentis refectio, ibi omnis felicitas, omnis denique beatitas habetur.

3. Reg. 19. Animæ quies ad crucis petitam.

O igitur fructuosum & perutile lignum! ô arbor, salutaris, ac beata millies! tu nempe Regis Regum solium fuisti, tu ara, in qua maximum omnium oblatum est sacrificium, tu theatrum, in quo funestissima, si cubi vmquam vlla, exhibita est tragœdia, tu arena & palæstra, in quo cruentum hoc inter tartarum & mundum certamen certatum est, tu denique iustitiæ pegma, in quo mors vitam, diabolus tyrannidem, peccatum malitiam, dominium caro, inescationem suam denique mundus amisit.

Crucis laudes.

Hanc ob causam crucem Dei filius potissimum delegit, vt in ea generosissima quæque facinora sua operaretur, ijsque eandem mori voconsignaret, in ea pugnando mori & moriendo pugnare cupiens, idq; varias ob causas: quarum tres hic aut quatuor potissimas adferam. Prima sit, vt rationi consentanee, & per iustitiæ viam, non vero violenter, vel omnipotentiæ suæ vi diabolum superaret. Quoniam vero diabolus è superbia & magna sui præsumptione erigere voluerat cornua, seq; efferre, ac velut Deus haberi, Iesus Christus è contra summa cum humilitate & abiecte admodum descendere & deijci constituit. Et sane deiecit se, dum summo cum dedecore in cruce exspirare voluit: tum temporis namque crucis supplicium, Iudæorum ex sententia, probrosum & contemptibile erat quam maxime, atque hinc furore & rabie conciti, & odio grauissimo in Saluatorem acti, illud sapientiæ identidem inter se aiebant, *Morte turpissima condemnemus eum.* Sap. 2. Et Apostolus cum de Christi humilitate scripsisset, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem,* Phil. 2. sufficere id eidem exprimendæ non putauit, nisi velut omnium probrosissimum adderet, *mortem autem crucis.*

Cur in cruce Christus mori voluerit.

Secunda; mori idcirco Dominus in cruce voluit, vt ratione ad delicti nostri reparationem aptissima & conuenientissima pro nobis omnibus satisfaceret. In ligno parentes nostri peccarant, æquum ergo & dignum per omnia erat, vt, sicut in ligno commissa erat offensa, altero in ligno, cruce nimirum, pro eodem Redemptor Iesus satisfaceret. quo respiciens Apostolorum Princeps ait, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum crucis.* 1. Pet. 2. Idcirco etiam in præfatione canit Ecclesia, *vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur* in monte Calvariæ.

Tertia; crucem potissimum delegit mortis suæ palæstram, vt hoc pacto figuras omnes adimpleret, & quæ iam inde à mundi initio prophetiæ ac vaticinia præcesserant, vera

Num. 21. Gen. 22.

fuisse comprobaret, Serpentis scilicet ænei erectionem in deserto, sacrificium Isaaci, immolationem Agni Paschalis, vaccæ rufæ holocaustum, aliasque figuras clarissimas: vt de prophetiis nihil dicam, quas omnes adimpleuit, ac vere se signasse ostendit, dum in ligno crucis exspirat, iuxta id Psalmographi: *Psal. 50.* *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.*

In cruce mori Redemptor voluit, vt patientiam nos edoceret.

Quarta & vltima, tanta cum infamia, cõfusione, cruciatu, ac doloribus in cruce animam ponere vŏluit, vt suæ nobis patientiæ exemplo præiret, & eiusdem edoceret exercitium, simulq; animos adderet, ad, si quando Dei honos agitur, omnia in hoc mundo aduersa summa cum constantia & intrepide subeunda. Hinc neminem nostrum non hisce Prophetæ verbis compellat, *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte* crucem, *si est dolor sicut dolor meus*, ac proinde similis patientia meæ. Et profecto vereor, ne vestra ipse patientia vicissim abutar tamdiu primæ huic parti dicendo inhærens, hinc canam receptui, & ad alteram dilabar. *Thren. 1.*

III. Hodie ergo, Auditores, crux exaltatur, & ad exaltationem eiusdem extollitur & exaltatur humanitas in terra iacens, crux exaltatur, ac diaboli fastus & insolentia deprimitur; hodie Saluatoris erigitur vexillum, regia potentia, victoriarum signum, Apostolorum gloria, Prophetarum speculum, Martyrum corona: hodie crux exaltatur, atque ideo Iesus Christus adoratur, vt Dei filius agnoscitur, terra tremit, petræ diffinduntur, monumenta patefiunt, mortui ad vitam redeunt, sol deliquium patitur, caligo densissima orbi incumbit, & maxima & inaudita in aciem prodeunt prodigia.

Ad crucis exaltationẽ Iudaismus & Gentilitas euanuere.

Hodie inquam crux exaltata est, & Iudaici ritus ac cærimoniæ abrogatæ, ethnicæ ac gentiles superstitiones proscriptæ, fabulosæ deorum genealogiæ euanuere, & verus Dei cultus & adoratio locum inuenit. Crux exaltata est, & vmbræ typicæ figurarum eliminatæ, veritas edocta, Sacramentorum realitates institutæ, simulacta comminuta, idola euersa, diaboli perterrefacti, animalium sacrificia abolita, veteres ritus & monumenta suum amiserunt visum. Crux exaltatur, & ecce Ecclesiæ construuntur, altaria sanctificantur, campanilia eriguntur, Sacramenta conferuntur, & verbum Dei toto annuntiatur orbe.

Crux exaltata secundum quatuor dimensiones.

Verum crux hæc est secundum quatuor mensuras & dimensiones, quatuor orbis partibus adaptatas, exaltata. Primo quoad longitudinem, ad designandam scilicet patientiam & longanimitatem Dei in peccatorum pœnitentia exspectanda, ijsque tempore quo resipiscant, & ad mentem redeant indulgendo, vt testatur Isaias dicens: *Exspectat Dominus, vt misereatur vestri, parcens vobis.* Atque hanc ob causam passim in sacris litteris longanimitas & patientia velut sorores coniunguntur, & Psaltes inter alia Dei nomina, *longanimem, & multum misericordem* nuncupat; longanimem inquam ad puniendos delinquentes, longanimem ad illorum pœnitentiam expectandã, sed ad miserendum quam promptissimum. *Isai. 30.* *Psal. 102.*

Crucis latitudo significat latam Christi caritatem.

Secundo, etiam quoad latitudinem crux exaltata est; vt hoc pacto Christi in eadem morientis amor maximus, & latissimus, & immensus, tum erga amicos, tum inimicos, erga Iudæos simul & Gentiles, tam in peccatores, quam iustos, denique omnes vniuersim homines, designaretur. Testatur hoc ipse, dum sic apud Ioannem loquitur: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro inimicis suis.* Immensam hanc dilectionem in cruce ipse Dei filius nimis quam liquido spectandam dedit, in qua vere pro peccatoribus, quos habebat inimicissimos, vitam exposuit. Alio item loco ad eandem nos charitatem inuitans, Patris sui nobis exemplum ob oculos proponit, solem suum oriri facientis tam super iniustos quam iustos, & æquali portione suum omnibus in genere creaturis sine acceptione personarum amorem communicantis. Et profecto, qui in cruce eluxit, Christi amor latissimus fuit & amplissimus. *Ioan. 15.* *Matth. 5.*

Crucis altitudo significat iter cœlum versus.

Tertio loco, crux exaltata fuit in altitudinem, iter vt nos cœlum versus edoceret; per eam namq; eodem ascendimus, ipsa scala est, per quam eodem penetramus, quam-

que

que in ea erigi Christus voluit, vt manifestum fieret, se esse, qui eo animas nostras introducebat, & inde omnia ad se pertrahebat, ac vi quodammodo rapiebat, si credimus iam olim dicenti: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, perinde ac si diceret, Animas in gloriã, corpora in immortalitatem inducam, & prædestinatos omnes ad salutem & vitam æternam pertraham, *Omnia traham*, id est, omne hominum genus, Iudæos, Gentes, Græcos, Latinos, etiam homines maxime barbaros. *Omnia traham*, capitis inclinatione, brachiorum extensione, lateris apertione, pedum fixione, & manuum perforatione; hanc nempe ob causam eas aperui, vt ostendam dare me facile; configi volui, dare misericorditer, & perforari siui, dare liberaliter.

Ioan. 12.

Crux denique profunditate exaltata est; vt hinc iudiciorum Domini abyssus, inuentionum eius ineffabilitas, conceptuum arcanum, & mysteriorum obscuritas liquido patescat. Quatuor ergo hæ proportiones ac dimensiones designant, quatuor orbis limites & plagas crucis, huius participes fieri; summitatis quidem beatos, partis infimæ animas purgatorio expiandas, & duorum laterum iustos simul & peccatores in mundo agentes. Addam & alios conceptus, summitas crucis Iesu Christi adumbrat obedientiam, pars ima humilitatem, latus dextrum misericordiam, sinistrum eius indicat patientiam. Ergo exaltari sic voluit, vt inueniretur, agnosceretur, adoraretur, & eo ab omnibus amore diligeretur, quo cæteros ipse diligebat.

Profunditas crucis ostendit mysteriorũ obscuritatem.

Eusebius Emissenus de crucis exaltatione agens, non aliter Christum fecisse ait, quam profligatis inimicis duces & imperatores, quibus satis non est victoriam propalari, triumphos carmine decantari, & præclare gesta ab omnibus passim celebrari, nisi insuper eorum plagæ ac vulnera, & acceptæ bello cicatricee omnium oculis patescant. Iesus Christus namque magnus ille regum Rex, non diuinitatem modo suam, & humanitatem adorari colique voluit, victorias efferri, & sua stratagemata & inuentiones admirabiles deprædicari; sed & crucem suam exaltari, passionem repræsentari, mortem immortalibus præconijs celebrari, plagas semper in hominum memoria conseruari, & quidquid nostri causa fecerat & tulerat, in Ecclesia sua recoli & festiuitate annua solemne esse voluit: inprimis vero, vt crux summo ab omnibus honore & cultu afficeretur, atque hoc hodierna festiuitas nobis sub eximio festoque sanctissimæ crucis exaltationis titulo repræsentat.

Hom. de symbol.

Crux diuersimode exaltata.

Cum igitur iuxta materiam pro crucis huius exaltationis dignitate & exaltare stylum cupio, crucem hanc diuersimode summopere exaltatam comperio. Inprimis ergo mirifice exaltata fuit, quod eam Christus Dominus honorarit, dum illam velut regiæ suæ dignitatis thronum selegit, in qua regnare voluit; seque exaltatum esse ait, cum eidem affigitur, *Ego si exaltatus fuero*. Reges quoque nonnulli eximios ac superbos quosdam thronos cõstruxere, quos cathedras, sedes & tribunalia regnorum vocitarunt. Sic de Assuero in libro Esther legitur, *Ille autem sedebat super solium regni sui, indutus vestimentis regiis*. Ante de Salomone dictum est, construxisse illum thronũ eburneum, auro purissimo conuestitum, atq; hunc è mundi miraculis fuisse, *vt non sit factum tale opus in vniuersis regnis*. Tandem ipse regum Rex in mundum veniens crucem in sedem regalem delegit ac regni solium. Vnde Psaltes sic de eo canit: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*, & in ligno: sic namq; legit S. Augustinus & alij plurimi; quam etiam lectionem confirmat Ecclesia, dum canit: *Impleta sunt quæ concinit Dauid fideli carmine, dicens: In nationibus regnauit à ligno Deus*. Cæterum Dauid & Ecclesia per lignum hoc S. Redemptoris crucem accipiunt, quam Dei filius in regni, & imperij solium delegit.

Ioan. 12.

Esther 15.

3. Reg. 10.

Psal. 95.

Secundo, Christus crucem exaltauit, cum eam sic honorauit & condecorauit, vt quæ ante maledictionis, opprobrij, & confusionis apud mundum, & maleficiorum infamiæ erat occasio, modo theatrum honoris & gloriæ facta, supra Regum & Principum vertices elata sit, & eodem latriæ adoretur cultu, quo Deus ipse. Magis sane & altius

Crux eo latriæ cultu adoratur quo Deus.

altius efferri non poterat, neue eius maiestas cuchi sublimius. in quo mysticum illud Ezechielis præsagium completum fuit dicentis: *Et scient omnia ligna regionum, quia ego humiliauit lignum ublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.* Quem locum Diuus Hieronymus Christo affixo cruci adaptat, in qua videlicet Satanæ regnum dissipatum est, & Christi imperium confirmatum. Crux erat haud dubie arbor arida, lignumque abiectissimum & vilissimum, sed à Iesu Christo mirifice fuit exaltatum, & omnigena viriditate exornatum.

Ezech.17.

Aug in Psal.

Huic proposito conuenienter, & semper ad crucis præconium, Sanctus Augustinus exponit illum Psalmi versum: *Brachia peccatorum conterentur*; & adiungit, *A locis supplicium crux fecit transitum in frontes Imperatorum*, & sceptra Regum. Eodem itidem sensu

Chrysost.

Chrysostomus locutus est: *Lignum*, inquit, *quod fuit olim vilissimum, exaltatum fuit tempore passionis, cum Christo fuit applicatum*, quod tum quidem vniuersum mundi pretium, honorem, splendorem, ac decus in se continebat.

Crux in die iudicij exaltanda.

Addit idem auctor crucem hanc in die iudicij mirifice exaltandam, cum in cœlo velut regium quoddam vexillum hominum simul & angelorum, & victoriarum à Messia relatarum testimonium ac signum apparebit, quod & ipse Dei filius in Euangelio prædixit, dicens: *Matth.24.* *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo.* Videbitur eadem tunc plena gloria & maiestate, vti olim opprobrio, dedecore, ac vituperio plena visa fuit. Sustinebunt & gestabunt eam tum Angeli ac Seraphini, quæ olim à tortoribus, reis ac maleficis tractabatur, inquinabatur, ac profanabatur. Sublimis deniq; tum cõspicienda erit, vt iustis & beatis solatium; damnatis, desperabundis ac diabolis terrorem ac ægritudinem animi afferat.

Crux ethnicis vt infamis habita

Et sane crux, antequam in ea Redemptor exspiraret, apud barbaros & gentes, imo etiam Romanos, alioquin sapientes, pios, & omni in re vrcunque religiosos, vt infame quid, infaustum ac ominosum habebatur; adeo, vt teste Plinio, canes hi ex eadem su-

Plin.lib.17. c.26.

spenderent: cuius fatuæ superstitionis hæc fuit ratio; quod Gallis olim Capitolium clanculo occupantibus, canes, quorum erat allatrare, obmutuissent, anseres vero clangore ac strepitu vigiles excitassent: hinc populus ille in canes iratior, eos vt proditionis inrempu. & perfidiæ reos in furca enecabat. Suidas quoque ad confutandum qua abominatione Gentiles crucem detestarentur, docet, Athenienses eius in sepulchro, qui inauspicato defunctus esset fato, aliquod crucis depingere genus solitos, velut euidentem infortunij & nefastæ abominationis notam. Hodie vero signum honoris est, à Christianis adoratur, & id Christus ipse à plebeio & obscuro nobilitauit, & è profano diuinum penitus reddidit.

Crux à S. Andrea adorata.

Tertio, ipse mundi Seruator crucem adeo exaltauit, eam vt prope diuinam effecerit, & hominibus iuxta & Angelis vt adorabilem proposuerit. Sic inter Apostolos Andreas crucem velut sanctum quid salutat, complectitur, adorat, omnemque illi honorem & cultum defert. Paulus quoque in epistola ad Galatas crucis gloriam omnium rerum mundanarum gloriæ præfert, honoribus inquam, dignitatibus, regnis, & opibus affluentissimis, & ait: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Vt enim Redemptor totam humanitatem suam diuinam plane reddidit, tum eam sibi vniuit, ita suo etiam modo crucem diuinitate beauit, cum in ea fixus & in eam sublatus est.

Crux omnia ad se attraxit.

Quarto, crux non parum exaltata fuit, cum per eamdem Christus omnia ad se attraxerit, vti & ipse olim prædixerat apud Ioannem præsagus: *Ioan.12.* *Ego si semel exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Per crucem namque filius Dei omnia ad se pertraxit, omnia superauit, & ad se rapuit, & totius vniuersi se dominum ac principem constituit.

Hinc mox vt de cruce depositus fuit, sibi de victoria relata ac hostibus subactis, quodammodo congratulatus, ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Quin & Paulus Apostolus, cum multis eius patientiam & humiliationem ad vsque mortem

tem crucis exaggerasset, eam eiusdem exaltandi & magnitudinis ac gloriæ comparatæ causam fuisse mox asserit: *Propter quod*, inquit, *exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Per crucem igitur omnia ad se pertraxit; per illam namq; Tartaro insultauit, mortem pedibus subegit, diabolos terrefecit, infideles conuertit, Philosophorum ora obturauit, Monarchas humiliauit, tyrannis est dominatus, idola ad terram deiecit, denique de vniuerso mundo luculentissimam victoriam retulit. O bella noua & nunquam audita! ô victorias penitus admirabiles! Exclamem ergo cum Apostolo Gentium: *O altitudo diuitiarum, sapientiæ ac scientiæ Dei!*

Libro Iudicum scriptum est, Deo à tyrannica Sisaræ seruitute Hebræos vindicante, in tanti beneficij agnitionem ac gratitudinem, Deboram & Barach præ gaudio in canticum ac iubilos prorupisse, & inter alia hæc cantico verba inseruisse: *Audite reges, auribus percipite principes:* & quamobrem? *noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* Opera cœlestia, & admirabiles Dei effectus, *noua bella*, & inaudita prælia nuncupant, & quoniam Sisaram Regem fœminea Jahelis dextera confecisset, hanc eiusdem cladem & internecionem suorum nouam bellandi rationem vocitant.

Insolita & inaudita hæc loquendi ratio proposito nostro egregie deseruit; & nemo non opera Dei considerans, dicere iure meritoq; potest: *Noua bella elegit Dominus*, Tubarum sono, non ecus ac balistis, catapultis & sclopetis, muros Jerichuntinos solo deiecit; virga Mosaica Pharaonem & vniuersos Ægypti Principes consternauit; asini mandibula plurimos Philisthæos confecit; per imbellem & rudem omnium pastorem, Goliadam euertit eumq; vita exuit. Quod vero omnium est maxime admirandum, ignominioso & probroso crucis ligno vniuersum subiecit, imperioq; suo subegit orbē. Quam Dauid victoriam demiratus exclamat: *Dominus regnauit, exultet terra lætetur insulæ multæ.* E quo loco, vt Tertullianus lib. 3. contra Marcionem Sanctus Ambrosius in 1 Epistolam ad Corinthios, Augustinus in Psalmum 96. & Justinus Martyr Dialogo contra Tryphonem docent Judæos pro sua nequitia, *ne à ligno* erasisse, quod originale Psalmi huius præferebat, sit verisimile, vt hoc pacto crucis mysteriorum euerterent, & quæ de eodem sunt testimonia ac loca, aut penitus ex hominum memoria tollerent, aut interpolarent.

Quinto, summopere exaltata crux fuit, quod ipsa potissimum à Deo electa fuerit, quæ mundi redimendi instrumentum foret. Per crucis enim adminiculum peccatores redempti, à Deo æterno, quem offenderant, reconciliati sunt. Hæc Diui Pauli doctrina est ad Ephesios scribentis, *Per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Quibus Apostolus verbis insinuare vult, Christum Dominum ea quam in cruce subiit morte, omnes quæ Deum inter & hominem intercedebant, inimicitias, & odia grauissima dissoluisse. Et ad Colossenses scribit: *Pacificans,* supple Christus, *per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris,* quantum ad homines, *siue quæ in cœlis sunt*, quantum ad Angelos. Quorum inter se societas ac necessitudo per passionem recoaluit; eo quod iusti per Christum redempti, in Angelorum societatem communionemq;, velut coæquales, & eiusdem iuris, admissi sunt.

Crux à Deo electa, vt esset instrumentū nostræ redemptionis. *Ephes.* 2. *Col.* 1.

Apud Sapientem locus est, qui proposito nostro mire quadrat, in quo de Arca Noë Sapiens loquens sic scribit: *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia:* quæ verba potiori iure de sancta cruce repetere fas est; quod in eadem & per eandem insignis facta sit iustitia; vtpote cum genus humanum à captiuitate sit diabolica, qua tyrannice premebatur, vindicatum, & summo cum honore in pristinam restitutum libertatem. Significauit & hoc ipse vitæ ac veritatis fons Christus, iam morti proximus, dicens: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi eiicitur foras.* perinde ac si diceret, Iam dudum est quod mundus pessime habeatur, quod eius possessionem diabolus inique ac præter fas & æquum violenter detineat; iam his æc dirimenda, iam controuersiæ huic finis imponendus, & secundum mundum sententia pronuntianda,

Sap. 14.

Ioan. 12.

legitimo illum Domino ac possessori assignando; tyrannus, qui præter æquum & malo titulo eum possidebat, iam foras eliminabitur, & omni quo fruebatur dominio, depelletur.

Crux Christi facta paradisi clauis.

Sexto, an non eminenti quadam ratione crux est exaltata, cum paradisi facta est clauis, & vitæ æternæ reserratrix: Sic namque eam Esaias Propheta nuncupat; apud quem de Messia Pater æternus sic loquitur: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* & in Apocalypsi leges: *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Porro quam humeris Messias tulit clauum, alia non fuit, auditores, quam crux, quæ & cœlos reserauit, & portas tartareas occlusit. In cuius rei confirmation merit, quod in crucis præconia effusus scribit Rabanus: *Crux Christi, inquit, clauis facta est paradisi; in cuius figuram velum templi sciissum est in Dominica passione in duas partes, à summo vsque deorsum vt legitur Matth.27.*

Esai.22. Apoc.3.

Lib. de Laud. S. cruc.

2.part.epist.

D. Hieronymus hæc omnia etiam habet, sed aliis atq; aliis verbis: *Sanguis Christi, inquit, clauis est paradisi; in cuius rei signum dixit ipse Christus ad latronem, eum penderet in cruce: Hodie mecum eris in Paradiso.*

2.part.epist. epist.10.

Luc.23.

Septimo, vt tandem ad finem paulatim descendamus, mirum in modum ac sublimi quadam ratione Christi crux exaltata fuit; quod Dei virtus, robur ac potentia facta sit. Hoc namque nomine eandem indigetat S. Paulus; *Verbum crucis, inquit, pereuntibus stultitia est, his autem, qui saluifiunt, virtus Dei est.* Quod autem Dei illa sit virtus & potentia, variis ostendi queat argumentis.

Crux dicta virtus & fortitudo Dei.

1.Cor.1. Ibid.

Primo, quod in eadem diabolum debellarit, hominem iniquæ tyrannidi exemerit, mortem euicerit. quo respiciens ibidem loci Apostolus subnectit: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Secundo, quod eius adminiculo viri sancti triumphum egerint, generose & inuicta constantia, quæcunque occurrebant pericula, tormenta & aduersitates superarint: quod non sine illustri quadam virtute factum esse, sit verisimile. Vt enim ait Seneca: *Magni animi est iniurias in summa patientia pati.* Seneca.

Tertio, per crucem tot tamque illustria patrari constat prodigia, dubitare vt nemo queat, quin magna quædam sit virtus. Signo enim crucis ægri & morbidi sanitatem recuperant, cæcis visus, surdis auditus, claudis pedum vsus restituitur, mortui ad vitam redeunt rediuiui: per crucem dæmones pelluntur, Sacramenta administrantur, altaria consecrantur, aliaque mirabilia per eiusdem signaculum peraguntur.

Plurimapet crucem prætur miracula.

Quarto denique & vltimo, quod vel sola eius memoria potens sit aduersus diabolica tentamenta remedium; & vel crucis Dominicæ animo menteque meminisse aduersis quassatam, & tentationum procella exagitatam animam tranquillare possit. Testatur hoc Origenes dicens: *Tanta est vis crucis, vt si mente fideliter habeatur, nulla peccati prævalere possit inuidia; sed continuo ad memoriam eius totius peccati & mortis fugiat exercitus.* Origenes.

Quid ergo vobis iam, Christiani auditores, de sanctæ crucis nostræ honore videtur? quid de eius exaltatione? quid de eiusdem mirabilibus aut cogitatis, aut creditis? An non igitur merito mundi seruator dicere potuit, se vbi semel in eandem exaltatus fuerit, omnia ad se pertracturum? *Si semel exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me, &c.* sed quo loco Vulgata nostra legit, *omnia traham;* Græca volumina præferunt, *omnes traham;* omnes nimirum electos ac prædestinatos. Vnde efficiamus licet manifestæ reprobationis in periculo versari eos, qui Redemptoris sequi vestigia detrectant, ac signum crucis non eo ac par est cultu prosequuntur, quin vero negligunt.

Crucem nõ sequi, signũ reprobationis est.

Quamobrem proposito nostro consentaneè in Euangelio Redemptor ait: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* In huius rei figuram vidisse se testatur Ezechiel, Angelo exterminatore obuios quosque neci dante, & sine vlla exceptione in quoslibet sæuiente, eos solos ferientis manum neutiquam sensisse, qui signum Thau in frontibus præferrent: Thau porro Hebræorũ littera crucis & symbolum

Matth.10.

& figura est. Innuere porro mysterium voluit, omnes hoc charactere non signatos, id est, crucis signum animarum frontibus insculptum non habentes in præsentissimo mortis, id est, damnationis æternæ discrimine versari.

IV. Verba hæc, *Omnia*, vel, *omnes traham ad meipsum*, etiam alium in sensum trahi possunt, dicens namque Dei filius, se, dum in crucem agendus esset, omnes ad se attracturum significare voluit, electos se omnes ad crucem perducturum, vt vna cum ipso eidem affigantur. Idipsum & innuit Apostolus sic Galatas compellans: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Notate hic obsecro, *τὸ qui sunt Christi*, qui enim sunt mundi, vere quidem crucem ferunt, tormenta patiuntur, maximo labore conficiuntur, noctu & interdiu exagitantur, vti auari, ambitiosi, libidinosi, ac lasciui, qui dirissima grauantur cruce: sed nec carnem, nec vitia, nec concupiscentias cruci affigunt, vt in eadem exspirent; quod tamẽ omnes filij Dei haud grauate præstant. Exemplo sit Apostolus, qui de seipso ait: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: eadem namque in cruce, quam gestabat, omne peccati, passionum, ambitionis, vanitatis, concupiscentiarum genus, & quidquid mundum aliquo modo sapiebat, affixerat.

Galat. 6. Discrimen inter filios Dei & mundi in ferenda cruce. Galat. 6.

Tertius horum verborum, *omnia traham, &c.* sensus esse etiam hic potest: Hocce beneficio ita meos mihi ipse deuinciam, vt ex amore, & gratanter & sponte ad me accessuri sint, & imitando mihique obtemperando me secuturi. Hoc item sensu capienda illa Lucæ verba: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*: quasi dicere vellet: Quicunque me diligere quærit, meumque se clientem profiteri, quicunque acceptarum à me gratiarum memoriam conseruat, easque animo assidue recolit, suæ renunciet voluntati, meam amplectatur crucem, & me sequatur.

Luc. 14.

Si armiger Jonathæ, vt è libro Regum primo colligere est, tanto affectu adeoque libere Dominum est allocutus: *Fac omnia, quæ placent animo tuo, perge quo cupis, & ego ero tecum, vbicunque volueris*, eamdem subibo sortem, quo te cumque pericula abduxerint, indiuiduum me comitem habenis. Nec vana aut iactabundi verba: cum eum sit per rupes & præsentissima pericula, etiam per medios hostium cuneos secutus. Si fidus quidam seruus hero tam fidum addixit obsequium; nostrum quilibet potiori iure & maiori occasione, eadem mentis constantia, supremo omnium Domino, & animarum Redemptori dicat oportet: *Ego ero tecum vbicunque volueris*, Deus meus, per montium scilicet inaccessa, per inuia rupium imo & in cruce, in morte, & grauissimis quibusque persecutionibus & aduersis, quæ dari aut fingi queunt. Hoc scilicet significant hæc Saluatoris verba: *Omnes traham ad meipsum.*

1 Reg. 14. Moralis sensus.

Omnes, ait, eo quod crucis & redemptionis per eam factæ beneficium omnibus omnino commune fuit tam paruis quam magnis, pauperibus æque ac locupletibus, non minus plebeis, opificibus & triuialibus, quam potentissimis regibus ac monarchis. Egregiam huiusce rei figuram suppeditat Exodus, *Primogenitum hominis pretio redimes*: quasi dicere vellet: Volo vt omnes filij hominum, cuiuscunque demum status, conditionis, & generis sunt, eodem pretio, id est, quinque siclis, redimantur. O ingens mysterium! Pastoris ouium, ac plebeij filius eodem redimitur pretio, quo patricij & regis quinis inquam siclis. Denotat mysterium omnes nos æqualiter pariterque siue inopes & triuiales, siue potentes aut Imperatores fuerimus, quinque scilicet sacris Seruatoris vulneribus redimendos. Atque hoc innuunt hæcce eiusdem verba: *Omnia traham ad meipsum.*

Beneficium crucis commune omnibus. Exod. 13.

Triplicem interpretationis missum iam vobis intuli, addam & quartum; *omnes traham ad meipsum*, id est crucis meæ intuitu & consideratione, promptos eos, audaces & ad omnia malorum, laborum, aduersitatum pœnarumq; genera meo nomine subeunda animosos reddam. Vnde Apostolus omnes in genere Christianos commonefa-

Crucis consideratio ad patientiam animã excitat.

nefacit, vt crucis Dominicæ tormenta & dolores ad animum reuocent, ne forte sub graui infirmitatis humanæ onere fatiscentes animo deficiant. Audite, quomodo Hebræos eodem cohortetur: *Recogitate eum, qui talem aduersus semetipsum sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Nouerat videlicet magnus hic Apostolus, nihil esse ad afflictiones & aduersa toleranda, & hominem ad patientiam animandum, passionis Dominicæ recordatione fortius aut aptius. Persuasum hoc sibi quoque D. Gregorius habet, cum scribit: *Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est, quod non æquo animo tolleretur, &c.*

Hebr 11.

In huius rei signum, vel figuram potius scriptum est, Elisæum Prophetam paludes & lacunas Hierichontinas natura insipidas, amaras, & à Prophetis ob amaritiem bibi nescias, sale iniecto dulcorasse, potuique aptas reddidisse. Sane tribulationum, & mundi huius aduersorum aquæ nimis, quam amaræ sunt & insipidæ, ac non sine impatientia ac quadam mentis amaritie obbibuntur; verum si considerationis sal, & Crucis ac passionis Jesu Christi memoria iis iniiciatur, ilico dulcescunt, & cum gaudio consolatione, animique incunditate suscipiuntur. Tam funestæ cruentæque passionis exemplum, animum vniuscuiusque emollit, & mollissimos, impatientissimos, ac morosissimos quosq; indicit & animat, vt etiam ad grauissimos quosque fortunæ impetus, qui in vitæ huius stadio in hominem incurrunt, intrepide excipiendos sese parent.

2. *Reg.* 4.

Consideratio crucis animat animas.

Hæc igitur sancta & venerabilis crux, piæ sanctæque animæ numquam memoria nostra excidat, eam semper in animo, & in mente habeamus, nec ab oculis vmquam eam abesse patiamur. Cum per eam vita donati simus, vitam illi vicissim nostram, facultates & omnes fortunas impendamus necesse est. Agnoscens olim Psalmographus, quibus Deo deuinctus esset ob recepta beneficia omnibus, sic apud eundem confitetur: *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.* Idipsum simili in re & occasione repetamus, dicamus & omnes & singuli, eademque mentis animositate: *In æternum non obliuiscar crucem tuam pie Iesu Domine, quia in ipsa viuificasti me.* Vere inquam per eam vitæ participes facti sumus, per eam omnem beatitudinem accepimus, eius adminiculo in tribulationibus nostris robur & potentiam acquirimus, vt scribit Apostolus: *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est; his autem, qui saluifiunt, Dei virtus*, id est, robur quoddam diuinum. Potentia quippe & virtus Jesu Christi in cruce sita est, eo quod per illam mundum ipse Patri irato conciliarit, omnigenamque orbi benedictionem comparauit. Per crucem & in cruce Christum itidem cognoscimus. Quod & sponsa in Canticis innuit: quo enim loco vulgata versio præfert: *Sub arbore malo suscitauite*, alia quædam legit, *cognouite*, perinde ac si dicat: Numquam te, carissime mi, clarius perspicaciusque cognoui, quam in crucis arbore, ibi namque perspexi, & nimis quam euidenter cognoui, ingentem, quo erga nos afficeris, amorem, & extremum quo nostri redimendi mundique saluandi flagras desiderium.

1. *Cor.* 1.

Cant. 8.

Christus in cruce ab omnibus cognitus.

Verissimum porro est, animarum nostrarum Redemptor; nulla te in re perspici, cognoscique, quam in cruce, melius. Tua perspecta potentia est, cum aquis visus es inambulare, morbos pellere, mortuos ad vitam resuscitare, dæmones in fugam agere, aliaq; illustria miracula patrare. Sapientia & scientia tua tum patuit, cum populum in deserto pauisti, in montibus docuisti, Scripturas exposuisti, tam illustres sciasq; parabolas proposuisti, inque Synagogis tam sublime de lege Mosaica disseruisti. Verum in cruce potissimum tuus eluxit amor & affectus, quo humanum genus prosequebaris: ibi demum patuit, ecquis esses, quam ob causam mortem oppeteres, & quare patereris. Centurio tuam hic demiratus patientiam, conspicatusque te pro inimicis ac crucifixoribus Patrem rogare, te vt filium Dei agnouit: cœlum, terra, elementia, & totus omnino orbis tua visa potentia, te vt creatorem adorarunt, & suam

suam prodigiosis effectibus adorationem etiam quadamtenus patefecerunt, cœlum quidem deliquium solis patiendo, terra tremendo, elementa naturam aliam induendo, & mundus vniuersus demirando. Nos vero infinitum, quem erga nos ibi declarasti amorem, quæ nobis indidem comparasti bona, vitam denique, quam nobis acquisisti, notantes, verum te esse Redemptorem nostrum agnoscimus, ex toto te corde ibi adoramus, & omne tibi obsequium, cultum, officiumque, velut supremo Domino nostro, deferimus: tuamque diuinam crucem amplexi, & eodem quo te ipsum adorationis ritu prosequentes, quam humillime tibi supplicamus, vt, quemadmodum illa Redemptionis nostræ exstitit instrumentum & argumentum, scala tandem fiat, per quam in cœlos ascendamus: vbi æterna æternum gloria donemur ac perfruamur, ad quam nos vnus in Trinitate Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus perducere dignetur, Amen.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Partitio.

1. *De efficacia verbi diuini.*
2. *De homine sedente in telonio.*
3. *De illis verbis: sequere me.*
4. *De vocatione S. Matthæi eiusque sequela.*
5. *Cur Binomius & Publicanus.*
6. *De subita illius conuersione.*

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Matth. 19.

FIGVRA.

PHaraonis Ægyptiorum regis filia, conspecto, dum quadam die propter ripam Nili inambularet Moyse puero fiscella scirpea super aquas magno vitæ discrimine exposito, inde eum auferri, periculo subduci, clanculoque educari iussit, educatumque & iam grandi ætate in filium adoptauit, & inter primarios regni Satrapas connumerauit. Fortunatus hic euentus fuit, & sors beatissima. Longe maior felicitas fuit, quod Redemptor noster Iesus, Rex Regum, dum per mundum quæritans discurrit, conspecto parum quendam Matthæum nomine, publicanum ac vectigalium publicorum redemptorem, haud procul à mari Tiberiadis, æternæ mortis in discrimine agere, inde eum educit, ad sortem beatiorem vocat, inter Apostolos cooptat, atque inde in primos Ecclesiæ suæ principes assumit. O bonitas admirabilis! ô noua vocatio! quam vt eiusque partes intelligatis, cœlum sollicitemus necesse est, gratiam inde deuocaturi, & solitum Deiparæ patrocinium interponamus; quam idcirco cum Angelo Gabriele salutemus, dicendo:

AVE MARIA.

I. Miros verbi Dei admirabilis effectus, & opera insignia olim demiratus meditando Psalmographus, verbum id esse ait virtute plenum & magnificentia, *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Virtutem illi adscribit, quod peccatoribus conuertendis peraccommodum sit; magnificentiam vero illi comitem adiungit, eo quod insignem Deo afferat gloriam, eiusq; potentiæ amplitudinem magnificet, & infinitis modis exaltet. *Psal. 28.*

In ipsum prope subiectum incidens Esaias Propheta, mundoque verbi diuini virtutem, & prodigiosos quos in animis mortalium productura esset effectus à Christo Domino iam olim annuntiandum, repræsentans, cum aliis plurimis variisq; de rebus egisset, ita tandem capiti finem imponit, *Pro salitunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus, & erit Dominus nominatus in signum æternum*, quasi diceret: Messias, vt eximius quidam concionator efficiet, vt in Ecclesiæ suæ viridario, territorio feracissimo & vberrimo solo, spinarum loco cupressi excrescat, *Esai. 55.* Verbum Dei illi magnam parit gloriam.

pro vrticis myrti odoriferæ, atque eximium inde Deo honorem & immortalem gloriam redundaturam. Plurimi interpretes locum hunc perscrutantes, pro vulgata lectione: *Et erit Dominus nominatus in signum æternum*, sic legendum censent: *Et erit Deo in nomen & in signum sempiternum*: Eo quod verbum Dei animas ad meliora traducens, carduos in rosas, spineta in oliuas, sycomoros in aurea mala, vrticas in odoratas myrtos, id est, peccatores in iustos conuertendo, magni illius Dei potentiam sublime euehit, exaltat, immensamq; eidem gloriam parit.

Insignes metamorphoses per verbũ Dei factæ.

Hoc loquendi modo exponunt Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus, varias metamorphoses & admirabiles transmutationes, quas in plurimis peccatoribus verbo suo Christus Dominus est operatus, eos de peccatoribus sanctos, de publicanis Apostolos, de Ecclesiæ persecutoribus illustres & insignes Dei amicos, & sacrorum mysteriorum Doctores & interpretes constituendo. In testimonium Cyrilli verba adferam: *Pro Salunca*, inquit, *& vrtica, herbis spinosis, vilissimis & fœdissimis, quæ humi repunt, surget cupressus & myrtus; id est, pro peccatoribus & hominibus vitiis coopertis, fœtidis, qui nec se attollebant humo, surgent Apostoli & Euangelistæ; pro publicano Matthæus, pro Ecclesiæ persecutore Paulus, pro idololatris Doctores Ecclesiæ, & fulgentissima lumina.*

Animæ salus honorabilior mũdi creatione.

Addit Psopheta hoc ipso Dei magnitudinem celebrari, nomen & famam ipsius quaquauersum diffundi, & immortalem identidem gloriam ei afferri. Quod est etiam certissimum: ingenti namque & eximiæ Deo gloriæ est, peccatoribus salutem afferendo; eos à tartarea captiuitate vindicare. Quin immo hoc ipse sibi Deus tanto ducit honori ac gloriæ, pluris vt non faciat vniuersam hanc rerum machinam è nihilo producere, quam vel vnicam animam deuiam ad salutis iter reuocare. Colligere hoc est ex hisce Psalmographi verbis: *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Quamobrem è quæso, *Vt liberentur dilecti tui*; perinde ac si diceret: Exiguum quid est ac pusillum, summe Deus, gloriam tibi & honorem accedere, quod cœlos, elementa, terramque condideris, maiorem amplitudinem ac maiestatem præferas, potentiæ tuæ brachia latius extendas, opera longe diuiniora ac mirabiliora, atque infinita virtute tua digniora opereris necessum est. Qualia autẽ hæc futura sunt? ecquæ ad hoc peridonea reperias? *Vt liberentur dilecti tui*; vt videlicet à vitiis suis peccatores exsoluas, captiuitatis illorum vincula disrumpas, compedes diffringas, delictaque eorundem pro tua benignitate ignoscas. Hinc scilicet omnis tuus dependet honos, nihilq; est, quod illustrius præstantiusque tibi comparet nomen.

Psal. 107.

Veritatem hanc ad doctrinam item eruo è scriptis Angelici Doctoris D. Thomæ, peccatoris iustificationem, & remissionem delictorum, maximum, glorioſissimum, ac præstantissimum inter omnia Dei opera, censentis. Quæ doctrina ac propositio & indubitata est, & per Psalmistam confirmata dicentem, misericordias Dei, vti sunt eius gratia, venia, indulgentia, & remissio delictorum, & impiorum iustificatio, inter omnia Dei opera excellere & primas ferre: *Miserationes eius super omnia opera eius*, quasi dicat, Gratiam conferre, delicta condonare, & peccatores à delictorum onere liberare, quæ sunt opera misericordiam spirantia, maiorem Deo afferunt, quam reliqua opera eius, gloriam.

D. Thom.

Peccatorũ iustificatio maximum Dei opus. *Psal.* 144.

Huc crediderim referenda illa Esaiæ verba dicentis: *Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam*: Salutem quippe nostram dum operatus est, tunc gloriam & honorem sibi acquisiuit. Accedit insuper, quod Ierosolymis nostram est salutem operatus, omnia redemptionis nostræ mysteria ibidem contigerunt, peccatis ipsi ignouit, mundumque vniuersum liberauit; hinc magnam sibi indidem elicere gloriam dicitur. Nos vero inde discimus, maximum Dei honorem in iniquitatibus auferendis, & è peccatoribus sanctos, exque inimicis amicos constituendo consistere.

Esai. 46.

Maxima Dei gloria est conuertere peccatores.

Rem explicabit manifestius figura. Cum Joab omnium Dauidicarum copiarum præfectus, vrbem Rabba de filiis Amnon cepisset,

1. Paral. 20.

pisset, & Rex eiusdem Melchom coronam auro gemmisque grauidam ornatamque haberet; in prædæ ac manubiarum dispertitione Joabo hæc ipsa cessit. Sed cum Regi suo ac Principi Dauidi ipse eandem consignasset, dono lætus Dauid eam gratanter accepit, & liquefactam in aliam formam commutauit, capitique impositam publice gestare non erubuit, summæque id sibi gloriæ duxit. Ante quidem hæc illi corona inimica erat, eamque non parum abominabatur, verum hoste iam subacto ac debellato, eadem ipse caput redimiuit, summoque sibi duxit decori hanc ipsam gestare. Ad eumdem prorsus modum cum Deo & peccatoribus res agitur. Deus peccatores, qui toties eius maiestatem offendunt & contemnunt, vere horret ac detestatur, verum ex quo semel eos subiugauit & subiecit, non exiguus inde ad ipsum honos redoluitur, & singularia inde officia consequitur. Exemplo futurus est Matthæus Apostolus, qui interim dum vectigalia vt publicanus redimeret, Deo inimicus, superisque detestabilis erat; verum ex quo verbo filij Dei superatus, debellatus, ac conuersus fuit, magnam inde est Redemptor gloriam, & officiosissima obsequia consecutus. Gloriam quidem, dum inter eiusdem est connumeratus Apostolos, de quatuor Euangelistarum fuit numero, & duodecim Ecclesiæ Principum non postremus: obsequium vero dum eius legem edocuit, gentes ad Deum conuertit, ipsius aduersarios subegit, fidei luculentissimum testimonium dedit, mysteria eiusdem diuulgauit, denique dum eius causa obsequij vitam tormentis exposuit.

Allegoria.

Peccatores conuersi Deo honorant, & obsequium iucundum efficit.

Hæc quidē hodie pertractanda sunt, hæc huius concionis futura materia; hoc hodierni Euangelij, cuius hoc initium est: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me*, medulla & substantia. Hanc vt methodice vobis certaque ratione deducam, ad duas eam partes reuocabo, prima Euangelij contextum, altera S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ vitam, mortem, merita, ac præconia complectetur.

Primo ergo Euangelica series, S. Matthæi vocationem enarrans, refert Redemptorem quadam die haud procul à mari, vt animas in mundi oceano piscaretur inambulantem, interim, dum discipuli in mari Tiberiadis pisces captarent, vidisse hominem publicanum in telonio sedentem. Per *telonium* porro intelligendus locus, in quo publicani, id est, publici tributorum, vectigalium, ac portoriorum Redemptores receptoresque suos nummos deponebant; vel locus, in quo hæc tributa regia portoriaque ab obuiis persoluebantur. Erat hoc telonium extra muros Capharnaum, haud procul à mari Galilææ; eo quod Capharnaum territorij caput, in qua publicanorum erat ærarium & gazophylacium, mari imminerer. II.

Telonium quid sit.

Hic igitur Redemptor hominem vidit sedentem. O beata ac fortunata visio! omne namque peccatoris bonum in eo situm est, quod à Deo conspiciatur. Oculi etenim Dei mira præstant, & semper misericordiam secū trahunt. Sic reipsa hoc expertus testatur Dauid dicens: *Vidit Dominus & misertus est mei*, & alio loco sic deprecatur: *Aspice in me & miserere mei*, quasi diceret, Scio, clementissime Domine, iucundos, dulces, placidos, benignos ac misericordes tibi esse oculos, ac numquam in peccatorem te aliquem eosdem coniicere, quin simul misericordiam ei præstes: hinc summa animi contentione ac demissione obsecro, ne rutilantissimos illos soles ac faces à me vnquam auertas, miseriæque meæ commiseratione ac compassione tangaris.

Omne nostrum bonū à Dei visu dependet.

Dei oculi nunquam sine misericordia sūt. *Psal.* 29. *Psal.* 24.

Horum oculorum virtutem perspectam etiam habebat Job, cum Deum alloquens ait: *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis?* quasi diceret, Quid, Domine itane te meis miseriis oculos occludere? mene à te in simario iacentem & vlceribus & plagis ac sanie coopertum videri, & nulla te mei ratione misereſcere? anne oculi tibi sanguinolenti, & ad omnem feritatem eruditi, vti oculi sunt hominum? Dicere vult, mea quidem sententia, Oculi, tui, Domine, longe alij sunt, & minimum quantum discrepantes ab oculis

Iob. 10. differentia inter oculos diuinos & humanos.

hominum, semper namque misericordiam redolent, & spirant clementiam!

Rex ille sanctissimus iuxta ac maximus à Deo se suo separatum, & in scelerum abyssum delapsum videns ad ipsum inclamans aiebat: *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum.* omne meum bonum à tuo dependet aspectu, & calamitas mea omnis & ruina à tuorum oculorum amissione. Psal. 34.

Magnus ille Patriarcha Jacob morti iam proximus, de diuinis illis oculis, deque Messia venturo vaticinans, & qualis futurus esset aperiens, cum ad oculos eiusdem describendos venisset, sic loquitur: *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Noua & inaudita hactenus oculorum cum vino comparatio, non tamen extra propositum: per eam namque vir sanctus denotare voluit, quod quemadmodum vinum inebriat, & diuersos producit effectus homines modo exhilarando, & recreando, modo contristando & melancholicos reddendo: ita & Messiæ oculos aliquibus delectationi & solatio fore, benigno illos intuitu respiciendo, ac misericordiam exhibendo, aliis vero tristitiæ atque horrori, iratum iis vultum exhibendo, inque eorum delicta animadvertendo. Gen. 49. Messiæ oculi vino collati.

Singularis cuiusdam oculorum Dominicorum effectus argumentum Matthæus noster dabit, cum in telonio sedens ab iisdem visus, omnia deseruit, negotiis valedixit, affectum ab iisdem auocauit, Dei se obsequio dedicauit, & è pecunioso publicano zelosus factus est Apostolus & magnus Euangelista. Hoc ex Euangelio colligere est dicente: *Vidit Iesus hominem.* In hoc vero factum est, quod in alio quopiam factum refert Sapiens: *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius & exaltauit caput eius; & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* An non omnia hæc in Matthæo contigerunt? an non pauper erat at iniquitatibus diues & à virtutibus inops, dum vectigalium receptioni est intentus? verum mox vt Domini Iesu illum est oculus intuitus, exaltauit caput eius, ad Apostolatum eum subuexit, vnde plurimi in admirationem rapti sunt, Deoque honorem & mille præconia decantarunt. Eccli. 11. Mirabiles effectus oculorum Christi erga S. Matthæum.

Et vere res est summa admiratione dignissima, Dei Filium inter tot hominum millia, in publicanum quendam oculos conieciisse, hominis tam vilis & sordido negotio infamis opera vti voluisse, eumque tam sublimem extulisse, vnum vt è principibus vniuersi constituerit, de quibus dicitur: *Constitues eos principes super omnem terram.* Obstupescimus itidem, hominem hunc vocatum cuncta mox reliquisse, eumque opibus circumfluentem, pauperi Christo tam libenter & vltro adhæsisse; tam sanctam vitam duxisse, tanta fide Euangelicam historiam conscripsisse, tanta animi constantia per orbem Euangelium annuntiasse; denique mortem pro Christi Domini gloria tam acerbam duramque pertulisse. Hæc nonnisi vere cœlestes sunt effectus, & summa summi Dei opera, qui magnitudinem suam testaturus è plebeis & gregariis militibus illustres creare Principes consueuit, & è rebus infimis ac humilimis maxime admiranda elicere: secundum illa Psaltis verba: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem.* Mirabilia in S. Matthæo. Psal. 112.

Atque hæc omnia ab oculis Dominicis ortum habuerunt. Oculi etenim Dei ante deregunt & discooperiunt, quæ potentiæ eiusdem manus deinde exequuntur. Hisce porro oculis mira quædam vis inest; intuendo quippe aliquem, eundē fascinant, ad se trahunt, & inuitum quodammodo ad se diligendum impellunt. Aristoteles aliique docent, esse in rerum natura serpentium genus adeo noxium ac virulentum, vt vel solo intuitu oculisque quempiam enecent: at oculi Dei longe aliam in se virtutem includunt, viuificandi inquam vitæque hominibus conferendæ. Peccatores namque in sanctos, mortuos in viuos, impios in innocuos, Publicanos in Apostolos commutant. Oculi Dei viuificant homines.

Succino

Succini & magnetis vis mirabilis

Succino ea natura vis indita, vt festucas ad se attrahat, magneti vero, vt ferrum ad se rapiat, & locum mutare cogat: quorum effectuum proprias numquam Philosophi dare causas potuerunt. Ipse porro Redemptor Iesus persæpe in sacris litteris & petra dicitur, & petræ comparatur: (*Petra autem erat Christus*) sed prodigiosa quædam reuera petra fuit, petra inquam videns & oculata: quidquid enim conspicabatur, ad se rapiebat; vti hodie Matthæum, *Vidit Iesus hominem*, cras alium; tandem & omnes, dum ait: *Ego si semel exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Effectus autem tam admirabilis alia dari ratio non potest, quam pura eius bonitas & misericordia.

Christus petræ collatus. Ioan. 12.

Mercator aurus persimilis leoni in cauernis latitanti.

Hodie ergo conspicit Matthæum *in telonio sedentem*, haud procul à mari, apud quod commorabatur noctu & interdiu excubans, & diligentissime speculans, ne qua nauis non persoluto portorio aut vectigali elaberetur, suique inscij vngues euaderet. Hæc mercatorum & opulentorum omnium vitæ ratio est: quam egregie & præclare admodum suis depinxit coloribus Psalmista dicens: *Quasi leo*, inquit, *in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* quasi dicat Mercatores alijque lucris & quæstui sitibunde incubantes, suis in officinis latitantes, leonibus suo in spelæo latentibus persimiles sunt, ad incautos agricolas intercipiendos, ipsos ad se pellicientes, vt de suis mercibus quid coemant.

Psal. 9.

Ieremiæ 3. Vulgatæ editionis codices legunt: *Exspectans eos quasi latro in solitudine.* sed alia versio pro *latro*, præfert mercator: Vt hinc euidenter ac liquido appareat, latronem inter & mercatorem exiguum esse discrimen, cum vno eodemque verbo Hebraice exprimatur vterque. Quod vt alio argumento validius corroboretur, notandum, 3. Regum libro, quo loco Eliæ Prophetæ corui quotidianam alimoniam detulisse dicuntur, alio in textu legi, mercatores missus huius quotidiani administros & paratores fuisse. Verum dubium hoc egregie, vt omnia pro more soluit doctissimus Abulensis, dum veros coruos quotidie panem dimensum, quem è Regis Achabi mense clanculo tollebant, attulisse vult, cumque hac occasione ceu latrones ac rapaces, vti & reuera natura sunt, ibi haberentur; mirum nemini videri debet, si mercatorum nomine exprimantur: multi namque horum veri latrones sunt ac fures, ac sæpe etiam ijs deteriores, qui de insidijs viatores incautos adoriuntur, & crumenam expilant.

Ieremiæ 3.

3. Reg. 17.

Vere itaque mercatorum vita adeo periculis exposita est, vt Psalmo 7. Psaltes dicat: *Quia non cognoui litteraturam*, aut iuxta alios interpretes, *mercaturam, introibo in potentias Domini*: significans, eos qui negotiationibus ac mercimonijs incumbunt, vix sibi alterius vitæ spondere beatitudinem posse. Proximum enim decipere & circumuenire, bona aliena inuadere, millies interdiu deierare ac peierare, iniqua mensura ac pondere sua diuendere, adulterinos colores pro sinceris proponere, aliæque iniquitates ac fraudes in officinis committi solitæ, salutis acquirendæ & gloriæ æternæ adeundæ ratio non sunt.

Psal. 70. Vita mercatorum periculis exposita.

Zachariæ 14. quo loco cum vulgari legimus: *Non erit mercator vltra in domo Domini*, veteres legunt, *non erit fraudulentus*, eo quod mercaturam exercere, & decipere, ac mentiri idem prope sint, & mendacia, fraus, & circumuentio vt plurimum mercaturam sequantur. Etsi vel tres tantum fraudes atque imposturæ in vrbe occurrant, illarum duæ in officinis ac tabernis mercantium reperientur. Hæc in mercaturæ negotiatorumque vituperium, probrum, sugillationemque dicta sint, eo quod Matthæus noster eidem etiam vacasse videatur, vtpote sedens in telonio, taberna, & officina, negotiationi intentus, & receptioni vectigalium onerumque Galilææ incumbens.

Zach. 14.

Fraus mercaturas sequitur.

Sedentem in telonio, Sedisse scribitur, dum à Christo vocaretur, vt ita & miraculum & magna vocantis potentia declararetur. Credendum namque, S. Matthæum incredibili auri cupiditate flagrasse; tali s. etenim publicanorum erat vita. Ab hoc ergo affluentiæ statu ad extremam quamdam pauperiem transire velle, qualis haud dubie Iesu Christi erat, qui locum non habuit, in quo, teste Euangelista, vel caput reclinaret; magnum

Cur Matth. publice vocatus in telonio sedēs.

Luc. 9. Matthæi vocatio miraculosa.

quid erat eximium, & mutatio sane singularis, sed maiorem longe admirationem meretur, quod ad mensam, telonium ac rationarium abacum sedens, vocatus omnia in momento reliquerit, & ab vno extremo ad aliud transierit, & extemplo in alium hominem commutatus sit. Ingens hoc miraculum est, quodque non sine singulari ipsius vocantis potentia fieri posse credendum est.

Matth. vocatio magnæ clemẽtiæ actus.

Deinde hoc in statu eum vocare Redemptor voluit, vt suam in peccatoribus vocandis clementiam & infinitam bonitatem ostenderet: nam profecto insignis clementiæ opus fuit, vocare, & eligere ad Apostolicam dignitatem, qua inter spirituales nulla dignior aut emiãentior, hominem tam vilibus sordidis & mechanicis officijs deditum. Hominem inquam à rationibus subducendis, vectigalibus recipiendis auocare, vt eum de Ecclesiæ Principibus constituat, misericordiæ actus est, & potentiæ.

Auaritiæ peccatum periculosum valde.

Tertio, sedens in telonio vocatus dicitur, vt beneficij collati appareat magnitudo, habito respectu periculi, vnde eductus est. Maximo quippe Matthæus discrimine ereptus est & maxima è contra gratia donatus, dum ab auri eum cupiditate asseruit. Inter omnia namque peccata nullum est aut damnosius, aut quod hominem magis irretiat, aut arctius constringat, auaritia. Vt enim cætera ad hanc veritatem adstruendam facientia prætermittam, satis mihi erit in memoriam reduxisse illum boum (quibus auaritia repræsentatur) emptorem, cuius Euangelium meminit, qui ad nuptias inuitatus ire noluit, dicens: *Iuga boum emi quinque, & necesse habeo probare illa.* Vt vero sciatis, quam hoc sit peccatum noxium ac periculosum, memineritis dumtaxat, ipsum alias ab Apostolo idolorum seruitutem vocari, alias eundem docere plurimos eiusdem occasione à fide aberrasse, veritati renuntiasse, & inimicos & Apostatas Euangelij factos esse: *Quam multi sectantes errauerunt à fide.*

Luc. 14.

1. Tim. 6.

Denique notat Euangelium, Matthæum in telonio ab ipso Dei filio fuisse vocatum, vt inter Apostolos connumeraretur: vt hoc viso exemplo, omnibus animus accrescat, ac nemo de sua desperet salute, viso tot peccatores peccatis grauissimis onustos & infames offensarum veniam & indulgentiam esse consecutos. Dauid adulter, Saulus persecutor, Matthæus publicanus, Magdalena peccatrix in ciuitate, alijque sexcenti, qui errorem ac delicta agnoscentes, veniamque à Deo deposcentes, omnes tandem in ipso gratiam, indulgentiam & infinitam misericordiam obtinuerunt. Quod cum ipsa Dauid esset expertus, omnes exhortatur, nunquam vt de Dei gratia obtinenda quis desperet; sed ab ipsa vitæ aurora vsque ad noctem in illo speret *A custodia matutina vsque ad noctem speret Israel*, id est, anima peccatrix, *in Domino*, cuius mox rationem reddit; *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

Peccatori Deo semper cõfidat.

Psal. 129.

Sed reuoluenti mihi hæc Euangelij verba, *sedentem in telonio*, longe alia occurrunt, mihique persuadeo, non frustra eadem à Spiritu sancto prolata esse, sed vt nobis ijsdem peccati magnitudo exprimeretur: grauius quippe est in peccato sedere, quam in eo stare; ac peius in eo conquiescere ac stare, quam tantum obiter ipsum attingere. Tres hosce peccati gradus aut situs notauit etiam Psalmorum initio Psalmorum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Abire in consilio impiorum, est peccato se addicere, in via peccatorum stare, est in eo perseuerare, in via peccatorum stare, est in eo perseuerare, in cathedra vero virulentiæ sedere, est vitio ipso delectari & recreari. Miserum est in peccato agere, miserius in eodem stare, at longe miserrimũ delectatione, & voluptate animi in eodem sedere: beatus autem ille ac ter & amplius beatus, qui horum graduum nullum attingit. Sanctus Matthæus vero in telonio suo & auri cupiditati affixus sedebat, cum videns illum Seruator ait: *Sequere me*; id est, hanc mensam relinque, & Ecclesiæ tibi meæ curam concredam; publicani munus desere, & Apostolum te constituam;

Tres peccati gradus.

Psal. 1.

S. Matth. auaritiæ affinis.

situam; pecuniam ac vectigalium tractationem abijec, & animarum tibi rationem commendabo; mundo valedic, & regni cœlestis hæreditatem adibis.

Mt. *Sequere me*: quasi diceret: Sequere me in vita, in morte, & post mortem. In vita quidem à rerum temporalium quæstu ad lucrum spiritualium ac perpetuo duraturarum, à mundana prosperitate ad tribulationem & aduersa, à fastu & arrogantia honorum & vanitatum ad humilitatis statum; ab abundantia denique & superfluitate rerum sæcularium adimum paupertatis gradum.

Secundo, *Sequere me* in morte, id est, ad crucem, atque inde ad vitam æternam, ad coronam spineam, vt exinde gloriæ coronam adipiscaris. *Sequere me* ad regnum cœleste: eo namque te præcedam, vt iter te edoceam ac præmonstrem, iuxta Prophetarum oracula, ac præsertim Michææ dicentis: *Ascendit pandens iter ante eos.* Ipse quoque postea dixit: *Vado parare vobis locum*, ac regnum, *vt vbi ego sum, illic & minister meus sit.*

Mich. 2.

Apostoli Christo assistentia in die iudicij.

Tertio, *Sequere me* post mortem, id est, in die iudicij. Tunc namque Iesus Christus in vallem Iosaphat, vt summus Præses mundum vniuersum dijudicaturus, descenderet, & tunc Apostolos omnes aduocabit, sibi vt in magno illo iudicij sententiæque ferendæ actu assistant, ceu assessores, vti Principes, & Satrapæ regni alicuius Regi assidere, & consulere simul solent, si quando magnum quid ac summi momenti negotium exequi deliberat. Prædixere hoc Prophetæ, atque Isaias nominatim; dicens: *Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & principibus eius*, id est, Apostolis, qui idcirco Principes in Scriptura appellantur; vnde Psalmista: *Constitues eos Principes super omnem terrã.* nec vero Principes vnius prouinciæ solum, sed absolute, & omnibus terræ Principatibus ac dominijs longe lateque imperitantes, quorum potestas atque auctoritas ijsdem quibus Ecclesiæ Christiana limitibus continetur. Hi porro Principes cum Rege suo Christo in die postremo vniuersali iudicio intererunt; quod ijs olim à Redemptore apud Matthæum promissum: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, cum scilicet mundi suprema fuerit dies Huc ergo respiciens Redemptor, Matthæo ait: *Sequere me*, in hoc iudiciario scilicet honore.

Isai. 3.

Psal. 44. Apostoli Principes sunt super omnem terram.

Matt. 19.

Non autem Christus solum hæc vsurpæ verba, iisque peccatores ad se sequendum inuitat & adhortatur, sunt enim & alii, qui eisdem vtuntur, peccatoresque iis vocant, vt se sequantur. Mundus, inquam, caro, diabolus eadem postulata proponunt, eodem instant & vrgent modo, eandem paræneſim adhibent. Mundum quippe suo clienti ociniere & oggerere, *Sequere me*, res est longe certissima; sed nunquam non decipit eos, qui illi auscultant, & sequuntur. Hac super re loquentem audite Augustinum: *O munde proditor, cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers promittis vitam, sed donas mortem: promittis gaudium, sed largiris mœrorem, promittis quietem, sed ecce turbatio, promittis florem, sed cito euanescit: promittis stare, sed cito recedis, non ergo es diligendus, nec imitandus, quoniam cito transis & concupiscentia tua velut fumus euanescit &c.*

Mundus, caro, dæmon, peccatores ad se vocant.

Serm. 31 ad frat. in eremo

Mundus decipit eos quos ad se vocat.

Eodem item modo vnicuique ocelamat caro: *Sequere me.* Sed & hæc fallax est & deceptrix. Idem ipse Pater Augustinus eosdem Fratres in eremo, ab eadem sibi vt diligentissime caueant, consulto seduloque monet, dicens: *Caro cum satiatur affluentissimis cibis & potibus hortatur omnia mala facere: ipsa enim prouocat homicidia, perpetrat adulteria committit rixas, inserit ebrietatem, potat omnem sæculi concupiscentiam, &c.*

Ser. 49.

Caro ad omne malum incitat.

Nec minus etiam diabolus nocte dieque peccatorum auribus ocinit: *Sequere me*, sed semper iis imponit & fallit; ea tamen seculorum peruersitas, ac malignitas, vt omnes passim eum quam vocantem Deum sequantur libentius.

Galamitatem hanc & cæcitatem hominum, quam dolentissime deplorat sacra Scriptura dicens: *Dimiserunt Dominum Deum Patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, & secuti sunt Deos alienos, &c.* Mundus, caro, diabolus, dii sunt alieni, ii vero Deum relinquunt, vt illos sequantur, qui reiecta humi-

Iudit. 2.

humilitate superbiam, relicta, paupertie diuitias, relicto contemptu ambitionem, relicta vitæ austeritate delitias, relicta pœnitentia voluptates, cœlo denique relicto terram ambiunt, & sectantur terrena.

Eadem item apud Ieremiam est expostulatio, in Sacerdotes potissimum concepta: *Sacerdotes mei dixerunt: Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores prauaricati sunt in me, & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola secuti sunt, &c.* Quam tua expostulatio, clementissime & optime Deus, etiam hoc sæculo repetenda, & sæpius iteranda! si quæ enim vnquam de Sacerdotibus tuis, Pastoribus, Religiosis alijsque Ecclesiasticis expostulandi ac querendi tibi fuit occasio, hoc certe tempore ea & maxima & vrgentissima fuit, nam & oculo lachrymabundo & ore gemebundo fatear necesse est, eorum partem potissimam nescire ecquis sis, & vbinam sis. Docti in lege, & omni litterarum scientia exculti, te amplius non agnoscunt, toties in te prauaricando deliquerunt. Prophetæ quoque, id est, concionatores, concionati sunt, & quotidie etiam concionantur, in Baal, id est, propter mundum, ad famam, ad nominis gloriam, ad vanitatem captandam, studio emergendi, ad dignitates peruen endi, ad Episcopatum venandum; ad Principibus & Magnatibus placendum, eorumque auribus seruiendo. Omnes porro deos sequuntur alienos, mundi splendorem sectantur, carnalibus voluptatibus indulgẽt, vitæ commoditatibus student, & sæculi huius prosperitates ambiunt.

Ierem 2. Dei de Sacerdotibus querela.

His exacerbatus Deus, & hisce malis mederi volens misericordiam iustitiæ præferendo, sic vnumquemque nostrum per Ieremiam ad meliorem frugem cohortatur: *Conuertimini*, inquit, *vnusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra, & nolite sequi deos alienos, neque colatis eos.* Illi deos alienos colunt, & adorant idola, qui verum Deum cœli relinquunt, quo mundi, carnis, diaboli castra ac partes sequantur eorumque cultui studeant. His vos ô cosmophili, Deus hortatur verbis, hac vos oratione compellat: & illius monitioni ipse illam Eliæ ad Baal Prophetas olim habitam connectam, dicentis: *Si Dominus est Deus, sequimini eum.* Ad vos ô mundi clientes, carnisque mancipia, idipsum identidem inclamo: Si Dominum illum supremum, qui in cœlis regnat, qui elementa temperat, qui vniuersi machinam conseruat, & à cuius nutu arbitrioque dependent cuncta, verum esse creditis Deum, illius obsequio vos mancipate, ipsum adorate, ipsum agnoscite, non vero alium. Hinc hodierna die Matthæo nostro ait: *Sequere me.*

Ierem. 35.

3. Reg. 18.

Quam vero hæc Matthæi vocatio officiosa, potens & efficax fuit! In Euangelio namque mox subditur, *Et secutus est eum.* Præuiderat hoc de Iesu Christo ipse Psalmista canens: *Dabit voci suæ vocem virtutis.* In eo vero virtus elucet, quod eum è loco, è quo nonnisi quam ægerrime homo exire solet, euocauerit, & ab officio munereque in quo sibi quisquam à delinquendo difficillime temperet, vti sunt res nummaria, telonia, subducendi computandique ratio, negotiatio & rerum mundanarum tractatio. Hic ergo vi ita ad Deum conuersus, & ab omni temporalis negotiationis inquietudine liber, dicere merito potuit, quod olim Iob ex pura libertate, & libera puritate à cura vitæ huius dixit: *Vestigia eius secutus est pes meus*, perinde ac si dixisset: Mox vt me Deus meus euocauit, vocantem è vestigio sum secutus, pes meus illius vestigia semper calcauit, cor etiam meum à cultu obsequioque illi deferendo numquam alienum fuit.

IV. Matthæi vocatio virtuosa ac potens fuit. Psal. 67. Iob. 13.

Secundo in eo vocantis virtus eluxit, quod secutus inde effectus plane fuerit admirabilis; eo quod Matthæus, nullo signo aut miraculo vocantis conspecto, ipsum secutus confestim sit, ad vnicum eius verbum obediens: vt eius in laudem dicere merito Saluator mundi potuerit: *In auditu auris obediuit mihi*, quasi diceret: Vix meam auribus vocem percepit, quin mihi obedire mihique cultum deferre in animo constituerit.

S. Matth. secutus est vocantem Dominum nullo viso miraculo. Psal. 17.

Tertio, sanctæ huius vocationis virtus & efficacia in eo patuit, quod, qui non minori sui difficultate quam mundi admiratione vocatus erat, eum vocantem iam secu-

S. Matth. in vocatione perseuerauit.

tus

tus esset, & Publicani muneri valedixisset magna animi constantia in sancto hoc generosoque proposito permanserit: post enim ad mensam & telonium publicanorum redijsse non legitur, quemadmodum Petrum ad piscatum & cymbam, quam jam deseruerat, reuertisse Euangelistæ scribunt. Perfecte ergo fideliterque verba hæc *Sequere me*, compleuit.

Ambr. li. de Abraham. Inter veterum Sophorum gnomas, sentẽtias aut prouerbia, vt testatur S. Ambrosius, hæc non postremo erat loco: *Sequere Deum*. vtpote inter omnes & præstantissima & celeberrima. Quod veteres illi Philosophi sui tẽporis hominibus insculpere satagebant, hoc ipse Dei filius, ipsa Dei sapientia, in mundum venit inducere, & hodie publicano ait: *Sequere me*.

S. Matthęus Dominum secutus in paupertate. Et sane magna eum est promptitudine secutus, & omni, qua conuersus aliquis, & ad perfectionem aspirans, ratione Deum in hac vita mortali sequi potest. Primo namq; secutus est eum in summa paupertate, nam de Redemptoris paupertate sic apud eundem Matthæum legere est: *Vulpes terræ foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis nõ habet vbi caput suum reclinet*. Magnæ sane hoc paupertatis argumentũ: Matthæum vero D. Lucas scribit, relictis omnibus, surgentem, Dominum esse secutum. In quæ verba è Ven. Beda hoc Glossa notat: *Matthæus reliquit propria, qui rapere solebat aliena*.

Matth. 8.

Luc. 5.

S. Matthęus in humilitate Christũ imitatus est secutus. Secundo, *secutus est eum* in humilitate: de Christi enim humilitate apud Matthæum legitur: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Capite vero Euangelij sui nono Matthæus ipse, in magnę humilitatis argumentũ, se vt peccatorem describit, & publicanũ nominat, quiq; in telonio vectigalibus colligẽdis incumbebat. quin & eodem in Euangelio turpe & probrosum non ducit, Pharisæorum scandalum & obloquia sui causa orta referre, dum eius in ædibus Redemptor vescereturr, murmurantium, & discipulis obgerentium: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Quib. è verbis colligere licet, publicanos apud Iudæos male audisse, illorũ vitę rationem infamem fuisse & passim suspectam, cum Pharisæi scandalizentur, Redemptoriq; vitio & probro vertãt, quod illorum esset in contubernio frequens. S. Matthæus tamen, è singulari animi demissione, hoc sę nomine indigetare, ac se publicanum dicere, minime veretur, & suum ingenue peccatum confitetur: cum tamen D. Lucas, illius honori nominique volens consulere, è reuerentia & respectu, nomen ipsius honesto silentio inuoluat, & pro Matthæo Leui nominare sufficere existimet, ne forte illius indicato nomine præteritæ vitæ infamiam simul prodat.

Matth. 11.

Matth. 9.

Ibid.

Tertio, *secutus est eum* prompta quadam obediẽtia. Suam Redemptor prodidit obedientiam ad mortem vsq;, vt de eo scribit Apostolus, obediendo *factus est obediens vsq; ad mortem*. Eandem porro virtutem Matthæus patefecit, omnibus suis rebus statim valedicendo, & quam celerrime se ijs abdicando: de illo quippe scribitur: *Relictis omnib. secutus est eum*. In quæ verba Ven. Beda sic commentatur: *Matthæus merito obedientiæ dũ humana contemnens negotia deserit, Dominicorum fidelis dispensator factus est talentorum*. Euthymius hæc etiam exaggerat, & ait: *Admirare perfectam eius, qui vocatus est obedientiam, quomodo neque consultauit apud se, quomodo nullum super ea re consuluit amicum, sed confestim surgens secutus est eum, relicto vniuerso mundo*. Hæc scilicet diuinorum horum verborum, *Sequere me*, vis, effectus & potentia admirabilis.

S. Matthęus in obediẽtia est Christi secutus. Phil. 2.

In homil. huius diei.

Euthym. in Luc. 9.

Simplices & indocti auditores, vestra bona cum venia, in materiæ huius arcana profundius descendam, & conceptus meos paulo eueham sublimius, quo quib. & mens ad mysteria penetranda accuratiusq; percipienda illuminatior, & doctrina maior, etiam aliquatenus satisfaciam. Vobis ergo, Theologi, dictum esto, dupliciter Deum ad se animas attrahere & vocare, vna vocandi ratio communis illi & solita est, alia singularis & extra ordinem. Scholastici alia vtrique dant nomina, & primam sufficientem, alteram efficacẽ vocitant: qui vero vtriusq; naturam & essentiam notant, aiunt in prima voluntatem & consensum vocati, in altera vocantis considerandam potentiam. In prima omnia modeste leniterq; fiunt, sine vlla violentia, in secunda

Duplex Deo vocãdi animas ratio.

è contra imperiosè, ac velut coactè & violenter omnia peraguntur.

Rem clarius expono, & duos hosce appellandi modos testimonijs è sacra Scriptura petitis comprobo. Quod ad primam, recordemini illius, quod in Euangelio legitur: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum* Ea vocatio, sed placida, & plena dulcedinis, sed in quam voluntas concurrit, sed in quam vocati requiritur consensus. Est hæc vocatio libera & voluntaria. Quod ad secundam Matthæi 4. c. piscatoribus, exinde Apostolis factis ait: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Ecce vocationem absolutam, & imperium includentem, in qua sola vocantis auctoritas & voluntas locum habet. Vt vero videatis, apparere hic aliquid veluti violentum adferam alia testimonia, & illum inprimis Ioan. 6. locum: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* trahere, attrahere, aut raptare, violentiam ac vim denotat, ac nonnisi cum violentia potest intelligi. Eodem itidem sensu hoc adhibet Sponsa in Canticis dicēs: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum* Quin ipse Dei filius hunc metaphoricum loquendi modum adinuenit, modo per Prophetas dicens: *In funiculis Adam traham eos*: modo ore suo in Euangelio: *Ego si semel exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Quæ omnia vocationem denotant velut placide coactam, & intermista dulcedine quodammodo violentam. Vt quid sentiam, facilius comprehendatis, duas adferam figuras egregie huc facientes.

Matth. 6. Luc 9.

Matth. 4.

Ioan. 6.

Cant. 1.

Osee 11.

Ioan. 12.

Antequam ignis ille scelerum Sodomiticorum ac Gomorrhæorum vindex infamem illā in Pentapolim descenderet, dicuntur Angeli per vrbis Sodomæ vicos obambulasse, & tandem Lothi domum ingressos, duos eiusdē generos adhortari, vrbe vt se proriperent, imminens discrimen declinarent, de se in tuto collocando cogitarent. Illi auscultare nolentes, Angelos sibi credebant imponere; hinc vna cum reliquis cœlesti deflagrarunt incendio. Lothum vero manu eiusdem apprehensa, vrbe exire, periculo se eripere, & montes petere vicinos Angeli coegerunt Hoc exemplo duplex nostra vocatio ad viuum repræsentata: generi ab Angelis commoniti & incitati, vt sibi prospicerent, vocationem sufficientem, Loth vero compulsus & coactus vrbe egredi, efficacem denotat.

Gen. 19.

Duarum vocationū imago.

Figuram aliam suppeditat Euangelium. Rex quidā celebres instituit nuptias filio suo, & plurimos ad easdem vocauit: qui cum indignos se reddidissēt, iratus rex seruis edixit, vt foras in vicos & capita viarum egressi obuios quosq; in quos inciderent, cæcos, claudos, morbidos & paralyticos, aut alijs malis aut morbis implicitos, ad nuptias non inuitarent modo, sed etiam intrare compellerent. Priorum inuitatio vocationē hominū sufficientem; at posteriorum, quæ prædestinatorum est, & quæ violenter ac coactè fieri videtur, signat. Deus optimus maximus, magnus ille rex, in regio illo beatitudinis cælestis epulo splendidas parauit nuptias, ad quas cunctos inuitat, & eodem perueniendi sufficientia præstat media; electis vero ac prædestinatis tot tantasq; elargitur gratias, vt quasi cōpellat & cogat eodem intrare; atque hoc est, quod sufficientem & efficacem dicere vocationem solemus. Huc delapsus sum occasione verborum illorum Christi: *Sequere me.* Gratia sufficiens & efficax figura exprimitur.

Horum rursus occasione notandum hic venit (ô docti) ex imperioso hoc Domini mādato liquido patescere, illum absolutum ac supremum totius vniuersi dominum esse, & plenam in omnia, in facultates inquam, vitam, corpora simul & animas, quin etiam voluntates ipsas, potestatem atque auctoritatem habuisse. Præclara & manifesta exempla testimoniaq; sacræ Litteræ suggerunt. In facultates quidem, dum nimirum Apostolis imperat, vt asinam ac pullum eius adducerent, quibus Hierosolymam ingressurus insideret; in vitam, quando tot mortuos ad vitā resuscitauit; in corpora, dum tot morbidorū genera sanitati restituit, surdis auditum, mutis loquelam, cæcis visum, claudis pedum vsum, & paralyticis membrorum integritatem reddendo; deniq; in animas & voluntates, dū peccatores conuertit, mentes eorum & animos mouendo, & in interiora illorum, ad profundissimas vsq; cogitationes, penetrando: vt in Euangelio dicitur, *Videns Iesus cogitatio-* Omnia potestatem habet. Matth. 9.

Luc. 5. Luc. 11.

tationes eorum. Plura hac de re non loquar; tēpus enim & hora jam postulat, de S. Matthęo, eiusq; admirabili conuersione vt agamus, quam in secundam concionis partem reseruaueramus.

Hodie ergo, Christiani Auditores, Ecclesia nobis S. Matthæi conuersionem proponit quem à mensa, telonio, & Cæsareorum vectigalium redemptione Redemptor vocauit, suus vt Apostolus foret & Euangelista, & à vilissima hominum conditione ad summam Ecclesiæ dignitatem, qualis est Apostolica, idq; testimonio & iudicio Pauli Apostoli, qui Ecclesiasticarum dignitatum gradus recensens, Apostolatum primo collocat loco dicens: *Posuit in Ecclesia Deus primum Apostolos*, euexit.

1 Cor. 12.

Adeo vt Matthæus è lapidib. illis ingentibus fuerit, quos Iosue Iordanis alueo eduxit, vereq; cum Psalmographo dicere queat: *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fœcis, & statuit supra petram pedes meos*. Vt non sine ratione ac fundamēto mihi factum esse persuadeā vt inter reliquos Apostolos septimus enumeretur, & pro septimo cælestis Hierosolymæ fundamento, quod ex sancti Ioannis in Apocalypsi sua judicio, Chrysolitus est, habeatur: Merito ergo gemma hæc Matthæo attribuitur; nam, vt Plinius auctor est, ipsa aurei est coloris, quin & scintillis ardentibus rutilat: addit Isidorus, interdum ipsam marinum colorem præferre. Eleganter porro & natiue Matthæi nostri figura est, qui olim quidem maris, id est, mundi colorem retulit; cum scilicet publicanū ageret, & haud procul à mari ad recipienda portoria in telonio sederet. Deinde vero ardenti erga Deum & proximum charitate instar auri effulsit, & ardentes flammanteſq; ejaculatus est scintillas, tum ore Euangelium annuntiando, tum manu conscribendo, tum etiam miraculis coruscando & fulgendo.

Psal. 39. S. Matthęus inter Apostolos 7. loco recenseur. Apoc. 21. Lib. 17. ca. 9. Lib. 36.

Matthæi conuersio aliorum Apostolorū conuersionē præstat.

Cæterum Matthæi nostri conuersio nescio quid maius & excellentius aliorum Apostolorum conuersione includere videtur; eo quod reliqui Apostolorum mundi relinquendi, & Christi sequendi concepto proposito, aliud præter retia, cymbas, nauigiola, aliaſq; momenti nullius reculas non reliquerint; ipse vero pecuniā, opes honores, dignitatem, munia, & quidquid hominem in hoc mundo reddere magnum potest deseruit & dimisit: in quo maiorem erga Deum amorē, maiorem mundi contemptū, ac proinde majorem & eminentiorem alijs virtutem constantiamq; patefecit.

Quod ad concionandi ipsius munus, & orbis portionem, quæ illi in totius vniuersi inter Apostolos dispertitione post Spiritus Sancti missionem obtigit, spectat; docet Origenes in Genesin, ∴ Eusebius in historia, .. Socrates, ∴ Dorotheus, & alij nonnulli: Æthiopiam illi sortitione facta obtigisse. Auctor vero, qui Isidori est nomine vulgatus, ac Beda * lib. de vita & obitu Sanctorum, Macedoniā illi & Iudæam assignant: at Metaphrastes Syriam Superiorem, haud procul à magno fluuio Euphrate, attribuit. Equidem prioribus assentiendo, multo esse credo probabilius, Æthiopiæ illum Apostolum fuisse, ibidemq; Euangelium promulgasse.

∴ *Lib. 3.* .. *Lib 1. ca 15* ∴ *In Synopsi.* * *Cap. 78.*

Ipse vero Redemptor Iesus tanti eum fecit, eius vt domum subierit ipsum visitaturus, & illius esse conuiua apud reliquos publicanos voluerit. Scriptum est enim: *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius*. Ex Euangelio patet, duorum ex Apostolis suis illum ædes adijsse, & in vtraq; insignia patrasse miracula. Petri domum ingressus, socrum eius febrientem sanitati pristinæ reddidit: deinde Matthæi ædes intrans, publicanos & peccatores ad frugem meliorem reduxit; quod miraculorum omnium est mirabilissimum. Aliorum Apostolorum tecta cum nō legatur ingressus, insignis dubio procul prærogatiua fuit Matthæum domi suę visitasse.

Redemptor Matthæi ædes adijt.

Apostolus hic binomius fuit; vocatus nāq; Matthæus est, & simul Leui. Se ipse Matthæū nominat, Leui Marcus & Lucas: addit Marc. Alpheni eum fuisse Filium. Verum doctissimus Abulensis, qui maximarum semper difficultatum nodos dissoluit, veritatemque in omnibus indagat, nonnisi vnico eum Leui nomine, antequam à Christo vocarerur, & publicani dum munus ageret,

V.

Metaphrast. in vita Matthæi & Iansenius in Cōcord. in prolog. comment. in Matth. Abulensis ibid. Dorotheus.

dictum opinatur; sed post vocationem nouum Matthæi nomen assumpsisse: quam etiam Metaphrastes in vita & Iansenius in Cōcordia tuentur opinionem. Solus Hieronymus in alia concedit, docetq; Matthæi prius huius Apostoli nomen fuisse, Leui cognomen duntaxat; *Matthæus*, inquit, *cognomento Leui* Abulensis jam supra allegatus hoc etiam verisimile credit, & prope idem sentiens: *Leui*, inquit, *non erat nomen principale sed Matthæus.* Dorotheus aliud quid commentans, Leui ideo cognominatum tradit, quod è tribu Leui sacerdotali originem duceret.

Publicanorum officiū sine peccato exerceri potest.

Hæc quidem quoad nomen; officio autem publicanum fuisse cōstat. Dubitatur vero, num hoc muneris exercendo, Deum offenderit & peccarit. Munus quippe vectigalia exigendi, & portoria, licitum est, & sine peccato exerceri potest. Hinc thesaurarij, nūmularij, receptores, quæstores, exactores, alijq; Principum & Regum ministri, qui Regio ærario & vectigalibus recipiundis præfecti sunt (quod diuini juris esse censemus, nixi verbis illis: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*) tam facile salutem suam operari hoc in officio queunt, quam alij alijs rebus & muniis præpositi.

Docent Patres S. Matthæum suo in munere deliquisse. *Hom. 31. in Matt.*

Ceterum ob nescio quas causas, & rationes mihi ignotas potissima veterum Patrum & Doctorum modernorum pars scribendo docent, suo Matthæum in officio deliquisse. S. Chrysostomus inprimis, eius vitam & munus sugillans, missus, cibos, fercula, quin imo lances & catinos, quos conuiuio, quo Redēptorem accepit apponi iussit, è bonis inique & per rapinam pactis conflata ait.

Serm. 18.

S. Chrysologus eum vt infamem & omni honore carentem traducit, dicens: *Matthæum diuitē à fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sæculorum ponderibus sic premebant, vt ad innocentiam leuari non valeret.* Eodem idem auctor loco, Doctorem fœnoris & vsuræ nuncupat: quod sane nomen peccatorem denotat, summamq; apud homines ignominiam ac probrum dedecorosum notat.

Ambr. in 5. Luc.

Vlterius prouectus Ambrosius, alienorum raptorem bonorum nominat; sic enim Luc. 5. scribit: *Propria reliquit bona, qui rapiebat aliena,* dum nimirum se conuerteret, vitamq; mutaret. S. Hieronymus publicum vt peccatorem eum notat: *Videbant*, inquit, *publicanum à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ* Idē plane sentit Ven. Beda, Theophylactus, & alij plurimi, quos breuitatis causa silentio inuoluo. *In Matth. 9.*

Quales essent publicani.

Verum hac in re non multum est difficultatis; verum longe maior est difficultas, scire qualesnam essent publicani. Plurimi, ijq; doctissimi, in horum descriptione ac notatione, grauiter hallucinati sunt. Tertullianus primus hac in re errauit, ceterosque in errorem induxit, dum docuit, eos ethnicos fuisse & paganos: sic enim scribit: *Si quis dubitat, ethnicos fuisse publicanos apud Iudæos, legat Deuteronomium, in quo leget: Non accipies ad vsum ex filijs Israel fœnebrem, nec tam detestabile esset nomen publicanorum apud Dominum, nisi extraneum, vendentium ipsius cœli & terræ maris transitus.* *Lib. de pudic. c. 9.*

Huic contradicit Hieronymus, eiusque opinionem jugulans docet Matthæum circumcisum fuisse & origine Iudæum, vti & ille publicanus, qui Lucæ 10 tanta animi demissione in templo Deum precabatur, verus Israelita erat. Sententiam probat illo Lucæ loco: *Omnis populus audiens & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.* Si ergo baptizati fuerint, ethnicos fuisse non fit verisimile. Deinde credibile non fit, imo nec verisimile, liberum Ethnico in templum Iudaicum aditum patuisse, imo vel Christum cum Gentilibus & Ethnicis comedisse; quo facto in legem peccasset, non vero adimplesset: longe secus ac de seipse ait: *Non veni soluere legem, sed adimplere* Nouæ confirmationis loco accedat, Matthæum vere Iudæum fuisse, quod nullum alienigenam Ethnicum, vel Gentilem Apostolos Redemptor assumpserit, sed omnes è Galilæa oriundos; quod & testimonio Scripturarum, & ipsorum conciuium ac contribulium comprobari queat dicentium: *Ecce omnes qui loquuntur Galilæi sunt?* *Epist. 116 ad Damas. Luc. 10. Luc. 7. S. Matthæus vere Iudæus erat. Matth 5. Act. 5.*

Publicani ergo vt quidem Vlpianus Iurisconsultus in Digestis docet, à publico sunt denominati, idq; ob publica quæ exercent munia, quos deinde tit. 4 de public. & vectig. l. *ff. l. 39. tit. 4. de public. & vectig. l. 1.*

Quan-

Publicani definitiones

Quanta, sic describit, *Publicani sunt, qui publica vectigalia habent conducta* & libr. 50. tit. de verb. & rerum significat. l. 16. sic loquitus Caius, *Eum, qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus.* Ergo boni publici conductores ac Redemptores erant.

Publicani magni apud Romanos fiebant.

Erant quidem hi vere honorabiles apud Romanos & magni nominis: vt colligere est è M. Tullio, oratione pro Plancio, in qua de publicanis quam honorificentissime loquitur, *Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continentur.* Ceterum apud Iudæos hoc hominum genus odiosum erat, pessimeque audiebant, habebanturque non vt flos; sed fæx; non vt honor, sed infamia ac probrum reipublicæ: adeo vt omnes eos exosos haberent, illorumque fugerent consortia. Hinc Pharisæi scandalizati, viso Christũ cum ijsdem agere, hoc apud Apostolos expostularunt modo: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester*, qui Dei esse dicitur filius & pro Messia passim habetur?

Publicani Iudæis exosi.

Matth 9.

Abulens. in comm. proleg. D. Hieronymi in Euang.

Vt vero constet, ecquæ odij huius fuerit causa & vnde ortum habuerit publica hæc inimicitia, Abulensis aliquid tangit: *Publicani*, inquit, *habebantur ab omnibus tanquam peccatores quia talia officia, vix sine peccato fieri possunt.* Causam hanc approbat Iansenius, & aliam ipse allegat dicens, *Quoniam huiusmodi hominibus in proclivi fuit, vi & rapina peccare, ob id infame apud Iudæos eorum nomẽ fuit, neque solum ob illorum & auaritiam & iniustam extorsionem infame erat, sed etiam quod cum Romanorum apud eos vectigalia exigerent, tyrannidi inseruirent, qua contra legem Dei se premi putabant.* Ratio hæc non vsque adeo mala est.

Cap. 13. Concordiæ.

In Annal. pa. 1. tom. 1. Matth 9.

Cardinalis Baronius eamdem in Annalibus reddit rationem; item & Caietanus in Matthæum scribens, *Publicani publicis vectigalib seu in censibus Romanorum vacabant: propterea infames erant apud Iudæos, tamquam ministri Gentilium in damnum populi fidelis.* Atque hoc quæstionis illius Politicæ redemptori propositæ fuit subiectum, *Licetne censum dare Cæsari?* perinde ac si dicerent, Æquumne aut fas est, rationique consentaneum, populum fidelem, & in Deum verum credentem, qualis est Iudaicus, tributum, cẽsum ac vectigalia Regi Ethnico & infideli, vt Cæsari Romano, persoluere? Adeo vt publicani, qui tyrannidis huius executores, & publicæ vexationis administri erant, idcirco omnibus exosi essent & graues.

Peccatores publici erãt publicani.

Præterquam vero quod publico omnes ipsos odio insectabantur, vita quoque illorum scelerata erat & abominabilis, & apud omnes infamis: habebantur enim peccatores maximi, & publice vt tales credebãtur. Quod duob Christi testimoniis comprobari queat: primo Matthæi 5. dicit, *Nonne & publicani hoc faciunt?* id est, peccatores? altero Matthæi 15. *quicunque Ecclesiam non audierit*, eiusque prælatis non obedierit, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, i. maximus peccator & sceleratissimus mortalium.

Matth. 5.

Matt. 15.

Hæc, occasione Matthæi nostri publicani, de publicanis hactenus dicta sunto; vtque, viso eum hodie conuersum, & à tam prauo consortio sequestratum, eius eo conuersionem magis obstupesceremus. Et est sane maxima admiratione dignum, publicum peccatorem mox in Apostolum Iesu Christi conuerti, virum pecuniæ lucro inhiantem, & in telonio sedentem nonnisi quæstui & vsuris studentem, omnibus valedicere & illustri quadam omnium abdicatione mundum deserere; videre publicanum infamem & Cæsaris quæstorem, infidelem filii Dei famulum ac ministrum, magnum Ecclesiæ eius Doctorem & Euangelistarum primum mutari. Hæc mira profecto sunt opera & inauditæ metamorphoses.

S. Matthæi conuersio admirabilis

Et sane Matthæus quatuor Euangelistarum est princeps, notariorum illorum diuinorum, & secretariorum religionis nostræ primus, interpretum sacrorum mysteriorum antesignanus. Verbo vt dicam, primus Euangelium conscripsit, & quidem Hebraice; quod præterquam quod vniuersa Ecclesia magno cum honore admittit, sancteque vtitur, S. Barnabas permagni idipsum etiam fecit & maxima est dum vixit veneratione prosecutus. In omnibus namque peregrinationibus suis semper id secum validum aduersus dia-

S. Matthæus inter quatuor Euangelistas primus.

diabolos monumentum gestauit, & ægris, vt sanitatem recuperarent, imposuit; denique ipsum simul suo inferri sepulchro voluit, vt scilicet securius mortem oppeteret. Verissimum hoc esse, fidem facient plurimi, ijque grauissimi scriptores, qui simul vno omnes consensu tradunt, hoc ipsum vna cum S. Barnabæ corpore, sepulchro eius reserato, repertum esse: vt Theodorus Lector lib. 1. Collector. Nicephorus lib. 16. historiæ, Alexander Monachus in vita S. Barnabæ, suo in Martyrologio Cardinalis Baronius, alijq; permulti.

S. Barnabas S. Matthæi Euangeliũ secum in tumulo poni voluit.

Ceterum inter Euangelistas Matthæi imaginem præfert animal illud Ezechielis 1. & Apocalypseos 4. hominis figuram gerens, cuius rei hæc est ratio, quod in Christi humanitate describenda totus sit: initio namque Euangelij eius describit incarnationem, in medio eiusdem prædicationem, in fine denique passionem. Adeo vt Matthæi insigne sit homo, vti aquila Ioannis, Marci leo, Lucæ bos. Sed homo alatus, vt mirabilis fuisse vir Matthæus indicetur; qui à rebus omnibus terrenis animum alienans, & sublime euolans, cœlestia petiuerit. Quam vero hodie paucos tales reperire est! omnes quippe terræ affixi sunt, omnes sua respiciunt, pauci Dauidi persimiles sunt, qui tanto cum affectu ad cœlestia & terrenorum contemptu dicebat, mundi pertæsus: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* *Psalm 54.*

Symbolum S. Matthæi est homo.

Hæc est historia, vitæque conuersi huius peccatoris & publicani series, & magni huius Apostoli & Euangelistæ Matthæi: hæc conuersio eius plane admirabilis: hæc noua & inaudita mutatio, & quoddam extraordinarium magni illius opificis opus, *A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris* Leo in agnum, coruus in columbam, carbo in sidus, cloaca & sentina in aquam viuam, vsurarum magister in Euangelicum prædicatorem, & publicanus in Ecclesiæ Apostolum admirabili metamorphosi transijt. *Psalm. 117.*

Mutatio admirabilis ac noua.

Hic spem concipite, peccatores, numquam animum despondete, quibusquibus demum delictorum fascibus ac sarcinis grauati estis; quorumcunque criminum rei cõstituamini; numquam de diuina bonitate diffidite, semper oculos in altum tollite, ac spem vestram confirmate. Exemplo vobis sit Matthæus, vitam eius, mores, & vocationem perspicite, deinde conuersionis eiusdem bonum ob oculos ponite, & quæ in ipsum collata sit gratia. Peccatoribus numquam non cœlum patet eodem oculos conijcientibus: Deus semper est veniam, eamdem petentibus dare paratissimus; numquã cuiquam negatur gratia, si quando debita ratione rogatur. Misericordię diuinæ immẽsitas & infinita magnitudo iniquitatum creaturæ magnitudinem infinitis partibus exsuperat. Dicite, peccatores pœnitentes, de venia obtinenda securi, quod olim Rex ille peccatis grauatus, eadem veniæ spe concepta; *in te Domine speraui, non confundar in æternum,* quod te spei meæ fundamentum ac fulcrum legerim.

Hæc scilicet, summe Deus, omnis nostra voluntas ac propositum est, semper in te sperare, & nunquam te vel ad momentum oculis excludere. Si afflictionum ac tribulationum procellis in vitæ huius oceano exagitemur ac iactemur, à te nostram liberationem sperabimus & securitatem, tuo nixi promisso dicentis: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Si aduersitatis impetus, & acerbæ cuiusdam persecutionis imber in caput nostrum ingruat, omnem prosperitatis serenitatem, ver & malaciam quietis à te exspectabimus; tu enim es, *qui post tempestatem tranquillum facis.* Si mortis in limine agimus, non propterea animum abijciemus, vitamque desperatam sperabimus, tu enim *ad inferos deducis & reducis.* Denique si in statu peccati agimus, cuiuscuius peccati, etiam grauissimi & enormissimi, semper in te sperabimus, & credemus, te, quemadmodum Matthæum benigne in gratiam admisisti, eadem nostri misericordia miserturum: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Nostri ergo miseratione tangere, clementissime Domine, delictis nostris ignosce: nam publicanis ipsis deteriores sumus, non nisi vitia & vsuras spiramus, & in *Psalm. 90. Tob 3. Tob. 13. Psalm. 129.*

in auaritiæ telonio affixi sedemus. Ex eo nos educas, quæsumus, vt Matthæum eduxisti, nos conuerte, ipsum vt conuertisti, quo vitæ ratione in melius commutata, & a peccatorum maculis emundati, regnum illud cœleste omni bonorum affluentia redundans, tandem adire valeamus, cuius nos consortes SS. Trinitatis personæ, Pater, Filius, ac Spiritus sanctus efficiant. Amen.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Partitio.

1. *De Angelorum nostri custodia.*
2. *Quod angeli custodes hominum deuote sunt colendi.*
3. *De effectib. nonnullis custodiæ Angelorum.*
4. *De portis quatuor humanis per vtrosq; Angelis obsessis.*
5. *De S. Michaelis inter Angelos præeminentia generatim.*
6. *In qua Hierarchia speciatim sit Princeps in primane, an tertia ordine primo.*

Archangele Michael constitui te Principem super omnes animas suscipiendas.

FIGVRA.

4. Reg. 19. Par. 36. Isai. 36. & 37.

SEnacherib Assyriorum Princeps cum Ierosolymitanam ciuitatem numeroso exercitu, cui parem Iudæa non viderat, cinxisset, & omnem se regionem ferro & igni vastaturum comminatus esset, nisi auxilium cœleste affulsisset, ecce vidit angelum cœlo descendere, qui velut cœlestium legionum præfectus, quadam nocte Barbarorum castra ingressus, vnico momento centum octoginta quinq; hominum millia vindice gladio interemit. Cum fortitudinem, animum & gesta angeli huius propius intueor, crediderim, nec etiam vane, vtpote sanctorum Ecclesiæ Patrum auctoritate nixus, sub illius imagine magnum illum angelum, cuius hodie festum celebrat Ecclesia, Michaelem depingi, qui propterea caput ac ductor angelorum, spirituum cœlestium princeps, animarum coram Deo præsentator, turmarum angelicarum dux, & generalis diuini exercitus vicarius est appellatus. Vt vero vos de veris ac supremis gloriosi huius Archangeli effectis ac gestis dicẽtem audire, & ipse eadem proferre possim, S. sancti opem & auxilium, solitis & consuetis gloriosæ Virginis, quæ vera angelorum Regina est, precibus & intercessionibus postulemus, atq; in hanc rem omnes eam angelicis verbis salutemus.

AVE MARIA.

I.

Ea Theologorum ac Philosophorum omnium quoad vniuersi totius gubernationem directionemque fuit semper opinio, magnum illum DEVM maiestate terribilem, vnitate adorabilem, & potentia infinitum, inferiora & terrena nonnisi per media regere ac gubernare. Cæterum tria in hoc mundo loca sunt & videri queunt, tam conditione, quam situ & ordine meritorum inter se discrepantia, supremus, in quo solus Deus, *qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra:* infimus, in quo tum homines & animalia, & tum omnia corpora inferiora in naturæ officina producta commorantur, & medius denique, qui tam corpora cœlestia quam angelos comprehendit.

Tria loca in mundo.

Psalm. 112.

Adeo vt sapiens ille & omnipotens mundi gubernator, cuius nutu ac prouidentia omnia conseruantur, inferiora hæc superiorum corporum influxu & adminiculo dirigat ac tueatur. Hinc enim pluuiæ & serenitates, niues, grando, ros matutinus, gelu, pruina noctis, ac diei vicissitudo, quatuor anni tempestatum varietas sapienter ad rerum omnium productionem generationemq; disposita & concinnata enascuntur. Homo porro cum essentia sua è duabus sit compositus partibus, corpore inquam, & anima, quod in statua illa Nabuchodonosoris caput aureum & pedes luteos habente, (hic corpo-

Deus inferiora, per superiora gubernat.

Dan. 2.

corporis illis animi imaginem, gerentibus,) repræsentatum est, cumq; corpora superiora nullam in animam illius potestatem & ius obtineant, admirabilis ille prouisor spiritus quosdam cœlestes, ad hominum animas regendas gubernandasque & ad finem suum quocunque medio possibili conducendas destinauit, vnde Psaltes: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*, &c. *Psalm.* 8.

Satis haud dubie amorem suum declarauerat Deus, & qua hominem beneuolentia prosequeretur indicauerat, cum magnum illud & splendidum totius vniuersi palatium construxit, & cœlum inquam tot stellis variegatum, terram tot fructibus fœcundam, arboribus conuestitam, mare denique tot piscium generibus locupletatum, in vnius hominis vsum e nihilo producit. Quem affectum Propheta demiratus exclamat: *Domine quid est homo quod memor es eius, &c. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, &c. omnia subiecisti sub pedibus eius.* *Psal.* 103.

Signa amoris diuini erga hominem.

Tamen in mandando excedens, & communem amoris legem transgrediens cum non putaret, cœlum & quidquid sub illius conuexis & fornicibus continetur in vsum nostrum condidisse, satis esse ipsum quoque quod sub & in cœlo continetur, id est, Angelos nobis elargiri voluit, vt scilicet salutem nostram promouerent, nos defenderent, & ab omni vitæ discrimine & aduersitatibus tuerentur. Cum vero inter Angelos quidam supremi sunt, & supremum locum obtinentes, vti sunt, qui supremam hierarchiam constituunt, quales sunt Seraphini, Cherubini & Throni, quorum est semper supremo numini assistere, & ab eo non recedere, omnes tamen ad hominum sunt tutelam, eorumque salutem procurandam destinati, iuxta illud Apostoli: *Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* *Hebr.* 1.

Angeli filij Dei dicuntur.

Eo vero maior & amplior nostra erga Deum obligatio, quo essentia & natura spirituum illorum cœlestium, in salutē nostram destinatorum, & nobilior & sublimior. Scriptura porro tam sublime illos effert, adeoq; nobiles efficit, vt filios Dei illos nuncupare non vereatur. Nam apud Iob loquens Deus ait: *Quis dimisit lapidem a gularem eius, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* quæ verba glossa ordinaria exponens addit: *Astra matutina & filij Dei, id est, Angeli.*

Ijdem lapides igniti. *Ezech.* 28.

Ezechiel vero lapides igneos & ardentes illos nuncupat, lapides quidem ob fortitudinem & constantiam; ignem vero ob ardentem quo nos prosequuntur amorem & affectum. Quare de Luciferi casu & præcipitio loquens ironice & satyrice illi exprobrat: *Et tu Cherub extentus, posuit te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.* Id est, Proh, quanta tua calamitas est, infelix Lucifer, quod cum olim honore & gloria in sancto Dei monte affluueres, in imas abyssi voragines, magna tua infamia te præcipitasti, quiq; inter angelos, qui velut igniti lapides, ambulare consueueras, iam extinctus es, & carbonis instar nigricans, pœnis æternis inuolutus.

Sunt vigilatores, & cuiusque Dei personaloquens ait: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt.* Quod de Ierusalem hic duntaxat dicitur, absolute de vniuerso hominum genere & mundo intelligendum, super cuius muros idem Deus Angelos & Cherubinos, velut custodes collocauit, qui excubarent, noctesque diesque circumspicerent; ne quid homo detrimenti caperet. Hoc Psalmista etiam confirmat dum ait: *Immittet Angelos Domini in circuitu timentium eum* &c. *Isaiæ porro eos milites Dei, cœlestes bellatores, & mundi præsidiarios nuncupat,* *Psalm.* 33. *Isai.* 60.

Rex qui plures imperio suo continet prouincias, & regna, si qua aduersus illum turbas mouent & cristas tollunt, è pacato quietoque regno milites & duces, quorum fidem & obedientiam perspectam habet, seligere solet, qui in turbulentis illis regionibus, velut præsidium sint, & regiam authoritatem tueantur. Deus æternus magnus quidam Princeps est, imo Regum Rex, & Dominus dominantium, plurima imperio suo regna subdita habet, regnum cœlorum, regnum mundi, & diaboli regnum. Primum illi mo-

rige-

rigerum & penitus subiectum est, alterum pace perpetua gaudet: *Qui posuit fines tuos pacem*: tertium vero rebellionem & turbas mouet, inquietum est, atque hic audire voces illas est: *Quis noster Dominus est?* &: *Nolumus hunc regnare super nos, & non habemus Regem nisi Cæsarem.* Quamobrem vt turbulentos hos cõpescat, & authoritatem suam in hoc mundo aduersus maleuolorum audaciam tueatur, è peccato & tranquillo cœlorum regno milites & duces loci naturales, id est, Angelos; qui fidelissimi illi sunt & fuere, ac semper obsequentes, destinat. Etiam plusquam quinque annorum elapsa sunt millia, ex quo magnus hic Princeps suis præsidia hæc expẽsis, alit, & ad totius vniuersi conseruationem & hominum salutem fouet.

Angeli vel milites præsidiarij regno mundi.

Cum custodum & præsidiariorum hic incidat mentio, video, Sponsam Salomonis de custodibus quibusdam maiorum loqui, in quos illa dilectum per plateas quæritans, incidit: *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem.* Ambrosius & Rupertus hunc exponentes locum de Angelis eundem interpretantur, eosque veros mundi ciuitatis custodes esse asseuerant, quod eorum curæ custodiæque tot s orbis terrarum & animarum nostrarum salus concredita sit. Ideoque in scriptura milites & pugiles dicuntur.

Cant. 5.

Lib. de virginit. & Rupert. in 5. cant.

Ipsum quoque ex alio Canticorum loco eruo. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Porro per castrorum choros & turmas militantes omnes sine dubio Angelos intelligunt, qui velut milites in turmas, centurias & legiones distributi, magnum exercitum conflant, sed milites validi, generosi & fortissimi. Huius figura erat ille, quem vidit Daniel, brachia habentem ferrea, & Chrysolito vestitum, ferrum, robur, gemma nobilitatem & excellentiam figurabat.

Cant. 6.

Angeli validi milites. *Dan. 10.*

Origenes in eundem incidens conceptum, & exploratores, quos Iosue in Iericho destinauit allegorice exponens, ait, Angelorum eos figuram gessisse, qui quotidie à Deo ad mundi conseruationem huc & illuc emittuntur.

Homil. 2. in Iosue.

Gregorius locum illum Iobi exponens: *Cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*, ait per Reges & consules terræ beatos Angelos denotari, qui velut Principes & mundi consules, omnia hominum negotia administrant & mundi tutelam habent.

4. *Moral.* 31. & 11. *Moral.* 18.

Hieronymus eiusdem Iobi locum interpretans, *Columnæ cœli contremiscunt & pauent ad nutum eius*, per columnas Angeli intelligi asserit, qui quod in gratia confirmati & stabiliti sint columnis & fulcris inconcussis similes esse dicuntur, qui tamen in omnipotẽtis Dei omnia concutientis conspectu, contremiscunt & pallent. Tam scil. maiestas eius terribilis est.

In Iob. 26.

Deniq; vt exordio huic finem imponam materiam propositam aggrediar, dico Angelos substantias illas corporeas esse, & intelligentias illas Aristotelicas, & Spiritus illos cœlestes, quorum dux & caput gloriosus Michael est, in cuius laudem hodie Ecclesia canit: *Archangele Michael constitui te Principem super omnes animas suscipiendas*, & in cuius prædicationem hodie mirabilia proponam, & concionem in duo membra dispertiar, primo naturam, excellentiam & Angelorum effectus in genere, altero Archangeli Michaelis laudes, dignitatem ac merita prosequar. Vos benignas aures accommodate.

II.

Quod ad primum attinet sciendum, iuxta magni Theologi Dionysij, & Diui Thomæ doctrinam, omnes Angelos nouem choruem esse distinctos ordinibus, & tribus hierarchijs comprehensos, & ex omnibus aciem illam cœlestem conflari, de qua Ecclesia canit: *Cumque omni militia cœlestis exercitus.* Tres primæ hierarchiæ ordines similes sunt Nobilibus & Principibus magni alicuius Regis, qui semper & quotidie Maiestati illius adstant & obsequuntur. quales sunt Duces, Comites & Barones, nobiles conclauis regij, & illius œconomi, secundæ hierarchiæ similes putem regijs ministris & magistratibus, quales præsides, libellorum supplicum examini præpositi, præfecti generales, prætores prouinciarum, consiliarij statuum, duces militares ac tribuni: denique tertiæ & postremæ, qui ad ali-

Angeli in nouem choros & 3. hierarchias distributi.

quas prouincias destinantur, & singulorum hominum curam gerunt, imaginem gerunt eorum, qui in bene instituta republica, consulum, prætorum, iudicum inferiorum, commissariorum, consiliariorum in curijs subalternis sub authoritate magni cuiusdam Principis terræ partes agunt & munus.

Angelorum numerus infinitus. *Dan.*10. *Iob.*25.

Tanta porro spirituum cœlestium multitudo est, vt exprimi nequeat, nec numerus illius exacte subduci. Daniel nonnisi per millium millia illos computat, finem inuenire nequit: *Millia millium ministrabant ei.* Quin & Iob illos derisui habet & explodit, qui numerum illorum inuestigare se posse confidunt, aitque admirans: *Numquid est numerus militum eius?* Plura addit etiam Diuus Thomas, ait enim cœlestes hosce milites ita reliquis naturæ rebus numero præcellere, vt cœli magnitudine reliqua sub aere comprehensa corpora superant. 1.ꝑ.q.50.c.3.

Quod si verum sit, vt esse verissimum mihi persuadeo, tam sancto & celebri vi- ꝑ.q.50.c.4. ro id referente crediderim hinc angelorum & pulchritudinem, & excellentiam euidenter ostendi posse, addens enim quod idem Thomas alio loco docet, omnes angelos specie inter se differre, vt ab aquila differt columba, Luscinia ab achatide, corvus à psittaco, atque ita de cæteris, & simul illud Aristotelicum axioma respiciens, *rerum species numerorum rationem imitari*; id est, quod quemadmodum numerus superior inferiorem comprehendit & aliquid illi proprium adiungit, ita quoque species superior omnes inferioris perfectiones ac suam præterea velut particularem complectatur, hinc inquam, eruo & cognosco, & palam profiteri cogor, spirituum illorum pulchritudinem comprehendi, aut percipi non posse.

Pulchritudo angelorum astruitur.

Vt sententia hæc fiat manifestior, ab vltimo & infimo angelorum ducamus initium, quem rebus ceteris corporeis pulchritudine perfectioneque præcellere credimus ac supponimus. Quod testatur angelus ille Danielis, quem vbi Propheta conspexit, tantus è vultu illius fulgor maiestatis emicuit, vt teste scriptura, parum abfuerit quin exanimis in terram ceciderit, atqui secundus angelus omnem inferioris simul & propriam perfectionem continet: tertius merita & perfectionem aliorum duorum, suam etiam superaddens: quartus denique priorum trium pulchritudinem in se continet simul & suam: adeo vt hac ratione ab inferioribus ad superiores, per omnes angelorum choros, vsque ad seraphinorum supremum ascendendo, cum ille omnem omnium angelorum inferiorum excellētiam, præter suam propriam, quæque singularem speciem constituit, in se complectatur & angeli numerari nequeant, magna & perfectio & pulchritudo in eo contineri dicenda sit. Quanta vero in Deo, qui omnes infinito interuallo præcedit, futura? O secreta, ô mirabilia!

Sanctus Dionysius tractans eadem, & spirituum illorum & substantiarum immate- *Lib. de diuin. nominib. c.4.* rialium essentiam examinans, definitionem quandam ex imis naturæ penetralibus, quæ pulchritudinem quandam singularem & admirabilem denotat, hinc elicit, *Angelus*, inquit, *est imago Dei, manifestatio inuisibilis lucis speculum purum lucidissimum immaculatum.* E quibus verbis hoc excludamus argumentum, nihil Deo perfectius, nihil lumine pulchrius, nihil speculo politius & æqualius, atqui angelus primi imago est, manifestatio alterius, & tertium effectu. Ergo perfecta, pulchra, & penitus admirabilis creatura est.

Plura & maiora habet Anselmus, as- Anselmi serit enim si angelus cœlum stelliferum sub- sententia iret, & omnes stellæ in Soles conuerteren- de Angelotur, lumine illum suo & splendore omnia rum pulsidera obscuraturum ac tenebras quodam- chritudine. modo offusurum. Addit insuper Angelum illum fulgore & pulchritudine sua tantum solium illorum splendorem superaturum, quantum opacam & caliginosam terram sol lumine antecellat. Hinc colligi igitur potest, quanta eorum sit pulchritudo & perfectio.

Tanta scilicet vt, præterquam quod commune inter homines prouerbium sit, quod, dum alicuius pulchritudinem extol-

lere

lere volumus, eum angeli instar pulchrum esse asseramus, scripturæ quoque loquendi sit modus, homines pulchros angelis comparare. Hinc sanctus Lucas de glorioso protomartyris Stephani donis perfectionibusque loquens faciem ei Angeli instar pulchram & splendidam habuisse dixit: *Et intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.*

Hominum pulchritudo angelicæ collata.

Longius quoque Prouerbium hoc petitum, nam in veteri testamento vsum habuit: Regina enim Esther maiestate, & excellentia Regis Assueri consternata, qui in centum ac viginti prouincias dominium & imperium coercebat, ab India ad vsque Æthiopiam, ait: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ, valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Quasi diceret: Mirum tibi ô potens Rex videri non debet, si ad maiestatis tuæ intuitum animus me defecerit, & deliquium passa sim: vt enim te conspicata sum, adeo mihi pulcher & perfectus visus es, vt angelum me videre mihi persuaserim: mirabilis enim es, Domine, & facies tua omnigenam gratiam spirans.

Esth. 15.

An non profecto admirabile, beatos illos Spiritus, adeo excellentes, perfectos, & essentia pulchros, in tutelam nostram ac protectionem destinatos esse, ac noctu diuque in miserorum ac plebeiorum defensionem excubare. In huius rei figuram vidit olim scalam Patriarcha, per quam Angeli summa diligentia & ascenderent, & descenderent. *Viditque in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque ascendentes & descendentes per eam.* Quam visionem exponens Bernardus ait: *Numquid sedentem quempiam aut stantem vidit? certe non, quia non habemus hic manentem ciuitatem, nec futuram adhuc possidentes, sed inquirimus: & vt eam consequamur, & in eis similes simus, Angeli summo studio, ac diligentia ascendunt & descendunt* Quibus è verbis non secus atq; ex ipsa Patriarchæ visione colligere licet, quantopere de salute nostra soliciti sint Angeli, cum nostri causa & descendant & ascendant, veniant & abeant, nũquamque quiescant, quamdiu hoc in mundo commoramur, sed perpetui custodes nostri sunt.

Gen. 28.

Idcirco hoc in Psalmo 33. vulgata interpretatio habet: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*, Hieronymus ad fontes Hebræos interpretatur, *Circumdat Angelus Domini in gyro, timentes eum.* Septuaginta vero, *Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Quæ phrases & loquendi consuetudines solicitudinem ac curam repræsentant, quam de hominibus gerunt cum custodes & præsidiarij sint, non domorum aut castrorum, sed animarum illorum. Testatur hoc Psalmista: *Angelis suis mandauit de te.* Psalm. 90.

Ostendit hoc puero suo Giezi Eliseus, cum ille Syris vrbem obsidione prementibus tremeret & paueret: cum enim se ad orandum composuisset, ecce serui oculos aperuit Dominus, ita vt montem equitibus & curribus ignitis circum Elisæum girantibus plenum viderit: *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Atque omnia hæc per angelorum manus fiebant. 4. Reg. 6.

Idem quoque in Genesi legere est. Iacob enim è Mesopotamia cum vniuersa familia, fratrem Esau veritus, qui iam ab ineunte ætate illum persecutus erat, cum descendisset, Angeli patrocinium illius suscipientes, illi occurrerunt: quos mox vt vidit, castra Dei illos esse & auxilium cœlitus missum asseruit, *Fueruntque eidem obuiam Angeli quos cum vidisset*, ait: *castra Dei sunt hæc*: quasi his seipsum verbis solaretur, sume animos Iacob, noli metuere, esto iam securus: si n. hominẽ nactus sis aduersarium, ecce angelicam cohortem, quæ te ab omni hostili incursione defensura est. Gen. 32.

Simile quoque libro Canticorum continetur: dicitur quippe lectulus Salomonis à sexaginta ducibus, quibus nulli in Israel fortiores erant, circumdari: qui omnes arma manu præferebant, & bellandi eruditissimi, & suum singuli in femore parátum gladium habentes, ad nocturnos, si qui Cap. 3.

forte acciderent impetus propulsandos: *En lectulum Salomonis sexagi ta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Certum est per regium illum thalamum, in quo Salomon noster requiescit ac dormit, vniuscuiusque iusti animam significari: in hac siquidem Sponsus ille cœlestis, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum, requiescit: quinam autem sint egregij illi & validi duces, illum circumstantes satis Psalmographus declarat, dum ait, *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute qui facitis verbum eius.*

Anima iusti comparata lectulo Salomonis.

Psalm.102.

Egregios hinc conceptus & corollaria educemus, primo, animas nostras lectulos & thalamos esse, in quibus omnipotens requiescat, atque angelos, veteres illos exercitatos bellatores, illius esse custodes constitutos. Secundo, si in lege Mosaica cœlestes illi Spiritus tam sedulo diligenterque homines custodirent, quid non ab illis in Euangelica sit præsidij exspectandum? tertium illum, qui tam sedulos ac vigiles custodes nactus fuerit, secure in vtramque aurem dormire posse ac nihil metuere, vnde Ecclesiasticus: *In conspectu Angelorum nolite timere.*

Consecutiua egregia ex angelorum custodia.

Eccl.33.

Reipsa hoc perspectum habuit Daniel, qui in immanissimorum & sanguini & feritati assuetorum leonum medio nihil omnino formidans, securitatem suam & à timore exemptionem, angelorum custodię asscribit: *Deus meus misit Angelum suum, & obturauit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Id ipsum quoque significauit cordata & formosa illa Iudith, cum simili in periculo versaretur: *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.*

Dan.6.

Iudith.8.

Quo loco ad Psalmographi sententiam videtur allusisse, qui ait: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, ait, *in omnibus vijs tuis*, vt hinc perspectum fiat angelos vt vitæ huius curriculo durante & expirante, in statum peccati simul & gratiæ, tam in aduersitate quam prosperitate, in sanitate non minus quam ægritudine, deniq; in omnibus vijs, nostri curam gerere.

Psalm.90.

Quam porro Deus noster prouidus est, auditores, quantopere de bono & salute nostra sollicitus! vt tam potentes Principes & creaturas adeo excellentes custodiæ nostræ assignet? Erui hinc & colligi potest, quanti hominem faciat, quanta etiam Angelorum obedientia, imo vero, quantus Dei erga nos miseros amor sit & affectus. Neque enim mirum est angelos eum suos ad nostri custodiam deputasse, cum & filium vnigenitum pro nobis emori in cruce voluerit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Dei amor erga hominem.

Verba illa Psalmographi Bernardus exponens, *Angelis suis Deus mandauit de te.* admirans exclamat: *O quantam debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, inferre fiduciam! pro præsentia reuerentiam, pro beneuolentia deuotionem, pro custodia fiduciam.* Quasi diceret, infinitis obligatus est homo nominibus ad reuerentiam & cultum angelis deferendum, quod semper illum præsentes circumstent: ad pietatē & deuotionem quoq; exercendam, ob beneuolentiam qua illam prosequūtur, ad fiduciam simul concipiendam, cum sciat tam valido & ad succurrendum prompto se præsidio communitum.

In Psal 90.

Tam sc. in bono nostro procurando seduli & prompti sunt, vt scriptura hoc exponere dum vellet, alas illis adiūxit & alatos sæpius describat, vt hinc constet illos in rebus nostris expediendis curandisque non incedere, sed quam promptissime volare: *Et erant sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Quod igitur alas circa caput in pedibus, & medio corpore præferant, ostendunt se & initio operis vitæque & in fine simul & in medio eiusdem, deniq; in omnib. vijs nostris nobis opitulari.

Angeli alatū in scriptura depinguntur.

Isa.6.

Huc accedens quam proxime Dionysius Areopagita in libro, quem de cœlesti hierarchia scripsit, illos & alatos & nudipedes, pingi solere asserit, vnum eorum ad Dei mandata exequenda & hominibus succurrendum voluntatem ac promptitudinem: alterum ad ex-

Lib. de cœlest hierar. cap.15.

ad exprimendum, ab omni eos terrena contagione ac concretione liberos & exemptos existere, vt pote qui intelligentię penitus purę & mundę sunt.

Addam hic quod magis vos percellat & admirari cogat, fuisse scilicet olim Philosophos, qui nescio quo Spiritu, quod modo dixi intellexere, ac præsertim quod angeli custodes nobis ordinarij & tutores cœlitus cõstituti essent: Inter cæteros hoc intellexit Seneca, ita namq; amico suo Lucilio scribit: *Sepone*, inquit, *in præsentia quæ quibus dam placent, vnicuiq; nostrum pædagogum dari Deum non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex horũ numero, quos Ouid ait de plebe Deos*: quos porro veteres Ethnici Deos ordinarios & vulgares dicebant, Angelos Christiani dicimus.

III. Angelorũ custodia quadrupliciter declaratur

Ceterum vt sciatis, in quo hæc angelorum custodia & tutela consistat, è quatuor illam effectis & quadrupliciter elici posse dicendum: primo per subtractionem, qua omnem homini peccandi occasionem, illicium, materiamque auferunt: quod tripliciter contingit, primo præterita peccata coarguendo, vt ab ijsdem in posterum sibi caueat homo, vt cum in libro Iudicum Angelus Israelitis commissorum delictorum turpitudinem ob oculos poneret, atq; ideo illos objurgaret, quamprimum veniam petiere & lachrymis eadem eluerunt. Secundo à præsenti eum peccato, in quo versatur, auocando, vti Lothum angeli Sodomitico incendio eduxerunt. Tertio deniq; futura, ne committantur impediendo: ita Balaam cum omne maledictionum genus aduersus Israelitas deprõpturus esset, per angelum impeditus fuit. Alterum custodiæ angelicæ genus in protectione & defensione situm est, ne scilicet toties in peccatũ ad quod à dæmone inuitatur, prolabatur, illum præseruando ac custodiendo: quod tribus etiam modis contingit. Primo dum dæmonum potentiam infringunt, eorumq; impetum violentum cohibent: quod significatum fuit in eo quod apud Tobiam & in Apocalypsi diabolum angelus vinxerit, & in abyssum præcipitem dederit. Secundo concupiscentię vires elidendo ac debilitando. Cuius rei figura fuit angelus, qui neruum femoris Iacob elisit eumq; claudum reddidit: *Tetigit neruum femoris eius & statim emarcuit*, animæ femur allegorice loquendo concupiscentia est: nerui illius passiones sunt & violẽtiæ: cum vero angelus eosdem incidit, & infringit, tum neruũ concupiscentię debilitat, ita vt penitus emarcescat. Tertio passionis dominicę memoriam in medio animæ nostræ imprimendo: signatum hoc fuit in angelo illo qui signo Tau notauit viros dolentes & lachrymantes: *Signa Tau super frontes virorum gementium*. Porro Angelum literam illam Hebraicam gementium fronti imprimere aliud mystice non est, quã sanctis animabus dominicæ passionis memoriam & omnia Caluariæ mysteria insculpere.

Ezech. 9.

Tertius angelorum custodientium effectus in ministerio consistit, eo quod omnes iuxta Apostolum *administratorij Spiritus sint*. *Heb. 1.*

Seraphinorum munus

Et sane Seraphini in terram mittuntur ad hominum corda inflammanda, vt è quarto Regum libro manifestum redditur in Angelis, qui in curribus & equis ignitis apparuere: apud Isai. quoq; in Seraphino qui calculo ignito Prophetæ labia purgauit: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & calculo quem forcipe tulerat de altari, &c.* *4. Reg. 1.* *Isai. 6.*

Cherubinorum.

Cherubim ad scientiam destinantur edocendam: testis sit ille, qui Apocalypseos decimo ingens manu volumẽ tenebat, & ille ca. 18. qui lumine & fulgore suo vniuersam terram illustrabat. Throni emitti solent ad iudicium peragendum & justitiam administrandam, horumq; munus est, iudices ac præsides vt leges debito modo intelligant, & vnicuiq; ius suum administrent, edocere, vt in Act. Apostol. dicitur: *Accepistis legem in dispositione Angelorum*. *Apoc. 10. & 18.*

Thronorũ.

Dominationum.

Dominationes cælo emitti consueuere, vt sensum rationis imperio subijciant. Hoc designauit Angelus ille, qui Agari ancillæ suasit vt ad heram se conferret, coram illa se demitteret, eiq; morigeram præberet. *Act. 8.* *Gen. 21.*

Virtutum.

Virtutum munus est edere miracula, vt angelus ille Raphael reipsa fecit, qui seniori Tobiæ visum reddidit, diabolum cõpescuit, aliaq; mirabilia præstitit. *Tob. 11.*

Potestatũ. *Exod. 8.*

Potestatum partes sunt, dæmones cohibere, eorum tentationes infringere, ac violẽtiam retundere, cuius rei exemplum in Exod. legimus, vbi angelus Pharaonis se tyrannidi opponens, inter Israelitarum & Ægyptiorum agmen quod popu-

lum Dei insequebatur, medium se constituit.

Principatuum.

Principatus emittere Dei solet, ad Reges & Principes tuendos & dirigendos: videmus n. apud Danielem tres potentissimos Monarchas Persarum, Græcorum, Iudæorũ, ab Angelo singulos edoceri & gubernari. Archangeli præsulum & præfectorum omnium sigillatim curam gerunt, ijsque maxime secreta & mysteria reuelant: testis erit magnus ille archangelus Gabriel, qui Zachariæ Pontifici astitit, eique filium nasciturum promisit, atque is ipse Virgini Deiparæ incarnationem Iesu Christi annuntiauit. Denique Angeli ad vniuscuiusq; nostrum defensionem, tutelam, conseruationem & custodiam destinãtur, vt etiam eis de cibo & alimento prospiciant: exemplo sit, vt alios infinitos omittamus, qui Eliæ prophetæ aquam & panem subcineritium attulit.

Dan.16. Archangelorum.

Luc.1.

Angelorũ. *3.Reg.19.*

IV. Quartum & vltimum Angelicæ tutelæ munus est, consolari: sunt enim afflictorum consolatores, errantium ductores, & ærumnosorum tutores. Testatur hoc Zacharias dicens: *Angelus loquebatur in me verba consolatoria, & bona.* In huius rei signum vidisse se in Apocalypsi, Ioannes quatuor angelos ait, super quatuor terræ cardines innixos, & quatuor ventos tenẽtes ne terram perflarent, *Vidi*, inquit, *quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos, ne flarent super terram.* Emblema hoc denotabat quatuor illos prauarum affectionum turbines & tempestates è quibus omnes tentationes quæ hominem in vitia pertrahunt, proficiscuntur, ab angelis propulsari & impediri.

Zach 1.

Apoc.7. Quatuor animæ passiones per quatuor hoscce ventos designatæ.

Homo similis vrbi in quadro fundatæ. Hoc vt mysterium intelligatur, sciatis oportet singulum hominem, vrbi in quadro fundatæ & ad singulos angulos portam habenti esse persimilem. Primum lætus est Oriens, alterum ad Occidentem vergit, alia duo Meridiem & Septentrionem spectant: eundem prospectum habent & portæ, sed ita illæ constitutæ sunt, vt ad singulas duo spiritus excubent, vnus malus & alter bonus, hic ad hominum salutem procurandam, eosq; conseruandos, ille vero ad interitum, & damnationem arcessendam.

Prima igitur porta Orientem spectat, atque hinc malignus Angelus animam prima passione, id est gaudio, quod primus ille ventus Apocalypticus denotat, oppugnat. Asmodæus autem princeps, qui vano huic gaudio præsidet, circa portam hanc, quatuor turmas ad animam oppugnandam collocauit: in prima constituit lusus, tripudia, choreas, & lasciua carmina: in secundam retulit iuuenculorum vanitates, vestium luxum, fucum & aromata mulierum, & historias venereas: in tertio agmine sunt epulæ, conuiuia, ebrietas, gula, ingluuies, impudicitiæ, immunditia, scurriles, mimici, & meretricij ioci, & quidquid obscœnum aut salax proferre lingua potest: in quartam coniecit fornicationes, adulteria, stupra, atq; omne libidinis genus.

Tentationes diabolicæ per primam animæ passionem.

Bonus è contra Angelus, Raphael, huic inimico se opponens, & misellam animam defensurus, & tentationib restituturus, sancto quodam dolore & tristitia secundũ Deũ illam consolatur & corroborat: ita scilicet intrinsecus eam illustrando, vt doleat, & sancta quadam ratione contristetur, veritatem vbi perspicere potuerit: atque idcirco quatuor ei radios luminis immittit: primus est suiipsius cognitio, qui adeo splendidus & fulgidus est, vt anima lachrymari vbertim incipiat, vbi Dei sui imaginem in se penitus inquinatam conspicit, & culpæ se ream gratia, grauatam, a gloria repulsam, & tartareo supplicio mancipatam agnoscit. Secundus est peccati cognitio: qua delictorum suorum horrorem & enormitatem, multitudinem, grauitatem, pœnam ijs debitam, simul & ingratitudinem ob oculos ponit. Tertius mundi cognitio, quo fit, vt perspiciat, quam fraudulente mundi gaudia nos illiciant, fallant, circumueniant, deficiant, ac tandem tædium sui generent. Quartus, Dei cognitio, qui, Deum illius creatorem esse redemptorem, iustificatorem, glorificatorem tandem futurum ostendit. Vnde præclare, vt solet, ait Bernardus: *Clamat mundus, Ego deficio: clamat Caro, Ego inficio: clamat dæmon: Ego decipio: clamat Christus: Ego reficio. Vide ergo quem sequaris.* Sed ad portas nostras redeamus.

Consolationes boni Angeli aduersus tentationes gaudij mundani.

Insignis D. Bern. sent.

Secun-

Secundæ passionis tentationes

Secunda porta Occidentem spectat, atq; hic malignus spiritus, secunda passione, qui est dolor mundanus, animam inuadere & oppugnare solet: hic quidquid in mundo triste, acerbum, noxium, & tædiosum dici aut fingi potest, crudele bellum infert, vt non immerito illud Psalmistæ repetere ipsa queat; *Inuenerunt me labores mortis, & dolores inferni circumdederunt me.* Abadon, id est, Angelus exterminator, vel Spiritus diuisionis, qui in Apocalypsi describitur, circa portam hanc quatuor agmina opponit, de quibus Ioannes ait: *Vidi angelos in visione:* in primo constituit inimicitias, odia, suspiciones, perfidiam ac vindictam: in secundo, murmurationem, detractionem, infamiam, rebellionem, discordiam, blasphemiam, maledictionem, & iram: in tertio, bella, homicidia, cædes, incendia, afflictiones pauperum, persecutiones innocentum, ædium conflagrationem, vrbium excidia, & regnorum ruinam: in quarto denique lites, proditiones, impiorum auxilia, falsa testimonia, & peruersa iudicia.

Apoc. 9.

Boni Angeli consolationes aduersus tristitiam mundanam.

Illinc vero ex aduerso bonus Angelus, qui Sanctus Michael est, tentationes hasce profligat, & sancto quodam gaudio secundum Deum resistit quod animam ad spiritualia gaudia sustollat, verba illa Apostoli illi occinens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete:* sanctum vero hoc gaudium & spiritualis recreatio, ad virtutum amorem, ad conscientiæ consolationem, & ad gloriæ cœlestis contemplationem inuitat: agminibusque hostilibus quatuor alia obijcit, velut radios quosdam splendoris supernaturalis, qui animos irradiat & illustrat. Primus, est gratia aduersus aduersitates confortans & roborans, iuxta id Apostoli: *Omnia possum in eo qui me confortat* Secundus, gratia humiliantis sub potenti diuinæ voluntatis manu, qua per patientiam meritoriam sub fortunę insultibus, & vitæ huius asperitate se deijcit & humiliat. Tertius, gratia exultans, qua cum voluptate & gaudio afflictiones & iniurias mundi huius sustinet ac patitur, Apostolos imitando, *qui ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Quartus, gratia calefaciens, affectiones inflammans, voluntatem succendens, desideria ad gaudia æterna comparanda exurens.

Phil. 4.

Phil. 3.

Tertia porta ad meridiem vergit, atq; hic inimicus, tertia passione quæ spes præsumens & insolescens est, euertere animam molitur: hac olim oppugnati fuere illi, quos loquentes Isaias inducit: *Posuimus mendacium spem nostram, & protecti mendacio sumus.* Behemotæ princeps spei vanę, quatuor hic legiones in aciem explicat: primam occupant Dei obliuio, votorum violatio, Apostasia, sacramentorum contemptus, indigna sacræ communionis sumptio, delictorum excusatio, & sacrorum consiliorum derisio: in secundam adlecta sunt scandalum proximi, innocentum per praua exempla destructio, peccandi consuetudo, & de peccato jactantia: tertiæ ascripta sunt irreuerentia, hypocrisis, curiositas, & vana gloria: in quartam relata, mundi gloria, dignitatum ambitio, honores sæculi, fastus & superbia, minæ & verba, aliorum contemptus, prodigalitas, luxus, auaritia.

Isai. 28.

Boni Angeli aduersus vanam spē præsidia.

Bonus Angelus, qui Azarias omnia hæc tentamina elidit, idque timore Dei, qui initium & apex sapientiæ, quo semper animam ad Deum eiusque iustitiam timendam induxit, vt ex quarto Apocalypseos capite colligere est, eique triplex lumen suggerit: primum, timor Dei, occinitque illud Ecclesiastici: *Qui timet Deum, faciet bona* Secundum, honor Dei: in Apocalypsi clamantem audiuimus Angelum: *Date illi honorem*, & in Prouerbijs: *Honora Dominum & valebis* Tertium diuinorum iudiciorum repræsentatio ac formido, in cuius rei signum Angelus initio Apocalypseos clamat: *Timete Deum, quia venit hora iudicij eius.*

Eccl. 15.

Apoc. 4.

Prou. 7.

Apoc. 14.

Tentatio diabolica circa quartam passionem animæ quæ metus.

Quarta & postrema, porta Septentrionalis est, circa quam metu malignus Spiritus animam oppugnat, iuxta illud: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor*, atqui hic quadruplicem cohortem armat, in prima collocat dubitationem & ambiguitatem circa res fidei, agnitæ veritatis derelictionem, vitæ præsentis prolongationem, paupertatis repudium,

dum, mendacia & periuria: in secunda peccati complacentiam, à satisfactione horrorem, conscientiæ malignitatem: in tertia peruersam consuetudinem, incredulitatem, excœcationem mentis, hæresin & ignorantiam: in quarta denique spem vitæ longioris, pœnitentiæ dilationem, deq; misericordia diuina præsumptionem.

Solatium boni Angeli circa metus tentationem. Eccl. 2.

E contra bonus Angelus, qui Gabriel, sancta quadam passione penitus contraria, quæ est spes diuina, omnem hanc tentationem eneruat, verba illa Sapientis occlamans: *Aspicite filij natiuitates hominum, & scitote, quia nullus speranit in Domino & confusus est: permansit in mandatis eius, & derelictus est*: simulque triplicem ei spem velut aciem triangularem opponit, quæ animam excitat & corroborat. Prima est spes quædam viua & fide plena, qua credit & sperat: mysterio passionis Iesu Christi credens. Secunda est spes prouida, qua anima sperat simul & credit, Deum casibus & aduersitatibus humanis, qualia bella, pestes, afflictiones, necessitates, aliaque prouidere & succurrere posse, iuxta illud Prophetæ: Ierem. 17. *Spes mea tu in die afflictionis meæ* Tertia est spes fidelis, per quam anima Dei sui promissis cõfidit, illiusque sanctæ prouidentiæ innititur.

Conceptus Cabalistarũ antiquorũ.

Hæc sunt ministeria, Auditores, quæ à bonis nobis Angelis exhibentur, hi sunt custodiæ illorũ effectus potissimi, videte quoque allegoricam & mysticam quatuor ventorum vel passionum animi nostri expositionem. Atque huius occasione alterius cuiusdam conceptus Rabinorum, qui cum hoc nostro coincidit, mihi in mentem venit. Credite scioli illi ludizantes, & Thalmudici consarcinatores, Dei currum à quatuor Angelis trahi & compositum esse velut è quatuor lapidibus pretiosis: ad latus dextrum gemmam quandam finxerunt, è qua felicia omnia prodibant, quam Michaëlem appellabant: ad sinum aliam, quæ omnium afflictionum, aduersitatum, & molestiarum causa erat, nomine Gabrielem. Tertia mixta erat, & de duabus prioribus participans, cui nomen dederant Raphael: quarta denique erat velut gubernatrix ac dispensatrix omnium, quam Vrielem dicebant. Hæc non nisi Iudaica commenta, at Christiana veritas docet, Dei currum non ab his quatuor dumtaxat, sed ab infinitis alijs Angelis trahi, vt è Psalmistæ verbis elici potest: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, &c.* Psal. 67.

Plura de perfectionibus Angelicis in genere non dicam, nam tempus jam est ad alterum concionis membrum accedendi, in quo glorioſi Michaëlis Archangeli excellentiam, magnitudinem, & mirabilia singillatim ostensurum me dixeram: & quamuis Ecclesia hodierna die omnium beatorum spirituum festum & solennitatem celebret, singillatim tamen glorioſi huius Archangeli, velut omnium capitis & cæterorum principis.

Digne igitur vt hac de re loquar, dico, si authoritate quadam irrefragabili agendum est qualis est reuelatio diuina, nonnisi tria in ea vniuersa Scriptura bonorum Angelorum nomina reperiri, scilicet, Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem: primum decimo & duodecimo Danielis capite, & Iudæ Apostoli Epistola Canonica, & quarto Apocalypseos: secundum 8. & 9. Danielis & Lucæ capite primo. Tertium denique tertio Tobiæ capite: cætera, quæ ab alijs citantur nomina, nulla librorum Canonicorum authoritate nituntur, nec ab aliqua Ecclesiæ traditione accepta, sed partim à Cabala Hebræorum mutuata, partim è libris Apocalypsis, qui ad nostram vsque ætatem peruenere, educta sunt. Ita nomen Vrielis libro quarto Esdræ legitur, qui inter Canonicas Scripturas, vti & quartus, non est referendus. Libro secundo oraculorum Sibyllinorum, quæ Tomo secundo Bibliothecæ sanctorum Patrum leguntur, mentio habetur, Eromielis, Vrielis, Sanielis, & Azaëlis, aliorumque plurimorum. Beda quoque in Collectaneis suis numerat & alios, Rumielem scilicet & Pauielem: alios etiam addunt alij, vt Iehudielem, Barahielem, Escaltielem, & plurimos alios: at nullius frequentior in sacro volumine, quam Archangeli Michaelis habetur mentio.

V. Tres Angeli nominati in Scriptura.

Effe-

Effecta & opera Michaelis Archangeli. Gen. 21. Gen. 32. Exod. 3.

Effecta, opera & ministeria illius ex vtroque in testamento frequentissime occurrunt. Ipse siquidem fuit, qui olim Abrahamum, ne filium immolaret, impediuit, & gladij tam sublati ictum infregit. Ipse nocte integra cum Iacobo eumdem aduersus Esau animaturus, luctatus est, eumque in femore læsit. Ipse Mosi in rubo ardenti apparuit, ad quem legislator ille tanta cum reuerentia accessit. Ipse eiusdem cadauer iam defunctum magna diligentia occultauit, ne ipsum Hebræi velut numen quoddam adorarent. Ipse gladium manu vibrans Gedeoni apparuit, eique robur & animum addens causa fuit, vt trecentis dumtaxat assumptis viris copiosum Madianitarum exercitum profligarit. Ipse denique vna nocte centum octo-

Iud. 6 & 7. 4 Reg. 19.

ginta quinque hominum millia in castris Senacherib regis letho dedit.

Exod. 8.

Audite & alia. Ipse Ægyptum afflixit, & tantas per omnes illius terminos plagas ostendit. Ipse aquas maris Rubri separauit, & sicco pede tantam hominum multitudinem per ipsum traduxit. Ipse velut tædifer filios

Exod. 14. Exod. 15. Dan. 14.

Israel in columna ignis in terram promissionis perduxit. Ipse Prophetam Abacuc capillitio arreptum è Palæstina in Babylonē transportauit, & Danieli, qui in lacu leonum asseruabatur, alimentum procurauit. Ipse tres illos adolescentes in fornacem Babylonicam coniectos conseruauit, & in medio flammarum ijs astare visus est.

Dan. 3.

Hæc quidem è veteri Testamento: iam è nouo non minora illius opera producamus. Ipse fuit, qui quotannis aquas piscinæ Probaticæ mouebat, per quem motum omne morbidorum genus sanabatur. Ipse succentor fuit & choragus symphoniæ illius Angelicæ, quæ Christo nascente in montanis Iudææ fuit exaudita. Ipse erit horrendus ille tubicen & præco, ad cuius vocem omnes mortui sepulchris exibunt, & iudicio se sistent. Ipse in die iudicij vniuersalis crucem, clauos, coronam spineam, lanceam, ac reliquum passionis apparatum præferet: Ipse denique animas in statera ponit, & summo illi iudici offert, vnde canit Ecclesia: *Michael Archangele constitui te super animas suscipiendas.*

Ioan. 5.

1. Thess. 4.

Equidem credidesim, gloriosum hunc Archangelum vnum esse è septem illis spiritibus, (& fortasse inter illos principem obtinere locum) qui semper throno diuino adstant, & rebus inferioribus, & quæ ad hominem spectant, præsunt, quique cæteris Angelis inferioribus ministeria delegant, & quæ ad mūdi gubernationem directionemque pertinent, facere imperant, de illis loquor spiritibus, de quibus Apocalypsis loquitur: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei*, & in cap. decimo quinto, decimo sexto, & decimo septimo sermo est de septem Angelis velut œconomis & agentibus generalibus omnium quæ in mundo peraguntur. Angelus quoque Raphael vnum se de eorum numero esse ait: *Ego sum Angelus Raphael, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Clemens Alexandrinus de illis agens, hæc addit: *Septem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes.* Horum porro de numero Michael est iuxta Danielis verba: *Ecce Michael vnus de principibus mihi venit in adiutorium.*

Apoc. 8.

Tob. 1.

Dan. 10.

Describit Apocalypsis septem lampades diu noctuque ante Deum collucentes, quas Ioannes de Angelis exponit: quem secutus dicere ausim, Michaelem vnum esse è præcipuis, quemadmodum & Angelorum princeps est: ac lampadem igne amoris ardentem, mirabilibus collucentem, & semper ante diuinæ maiestatis thronum refulgentem.

Apoc. 4.

De hoc Archangelo illud Psalmi intelligam: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentem eum*, quo loco Septuaginta pro *immittet*, exponunt *castra metabitur*: Hieronymus *circumdat in gyro*: è quibus colligo, gloriosum Michaelem cœlestes spiritus velut in acie & castris ad fidelium defensionem, & omnipotentis gloriam disponere. Confirmabit hoc prælium quod Apocalypsis in cœlo peractum scribit: *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angelicius præliabantur cum Dracone.* Vere prælium magnum, de re enim magna concertabatur, num scilicet Deo honor & gloria reddenda foret, vel vt Bernardus, Alexander Halensis, & Lactantius volunt, num sacra Christi humanitas adoranda

Psal. 33.

Apoc. 12.

Serm. 17. Cant. 3. p. q. 70. in 4. l. 2. cap. 9.

esset: & prælium hoc non vi armorum, sed rationum; non manuum motu & ictu, sed mentis, qui longe vehementior fiebat.

VI. Quo ordine sit in cœlo Michael.

Non satisfacit mihi communis Theologorum nostrorum opinio, dicentium, Michaelem nostrum è primo & supremo vltimæ Hierarchiæ choro, id est, è Principatibus vnum esse; quod tamen illi è magno Theologo Dionysio didicerunt, qui libro de cœlesti Hierarchia Michaele postremæ Hierarchiæ, quæ Principatus, Archangelos & Angelos comprehendit adscribit. Ipse enim eorum semper opinionem, vt probabiliorem, sum secutus, qui Michaelem in primo supreme Hierarchiæ ordine, qui Seraphinorum est, collocandum censent; atque hoc apertissimæ è decimo Danielis capite, quo *vnus de principibus magnis* dicitur; & duodecimo, vbi lego, *Michael princeps magnus*, colligi posse iudico. Quomodo enim Princeps magnus dici queat, si nonnisi in postrema hierarchia collocaretur.

Lib. de cœlesti hierarchia c. 9.

Dan. 10. & 12.

Tob. 12.

Deinde Angelus Raphael, coram vtroque Tobia de dignitate sua agens ait: *Ego sum vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Cum veroseptem hi Spiritus, omnium iudicio Seraphini sint. Clemens enim Alexandrinus illos Angelorum principes & primogenitos nuncupat, & horum de numero vnus sit Raphael, qui tamen tam mirabilia opera edidisse non legitur, quam Michael; crediderim Michaelem nostrum huius ordinis fuisse.

Homil. 34. Euang. Hom. 1. super Missus est.

Tertio Magnus Papa Gregorius de Angelo Gabriele in homilijs suis hunc in modum locutus est: *Ad hoc ministerium, summum Angelorum venire dignum fuerat, quia summum omnium nuntiabat:* eiusdem quoque opinionis Bernardus est. Ambo igitur mea sententia inferre volunt, Gabrielem è Seraphinorum & præcipuorum Angelorum numero esse, atque ego hinc colligere, huc etiam referendum esse Michaelem nostrum. Si enim ob vnam legationē (maximum hauddubie) Angelus Gabriel hunc in ordinem allegatur, cur Michael noster, qui plures executus est hoc numero excludatur?

Si quis vero opponat & è contra obijciat, Michaelem in scriptura, Angeli semper & Archangeli nomine cēseri, deinde eum semper vt missum describi, quod ad inferioris hierarchiæ ordines spectat. Respondeo ad primum cum magno Gregorio, Angeli nomen officij, ac dignitatis esse, non naturæ. Ad secundum cum Paulo, omnes esse administratorios spiritus, omnes ministrare, & ad hominum salutem procurandam destinari, quod nemini mirum videatur, cum & creator ipse & Angelorum omnium Rex, venerit non ministrari, sed ministrare.

Nomen Angeli officij est non naturæ. *Hom. 34. in Euang. Hebr. 1. Matth. 20.*

Quo stabilito progredior vlterius, dicoque principem hunc & turmarum Angelicarum ducem non modo è primo primæ hierarchiæ ordine & choro esse, sed omnium etiam Angelorum, qui post Luciferi eiusque sequacium rebellionem ac ruinam in cœlo remansere, primum, nobilissimum, excellentissimum, & cum natura, & gratia, & scientia, cum alijs perfectionibus præstantissimum. Hæc magni Basilij opinio est dicentis: *Tibi ô Michael duci superiorum spirituum, qui dignitate & honoribus prælatus cæteris omnibus spiritibus superius, tibi inquam supplico. Angelis.*

Michael omniū Angelorū non præuaricātiū primus. *Homil. de*

Beatus Laurentius Iustinianus idem quoque habet: *Sanctius*, inquit, *spiritibus prælatus est Michael, sicut Lucifer malus.* Inter recentiores huius opinionis est Ambrosius Catharinus: quod & è Daniele Propheta confirmari potest, qui Michaelem nostrum principem magnum nuncupat; quæ dignitas ei non competeret, nisi caput & primarius aliorum foret.

Serm. de S. Michaele. In 1. ad Heb. Dan. 11.

Adhæc ipsum validis & prægnantibus rationibus confirmari potest, quorum hæc prima, iuxta Theologorum, imo & Ecclesiæ vniuersalis sententiam certissimum est, in magno illo & terribili prælio, quod in cœlo Empyreo peractum est, Michaelem Dei personam gessisse, & velut diuinæ Maiestatis vicarium depugnasse, cum igitur Lucifer agminis aduersarij caput, omnium Angelorum (vt vulgo creditur) princeps fuerit; rationi consentaneum fuit, aliorum Angelorum, principem & nobilissimum, ei se Dei nomine obijcere, & vim illius retundere.

Rationibus probatur Michaelem primum omnium Seraphinorū esse.

1.

Secunda ex Apocalypsi erunitur, in qua magnum illud prælium describitur, ad litteram de prælio illic fermo, quod Lucifero & Antichristo

2. *Apoc. 12.*

christo Michael circa mundi finem intentabit. Petierim igitur, cui potius tam horrendū bellum, in quo de imperio & authoritate Iesu Christi decertabitur, quam omnium spirituum Angelicorum maximo & nobilissimo, conficere incumbat.

3. Tertium hanc porro, certissimum est Michaelem fuisse; qui Dei viuentis personam in rubo ardēti repræsentauit: ita enim Moysi locutus est: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Credibile autem est, imo vel verisimile, non alium à Deo, vt vicariū, & personam suam repræsentantem electum esse, quam Angelorum suorum principem & maximum!

4. Succedat quarta, veritas hæc quamuis aliunde erui non possit, euidenter satis colligitur à nominibus ac titulis, quos Ecclesia huic Archangelo dare solet: modo enim illum præpositum paradisi, ac primatem cœlestis exercitus, modo cœlestis militiæ principem, Angelorum tribunum, & turmarum creatoris vicarium generalem nuncupat. Adhæc veritatem hanc astruit Catharinus è cōmuni orandi precandique consuetudine Ecclesiæ. Nam in Litaniis Romanis, post SS. Trinitatis personas, & gloriosam Virginem, primus inuocari Michael solet. quo testimonio satis confirmatur, merita illius & magnitudinem cæteris spiritibus Angelicis præcellere.

Quinta sequatur. In extremi iudicii die, vt apud Matthæum scribitur signum filii hominis in cœlo appariturum dicitur, id est, signum crucis velut summi imperatoris & Regis totius vniuersi vexillum & aquila, hoc autem Michael noster, vt in homiliis suis docet Eckius præferet: Inde canit Ecclesia: *Signifer sanctus Michael repræsentet eas.* Adeo vt hinc sequi videatur, inter turmas Angelicas eum primarium esse, quemadmodum capitaneus & vexillifer in turmis militaribus in terra primi etiam esse solent.

His addo, quæ de Angelo hoc scripsit Richardus Brixianus: inter cætera nomina quæ veteres Hebræi, qui de Religionis suæ mysteriis tractarunt, sancte coluerūt, fuit ipsum *Mitatron*, id est, princeps facierum, quod animas ad Deum offerret; easque gloriæ illius redderet participes. Mysterium hoc dum excutio, mihi persuaserim, admirabile, & præclarum hoc nomen glorioso Michaeli competere, facierum enim multitudo ingentem forte claritatem & splendorem diuini illius Archangeli denotat, tum etiam quod ab Ecclesia princeps, qui animas recipit easque Deo offert, appelletur: *Constituit te principem super omnes animas suscipiendas, &c.*

Audiuistis igitur, auditores, mirabilia munia & perfectiones Angelorum omnium in genere: audiuistis etiam singillatim excellentiam, dignitatem & merita glorioſi Michaelis, atq; his duobus punctis vniuersam concionem absolui. Honoremus igitur Angelos, milites illos cœlestes reuereamur, agnoscamus, quantum illis deuincti simus, illosque vt semper nobis adsint, obsecremus: & inprimis glorioſum hunc Archangelum illum Seraphinorum principem colamus, ducem illum generalem militiæ cœlestis inuocemus, vota nostra ac preces ad generosum hunc athletam, ad draconis illum debellatorem, cœlestem signiferum, fidelem animarum tutorem dirigamus, ac magna animi demissione hanc illi orationem offeramus.

Glorioſe sancte Michael, bonorum Angelorum ductor, Spirituum cœlestium decus, cœlorum miraculum, principatuum & dominationum caput; Cherubinorum Vice-Rex, summe Seraphinorum superintendens, agminum omnipotentis ductor, & generalis omnium regnorum prouisor: oculos tuos ad nos conuerte, rem nostram cordi habe, à periculis nos defende, nosque custodi ac protege.

Tu beatissime Angele, cuius gesta adeo celebria sunt, & facinora adeo heroica, tu enim Adamum paradiso tam dulciter eduristi, tu Abrahæ gladium iamiam Isaaci ceruicibus imminentem retinuisti, tu Mosi in rubo apparuisti, tu legem in monte Sinai dedisti, tu Iosue animos, gladium illi quo hostem conficeret adferendo, addidisti, tu Gedeoni aduersus Madianitas victoriā contu- Michaelis opera.

listi

listi, tu tribus pueris in fornace Babylonico refrigerio fuisti, tu deniq; tot tantaq; in terra mirabilia opera edidisti; in nos custodiã tuam recipe, tuere, & ab inimicis defende, imminenti periculo eripe, & in muris nostris excubias age. Tu fidelis fidelium protector & tutor, hominum inquisitor, atque animarum coram magni illius iudicis tribunali præsentator: tu qui iustitiæ bilancem manu tenes, atque omnium actionum nostrarum merita ponderabis, cum animæ corporibus emigrauerint, & iam iam iudicio sistendæ sunt, benigne eas admitte, placide bilanci impone, Deoque magno cum affectu præsenta, & vt paucis complectar, tu ijs esto propitius ac fauorabilis, felicitatem hanc igitur sperantes, toto vitæ tempore in hoc mundo te colemus, exspectantes interim donec in alio eiusdem compotes reddamur, ad quam Pater & Filius, & Spiritus sanctus nos deducere dignetur, Amen.

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESSORIS.

Partitio.

1. *De Natura rerum operatrice.*
2. *De expositione textus Euangelici.*
3. *De paruulorum exaltatione & superborum depressione.*
4. *De S. Francisci admiranda excellentia.*
6. *De vtilitate ordinis incepti & propagati.*

Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea paruulis, &c. Matth. 11.

FIGVRA.

Gen. 12. INTER admirabiles & illustres magni Patriarchæ Abrahæ virtutes, hanc Apostolus Paulus in ea, quam Hebræis scribit, Epistola, inprimis denotat, velut ceterarum originem, causam, & fontem; quod nimirum è Deo vocatus, & patrio iussus solo egredi, & cognationem vniuersam deserere, Chaldæos idololatras confestim deseruerit, & nescius quo tenderet, in viam se non minori promptitudine quam obedientia ilico dederit: cumque spem instar anchoræ firmam, & solidam in animo haberet deinde Dei promissis aliunde niteretur, generose iter hoc suscipiebat, credens posteros suos ac nepotes stellarum instar multiplicandos, vtpote qui prædestinatus erat multarum gentium ac populorum pater futurus. Hoc ipsum inter ceteras laudes & præconia, quæ in glorioso Patris S. Francisci vita leguntur, facile etiam primum est, & neminem non in admirationem rapit, quod Abrahæ cuiusdam instar, electus & vocatus cœlitus, vt multarum nationum, id est, ordinum Religiosorum pater foret, temporalia omnia dimittēs, & à mundi huius patria factus profugus, paupertatis iter quam perfectissime secutus sit, solis Dei nitens promissis. Propterea meruit, suum vt semen, id est, spirituales filij & Religiosi per vniuersas mundi partes diffusi ac sparsi immensum multiplicarentur. Statui ipse mecum hac super re vobiscum agere, auditores, cum illius hodie recolatur festiuitas. Verum spiritus cœlestis opem precibus gloriosissimæ matris imploremus oportet; quam omnes vnanimi voce eam ob causam hac ratione, compellemus

AVE MARIA.

Quemadmodum magna illa mater natura in operum suorum pulchritudine, excellentia & perfectione plane se reddit admirabilem, quotidie, vti reipsa ad oculum cernere licet, tot rara, insignia & præstantia creata de nouo producendo; ita non minus admirabilis est ratio, quam in illorum productione creationeque adhibet; adeo vt agendi operandique eius modus non minus operatione ipsa sit admirabilis. Si enim opificum operariorumque omnium in officinis suis artem & operandi rationem spectemus, comperiemus illos ad opus suum agendum & effectus producendos, optima semper solere media seligere & materias conuenientissimas. Insignes quippe pictores, vt honorem sibi pingendo pariant, & opera sua illustria sint; & ad memoriam poste-

I. Natura in modo operandi admirabilis est.

Artifices in suis operibus optimas seligit materias.

sterorum transitura, viuacissimos & perfectissimos quosque eligere colores assolent; ad imagines suas depingendas. Statuarius & sculptor marmora seligit quam lectissima & pretiosissima & alabastra quam nitidissima, vt ex iis statuas exsculpat. Gemmarius nonnisi elegantissimos seligit adamantes & pyropes, vt ex iis monilia concinnet; & aurifex aurum quam purissimum, ad inaurandum, & auro argentea vasa inducendum.

Natura materias quærit in operibus suis vilissimas.

Verum primaria illa artifex natura artem vt eludat, longe aliter facit: cum enim nobiliora, pretiosiora, & eminentiora efficere opera parat, eo & viliores materias ac media studio mihi videtur seligere, vt hoc pacto manifesto nobis infinita auctoris ipsius scientia patescat. Si in hortis florē aliquem ceu lilium, rosam, violam, coronam imperialem, tulipam aliosque producere gestit; nonnisi pauxillum humoris terreni adhibebit; éque materia adeo abiecta hæc omnia producet. Si etiam pretiosius quid efficere voluerit, & gemmas ac margaritas procreare, aut aquæ aut roris, mane ex aëre diffluentis modicum vsurpat, è quo easdem congelefacit, ac tandem suum quam elegantissime opus perficit. Denique si crystallum pellucidam efformatura sit, ex humore gelido eamdem efformabit, cui parem efficere nullus vitriarius potest.

Deus in sanctorum suorum productio admirabilem se exhibet.

Eodem plane modo magnus ille naturæ auctor Deus in omnibus operibus suis admirabilis, *faciens mirabilia magna solus*; magnam Ecclesiæ suæ potentiam patefacturus, simul infinitam sui ipsius sapientiam, non in florum modo & gemmarum pretiosarum, id est, sanctorum plurimorum, quos in Ecclesiæ suæ horto adoptat sanctificat, plantat, & irrigat, productione se admirabilem reddit, sed in illorum producendorum ratione præcipue & quam maxime potentem & mirabilem se exhibet. Vti enim facere poterat, ac nihil omnino impedimento fuisset, si modo voluisset vt sancti, & electi sui, illustres sanguine scientia & doctrina seculari forent; itaque, assumere, quidquid in terra pulchrum, opulentum & splēdidum apparebat, vt inde tam perfectas creaturas efformaret; in eo tamen opere adhibere statuit, quidquid vilissimū, abiectissimum & probrosissimum in mundo erat, selegitq; homines pauperculos, indigos, rerum ignaros, idiotas, nulliusq; meriti ac contemptibiles quos deinde nobilitauit, ditauit, erudiuit, iustificauit, & principes, Ecclesiæq; suæ fundamenta constituit.

Egregie hoc prosequitur apud Corinthios suos Apostolus dicens: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Quasi dicat, Deus hac ratione ostendere voluit, non carnis hoc aut sanguinis, non potentiæ humanæ aut sapientiæ opus esse; sed purū ac simplicem diuinitatis effectum, & omnipotentiæ, & omniscientiæ supremi rerum omnium conditoris & architecti argumentum. Et consequenter suam in hoc exerere magnitudinem voluit, mundumq; in admirationem rapere, dum magna paruis, potētia infirmis, & sapientia iis, quæ stulta mundus censebat, confundit.

1. Cor. 1. Deus humilia eligit, vt confundat fortia.

Rogat non inepte Chrysostomus, quid in causa fuerit, cur Deo dilectissimus Dauid bellum inire, & Philisthæorum ducem Goliadam aggredi, Saulis armis indutus, & ipsius etiam regis manibus armatus detrectarit? ac respondet, non tam id noluisse, quod hanc bellandi rationem ignoraret, aut hoc armorum pondus ferre non posset; quam quod Deo inspirante didicisset, nefas esse hisce armis indutum ad bellum proficisci. Si enim armis illis inimicum prostrasset, victoria ex parte in Regia arma collata fuisset. Verum, cū sanctus hic adolescens solius Dei honore actus certamen adiret, hinc etiam illi soli prælij & victoriæ gloriam voluit adscribi. Quamobrē vilissima & inutilissima instrumenta Deus etiam vsurpat, suā vt hoc pacto declaret potentiam.

Chrysost. hom. sup. Psal. 50.

1. Reg. 17.

Sic, vt Regem Ægypti saxo duriorem oppugnaret, & emolliret, arma non produxit, non hominum Angelorumque agmina in aciem protulit; sed ranas & muscas, omnium

Deus muscis & ranis Pharaonē oppugnauit.

nium animalium abiectissima collecta in Pharaonem immisit, quibus & ipsum, & vniuersum regnum eius euerteret & debellaret. Hinc Psaltes hæc admiratus mirabilia & nouam bellandi rationem canit: *Qui fecit magnalia in Ægypto.* Vocat autem *magnalia*; quæ ipse Moyses legislator populo identidem proponit, de Dei potẽtia & mirabilibus loquens: *Ipse est laus tua, & Deus tuus qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui.* Eodem quoque modo loquitur Dauid Rex, Deiq; opera & mirabilia beneficia, quæ populo exhibuerat suo, admiratus, sic loquitur: *Faceretq; eis magnalia & horribilia super terram à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto.* Notate, ô docti, quæ in Ægypto Deus opera patrauit, eiusmodi sunt armare ranas, muscas in aciem producere, tenebras inducere, aquas in sanguinem conuertere, ab vno vocari *Magnalia*, ab alio *terribilia*: alibi etiam *horribilia*: vt hinc euidens fiat, magnum illum Deum admirabilem, terribilem & horribilem se paruorum in productione reddere.

Psal. 105. Deut. 10.

2. Reg. 7.

Multi Jericho conciderunt ad tubarum clangorem. Ioſ.

Hinc est etiam, cur nemo nonnisi admirando vel legat, vel audiat, quæ in Jerichontis expugnatione contigerunt; cum nimirum vrbs idololatria infamis, Deoque cœli refractaria, suisque in tantum confisa viribus, vt sexcentis hominum millibus sub Josue ductore ausa sit resistere, momento se muro exarmatam, & patula circumquaque ruina facta, hosti in prædam cessisse vidit, idque ad solum tubarum sacerdotalium clangorem. Neque enim vt potentiam suam & robur Deus Opt. Max. declararet, aduersus vrbem hanc rebellem balistas aut arma contorquere voluit, sed inanem buccinarum sonitum, quod nonnisi prælij ineundi signum est, vsurpare.

Orbis vniuersus superatus ab indoctis piscatoribus.

Vt vero Allegoriis egrediamur, & liquido planoq; sensu loquamur, idem ipse Deus vt mundum vniuersum sub imperij sui leges redigeret, infernisque potestatibus terrorem incuteret, aliis non est armis vsus quam crucis arbore. Nec vero Romanæ aquilæ aut signa tantum terrarum peragrarunt, torque retulerunt triumphos, quantos nudum crucis vexillum in Ecclesia ventilatum, & terratum angulos peruagatum est, & victorias reportauit. Adhæc vt omnium Philosophorum disputando ora obturaret, sapientissimis quibusque pudorem incuteret, monarchas omnes imperio frænaret suo, omnesque adeo mundi populos edoceret, homines selegit, imbelles, ignaros, stupidos, obscuros, plebeios, piscatores piscatui & nauicularię innutritos; quibus & secreta sua detexit, & profundissima mysteria reuelauit.

Scientia eximia S. Francisco data cœlitus.

Quos inter facile princeps & caput exstitit magnus ille Patriarcha Franciscus, quem natura rudem & indoctum tanta cœlitus Francisco scientia & simul gratia & virtute Spiritus sanctus imbuit, summo vt honori Ecclesiæ tus. vniuersæ fuerit, permultos Christo populos acquisierit, multas fidei nationes asseruerit, animarum infinita millia conuerterit, verbumque Dei tam sublimiter & docte annuntiarit, vt vel vnica adhortatione, quã in primo generali Ordinis totius Capitulo habuit, infinitam hominum multitudinem Deo lucratus sit, & concione finita, quingentos illorum, in ordinem suum receptos, sacra religionis veste donarit. Hanc ob causam in eius honorem & decus, illustre hoc hodie Euangelium legendum decreuit Ecclesia: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Hodie ergo ad vos, hac de materia acturus in duo eam membra dispertiar; primum quid Euangelium includat, generatim exponet, deinde hoc ipsum S. Francisco adaptans, ad eius tandem elogia præconiaq; dilabor.

II.

Primo Euangelista orationes & sanctam Redemptoris cum Patre suo æterno sermocinationem enarrans, hanc vt primariam, & maxime notabilem eius partem prodit, aitque eum quadam die dixisse: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Verba sane sublimia & diuina, quibus Jesus Christus, in quantum homo, Patri æterno grates agit, quod mysteria fidei, quoad Messiæ aduentum, à Scribis ac Pharisæis, Sacerdotibus & Pontificibus, qui Judææ sapientes erant, absconderit, eorumque cognitionem paruulis, id

lis, id est, Apostolis, reuelarit. Atque hæc est sancti Hieronymi expositio: *Gratias*, inquit, *agit, & exultat in Patre Christus, quod Apostolis aduentus sui aperuerit Sacramenta, quæ ignorauerint Scribæ & Pharisæi.* Adeo, vt per Sapientes hos, Legisperitos, Scribas & Phatisæos Mosaicos intelligi velit.

Secundo, aliqui verba hæc examinantes, & veram illorum expositionem inquirentes, & quinam hi sint, prudentes, & sapientes, quorum Redemptor hic meminit, indagantes; volunt per eosdem veteres Philosophos, qui illustri apud ethnicos sapientiæ nomine floruerunt, & apud exteros Sapientium titulum famamque adepti sunt, denotari: huiusmodi fuerunt vetera illa oracula & illustria lumina; quos septem Græciæ Sapientes appellauit antiquitas; quibus tamen omnipotens ille Deus fidei suæ sapientiam & veritatis mysteriorum suorum cognitionem denegauit, iuxta illam Euangelij gnomem, *Abscondisti hæc à sapientibus.*

Tertio aliam interpretationem procudentes, alij eamque obtrudere conati, asserunt Sapientibus hisce & prudentibus Patriarchas veteres & Prophetas esse adūbratos, quibus Messiæ aduentum Deus abscondit; eo quod corporeis eum oculis minime aspexerint. Ad quod alludens Seruator ipse Judæis tum viuentibus aiebat: *Beati oculi, quia vident, quæ vos videtis: multi enim Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt:* hæc visio semper iis negata fuit, iuxta illud Euangelium: *Abscondisti hæc à sapientibus.*

Quarto, sanctus Augustinus in alia secedens, & ab aliorum deflectens opinionibus sibi persuadet, per sapientes illos non omnis generis sapientes, sed insolentes duntaxat & superbos, qui seipsos vt mundi credunt oracula, & vt tales vulgo habentur, intelligi oportere: per paruulos autem capiendos humiles. Eiusdem est opinionis magnus Gregorius, ex hoc loco comprobans, superborum à Deo oculos non aperiri; nec mentes illuminari ad mysteriorum eius veritatem perspiciendam, iuxta illud Euangelicum: *Abscondisti hæc à sapientibus.*

Quinto, præter omnes antea relatos fuere & alij, qui per sapientes hos & prudentes genuine exprimi crediderunt mundi huius politicos. Est enim quoddam in mundo sapientiæ genus, quod mera apud Deum est stultitia. Et de hac verisimile sit olim locutum esse in Prouerbiis Salomonem: *Sapientia hominum non est mecum, & noui scientiam Sanctorum:* perinde ac si dicere vellet: Astutiam illam & prudentiam humanam, quam vt illustrem & profundam quamdam sapientiam mundani admirantur ac suspiciunt, plane ignoro: sed eo, quo sancti & iusti sunt & hactenus fuerunt, modo sapiens & prudens sum. Humana sapientia est nosse & velle proximum circumuenire, rem suam per fas & nefas agere, tempori omni se affingere, dissimulare posse tempore, & loco, aliquando item assentare; verbo vt dicam, est omni ratione, etiam illicita peccatumque includente secularia ac terrena sectari.

Stolidam hanc sapientiā egregie explodit S. Jacob. Apostolus sic scribens: *Non est enim ista sapientia descendens de sursum à Patre luminum, sed terrena, animalis & diabolica.* Hanc ipsam & Deus abhorret, & velut abominandam execratur, per Apostolum dicens: *Perdam sapientiam sapientum & prudentiam prudentum reprobabo.* His ergo pater æternus sua non patefacit mysteria, prout præsenti in Euangelio dicitur, *Abscondisti hæc à sapientibus.*

Patri ergo suo Redemptor gratias agit & confitetur, quod paruulos, id est, paruulis persimiles, pauperes, indoctos, ad Euangelij promulgationem, fideique per vniuersum terrarum orbem dissemination em, relictis sapientibus & neglectis, qui humano iudicio cæteris anteferendi ac præponendi videbantur; selegerit, quasi diceret: Quam humillimas tibi, Pater æterne, grates & ago & habeo, quod sapientibus ac sciolis mūdi huius mysteria tua celaris paruulis autem, stupidis & indoctis hæc ipsa manifestaris, eligendo, scilicet pauperes, plebeios Apostolos, eosq; sapientia quadam cœlica illuminando, vt hæc eadē postea per omnem qua patet orbē diffunderent & annuntiarent.

1. Interpretatio.

Prou. 30.

Mundanæ sapientiæ descriptio.

Iacob. 3.

1. Cor. 3.

Prætulit Deus ignaros & rudes sapientibus.

In fidei prædicatione.

Sic-

Nativitas Christi magnates latuit, & pastoribus innotuit.

Sic factum est, vt Dei filio in Bethleem nascente, Scribas, Pharisæos, Sacerdotes, Pontifices, Regem & omnes Judææ primates, eiusdem natiuitas latuerit, & solis illa pastoribus, in montibus super grege suo excubantibus, innotuerit: quos sic Angelus affatus est: *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator.* In quæ verba sic scribit D. Cyprian. *A sapientibus*, inquit, *& prudentibus non quærit testimonium, qui parvulis se revelat.*

Luc. 2.

Serm. de nati.

Huc egregie facit, quod in Prouerbiis Salomonis legitur: Sapientia cum mensas instruxisset, epulumq; lectissimum adornasset *misit ancillas, vt vocarent ad arcem* exstruendam non diuites, & potentes, sed paruulos, quique minus possidere sapientiæ videbantur. Hæc vero sunt inuitantis verba: *Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum.* Quid sibi vult porro, sapientiam idiotis & paruulis adeo se lenem & benignam exhibere, & magnates, & mundi sapientes deprimere? vt scilicet manifestum fieret, sublimium ac diuinorum mysteriorum cognitionem, quæ vera est cæli sapientia, celebribus oratoribus aut profundis Philosophis mundi huius non te fieri, sed humilibus duntaxat, iisque qui simplicitate sua ignorantiam meram præferunt, vt idiotas ac rudes se gerunt, & velut stolidi in hoc mundo reputantur. Sic Apostolus Paulus insanire dictus est à Festo Præside, & Dauid rex habitus vt fatuus ab Achis purpuratis; & vero ipse Dei filius ab Herode vt stultus & emotæ mentis explosus.

Prou. 9.

Cœlum & terra diuersa sentiunt.

Mundus porro & Deus iudicio inter se nimium quantum dissident, illorumque opiniones plane inuicem discrepant: quod ille bonum iudicat, alteri vt malum displicet; quod ille, vt veritatem docet, hic vt mendacium fugillat: denique quidquid in terris vt prudens & insigniter sapiens habetur, in cœlo vt mera stultitia & fatuitas reputatur: à contra vero illos, quos mundus pedibus proterit, & velut fatuos explodit & subsannat, Deus permagni facit, summis honoribus exornat, vt sapientes Philosophos credit, suaque illis mysteria & arcana communicat. Declarare hoc Dauid rex voluit, cum sic Deum alloquitur: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* quod sic à D. Hieronymo transfertur: *Ostium sermonum tuorum lucidum docet paruulos.* Sola namque humilitas veritatis ianuam & aperit & illuminat. Vnde non inscite Gregorius in Moralibus: *Lumen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit.*

Psal. 110.

Lib. 15. c. 11.

Joannis quarto Samaritana communi loquendi mundanis modo vsa, Christum sic affatur: *Puteus altus est, neq; in quo hauries habes.* Mulier hæc nonnisi de puteo Sichimitico loqui intendebat, cuius altitudo oppidanis omnibus satis perspecta erat: sed allegoricus illorum verborum sensus longius tendebat. Et vero mysteriorum fidei puteus admodum profundus est, ingens eadem abyssus sunt; quorum elicere veritatem & notitiam assequi superbi & arrogantes nequeunt. Et tametsi doctissimi sint & multis abundent literis, sunt tamen in iis, quæ ad sacra mysteria spectant, imperitissimi, & maxime ignati.

Ioan. 4.

Mysteria fidei abyssus sua.

Esaias Propheta rem tangit egregie, sed maledictione simul intentata, *Væ*, inquit, *qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* quibus ipse verbis sapientes mundi huius depingit: suo namque hi iudicio oracula videntur, Philosophos se credunt, cum tamen meræ sint pecudes: statera illorum fallax est, vanitas ipsis imponit, ac suo ipsi falluntur iudicio; ignorantia ipsis videtur esse sapientia, mendacium veritas, vitium virtus, & impudentia humanitas, quos hoc modo fugillat Jeremias: *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus; & lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.* Omnes hæretici, omnes Philosophi, mundani omnes sapere se iactant, sed verba illorum mendacia, scripta falsa, & calami illorum nonnisi blasphemias & mendacia conscribunt. abest quippe ab iis veritas & ipsa mysteriorum cognitio; nam *abscondisti hæc à sapientibus.*

Esai. 5.

Ierem. 8.

Voluit scilicet Dominus pauperes & humiles discipulos suos esse præcones & tubas

1. Reg. 16.

Euan-

Euangelij sui promulgationem per orbem denuntiantes; non autem turgidos & insolentes Pharisæos aut Synagogæ Judaicæ scribas. Samuel in regem Israel è filiis Isai aliquem vncturus, domum eius ingressus, oculos illico coniecit in natu maximum Eliab, virum facie honesta & decora, formaque digna imperio, & proceritate corporis eximia. His ergo exterioribus perfectionibus captus Propheta, Deum confestim consulit, num hic ipse in Regem, cœlitus diuino decreto assumptus, vngendus esset. Verum dubitanti mox Deus respondet: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum.* Eodem plane modo, cum Euangelium orbi annuntiandum esset, eiusdemque præcones deligendi, videbat quidem Redemptor Pharisæos, Scribas, nobiles, Principes, aliosque scientia & aliis dotibus insignes, dignitate sublimes, & altum euectos, exterius præstantes & dignos, quique idcirco ab omnibus suspiciebantur & colebantur: eos ipsos tamen negligendo præteriit, neminem illorum ad hoc muneris delegit, sed ad vnum omnes cõtempsit: paruulos vero vnxit, euexit, & ad cultum ministeriumq; suum assumpsit.

Poterat quidem Redemptor vasa seligere honorata, quæque omnes vt aurea suspexissent, quibus mysteriorum suorum thesauros includere potuisset; sed terrea sola ac fictilia cooptauit, eaque aureis anteposuit, paruulorum & plebeiorum, non autem illustrium aut splendidorum opera hac in re vsus. Qua in metaphora mihi Doctor Gentium præit, Corinthiis scribens: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus vt sublimitas sit virtus Dei & non ex nobis.* quasi dicat, Magnus ille Deus omnipotens, qui iam inde à mundi incunabulis tenebras, quæ super faciem abyssi erant, luminis splendore dissipulit ac dissipauit, dicens: *Fiat lux, & facta est lux*; is inquam ipse, etiam cordium nostrorum tenebras effugauit, Euangelij sui nobis mysteria reuelauit, inque nobis, velut in vasis quibusdam fictilibus (eramus etenim omnes plebeij ac terræ filij) diuinitatis arcana, & Ecclesiæ suæ Sacramenta recondidit, etsi in vasis eadem aureis, argenteis, gemmatisque reponere potuisset, Philosophis, Aristoteli, Platoni, Socrati, aliisque mundi huius Sophis, qui orbis aurum, argentum, ac pretiosissimæ gemmæ quodammodo hominum opinione erant, illa communicando, sed aliter facere maluit, vt hac ratione summa Dei potentia elucesceret, & vt rei sublimitate, magnitudine & excellentia perspecta de auctoris ipsis virtute fieret iudicium, ac nemo sibi persuaderet hæc sibi asscribenda aut à se proficisci. Atque hoc est, quod Euangelium significat, dicens: *Et reuelasti ea paruulis.*

Deus humiles præposuit mũdi Sapientibus.

Per *paruulos* hos semper humiles accipio, atque ita omnis Sanctorum Patrum chorus accepit. Vbi enim est humilitas, animique demissio, ibi & sapientia & scientia. Vnde & hoc ipsum apud Salomonem ceu Prouerbium legitur: *Vbi humilitas, ibi sapientia:* quod à suo ipse didicerat parente, qui dudum ante cecinerat: *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Humilitas porro vna illarum est alarum animæ piæ datarum ad mundi persecutiones declinandas, & in auiam contemplationis solitudinem auolandum. In huius rei figuram est, quod in Apocalypsi *duæ mulieri datæ* leguntur *alæ*, dum Draco terribilis illi immineret, *vt volaret in desertum*, inque tutum sese reciperet. Etsi autem mirabilis hæc mulier stellis redimita, & sole vestita Ecclesiam, vel gloriosam Virginem Deiparam denotet; animam tamen fidelem etiam repræsentat, quæ duabus accincta alis, humilitatis inquam, & paupertatis vltroneæ, cæteris superuolat, ad perfectionem contendit, & à mundi fraudibus & diaboli persecutionibus ac tentationibus facili negotio se subducit. Humilitas ergo vera Christianorum est Philosophia, cœlestis sapientia, & scientiarum schola, etiam è Redemptoris mente dicentis: *Et reuelasti ea paruulis.*

III.

*Prou.*11.

*Psal.*118.

*Apoc.*3.

Humilitatis commendatio.

Docet idipsum & Esaias quam perspicacissime, per modum egregiæ quæstionis,

Esai. 28. quam his proponit verbis: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum?* id est, cuius tanta hoc in mundo futura beatitudo, quem cœlestem Deus sit sapientiam edocturus, cui sua aperiet arcana, cui diuina reuelabit mysteria? Cui quæstioni mox respondet dicens: *Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, &c.* Anne consentaneum videatur, suorum mysteriorum magnitudinem paruulis etiam fasciatis, adhuc in cunis agentibus, iudicio adhuc destitutis, Deum reuelare? sed metaphorice hæc capienda sunt, dicendumque, solos humiles, qui per ablactatos hosce intelliguntur, (viuunt enim vt pueri, innocentem vitam agunt, omnis sunt nequitiæ expertes, & à voluptatum carnalium, delitiarumque mundanarum vberibus auulsi) illos inquam solos arcanorum cœlestium participes fieri, solis illis secreta pandi diuina, ac Deum mysteriorum suorum scientiam patefacere.

Humilium imago infantes.

Lib. de Ciu. Fidei imago apud Romanos.

Scribit in libris de Ciuitate Augustinus Africæ decus, Romanos vt maxime superstitiosos fidei templum erexisse, & in ibi eiusdem imaginem sic expressisse. Pinxere senem canitie venerabilem & annis promissa & niuea in vmbilicum barba, citharam manu, & ad pedes puerum habentem; quem citharam pulsare docebat. Magister ergo senex, discipulus puer: ille annis grauis, hic in ætatis incunabulis constitutus. Veteris huius imaginis expositionem prætereuntes, quoniam proposito nostro neutiquam quadrat, hoc dicamus, illam cum Esaiæ verbis optime coincidere, dicentis, non alios Deum habiturum discipulos, quos suam doceat sapientiam quam infantes nuperrime iam ab vberibus auulsos. Et sane videbantur hoc in Esaia Romani legisse: paruulos enim fidei in discipulos assignando denotabant haudddubie, huiusmodi esse debere illos, qui Dei subire ludum volunt, illiusque mysteriorum esse discipuli, secundum hæc Euangelij verba: *Et reuelasti ea paruulis.*

Permagna sane admiratione dignum inueniet, si quis secum animo voluat, quam Deus in Ecclesiæ militantis administratione vtatur ratione diuersa ab ea, qua triumphantem dirigit ac moderatur; nam nimirum quantum inter se discrepant. In triumphanti enim, vt in Hierarchia sua cælesti docet magnus Dionysius, Angeli superiores purificant, illuminant, & perfectionem dant inferioribus. Deus quippe mysteria sua reuelat superioribus, ac primæ hierarchiæ Angelis, Cherubinis inquam Seraphinis, & Thronis; illi vero aliis inferioribus & minoribus; atque ita de manu in manum, de ordine in ordinem, diuinæ reuelationes à superioribus primum dimanantes, subalternatim deinde ad inferiores descendunt. At in militanti longe alia politia est, & administrandi ratio: in hac quippe minimis omnium atque infimis sua Deus mysteria reuelauit, vt eadem deinde superiores, magnates, & sapientes edoceant. Etsi vero horum omnium ratio sufficientissima esse queat, quod Christus mox subiungit: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*: in solum, Dei beneplacitum, & puram liberamque eiusdem voluntatem hæcce omnia transferendi, Apostolus tamen aliam reddit dicens: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* vt scilicet inde summi Numinis potentia pateſcat, ac nemo sibi persuadeat hoc ab humana virtute proficisci, eoque veniat præsumptionis, sibi vt inde aliquem honorem & gloriam arroget. Idcirco Redemptor ait: *Et reuelasti ea paruulis.*

Ecclesiam triũphantem & militantem diuersimode Deus gubernat. *Dion. de cœl. Hier.*

1. Cor. 1.

Hisce verbis iugulantur & cõdemnantur audaces, superbæ & turgidæ nonnullorum præsumptiones cogitationesque, in Dei arcana ingredi, mysteriorum eiusdem profundissimas abyssos penetrare, & sapientiam ex se incomprehensibilem comprehendere cupientium; qui curiositatis turbine abrepti, & scire permulta auidi, numquam non interrogant: Ad quid hoc? cur illud? inque Dei negotiis, consiliis & arcanis tam libere suam ferunt sententiam, & pro libitu iudicant, ac si eidem æquales forent, & eiusdem cum ipso sortis.

Humana damnatur curiositas.

Notiss.

2. Esd. 4. Notissimum est, quid Esdræ cum Angelo contigerit. Ille ergo scire auidus, quam ob rem Deus, cuius natura bonitas, dilectum sibi populum tantopere affligeret, & gentes idololatria infames rebus omnibus affluere sineret; ab Angelo, illius curiositatem sugillante, & altum sapere prohibente, intraque conditionis humanæ limites permanere suadente, audiuit: *Excedens excedit cor tuum in saculo hoc, & comprehendere cogitus viam Altissimi.* Cui Propheta: *Ita Domini mei.* Angelus ergo eius correpturus curiositatem, & ignorantiam naturalem manifestaturus, has illi quæstiones difficiles proposuit, dicens: *Vade pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, qui præteriit.* Ad quas quæstiones perculsus Propheta ait: *Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his?* Id est, quis faciat ea, quæ ipse mihi proponit? Tum Angelus: *Si essem interrogans te quanta habitationes sunt in corde maris, aut quanta arenæ sunt in principio abyssi, aut quanta stellæ sunt super firmamentum, aut qui sunt exitus paradisi, diceres mihi, Fortassis in abyssum non descendi, nec in infernum adhuc, nec cœlum vnquam ascendi; nunc autem non interrogaui te, nisi de igne & de vento, & de die per quem transisti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi de eis. Igitur si hæc non potes intelligere, quare scrutaris & intelligere præsumis altissima Dei mysteria?*

Curiositas humana reprehenditur.

Sic quidem Esdram Prophetam coarguit Angelus, quod curiose nimis in cœlestia ac superlunaria inquireret; quæ sane reprehensio etiam hodie in plurimos vanos & insolentes rerum censores quadrat, qui stolidis suis curiositatibus in abyssis illis inuiis errantes altissima secreta & inuisibilia Dei optimi maximi mysteria penetrare volunt. Hinc quam prudentissime sponsam

Curiositas humana damnatur.

Cant. 6. suam commonefacit sponsus: *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* His in sponsæ verbis humanam curiositatem sugillat; quanto enim Dei arcana ac mysteria studiosius, curiosiusque indagare contendimus, tanto se magis à nobis auertit, inque abyssi suæ infinitum concedit profundius. Idem aliis verbis significauit Psal-

missa dicens: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Psal. 63. Id est, homo elate de se sentiet, tamque sublimes animos geret & insolentes, vt diuinas reprehendere actiones; & abditissimorum mysteriorum cognitionem habere præsumat; sed frustra: quo enim curiositatis vento effertur sublimius, eo Deus exaltabitur magis, & à sensibus se ita sequestrabit humanis, vt tandem penitus illius conspectum sit amissurus.

Verum, ipse alienam dum coarguo curiositatem, mea ipsius potius corripienda venit, dum curiose nimis verborum Euangelicorum interpretationem consector: ergo canam receptui, & primæ parti finem imponam, vt sic ad aliam accedam, & de S. Francisco aliquid loquar, cuius hodie festum colimus, & Christianus orbis vniuersus merita ac laudes decantat.

IV. S. Francisci laudes.

Vt ergo materiam hanc, quam deducere spoponderam, auspicer, confitear ingenue necesse est, dum S. Franciscum ob oculos pono, illum mihi vt Seraphinum quendam incarnatum, vt Angelum terrestrem, vt hominem cœlestem, vt hominum simul & Angelorum spectaculum, vt naturæ prodigium, vt Ecclesiæ miraculum videri. Cum enim gratias eius & merita, perfectiones & laudes recensere, earumque texere catalogum gestio, dicere cum Dauide coactus sum, (quod ille de Deo cecinit,) *Confiteor tibi Pater, quoniam terribiliter magnificatus es*; Psal. 138. vere inquam es magnificatus, quod tot sanctorum fueris Religiosorum Patriarcha, quod stigmata & notas crucis in corpore gestaris, quod mysteria tibi sua Deus reuelarit, idque ad Euangelij sensum: *Abscondisti hæc in sapientibus, & reuelasti ea paruulis.*

Comparatio.

Quemadmodum auium nonnullæ tam sublime euolant, vt eas humana acies assequi nequeat, quod intra nubes pene se abdant, quo visus ferri non potest; quales sunt aquilæ & gryphæti, soli quam proxime appropinquantes. Ita inter sanctos aliqui tam sublime præ aliis virtutum magnitudine & vitæ sanctimonia euolarunt, vix vt mundus eos assequi cognitione quiuerit.

ac nemo non eorsdem contemplando in admirationem raptus sit. Inter quos de præcipuorum & principum numero sanctus Franciscus noster exstitit, qui inter alios sanctos tam altum in sanctitate vitæ, ac perfectione & contemplatione euolauit, vix vt exstiterit, quē maiori sit Deus affectu prosecutus, aut cui plura mysteria reuelarit. *Et reuelasti ea paruulis.*

Multa mysteria reuelata S. Francisco.

Etsi autem mysteria, quæ Deus ter maximus sanctissimo Francisco reuelauit ac patefecit, & maxima sint, & numero adeo infinita, verbis vt exprimi nequeant; duo tamen illorum depromam; primo quomodo diabolum superare, mundique fraudes & imposturas declinare, Deo inspirāte didicerit: deinde quo passionis illi suæ mysterium modo declararit, eiusdem illi symbola & insignia imprimendo. Ad hæc duo velut primaria & capita aliorum, omnes illi factæ reuelationes referuntur.

Deus docuit S. Franciscum Diabolum ac mundum superare.

Primum ergo vt ostendam, vere illum Deus docuit, ad inimicum tartareum debellandum, mundumque triumphandum duos nempe illos hostes potentissimos, humilitate hinc & animi demissione, illinc vero rerum omnium contemptu opus esse. Hinc S. Bonauentura, qui S. Francisci vitæ historiā texuit, in ipsius initio merito illlud Propheticum in illum quadrat: *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & timentem sermones meos?* Vere autem ad sanctum Franciscum Deus respexit, cum illum mundo valedicere, omnia relinquere, paupertatem amplecti, ac diuinarum comminationum timorem concipere docuit.

Esai. 66.

1. *Reg.* 17.

Allegoria.

Cum Colosseus ille Goliadas, omni nobilitati Judaicæ insultaret, & variis vniuersum populum Israel opprobriis contumeliisque proscinderet; nemo inter omnes inimicum hunc insolentem aggredi, aut barbarum hunc finibus suis pellere ausus fuit, donec tandem rem hanc cordi suscipiens, Deus filiorum natu minimum & à cæteris fratribus contemptum excitauit, qui illum duello & aggredererur, & vita exueret. In aciem ergo iam descensurus armis regiis tectus, vt se iisdem grauatum sensit, vti eadem nec tractare, nec in iisdem commode libereq; membra mouere posset, confestim illa exuit, & sola funda ac lapidibus de torrente instructus, victoriam retulit, & victoriæ præmium. Quæ omnia cœlico illum instinctu & diuina reuelatione fecisse credere fas est.

Eodem prorsus modo idem ipse Deus S. Francisco huic viro suis in oculis paruo & fratrum suorum carnalium ludibrio dubio procul reuelauit, cacodæmonem & mundum, qui dubio aduersarij tyrannide grauissima sæculi illius homines premebant, nonnisi lapidibus esse impetendos. Videns ergo cœlestis hic homo bonis se ac diuitiis sæcularibus, non secus ac Dauid armis regiis grauatum diuinitius inspiratus, iisdem penitus valedixit; omnem affectum mundanum, & desiderium exuit, ac terrenis sollicitudinibus ex animo se abdicauit, vnica funda contentus, id est, ea quam instituit regula, qua, & per quam mundum lapidibus impetiit, ac toties tantoque cum honore, ac de diabolo triumphum retulit.

S. Franciscus cum Dauide colaetus.

Seraphicus porro Pater sanctus Franciscus eandem paupertatem professus est, quam Apostoli ac discipuli Christi. Vt enim hi, dum eius cultui primum se dedicabant, omnia se dimittere, ore Petri pro omnibus loquentis profitebantur, cuius Matthæi 19. formula describitur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: sic etiam prius ipse Franciscus, crucem amplecti, Christum sequi, mundumque relinquere constituisset, omnia deseruit, & honorifice se iisdem abdicauit, quod insignis haud dubie pietatis, & magnanimitatis generosæ argumentum, vti exemplo testatum faciam.

S. Franciscus eādem paupertatis professionem fecit, quam Apostoli. *Matth.* 19.

Generositatis indicium omnia relinquere. *Ibid.*

Adolescens ille, qui vitæ iter ac semitas salutis percontaturus, Christum adierat; vt ab eo audiuit: *Serua mandata*; gratanti hæc animo verba accepit, verum audito, deserenda esse sibi omnia: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*; tristis abiit; erat enim opulentus & facultatibus & auro abundabat, quæ deserebat & amittebat inuitus. E contra vero Fran-

Franciscus noster, etsi pater facultatibus affluaret, & honorem sibi & promotionem ad maiores dignitates spondere potuisset; libentissime cuncta dimisit, nudus ad Domini se pedes abiecit, bonisque se omnibus abdicauit.

Amor Dei coegit S. Franciscum relinquere omnia.

Prima, qua ad generosum hunc animum inducendum est motus, ratio fuit ardentissimus eiusdem erga Redemptorem Iesum amor, & flagrantissima qua introrsum æstuabat caritas. Atque vt vehemens nos æstus vestes cogit exuere, ac corpus denudare, quo expeditiores simus & minus grauati: ita viuæ amoris diuini flammæ, & intensissimi calores, quibus glorioſi huius Confessoris cor, anima, penetralia noctu & interdiu numquam non flagrabant, illum bonis se penitus omnibus spoliare, honores, opes, & spem omnem maiorum præscindere, & sincere valedicere omnibus compulerunt.

1. Reg. 18.

Tam arctum inter Ionatham ac Dauidem fuit necessitudinis vinculum, amicitiæque fœdus adeo sanctum, vt corde suo & oculis Dauidem Ionathas haberet cariorem, inque insignis amoris testimonium suis se exuit

Allegoria.

vestibus, easque Dauidi dedit: *Exspoliauit enim se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid.* Vt allegorice factum hoc exponam ac proposito adaptem meo, dixero, inter Iesum Christum, magnum illum cœlorum principem, & humilem Franciscum tantum amicitiæ, charitatis, effectusque mutuo interfuisse, vt sanctus hic vir intensum & immensum suum, quo in Deum suum ferebatur, amorem testaturus, omnia quæ possidebat, quin ipsas etiam, quibus indutus erat, vestes, Dei in honorem ac pauperum nudorumque tegumentum, exuerit.

S Franciscus deserit omnia, exemplū alijs futurus.

Secundo, S. Franciscum eo generositatis & magnanimitatis præferendæ adduxit posteritatis exemplum, vt nimirum tot illustribus animabus, quas ad illius disciplinam ac vitæ normam imitandam Deus destinarat, egregio exemplo præluceret. Vt enim apud Ieremiam Ionadab, filius Rechab, hanc filijs normam in generationes sempiternas inuiolate seruandam præscripsit. *Domum non ædificabitis, sementem non seretis, & vineas non*

Ierem. 35.

plantabitis, neque habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ab omni vanitate mundique ambitione sequestrati. Ita beatus Pater Franciscus, eamdem vitæ disciplinam, & institutum suis videtur Religiosis præscripsisse, quod Ionadab Rechabiti posteris: vetuit enim, ne quid possiderent, ne domos ædificarent, vineas ne plantarent, messem non colligerent, id est, nihil proprium possiderent, sed ex eleemosynis omnes victitarent, paupertas illorum insigne foret, ac numquam tabernaculis monasteriorum suorum, ad mundum & mundana repetenda, egrederentur. Hæc porro regula & Deo gratissima est, & animabus proximi vtilissima.

Religiosi S. Franciscī Rechabitis collati.

Glorioſus autem Patriarcha Franciscus illud fecit mundo, quod olim filij Israel Sehoni regi Amorrhæorum. Illi ergo Ægypto egressi, cum paulatim in promissionis terram tenderent, ad regem hunc legatos destinant liberum per fines eius transitum postulaturos. Hæc porro legatorum oratio & petitionis erat summa: *Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transierimus fines tuos.* Talem etiam fuit institutum S. Francisci, & eamdem Religiosis suis præscripsit regulam ad perambulandi terminos transeundum. Ipse enim vt alter Moses, filiorum Dei conductor, & innumerabilem animarum sanctarum peccati captiuitate eductarum, & ad terram promissionis properantium multitudinem secum trahens, eadem mundo proposuit, dum viam dumtaxat & transitum postulauit, non in agris, non in vineis commorari, imo nec è puteis & cisternis eiusdem vel guttam haurire cupiens, id est, temporalium desiderium omne ac possessionem, & voluptatum gustum omnem repudians, per mundana transire dumtaxat, non vero ijsdem affectu, aut complacentia vana adhærescere.

Num. 11.

S. Franciscus solum transitum à mundo petijt.

Tertio, omnium Francisco deserendorum occasio fuit, quod contra mundum, ac Diabolum certamen esset iturus. Et sane quicumque in stadio ac palæstra luctaturus fuerit, cum aduersario est, quam expeditissimus sit oportet, & ab omni grauamine liberrimus: vt

Mundum qui oppugnare vocumque in stadio ac palæstra luctaturus fuerit, cum aduersario est, quam expeditissimus sit oportet.

vt enim Gregorius Pontifex ait: *Si quispiam veſtitus luctatur cum nudo, citius ad terram trahitur, quia habet vnde teneatur.* perinde ac si dicet, si quis mundum adoriri, & de eodem victoriam referre voluerit, nudus penitus sit oportet, & ab omni plane reliber. Spiritus tartarei etiam nudi sunt, nihilque penitus in mundo possident; si quis ergo veſtitum se putat & rebus mundanis grauatum, cum ijsdem posse præliari, fallitur: neque enim verisimile fit, aut sperare fas, hoc posse modo lauream parari. Nudos cum nudis luctari oporret, nihil penitus habentes, quo ab ipsis teneamur, attractiq; solo prosternamur. Hæc porro nuditas nihil est aliud quam mera paupertas, & rerum omnium contemptus. S. Franciscus ergo hoc pacto nudatus cum esset, hunc aduersarium subegit, & Iobi exemplo facultatibus omnibus exspoliatus, & in necessitatis simario extensus, infinitas de eodem retulit victorias, hacque ratione & triumphum egit, & mundo vniuerso sereddidit admirabilem.

Cum diabolo pugnaturus ab omnibus terrenis sit liber.

Malach.4. In Eliæ Prophetæ laudem apud Malachiam scriptum est, missum esse, *Vt conuerteret corda patrum ad filios*, & incredulos ad prudentiam iustorum. Isaiam legimus nudum & veste priuatum per vrbem incessisse; similiter & Ieremiam, catenis insuper grauatum; Ioannem vero Baptistam in mundum venisse, *vt omnes crederent per illum.* Quæ omnia simul collecta de Francisco nostro dici queunt, primo enim vt secundus quidam Elias cœlitus datus est, ad turbas & schismata, quibus tam sacra, quam imperialis monarchia, tam Ecclesia vniuersa, quam regna omnia Europæ, in mutuam quæq; perniciem conscindebantur, sua intermissione tollenda. Anno namque partæ salutis M C. LXXXII. Assisij natus est, Alexandri III. tempore, quo horrendum quoddam schisma & Ecclesiam Romanam, & Imperium fœde duas tresue in partes distraxerat, vt de nouo constituendo Imperatore summopere variantibus eligentium sententijs laboraretur, tempore inquam, quo Constantinopolis & Græcia vniuersa sanctæ Romæ Ecclesiæ iugum excusserat, quo Hierosolyma & omnis terra sancta à Saracenis & infidelibus occupata tenebatur, quo per totam Hispaniam Iudæi & Mauri Christi nomen publice suis in Synagogis diris & execrationibus deuouebant. Hoc igitur deplorato & exulcerato tempore Sanctus Franciscus, instar secundi Eliæ, in orbem prodijt, vt corda Patrum ad filios, principum ad subditos, populorum erga Deum, & fidelium erga sanctam matrem Ecclesiam conuerteret, omniaque turbata ad pacem & concordiam reuocaret.

Ierem.22. Ioan.1.

S. Franciscus Eliæ collatus.

S. Franciscus natus Anno Domini 1182.

Venit adhæc nudus & pauper, vti Isaias; venit & instar Ieremiæ, non catenis & ferro onustus, sed cilicio, & sacco coopertus, & fune rudi præcinctus; quæ omnia insignis auteritatis & pœnitentiæ sunt argumenta. Venit denique vt Ioannes Baptista, vt veram mundo fidem proponeret, sincerum inquam, timorem Domini, peccati horrorem, virtutis decus, humilitatis excellentiam, paupertatis meritum, pœnitentiarum valorem, austeritatum pretium, orationis præstantiam, religionis gloriam, mundi vanitatem, vitæ huius inanias, terræ pericula, diuinorum iudiciorum formidinem, omnium denique rerum contemptum edoceret. Summa, venit vt magnus quidam Doctor & sapiens Philosophus, quo recte debiteque viuendi rationem omnibus præscriberet, & à vitijs iniquitatibusque abstraheret. Atque hoc primum est sanctarum reuelationum, cœlitus S. Patri Francisco, in oculis suis paruo factarum, punctum, iuxta illam Euangelij nostri sententiam: *Abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea parvulis.*

S. Franciscus Eliæ collatus. Venit vt magnus quidam Philosophus, viuendi normam edocturus.

Alterum vero in perfecta mysterij passionis Dominicæ notitia & reuelatione consistit; quod illi tam perfecte reuelatum fuit, vt & sacro eius corpori fuerit insculptum, & sacræ filij Dei crucifixi plagæ eidem, velut illustres & admirandæ quædam incisuræ, inscriptæ, ac velut cicatrices, quas vulgariter *stigmata* nominamus. Deus Pater à filio apud Zachariam Prophetam petit, *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* cui filius respondet: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Quid autem vetat, quo minus hoc ipsum à sancto hoc petamus? Quæ sunt istæ

Passionis mysterium perfecte S. Francisco reuelatum. *Zach.13.*

istæ plagæ in medio manuum tuarum? beatissime Francisce, qui merito replicare petentibus potest, qui me eximio vehementique amore est prosecutus, his me plagis confecit, ipse pro me mori dignatus, diuinis sacrisque hisce plagis etiam me dignatus est. Adeo vt non minus, ne dicam potius, quam Apostolus Paulus dicere queat: *De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Gloriabatur S. Paulus, quod Domini stigmata in corpore gestaret suo: & sane magni est honoris nota, & singularis cuiusdam affectus argumentum.

Gal. 6.

Ionathæ Principis erga Dauidem Pastorem ouium amor mirifice in libris Regum celebratur, tum potissimum, quando iam profligato Goliada victor in vrbem redijt, eiusdem caput velut victoriæ monumentum ac trophæum manibus gestans. Tum namque ille in amoris argumentum *spoliauit se tunica sua, & dedit eam Dauid & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcum & baltheum.* Magnus & fidus & sincerus amicus hic fuit, qui suum patefacturus amico affectum, dedit, quidquid sibi dare licuit; & si vel animam tradere potuisset, hauddubie non negasset: sed hanc cum dare neutiquam posset, vestibus & armis suis amicum cohonestauit. Si ergo armorum & vestium donarium Scriptura tantopere commendet, vt veluti singularis affectus testimonium id commemoret; ecquod amoris & dilectionis argumentum fuit, Iesum Christum, amico suo integerrimo Francisco, non tunicam & vestimenta, quæ corpori nonnisi extrinseca sunt, sed sacras & sanctas illas, quibus pretiosum ipsius corpus ceu totidem lectissimis gemmis, in die passionis, in Caluariæ monte exornatum fuit, plagas & stigmata communicasse? Quis ingentem hunc amorem non admiretur? quis non æternis & numquam intermorituris laudibus tam admirabile, nouum, & hactenus inauditum beneficium extollat? quis tam illustre & nunquam visum miraculum non obstupescat:

1. Reg. 8. Amicitia Dauidis & Ionathæ.

Exclamem ergo merito, ô Deum vere in sanctis suis admirabilem! ac nominatim in Francisco nostro, quem insculptis passionis suæ notis, crucis insignibus, & vulnerum suorum cicatricibus cohonestatum voluit. Vt autem euidens fiat, quanta fuerit g oria diuinis hisce & admirabilibus plagis, quibus summus mundi vindex genus humanum redemit, totque illustres retulit victorias, inarari & insigniri; manifeste colligetur ex superbi & arrogantis Amani responso: hic rogatus n. à rege Assuero: *Quid debet fieri viro quem Rex honorare desiderat?* prudenter politeque respondit: *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis.* quasi dicat: Non posset à Rege maior in quempiam conferri honor, quam si regis ipsius vestes induere mereatur, alia quidem in eam rem plurima attulit, sed primum quod dixisse asserui, proposito nostro deseruit. Notandum igitur, superbum & insolentem hunc purpuratum, maiorem sibi cogitando gloriam, honorem, & gaudium effingere non potuisse eo, quod iam deprompsi, quam vt scilicet aliquis regis mortalis paludamento ac trabea vestiatur, quanto ergo maior & eminentior sancti huius viri credi honos debet, dum à Rege Regum tantum fauorem & gratiam accipit, vt passionis illius insignia & viuas vulnerũ notas gestare dignus efficitur? ecquo perfusum gaudio, ecquam consolationem sensisse sanctum hunc virum credibile est, vbi se diuinis his cicatricibus non dico vulneratum, sed diuina quadam ratione exornatum vidit?

Deus in suorum cicatricibus cohonestatum voluit. Sanctis suis admirabilis.

Esther. 6. Moralis.

Scyphus aureus Ioseph Ægypti principis repertus fuit in ore sacci Beniamini. Ad propositum nostrum mirifice hoc facit, si allegorice exposuerimus. Beniamin Iacobi filiorum & fratrum minimus, satis genuine humilem hũc virum repræsentabat, omnium secundum nomen ordini illius ab Ecclesia collatum, minimum. Et quemadmodum quinque ille partibus in Ioseph conuiuio ceteris fratribus prælatus fuit, vt ipsa indicat Genesis; ad eundem plane modum S. Franciscus, præ reliquis fratrum, aliorum scilicet ordinum & institutorum fundatoribus, quinque ferculis, id est, quinis Iesu Christi vulnerum stigmatibus cohonestatus fuit; quin etiam scyphus aureus eius fuit sacco inser-

Gen. 44.

Allegoria.

S. Fracisc⁹ Beniamino collatus.

insertus, eo quod passionis calix suo veste eius introrsum latebat, corpore videlicet eius sacris hisce notis insculpto & insignito.

Leuit. 6. In Leuitico mandat Deus, vt sacrificium quidem in vrbe in templi interioti atrio offerretur & cremaretur, cineres vero extra vrbem deferrentur. Qua ipse cæremonia designatum voluit exteriora interiorum esse notas ac symbola debere. Hebræi namque videntes sparsos extra vrbem & castra cineres, illico cogitabant & imaginabantur, sacrificium immolatum esse, victimas iugulatas & in cinerem penitus redactas. Hoc iterum symbolico sensu expositum in mentem mihi reducit, simile quid & huic mysterio quam proxime accedens, in glorioso Patre Sancto Francisco contigisse. Ipse namque tum in vrbe, tum in locis desertis agens, cinericiam hanc assumere vestem voluit, vt signo hoc extrinseco manifesto pateret, omnem sensualitatem, carnalitatem, ac pecuniam & illicitam concupiscentiam in fratrum suorum animis Deo integre esse immolatam, & diuini igne amoris concsematam. Suæ insuper passionis sigillis exterius eum signare Deus voluit, vt hinc nemo non aperte intelligeret, in anima & corde illius, præter crucem, mortificationem, passionem ac martyrium, nihil omnino reperiri.

Significatio vestium S. Francisci.

Exod. 21. Lex de seruis apud Hebræos.

Dei lex quoad seruos olim erat, vt qui perpetuus esse hero seruus vellet, nec ab eius familia diuelli, etsi libertas illi ex legis præscripto concederetur, ei auris subula perforaretur. Cum autem hæc nota in plagæ modum illi insculperetur, ferro hoc & herili sigillo fiebat, vt omnibus manifestum foret, in seruum hunc perpetuum domino ius esse, & perpetuam illius in domo seruitutem hunc seruiturum. Hoc notate, velim, docti, ac vobiscum cogitate; cuius mysticum si sensum habere cupiatis, inuenietis, Sanctum Franciscum perpetuum Iesu Christi seruum esse, qui huius cultui obsequioque non ad exiguum aliquod temporis spatium, more aliorum hominum, se, sed in æternum ac sempiternum consecrauit, atque idcirco Iesu Christi stigmatibus consignatus, & sacro plagarum eiusdem sigillo connotatus fuit. Vt hac ratione liquido pateſcat, boni huius Domini obsequio ac ministerio inuiolate & sempiternum ipsum esse dedicatum. Hæc quidem recte & adinstitutum, quod sequitur, paulo amplius, & notius.

S Franciscus æternus Christi seruus.

Si quando domum aliquam corripuit incendium, & iam omnia longe lateque grassans flamma depascitur, solent, qui in eadem domo agunt, vel fenestras aperire vel alia respiracula, vel parietes deijcere, quo flammis liber detur egressus & fumo iter. Sanctus Franciscus Seraphicus ille Pater, charitate totus & amore ardebat diuino, corque ipsius maximopere sacro æstuabat incendio. Quare fenestras illi & aperturas in manibus, pedibus & latere fieri necesse fuit, sacras scilicet plagarum Dominicarum notas ac stigmata: vt per huiusmodi exitus & elices, deuotionis fumus, & amoris eius extremi ignis foras euaporet, & ab omnibus conspiciatur. Hic quidem familiaris conceptus, sed ecce alium sublimiorem & plectri altioris. Conceptus familiaris.

Leuit. 14. Inter alias pro leproso mundando sacrificij cæremonias hæc vna fuit, vt duorum passerum oblatorum alterum immolaret sacerdos, & occisi sanguine alterum conspergeret, quem deinde cruentatum viuum dimittebat, vt in agrum auolaret liber. Quocumque ergo passer hic conuolabat, comparis sui immolati sacrificium, & quam sanguine suo medelam feciſſet, quodammodo diuulgebat. O mirabilia! ô mysteria! Iesus Christus Dominus noster sacrificatus fuit, omnemque sanguinem suum in crucis ara effudit, vt hominem peccatorem à lepra illa illa originaria, quam ab Adamo contraxerat, persanaret: vt vero esset, qui tam amplum beneficium diuulgaret, ne forte sempiterna ipsum obrueret obliuio, Franciscum, egregium illum cœli alitem qui tam sublime euolarat, & à terra tantum se sequestrarat, suo natare in sanguine voluit, & suis in manibus, pedibus, & latere signari, vt hoc pacto eximium passionis beneficium publicaret, eiusque memoriam per quatuor orbis angulos conseruaret. Allegoria.

Lucia-

Lucianus & naturæ auctor latere hominis fenestram non fecisse cognouit.

Lucianus, nobilis ille sannio, & Christianorum aduersarius acerrimus, cæterum ingenio magnus, hoc vnum in humani corporis fabrica & fabro, carpebat; quod nullam ipse naturæ auctor ad latus illius fenestram constituisset, quo amicus amicum audiens loquentem, quidquid amici pectore lateret, perspectum haberet, cogitationes inquam, desideria, proposita, intentionē, voluntates, fidem, &c. Sed perperam hoc, vt defectum & imperfectum quid ille reprehendit, quod insignem potius conditoris ipsius prudentiam denotat, & ad hominis bonum mirifice facit Deo sapientissime omnia celante, ne quæ corde lateret iniquitas ac nequitia foris patesceret. Deus bone, si in ipsa hominis fabrica aliquam in latere ipsius fenestrā fecisses quot proditiones, dissimulationes, quantū hypocriseos, quot deniq; malorū genera ad oculum patuissent; fuisset haud dubie Prophetę visio, qua, postquam templi erat paries destructus, domum Dei plenam serpentibus, aspidibus, draconibus, aliisq; monstrosis & immundis animalibus, per aram, pauimentum & laquearia, atque omnia muri latera prorepentibus conspexit. Si talis in hominis latere compagum laxatura fieret, cordis illius templum inquinatissimum, spurcitie & immunditia, & maximis abominationibus plenum appareret, & à latere, in medio, sursum, deorsum, intus, foris, atque vndequaque inauditę perfidiæ & proditiones miræ conspectui se nostro offerrent. Sed recte ac prudenter sancti Francisci adaperiti Deus latus voluit, & cor eius ac animi penetralia omnium oculis patere, quod bonum ac fidele cor esset, & meram simplicitatem, humilitatem, & sincerum erga Deum amorem, & perfectum rerum omnium mundanarum contemptum spiraret.

Ezech. 8.

Cor hominis proditionibus plenum.

Isai. 11.

De sancto autem viro hoc dici merito queat: *Leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda congregabit à quatuor ventis.* Nam S. Pater noster Franciscus crucis signum mirabiliter exaltauit, & passionis insignia mirum quantum extulerit, vtpote toto illa corpore insculpta gestans, & fugitiuos ac vagabundos peccatores, à quatuor mundi cardinibus collegerit. Quin mihi ipse libens persuaserim, illi imprimis mystice, non quidem literaliter dictum esse: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Latere quippe, manibus ac pedibus Domini præferens stigmata, hoc ipsum, quod à spōsa petebat spon. sus, reapse in se compleuit.

Cant. 8.

Si ipse totius vniuersi Seruator ac Dominus Sanctorum sigillis dicere potuit illud Prophetæ: *In manibus meis descripsi te.* Sancto Francisco sane, nominatim ac præ aliis maxime dicere & debuit & potuit, in manibus tuis, pedibus ac latere descriptus sum Dei filius, vt quam singulatim suorum solicitudinem gerit & sedulam memoriam, simul & amorem, quo ipsos speciatim prosequitur, testatum faciat, se eos ait perpetuo in manibus habere, vt in eos nunquam non benignitatis suæ oculos coniiceret, quin imo in iisdem scriptos & exaratos, quo (quasi obliuioni obnoxius foret) immortalem illorum memoriam conseruaret. Seraphicus quoque Franciscus reciprocum, vt affectum erga amantem proderet, & perpetuam, quæ in eo vigebat, quod per crucem & passionem Dominicam accedit, beneficii recordationem, semper ipsum ob oculos gestabat; ac, ne obliuio forte eiusdem occurreret, cordi suo, manibus ac pedibus ipsum insculpserat; adeo vt nec aperire oculos, nec pedes manusue mouere posset, neue etiam aliquam in cor cogitationem admittere, quin prima semper ipsa foret passionis recordatio, & signa, notas ac patentia tam eximii beneficii indicia conspiceret.

Isai. 49.

Christus electos in manibus descriptos gerit.

Apud Ezechielem vocem de sublimi detonantem audio, Angeloque mandantem: *Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctas abominationes, quæ fiunt in medio Ierusalem.* Hic aures & animum aduertite doctiores; nam profundum hic latet mysterium. Hebraica littera Thau symbolū & nota est crucis: Deus porro, qui iustos omnes, qui hoc in mundo ob delicta tum sua, tum aliena dolent & lachrymis conficiuntur, in fronte vult notari, & in animabus signari; Franciscum imprimis virum illum ob aliena crimina dolentem ac gemebundum, si quis vnquam, verum inquam Heraclitum Chri-

Ezech. 9.

Deus vult omnes passionis insignibus & notis insigniri.

stianum singulari quodam priuilegio crucis suæ ac passionis sigilla in manibus, pedibus, ac latere gestare, suisq; plagis ceu palatinum quendam principis sui coloribus cohonestari voluit.

Plagę sancti Francisci in flictæ ac receptæ ex amore.

Vulnera ac plagæ Iesu Christi, amore quodam extremo & gaudio incredibili, recepta sunt, sed inaudita immanitate inflicta. E cõtra vero S. Francisci stigmata & ex ardentissimo amore data sunt, & simul etiam reciproco quodam amore accepta. Atque hæc impressio sine vlla sanguinis effusione, sine vllo doloris sensu, sine pœna ac cruciatu, sine vlla crudelitatis significatione, tam leniter & suauiter peracta est, quin etiam tanta è contra consolatione & voluptate vulnerati vt verbis nec gaudium, nec amor exprimi queant, imo nec mens aut ingenium humanum eadem comprehendere.

S. Frãciscus a Christo crucifixus.

Prodigiosum haud dubie spectaculum & inauditũ fuit, eam hominum in monte Calvariæ immanitatem ac feritatem fuisse, vt Iesum Christum verum Deum & hominem in crucem agerent, totq; vulneribus conuulnerarent. Verum non minus prodigiosum aut portentosum est, hominem à Deo, id est, à Iesu Christo sanctum Franciscum, crucifigi, toto vt corpore vulneraret, in cruce prosterneret & vulnera illi sua insculperet. Hic ergo elata exclamandum voce: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* *Psal. 45.*

Optauit olim Regius vates, & afflictim cõtendit corpus vt suum & caro timore Domini configerentur; precatur enim: *Confige timore tuo carnes meas.* *Psal. 11.* Perinde ac si diceret: Omnia carnalia desideria, nec non concupiscentias meas vniuersas, timore tuo crucifige quodammodo & eneca. At longe maiorem honorem S. Franciscus adeptus est: nam ab ipsa Iesu Christi cruce crucifixus est, & summo cum triumpho & honore eadem plagas & vulnera gestauit.

V.

Quam porro vtilis sanctus hic vir Ecclesiæ vniuersali fuit? quantam mundo vniuerso vtilitatem attulit? quantum ad animarum salutem momenti contulit? Egregium est, & ad rem, quod apud Ieremiam legimus. Hic ergo Propheta cum Sedechiæ regis odium & indignationem incurrisset, in profundissimum ab eodem lacum conici iussus est, in quo sordium plurimum & lucis quam minimum, quique & teterrimum spirabat odorem. Aliquanto hic tempore, squalore situque obsitus, Propheta egit, multaque grauia in eodem est perpessus, donec regius Eunuchus Abdemelech, viri sanctissimi commiseratione tactus, illius apud Regem patrocinium suscepit, illiusque è lacu educendi potestatem obtinuit, ne in eo pædore vitam infelix finiret. Ergo alligatis ad funem veteribus pannis, ac semiputridis, submisit eos ad Ieremiam in lacum, indicauitq; quo data ritu adhiberet, itaque è lacu exscenderet. Ieremias ergo consilium secutus, veterum pannorum & scrutorum ac funis adminiculo, è lacu prodiit, & maiori quam ante zelo ac feruore Dei sui cultum promouit & legem promulgauit. *Ierem. 38.*

Historica quędam allegoria.

Quid hoc sibi vult? quid denotat mysterium? quo spectant hæc omnia? hæc vero glorioſi Patriarchæ S. Francisci imago sunt & repræsentatio, quæ ipsi adapto, & sic probo. Ieremias in lacum missus ipsa peccatoris est figura, qui cum in mortalis peccati barathrũ delabitur, vere in profundum lacum decidit. Vnde Dauid: *Non me demergat tempestas aqua, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus peccati os suum.* *Psal. 68.* Hoc in lacu ac puteo cœni, lutique, id est, sordium, putredinis immunditiarumq; plurimum est, si credimus dicenti, *Corrupta sunt cicatrices mea*; & alibi: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt.* Non desunt etiam tenebræ; nam peccator oculos quidem habet, ne hilum tamen videt & cæcutit; iuxta illud: *Oculos habent & non videbunt.* Quin tetram locus hic exhalat mephitim & malcolentiam, ac fœtorem intolerabilem: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Quam vero peccati fœtor putidus, quam ingratus, quam etiam intolerabilis! Domi quidem domesticorum nares malcolentia opplet, quin & foras progressus, vrbem inficit vniuersam, atque hoc modo scandalum creat & offendiculum. Hoc ergo in statu cum miser peccator in mundo ageret, ecce pius, clemens, ac mitis eunuchus Abdemelech, S. Franciscus inquam, suum illi offert funem,

S. Frãciscus assimilatus Eunucho Abdemelech.

Peccatoris status collatus cum Ieremiæ in lacũ missi. *Psal. 37.* *Psal. 13.* *Psal. 113.* *Psal. 5.*

funem, simul & laceram ac vilem vestem, quorum adminiculo hac illum voragine educit. Fit autem deinde, vt duri & pertinaces peccatores, pœnitentia delictorum motu religiosam vitam profiteantur, vitæ sanctimonia emineant, & probitatem conuersationis amplectantur: qui antea in sordibus cœnoque vitiorum volutabantur, etiam alios ad meliora attrahere, & saluti illorum cooperari contendant: qui antea cæcutiebant, doctrina ac sapientia sua alios illuminent ac facem præferant; qui tetrum ante & ingratum efflabant odorem, bonum omni in contubernio ac familiari conuersatione iam passim spirent, & infinitas animas sui sequaces habeant virtutum ac sanctimoniæ odore illectas, ac velut noui quidam Ieremiæ puteo egressi, maiori quam ante lapsum contentione, studio, nixuque diuini cultus se operibus impendant, permultos errantium ad pœnitentiæ exercitium pertrahentes. Historia hæc tropologice exposita æquo quidem longior fuit; sed grata est & iucunda auditu: alias iam breuiores, nec minus futuras iucundas, recensebo.

Gen. 37. Ioseph adhuc adolescens, quadam inter dormiendum nocte somnium vidit, quod magnarum æmulationum, inuidiæ, & contentionis inter fratres reliquos ortæ fuit seminarium. Somniabat se cum fratribus manipulos in agro fertilissimo ligare, & suum consurgere manipulum & stare, & fratrum manipulos circumstantes eum, quem ipse colligarat, velut principē & cæteris quid excellentius continentem adorare. Hæc quidem historia si allegorice exponatur, nō dubito fore, vestris quin sit auribus futura iucundissima. Omnes sanctarum religionum ordinumque fundatores, velut messores & operarii fuêre, in vberi illo Ecclesiæ agro operantes ac sudantes. Inter quos recensere est SS. Basilium, Benedictum, Augustinum, Dominicum, Franciscum, aliosq; permultos: omnes hi suos in altare Dei manipulos intulerunt, eosque plenos, vberes ac turgentes. Verum humilis ac parui Iosephi manipulus, manipulus inquam somni ac reuelationis, cæteris fratrum manipulus supereminet, & caput effert altius, ipse inquam S. Francisci. O insignem & præclarum manipulum! quot illo spicas, easque graues & turgidas pietatisq; plenas magno illi patrifamilias attulit! Quot sancti sanctæque in Diuorum relati numerum! quot inclyti Martyres, quot sacræ Virgines, Dei Optimi Maximi sponsæ, è magno hoc ordine prodierunt? Quot ille summos, qui Ecclesiæ vniuersæ regimen capesserent, Pontifices, quot Cardinales & purpurati Senatus Patres, quot illustres orbi Doctores dedit? Testes sunt S. Antonius de Padua, S. Bonauentura, S. Bernardinus Senensis, duo Ludouici, S. Didacus, aliique permulti.

Quam ergo vber est & copiosus Franciscani Ordinis manipulus! qui pauxillo tempore in tantum creuit, atque adeo per prouincias omnes longe se lateque diffudit, vt ipso etiamnum viuo fundatore & auctore Seraphico Francisco, quinque & amplius religiosorum millia, magna vitæ sanctimonia, pietate & austeritate illustrium generali in Capitulo vnum in locum, magno Romanorum, atque adeo orbis vniuersi cum stupore conuenerint. Tempore S. Francisci quinquies mille Religiosi in vno Capitulo generali congregati.

Fabulantur & fingunt Poetæ nugarum patres, suis Atlantem duos mundi cardines humeris sustinere. Hoc quidem commentitium ac fabulosum: verissimum tamen, S. Franciscum esse velut Ecclesiæ totius Atlantem. Quo ferri queat Innocentii Pontificis ea tempestate somnium, ac potius diuinitus data reuelatio. Videre is sibi videbatur, templum sancti Ioannis Lateranēsis ruinam minari, & iamiam solo prosternendum, verum ab homine pauperculo, pannoso & vili eiusdem ruinam impediri, & suppositis id humeris velut columnis ac fulcris, sustulciri. Hic porro pannosus sanctum Franciscum, vti re ipsa Pontifex post cognouit, repræsentabat. S. Frāciscus Ecclesiæ Atlas.

Reuelationis sibi alias factæ meminit Salomon, eamque nobis enarrat, quæ cum hac ipsa egregie admodum coincidit. Vidisse se ergo ait vrbem quandam obsidii corona ab hoste circumsecus cinctam, & eo angustiarū redactam, prope vt abesset, quin miseranda ruina inuolueretur. Sed ecce dum desperata sunt omnia, & quid tentandum foret, ignoratur; eadem in vrbe esse vir nuntiatur pau- Eccl. 9.

per & simplex, ab omnibus cõtemptus, quin & in oculis suis paruus; sed hic, licet abiectus & obscurus, sapientia tamen singulari præditus, consilium & rationem suggessit hostilia molimina deiiciendi, vrbisque in libertatem & securitatem vindicandæ: *Inuentus est*, inquit, *in ea vir pauper & sapiens, qui per sapientiam suam liberauit eam.* Quid in sancti Francisci dici laudem queat aptius, quid accommodatius? Illius enim ætate vniuersus Christianus orbis armis & procellis turbarum exagitabatur, Ecclesia vbique opprimebatur & impetebatur, horrenda eã distrahebant schismata; vtrumq; Imperium tum Orientis, tum Occidentis, magnæ turbæ diuexabant, & quod hisce malis remedium afferretur, perspectum nemo habebat. Sed cum ea tempestate eadem in Ecclesia sanctus Franciscus viueret, vir simplex, mundo obscurus, & paupertatis studiosissimus, ceteroquin sapientissimus, prudentissimus, vitæq; inculpatæ, insigni sapientia sua præclaras turbarum harum componendarum rationes edocuit, & pacẽ regnis ac prouinciis omnibus adferens, simul & in Ecclesiam, pietatem, libertatem Euangelicam, & religionis securitatem inuexit.

Magnę turbæ in Eccle sia tempore S. Francisci.

Apud Ecclesiasticum in magni Simonis laudem scribitur: *Simon Onię filius, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.* An non mihi liceat hoc Simonis elogium ad beati Patris Francisci laudem & honorem trahere: quidquid enim verus ille Simon materiali Dei templo obsequii impendit, sanctus Franciscus spiritualiter Ecclesiæ præstitit. Bonis enim exemplis, cordatis consiliis & sanctis prædicationibus vniuersum Ecclesiæ & Religionis statum suffulsit, qui dum in ruinæ, & exitii, corruptionisq; periculo versatur, suos ipse subiecit humeros, animum impendit, & nouum illi robur ac neruos dedit.

Eccl. 50.

S. Frãciscus Ecclesiæ auxiliatus est, & religionẽ fulsit.

Eodem etiam sensu in libris Machabæorum de Matthathia viro zelosissimo legitur: *Videns templi euersionem, legis Dei transgressionum, & populi vastitatem, sedit in monte Modim, & scidit vestimenta sua, & operuit se cilicio, & exclamauit voce magna in ciuitate: Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse & filii eius in montem, & reliquerunt quæcunque habebant in ciuitate.* Hæc imago sunt eorum, quæ sanctus Franciscus & quotquot sub eius insignibus spirituali militiæ sacramentum præstiterunt, ad templi Dei ruinas reparandas, & religionis statum & Ecclesiæ gloriam in pristinum decus restituendam fecerunt. Hic ergo vir sanctus, honoris Dei ardentissimo flagrans zelo, videns ordinis Ecclesiastici dissolutionem & corruptionem, quæ in populo dominabatur, ignorantiam, & quæ in nobilibus obuia erat, superbiam, ad legem Dei impune violandam; in montem pœnitentiæ confugit, cilicio membra edomuit, & pannosam ac laceram vestem assumpsit, & elata passim voce per regna omnia & prouincias intonuit, vt quicunq; honorem Dei æmularetur, quicunque legis eiusdem zelo tangeretur, quicunque salutis animæ procurandæ desiderio inardesceret, secum mundo subduceret, rebusque terrenis valediceret, & reipsa & exemplo, quod docebat verbo, ostendens, in montium abdita concessit, & vna cum ipso infinita Religiosorum multitudo, qui quidquid in vrbibus & agris possederunt relinquentes, in desertum abierunt, & intra monasteriorum claustra se abdiderunt, vt inibi pœnitentiam de commissis agerent, salutem proximi procurarent, Ecclesiæque manus auxiliares laboranti & angustiatæ afferrent.

1. Mach. 2.

Cõparatus Matthathię S. Frãciscus.

Ioannes Euangelista in visionibus quas olim vidit, hanc imprimis signat: *Ecce ego Ioannes vidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui.* Sanctus Bonauentura de visionis huius explicatione & genuina interpretatione tam certo loquitur, vt eam de alio quopiam, quam de sancto Francisco intelligi posse ad litteram neget; quin idipsum fide indubitata tenendum credendumq; vult veluti rem exploratissimam *Fide*, inquit, *credendum est, quod loquitur de beato Francisco.* Crediderim equidem, sanctum hunc vitæ Scriptorem, zelo quodam & pio erga Seraphicum Patrẽ suum affectu ad hoc-ce scribendum motum fuisse. Quidquid à parte rei sit, visio hæc res alias etiam tangit, scilicet Angelum hunc, ceu partis æternæ legatum

Apoc. 7.

S. Frãciscus Angelo Apocal. collatus.

gatum ac præconem descendisse, & quamdã hominibus securitatem præstitisse, vtpote destinatum ad impediendum, ne quis vllum terræ detrimentum afferret, & iustitiæ æternæ ensem ab orbe auerteret, dicens: *Nolite nocere terræ & mari.* Quæ etiam apte satis ad gloriosum patrem Franciscum referantur: venit namque ipse reuera, ad Ecclesiam propugnandam, pacem in illam inferendam, Dei aduersus peccatores exacerbati iram auertendam, iustitiæque eius furorem mitigandum. Vnde de illo dici non immerito queat, quod olim de alio Sacerdote illustri scriptum: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Etsi enim beatus Franciscus sacerdotio minime fuerit insignitus, magnus tamen existit Patriarcha, & amplissimi ordinis fundator, qui suo tempore Deo summopere placuit, inuentus est iustus, & illo indignante & irato, pacem & reconciliationem mundo peperit.

S. Franciscus mundo pacem attulit.

Eccl. 44.

Hæc igitur sunt, Auditores Catholici, quæ pro temporis breuitate de sancti huius viri vita, reuelationibus & mirabilibus dicenda mihi occurrerunt. Hoc est, principiũ, progressus & finis, id est, introitus, vita & exitus beati & gloriosi viri sancti Francisci: hoc est, gratiarum, perfectionum & meritorum eius compendium. Omnis mundus habet in sancti huius viri vita, quod admiretur, & admirando imitetur, & imitando laudet DEVM in sanctis suis: Sapientes & prudentes Philosophos in admirationem rapiat, quod DEVS illis sua celans mysteria, pauperi huic idiotæ, & rudi eam reuelarit, plusque illi sapientiæ, intelligentiæ & doctrinæ communicarit, quam olim Platoni, Aristoteli, aliisque Philosophis Gentilibus. Artifices mechanici & mercatores habent item quod obstupescant, quod quidam similis conditionis & status, vt puta qui ante mercaturã & negotiationem exercuit, à Deo ad nouum commercium, & rerum spiritualium exercitium vocatus sit; in quo adeo profecit, & tantum lucratus est, & paruo tempore tantum honoris & opum collegit, vt ex quo mundus stare cœpit, fortasse vix exstiterit, qui plus sibi virtutis compararit, plures peccatores conuerterit, pluresq; conuersarum animarum manipulos in cœleste horreum inuexerit.

Mundus omnis habet quod in vita S. Francisci admiretur.

Vos vero nobiles & aulici, non minus aliis, quod in historia magni huius viri consideretis, & consideratum in vtilitatem vestram trahatis, habetis; quod nimirum ipse honesto natus loco, quique præter amplam & abundantem hæreditatem, optatiorem vberioremque sperare in mundo fortunam poterat, viso quod ipse pericula contineret plurima, & quam suam ægre quis in eo salutem operetur, plane ab eo se subduxit, vanitatibus valedixit, honores repudiauit, contubernia sociorum deseruit, negotiationem dimisit, crucem amplexus est, in desertum abiit, solitudinem sectatus est, pœnitentiæ se addixit, flagrorum vsum induxit, cilicia frequentiora eo auctore esse cœperũt, paupertatem honorauit, secumque statuit satius esse pauperem in domo Domini quam diuitem & opulentum in mundi palatiis agere.

Exhortatio & apostrophe ad Religiosos.

At vos inprimis, ô Religiosi, permultum habetis, quod in sancto hoc Patre imitemini; quod toto vitæ tempore adeo humilis & obediens, in spiritualibus prosperitatibus adeo continens, aduersus mundanas aduersitates inuictus, ad disciplinam sapiens, in regimine rerum prudens, in correctionibus moderatus, in mandando discretus, in tentationibus insuperabilis, ad inspirationes diuinas facile mobilis, in exercitiis laboriosus ac sedulus, in patientia denique exstiterit insignis. Ab illo ergo mundi cõtemptum, vanitatum fugam, voluptatum repudium & deliciarum valedictionem discite. A magno hoc patre discite, prudentes & religiosi filii, austeritatum praxin, cilicii vsum, paupertatis amorem, humicubationem, carnis huius refrænationem; discite, inquam, eius rebellionem edomare, contumaciam retundere, passionibus dominari, noctes orando traducere, pie vitam instituere, Deo singulari cum affectu & contentione seruire, & ieiunia sedulo diligenterque colere.

Imitamini, illustres animæ, quæ sub generosi huius ducis insignibus spiritualẽ mili-

Turpe est filios à patris virtute degenerare

tiam assumsistis, imitamini inquam vitam, exemplum & præclaras magni huius antesignani virtutes. Discite ab eo humilitatis omni in re exercitium; amorem Dei super omnia, suiipsius renunciationem, propriæ voluntatis resignationem, proprii nihili agnitionem, & de viribus suis ac præsumptione naturali diffidentiam. Si

Dedecus est natis clavos habuisse parentes,
Ni studeant illis moribus esse pares.

Æterna sane vobis infamia ac probrum foret, Religiosi, si tam illustrem & inclytum nacti patrem, qui tam insignem vobis semitam calcauit, ab eiusdem sanctitate degeneretis, memoriam eius secus agendo inquinetis, regulam negligatis, institutum violetis, ordinem profanetis, veste eius & insignibus male vtamini, & in nullo illi pares sitis: cauete inquam, ne hoc vnquam crimen committatis.

Quando autem te, ô beate & æternis digne præconiis Seraphice Francisce, considero velut hominem in terra agentem, hominem quendam prodigiosum videre mihi videor, quin & Angelum humana carne indutum, Seraphinum incarnatum, & spiritum quendam cœlicum nostra vestitum natura, videre videor Doctorem in cœlo promotum, nouum Spiritus sancti discipulum, tertium decimum Iesu Christi Apostolum, quintum Euangelistam vel Ecclesiastem in Ecclesia, & secundum Angelum noui Testamenti à Deo missum, vt populis Euangeliũ promulgaret, sublimia doceret, mysteria patefaceret, ignorantes erudiret, peccatores ad frugem bonam reduceret, omniumque rerum sanctarum ludum publice quodammodo aperiret. Si te in Ecclesiæ rebus versantẽ contemplor, vt vnum è validis eiusdem columnis vnum ex immobilibus illius fundamentis, vnum è generosissimis ac celeberrimis eiusdem ducibus te intueor; in qua dum te cerno, cerno fontem illum exundatissimum è medio paradysi prorumpentẽ, è quo turgentissimi & amœnissimi fluuii scaturiebãt, quibus vniuersa terræ superficies longe lateque irrigabatur. Ex te enim, vt viua quadam & copiosa omnis sanctitatis ac pietatis scaturigine, tot in Ecclesiam illustres & celebres ordines emanarunt, qui prædicationibus & bonis, quæ spargunt exemplis, vniuersum mundum irrigant, inque bonis operibus fertilem reddunt. Dum autẽ, ô glorioſe Patriarcha, in cœlis te contemplor, ipse mihi persuadeo, te præter beatitudinem, quæ tibi cum Angelis & Sanctis omnibus cõmunis est, infinitis omnes accidentarię beatitudinis partibus præcellere, paucos vt te superiores credã. Si enim eo damnatorum apud inferos pœnæ ac tormẽta quotidie magis ingraueſcunt, quo plures eodem descendunt, quos scandalo dato, & prauis exemplis in perniciem, exitium ac deinde in damnationem occasionaliter pertraxerunt; sic vice versa pie credendum est, quandoquidem tot tuis auspiciis adductu animæ salutem adeptæ sint, & quotidie etiamnum adipiscuntur, dum regulam tuam & institutum inuiolate obseruant, gloriam tuam crescere & infinitis punctis maiorem indies fieri, tibique in beatitudine præ aliis Sanctis potiores deberi. Quamobrem supplices te rogamus, admirabilis Francisce, vt ipse pro nobis Deum roges, ordinem tuum benigno respicias oculo, Religiosis tuis benedictionẽ impertiaris, influxus illis tuos communices, constitutiones tuas eosdem edoceas, in patientia erudias, perseuerantiam denique iisdem impertes, vt tam ipsi quã nos, regulares æque ac sęculares, laici non minus quam Religiosi, in eadem viuentes fide, & eidem famulantes Deo, omnes tandem aliquando vitæ æternæ compotes reddi mereamur, quam concedere sine exceptione nobis omnibus dignetur Pater, & Filius, ac Spiritus sanctus Amen.

Gen. 2.

IN FESTO SANCTI DIONYSII MARTYRIS.

Partitio.

1. *De suprema summi Dei dignitate regendiq; ratione.*
2. *De iustorum in hac vita afflictione, & impiorum læta fortuna.*
3. *De Areopagitæ conuersione mirabili.*
4. *De eius perfecta in omnibus scientia.*
5. *De Prædicatorum condigno munere.*
6. *De Areopagitæ alijs dignitatibus.*
7. *De eius morte & martyrio fortiter passo.*

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni, &c. Apoc. 7.

FIGVRA.

1. Macch. 8. TRAGICA hauddubie historia est, Auditores, quam secundus Macchabæorũ liber nobis commemorat, qua iniquam generosi senis Eleazari & condemnationem & mortem prosequitur. Lachrymis quippe & pia commiseratione dignum est spectaculum videre virum honestate vitæ conspicuum, nonagesimo ætatis anno, in vltimo laudabilis senectæ puncto, pro diuinæ legis ceremoniarumque sacrarum defensione, in Antiochi Regis persecutione & tyrannide, in Iudæa ad necem postulari, & post sexcentas tortorum exagitationes & molestias magna sane barbarie, ad extremum tandem supplicium raptari. Verum non minus triste ac lugubre spectaculum est, ac non minori admiratione ac lachrymis dignum, immane & crudele magni Dionysii martyrium ac passio. Et est sane ferialis & commiseratione dignares, audire tam sanctum pium, ac doctum virum, iam nonagenarium, Dei legem & Euangelium annuntiantem, ad magnum Gentilium probrum, in Gallia nostra, iniquæ morti ab impio eiusdem Præside Fescennio adiudicari, & post mille cruciatus, pœnas & iniurias capite truncari, & vita simul spoliari. Hæc scilicet honorabilis est docti illius Areopagitæ, sancti ac primi Lutetiæ Episcopi, illustris Galliæ nostræ Apostoli, denique generosi illius martyris, & authentici fidei Iesu Christi, Ecclesiæque ipsius mysteriorum testis mors. Vt vero tam præclaram hodie materiam, prout ipsa exigit, pertractemus & vitam & mortem, ac cætera tanti tamque illustris viri merita pro dignitate commemoremus; cœlitus consilium aduocandum, & Spiritus sancti lux & directio imploranda. Aderit in hoc nobis Deipara, modo ante eam communi omnes voce cum Angelo salutemus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Hominum de Deo expostulatio.

Quibus caput sine cerebro, cor sine sensu, anima sine fide, mens sine lumine, vita denique directionis omnis ita est expers, vt magna cum impudentia cœlo refragari, diuina consilia reprehendere, & Altissimi prouidentiam, quæ ipsorum perfricta frons est, sugillare non sint veriti, huc omnes nequitiæ venerunt, vt de Deo palam expostulârint, permittente intimos suos, viros q; iustos hac in vita aduersorum procella exagitari, impios vero ac sceleratos prosperis circumfluere; in quo & odisse amantes sui, & amare sceleratos videtur: quod sane & Deo indecens; & rationi dissentaneum, & naturæ aduersarium esse, & omni repugnare æquitati videtur.

Ioabi apud Dauidē expostulatio.

Hæc in atheismum aliquatenus vergens expostulatio, cum nimirum de Dei diffidat sufficientia, eiusque regendi gubernandique rationem carpat, alterius mihi prope similis refricat memoriam, qua olim apud Dauidem regem, cuius copias ducebat, quiritabundus Ioab expostulauit. Hic enim Absalomo fuso profligatoque, cum inaudisset, quanto casum hunc & cladem gemitu pater prosequeretur, confestim relictis castris in regiam properat, & his regem velut expostulans verbis est alloeutus: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te, & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis.* Inimici Dei, & temerarii & insolentes diuinorum arcanorum censores, impiorum in hac vita prosperitatem, 2. Reg. 19.

ritatem, & aduersam iustorum è contra sortem secum murmurando examinãtes, iisdem virulentiæ armis instructi in aciem prodeũt, & Regem Regum eadem expostulatione adoriuntur. Summe Deus, qui vniuersi totius habenas moderaris, omniaque æquitatis in bilance contines Domine: *Quis similis tibi?* quis vnquam eo, quo tu tuos, modo princeps subditos direxit? quis monarcha aut rex ita regnum gubernauit, vt tu mundum? quid? diligis & complecteris scelestos, qui te oderunt, iustos vero è contra & pios, quique ex toto te corde diligunt, affligis & odisti? in quo ad oculum declaras, te cuncta negligere ac parui ducere, & parũ esse de iis, qui tuum tuentur honorem, & fidum tibi deferunt obsequium sollicitum.

Ex discretionis & impudentiæ huius fundamento factum est, vt parum religiosæ ac nimium curiosæ mentes ad summum deuenerint nequitiæ gradum, & eo fatuitatis, sibi vt persuaderent, Deum in mundi directione stolide ac temere procedere, quod bonos piosque ab impiis sinat affligi. Quin & in grauiores impingentes errores, & in blasphemiarum tandem abyssum prolabentes, Deum negligere ea, quæ in terris agebantur, illi nec aures, nec oculos esse, delicta omnia impune habere, & crimina nullam post hanc vitam pœnam mereri, nec in ea à Deo inquiri credidere. Impietatem hanc mire exaggerat Psalmista, & ab his incipit exclamationibus: *Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur, effabuntur, & loquentur iniquitatem?* quid hoc sibi vult sancte Propheta? se ipse explicat: *Populum tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt, viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Vnde efficere volebant, Deum & cæcutire & ignorare, quæ in mundo peragerentur, eiusque prouidentiam de rebus terrenis ne hilum laborare. *Psal. 93.*

In hanc voraginem passim sine vllo discrimine Gentiles & idolorum cultores præcipitarunt, deque Deo vero cum sermo incidisset, hac illum macula probose conspergebant, dum scilicet fidos eius clientes, & ab illius obsequio nulla aduersitate dimoueri nescios, in hoc mundo cernerent affligi, vexari, ac calamitatibus opprimi. Et re ipsa magnus ille populi Israelitici legislator Moses, cum Deum in populum suum concitatum, & vltionem de iniquitate commissa sumere meditantem cerneret, ne qua forte hinc infidelibus temere calumniandi maiestatisque eius culpandæ daretur ansa, hanc ex intimo animi affectu ad eum orationem fudit: *Ne quæso dicant Ægyptii, callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra*: quasi diceret: Noxam hanc vnam populo tuo dimitte, Domine, vindictæ ensem intra vaginam conde, iracundiæ æstum extingue, obsecro, ne forte secus ac par est, de te sentiant Ægyptii, & idolorum cultores, ac gentes vicinæ in maiestatis tuæ benignitatem blasphemiæ & iniuriæ, dicere occipiant, esse te rigidum ac durum, qui te sequaces ac famulos rigide habeas, ac qui te oderunt, amice ac beneuole; magnaque tibi impudentia exprobrent, astute quõdam ac vafre Ægypto nos eduxisse, vt deinde in montium præruptis desertoque inuio enecares, ac de facie terræ cunctos deleres. Nõrat quippe Moses, gentiles summi Dei sapientiam semper fugillare, ac de illis circa infima rerum mundanaque gubernandi ratione, data opera, sinistre nunquam non loqui ac sentire: & deinde, impiorum pacem tranquillitatemque in omnibus, & piorum vice versa oppressionem eorumnasque quotidianas conspicati, in hoc regendi modo nullam illius aut sapientiam aut prudentiam elucere, temere sibi persuadebant. *Exod. 32.* Ethnici summi Dei negabant prouidentiam.

Atque hinc sui Manichæos veteres illos hæreticos erroris occasionem hausisse fit verosimile, cum qui illorum stupor fuit, duos in mundo commenti sunt Deos, quorum maximum in regendi ratione esset discrimen, diuersus gubernandi modus, & discrepans indoles: vnus quidem summe & infinite esset bonus, à quo inuisibilia cuncta dependerent; alter autem nequam per omnia ac pessimus, qui visibilibus hisce dominaretur. Quæ sane nimis quam impudens fuit blasphemia, & error intolerabilis, vtpote qui diuinitatẽ ipsam tangat, in supremi Numinis Manichæorum error.

iura

iura inuolet, ac merum in orbem atheismum inuehat.

Quid autem? Arcana & inscrutabilis hæc res inferiores regendi ratio, sapientissima nihilominus ac prudentissima, vt in diuersitate sua plane est admirabilis, sic in vsu ac praxi sua difficultate non caret. Et sane etiam sanctissimos quosque res hæc in stuporem visa est rapuisse, vt quid super eadem respondeāt, ignorent. Ipse Psalmographus inprimis, qui mentis suæ in hoc ipso anxietatem, inscitiam, ac turbationem confessus, sic ait: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei*, vt te relicto mundi in partes concederem, Deus meus: *quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, in labore hominum non sunt, & cum hominibus* in hac vita vt reliqui Sancti & amici tui *non flagellabuntur, ideo* facti sunt insolentes, *& tenuit eos superbia.* Dicere vult, mea sententia, difficillime in animum induci à quopiam posse, mundum ac mundana sapienter dirigi & administrari, cum quæ bonos inter & malos in hoc mundo peragantur videt, illis semper aduersa, his secunda in procelloso hoc vitæ pelago aura vtentibus.

Psal. 75.

Post sanctum magnumque hunc regem, Ieremias Propheta rem hanc tantopere obstupescit, vt Deum quodammodo ad concertationem prouocet interrogaturus, sicque eum percontetur: *Iustus es Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te. Quare vita impiorum prosperatur? bene est omnibus qui præuaricantur, & inique agunt?* scelestis scilicet omnia ad votum fluunt, & iustis secus ac vellent cuncta eueniunt.

Ierem. 13.

Idipsum examinans & Abacuc Propheta eandem sibi quæstionem proponit, quam soluere nescius, ad Deum etiam se conuertit, & interrogatum politicum (vtpote ad despoticam mundi regendi rationem, ac rerum humanarum directionem spectans) proponit. *Quare taces*, inquit, *impio conculcante iustiorem se?* Perinde ac si diceret: Cum tu Domine omnia inferiora administres & rerum terrenarum moderamina manu teneas, cur & quo permittis modo, vt ab impiis iusti diuexentur & opprimantur? quod & summam iniustitiam ac violentam tyrannidem spirat? Annon iusta vobis hæc querela videtur, Auditores, & quæstiones hæ in ratione fundatæ?

Abac. 1.

Haud diffiteor equidem; res ita se habet: fatendum nihilominus, insignem in hoc ipso DEI sapientiam, & singularem eius erga suos dilectionem elucescere; idque ob rationes sane peregregias. Prima sit; omnes aduersitatum ac tribulationum sagittæ, quas ex potentiæ suæ pharetra DEVS ter maximus depromit; in seruorum suorum caput eiaculaturus, non nisi meræ probationes & examina sunt, quo hac eos ratione perficiat, & gloriæ capessendæ idoneos reddat. Testem huius sententiæ habeo magnum illum Apostolum Iacobum, qui sua in Catholica sic fideles alloquitur, *Beatus vir, qui suffert tentationē*, & examen hoc generose tolerat, *quoniam cum* satis sufficienterque *probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, & honorem inde consequetur. Idipsum sentit & sapientissimus Salomon; *Deus tentauit eos* ad lapidem Lydium tribulationum, *& inuenit illos dignos se* gloriæque suæ capaces. An non hæc insignia amoris & admirabilis sapientiæ sunt argumenta?

Dei gubernandi ratio circa mundum sapientiam & amorem redolet.

Rationes cur suos in mundo affligi Deus sinat.

Iacob. 1.

Sap. 3.

Secunda: pœnæ & afflictiones hac in vita ingruentes non nisi malleationes quędam & adaptationes sunt Martyrum & aliorum iustorum, quibus ceu malleo lapides concinnantur & adaptantur, vt in cœlestis ciuitatis fabricam cooptentur iam adaptati ac politi: eos namque in hoc mundo tundi, cudi & concidi oportet persecutionibus, vt in cœleste Dei templum pro meritorum ratione & ordine quisque suo coaptentur. Tribulationum quippe mallei in cœlo non exaudiūtur, sed in terra malleationes & tunsiones peraguntur, vt iisdem Sancti & prædestinati ad gloriam hic poliantur: vnde canit Ecclesia: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis per manus artificis.*

Tribulationibus sancti in hac vita adaptantur.

Hym. in dedic. Eccl.

In huius rei figuram legimus, in templi Salomonici constructione, in qua tamen octoginta & amplius operariorum millia, ac tricena operis præfectorum millia quotidie operabantur, nullum ferri, limæ, mallei sonitum toto illo tempore exauditum, sed, prout saxa alibi parata & concinnata, Hierosolymam

III.

solymam adferebantur, ita eadem à præfectis fabrorum suis quæque locis collata fuisse. Qui veras rei huius curiosius indagant causas, tradunt omnes fabricæ huius lapides in monte Libano aptatos fuisse ac paratos, & Hierosolymam dein allatos illico in opus cooperatos. Mysticum hoc signum est, in mundi huius monte ac rupibus animas sanctorum parari, & afflictionum malleos pati, vt deinde cœlo illatæ in egregiam fabricam inserantur. Hic in terra tunduntur, & in cœlo in opus assumuntur: tribulationes enim huius sunt mundi, & alterius consolationes.

Tribulationes sunt huius mundi; & consolationes alterius.

Tertia: mundani cæci sunt, & nõnisi palpando ingrediuntur, nescientes nec agnoscentes quam sit regnum cœlorum pretiosum, quod non nisi tribulationum auro venale Deus proposuit, nec emi alio comparatiue pretio potest, quod Gentium Apostolus tanti fecit, tamq; sublime extulit, vt Romanis sic scriberet: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*, quam expectamus, & *quæ reuelabitur in nobis*. Quasi diceret: Non modo quodcunq; bonum operari; sed etiam quidquid malorum & aduersitatum tolerare possemus, etiamsi mille & amplius in vita ageremus annis, non est cum futura quam speramus gloria, velut æquipollens comparandum.

Regnũ cœlorum tribulationibus cõparatur.

Rom. 8.

Glorioſi Martyres, Dionysius Rusticus, & Eleutherius, rei huius dignitatẽ, & pretium exactissime perspectũ habentes, ipsam vt coemerẽt, suas vltro cervices obtulerunt, suam eius ergo vitam impenderunt, & insigni eum tolerantia omne tribulationũ genus perpessi sunt. Hinc in illorum hodie gratiam sacra canit Ecclesia: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna*. Quæ in concionis hodiernæ thema verba selegi, qua historiã ac vitã illustrissimi Galliæ nostræ Patriarchæ, magni, inquam, Dionysii prosequi decreui: de illius enim sociis hodie non loquar. Vt vero hoc ipsum vobis consolationem aliquam adferat ipseque confusionem vitans rem ordine deducam, bipartitam orationem faciam, primo de admirabili sapientis huius Areopagitę cõuersione, deinde de Martyrio eiusdẽ ac supplicijs agam.

Priusitaque, quam vlterius æquore volem, & in cursu hoc pergam longius, perdifficilis elucidanda difficultas, eaque non exigui est momenti, quæque multos hactenus torsit, num scilicet magnus ille Dionysius, quem maximopere nostra suscipit & colit Gallia, quod Christianam eodem fidem intulerit, Euangelium Dominicum promulgarit, idolorum cultum euerterit, & mortem generose subierit, num inquam is ipse sit quem Græcia olim progenuit, Athenæ miratæ sunt, vt magnum iudicem Areopagus suspexit. Verbo vt explicem, num qui hoc in regno Christo natus est, idem sit cum eo, quem Græcia nascentem vidit: num quem Lutetia vt Antistitum suorum principem ac caput habet, coincidat cum eo, quem vt primarium olim iudicem, ac post conuersionem primum Episcopum Athenæ sunt veneratæ.

Num S. Dionysius Episcopus Parisiensis fuerit olim Areopagita.

Scio, iam ante annos septingentos quæstionem hanc mire ventilatam, & inter doctos agitatam, ac litem penitus tandem diremptam; sunt tamen nonnulli, qui camarinam hanc denuo mouentes, & vetus illud pronuntiatum falsitatis coarguentes, simul & vnanimem tot tantorumque auctorum sententiam fugillantes, rursus eandem in dubium reuocant. Tædiosum nimis foret ac tetricum, omnem hanc controuersiam à capite ad calcem huc rursus accersere; quocirca summatim eam tangam, ac paucis perstringam, vt suus veritati sit locus, & ita aliquod piis adferam solatium. Ab Hincmari Archiepiscopi Rhemẽsis, scriptoris suo tempore satis illustris, & permagni apud doctos omnes nominis, testimonio exordium ducam.

Hincmarus.

Hic ergo ad Carolum Caluum Imperatorem sic scribit, *Patrem vestrum Dionysium esse Areopagitam à beato Paulo Apostolo baptizatum, & Athenienſium ordinatum Episcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his quæ Græcia testificatio, & sacra Romana sedis attestatio, & Galliarum intima contestatio, ratum in hac causa (quod longe ante nos dictum est) recognoscant.*

Sin-

Im Michaelis legato ad Regem Galliæ.

Singula hæc Hincmari verba prægnantia sunt, & consideratione dignissima: loquitur autem inprimis de testimoniis Græcorum; eo quod longo ante tempore Michael Imperator Orientis publica ac solenni ad Ludouicum Pium Galliæ nostræ Regem legatione missa, idipsum declarat, dum simul illi sancti Dionysii Areopagitæ commentaria, iam nuperrime reperta mittit, quæ cum Lutetiam ipso magni Martyris peruigilio venissent, cuiusnam illa auctoris forent, illustribus id repente miraculis ostendere visum Deo. Rei totius gestæ historiam apud Hilduinum reperire est; in epistola ad eundem Ludouicum Pium Regem destinata.

Hilduin. epist. ad Ludouicũ Pium.

Vita S. Dionysii cõscripta per S. Methodiũ, Episc. Constantinop.

Certissimum quoque est, è testimonio Anastasii Bibliothecarii Romani, sanctum Methodium Episcopum Constantinopolitanum Romæ sedis legatum & Cardinalem, vitam sancti Dionysii Areopagitæ scriptis mandasse: è qua colligimus, ipsum & in Gallias concessisse, & Parisiensi Ecclesiæ vt Episcopum præfuisse. Hic ergo cum summa fide & stylo non vulgari magni huius viri vitæ seriem posteritati consignasset, Romanæ illam Ecclesiæ reliquit: quam cum deinde Anastasius Latinam fecisset, per Galliam Imperatorem Carolum Caluum destinat. Deinde & Metaphrastes eadem descripsit gesta, & prope eandem sancti Dionysii vitam, cum omnia curiose & exactius veterum de illa Patrum testimonia & antiqua monumenta examinando excussisset. Idipsum fecit & Michael Syncellus, Presbyter Hierosolymitanus, libro quem de sancti huius Patris laudibus composuit.

Metaphrast. in vita S. Dionysii.

In encomio S. Dionys.

Hæc quidem Græcorum de illo sunt testimonia. Quoad Latinos, primum locum occupet, ipsum Seraphini Pontificis factum: is enim cum in Gallias abisset Pipinum Regem regno inauguraturus in morbum incidit. Verum, cum gloriosi Martyris Dionysii patrocinio, & apud Deum interuentu, in quo omnem suam in morbo post Deum fiduciam collocabat, sanitatem pristinam recuperasset; Romam repetens de eiusdem reliquis aliquid secum ferre statuit. Romam ergo cum venisset, insignem sancti huius Martyris cuius & fauorem, & merita expertus erat, honorem Basilicam construi iubet, præfecitque eidem monachos Græcos, & sanctissimi huius viri patriæ in tuitu, Græcorum eam scholam nuncupauit: quod Stephanus opus cum morte præuentus, perficere non potuisset, successor eius Paulus absoluit, & annuos prouentus amplissimos illi assignauit, additis insuper priuilegiis singularibus.

Stephanus Pontifex intercessione S. Dionysii sanitati restitutus.

Templum illi Romæ ædificari iubet.

Cur, obsecro, Pontifices illi templum hoc Græcis monachis attribuerunt, & Græcæ scholæ nomen illi imposuerunt? quod scirent, nempe sanctum Dionysium è Græcia fuisse oriundum, ac decentiæ iure æquissimum videri, vt qui eiusdem essent regionis & conciues, honorem & cultum eo illi loco offerrent, cæterisque in hoc officii genere nationibus anteponerentur. In confirmationem & nouum argumentum adferri etiam queat, veterum Missalium, & Breuiariorum, aliorumque Galliæ nostræ monumentorum ac antiquitatum testimonium, è quibus eruimus sanctum Dionysium, qui hoc in regno martyrium subiit, esse eundem, qui Athenis originem duxit. Sed his omnibus omissis ad præcipuum intentionis ac propositi mei scopum veniam, quo vitæ mutationem & conuersionem magni huius Areopagitæ exponere decreueram.

S. Dionysi' à S. Paulo cõuersus & baptizatus.

Quemadmodum certissimum & indubitata fide tenendum est; sanctum Dionysium ab Apostolo Paulo fidei Christianæ assertum, in Ecclesia baptizatum, & primum Atheniensium Episcopum esse constitutum, ita nec admiratione vacat audire, tantum tamque sapientem virum tam cito fidei manus dedisse, & ad nudam externi, incogniti & obscuri homuncionis prædicationem Christum agnouisse. Quod eo magis demiremur necesse est, quo magnatum, ac Philosophorum præsertim, conuersionem & difficiliorem & rariorem comperimus.

Arist. libr. 4. meteor.

Tradunt naturalium rerum scriptores, quibus & Aristoteles suis in Meteoris accedere videtur, quod terræ visceribus educitur ferrum, aptum esse aptari, tundi, malleos pati, & in incude flecti ac duci; at quod nubibus innascitur, cœlo descendis; cudi non posse, contusum obdurescere, & incudi resistere. Arcanum hoc Physicum est; sed quo tacite docetur, peccatores, etsi ferri in modum obduratos & inscios flecti, modo humilis & obscuri sint generis ac loci facile duci ac tractari, & ad verbi diuini ictus sine vllo negotio emollescere; at illustres & doctos, quorum & genus & dignitas diuinum quid continere videntur, quasi cœlo descenderet, nonnisi difficillime, ægerrime, magnoque cum labore conuerti.

Conuersio magnorum perdifficilis

Planetarum minimi, & infimi etiam sunt celerrimi, maiorique mouentur velocitate, exemplo sit Luna, quæ vndetriginta diebus vniuersum suum peragit cursum & à Deo constitutum stadium decurrit: at alii maiores, & sublimiori fixi loco, suo sunt in cursu peragendo lentiores ac tardiores; testis Saturnus, qui vt orbes omnes cœlestes perambulet, quatuor aut quinque annorum millia impendat necesse est.

Planetæ altiores lentius mouentur.

Rursus hic docemur, humiles & plebeios, dum vel peccati laqueis irretiti sunt, vel gentilitatis adhuc caligine inuoluti, facili negotio vel peccatis egredi, vel ad rectæ fidei semitam reducis; at qui ad summas sunt euecti dignitates, & primos in republ. gradus occupant, difficilius sane conuerti, & resipiscentiæ illorum motum lentiorem esse & longe maiorem quam priorum difficultatem inuoluere.

Pastores primi Redemptorē adorarunt; Magi postremi.

Exempli loco sit, quod in Euangelio legere est: nato iam mundi Saluatore, eiusque natiuitate nuntiata, primi, qui ad hoc nuntium accurrerunt, & ad solam Angeli vocem montanis descenderunt, greges deseruerunt, & positum in præsepio infantem adoratum venerunt, fuêre ouium pastores obscuri & rure nati: at Magi fuêre postremi, & tredecim ipsos in itinere suo dies impenderunt, quin etiam nouum quoddam cœlo sidus fulgere oportuit, quo illos in Bethleemiticum stabulum conduceret: adeo vt prodigiis excíti & nonnisi quam difficillime regia regnoque egressi sint, vt ad Deum accederent, eiusque filium incarnatum & in Iudææ finibus natum adorarēt. Egregium profecto exemplum, quo discamus licet, Principum ac Primatum conuersionem esse semper minimorum plebeiorum, obscurorum conuersione grauiorem ac maiores longe difficultates continere.

S. Dionysii conuersio plane admirabilis.

Quæ cum ita sint, qui fieri igitur potuit, S. Dionysium virum apud suos magnum & illustrem, vtpote sacrorum Areopagitici tribunalis iudicum numero, adeo item doctum ac sapientem, vt maximis sit temporis illius in Græcia Philosophis annumeratus, tam cito fidei manum dedisse, & idolorum relicta inania Iesu Christi se obsequio mancipasse? Hoc dubio procul summam meretur admirationem, credendumque est, viri adeo inclyti & præstantis conuersionē eamque barbari & Iudæi (hoc namque nomine omnes exteros nominabant Græci) opera procurata nonnisi maxime esse admirandam.

Areopagi descriptio.

Quod vt facilius intelligatur, præsciatis oportet, Areopagum, quod Græce vel promontorium vel montem Martis denotat, eminentem & accliuem paulatim haud procul Athenis locum fuisse ad supremū quoddam concilium, in quo de grauissimis maximeque dubiis controuersis diiudicabatur, & omne criminum ac flagitiorum genus pro merito puniebatur. Qui in eo diiudicabant iudices & assessores, vt suum populo ius administrarent, vtpote vniuersæ gentis nobilissimi, sapientissimi, & optimi, & flos, & decus, & ornamentum reipubl. hoc à loco mutuati nomen, Areopagitæ dicebantur. Erant hi porro permagnæ auctoritatis, virtute illustres, & longo rerum vsu, omnigenum negotiorum in tractatione versatissimi. Hocce tribunal nonnisi tertio singulis mensibus patebat, quarto scilicet & tertio, & pridie Kalendas: quibus diebus solummodo causis disceptandis intendebatur; quas qui agerent actores, simplici eas stylo ac sermone proponebant, similiter & rei, ius suum, rei caput & rationes & argumenta in vtramque partem

Quinam essent Areopagitæ.

nuda

nude afferentes, sine vllo fuco & verborum aut eloquentiæ lenocinio. Si autem interdū causarum patroni sermonem sublimiori genere dicendi exornarent, linguæ nouitates consectarentur, aut pigmentatos Rhetorices colores adhiberent, publica præconis voce palam iis silentium indicebatur. Nec immerito; ne forte inducto verborum illicio & eloquentiæ arte adhibita, in eam quam æquitatis non ferret partē iudices illecti flecterentur. Tum vero ne miserabili forsitan reorum aspectu, pædore, illuuie & sordibus, ad commiserationem mouerentur, noctu, sine vllo lumine aut facibus, summo cum silentio iudicium exercebant. Vnde & illud natum adagium, *Areopagita taciturnior.*

Tanta autem augustissimi huius Senatus per vniuersum erat orbem auctoritas, vt illorum iudicio sententiæque etiam grauissimas totius Asiæ causas Romani Proconsules subiicerent. Adeo vt è Valerio tradat Agellius, Cn. Dolabellā cum Proconsulem Asiæ ageret, illorum tribunal consuluisse, causas perdifficiles ad eos deferendo. Quin etiam notat Lucianus, suo tempore consuetudinē obtinuisse, vt nationes exteræ Areopagitarum iudicio suis in controuersiis starent. Hęc pene omnia à Budæo deprompta sunt, qui in librum Pandectarum hęc aliaq; plurima collegit.

Porro, cum lex Christi omnibus aliis & præstantior & excellentior, per mūdum illustrior iam fieri inciperet & suam in terra paulatim sedem figere, cæteræ omnes obmutuerunt, & Areopagus esse desiit, teste Theodoreto. Lex enim hæc immaculata, quæ corda humana edomare & flectere potest, & animas conuertit, legem legibus cæteris imposuit, imperium obtinuit, omnes alias sibi subiecit, & obscurissimi fidei præcones, ac famuli Iesu Christi maximos Gentilium Magistratus, & supremus Regum & Imperatorum senatores & consultores enerterunt.

Adeo vt Apostolus Paulus, ob prædicationem Athenis factam iussus Areopagitis sesistere, iis quæ sibi obiiciebantur probris responsurus, interrite consessum illum augustum adierit, & teste D. Luca, *Stans in medio Areopagi*, sic iudices strallocutus, *Viri Athenienses per omnia quasi superstiti sos vos video.* Quæ sane oratio non minus apud hosce iudices fuit audax & libera, quam vnius ipsorum conuersio admirabilis. Qua enim ratione fieri potuit, vt qui tanti apud omnes passim fiebant, & à quibus suas ipsi etiam Romani, legatione missa, leges petierant, barbari & externi cuiusdam, Iudæi scilicet, in re adeo difficili, qualis est veri Dei cultus, & supremi Numinis adoratio, auscultare voluerint? Qui inquam fieri potuit, vt quem Iudæum & crucifixum fuisse docebat Paulus, ab iis vt Deus magna omnium patriorū numinum confusione ac probro crederetur & haberetur; præsertim cum mors, & grauissima quidem decreta essent ei, qui Deos patrios aut parui duceret, aut negaret, aut nouam Areopagitis inconsultis induceret Religionem, aut alios in rempubl. colendorum deorum ritus inueheret.

Mors decreta ei, qui diis Atheniensibus aduersaretur.

Iosephus literis prodidit, Anaxagoram Clazomenium, dum Athenienses, quod solem diuinis afficerent honoribus, & vt numen quoddam adorarent, reprehendisset, docuissetq; nonnisi ignitum æstuansq; eum sanum esse, velut patriorum numinum contemptorem, & omnis diuinitatis irrisorem & blasphemum publica iudicum sententia morti esse adiudicatum.

Ioseph. lib. 2. cont. Appion.

Iidem item iudices, ei qui Diagoram Melium, dum Deos patrios rideret, mysteriaq; omnia & sacra ludibrio haberet, de medio tolleret, argenteum talentum in mercedem, veluti rei bene gestæ, vt qui tam impium & blasphemum numinis lusorem, ac diris deuotum caput auferret, spoponderunt.

Diagoras Melius ad mortē postulatus, quod Deos rideret.

Protagoras quoq; ni fuga sibi consuluisset, manus ciuium non euasisset, necem illi molientium, quod de Diis omnibus agēs, dubitaret, verene Dii essent. Edito quippe hac de re cōmentario, his ipsum verbis est auspicatus, *De Diis neq; vt sint, neq; vt non sint, habeo dicere.* Hinc dum se clanculo vrbe subduxisset, in absentem ceu contemptæ diuinitatis reum sententia decreta, eiusque scripta publico flammis addicta, vt scilicet hanc iudices impietatem plane tollerent, & ex hominum memoria dogma impium adeo penitus eraderent.

Protagoras dubitat, an Dii sint.

Socrates damnatus, q̃ Deos negaret.

Eiusdem impietatis etiam insimulatum à Melito fuisse sapientissimum mortalium Socratem, res est quam certissima. Vnde sic in illum egit accusator, *Iura violat Socrates, quos ex maiorum instituto suscipit ciuitas, Deos esse negat, alia noua dæmonia inducit.* Et tanti hoc crimen habitum fuit, & adeo male ciuium auribus accidit, vt summus ille vir, etsi reip. oraculum, & Philosophorum omnium decus, ducentorum octoginta & vnius iudicum suffragiis morti sit adiudicatus.

Hæc cum verissima sint, & Areopagi iudicia sententiæque adeo rigidæ & cruentæ, ac præsertim, cum de Diis Deorumque cultu cõtrouerteretur; qui factum dicam, Paulum, dum nouum & inauditum iis persuadere coram numen contendit, se sospitem subducere potuisse? Cur populus, resp. magistratus, de idolis suis tantopere sollicitus, in illum violentas non iecerẽt manus; cur vita non priuarunt eum, qui à patriorum simulacrorũ cultu populũ auocaret? Quomodo vero ille, qui ante omnes illum iudicare debebat, vtpote princeps illius senatus, tam patienter illum & attente audiuit, tamq; prompte quæ diceret, credidit, Iesu Christi ilico legem susciens, & idolorum cultui valedicens? Hoc scilicet summe est admirabile, hoc cœlum simul & terram in stuporem rapuit, hoc hominibus iuxta atque angelis admirationem mouit, hoc denique Gentiles omnes & Paganos percelluit. Veruntamen si rationes dari aliquę conuersionis huius queant & apud Dei filios admissibiles, & apud doctos probabiles, egregias producam.

Prima conuertendi S. Dionysii ratio fuit Dei gratia.

Prima ratio, ipsa haud dubie est gratia diuina, omnis boni principium, & primaria animarum conuertendarum causa. Fuit quippe hoc Dei opus à supremi Numinis profectum dextera, qui propter nimiam bonitatẽ suam & misericordiam nobilis huius Senatoris cor animumq; commouit, voluntatemq; ipsius ad crucem adorandam, & sancti Apostoli dogmata admittenda succendit. Gratia namq; Dei iustificat quos vult, *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*: effectus namque eius liberi sunt, & operatur, vbicunque voluerit, iuxta illud Exodi, *Miserebor*, inquit Deus, *cui* *Exod. 33.*

voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Dixit olim Pilatus Præses Christo illius causam agitans, *Nescis quia potestatem habeo dimittere te, & potestatem crucifigere te?* Sed Dei solius est supremi illius viuorum ac mortuorum iudicis hæcce dicere, & vere de se repetere ipse potest, habere se peccatores iustificandi potestatem, misericorditer cum illis agendo; aut ad mortem ipsos raptandi, gratiam iis suam negando. Sic Areopagitam nostrum iustificauit, ad se eundem vocando, & Apostoli sui prædicatione gratiam illi suam gratanter & vltro offerendo. *Matth. 27.* Deus potestatẽ habet peccatores iustificandi & condemnandi.

Secunda causa.

Secunda conuersionis huius causa fuit forte ipsius cõuersi dispositio, ipsa scilicet sapientia eximia, quam iam inde à puero sibi quotidiano vsu compararat. Quod colligo ex illis Paræmiastæ verbis de sapientia diuina, *Qui mane*, inquit ipsa, *vigilauerint ad me*, iam inde ab ipsa ætatis aurora, tandem *inuenient me*, meque propitiam sentient. Sanctus Dionysius ergo cum summa contentione in scientiarum conquisitionem incubuisset, & cum Psalmographo dicere posset, *In laboribus à iuuentute mea exaltatus sum* scientiis, *& humiliatus* per obedientiam, fidei legibus animum subiiciendo meum, & tandem etiam *conturbatus* diuinorum iudiciorum metu. Nemini videri mirum debet, si præmissa insigni hac præparatione verum tandẽ inuenerit Deum, qui sapientiæ & scientiarum omnium est origo. *Prou. 8.* *Psal. 84.*

Literis incumbere à pueris laudabile est.

Quam vero egregie ac laudabile est, adolescentem iam inde à primis annis scientię & artibus humanioribus perdiscendis incumbere, eisque iam comparatis rite laudabiliterque ad animi bonum & virtutis exercitiũ vti? Ab his enim innumera, eaque maxima nascuntur bona, & profectus ad promotiones incomparabiles. Illæ namque sapientiæ sunt pedissequæ, ac velut auxiliatrices, iuxta id quod in Prouerbiis legitur, *Sapientia ædificauit sibi domum, vocauit ancillas ad arcem.* Ancillæ porro, quas sapientia vocat, vt in arcis fabricam allaborent, vt multorum quidem auctorum sententia est. Aliæ non sunt, quam artes liberales & scientiæ humanæ. Sunt, inquam, hæ vermiculationes illæ argenteæ, quibus laus. *Prou. 9.* Scientiæ humanæ.

quibus sanctus ille sponsus aureas muræ nularum in morem adaptatas sponsæ suæ inaures venustat ac cōdecorat, de quibus in Canticis legere est, *Muranulas aureas faciemus tibi vermiculatas argēto.* Sunt filiæ illæ alienigenæ, quarum Deuteronomium meminit, quę bello captæ fidei rebusq; sanctissimis coniungi maritarique possunt, modo vestimenta iis mutentur, coma illis præradatur, & vngues præsecentur, id est, omne ab illis superfluum & barbarismum gentilismumque redolens auferatur. Sunt item diuitiæ illæ Ægyptiorum, quas è domibus ipsorum veri Israelitæ tollunt, & gentilicio territorio cum iisdem egrediuntur, vt in cultum diuinum & tabernaculi cōstructionem deinde impendantur. Sententias illas illustres, conceptus illos pręclaros, moralia illa apophthegmata, aliasque gemmas ntelligo, quas profanorū auctorum è scriniis docti cordatiq; concionatores, ad concionum ornamentum & conceptum suarum cōdecorationem, idq; ad maiorem Dei gloriam & animarum salutem mutuantur. Quam vero præclara sunt, quæ hanc in rem sacris in voluminibus continentur!

Cant. 3.

Deut. 21.

Scientię humanæ assimilatæ diuitiis Ægyptii.

Osee 1.

Osee Propheta Dei iussu connubium iniit cum meretrice ac fornicaria Gomer, filia Debelaim, id est, radice dulcedinis. Peperit autem illi mulier hæc infamis filium nomine Iezrahel, i.e. semē Dei. Mystice hic docemur præclara ingenia, quæ sub lege diuina bonis artibus insudant, & scientiis humanis incumbunt, quæ sunt velut filiæ fornicariæ, quæ inescant, fascinant, & dulcedine nos sua & iucundis historiis ad se pelliciunt) sæpenumero diuinas & sacras proles progignere, i.e. illustres inde, ad omnipotentis Dei gloriæ augmentum, infidelium confusionem, & sacrorum mysteriorum explanationem exaltationemque conceptus procudere.

Allegoria.

Isai. 37.

Isaias Propheta eiusdem etiam Dei iussu nouaculam in manus sumit, & tonsoris partes agēs barbam radit & comam omnium in peccato agentium, & quos passim per compita ac vicos obuios habebat. Hoc procul dubio factum sub obscuri cuiusdam emblematis inuolucris notabat, Deum velle & permittere, vt lingua calamoque, ceu gladio ac nouacula auctorum illorum profanorū, immunditie, lasciuis amorib. fabulis ac cōmentis, idololatricis superstitionibus, omnigenisque sceleribus plenorum, barbam cæsariemq; radamus, id est, omnem ab iis superfluitatem, & quidquid fidei veræque religioni aduersatur, abscindamus, relictis autem ac remanentibus gemmis & flosculis ad summi Dei obsequium & Ecclesiæ eiusdem exaltationem vtamur.

Allegoria.

Ezechiel quoque diuinis in reuelationibus plane admirabilis, Hierosolymitanorum repræsentaturus iniquitates & abominanda scelera, cæsariem sibi omnem radi iubet, vt quidquid in illa vitæ sensusque expers erat, prorsus tolleretur. Noua hic allegoria ac documētum, quo nemo non docetur, laude dignissimum esse vrbes profanas ingredi, & ex officinis illarum tollere quidquid continent pretiosum: clarius vt exponam, persæpe nōnisi vtile esse, si Christiani oratores, Ecclesiastæ, aliique viri sancti animarum saluti strenue incumbentes, Gentilium scriptorū agros percurrant, libros illorum euoluāt, flosculosque inde ac gemmas pretiosas sibi seligant, quo in Ecclesia easdem adhibeant, comam, ante, i.e. superfluū, & omne Christianæ legi inimicum pręsecando. Hæc omnia mihi magnus ille Ecclesiæ Doctor suppeditauit Hieronymus, quæstioni sibi à famoso quodam Oratore Romono propositę, num scil. Theologum fas esset Gentilium scientiis vti, & suis in rebus profanorum scriptorum doctrinas & dogmata adhibere, satisfaciens.

Ezech. 5.

Concionatores Christiani auctores profanos vsurpare possunt.

E quibus omnibus efficere volo, gentilium libros & scientias licet profanas, permagnam omnibus vtilitatem afferre, modo rite legitimeq; vsurpentur, cū virtute coniungantur, ad vitium vero non pelliciant. Si enim hoc modo adhibeantur, fiunt vere enses, quib. fideles Dauides Dominis suis & auctoribus caput præscindant, & Goliadas & Philisthæos profanos vita spolient. Verum si non prout oportet quis iis vtatur, si scientiæ & Philosophiæ illę naturales prauo insint animo, ac nequitiam in omnibus spectanti, virulenta venena sunt, medicamenta noxia, arma necem inferentia, & res quam maximum nata adferre

1. Reg. 17.

Sciētiæ male vsurpatæ admodum sunt noxiæ.

ferre discrimen. Agnouit hoc ipsum Aristoteles, suis in problematis scribens, *Scientia*, inquit, *in homine malo, est nequitia habitus arma*, quasi dicat, vt mihi quidem videtur & est res longe verissima, vitii omnis arma esse scientiã in anima praua ac scelesta: vbi enim quis doctus est & peruersus, hostis est armatus, grauissimumque afferre damnum potest.

Gen.19. Scientiæ in homine praue periculosę sunt.

Scientiæ autem vitiis maritatæ, sunt puellę illæ Sodomiticæ, ad ebrietatem prouocantes grauissima scelera suadentes, patrumq; suorum & auctorũ exitium ac perniciem vt plurimum causantur. Sunt itidẽ maligna illa zizania, quæ in Ecclesiæ, vel in animæ cuiuspiã singillatim agro crescentia, triticum exstinguunt, virtutẽ suffocant, honorem arefaciũt, rationis lumen offuscant, hominem in perniciem trahunt, ac non nisi scandala producunt.

2.Reg.18. Sunt quoque pendula, fulua atque auricolor Absolomi cæsaries, quæ funis instar Dominos suos rebelles ad steriles vanitatũ quercus in mundi huius deserto faciunt adhærescere, atq; inde in perpetuum rapiunt carcerẽ, & tartareis tandem addicunt supplicijs. Sunt *4.Reg.10.* etiam thesauri illi iactabundi & vani Ezechię Regis, quæ Dominis suis ac possessoribus ad *2.Reg.12.* aliud non prosunt, quã vt vita simul & regnis eos priuent. Sunt etiam patentes Vriæ litteræ sinu abditę, quæ ad mortem æternam rapiunt eos, qui in animarum suarum sinu illas gestant. Denique nonnisi merus est ventus & inanitas huiusmodi habere scientias & artes, nisi cum virtute iungantur. Quod perspectum habens Sapiens, hanc sententiam egregiam protulit, *Eccl.13.* *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei.* Dei autem scientia amor est virtutis, veræ probitatis desiderium & vitiorum fuga.

S. Dionysius virtutem simul & doctrinam habebat.

S. Dionysius ergo vir apprime doctus, & omnigena scientia iam inde à pueris excultus, tametsi infidelis & idolorum cultui addictus, moraliter tamen bene viuebat, bonum spectabat, probitatẽ consectabatur, & ad naturæ leges vitę suæ rationẽ adaptabat: atq; vt præstantissimus erat Philosophus, sic & viuendi modo suam declarabat sapientiã, quod illum ad salutem comparandam, cõuersionem, vitęque mutationem disposuit, & permagnum ad eadem momentum attulit.

Doctissimum vero fuisse, ac præsertim in astrologicis disciplinis, motuum cœlestium obseruatione, siderumque contemplatione versatissimũ, hinc facile colligas, quod anno ætatis quinto ac vicesimo, cum Heliopoli in Ægypto cum Apollophane Philosopho ageret, admirabilem illum solis defectũ notasse dicatur, qui Redemptore mortem oppetente contigit; quem quia insolitũ & præter rerũ ordinem fieri agnoscebat, è rerum superarum turbatione & cõfusione vt peritus Astrologus confestim collegit, ac colligendo subintulit, Aut Deum naturæ pati, aut mundi machinam dissolui atque in interitum vergere. Sic suis in Annalibus testatur Illustrissimus Baronius. IV. S. Dionysij Astrologię peritus. *Tom.1. anno Christi 52.*

S. Ambrosius epistola ad Ecclesiam Vercellensem, è Philosophorum Stoicorum aut Epicureorum numero eum fuisse scribit. Vero tamen similius, Stoicorum illum sectam esse amplexam, vtpote qui rigorem, seueritatem vitæ morumque ac grauitatem omnibus in rebus præferrent, vti & in Senatu ipse grauissimo iudicem æquissimum agebat. Hinc & Metaphrastes Areopagitarum Principẽ eum indigetat, non quod Rex fuerit, at quod omnium aut supremus, aut de primorum numero haberetur. Sic quoque Michaelis Syncelli verba capienda sunt dicentis, *Dionysium iuridicundo præsedisse longe omnium primas tenentem, atque eximium inter Senatus Areopagitici iudices.* *Metaphr.*

Doctrina S. Dionysio post cõuersionẽ mirifice profuit.

Vt vero scientiarum harum humanarum cognitio iter illi ad cognoscẽdam veritatem tum aperuit, tum facile reddidit; sic illi post cõuersionem, ad veri Dei cultum, Ecclesiæ bonum, infidelium confusionẽ & idolorum subuersionem, summopere eadem profuit, & maxime cõmoda fuit. Sic constat eos omnes, qui scientia & doctrina ante agnitam Fidei veritatem celebres fuere, & hoc nomine maximam apud omnes passim auctoritatẽ sunt consecuti, mox vt Christum profiteri, & fidem amplecti cœpere, mera fuisse oracula, fidei columina, Ecclesiæ ornamenta, miraque in eadem præstitisse. Tales fuere haud dubie

S. Iu-

Dñ viri animam confirmãt ecclesiast virtute.

S. Iustinus Martyr, illustris, antequam fidei manus daret, Philosophus, S. Lucas peritus ante vocationẽ medicus, S. Paulus, summus ante electionem legisperitus, Apollo ciuis Athenienſis, antequam Christianus foret, eloquentia ac scientia summus, denique magnus noster Dionysius legũ peritia & matheſi excultus, dum adhuc idolis seruiret; aliiq; plurimi, qui post conuersionem & sui Euangelio submissionẽ, admirabiles & summi in Ecclesia exstitere, adeo vt deserta in hortos floriferos spineta in roseta, sicomori & oleastri in arbores feracissimas, zizania in triticum, lupi in oues, serpentes in columbas, Philosophi in Theologos, idolorum mystæ in seruos Iesu Christi, & fabularum ethnicarum proxenetę in veros Euangelii prædicatores, insigni ac diuina metamorphosi transierint.

Admirabilis eorum illuminatio.

Atque inprimis sanctissimus Dionysius noster, qui statim à cõuersione, liquido quis antefuerit, patefecit: omnem enim scientiarum profanarum, quas tanto sibi sudore in adolescentia compararat, medullã adhibens, easq; cum cœlesti sapientia combinans, adeo mirabilis & diuinus euasit, vt inter summos maximosque & profundissimos qui vnquam vllibi exstitere Theologos iure meritoq; sit annumerandus. Vtalem eum agnoscẽtes veteres Ecclesiæ Patres ac Doctores, quam honorificentissimis eum elogiis cõdecorant, ac titulos illi dant præstantissimos. Inter alios S. Chrysostomus πετεινὸν θεοῦ, i. e. cœlestem auem eum, referente Anastasio Bibliothecario in epist. ad Carolum Caluum, nuncupauit, alii eum *Theologum*, alii *Theosophum*, alii *venerabilem*, alii *diuinissimum*, alii *sacratissimum*, alii denique *celeberrimum* vocant, à nonnullis *Philosophiæ magisterio insignis*, ab omnib. pene *Galliæ Apostolus* indigetatur: quæ nomina illustria sunt, eiusque merita repræsentant.

Dionysius noster Theologus.

Omnia porro ingenii illius magnitudinẽ, & doctrinæ sublimitatem respiciunt: quæ ex iis quæ eõposuit scriptis facile eruitur, de nominib. scilicet diuinis, de hierarchia cœlesti, de Angelorũ natura, & mysteriorum excellentia, aliaq; permulta, quæ & temporis antiquitas, & inimicorum Dei inuidia Ecclesiæ eiusdem inuidit. Exstat & epistola eiusdem consolatoria ad Ioan. Euangelistam, interim dum in Pathmon insulã esset ab Imperatore Domitiano relegatus, missa; qua eius propediem reditum & quæ inde secutura erant bona, fatidico spiritu vaticinatur. Hæc genuina epistolæ huius sunt verba: *Post paululum vero (dicam enim) etsi audax dictis videatur, tibi, carissime, societate iungemur. Cur autem prorsus dignior, cui fides habeatur, si quæ tibi prædicta sunt, quæ & à Deo didici hæc loquar, quod scilicet ex Pathmi custodia dimittendus ei liber, & in Asiaticam terram reuersurus.* Quod mox, à Domitiani anno post sequenti occisi morte contigit. Et epistolæ huius meminere Metaphrastes apud Oecomenium in Ioan. Euangelium, & Baronius in Annalibus. Atq; hæc hactenus ad magni huius Areopagitæ doctrinam vobis declarandam dicta volui, vt hinc euidenter constaret, quantum ad sanctam eius conuersionem momenti hæc attulerit: iam alias vobis causas recensebo.

Epistola consolatoria S. Dionysii ad Ioannẽ Euangelistam missa.

Metaph. in S. Ioan.

Tertiam S. Dionysii conuertendi rationẽ Apostoli Pauli prædicationi assribo. Certissimum est enim, verbi Dei prędicationi insignem vim esse, & admirabilem ad animarum conuersionem virtutem. Hinc Psalmista hoc ipsum elogio condecorat, *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Et alio loco, *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros*; id est, Senatores, Doctores, Iudices, Philosophos & Areopagitas, qualis S. Dionysius fuit.

3. Ratio cõuersionis S. Dionysii.

Psal. 18.

Psal. 28.

Prædixerat olim Ieremias, aut Deus ipse Prophetæ ore, *Numquid verba mea sicut ignis cõburens, & sicut malleus conterens petras?* ignis quidem ad gelida congelataque peccantium pectora ad deuotionem accendenda, malleus autem ad peruicaces & pertinaces obduratorum animos conterendos, ac comminuendos. Et sane sanctum hoc verbum, ore sancti Pauli annuntiatum, diuini amoris flammam in frigido S. Dionysii pectore idololatricæ superstitionis gelu rigido ascendit, & infidelitatis petram in anima eius rigescentem veluti malleus confregit.

Ierem. 23. Verbum Dei igni & malleo assimilatum.

In horum omnium figuram dictum fuit olim Moysi in deserto, *Loquere ad petrã, & dabit tibi aquas.* Spirituale hic quid subest, & insigne mysterium, & per obduratas illas petras

Num. 20.

maximi & peruicaciſſimi peccatores intelligendi ſunt, qui rupis inſtar obfirmati, in flumina mutantur, & ex oculis ſuis Oceanos quoſdam emittentes, in lacrymas ſoluuntur, mox vt vocem prædicatoris intonantem inſonantemque auribus percipiunt.

Sunt vtique tonitrua illa ac voces, peccatoribus formidinem ac tremorem intuentes, & quę pectora obfirmata cogunt contremiſcere, vt notauit Pſalmiſta, *A voce tonitrui tui formidabunt*, quaſi diceret: Ad prædicationis verbi tui, Domine, tonitru pagani, idololatræ, & illuſtres illi Philoſophi trepidabunt, intrinſecus contremiſcent, vt vero conſcientiam in tuto collocent & confirment, ad Eccleſiam ſe tuam recipient. In huius rei figuram audiſſe in Apocalypſi ſua ſe Ioannes ſcribit vocem de cœlo, velut vocem aquarum multarum ac torrentium, ac vehementium tonitruorum fragorem: *Audiui*, inquit, *vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni.*

Pſal.103. Prædicatio verbi Dei tonitruo comparata.

Apoc.14.

Veram eadem Apocalypſis eodem loco prædicatorum imaginem repræſentat. Nam mihi vidiſſe ſe Ioannes ait tres Angelos velut totidem prædicatores ad mundum Euangelio aſſerendum emiſſos. De primo ſic loquitur, *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnes gentes*, &c. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius, & adorate eum, qui fecit cœlum & terram.* De ſecundo ſcriptum eſt, *Et alius Angelus ſecutus eſt, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.* Tertium denique ſic deſcribit, *Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne & ſulphure.*

Angeli Apocalypſeos veros prædicatores repræſentantes.

Vera hæc prædicatorum egregiorum eſt imago: primus Euangelium, Dei timorem & ſupremi adorationē Numinis annuntiat; ſecundus terribilia Dei iudicia & exempla depromit eorum, qui ob peccata pœnas dederunt, & vindices Dei manus ſenſerūt; tertius denique ignem & æternas comminatur pœnas iis, qui in nequitia ac ſceleribus ſuis obdurati ac præfracti perſeuerant. Viuis hic coloribus zeloſi & fideles Euangelii præcones ac prædicatores depinguntur, qui Angelorū inſtar hoc in mundo vitā inſtituentes, & Angelicam in omnibus puritatem cōſectantes, ſuis in cathedris de ſolo Dei timore, deque eius adorandi ratione, de terribilibus eius iudiciis, de caſtigatione ac flagellis impiorum, de mortis periculis, deque tormentis infernalibus loqui debent; atque hæc vnica ſimul & expedientiſſima animarum conuertendarum, & ſancta quadam formidine implendarum eſt ratio.

V. Vera exempla bonorū prædicatorum.

Apoſtrophe ad concionatores.

Notetis hic velim, ô ſacri & euangelici oratores, zeloſique prædicatores, horum Angelorum nullū dictum eſſe fabulas, hiſtoriaſque vanas auditorib. ſuis propoſuiſſe, nouos auditorio ſuo conceptus inauditaſq; nouitates commemoraſſe: nullam in ſermone curioſitatem conſectatum, aut minimā ridendi ſuis materiam dediſſe: nihil inquam horum; ſed omnem illorum concionem circa timorem Dei, iuſtitiæ eius terrorem, de præuaricantibus vindictam, & tartari comminationem eſſe verſatā. Et ſane, verum vt fatear, vera hæc legitimaq; concionandi eſt ratio, alia porro concioni immiſcere, ab Euangelio nimium quantum eſt recedere, Chriſtiani præconis partes excedere, demum, ne multis moror, non eſt Angelorum ritu loqui.

Apoc.16.

In horum omnium figuram & ſymbolum, in eadem Apocalypſi in præſtantium concionatorum præconium dictum eſt, *Et audiui vocem magnam de templo dicentem ſeptem Angelis, Ite & effundite phialas iræ Dei in terram.* Vbi vero primus phialā Angelus effudit, ecce *Factum eſt vulnus ſauum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos qui adorauerunt beſtiam.* Næ, Angeli illi phialarū iræ diuinæ alii non ſunt, quam boni ac feruēntes concionatores, quorum eſt iram Dei, eius iudicia & pœnas, quas rebellib. & obfirmatis intentat, nunquam non pro concione intonare, inclamare, & omnium cordibus inſculpere; & harum phialarū effuſionem, i. e. huiuſmodi conciones magna ſæuaq; infligunt vulnera, grauiſſimæ inferuntur plagæ, & illu-

Prædicatorum bonorum imago.

illustres delinquentium, & bestiam, i.e. diabolum adorantium, eiusque characterē frontibus, id est, peccatum in animabus pręferentium, conuersiones fieri contingit.

Pauli Athenis concionantis materia.

Huiusmodi Ecclesiastes erat magnus ille Paulus, qui in celeberrima totius orbis Academia, ingeniorum pręstantissimorum altrice, & optimorum Philosophorum parente ac tutrice Athenis fidem Christianam annuntians, alias apud illos materias non pertractauit, quam de mortuorum ad vitam resuscitatione, de idolorū vanitate & contemptu, deque veri Dei cognitione, quem illi vt ignotum habebant: aram enim aut statuam Deo ignoto singillatim erexerant; quam cum Apostolus, fana publica obeundo, spectasset, primæ inde concionis suæ materiā est occasionemque mutuatus, sic illos affatus, quemadmodum in Actis scribitur, *Quem vos Deum ignoratis, hunc ego annuntio vobis.* Quasi dicat, De ignoto hoc Deo laboratis, viri Athenienses, hac vt vos anxietate liberem, hunc ipsum vobis annūtio, quemq; vos ignorantes & inscii superstitiose veneramini, hunc ipse vere vobis adorandum pręaliis numinibus edico. Ecquæ, Deus bone, miseria, ecquæ cœcitas, ecquæ calamitas! Deū cœli ignorabat docta illa ac celebris respubl. nesciebat eum Areopagus tot illustrium iudicum consessu nobilis, incognitus is erat Vniuersitati adeo inclytæ, quam tot illustres Philosophi exornabāt, erat etiam ignotus nobilibus & magnatibus, ciuibus item, mercatoribus, opificibus & plebeiis. Hoccine qui fieri potest? cuinam hoc persuadeas? ecquæ vero tam stupidæ & crassæ inscitiæ causa est?

Act. 17.

Deus Athenis incognitus.

Nulla profecto vnquā fuit gens adeo barbara ac siluestris, quæ non naturali edocta lumine, vnum in mundo præesse & esse Deum & agnouerit & crediderit. Testatur hoc M. Cicero libro quem de natura cōposuit Deorum, *Nulla gens*, inquit, *adeo barbara, quæ si cœlos aspiciat, deos esse non sentiat*, & diuinitatis reipsa effectus experiatur. Accedit deinde, esse velut principium ac legem fundamentalem vniuersi naturæ status persuadere sibi, præsidere aliquod in mundo numen. Non latebat ea res Philosophos veteres, qui primum aliquem motorē, causam aliquam independentem, esse quoddam supremum, Deumq; aliquem cœli & terrę auctorem creaturarumq; omnium factorē agnouerunt: verum, quoad excellentis sapientiæ opera, & immensæ bonitatis, quos tū in hac vita, tum in futura declaraturus erat, effectus, is ipsis incognitus erat. Clarius vt eloquar, eū vt naturæ auctorem nemo non illorum agnouit, atque hæc de illo fuit Athenis Platonis, Arist. Socratis, aliorumq; illustrium Philosophorū opinio, sed eum vt gratiæ auctorē nec agnouere, nec agnoscere potuerunt. Naturæ fax ac lumen ad primi cognitionem deducit, sed sine fidei virtute ad alterius nemo posset cognitionem pertingere. Natura quidē tam sublustre suggerit lumen, eius vt adminiculo Deum vniuerso imperitantem & dominantem videamus, non tamen trinum in personis; neque ea adiuuante scire possemus huic esse Deo filium, nostra indutum natura, in cruce mortuum, atque inde totius esse mundi Redemptorem constitutum.

Philosophi antiqui nō agnouere Deum vt gratiæ auctorem.

Talis inquam Deus, vnus essentia, sed personis trinus Areopagitico senatui, & reipub. Athenienſi, atq; adeo orbi vniuerso ethnico incognitus erat; talem vero eum prædicauit Apostolus, & prædicatione sua Christo lucratus est S. Dionysium de primariorum totius orbis Philosophorum numero vnum; hinc verbum Dei primaria ac princeps animæ illustris conuertendæ fuit causa: tametsi non ignorem ab Hilduino apud Surium in vitis Sanctorum, aliquas alias adferri, prodigiosam scilicet cæco visus restitutionem Athenis ab Apostolo factam, quo vniuersos ciues atq; Areopagitam inprimis nostrum, veluti diuino ac supernaturali quodā operę in admirationē rapuit, deinde & Apollo viri ea in republica spectatissimi & nobilissimi conuersionē. Apostolus ergo, qui eum Christo asseruerat, rei huius in Areopago rationem reddere coram iudicibus iussus, S. Dionysium inprimis tetigit, eique primam Dei illius, tota Attica incogniti cognitionem instillauit.

Pauli prædicatio causa Dionysii cōuertendi.

Aliæ etiam causæ.

VI.

Omnes hæ rationes probabiles admodum & solidis nixæ fundamentis mihi videntur; sed ea adhuc quæstio restat dissoluenda, quā iam obiter ante tetigi, quæque permagni est susceperit.

Cur S. Dionysius tam cito fidem susceperit.

momenti, cur nimirum magnus ille vir, tãto ingenio, sapientia, iudicio pollens, reipubl. consilium, patriæ oraculũ, senatus totius ornamentum, tam cito gentilitatis arma abiecerit, & Euangelicæ professioni ilico auscultarit, cum, ipsa Scriptura teste, leuitatem & inconstantiam redoleat cito credere. Vnde Sapiens, *Qui cito credit, leuis est corde.* Deinde prouerbium in sacris literis, id est, quidquid præcipitanter & cito fit, illius haud longe post pœnitentiam sequi: nam præcipitata & immatura molimina diuturnam post se trahunt pœnitentiam. Atque inde etiam ipse Dei filius, de hoc agens, & in rebus fidei ac religionis longi vsus experientiam ac maturum exigens examen, Apostolis, atque adeo vniuersis hominibus consulebat, vt, si quando Deus ad ianuam consistere, & in deserto esse diceretur, atque hoc ipsum vel ab Angelo nuntiaretur, nuntio minime crederent: perinde ac si diceret, Antequam quid quis credat, ac velut fidei articulum admittat, maturo id ante iudicio librandum, sæpe ad examinis trutinam reuocandum ac diutius excutiendum.

Cito credere signum leuitatis.

Matth.23.

Assero nihilominus, vt hanc difficultatem exhauriam, & sapientis huius Areopagitæ honorem propugnem, & ab omni eum contumelia aduersariorum tuear, diuinitus eum ad fidem tam celeriter amplectendam, Christoq; credendum, permotum fuisse; & dextræ id altissimi opus exstitisse, idque ob egregias consideraciones, quarum hæc prima. Voluit id ita fieri Deus, vt, quæ inter Iesu Christi fidem atque humanas Philosophorum scientias est sympathia & concordia, hoc pacto patefieret, & omnes passim cognoscerent, doctrinæ Platonicæ, & placitis Socraticis ac dogmatis Aristotelis Euangelium minime aduersari. Vt enim Euangelii promulgatio inaudiri primum cœpta est, mirari Philosophi cœpere, quæ de Iesu Christo tradebantur, viso, quidquid de illo prædixerant Vates, quidquid de eodem scriptum lex continebat, cum scientiarum & sententiarum suarum fundamentis optime coincidere. Adeo vt purissimæ apertissimæque veritati aperientes oculos, cum Propheta regio dicere & clamare coacti sint, *Testimonia*

Diuinit' factũ, vt Euãgelio S. Dionysi' cito crediderit.

Concordia Euangelii & Philosophiæ.

Psal.98.

tua, & fidei tuæ capita credibilia facta sunt nimis.

Secunda: vt sapientes sæculi huius confunderet & rideret, verissimumq; illud propheticum esse ad oculum comprobaret: *Perdam*, inquit Deus, veterum illorum atque insolentium Philosophorum dogmata ventilaturus, *sapientiam sapientium & prudentiam prudentium humiliabo.* An non enim magna magnorum illorum ac sapientum politicorum, illustrium illorum ingeniorum, infidelitati à pueris assuetorum ac mundi huius bonis, voluptatibus & honoribus mordicus adhærẽtium fuit humiliatio, deserere omnia, contemnere vniuersa, quin imo seipsos, ad primum Euangelicæ tubæ auditum, abnegare? An non, inquam, insignis & summa depressio fuit insignium illorum virorũ, ac doctorum Philosophorum, in omnibus rebus adeo sapientium, vt velut diuina quædam oracula vulgo susciperentur, cum se ab obscuris quibusdam piscatoribus, qui litteras ne à limine quidem salutarant, nullasque scholas frequentarant, confundi superatiq; viderunt? An non deniq; intolerabilis quædam fuit infamia, summaque confusio, sophos illos, qui scientiarum penes se habebant claues, Vniuersitates moderabantur, in Musarum arcana penetrarant, nihilq; omnino scibile ignorare videbantur, suam palam inscitiam fateri, errorem agnoscere, & tum publica in concertatione, tum priuato in colloquio, nudæ ac simplici Apostolorum duodecim persuasioni ac prædicationi credere, & victas manus dare iis, qui nulla acquisita scientia instructi, illos qui omnem in litteris ætatem posuerant, & disputando superarũt, & validis, prægnantibusque rationibus illos ad veritatem amplectendam compellendo, sacram ipsos adorare crucẽ, Iesu Christi fidem susciperẽ, idolis valedicere coegerunt? testis futura magni Areopagitæ nostri conuersio.

1.Cor.1.

Philosophi veteres à lege Christi humiliati.

Conuersio inquam plane admirabilis, & eo potissimum nomine magna, quod ad eius exemplum ilico alii Iesu Christi iugum susceperint; nam sic historiæ contextus habet, *Quidam autem viri adhærentes ei (Paulo) crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine*

Act.17.

Damaris, S. Dionysii vxor, vna cum marito fidem suscepit.

nomine Damaris, & alii cum eis. Vnde manifestum fit, sancto Dionysio fidei accedente, alios plurimos cum ipso eandem suscepisse, ac nominatim vxorem eius Damarim: eius enim illam fuisse coniugem communis sanctorum Ecclesiæ Doctorum est sententia. Inprimis hoc asserit sanctus Ambrosius epistola ad Vercellenses, cui & adstipulatur sanctus Augustinus; confirmat id autem sanctus Chrysostomus libris de sacerdotio. Aliorum vero testimoniis omissis, audite, quęso, oris illius aurei sententiam, *Rursus Areopagita ille, superstitiosissimæ illius ciuitatis ciuis, nonne vna cum vxore, audita tantum Pauli concione, illum secutus est?* Certissimo igitur sibi persuadet, Damarim sancti Dionysii coniugem exstitisse. Et sane non est, quod de eo quis ambigat.

Admiranda solum venit magni huius viri sapientia, qui via salutis iam inuenta, alios ad eandem deducere summo studio contendit, atque inprimis vxorem & domesticos. Næ autem beatum illud est matrimonium, vbi coniux diuina bonitate ad fidem & Ecclesiam conuersus omni ope allaborat, vt eodem & vxor se recipiat. Vniformitas enim religionis non minus quam voluntatũ conspiratio ac consensus, amicitias & amorem inter coniuges mutuum fouet, familiis benedicit, & omnem adferre matrimonio felicitatem solet. Contra vero, si quando in fidei articulis dissentiant & discrepent; coniux hanc, vxor illam sequantur fidem, vnus Catholicam, altera Lutheranam sectetur; hic pro mortuis suffragia fundat & Purgatorium ignem asserat, illa eundem rideat & explodat, maritus denique Missæ sacrificium frequentet, & in eodem præsentem Redemptorem adoret, coniux vero meram id idololatriam sibi persuadeat, familiarum pernicies est, domorum schismata, matrimonii dissidia, amoris exstinctio ac congelatio, bella quotidiana, continuæ turbæ, horrendæ diuisiones, & dolores denique intolerabiles. Nunquam porro vir prudens ac Deum timens has in syrtas se induet, nunquam hæc sponte adibit naufragia, id est, nunquam par sibi, quocum in religione ac rebus fidei sibi non conueniat, matrimonio iunget; aut si forte nescius tale nactus sit, omni qua poterit ratione in comparis sui conuersionem ac reductionẽ ad Ecclesiam incumbet. Inde namque omnis suauissimorum coniugiorum vel benedictio vel calamitas ac ruina dependet.

Vniformitas religionis inter cõiuges matrimonii est conditio.

Quod sit ... matrimonii religionum dispantia.

Hinc etiam filii Iacob, vti è Genesi fit manifestum, vtpote cordati & prouidi Principi Sichimorum sororem suam Dinam, quam ille nimiopere deperibat, sibiq; in coniugem legatione missa deposcebat, nuptui dare ante noluere, quam circumcisionem, vnicum fidei veræ tunc signum, ille admitteret, idolisque valediceret, ad quæ si ille paratissimum se diceret, tum demum sororem illi se tradituros sunt polliciti. *Gen. 32.*

Sic & Samsonem parentes & consanguinei reprehendunt, quod filiam alienigenam & Philistæam, cuius conciues idola sectarẽtur, in coniugem sibi, excæcatus amore deposceret: Sciebant hi nimirum, infelix & ærumnosum hocce connubium fore, si quando coniuges corpore & voluntate coniunctissimi, religione & fide à se inuicem sunt disiunctissimi. Hinc itaque sanctus Dionysius, mox vt idolorum cultum repudiare constituit, simul & vxorem eodem inuitat; quamobrem in eundem ambo scopum collineantes eandem suscipiunt fidem, eiusdem se Dei obsequio mancipant, seque totos eidem ambo consecrant. *Iudic. 13.*

Conuersio hæc illustris, quæ & aliorum cõuertendorum fuit occasio, memoriam refricat illius, qua Archisynagogus ille, cuius in Euangelio fit mentio, miraculis Iesu Christi visis, vna cum vxore, liberis, famulis, omnique turba domestica, illius in obsequium ac sequelam transiit; quod notauit & Euangelista dicens, *Et credidit ipse, & domus eius tota*, herumque credentem omnis familia secuta est. *Ioan. 4.*

Similis quoque exstitit conuersio Regis Niniuitæ. E Ionæ namque Prophetia discimus, principem hunc, prædicationis Propheticæ comminationibus perterrefactum, errorem agnoscendo, & pœnitentiæ se addicendo, cineribus caput conspersisse, cilicina tunica & sacco membra cinxisse, flagellis in tergora sæuisse, (quod sane illustre pœniten- *Ion. 1.*

tiæ testimonium fuit, & illo præeuntes, omnem mox rempubl. ciues omnes, nobiles, mechanicos, summos iuxta atque infimos, mulieres simul & pueros, quin imo & animalia, illius esse exemplum secutos. Magnatum ergo & optimatum conuersio minimorum conuersionem secum trahit, regumque exemplum subditis ad meliora reuocandis maximopere conducit. Vti enim primum mobile omnes alios orbes cœlestes, & sphæras inferiores moueri facit, suumque iis motum imprimit; ita & Regum & summatum vita, conuersio & ad virtutum exercitia motio, aut ad religionem aliquam inclinatio, omnes etiam subditos longe lateque per prouincias sparsos eodem inuitat ac quodamodo trahit. Sed equo diutius huic membro inhæsimus, & in conuersione S. Dionysii exponenda nimium quantum nos extendimus: iam de martyrio eiusdem, quod in secundam concionis partem reiecera mus, aliquid vestra cum venia dicemus.

(Conuersio Magnatum causat & inferiorum.

Simile.

Erasmus erat, dum negat S. Dionysium philosophum fuisse.

Antequam vero hoc ipsum auspicemur, & sanctissimi martyris mortem exponamus, addam paucis duo, quæ in prioribus quidem dici oportuit, sed memoria exciderat, primo Erasmi nugonis errorem notabo, qui in honorem Dionysii nostri iniurius ac blasphemus, illum & Philosophum, & Areopagiticum iudicem negat fuisse: sibi namque persuasit, quin & aliis persuadere voluit, omnes illos, qui in ea Athenien sis vrbis regione, in qua Areopagus, commorabantur, à nomine loci & habitationis, Areopagitas fuisse nuncupatos. Alterum ad Dionysii nostri fortunam deprædicandam conducit: cui id felicitatis obtigit, quod vita vna cum sancto Petro, Iacobo, Ioanne & aliis Apostolis Deiparæ morienti & præsens adfuerit, & funeris illius pompam comitando fit prosecutus. Rem hanc ipse scripto mandauit libro de diuinis nominibus, cuius ipsissima verba non sine labore conquisita vobis hic ponam, *Apud ipsos*, inquit, *diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos*, (*Et nostis*) *& plerique alii ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ Deumque receperat, conuenissemus: aderat autem frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen.*

S. Dionysius Deiparæ matri morienti adfuit.

Lib. 1. cap. 3.

Baron. Annal. tom. 1. pag. 475.

His velut præambulis præmissis, assero, illum post amplissimos illos honores, & post quam quinque & viginti annorum spatio & amplius clero Athenien si Episcopi cum dignitate præfuillet, semper in loco suo residēs ac diœcesi; in quo Episcopis omnibus præluxit, ac docuit, si debite ac legitime partes exequi suas velint, non esse sibi multum peralienas vrbes diuagandum, nec magnatū domos aut principum aulas frequentandas, sed in diœcesi apud oues concreditas manendū; post hæc inquam omnia à S. Clemente Pontifice in Galliam nostrā destinatū crucis cultū huc intulisse, Iesu Christi mortē annuntiasse, sacræ prima fundamēta religionis iecisse, sanctum Euangelium promulgauisse, fidē edocuisse, peccatorum indulgentiam diuulgasse, & mūdum pretioso Christi sanguine redemptum fuisse, nuntium exstitisse.

S. Dionysius Athenis Episcop. præfuit 15. annis.

Episcopi apud oues suas manēāt

Tum vero indefessus ille viticola, ad regni huius vineam incultā illam quidem ea tempestate, sed quæ postmodum tam vberes & illustres botros protulit, colendā se accinxit; tum quoque egregius ille agricola terrā hanc sterilem subigere & excaudicare cœpit, & in desertam hanc solitudinē generosum Euangelii semen spargere; tum strenuus ille Iesu Christi bellator bellum adortus est, & aduersus veritatis aduersarios arma vibrare, & noua in Gallia Ecclesiæ fundamēta iacere; tunc deniq; dæmones effugare, superstitiones eradicare, gentilismū subiugare, infidelitatē adobruere, & idola solo prosternere occepit.

Quid in Gallia S. Dionysius effecerit.

Verum in arduo hoc & perdifficili opere perficiendo quotnā, Deus bone, labores mala, ærumnas & incommoda superauit! modo namque in compedes coniectus est, & coram iudice causam dicere iussus, vt maleficus apud præsides accusatus, vt scelestus aliquis pessime habitus, omnium expositus ludibrio, vestibus nudatus & flagris adiudicatus: quāobrem non immerito cum Psalmographo de mundi iniuriis & feritate expostulante conqueri potuit: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, virgis ac taureis non aliter in tergum meum sæuierunt, quam in incudem malleis

S. Dionysii in Gallia labores.

Psal. 128.

malleis faber ferrarius. Modo etiam in ferream extensus fuit craticulam subiecto igne æstuantem, in quo S. Laurentium supplicio æquauit, & non dissimiles etiam cruciatus pertulit: insigni tamen cum patientia Domino cecinit, *Ignitum eloquium tuum vehemēter, & seruus tuus dilexit illud.* Psal.118.

Fatidico hoc præuidens spiritu Psalmista, in generali & communi totius vniuersi ad Deum dilaudandum harmonia, & vnanimi creaturarum omnium ad creatoris elogium hymno, aquas super cœlos constitutas ad cōcinendum etiam inuitat, dicens, *Et aqua, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Aquas illas supercœlestes si quis mystice intelligat, tribulationum in iustos ac cœlestes viros effundi solitarum esse imaginem cōperiet, quæ ideirco Omnipotentis laudes concinunt, eo quod ob singularem constantiam per Martyres mediis in cruciatibus constitutos Deus deprędicetur: vti flammis superpositum sanctum Dionysium feciſſe constat. Psal.148.

VII. Dionysij ab his exercus.

Verum barbarum hoc supplicium cum sanctus Athleta Dei gratia sospes euasisset, ecce aliud ei prępparatur. Barbari quippe idolatræ illius interitum atq; exitium spectantes, bestiis immanibus, quas tum quidē Gallia alebat, in prædā ipsum dantes, satis ostenderūt antiquis illis Babyloniis crudelitate, & barbarie haud impares se esse: hi namq; furore & inuidia acti, & aduersus Danielē Prophetam consp irantes, in leonum indomitorū lacum ipsum deiiciunt; verum causam illius defendendam suscipiens Deus, prodigiose illum ab belluarum nonnisi omnem feritatem & sanguinis effusionem spirantium immanitate vindicauit, vt adeo nullum detrimentū ab iis Propheta sit passus, vt etiam ab illis benigne sit habitus. Dan.13.

Simile in Dionysio nostro prodigium operatus est omnipotēs: nam eidem belluarū feritati obiectus, vt ab iisdem dilaniaretur, Deo illum sospitante ac protegente, ecce vt crucis efformauit signaculū, omnes ilico ferę, naturali ferocia posita, mansuescunt, & adeo nō illi nocuerunt, aut frustatim dilaniarunt (vti sibi falso persuaserāt barbari) vt oviculārum ritu ad eius pedes se deiecerint, caudaq; blande illi sint abblāditi. In quo illustre sane miraculum patuit: idq; à duabus profectum causis. Prima erat diuina virtus & Altissimi omnipotentia, quæ hac in re operabatur, & creaturis suis vt suprema maiestas imperabat: altera viri sanctitas, quę eum ad primum innocentiæ statum aliquatenus reducebat, quo hoc homo erat priuilegio donatus, vt bestiis & animalibus omnibus plena cum potestate dominaretur. Hæc S. Dionysii in Gallia exercitatem fuisse constat.

Cum hæc paganis nondum tormenta sufficerent, alia de nouo excogitant, & cœlitus virum sanctissimum propugnari, omnibusq; superiorem suppliciis manere indignati, in fornacem igne oppletam ipsum coniiciunt: sed nouo miraculo rursus incolumis & integer emersit, & adolescentum Hebręorum ad fornacē Babyloniam adiudicatorum in morē mediis ex ignibus, Salamādrę adinstar sospes nullaq; in parte vstulatus vel ambustus enatauit. Adeo vt Deo ob singulare hoc beneficium gratias agens dicere potuerit; *Igne me examinasti*, vt ad lapidem aurum, *& non est inuenta in me iniquitas*, innocens & peccati expers iudicatus sum. S. Dionysius in ardentē fornacem coniectus. Dan.3. Psal.6.

Deniq; cum impiorum cōtinuo crescere immanitas, & iam pestilenti infidelium consilio decretum esset, virum sanctum de medio tollere, & in exitium eius omnimodis passim cōspiraretur, capitis sententia tandem in eum est lata. Nec vero mors hæc nouis etiam miraculis caruit: fide dignorum namque scriptorum testimonio cōstat illum iam capite imminutum, recisum caput sustulisse, & ad aliquot passuum millia, omnium cum stupore manibus gestasse. Quis simile vnquā miraculum audiuit? quis vlquam legit, aliquem iam capite truncatum, illud tulisse? sententiæ huius testes habeo omni exceptione maiores, Hilduinum inprimis ex Lesbio, Metaphrasten deinde in vita S. Dionysii, & Nicephorum historicum. S. Dionysius capite truncatus. Caput suū truncatum gestat. *Lib.2. histor. c.2. 1.part.histor. tit.6.cap.6l.t. §.2.*

Velut nouum in hac morte patratum miraculum adferam, quod in S. Antonino & Pamelio legere memini, quibus & alii nonnulli scriptores assentiunt; scil. eo ipso die, quo gloriosus Dionysius mortem oppetiit, S. Regulum Arelatensem Episcopum, dum sacra Missæ celebrat solennia, & S. Dionysium eiusque vt sanctum, *Tom.1. deliturgia, pag. 129.* S. Regulus. S. Dionysiū

eo ipso dic quo necat, inter sanctos refert.

socios inter sanctos, quorum sacer Canon præfert nomina, referret, vidisse nomina illorum illustribus characteribus columbis, quæ interim dum sacrum durat officium, per aram circumsecus volitabant inscripta.

Discipuli Apostolorũ fuere longæui.

Mortem porro occubuit annum agens nonagesimũ: nec vero mirum hęc cuiquam ætas videri debet: diuina quippe prouidẽtia cõtigit, multos Apostolorũ discipulos longæuos fuisse, quo posteris velut viua institutionum Apostolicarum monumenta ac documenti loco forent. Exemplo sit B. Martyr Ignatius, qui viuum in terra Redemptorẽ viderat; ac tot deinde annis superuixit, vt ad vsque Imp. Traiani tẽpora ptigerit. Quadratus quoq;, qui Publio, S. Dionysii in Episcopatu Athenien si sub eiusdẽ Imp. imperio, successori successit, multos vidisse se ait illorũ, quos variis à languoribus suis olim in Iudæa Redemptor ipse manibus curarat, quin & alios permultos, quos idẽ mundi Seruator à morte ad vitam alias reuocarat. Cuius rei testem habeo S. Hieronymum libro de scriptoribus Ecclesiasticos, in Quadrato.

Quid de Herma dicam, vetere illo S. Pauli discipulo, qui esse traditur auctor ac parẽs libri, qui *Pastor* inscribitur, cuius eodem loco meminit D. Hieron. quiq; sub Pii Pontificis Rom. tempora editus proditur, is vitam eatenus perduxit, vt ad vsque Antonini Pii Imperatoris, qui Adriano in Imperii gubernatione successit, ætatem peruenerit. Nec vero silentio inuoluendus est Simeon, antiquus ille Hierosolymorum Antistes, qui ad centesimum ac vicesimũ ætatis annum vitam traxit, vti in Annales suos sacros retulit Cardinalis Baron. Nec tacite mihi prætereundus S. Polycarpus S. Ioannis discipulus, Smyrnẽsis Episcopus, quem adeo grandæuum scribunt fuisse, vt quemadmodum ex historia Ecclesiastica eruitur, sub Imp. Marco Antonino Pio martyrio vitam consummasse prodatur. Tam longęuos vero viros illos sanctos Deus esse voluit, vt fidi futuris longisque ab initio distantibus sæculis, testes forent eorum, quæ tum è viuente Christo, tum ex illius Apostolorum ore olim inaudissent & coram vidissent. Atq; hanc forte ob causam Dionysium etiam nostrũ nonagenarium esse voluit, vtpote qui gloriosam Virginem Deiparam, S. Petrum, S. Paulum, Iacobum, aliosque Messiæ discipulos viderat, vt nimirum quæ viderat mysteria & didicerat, posteritati referret, & quæcunque olim inaudisset, Ecclesiæ reuelaret.

Simeon Episcopus Hierosolymitanus 120. annis vixit.

S. Polycarpi ætas.

Nemo porro egregiam hanc ętatem & sunectam venerabilem in dubium aut controuersiam vocat; sed disceptari video, in quod martyriũ eius tempus inciderit, qua in re variæ eæq; discrepantes sunt auctorum sententiæ. Sunt qui sub Domitiano mortuũ tradũt, alii vel sub Traiano, vel sub Adriano, qui decimo ac cẽtesimo partæ salutis anno Imperii habenas capessiuit, occubuisse volũt. Qui in Domitiani persecutione sublatum scribunt, certissimum est sibi ipsis aduersari; atque huius sententiæ sunt apud Græcos quidem Metaphrastes in vitæ sancti Dionysii historia; apud Latinos vero Hilduinus in Areopagitico, Hincmarus Episcopus Rhemensis apud Surium tomo quinto. Hæ porro sunt rationes, ob quas tam apertæ veritati refragari, quam in historica serie errare comperiuntur.

Quo S. Dionysius tẽpore mortẽ passus sit.

Prima sit, Si epistola D. Dionysii ad Ioannem Euangelistam exulem in Pathmon insulam relegatum legitima ac genuina est, vti ipsi & fatentur & indubitate credunt, certissimum est ipsos errare. Cum enim in ea Dionysius asserat, esse sibi cœlitus reuelatum, Ioannem propediem ab exilio reuocandum, ac tum mutuo alterum alterius conspectu perfruituros; plane mentiretur, aut saltem falso prophetasse & falsa prædixisse comperiretur, si sub Domitiano exspirasset. Certo namque certius est, Ioannem nonnisi Domitiano sublato, idque sub initia Neruæ Imperatoris, in libertatem assertum fuisse, atque hæc ratio prægnantissima est.

Rationes, quibus efficitur S. Dionysiũ sub Domitiano mortuum non esse.

Secunda, Sanctus noster Dionysius epistolæ cuiusdam meminit à S. Ignatio ad Romanos scriptæ, quam eodem quo martyrium ipse subiit anno, missam exploratissimum est; nemini porro dubiũ est, quin sub Traiano is passus sit, qui fieri ergo potest, sub Domitiani Imperio S. Dionysium martyrio exstinctum, cum ei superuixerit, & Neruę etiam tempora superarit, & scriptorũ meminerit illius, qui

Lib. de diuin. nominibus.

Traiani

Traiani ætate & persecutione sublatus est? Quæ cum ita sint, fateamur necesse est, aut Historias errare, aut S. Dionysium vltra Domitiani, Neruæ ac Traiani tempora viuentē, multos etiam Adriani, qui illis sucessor fuit, annos attigisse.

Tertia, Qui fieri queat, regnante Domitiano B. Dionysium mortem occubuisse, si quæ Hincmarus scriptis mandauit, vera sunt, scilicet haud multo post Clementis Romani Pontificis martyrium, suum & Dionysium pertulisse, cum, teste in annalibus Baronio, sanctus hic Pontifex tertio Traiani Imp. anno vitam martyrio finierit. Cæterum inter Traianum ac Domitianum non dies aliquot sed annos non paucos intercurrisse historiam Augustam legenti euidens fiet. Hinc ergo vobiscum ipsi dispicite, auditores, num hæc opinio fidem apud cordatos inuentura sit.

Tom. 1.

S. Dionysi⁹ sub Adriani tempora martyrio dictus.

Verosimilius ergo ac vicinius est multo, vti è probatis ac fidis historiarum monumentis eruitur, gloriosum hunc & inclytum Martyrem vitam ac dies suos Adriano imperante finisse. Sic prisca docent martyrologia Bedæ & Adonis, & permulta vetera monumenta & inscriptiones idipsum testantur; quin ipse Baronius, qui omnem post antiquitatem excussit, & quæstionem hanc quam doctissime tractauit, opinioni huic accedit.

S. Dionysi⁹ Episcoporū Parisiēsium ...

Quamobrem plura hac de re non afferam, sed canens receptui hic finiam, vos duntaxat exhortaturus, nunquā vt magni huius Areopagitæ cōuersionis mirabilia, vitæ merita, & martyrii illius decus & gloriam animo menteq; exuatis: sed perpetuo Parisienses, primi Episcopi vestri, Antistitum vestrorum coryphæi, Pastorum vestrorum floris, & Pontificum vestrorum ornamēti ac miraculi recordemini. Simul & recordādo sancti huius viri memoriam cum honore recolite, qui Ecclesiam vestram tam prudenter gubernauit, tam docte Euangelizando edocuit, tam sublimiter mysteria sacra promulgauit, & tanta charitate ac zelo maiorum vestrorum salutem procurauit.

S. Dionysius Galliæ Apostolus.

Memineritis obsecro, generosi Galli, & magnum hunc Apostolum vestrū celebrate, & æternis afficite præconiis, qui patria & consanguineis relictis, Græcia egressus, & Episcoparui suo Atheniensi cedens, & omnibus abdicatis, ad vos concessit, vos reliquis anteposuit, & vestros fines ingressus, primus lætum Euangelii nuntiū ad vos attulit. Recordemini, rursus dico recordemini, & animo linguaq; perpetuo celebrate Doctorem hunc admirabilē, qui vestris in cathedris fidei mysteria toties proposuit, in templis vestris tam sancte Sacramenta ac diuina administrauit, in animarum salutem tanto zelo & contentione incubuit, infidelium hoc in regno superstitiones tam generose & pugilice oppugnauit, idola vestris in oppidis tanta animi constantia pessumdedit, denique in regni meditullio tam interrite intrepideq; pro religione Christiana martyrium subiit. Reminiscamini denique omnes in genere fideles, illustris huius Areopagitæ, docti huius Philosophi, sublimis huius Theologi, magni illius idolomastigis, incomparabilis mysteriorum interpretis, infractæ fidei columnæ, animosi religionis promotoris, irreconciliabilis infidelium inimici, regiæ veritatis tubæ, diuini rerum cœlestium præconis & amanuensis, luminis denique huius in Ecclesia vniuersa, tum doctrina, tum virtute nimium quantum coruscantis.

Tituli S. Dionysii.

Nolite, nolite vnquam obliuisci illorum, quæ docuit, fecit & tulit pro vobis. Quin & itinerum illius molestiæ, studiorum labores, vigiliarum inquietudines, prędicationum sudores, vitæ austeritas, precum diuturnitas, honoris diuini zelus, fidei amplificandæ desiderium, & æstuantissimus animarum, quo ardebat, zelus, cordis vestri tabulis, & æreis memoriæ vestræ laminis æternum, omnium in oculis, insculpta maneant.

Et quis obsecro tui martyr gloriosissime obliuiscatur? quis adeo futurus ingratus, qui te à se eliminet, itaq; negligat? Nimis enim multis magnisque vrbem hanc Parisiensem nominibus tibi deuinxisti, nimia tua in illam sunt merita, nimis multa in Gallia nostra perpessus es, nimis orbi vniuerso illuxisti, nimis denique graues pro Christiana religione labores subiisti, omnem vt tui tam cito memoriam fideles exuant. Vita namque tua, mors, illustre martyrium, gesta, scripta, virtutes, merita, laudes denique tuæ, quamdiu

mundi hæc machina ſtabit, ſtabunt, & in perpetua hominum viuent memoria, obliuionis omnis expertia. Nunquam non Eccleſia te Catholica, velut martyrum ſuorum illuſtrium vnum exaltabit, Lutetia ceu Epiſcoporũ ſuorum ſanctiſſimum extollet, Gallia deniq; vniuerſa nomen tuum ſemper deprædicabit, vt Religionis ſuæ fundatoris, fidei ſuæ doctoris, verbo vt dicam, vt Apoſtoli ſui celeberrimi. Eia ergo, glorioſe Martyr, fide fidei noſtræ teſtis, magnæ veritatis Doctor, quantum te ipſi laudamus & obſecramus in hac vita mortali, pro nobis tantum ipſe viciſſim in cœleſti regione apud communem Dominum intercede. Tuo queſo fauore, auxilio ac gratia fiat, vt quam ipſe prædicaſti, & ſanguinis effuſi ſigillo obſignaſti fidem, hoc in regno integra ac ſincera conſeruetur, Euangelii puritas inibi ſemper impermixta erroribus permaneat, antiquæ ac priſtinæ pietatis ignis nunquã exſtinguatur, ſed ſemper magis ac magis inardeſcat, eadem religionis hic ſit, quæ regni ac ſtatus politici perpetuitas, ipſe Redemptor Ieſus aſſidue hic adoretur, Eccleſia eius floreat, fides ac deuotio nunquam intermorſatur, virtutes ſuum hic figant domicilium ac ſedem, hæreſes omnes & erronea dogmata proſcribantur, & regni pax, & illius cum religione coniunctio & eum vtraq; cœleſtis benedictio perpetuo perſeueret. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Partitio.

1. *De miſſis animarum curionibus in ætate gratiæ.*
2. *De modo Apoſtolicæ miſſionis.*
3. *Cur ſine pera & calceis?*
4. *De S. Luca variis ſcientiis.*
5. *De eiuſdem boue ſymbolico.*

Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos. Luc. 10.

FIGVRA.

EZECHIEL & Apocalypſis quatuor nobis animalia deſcribunt, myſtica, prodigioſa & mirabilibus plena, quorum vnum vitulo erat ſimillimũ. Patrum omnium expoſitionẽ ſequẽdo, quatuor hiſce animalibus quatuor Euangeliſtas, & vitulo Lucã denotari aſſero, cuius hodie celebritatem colimus, cuiuſque vitam, geſta, merita, virtutes ac mirabilia deſcribere vobis conabor, felicemporro vt exitum propoſitũ meum conſequatur, tum quo vobis ſatisfiat, tum quo ſuus glorioſo huic Euangeliſtæ honos habeatur, ad Spiritum S. nos conuertamus, ſuo nobis vt adſit auxilio, glorioſæque Virginis interceſſionem ſolitam inuocemus, atq; ideo communi voto in genua prouoluti, recitemus:

Ezech. 1. Apoc. 4.

AVE MARIA.

Quicunque vniuerſam ſacræ ſcripturæ ſeriem & ordinem vtroq; in Teſtamento cõprehẽſam curioſius indagarunt, animaduerterunt, ex omnibus illius hiſtoriis & enarrationibus tres mundi ſtatus præcipuos & ætates notari poſſe. Primum ab Adamo ad vſq; Moyſen, quem Paulus ad Romanos ſignauit, *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen.* Secundum à Moyſe ad Chriſtum, tertium à Ieſu Chriſto ad vſque finem ſæculi: atq; triplici hoc in ſtatu ſemper Eccleſiæ ſuæ Deus viros tum authoritate, tum ſanctitate præſtantes

I. Triplex mundi ſtatus in ſcriptura notatus. *Tom. 5.*

stantes destinauit, qui eandem regerent, & animarum salutem procurarent.

In primo Patriarchas destinauit Noeum, Abrahamum, Isaac, Iacob, Ioseph, alios q; in secundo Prophetas, Moysen, Eliam, Eliseum, Isaiam, Ieremiam, & alios infinitos, de quibus Dominus in Euangelio locutus est, *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, &c.* In tertio Apostolos, Euangelistas, septuaginta discipulos & alios sanctos & eximios viros: de quibus omnibus ad Ephesios loquens Paulus ait, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum.*

Mystice hoc figuratum fuit & adumbratũ in operariis illis vineæ, de quib. in Euangelio sermo, *simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Magnus ille paterfamilias Deus est: vinea, Ecclesia: operarii vero pastores & sancti, quos ad illius regimen ac directionem destinauit. Ait Parabola Patremfamil. quater exiisse, summo mane, hora tertia, sexta, nona & vndecima, vt hinc constaret, Deum similiter quoque egressum esse ad operarios in Ecclesię suæ laborẽ emittendos. Primo summo mane egressus est, iam inde à mundi exordio, quo tẽpore Patriarchas conduxit, qui ad vsque tempora Moysis in vinea sua sudarunt. Deinde hora tertia, quãdo Prophetas adduxit, qui vineam illam runcarunt & excaudicarunt, ad vsque Christi ætatem. Tertia vice circa sextam & nonam egressus, Apostolos & Euãgelistas & septuaginta discipulos in vnum coegit, & in vineã Ecclesiæ destinauit, qui strenue post Christi in cœlos assensum in eadem operati sunt. Vltima vice i. e. circa vndecimam & vesperam egressus, post tempora Apostolorum & discipulorum Doctores, Prędicatores, alios q; sanctos viros emisit, qui tum manu & voce, tum etiã opere ipso & exemplo non segniter & integre laborarunt, & ad mundi vsque consummationem in Ecclesiæ salutem, defensionẽ ac propagationẽ incumbent. Quamuis porro parabola quadruplicis egressus patris huius familias mentionem faciat, nonnisi tres tamen cęteris insigniores notantur, matutinus scilicet, ad tertiam & ad sextam & ad nonam, qui triplicem mundi statum, quem iam descripsimus, repræsentant.

Dei prouidentia in Ecclesię regimine.

Tametsi autem in triplici hoc statu se sapientẽ ac prouidum Deus declararit, vtpote qui in horum singulis magni nominis operarios miserit: in tertio tamen longe se admirabiliorẽ quam in duobus prioribus ostẽdit: post Christi siquidem aduentum, ad Ecclesię suæ gubernationem bonorum operariorum florem & selectissimos quosq; destinauit, tot celebres Doctores, tot prouidos & intrepidos Confessores, tot generosos Martyres, & infinitos alios viros, sanctitate vitæq; innocentia conspicuos, vt hoc eminus conspicatus Psaltes admirãdo exclamet, *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Quasi diceret, Tot tantosq; sanctos viros ad Ecclesiæ suæ statum dirigendũ Deus destinauit, vt mirabilẽ se hic exhibuerit, mirabilem scil. in eorum prędicatione, vita, miraculis & martyrio. Quamobrem Prophetæ intentionẽ dum examino, inferre hinc voluisse video, operarios, quos Deus in primo ac secundo mundi statu emisit, non esse cum tertiis vllo pacto conferendos. *Psal.* 67.

Amalecitæ dum Israelitis bello lacesserẽt, Moyses, Iesu, i. e. Iosue ait, *Elige tibi viros potentes ex omnibus filius Israel, & egredere, & confligecum Amalec crastino, &c.* Tria hic notanda veniunt: primum, nunquam prius ante Iosuam hoc nomine vocitatum fuisse, vt docte obseruauit Origenes: secundum, Moysem hoc bellum aggredi, neu sibi victoriam spondere ausum: imo ne delectum quidẽ militum facere voluisse, sed Iesu omnem authoritatẽ tradidisse: tertium, cum nomẽ Iesu hic reperiatur, mystice hic denotatum fuisse, per legẽ naturalem aut scriptã peccatum non debellari, imo nec illis gratiam conferre, neu strenuos bellatores seligere potuisse, sed Iesu Christo & Euangelio id reseruatum fuisse. *Exod.* 17. *Homil.* 1. *in Iosue.*

Nescio sane, an sol vnquam generosiores magis q; strenuos bellatores viderit, quam illos, qui post Iesu Christi aduentum in mundo cõparuerunt. Quis, obsecro, fortiores & infractiore animo vidit vnquam milites, q̃ Apostolos & Martyres? Dauid inter primos de iisdem vaticinatus, deos fortes terrę eos nuncupat, *Dii fortes terræ vehementer eleuati sunt.* *Psal.* 48.

Apostolus quoq; ad Hebræos de aliis etiam loquens, in bello inuincibiles eosdem extitisse refert: *Fortes facti sunt in bello, &c.*

Cant.3. Canticorum liber lectulum Salomonis à sexaginta viris fortissimis & circumseeus armatis quotidie custodiri asserit, *Sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Lectulus hic ac thalamus regius Ecclesię Christi statũ repręsentat, de quo in Euangelio dicitur: *Ecce plusquam Salomon hic*, sexaginta porro fortissimi, vbi numerus certus, p incerto ponitur, qui assiduè illum custodiendo circumstabãt, Apostolos, Euangelistas, discipulos, atque alios plurimos Sanctos, quos Deos velut omnium fortissimos & generosissimos ad Ecclesiæ suę custodiam & conseruationem selegerat, designant. Quorum robur ac fortitudinem expressit Propheta dicens, *Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Ecquæ fuit Apostolorum virtus, quæ septuaginta discipulorum fortitudo?

Ecclesia thalamo Salomoni co similis.

Psal.67.

Num.11. Occasione septuaginta discipulorum huc trahã, quod in libro Numerorum dictum est. Deus enim quo Mosis onus subleuaret, & populus frui quiete posset, septuaginta magni nominis & auctoritatis viros de senioribus Israel selegi iussit, quibus Moysis spiritum cõmunicauit ac sapientiã, illius vt coadiutores & collegæ forent, tamq; domi quam belli illum consiliis & opere iuuarent, *Et dixit ad Moysem, congrega mihi septuaginta de senibus Israel, &c. auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus grauere.* Hoc olim inter Iudæos in figura, at deinde in Ecclesia Christi in rei veritate contigit: nam Pater æternus auferens de spiritu Iesu Christi, Apostolis & septuaginta discipulis illum cõmunicauit, quos vt coadiutores illius & collegas, vt in mundi cõuersione & Ecclesiæ regimine illi collaborarent, & onus simul sustentarent, assignauit, imo velut socios dedit: ita docet 1.ad Corinth.1. Apostolus, *Vocati estis in societatem filii eius, &c.*

1.Cor.1.

Sexta filiorum Israel, mansio fuit in loco quodã duodecim fontibus irriguo, & septuaginta palmis conspicuo: *Venerunt autem in Elim filii Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ, &c.* Qui allegorice exponere hoc voluerit, reperiet, sextam hanc mansionẽ sextæ mundi ætatis figuram fuisse, in quam Iesu Christi incidit natiuitas, in qua Ecclesia substitit & castrametata est: prima ab Adamo fuit ad vsque Noeum, secunda à Noeo ad Abraham, tertio ab Abrahamo ad Moysem, quarta a Moyse ad Dauidẽ, quinta à Dauide ad Christũ, sexta deniq; à Christo ad finẽ vsq; mundi. Cæterum duodecim illi fontes duodecim denotabant Apostolos, qui velut gratiarum fontes vniuersam Ecclesiam irrigarunt, & septuaginta Palmæ discipulorũ septuaginta figuræ erant, qui modestiæ suæ vmbra & miraculorum opacitate eandẽ obumbrarunt. Moyses initio Exodi illustrem ac splendidam Iacobi genealogiam texẽs, duodecim illum Patriarcharum patrem fuisse ait, quorum hæc fuere nomina, Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Zabulon, Beniamin, Dan, Naphthali, Aser & Ioseph: è quibus deinde septuaginta natos ait, *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob septuaginta.* Accedit hoc quam proxime opinioni nostræ, si enim vel parum mysterium hoc sublimare voluerimus, & ad anagogiam reducere, inueniemus, quod quemadmodũ Iacob duodecim habuit filios, qui duodecim illi Patriarchæ fuere, ita Christus totidẽ habuerit adoptiuos, duodecim inquã Apostolos & alios septuaginta discipulos, omnes è se genitos & à se destinatos missos, *Sicut misit Ioan.20. me viuens Pater & ego mitto vos*, atque omnes auctoritate & sanctimonia eximios.

Exod.11.
Num.33.

70. Discipuli in 70. palmis figurati.

Exod.1.

12. Apostoli collati duodecim Patriarchis.

Et paucis vt dicam, sunt noui illi operarii, noui illi bellatores & septuaginta discipuli, de quib. in Euangelio sermo est, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos:* & quoniã Euangeliũ hoc non sine omine in glorioſi Lucæ Euangelistæ festo legitur, qui vnus è numero septuaginta illorum discipulorum: primo in genere Euangelii expositionẽ adferemus, ac deinde singillatim ad D. Lucæ merita & elogium descendemus. Atq; vtraq; ex parte demõstrabimus, in vltimo hoc & tertio mundi statu maximos homines, viroſq; sanctissimos ad Ecclesiæ administrationẽ illum selegisse, vt in exordio dicere cœperam.

II.

Quod ad primum, certum est, & è scriptura colligitur, post electionem ac vocationem duodecim Apostolorum, Dominũ ad sui sequelã

Electio 72. discipulorũ

quelã & Ecclesiæ regimen septuaginta duos elegisse discipulos, vt è verbis his colligitur, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos*, quos voto paupertatis astrinxit, vetuitq; baculum, aut sacculũ, aut calceamẽta ferre, *Nolite portare sacculum, aut peram, aut calceamenta*: Inermes illos emittit, & sine pecunia: sine armis mundũ tamen vniuersum subiugaturos, sine pecunia eundẽ ditaturos: sine armis, vt terræ fortitudinem & potentiam irriderent: sine pecunia, vt diuitias superarent: sine armis, suum vt robur & potentiã demõstraret: sine pecunia, vt prouidentiam. Quæ agendi ratio mundi consuetudini penitus contraria est & repugnans.

Sine auro & armis nihil agit mũdus.

Mundus enim suis in conflictibus & expeditionibus semper arma & aurũ adhibet, iisq; victoriam consequi solet, & terrorem incutere: hæc siquidem belli nerui sunt & robur. Adeo vt Aristot. in Politicis scripserit, *Necesse est eos, qui ad rempubl. accedunt, & propter eos, qui imperium detrectant, & propter eos, qui inferre iniuriam conantur, arma domini in armamentario habere, &c.*

Tullii regis sententia.

Hoc spectabat olim Tullius rex, cum apud Liuium diceret. *In armorum sita est vrbium potentia, quæ nulla est absq; numero copiis.* Idem quoq; habet Tacitus, *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Hæc quidem mundi sententia & consuetudo.

Dei conceptus alii, q̃ hominum.

Sed longe alia agendi ratio Dei est, limitos enim imperii extensurus, inimicos debellaturus, victoriam relaturus, suos ab armis & auro parum instructos destinare solet. Hoc modo Isaiam Prophetam misit, nudum scil. & inermem, *Vade & solue*, inquit, *sacculũ de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis; & fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* Quod ipsum Prophetam admiratus exclamat, omnesque ad cœli inuentiones, nouamque agendi rationem admirandam excitat, *Notas facite in populo adinuentiones eius.* Annon enim eximia & præstans adinuentio, quam admirari par est, Reges à piscatoribus debellari, Philosophos ab indoctis & imperitis refutari, magnos à paruis euinci, diuitibus insultare pauperes, milites & bellatores ab inermibus & simplicibus pessumdari. Hoc est, quod Apostolus admiratur dicens, *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, &c.*

Isai. 20.

1. Cor. 1.

Omnes mundi vires & rerum stabilimentũ non nisi in voluptatibus & carnalibus desideriis, in inani scientiarum fastu, & falsæ cuiusdam libertatis spe consistebat. At Deus omnipotens, qui longe aliis in consiliis suos emittit, vt alia quadam ratione, & omnino cõtraria ipsum aggrediantur, ac debellent, inermes scil. & tamen confidentes: sine diuitiis, & tamen contentos: omni commeatu & promissione destitutos, & tamen securos: sine libris, & tamen omniscios. Audite commissionis eorũ articulos, *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.*

In quo mũdi vis & robur sita.

Cicero oratione pro Cæcinna eximiam hanc sententiã protulit, *Nihil est æquitati tam contrarium atq; infestum, quam conuocati armatiq; milites, nihil iuri tam inimicũ quam vis, &c.* Oratoris huius verba dum attendo, videtur mihi discipulorum Christi, egregiorum inquam illorum cœli bellatorum missio nõ absimilis fuisse, ac summum illum Dominum, qui eosdem misit, censuisse, nefas videri & æquitati penitus contrarium, eos, qui iustitiã & æquitatem promulgaturi veniebant, arma manu præferre, & militum mundi instar vim & violentiam spirare. Neque enim ea Dei est agendi ratio, ideoque illis dictum, *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.*

Libr. pro Cæcinna.

Adhæc mundi robur & fortitudo terrena inertiam, formidinem & diffidentiam, præsertim in viris generosis & magnanimis, quales & milites & bellatores Christi sunt, ostentant, ideo sine armis & auro ire debent, & mitti solent. Lacedæmoniorum rex Cleomenes, cum elatos vrbis cuiusdam muros videret, ciues inertiæ ac vecordiæ arguens ait: O refugiũ & asylum mulierum! Potius hoc de Christi militibus dici queat: qui, si armati & crumena referta commissionem exequi suam velint, inertes, vecordes, & effœminati censendi sunt.

Milites Christi sine armis & auro destinati.

Cleomenis apophthegma.

Noluit Spartam Lycurgus muro cingi aut propugnaculis communiri, veritus ne ciues murorũ altitudini & spissitudini confisi, fortitudinem exuerẽt. Magnus ille totius orbis legislator Christus Apostolus & discipulos

Lycurgi lex.

baculum, perã, calceamenta & sacculum, quę sunt propugnacula & munitiones vitæ, ferre vetuit, ne forte illis fidentes, viribus & fortitudine cœlitus collata excidant. Atque ideo aliter vt viuerent, illis imperauit, dicens, *Nolite portare sacculum neque peram.* Luc. 10.

Addunt Matthæus & Marcus, *neq; virgam aut baculum.* Virga autem hæc egregios mihi suggerit conceptus. Docere hic illos & simul omnes vos voluit, veterem idolorum cultum iam exterminandum, & profanas superstitiones abolendas. Ratio huius est, quod veteres inter cæteras abominationes baculo instructi consulerent. Vnde Oseas Propheta, *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annunciauit, spiritus fornicationum decepit* &c. Discipulos autem dum vetat baculum ferre Dominus, idololatricæ superstitionis ruinam portendebat. Matth. 10. Marc. 19. Ose. 4.

Secunda ratio hæc est, Magnus Gentium Pontifex in sacrificiis baculo vti solebat, quē lituum dicebant, vt ait in diuinatione Cicero, *Quidquid*, inquit, *lituus ille vester (quod clarissimum est insigne auguratus) vnde est vobis traditus?* Plutarchus quoque in Romuli vita ait, *Lituus*, inquit, *conjecratus est in Palatino colle vsque ad Gallorum tempora, à quibus capta vrbs incensa est.* Baculo hoc, velut pontificatus sui insigni varias superstitiones & ineptias exercebant: nam illum in sublime iacientes, è sono, quem in terram cadens edebat, augurabantur, & futura prædicebant: Christus vero quod discipulos ad prædicationem emittat, & sacerdotales functiones exercere, & sine baculo inter Gentiles incedere velit; ostendere vult, baculum diuinatorium & auguralem illis necessarium nō esse, & omnem idolatriam pessum ituram. Libr. 1. de diuin.

Tertiam hanc pono. Baculus aut virga libertatis olim erat symbolum, Romani quippe seruos manumittentes virga, quam *vindiciam*, nomine à quodam seruo Vindicio, qui coniurationem quandam in Rempubl. conceptam detexit, mutuato vocabant, percutiebant. Libertatem mundi euersurus, & hominum intellectum beata quadam ratione captiuaturus venerat Christus, de qua Apostolus ait, *Captiuantes intellectum in obsequium fidei, exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Ac paulo post: *Nunc vero liberati à peccato serui autem facti Deo.* Ideoque discipulos sine virga per viam destinat. Symbolum libertatis baculus. Liuius. Rom. 6.

Quarta accedat. Mundus iam longo vsu tyrannica quadam violentia iustos & innocētes affligebat, Christus vero ad nos ex hac captiuitate liberandos & huiusmodi crudelitatē proscribendā venerat, iuxta illud Psalmi, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Hinc cum virga libertatis figura semper fuerit, vt se mundum in libertatem asserendum venisse testaretur, nō vult discipulos virgam per viam portare.

Hæc denique quinta. Baculus tempore Mosaico veterem legem denotabat: ita tradit in Homiliis in Exodū Origenes, & Chrysostomus in Psalmum vigesimum secundum Baculum quem habentes Hebræi agnum Paschalem manducabant, veteris legis imaginem esse: idem quoq; denotabat virga Mosis, & Iacob & Elisæi baculus, quo Sunamitidis filium ad vitam reuocare potuit: & virga illa ferrea, cuius Psalmographus meminit, legis rigorem designabat. Ostensurus igitur Dominus, legem illam transisse, & Euangelicam inualescere & celebrē fieri debere, voluit discipulos sine virga, baculo, imo & sine pera prædicare, *Neque sacculum, neque peram,* &c. Virga symbolum legis antiquæ. Exod. 4. Gen. 32. 4. Reg 4. Psal. 2.

III.

Ad conuiuiorum scilicet delicias, & ferculorum luxus, ingluuiem & auaritiam proscribendam, quæ duo si in seruo Dei, & prædicatore Euangelico reperiantur, magnum illi dedecus & infamiam adferunt, si enim de milite hoc testimonium Alexander Seuerus, teste Lampridio dixerit, *Miles non timet nisi vestitus, armatus calceis, & satur, & habens aliquid*: quasi nihil generoso & strenuo militi ingluuie, voluptate, deliciis & diuitiis foret indignius: merito Dominus à discipulis suis hæc omnia proscripta & ablata voluit, eosque quam paucissimis contentos esse, ac diuitias negligere, eos *nec sacculum, nec peram*, gestare permittēs, id est, nec comeatum, nec pecuniā, quod alius Euangelista clarius exponit, dum ait, *neque pecuniam in zonis vestris.* Matth. 10.

Locum

Veteres pecuniam in zonis portabant.

Locum hunc expositurus, tum Latinas, tum Græcas antiquitates consulere debeo: atque vt intelligatur, sciendum, moris apud veteres fuisse, aurum in zonis gestare. Egregium mihi huius testimonium suggerit Suetonius in Vitellio, *Zona se aureorum plena circumdedit*: quin & Pescennio Nigro scribens Spartianus ait, *Iussit, ne zonis milites ad bellum aureos vel argenteos portarent*. Gracchum quoque tradit Agellius, cum proconsolatu defunctus Romam rediisset, integritatē suam testaturum, his apud populum Romanum verbis vsum, *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex Prouinciis inanes retuli*: quasi diceret, nemo me concussionis aut peculatus, aut auaritiæ nomine sugillet: nam in prouinciam proconsul profectus, zonam auro & argento grauem extuli, at dignitate defunctus & domum reuertēs nihil mecum circūfero, quod sinceritatis integritatisque proconsularis argumentum est.

Cur Dominus pecuniā hos ferre vetet.

Quod cum ita sit, cum discipulos aurum in zonis gestare prohibet Dominus, ab omni auaritia eos alienos esse vult, & ad Euangelicam libertatem spirare; auaritia enim seruitus est, iuxta id Apostoli: *Quod est idolorum seruitus*. Porro hoc modo cum incederet, verum Isaiam dixisse testabantur, qui de futura Messiæ ætate agens dicebat, *In illa die proiecit homo idola auri & argenti sui, &c.* seseque illos esse, de quibus Psaltes prædixerat: *Qui probati sunt argento*, sed nec his cōtentus est, vult etiam nudipedes illos incedere, sine calceamentis: *neque calceamenta*.

Isai.2. *Psal.67.*

In huius rei figuram voluit olim Moysem calceos soluere Deus, & nudis pedibus ad rubum ardentem accedere: *Solue calceamenta de pedibus tuis*. Moyse rubum hunc sentibus & igne plenum *visionem magnam* nuncupat, eūque accessurus, calceos exuit. Ostendere mysterium volebat illos, qui ad diuinorum mysteriorum pertingere cognitionem volunt, quæ rubus ardens & spinosus sunt; nudis pedibus accedere, id est, corde mundo & puro, omnemq; in mundum animæ affectum exuere debere. Quare cum discipuli ad hoc destinati essent, i. e. ad maximorum fidei mysteriorum, qualia sunt omnia, in quibus maxima difficultas & spinæ variæ ac nodi continentur, cognitionem percipiendam, vetuit ne calceamenta portarent.

Exod.3. Allegoria.

Sed audite & alia. Dilectus ille in Canticis dilectæ suæ merita & perfectiones dilaudans calceamenta quoque illius deprædicauit, *Quā pulchri gressus tui filia Principis in calceamentis, &c.* Interea idem sponsus, qui Christus, discipulos vetat calceamenta gestare. Quam mysteriorum harmoniam vt intelligatis, sciatis oportet, calceamenta affectuum & voluntatum imaginem esse, & virginis Deiparę sponsam: & quoniam omnes illius affectus & cogitationes sanctæ fuere ac cœlestes, cæterarum vero creaturarum terrestres & vitiosæ, ideo hæc ob calceamenta laudatur, cæteris vero interdictum, ne eadem velut inhonesta gestent, *neque calceamenta*.

Cant.7.

Voluit Israelitas semper calceatos esse Dominus, quamdiu in terra Ægypti permanerent, quod moraliter exponentes patres plura huc spectantia adferunt. Ambrosius & Gregorius aiunt tacite hic denotari, in mundo noxia ac venenosa timenda esse. Alium conceptum adfert Gregorius Nyssenus, aitque vitam asperam & rigidam hic denotari eorum, qui Ægypto mundi huius egredi gestiunt, ne forte a vitiorum spinis lædantur. Quidquid sit, non parum mirandum Hebræis præcipi, semper vt calceati essent, discipulis vero calceamenta gestare inhiberi.

Exod.11. *Deut.29.* *2.Par.28.* *Sup. Luc.10.* *in 7. Cantic.* *& hom. 22.* *de vit. Moſis.*

Cur Christi discipuli calceos ferre vetētur.

Vt vero hoc mirandum, ita quoque mysterio non vacat; primo namque designatum hic fuit ministrorum Synagogicorum & Ecclesiæ pastorum ac præsulum discrimen: illi calceati & vestiti erant, & mundo penitus immersi; hi vero nudi esse iubentur, & ab omni terreno affectu mundati. Deinde ad voti, quod omnium nomine Petrus emisit, solennitatem demonstrandam, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, reliquimus; inquam, vxores, bona, honores, voluntates, imo & cogitationum & affectuum calceos. Tertio calcei, vt bene sanctus Hilarius obseruauit, è mortuorum animalium corio confecti, symbola mortis esse queunt, adeo vt calceos gestare aliud non sit, quam mortem non metuere. Et quoniam Iesu Christi discī-

Matth.19.

Sup. Matth.

discipuli eiusmodi & animi generosi esse debebant, vt quibus ipse antea dixisset, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, vt magis etiam intrepidi & validi redderentur, toto vitæ tempore calceos illos ferre vetuit. Atque hæc sunt, quæ circa Euangelium dicenda habebã, iam de S. Luca agendum, quod reliquum nauigationis meæ spatium est.

Matth.10.

IV.

Gloriosus Lucas (eius vt præconia texere incipiam) vnus è numero quatuor secretariorum & notariorum religionis nostræ, id est, Euangelistarum fuit, cuius Paulus Corinthiis scribens meminit, *Misimus vobis fratrem nostrum* (Lucam scilicet) *cuius laeus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Ipse fuit, iuxta magni Gregorii opinionem, discipulus ille, qui in die resurrectionis Dominicæ cũ Cleopha Dominum in Emaus retinere conatus est, dicens, *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit.* Fuit fidelis D. Pauli in omnibus illius itineribus & aduersitatibus comes & socius, vt ipsemet Timotheo scribés testatur, *Lucas est mecum solus, &c.*

2 Cor.8.
Luc.24.
1.Tim.4.

Medicus peritus Lucas.

Erat autem arte medicus, & quidem inter peritissimos accensendus. Ita siquidem de eo ad Colossenses scribit Apostolus: *Salutat vos Lucas Medicus charissimus.* Atque vt medicus præcipuas quasque curationes & sanationes, quas Christus in vita fecit, scripto prodidit, ac præsertim, quæ ad spiritus & animi persanationẽ spectabant, solus siquidem ipse Magdalenæ morbum, lasciuiam scilicet & carnis petulantiam, simul quoque quam sanitatem consecuta est, enarrauit, solus ipse Zachæi vlcus tetigit, auri cupiditatem scilicet, eiusque malagmata: solus ipse filii prodigi apostema, luxum scilicet detexit, & mirabilem illius sanationem descripsit. Ipse denique solus de iniuriis loquens, Christi exemplum protulit, qui pro inimicis suis, tormentis & suppliciis saturatus, in cruce deprecatus est.

Coloss.4.

Quatuor morbos corporales curandi modi.

Velut peritus & excellens medicus, cum sciret omnes corporum morbos quadruplici ratione, primo per phlebotomiam vel sanguinis noxii, qui intra venas delitescit, diminutionem: deinde per abstinentiam ac diætam, tertio sudoribus, quarto per purgationem & amara catapotia persanari, quatuor alia his affinia ad morbos animæ dispellendos inprimis expedientia media suggessit. Ac primum medicinæ aphorismum, quem hic tradit, ita in scripta retulit: *Beati pauperes spiritu*; paupertas enim quædam phlebotomia est, qua, quod in vita superfluum est, & morbos in anima causatur, auferimus. Secundus est, *Beati qui nunc esuritis*, vide diætam & abstinentiam. Tertius, *Beati qui nunc fletis*, quod ad sudorem spectat, lachrymæ omnes fletus veri animarum sudores sunt, at sudores, qui illis inprimis necessarii sunt. Quartus denique, *Beati qui persecutionem patiuntur*, persecutiones enim catapotia & pocula absynthiaca sunt, animabus tamen vtilia. S. Lucas vero velut peritus medicus, solus hos aphorismos & medica præcepta tradidit, hæcque remedia aduersus hos morbos præscripsit.

Luc.6.

S. Lucas pictor egregius.

At præterquam, quod magni nominis esset medicus, egregius quoque pictor erat, multaque Christi & Deiparæ illius manu depictas imagines post mortem illius etiam superstites fuisse fama est. Venit mihi hic in mentem, quod Cicero & Plinius referunt: Postquam Paulus Æmilius Persæum Macedoniæ Regem bello deuicisset, duos sibi Athenis mitti viros postulabat, vnum Philosophum, qui Macedones Philosophicis præceptis imbueret, & alterum pictorẽ, qui domos artificio suo condecoraret, cuius iussui morem gerentes Athenienses Metrodorum, Carneadis discipulum illi misere, qui duabus hisce dotibus ad stuporem vsque insignitus erat, vt qui pictor egregius, & Philosophus non minor simul esset, quod Athenienſibus laudi & ornamento fuit, qui tantos in Republica viros haberent. Proposito hoc meo adaptans, dico Ecclesiam multo potius alumnis & filiis suis gloriari posse, vtpote quæ tot excellentes & diuinos viros protulerit, sanctimonia & pietate illustres, alia huc exempla trahere nolo, quã Lucam hunc nostrum, qui solus inter reliquos & magnus exstiterit Philosophus, &

Lib. de Oratore.

Lib. 35. c. 12.

Metrodorus pictor & Philosophus.

Theo-

Theologus medicus quoque simul & pictor: doctrina illius è scriptis erui potest, in Actib. scilicet Apostolorum & vniuerso illius Euangelio.

Figura huius rei fuit limpidus ille fons, qui in terrestri paradiso scaturiens, in quatuor se mox flumina diuisit, quæ vniuersam terræ superficiem irrigarunt. Fons hic Christum Dominum figurabat, de quo in Psalmis dictum, *apud te est fons vitæ*: & in Canticis: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium*: apud Isaiam quoque *haurietis aquas de fontibus Saluatoris*: & Ieremiam; Me dereliquerunt *fontem aquæ viuæ*: & in Euangelio Ioannis, *Fiet in eo fons aquæ salientis*: & Apocalypsi, *Dabo de fonte aquæ viuæ*. Scaturiens hic fons Christus est, magnus ille magister cœlorum, & totius vniuersi doctor, cuius doctrina in quatuor sapientiæ riuos deriuata est, quatuor inquam Euangelia, quorum vnum Lucas composuit, qui velut flumen quoddam doctrinæ cœlestis omnem Ecclesiæ agrum irrigauit.

Gen. 12. Psal. 35. Ierem. 2. Ioan. 4. Apoc. 21.

Nomen S. Lucæ deriuatum à luce.

Qui nominis illius etymologiam examinare & inquirere voluerit, videbit à luce ipsum deriuari: atque fuisse vnum de numero illorum, de quibus dictum, *Vos estis lux mundi*. Lux vero mundi sol est, qui quatuor habet mirabilia, primo, quod sublimi sit loco collocatus, *sol oriens in mdo in altissimis Dei*. Deinde, quod lumine suo hominum oculis sit iucundissimus, *Et delectabile est oculis videre solem*. Tertio, quod celerrime moueatur, *Magna est terra, & excelsum est cœlum, & velox cursus solis*. Quod denique vtiles & admirabiles effectus producat, *Quia homo hominem generat & sol*. Omnia hæc Lucæ nostro adaptans, dico, eum velut paruum quemdam solem, easdem habuisse proprietates: sublimitatem, rerum cœlestium contemplatione. ipse enim dixit: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*: delectationem & gaudium, honestæ & benignæ vitæ conuersatione; fuit namque de numero illorum, de quibus Apostolus ait, *Nostra autem conuersatio in cœlis est*. Promptitudinem & velocitatem, ardenti & zelosa prædicatione, quod Dei verbum Antiochiæ, Alexandriæ, & per vniuersam Syriam annuntiaret, atque infinitam hominum multitudinem ibi conuerterit. Denique vtilitatem quandam singularem & incredibilem, Euangelium suum componendo, quod vniuersam Ecclesiam locupletauit: de quo Paulus ait, *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*.

Luc. 1. Matth. 5. Eccl. 16. 1. Esth. 4. Lib. de cœlo. Luc. 2. Philip. 2. 2. Cor. 8.

Et sane omnes per orbem Ecclesiæ eundem deprædicant, & vniuersus Christianus orbis infinitis eum laudibus extollit, tum ob ea, quæ superius diximus, tum quod semper virgo & cœlebs exstiterit: ita sibi persuadet Eucharius & alii, qui ob hoc illum in Virginis Deiparæ secretarium credunt adlectum, quæ plurima illi mysteria & arcana, quæ aliis reuelata non fuere, aperuit: velut colloquium, quod habuit in conclaui cum Angelo, qui incarnationem Dominicam illi annuntiabat: canticum *Magnificat*, quod ipsa composuit, & Zachariæ & Simeonis; quæ ipsa ab illis audierat: circumstantias & ceremonias natiuitatis & circumcisionis Christi, & alia infinita, quæ solus ipse, non alii Euangelistæ scripto mandauit, atque huiusmodi in puritate octoginta quatuor annos traduxit, ac propterea in boue denotatur, qui castitatis est symbolum & continentiæ, *Facies bouis à sinistris ipsorum quatuor*: & in Apocalypsi, *Secundum animal simile vitulo*.

Lucas virgo Virginis Deiparæ secretarius. Vixitan. 84.

Ezech. 1. Apoc. 4.

V. Quatuor notabilia in boue S. Luc. adaptatur.

Plurima mihi hic occasione vituli ac bouis dicenda occurrunt, atq; omnia in Euangelistæ nostri laudem & præconium: primo ob quatuor bos prædicari solet: scilicet ob sacrificia, in quibus Deo immolari solet. Lucas autem Euangelium suum à sacrificio Zachariæ & Virginis purificatione exorsus est. Ita enim incipit, *Fuit in diebus Herodis sacerdos nomine Zacharias*: ideoque per bouem designari solet, vt notat Eucharius & Irenæus. Secundo ob gressum, lente enim progreditur: atq; hoc modo in Euangelio Lucas procedit. Primo enim Messiæ præcursorem introducit, deinde ipsam Christi conceptionem, natiuitatem, infantiam, pubertatem, adolescentiam, ad finem vsq; vitæ. Matthæus & Ioannes de ascensu illius in cœlum ne verbum scripsere: Marcus vero nullum de iudiciaria illius potestate: Lucas autem gradatim progreditur, pertractat, scribit, ac tradit omnia. Tertio ob benignitatem, hoc enim animal iugo alligatum, stimulo impetitum, clamoribus obtusum non mugit obmurmurans, at iter suum

semper prosequitur, omniaque placidissime sustinet: ad eundem quoque modum Lucas noster, pœnitentiæ iugum dum subiisset, & acri persecutionum tyrannicarum stimulo pressus, & iniuriarum obstreperis clamoribus aures obtusas habens, magna animi fortitudine ac patientia omnia semper tolerauit, atque vt Ecclesia canit, *Crucis mortificationem iugiter in suo corpore portauit, &c.* Quarto denique ob laborem, atque hinc olim apud Romanos caput bouinum floribus coronatum, laboris symbolum dicebatur: ipsa vero corona denotabat, laborem omnem & sudorem remuneratione dignum esse. Atq; hoc ipsum non inscite Lucæ nostro accõmodari queat, qui bouis instar mille labores & difficultates pertulit, & strenue impigreque in Euangelii prædicatione, & animarum conuersione laborauit.

Bouinum caput serto redimitum laboris olim symbolum.

Bos adhæc, vt longius progrediar, olim trium rerum Hieroglyphicum fuit, quæ Euangelistæ nostro apte conueniunt, continentiæ scil. iustitiæ & laboris. Quod ad primum igitur spectat, Sacerdotes Ægyptii, quod in boue insignem continentiam obseruassent, cum modestum vel temperantem vitum, prauarumque cupiditatum debellatorem, continentiæ studiosum repræsentare vellent, taurum expressere, qui natura validus & robustus. Testem huiusce rei habeo Pierium Valerianum lib. Hieroglyphicorum 3. Non inopte igitur ac male scriptura & Ecclesia Lucam virum adeo prudentem, temperantem, castum & modestum, vt octoginta quatuor annis inuiolatam castimoniam & continentiam seruarit, hac imagine expressit.

Bos continentię symbolum.

Secundo certissimum est, taurum imaginem & figuram iustitiæ semper extitisse, in cuius rei confirmationem Aaron Pontifex, quo iustitiam suam populo testatam faceret, iussus fuit tum pro se, tum pro vniuersa familia vitulum & hircum pro populi delictis immolare. Adhæc Athenienses suam patefacturi iustitiam, vel honestum laborem, vt nonnulli volunt, compensaturi, pecuniam suam bouino capite signabant. Quin etiam ad tempus, ab vno nummorum latere Imperatoris sui imaginem, ab altero bouinum caput pingebant, quam cudendi consuetudinem iam inde à Theseï temporibus illis in vsu fuisse prodit Plutarchus. Adhæc ita bouem, qui iustitiæ symbolum, veteres colebant, vt iidem Athenienses morte eum afficiendum censerent, qui bouem extra necessitatem occidisset, non secus ac si hominum interfecisset. Romæ quoq; capitale putabatur huicce animali iniuriam aliquam irrogare. Cum igitur Lucas tam sanctus & iustus vir fuerit, mirum nemini videri debet, si inter Euangelistas per bouem, qui iustitiæ symbolum, denotetur.

Item iustitiæ.

Pierius lib. 3.

Capitale olim delictũ erat bouem mactare.

Tertio, constat bouem vel taurum laboris & tolerantiæ semper symbolum fuisse. Hinc moris apud veteres Germanos fuit, nouis nuptis par boum eidẽ iugo annexorum, equum frenatum, & clypeum cum reliquis armis, velut dotem & connubii arras mittere: quod munus Tacitus interpretatus, ait sponsæ illos indicare voluisse: iam se cum marito eosdem subire labores & matrimonii onera, & omniũ molestiarum tam pacis quam belli tempore, quod bos, equus & arma repræsentabant, fieri participem debere.

Bos laboris & tolerãtiæ symbolum.

Pierius lib. 3.

His adiungamus quid è Mathematicorum & Astrologorum scrinio depromptũ: tradunt siquidem eos, qui in Tauro signo nascuntur, laboriosos fore & perpetua mancipia, quod animal hoc præ cæteris iugum subeat. Quod spectarunt etiam Titii, cum Carthaginis fundamenta iacerent: reperto enim capite bouino ab incepto destitere, & alio loco ciuitatem fundare debere iudicabant: quod animal hoc & fatalis inuentio nonnisi molestiã, difficultatem, ac laborem portenderet: tum vero meliore animo fuerunt, cum proculinde equi caput repererunt, quod vrbem bellacem & bello inclytam fore significaret. Non immerito igitur Lucas noster per animal hoc exprimitur, vtpote qui tot exantlarit ac subierit labores, totque in vitæ cursu perpessus sit molestias. Testabantur hoc ea, quæ scripsit, quæ multis in locis prædicauit, atque ad Ecclesiæ augmentum præstitit.

In Numerorum lib. duodecim boues repertio, qui ingens quoddam vas æneum sustinentes, nonnisi capita præferunt, & posteriora occultant. quod S. Gregorius exponens ait, verum hoc Ecclesiæ pastorum symbolum esse, quorum exteriorem quidem agendi viuendique rationem perspicere licet, at interiora

Num. 7. 3. Reg. 7.

riora & opera & arcana à solo Deo conspici, Interpretatio hæc non adeo inscita & incommoda est, vt nec illa, qua vase hoc fusili Ecclesiam denotante, & bobus illius pastores, qui ad laborandum sudandumque electi & destinati sunt, dixero, Lucam non male in vno horum animalium designari, quod vnus è primis & maximis Ecclesiæ pastoribus fuerit, quique tantum in crucis fundatione & Euangelii propagatione laborauit.

Bos & ceruus auditu. Valerian. lib.

Vestra venia aliud quid de hoc animali dicendum occurrit: notatum scil. ab iis, qui de animalibus scripsere, inter quadrupedes bouem & ceruum auditu valere. Atque ideo hieroglyphici Ægyptii promptam & expeditam obedientiam exprimere dum vellent, aurem bouinam, velut auditus symbolum pingebāt. Lucas vero doctus ille, diuinus & gloriosus Euangelista, cum in Dei obsequio, vocatione, Euangelio, in terras exteras profectione, prædicationis officio, tot laborum, molestiarum, ac difficultatum tolerantia, facultatum terrenarum relictione, sui ipsius abnegatione tam promptum se, humilem & obsequentem reddidisset: nemini mirum videri debet, si per bouem denotari illum voluerit Dei, cuius auris adeo bona & sapida, quæq; & obedientiæ symbolum. In huius rei testimonium noluit sibi Deus animal auribus truncum immolari, vt hinc euidens fieret, animas quę inobedientes sunt, illi gratas non esse, sed quam maxime displicere.

Leuit. 22.

Mors D. Lucæ.

Nihil itaque ad laudum & præconiorum sancti huius Euangelistæ complementum & perfectionem reliquum est, quam vt de morte illius loquamur: in qua aliqua occurrere solet difficultas. dubitant enim, imo & negant plurimi, martyrium illum subiisse, D. Hieron. secuti, qui in illius elogio Martyrii non meminit. Certissimum est tamen, Martyrem illum fuisse, quod magnorum virorum, & omni exceptione maiorum testimonio confirmare possumus: primo sancti Gregorii Naz. S. Paulini, qui suum hoc disticho testimonium complexus est.

Orat. 1. in Iulian. ep. 22.

Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas
Martyr & illustris nomine Nazarius.

Tract. de dedic. Basil.

S. Andream & Lucam iungit & combinat, quod ambo Patres in Achaia martyrium subierint. Deinde & Gaudentii Brixiensis, & Nicephori, qui supplicii quoque genus describens, in cruce oleaginea illum obiisse asserit.

Niceph. li. 2. cap. 48.

Cum generosum hunc Christi athletam tam feliciter in cruce vitam finientem videā, orationi quoque meæ in cathedra finem imponam, vosq; exhortor & obtestor, vt vitam, mortem, & eximias gloriosi huius Euangelistæ virtutes colatis, admiremini, & honoretis. Quamobrem merita illius vobis proponite, vitæ sanctitatem imitemini, in perfectionem respicite, cumque vniuersa Ecclesia de illius martyrio gaudete, vestras illi preces offerte, illiusque patrocinium, & qua in cœlo valet auctoritatem deposcite.

Tu vero gloriose Euangelista, beate cœli ciuis & meritis incomparabilis, vota & supplicationes nostras propitius exaudi, tuam ô medicorum gloria, Euangelistarum decus, prudentum virginum speculum, pictorum gemma, & discipulorum Iesu Christi, ornamentum, opem deposcimus ad te oculos nostros conuertimus, ad te animum mentemq; dirigimus, aurem precibus nostris accommoda Fac ô veritatis mysta, Spiritus S. calame, Euangelii doctor, sublimium mysteriorum scriba, diuinitatis præco, vt quod verbo docuisti, nos opere compleamus: quod prædicasti, credamus: quod fecisti & operatus es, imitemur: quæ enim scripsisti, si crediderimus, & quæ fecisti, imitati simus, certissimam, per fidem simul & bona opera, cœlestem aliquando gloriam adeundi concipere spem possumus, ad quam nos Pater, & Spiritus S. conducere ac perducere dignetur, Amen.

(o)

IN FESTO SS. APOSTOLORVM SIMONIS, ET Iudæ.

Partitio.

1. *De amicitiæ copula eiusque effectis.*
2. *De Apostoli Simonis titulis.*
3. *De perfectione eius à virtutibus petita.*
4. *De Apostoli Iudæ vita meritis: & cur Trinomius.*

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Ioan. 15.

FIGVRA.

Isai. 21. VIdere sibi visus est olim Isaias Propheta duos equites vniuersum Babyloniorum agrum ferro & igne depopulantes, idolaque omnia ac simulacra solo prosternentes. Vt oculos mentemque in binos hosce bellatores coniicio, confestim ipse mihi persuadeo, Simonem ac Iudam iisdem non inscite posse figurari: duo namq; hi Apostoli ceu duo generosi equites, & Iesu Christi milites, omnem Persidis & Babylonis agrum percurrerunt, omnem longe lateque regionem depopulati sunt, paganismum profligarunt, idolorum cultum expulerunt, & hisce in regnis Iesu Christi crucem fixerunt. Antequam vero vlterius progrediamur, genua humi flectamus, oculos vero animosque in cœlum dirigamus, ac sancti Pneumatis subsidium efflagitemus, idque oratione & intercessione gloriosissimæ matris Mariæ, quam hac de causa cum Angelo salutantes, summa animi demissione recitabimus

AVE MARIA.

I. Triplex amicitia. Quotquot apud priscos de vera amicitia aut locuti sunt, aut scripserunt, triplicem eam fecere. Prima est consuetudinis, altera rationis, pietatis denique postrema. Prima ordinariis ex occasionibus nascitur, quales sunt eodem viuere in contubernio, simul agere, colloqui, cohabitare, & conuersari simul: atque hæc hominibus cum belluis communis est, & non minus in inculta solitudine ac spelæis ferarum, quam inter ciues in oppidis reperitur. Altera à virtute, diuitiis, honore ac mutua quadam beneuolentia ortum habet; hæc nonnisi hominum, & quidem omnibus est communis. Tertia ex amore Dei & religionis contrahitur, atq; hæc Christianorum propria est, nullum vero inter paganos locum habet. Prima quidem honesta & laudabilis est, secunda vtilis ac necessaria, tertia penitus cœlestis ac diuina. Horum omnium auctor magnus Augustinus, qui quadam homilia sic loquitur, *Amicitia consuetudinis oritur ex occasionibus cohabitandi: honesta quidem hæc est & laudabilis; sed habent illam & pecora. Est alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus homines propter fidem & mutuam beneuolentiam in hac vita mortali superius quidquid est, iam diuinum est.* Quibus è verbis discimus Amicitiam hanc pietatis, qua fratrem nostrum Christianum ex puro Dei amore diligimus, diuinam quandam virtutem esse, ac velut reliquarum reginam ac principem. Hom. 38. Amicitia Christiana virtus quædam diuina est.

Hanc Apostolus in ea, quæ ad Colossenses, vinculum ac combinationem perfectionis nuncupat, *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ipsemet Redemptor docuit in Euangelio ab vna hac virtute vniuersa legis & Prophetarum præcepta dependere. Legisperito enim cuidam sciscitanti, ecquod primum ac maximum in lege mandatum foret, paucis sic respondit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum sicut teipsum. in his enim duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Coloss. 3. Charitas vinculum perfectionis. Matth. 22.

Ex hac generali Saluatoris propositione & aphorismo tot exinde Apostolus conclusiones & consequentias elicuit verissimas. In Epistola enim ad Romanos scribit, *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ad Galatas, *Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum sicut teipsum.* & capite proxime sequenti, *Alter alterius onera portate*, id est, inuicem fraterno amore prosequamini, & sic adim-

Rom. 13. Gal. 5. & 6.

Charitas legis complementū, Ioan.13.

adimplebitis legem Christi. Equibus omnibus deinde hanc conclusionem generalem effecit in epistola ad Romanos, *Plenitudo ergo* & complementum *legis*, Prophetarum & Euangelii *est dilectio*, & charitas.

1.Petr.4. Charitas peccata operit.

Charitas sane virtus adeo diuina ac perfecta est, vt hominum peccata & abominationes cooperiat. Sic namque Apostolorum Princeps loquitur, neophytis hanc commendans virtutem: *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Plura ac maiora eiusdem virtutis præconia Seruator enuntiauit, cum charitate deleri scelerum etiam turpissimorum nævos, & animas penitus iustificari docuit, Magdalenam sic apud conuiuas deprædicans, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo ex Redemptoris sententia, charitas vtpote cœlica quædam virtus, peccata eluit, indulgentiam obtinet, animasque purissimas reddit.

Charitas peccata eluit.

Hom.8. & habetur de pæn. dist.1.

Atque hinc dicendi Augustinus occasionem sumpsit, charitatem esse salutis exordium, & boni ominis radicem. Vnde sic homilia quadam, quod inde in ius canonicum relatum est, locutus est, *Radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas.* Atque hinc sic efficio & concludo, Vbi non est charitas, nullum ibi bonum, probitas nulla, nulla opera bona, nullum denique meritum.

1.Cor.2. Beatitudo charitati promissa.

Soli & vnicæ huic virtuti cœlum reseruatur, & beatitudo promittitur. hoc vt dicam, persuasit Apostolus, sic Corinthios alloquens, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Videte ergo, vt cœlestem gloriam & æternam beatitudinem, quæ omnem sensus nostri captum & imaginationem longe transcendit, reseruatam asserat Deum amantibus. Neque enim ait cœlica gaudia manere illos, qui diuitiis affluent, doctrina illustres futuri sunt, permultum perferent ac sudabunt, non eos, qui statutum quadraginta dierum ieiunium integre seruabunt, non eos, qui rigide in corpus suum animaduertent, non qui eleemosynas largas in egenos effundent, atcos duntaxat, qui in anima charitatem habuerint.

Charitas est nuptialis animarum vestis.

Charitas itidem piæ animæ nuptialis ac festiua vestis est, regium schema, quo solo Deo placemus, hoc destituti eidem displicemus. Clare hoc patet è parabola illa Euangelica, qua Rex quidam nuptias instituisset, & ad easdem magnam hominum vim inuitasse dicitur. Ipse ergo in triclinium ac conuiuii locum ingressus, videt in ceteris hominem non indutum veste nuptiali & conuiuiali; cuius stomachando impudentiam taxat dicens: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem:* Ceteros omnes sensus & expositiones silentio transiens, veterum Patrum auctoritatem secutus, vestem hanc charitatis schema ac symbolum esse assero, sine qua qui se Deo sistere voluerit, næ illæ perfrictæ frontis est, maiestatem illius ostendit, suamque prodit impudentiam. *Matth.22.*

Epregia hæc charitatis vestis adeo quidem Christo grata est, vt tametsi funesto passionis die totum corpus suum plagis & vulneribus in cruce concidi siuerit, tunicam tamen suam inconsutilem, quæ verum charitatis vestis symbolum est, lacerari, aut in partes dispertiri noluerit, vti apud Ioannem legere est: quo ille denotare mysterio voluit, pluris se regium hoc charitatis paludamentum, quam pretiosum corpus suum facere, eo quod per huius confractionem vniuersus terrarum orbis & vitam accepturus esset, & ad vnionem reuocandus, sed charitatis conscissio, schismata, rupturas & Ecclesiæ ruinam esset allatura. *Ioan.19.*

Exod.26. In lege Mosaica iussit Deus, vt tabernaculi cortinæ ex cocco bis tincto pararentur: quod Gregorius mandatum allegorice exponens, *Vos estis*, inquit, *fratres cortina tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta cœlestia velatis: sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus, hic quippe ignis speciem habet. quid vero est charitas nisi ignis? sed ista charitas esse bis tincta debet, & per amorem Dei, & per amorem proximi.* *Greg. ho.38. in Euang.*

Amor Dei & proximi sunt duo sponsæ oculi.

Sunt hi duo sponsæ oculi, id est, veræ animæ fidelis, quos tantopere Canticorum deprædicat liber, & oculis columbinis similes *Cantic.4.*

esse ait, *Oculi tui sicut columbarum.* Vno Deum videmus, & videndo amamus; altero proximum, & eum conspicati diligimus. Sponsus vnum solum dilectæ oculum celebrat, & extollit, amoreque saucius ait, *Vulnerasti me in vno oculorum tuorum.* Etsi vero duo amoris esse genera videantur, quo Deum, & quo proximum diligimus, tamen reuera vnus dumtaxat est, eo quod Deum propter seipsum, proximum vero propter Deum diligamus. Atque vt duo corporei oculi nonnisi in vnum collineant scopum, & vnum idemque obiectum videndo habent, ita duplex ille cordis nostri amor nonnisi vnum amando obiectum & subiectum habent.

Cantic. 4.

Hinc in Euangelio Redemptor symbolicis & ænigmaticis verbis ait, *Ignem venit mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* & veteri in Testamento mandatum Leuitis fuit, *Ignis* vt *in altari semper arderet.* non ait numero multitudinis *ignes*, sed *ignis* in singulari: eo quod amorem, cuius ignis vera figura & symbolum erat, nonnisi vnum esse in cordis nostri ara oporteat, ad Deum simul & proximum diligendum.

Luc. 12.

Leuit. 6.

Hanc ipsam ob causam idemmet Dei filius, magnus hominum legislator, toties vno duo hæc præcepto complexus, vt apud sanctum Ioannem, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* & capite 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos* Deinde & in Euangelio hodierno, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*

Ioan. 43.

Ioan. 15.

Quoniam vero textus hic Euangelicus in duorum Apostolorum, Simonis inquam & Iudæ anniuersaria commemoratione recitatur, Euangelii litteralem sensum omittens, in duorum horum præconia & elogia me effundam, ea tamen methodo, vt primo de S. Simone, deinde de Iuda sermonem sim instituturus.

SS. Simon & Iudas Christi cognati.

Principio igitur, vlterius antequam progrediar, consideretis & memineritis oportet duos hosce Apostolos, & natura fratres, proximos Redemptoris consanguineos, aut, vti vulgo loquimur, cognatos & patrueles fuisse: eo quod S. Anna Ioachimo primo coniuge demortuo, Cleophæ deinde secundis nuptiis iuncta fuit, fratri scilicet Iosephi, Deiparæ sponsi; cui & filiam peperit, Mariam itidem nomine, quæ deinde Alphæo nupsit; atque hæc, quæ propterea in Euangelio Maria Cleophæ, subaudi filia, dicitur, marito suo Alphæo, quatuor sanctos peperit filios, quorum tres de Apostolico fuere collegio, quartus vero ob vitæ integritatem *Iustus* meruit nominari. Primo, Sanctum Iacobum minorem, verum Apostolum, ac Redemptori Christo adeo vultu persimilem, vt à se inuicem vix dignoscerentur, ac propterea illius frater sæpe in Euangelio cognominetur. Secundo, Iosephum, Iustum, cognomento, vulgo Barsabam agnominatum, qui cum Matthia in electione ad Apostolatum ac sortitione pariatus fuit: denique duos hosce nostros Apostolos, Simonem simul & Iudam, quorum anniuersariam hodie celebritatem recolimus.

S. Iacobus Minor Christo similis.

His obiter ac generatim præmissis, iam singillatim in Simonis nostri elogium (vt à nomine ipso feliciter ominoso auspicer) dico, nomen hoc felix & auspicatum fuisse, multosque viros vtroque in Testamento illustres eodem donatos fuisse, tum suo cum decore, tum omnium stupore. Ecclesiastici cap. L. video Sacerdotis summi Oniæ filium, Simonem dici, magni sane nominis atque auctoritatis virum, ac cuius memoria in benedictione fuit apud posteros, cui hanc Scripturam laudem attribuit, quod domum Domini suffulserit, atque auctoritate sua impedierit, ne templum subuerteretur. Primo Machabæorum libro alius se mihi oggerit Simon, Pontifex itidem, ac Iudæ Machabæi bellatoris zelosissimi frater, & vniuersæ Iudææ dux & caput.

II. Simonis nomine viri multi illustres donati.

Eccli. 50.

1. Mach. 5.

In nouo vero Testamento occurrunt & alii viri præstabiles, eodem insigniti nomine Primo namque Apostolorum Princeps Matt. 4. dictus est Simon, *Vidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus, & Andream,* & Matthæi decimosexto, *Beatus es Simon Bariona.* Alium insuper Simonem Synagogæ principem, & inter Iudæorum primores inclytum Marci Euangelium suggerit, *In domo Simonis leprosi.* Matthæus alium Simonem,

Matth. 4.

Marc. 4.

monem, Cyrenæum patria depromit, cui ea obtigit felicitas, vt ipsa passionis Dominicæ die sacram Redemptoris crucem cum ipso ad vsque Caluariæ montem gestare meruerit, *Quemdam hominem Cyrenæum, nomine Simonem.*

Matth. 26. Mar. 8.

Non accensebo hisce Simonem illum cognomento magum, quem Actus Apostolorum describunt, qui vt numen, licet falso & adulatorie, passim ab omnibus colebatur, & prodigia inaudita patrabat; de quo, quod Psalmographus de omnibus in genere impiis dixit, dictum esto, *Deleatur de libro viuentium, & cum iustis*, & illustribus Simonibus *non scribatur*. Denique post hos omnes, quod ad diuini huius nominis perfectionem, excellentiam & ornamentum permultum facit, videmus & insignem Apostolum, & è Messiæ consanguineis vnum hoc donatum esse nomine, & vix vllum illorum, qui illi fuere cognomines, meriti fuisse maioris, nisi forte Simon ille Bariona Apostolorum caput.

Psal. 68.

S. Simon dictus Cananæus & Zelotes.

Sanctus Simon ergo à sancto Matthæo & Marco *Cananæus*, à Luca vero *Zelotes* nuncupatur; quod prope idem est: Hebræa enim vox *Cana* zelum notat. *Cananæum* autem à Cana Galilææ vico appellatum putat D. Hieronymus, eo quod hoc illi natale solum. Inde tamen oriundum illum negant *Beda & †Nicephorus. Hic tamen singularis est opinionis, creditque hunc, ob insignem erga Saluatorem eiusque Euangelium zelum, *zelotem* cognominatum. Sed bona eius cum venia audacter dixero, illum in nominum interpretatione falli, eo quod *Cananæus* & *Zelotes* nonnisi vnum quid denotent.

*In Matt. 10. *Act. 1. †Lib. 2. c. 40*

Refert Isidorus Iacobo primo Hierosolymorum Episcopo demortuo, Simonem hunc nostrum successisse, & vniuersæ illi diœcesi præfuisse, ac tandem cum ætatis annum centesimum ac vicesimum attigisset, sub persecutione Traiani in cruce actum esse. Suffragatur eidem Beda. Sed opinio hæc nihil habet cum veritate commune, vt suo in Martyrologio testatur Episcopus Ado. Longius etiam abiens Nicephorus Simonem nostrum esse credit sponsum nuptiarum in Cana celebratarum, ad quas Redemptor ipse cum sacratissima fuit matre inuitatus.

Lib. de Patr. noui Test.

In Actu.

28. Octobr.

Lib. 3. c. 30.

Ceterum, si proprie loquendum, & ex vocum etymologia coniectura facienda est, mihi verisimile sit, Simonem *Hebraice obedientem* denotare: atque hoc etymon Apostolo huic mire conuenit. Deo namque ipse omnibus in rebus obediens fuit, & omnia illi vicissim in mandatorum diuinorum executione paruerunt. Diaboli inprimis, quos è corporibus energumenorum pellebat, homines deinde, quorum corpora sanitati reddebat, & animas ad salutem vocabat; denique vrbes, regiones ac regna. Pontum enim, Ægyptum & Mesopotamiam Deo asserit, demum quatuor elementa, mare enim illius iussu septuaginta hominum cadauera tempestate hausta in litus effudit, quos ad vitam non sine miraculo restituit; quin etiam illo iubente sacrificulos & idolorum mystas ignis absumpsit. Adeo vt insignis quidam vir, ac nouus quidam Thaumaturgus fuerit.

Simon idē est quod obediens.

Miracula à S. Simone patrata.

Inter duodecim illas gemmas, quas Ioannes Apocalyps. 21. vt cœlestis Hierosolymæ fundamenta conspexit, quibus Apostolorum duodenorum ordine quodque suo nomina insculpta erant, video hyacinthum Simoni non inscite conuenire, & quidem miris analogiis & conuenientiis. Gemma quippe hæc subflaua est, & aeri coloris quam hoc Isidorus describit modo, *Hyacinthus non rutilat aqualit r, sed cum facie cœli mutatur, sereno enim perspicuus est atque gratus, nubilo coram oculis euanescit, atque marcessit.* Omnia hæc Simoni nostro mire aptantur, ipse enim plane cœlestis erat, eiusque mores & indoles cœlum redolebant, quoad res inferiores, & terrena immobilis erat, sed ad vel minimum motum influxumque cœlicum, animus eius omnem in partem facile mobilis: non illum flectere aut mouere terra poterat, sed prout allubebat & quocumque rapere volebat, cœlum influxu illum suo conuertebat. Verbo vt complectar, voluntati diuinæ perfectissime obediebat, omnesque eius mutationes conuersionesque à primo illo mobili dependebant.

Apoc. 21.

Lib. 16. c. 7.

S. Simon hyacintho collatus.

Vt vero Apostoli huius præstantia & excellen-

Apostolicæ dignitatis magnitudo.

cellentia euidentius pateat, consideranda inprimis est ingens illa ad quam euectus est dignitas, Apostolica inquam, quæ adeo quidem eminens ac sublimis est, vt Apostolus Paulus gloriari ausus, quod ad tertium vsque cœlum raptus fuerit, diuinam essentiam conspexerit, infinitum gratiæ acceperit cumulum, cum Apostolicam animo dignitatem versat, ad quam à Deo vocatus erat, tanti eam faciat, adeoque censeat admirabilem, ea vt se penitus iudicet indignum, *Qui non sum dignus vocari Apostolus*, perinde ac si diceret, inter Apostolos cooptatum esse, adeo magnificum & eximium est, nihil vt ipse habere me credam, quo id promeritus videar. 1. *Cor.* 15.

Eiusdem dignitatis sublimitas ac magnitudo ex ipsis eiusdem Apostoli verbis, & quidem subtiliter admodum ex epistola ad Corinthios colligitur: *Quod si*, inquit, *ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent filii Israel intendere in faciem Moysi propter gratiam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* id est, si ad legem mortis ferendam ipse legislator tanta fuit gloria illustratus & amictus, vt radii ac fulgor quidam virtu eius toto emicuerint, qui astantes & inspicientes ita afflarunt, vt obiecto velamine eius vultum tegi oportuerit; ecquod lumen & splendorem in Euangelico ministro, qualis est Apostolus, effulgere par erat? ecquam meritorum & gratiarum claritatem in illius coruscare anima? quales fuisse oportet eos, qui Messiæ & filii Dei vnigeniti fratres futuri erant? hoc namque nomine eos ipse donat, mox vt à mortuis rediuiuus resurrexit, dicens: *Vade ad fratres meos, & dic eis.* 1. *Cor.* 3. *Ioan.* 20.

Simplicitas S. Simonis.

Præter eminentem huiusce illustris dignitatis excellentiam, fuere in Simone nostro & alia virtutum illustrium decora. In primis magna quædam & admirabilis simplicitas, quæ eum omnibus & amabilem, & nemini non admirabilem reddebat. Adeo vt vere in eo locum habuisse illud de Iobo Spiritus sancti testimonium verisimile sit, *Et erat vir ille simplex & rectus, & timens* DEVM, *ac recedens à malo.* Egregiæ sane dotes, ad veri viri iusti perfectionem necessariæ, quæque omnes in sancto hoc Apostolo locum habere. Primo namque dictus est *Simplex*, vt omnis malitiæ, fraudis, impostoræ, omnisque fuci & hypocriseos expers fuisse significetur. In Hebræo pro *Simplex*, legitur, *Tham*, id est, integer, perfectus, minime vafer aut versutus, vt integritas, sinceritas ac perfectio pro simplicitate capiatur. Atque egregiam hanc virtutem Apostolis suis Redemptor ante alias commendauit; dicens: *Estote simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes.* De eadem item virtute capienda sunt illa Apostoli verba in secunda ad Corinthios, *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* quasi dicat, si Dei famuli ac iusti à facultatibus & opibus terrenis parum instructi fuerint, tamen in virtutibus, & inprimis in simplicitate, ditiores magis, abundarunt. Iob. 1. Simplicitas Apostolis commendata. *Matth.* 10. 2. *Cor.* 8.

Exodi vicesimo sic iubet DEVS optimus maximus, *Altar. de terra facietis mihi, vel de lapidibus, quos ferrum non tetigit; si leuauerit super eos cultrum, polluetur.* Ecquid numinis autre ligionis, obsecro, lapidibus ineat rudibus & impolitis? ecquæ vero iis contaminatio & abominatio, qui scalprum, malleum aut ferrum subierunt? Hic scilicet latet mysterium: saxa impolita & informia simplicitatis sunt symbola, quæ omnis fuci artificiique expers est virtus, Deoque cum primis gratissima, iuxta illud Regii Prophetæ de ea testimonium, *Scio Deus meus, quod corda probas, & simplicitatem diligis.* *Exod.* 20. Allegoria. 1. *Par.* 29.

Idem Rex animæ huius virtutis necessitatem declaraturus, simplicitatem ac prudentiam, Redemptoris apud D. Matthæum doctrinam secutus, simul in domo & anima Prælati, aut alterius cuiuspiam, qui aliis præest, debere stabulare, ait. Verba eius hæc sunt, *Et pauit eos in simplicitate cordis sui, & in electibus manuum suarum.* quod Diuus Hieronymus ex Hebræo sic interpretatur, *Et pauit eos in simplicitate cordis sui, & in prudentia manuum suarum dux eorum fuit.* In quo duo notanda veniunt. Primum prudentiam ac simplicitatem concurrere & simul gradi; deinde simplicitatem atque innocentiam idem prope esse, & pene in easdem proprietates coincidere. Hanc porro ob perfectionem Iob *Psal.* 78.

Pro-

Propheta celebratur, non minus quoq; noster Apostolus.

Secundo, laudi Iobo & Apostolo vertitur, quod rectus sit, recte gradiatur, nõ claudicans, aut hinc illincque à recto tramite deflectens. *Rectus* in sacræ Scripturæ locutione, significat ac notat eum, qui recte legitimeque de religione sentit, sancte in Deum credit, deque rebus profundis ac sublimibus pie sincereque iudicat. Hæcce porro rectitudinis virtus tanti apud Deum pretij ac valoris est, vt velut admirabũdus ac stupens Psaltes exclamet, *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* & alio in loco, *Qui saluos facit rectos corde*, in quo clementia eius & bonitas elucescit.

Psalm. 72. Psalm. 7.

Hanc in Dauide virtutem deprædicauit Rex Philisthæorum Achis, dicens illi coram & in facie: *Viuit Dominus, quia rectus es tu & bonus in conspectu meo; & non inueni in te quidquam mali, sed satrapis meis non places.* E contra vero Apostolorũ princeps Simonem Magum coarguit, quod rectum coram Domino cor non haberet, dicitque: *Cor enim tuum non est rectum coram Domino.*

1. Reg. 29. Act. 8.

Et sane tam hæc virtus in homine Christiano laudãda, quam oppositum illi vitium probro ac vituperio dignum. Hinc exclamat regius Propheta, *Rectos decet collaudatio.* perinde ac si diceret, si quis vllam in mundo laudem meretur, profecto qui recte incedũt, & cor habent rectum, æternis sunt digni laudibus. Is ipse hoc alio in Psalmo his testatur verbis, *Laudabuntur omnes recti corde.* Adhæc ipsemet ob hanc perfectionem ac virtutem Deus in sacris voluminibus passim deprædicatur & extollitur. Quapropter Moyses omnia eiusdem mirabilia, & excellentissimos & illustrissimos maiestatis ipsius titulos colligens, rectitudinem inter alios collocat, *Deus fidelis & absq; vlla iniquitate iustus & rectus.* Et toties in Psalmis etiam leges, *Rectus Dominus Deus noster*, & alibi, *Dulcis & rectus Dominus.*

Psalm. 32. Psalm 68. Deut. 32. Psalm. 91. Psalm. 24.

Tria recta in homine esse debent. Psalm. 124.

Notandum porro hic, trinam in homine rectitudinem requiri, quæ & è sacris colligi litteris queat. Prima est cordis, vnde Psalmographus, *Benedic Domine bonis & rectis corde.* Secunda spiritus & mentis. hinc Psalmo quinquagesimo orat, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Tertia pedũ, quod habet Ezechiel, *Pedes eorum pedes recti.* Quisquis ergo pedes, spiritum & cor rectum habet, is homo iustus quin sit, & sine errore iustitiæ iter insistat, fieri nequit: E contra vero qui aliqua harum rectitudine destitutus est, claudicet, & interdum in vallium abrupta ac præcipitia prolabatur, necesse est.

Psalm 50. Ezech. 1.

Tertio, Iob laudatur, simul cum ipso & Simon noster, velut his in dotibus ac virtutibus pares, quod esset *timens Deum.* Et sane cui is timor sanctus inest, infinitis dignus est laudibus. Quam porro illustris est, virtus Dei timor! Hanc in Ecclesiastico radicem sapientiæ appellat Sapiens, *Radix*, inquit, *sapientiæ est timere Deum.* Rex Dauid eam esse ait crucem & crucifixionem carnalium affectuum, & orat, *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.*

S. Simon laudatus ob timorem Dei. Eccli. 1. Psalm. 118.

Magnus Gregorius de sancto hoc timore in Moral. loquens ait, quod nauibus in medio oceano agitatis est ancora, hoc animabus in mundo Dei timorem esse. Loquentem accipite suis ipsum verbis, *Ancora cordis est pondus timoris: & sicut maioribus ac ditioribus nauibus maiori ancora opus est, ita quo iustior homo, maiore timore indiget.* Nauis quæ ancoram non habet, qua in tempestatibus & fluctibus fundetur ac figatur, in summo naufragij versatur discrimine, sic & anima, quæ in mundi huius oceano timore Dei est destituta, ad resistendum tentationibus, passiones coercendas, & aduersus tempestates & procellas insurgentes sese tutandam impotens est.

Lib. 6. c. 24.

Notaui iam olim in Ecclesiaste illustrem sententiam proposito huic mire quadrãtem, quam vobis proferre est animus ait ergo Sapiens, *Deum time, & mandata eius obserua hoc est n omnis homo.* Id est, in hoc omne esse, virtus, partes, munus, officium, & vniuersa hominis eius, qui ius & rectum colit, vita consistit, in hoc cõpletur & lex & Prophetæ. Hinc alius quidam interpres paulo hæc superiora exposuit dilucidius dicens, *Deum timete, & mandata eius obseruate: nam in hoc consistit omnium hominum perfectio.*

Eccles. 121.

Quod ipsum probe perspectum & compertum habens Dauid Rex, rebus regni paulatim sepositis, de ijs, quæ ad conscientiam spectant, acturus, & è summo Monarcha in Ecclesiasten mutatus, filios velut ad lectionem audiendam conuocat, dicens: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* non porro eos edocturus est siderum cursus, non cœlestium sphærarum motus, non occulta influxuum arcanaque mysteria, nõ locorum imaginariorum inanias, non fluxum & refluxum oceani, non quæ de vacuo sunt controuersias, non abstractiones mathematicas, non quadraturam circuli, sed *timorem Domini docebit* eos. Est hæc lectio penitus diuina & scientia cumprimis necessaria, ac præ omnib. permagni momenti. Vt ergo materiæ huic finem imponam, cum eodem Rege exclamabo, *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.*

Psalm.34.

Psalm 111.

III. Charitas magna Simonis.

Præter simplicitatem, quæ nos tamdiu morata est, Simon noster, cui hæc perfectio minime defuit, charitate etiam & zelo mire excelluit; hinc & *Zelotes* dictus est, ab amore scilicet & zelo ardentissimo, quo anima eius æstuabat. Quo nomine & Deus olim est vocitatus; quod proinde illustre & gloriosum est. Vnde in Exodo legimus, *Dominus Zelotes nomen eius*; & alibi, *Dominus Deus tuus fortis, zelotes*, amore scilicet & robore plenus.

Exod.32.

Exod.20.

Fuit ergo in lege Euangelica Simon, quod in Mosaica Phinees filius Eleazari, magni Aaronis nepos, de quo hoc in libro Numerorũ datur testimonium, *Et erit tam ipsi, quam semini eius pactum Sacerdotij sempiternũ, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.* Non minor reuera Simonis nostri fuit zelus: nam Dei sui nomine & ob Ecclesiæ eius exaltationem mirum & inauditum prætulit, abominationes expians, idola subuertens, & in ꝓuincijs illis remotis peccatorum senticeta excaudicans.

Num.24.

Potuit ergo gloriosus hic Apostolus CHRISTVM Redemptorem ijsdem affari verbis, quibus olim DEVM Elias suum deprædicans zelum, *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio.* Non minorem gloriosus Apostolus Simõ zelum in medio nationis barbarę, ac cœlo peregrino prętulit, extremo honoris diuini zelo ardens, & summopere dolens, quod diuina lex omniũ pedib. protereretur, ac sancta conculcarentur, & totus omnino orbis à Dei sui obsequio deflexisset.

3.Reg.19.

Zelus Simonis comparatus cum zelo Eliæ.

Ardens Apostoli huius zelus reuocat mihi in memoriam æstuantem regis illius charitatem, qui hoc sibi scribit elogium, *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* & alio loco: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici tui.* quasi dicat, Tanto te, Domine Deus, affectu prosequebar, tantoq; erga te amore æstuabam, vt languerem moriendo, & languendo morerer, conspicatus eos, qui me impetebant, impune te offendere, & verborum tuorum obliuisci. Paridemque fuit nostri Apostoli zelus; quocunque enim transibat loco, tam ardentem erga diuinum cultum ardorem ac zelum exhibebat, graue illi vt esset, & tormentum morte intolerabilius, videre Deum ad iracundiam concitari, & diuina mandata quodammodo ludibrio haberi. Ecclesiæ scil. eius zelus animam huius noctu & interdiu sine vlla cessatione adurebat.

Psalm.68.

Psalm.118.

Item cum zelo Dauidis.

Cur ergo, Christiane, ad Apostoli huius imitationem DEI tui honorem in omnibus non zelaris? cur inquam, vbi numen eius violari aduerteris, non indignaris & succẽderis? si vel minima amoris diuini scintilla in corde tuo scintillaret, quoties vllum consciri delictum cernis, toties tibi pectus gladio traijci putares, & intimo doloris sensu conficereris. Meminisse te oporteret eorum, quæ in libris Regum de Abisai scribuntur. Hic ergo pro eo quo in Regem suum Dauid erat affectu & amore, insignem pro honore eiusdem zelum ostendit, vbi illum probrosa ac virulenta maledici Semei lingua proscindi inaudijt. quamobrem stomachatus ait, *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo Regi: vadam & amputabo caput eius*, vt scilicet hoc pacto honori regio parem vindicias, & tantum in scelus digna castigatione animaduertam. Quare ergo, vbi DEVM delictis

2.Reg.19.

morta-

mortalium negligi, proculcari, ac violari cernimus, pares non præferimus animos? cur simili affectu non inardescimus, cum blasphema ac contumeliosa in Deum optimum maximum lingua peccatores feruntur, tantasque in illum iniurias irrogant: hinc scilicet fieri dicam, quod sancti huius pijque Domini honorem non zelemur. Si enim fidi clientes esse cupimus, & obsequio illius deuotissimi, quę in bonum illum Dominum committuntur iniuriæ, nos tangere deberent & offendere, honoris nempe illius zelus & Ecclesiæ eiusdem bonum præ ceteris nobis cordi esse oportet.

1. Mach. 15. Iudas Machabæus cum militem in aciem produxisset, & ad fortiter certandum eum iã in procinctu animasset, *Statuerunt* illi *dimicare fortiter, eo quod ciuitas sancta & templum periclitarentur*, deque vtriusque honore ageretur. Periclituros quidem nouerant & coniuges, & liberos, fratres, & amicos, cõsanguineos, ac reliquas in vrbe relictas facultates; sed angebat illos quam maxime templi sanctitas, & summus, ne ipsum deuastaretur, & profanaretur, metus: vt de aliarum rerum iactura parum, aut nihil omnino laborarent. Omnia hæc exempla coarguunt, accusant ac pudorem incutiunt, nobis tam exiguum in religione conseruanda, & honore Ecclesiastico propugnando zelum declarantib. Deniq; omnis homo iustus duplicem habeat zelum oportet, vnum erga honorem Dei, alterum in proximi salutem; & duplex hic zelus insigni quadam ratione in Apostoli nostri anima eluxit.

Historia notabilis.

Apoc. 10. Ait in Apocalypsi sua Ioannes vidisse se olim Angelum fortem ac potentem, cœlo descendentem, nube amictum, & iridem in capite habentem, cuius facies solis instar rutilabat, & pedes vt columnæ ignitæ: habebat is manu librum patentem, & pede dextro mare, sinistro terram premebat. Prodigiosa profecto hæc visio est, per quam ad litteram IESVM CHRISTVM signari fit verisimile; ita namque interpretantur Beda, Primasius, Richardus, Victorinus, Pannonius, & alij plurimi, per pedes hos misericordiam & iustitiam designari credentes. Sed allegorice denotare etiam Angelus hic potest omnem in genere concionatorem, & sanctum Simonem nominatim. Dictus autem est Angelus, quod Dei & Legatus & Apostolus esset: iris capitis symbolum est pacis, quam terris incognitis annuntiauit; pedes instar columnarum ignitarum amor sunt Dei & proximi; liber quem manu tenet sacrosanctum est Euangelium; pedes aquis & terræ impositos habet, quod diuina terra mariq; & in omnib. orbis angulis mysteria diuulgarit.

S. Simon designatus per Angelum Apocalypseos.

Huius rei figura sunt duæ illæ catenulæ Pontificio Rationali annexæ, *Facies*, inquit, *in Rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo*. Duæ illæ catenæ aureæ, in pectore, quod cordis est sedes, collocatæ, & Rationale summi Sacerdotis connectentes, duplicem denotabant charitatem, quæ in vero IesuChristi Sacerdote, qualis hauddubie sanctus Simon fuit, locum habere debet; primo scilicet amor Dei, deinde & proximi: aurum quippe symbolum est charitatis, quæ cæterarum regina virtutũ est, vti inter reliqua metalla aurum. Exod. 28. Aurum symbolum charitatis.

Omnibus iunctim Apostolis Redemptor dixit, *Vos estis lux mundi*. Verum præcipue ac nominatim in Simone nostro hoc habet locum. Fuit etenim Ioannis Baptistæ adinstar in gentilitatis deserto, *Lucerna ardens & lucens*. Mire namque cum doctrina, tum miraculis in barbaris & paganis illis regionibus coruscauit, & duplici tam erga Deum quam proximum charitate flagrauit. Ignis autem hic & ardor Apostolo & concionatori Saluatoris imprimis est necessarius. Vt enim lampadem lampas alia accendere nequit, si sit exstincta, ita nec Prælatus aut prædicator diuini amoris incendio succendere alios, si lumine ipse ac diuini amoris facibus destitutus est. Matth. 5.

Docta illa, sapiens & industria rerum magistra natura cor humanum fecit calidissimum, quod ipsum vitæ sit domicilium, & ab ipso velut omnis caloris fonte & origine vitalis calor, qui è primarijs naturæ fundamentis est, promanans, omnibus se membris communicet. Qualis igitur esse Prælatus debet, qualis prædicator, qui in mystico & spirituali Ecclesiæ corpore cordis veluti occupat locum, qui ingenti charitatis igne Cor hominis calidissimum. Prælati sunt cor Ecclesiæ.

igne ardens & inflammatus, diu no frigida hominum pectora amore debet succendere, quos omnes vera magni illius corporis mystici (cuius caput est Christus, & nobiles eiusdem partes Præsules sunt) membra esse certissimum est?

Exod. 28. Iussit olim in Exodo Deus optimus maximus, vt duodecim tribuũ Israelitarum, quibus vniuersus ille populus continebatur, nomina duab. gemmis insculperẽtur, quas summus Pontifex in humeris gestabat, itidem alijs duodecim gemmis pretiosis, quas in Rationali pectori superimposito idem ipse gerebat. Illustre & singulare hoc mysterium est, quo docemur, animas Pastoris alicuius aut Superioris curæ concreditas, ab eo ardẽti amore in corde, & assiduo labore in humeris gestãdas. Quod præ reliquis Prælatis Simon noster pstitit, qui ex amoris tum erga Deum, tum erga proximum magnitudine, Zelotes meruit appellari.

Figura.

Magna doctrina Simonis. Nec vero hic perfectionum Apostoli nostri finis est; nam & maxima & profundissima sese exerit doctrina, eumque admirabilem facit: legitur namque, vno minus anno Euangelium in Perside & Babylonio tractu annunciando, quater & amplius mille animas Christo ac fidei asseruisse. Hæc scilicet vna è primarijs & maxime essentialibus ad perfectionem assequendam est rationibus in illo, cui aut aliorum regimen incumbit, aut verbi Dei promulgatio cordi est. In huius rei figuram Hebræorum Pontifex Rationali suo insculpta gerebat duo illa vocabula, *Vrim & Thummim*, id est, doctrina & veritas, vel, vt alij transferunt, *Illuminatio*, doctrinæ scilicet, & *perfectio*, puta vitæ, vt facere simul & docere posset. hæ namque principes dotes, ac singularia Apostoli, aut summi alicuius Sacerdotis ornamẽta sunt.

Exod. 28.

Eloquentia S. Simonis. Doctrina igitur hæc summo quodam in gradu & quam perfectissima in Simone nostro eluxit, cui admirabilis & incomparabilis quædam accessit eloquentia, eaque non mundana, aut fucata, sed secundum Deum ac simplex, omnis artificij ac fuci expers, efficacia verba proferens, corda hominum conuertens, peruicaces edomans, ignorantes docens, & ab erroribus liberans, & offirmatos violenter quodammodo in suam sententiam pertrahens. Hinc sponsus sponsam in Canticis sic alloquitur, *Mel & lac sub linguatua*, non ait, *in lingua*, sed *sub* eadem; quoniam Ecclesiæ lingua simpliciter loquitur, suis in orationibus curiosa non est, nouitatem omnem detestatur, flosculos negligit, omnisque verborum dulcedo ac lenocinium, quæ fatui ac loquaces mundi oratores tam impense ac laboriose confectantur, illi desipit. Cant. 4.

Sanctus Paulus hoc in eloquendi genere versatus, fateri ingenue non erubescit, non se in Euangelij promulgatione verborum elegantiæ, aut orationis artificio studuisse, non flosculos Rhetoricos consectatum, sed simpliciter, candide, ac sine vllo fuco aut arte locutum: quin & cœlitus se missum addit, hac vt loquendi forma vteretur, atque hoc cœlestem eloquentiam spirare, contra vero qui agit, mundanam vanitatem redolere: *Non misit*, inquit, *me Deus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia verbi*, aut eloquentiæ fastu, *vt non euacuetur crux Christi*, quasi dicat. Quemadmodum, vt mundo salutem afferret, Dei filius omnigenam in cruce simplicitatem exhibuit, & quidquid altum & sub limitatem aliquam in sæculo sapiebat, totis viribus fugit: sic quicumque eius nomine & iussu animarum saluti procurandę incũbunt, simplici stylo eloquantur oportet, nullamq; in verbis vanitatem aut arrogantiam oratoriam præferant. 1. Cor. 1. Verbum Dei simpliciter prædicandum est.

Hanc ob causam asserit Diuus Thomas, Iesu Christi discipulos recepisse donum linguarum, non vt oratores essent, aut fierent, non vt verborum elegantiam affectarent, non vt figuris Rhetoricis vterentur, non vt sermonis artificium fucumque ambirent, sed vt simpliciter simplicem veritatem annuntiarent. O tempora! ô mores! ô sæculi nostri infortunium! Hodie namque concionatores magis verba elegantia, scita, & aulicos potius quam Euangelistam referentia, quam solida, pia, proximumq; ædificantia quæritant. Quocirca sæpenumero Deo dant pœnas, illiusque prouocant iracundiam. 2. 2. q. 176. art. 1. Prædicatores hodierni minime pere elegantiam consectantur.

Achan

Iosue.

Achan omnium Principum Israel sententia idcirco lapidibus obrutus fuit, & propter ipsum populus vniuersus iratam Dei dexteram sensit, quod è vastatione & deuastatione Ierichuntina, Dei injussu, linguam auream (sic namque legunt Hebræi, & post Origenem Diuus notat Hieronymus) clanculo sustulisset. Quid hoc sibi, quæso, vult? cur huic tam rigidum irrogatur supplicium? Itane in militem animaduersum oportuit, cuius omnis vita, scopus, intentio, finis est prædas agere, & numquam non aliena diripere, quod tantillum sustulisset, idque in solo alieno & hostili? Aliquod hic celari mysterium fit verisimile. Vt nimirum hinc nemo nostrum non videat, illos IESV CHRISTI milites & concionatores potissimum vindicem Dei dextram sentire debere, qui in anathemate & maledictione Hiericho linguam diripiunt auream: id est, qui verba elegantia, & conceptus profanos è scriptis ethnicorum tollunt ac seligunt, eaque furtiue & clanculo in cathedras concionatorias adferunt, & Augustini, Ambrosii, Gregorij, Hieronymi, aliorumque Patrum antiquorum loco Platones, Cicerones, Aristoteles, Plinios, Plutarchos aliosque ad Euangelicam doctrinam confirmandam citant ac depromunt, quasi adscititio illo colore verbum Dei colorari opus haberet. Verum hoc Deum optimum maximum non mediocriter offendit, inque verbi eiusdem dedecus & contumeliam cedit.

Exod. 17.

Moses cum petram virga percuteret, aquarum inde elicuit abundantiam, quod verbo ac voce se posse facere minime sperabat. Causa vero, propter quam hodierna die aquas petris prædicatores non eliciunt, id est, præfractos peccatores concionibus ad lacrymas & gemitus non compellunt, hæc est, quod verbis asperis, acribus, & ad corda penetrantib. eos non feriant, sed placidis & lenibus vtantur, ac nouitatibus exoticis, fucis Rhetoricis, & jocis mimicis & histrionicis illorum auribus seruiant, risum captantes potius, quam ad lacrymas eos concitando.

Illæ jaculantium habetur peritissimus ac dexterrimus, qui scopum rectius ferit, sagittasque dirigit melius: Sic ille concionantium censendus est optimus, qui verbi diuini telo corda hominum directius petit, auribus non assentatur audientium, verba affectata exquisitaque depromendo, nec oculis seruit, egregios, peregrinos, nouos & aulicos gestus præferendo. Hinc sapiens quidam dicere solebat, tria in loquendo hominum vitia esse, primum, pauca scire, ac doceri nolle, alterum multa scire ac docere nolle, tertium denique docere optime, ac viuere pessime. A triplici autem hoc vitio Simon noster immunis fuit: pure namque ac simpliciter Euangelium annuntiauit, & peccantium corda recta petijt, ad Deum illos conuertendo, & ad vitæ emẽdationem pertrahendo; diuina mysteria docte ac sublimiter edocuit; atq; vitam integrã ac sinceram duxit, vitam verbo, mores sermonibus, manus linguæ adaptando; quæ veri sunt concionatoris, & Doctoris Euangelici symbola. Verum in Apostoli huius præconijs nimius sum; nam & de fratre eius dicendum est, illi etenim secundam concionis partem reseruaueramus, atque illam in eo finiemus.

Concionator saggitarius collatus

Tria in loquendo vitia

IV. S. Iudas trinomius.

Sanctus ergo Iudas, eius vt vitam & laudes à nomine & titulo auspicemur, trinomius fuit: Primo namque vocitatus fuit *Iudas Iacobi*, supple frater, quo eum nomine Euangelista Lucas donat: at Marcus & Matthæus *Thadæum* nuncupant. Vocatus fuit insuper *Lebbæus*, vt quidem S. Dorotheus in Synopsi, Chrysostomus, ac Nicephorus tradunt. Sic enim Græce in S. Matthæi legere est Euangelio: Λεββαῖον ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, id est, *Lebbæus qui cognominatus est Thadæus*. In textu Syriaco idipsum etiam legere est. *Lebbæus* porro Hebraica notione, vt quidem linguæ eiusdem callentissimus tradit Hieronymus, duo designat; *cor & leonem*: ad declarandum fortasse, Apostolo huic leoninũ cor fuisse, ac leonis instar generosum exstitisse. *Leba* cor sonat, & *labi* leonem. & egregia hæc significatio in nomine illius inclusa denotabat occulte, nobile illum cor & leoninam quandam generositatem animo insculptam habuisse.

Aliqui horum omnium nominum reddere rationem conantur; quam approbare atq; vt verisimilem amplecti videtur Iansenius. Tradunt ergo, Iudæis fuisse consuetudinem, quæ & hodie apud eos viget, ob reuerentiam scilicet ac venerationem magni sacrique nominis illius tetragrammati *Iehoua*, vt si quis suo nomine tres aut quatuor sancti huius nominis characteres includeret, nemo eo temeritatis aut præsumptionis pertingeret, hoc vt ipsum nomine vulgo vocitaret, præsertim in quotidiano ac familiari colloquio, sed simile aliud illi pro hoc inderet. Quoniam vero *Iehuda* omnes nominis *Iehoua* litteras in se complectitur, interposito insuper Daleth; aliud illi eius loco inditum nomẽ fuit, *Lebbæus* scilicet, id est, leo: eo quod Genes. 49. vnus è Iacobi Patriarchæ filijs Iudas, dictus sit *Catulus leonis*: quin etiam *Thaddæus* significatione nomini Iuda par est. Iudas enim opus denotat, atque idem designat Thaddæus, à *Theda*, id est, laude deriuatum. Verum opinio hæc, coniectura potius est, quam euidens aliquod argumentum: quin etiam nullius antiqui scriptoris auctoritate confirmatur. Deinde compertum etiam est, Iscariothem, qui eodem Iudę donatus est nomine, nullum aliud eius loco habuisse.

Gen. 49.

S. Iudas Iesu Christi fuit consanguineus.

Hanc igitur de nomine quęstionem seponentes aliud longe dignius tractabimus, Apostolum scilicet hunc multas quidẽ ob causas magnam mereri laudem; inprimis vero ob generis nobilitatem & sanguinis, eo quod secundum carnem Iesu Christi Redemptoris nostri fuerit cognatus, vti supra initio concionis commemorare memini: atq; hanc etiam ob causam inter Messiæ fratres ab ipsis Iudæis fuit connumeratus. Apud Matthæum namq; legere est; *Nonne mater eius dicitur Maria: & fratres eius Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas apud nos sunt.*

Matth. 13.

S. Iudas dictus frater Domini à Iudæis.

Præter naturalem hanc prærogatiuam ac priuilegium generis, honori quoq; illi & laudi fuit, quod duorum magnorum Apostolorum, duorum illustrium Ecclesiæ ac mundi totius Principum (*Constitues eos Principes super omnem terram*) frater fuerit, Sanctorum Iacobi nimirum & Simonis. Si Zebedæidæ Ioannes & Iacobus, hoc cognationis nixi fulcro, & originis suę splendore gloriantes, eo audaciæ vel audacis potius præsumptionis venerint, vt petente & intercedente matre, à qua hunc honorem acceperant, mundo eos effundendo, dexteram ac sinistram, id est, summos honoris ac dignitatis gradus, Messiæ in regno petere sint ausi; S. Simon sane & Iudas eodem jure niti ac gaudere poterant, & consequenter ad easdem aspirare dignitates; sed humilitate atq; animi demissione longe aliud suadente, sapientiores fuere, & terrenis honoribus tantopere non inhiarunt.

S. Iudas duorum Apostolorũ frater.

Sanguinis porro nobilitas, generisq; splendor homines reddere arrogãtes, superbos & insolentes solet: vti Osee Propheta obseruat dicens, *Gloria eorum à partu & ab utero, & à conceptu* nascitur. quasi dicat, Gloriantur & insolescunt, quod nobiles eos natura constituerit, & quod prima in orbem ingressio nobilitatis in eos jura contulerit. Idem propemodũ suis in Prouerbijs docuit Salomon, *Gloria filiorum patres eorum* id est, filijs audaciam & animos suggerit elatos nobilibus prodijsse parentibus. Hinc multoties Iudęi gloriabantur, quod Abrahę, Isaac ac Iacobi, veterum inquã illorum Patriarcharum, qui omnis nobilitatis mundi flos atq; ornamentum fuere, esseat proles.

Osee. 9.

Prou. 17.

E contra vero serui Dei ac veri discipuli Iesu Christi hæc omnia vili pendunt, & humanos hosce intuitus velut inanias ac quisquilias negligunt, & in sola virtute omnem nobilitatem collocant. Hinc alios nullos esse nobiles credunt, quam qui probitatem, virtutemq; sectantur, ac nullis se dedunt vitijs. Sic nobilem virginem Celantiam edocuit Hieronymus, sic illam commonefaciens, *Sola apud Deum libertas est, nõ seruire peccatis: summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.*

Serui Dei in sola virtute nobilitatẽ collocant.

Hieron. ad Celantiam.

Idem quoq; sentit magnus Chrysostomus sic in Matthæum scribens: *Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram suam nobilitatem putet, si dedignetur seruire vitiis, & ab eis non superari.* quasi diceret, non aliam esse mihi persuadeo nobilitatem, præter vnicam virtutem; & qui peccati mancipium se constituere de-

Chrysost. in Matth.

re detrectat, qui passionum indomitarum impetus retundit, illum vere esse illustrem & inclytum censeo. Huiusmodi quid scribit & S. Bernardus ad summum Pontificem Eugeniũ: *Genus Apostolorum est non aliunde nobile, quam morum ingenuitate, & fidei fortitudine* id est, sola virtus ac vitę sinceritas, non autem sanguis aut natura suam Apostolis nobilitatem attulerunt.

Agnouerunt hoc & barbari, ethnici & infideles. Hinc scite Atheniẽsi cuidam patrię illi vilitatem exprobranti, & Scytham, quasi barbarum & immiti cœlo natũ probrose nuncupanti respondit Anacharsis, *Mihi probro patria est, sed tu patria* perinde ac si diceret: Tametsi genere & patria minime sim nobilis, sum tamen virtute, sed te, licet Athenienſis sis, & natura te nobili loco nasci siuerit, vitia ac vitę improbitas plebeium ac triuialem cõstituunt. Hæc Diogenes Laertius.

Iphicrates veterum illorum ducum facile princeps, cuidam generis obscuritatem exprobranti, ac sutorem illi patrem obijcienti non minori verborum acrimonia quam elegantia idem prope respondit, *Meum genus à meipso initium sumit, tuum autem in te finit*, ac quodammodo sepelitur quasi dicat; Primus stirpi ipse meę nobilitatem ac decus attuli, tu tuę futurus es probrum ac postremus. Hęc Plutarchus.

Permitte me huc etiam afferre, quod eadem de re sentit Ouidius, libere rei huius veritatem asserens,

——*Nec census, nec clarum nomen auorum,*
Sed probitas magnos ingenium q; facit.

dicere vult, omnem locupletem ac nummatum, virtute atque ingenio destitutum, obscuri ac plebeij esse generis: at qui dotibus hisce ornatus fuerit, tametsi inops, merito vt nobilissimum habendum.

Rogatus olim apud Stobæum Democritus, qua tandem in re hoc ipsum, quod dignitatem generis dicimus, vera inquam nobilitas, consisteret, sapienter admodum respondit, *In pecudibus nobilitas consistit in corpore, in hominibus vero in morib. animi candidis, & laudabilibus.* Dicere quoque genere illustribus pro more habebat Solon, longe esse optatius, illustrius, atque honestius virtute quem nobilitari, quam jam inde matris ab vtero hoc ornamentum efferre, & nobilem stirpem & sanguinem continua parentum, auorum, proauorum & maiorum successione accipere. *Solonis Apophtheg.*

Tradit Herodianus Maximum Imp. missis ad Senatum Romanum litteris hæc inter cetera scripsisse, *Parum admodum prodest generis & corporis nobilitas, vbi vera deest animi nobilitas, virtus scilicet atq; probitas.* Ita se verissime res habet; quid enim profuerit fructui, qualis qualis demum is fuerit, è procera, pulcra, generosa arbore prodijsse, si ipse vel putridus sit vel insipidus? vt non enim eodem è trunco, eadem radice rosas enasci cernimus, & spinas; sic etiam credendum est, ac reipsa sæpenumero fieri videmus, eadem à familia alios prodire honestos & probos, alios vero scelestos ac perditæ vitæ. Ita eodem Rebeccę vtero, vt in Genesi legere est, gemini variæ inter se indolis prodierunt, vnus quidem vrsi instar hispidus, alter vero lævis ac glaber; hic electus Deoq; carus, ille reprobatus, exosus & profanus. *Herodian.* *Gen. 25.*

Peregrina hæc apophthegmata ac sententias ethnicorum è scrinijs eductas ideirco hic vnum coaceruare in locum volui, vt hinc vobis manifestum fiat, Apostolum nostrum, tametsi sanguine & ortu nobilem, vtpote Messiæ ac filij Dei cognatum ac consanguineum, non hoc tamen nomine redditum esse insolentiorem, nõ ideirco elatiores induisse animos, sed hinc occasionem sumpsisse potius, eo se deijciẽdi profundius: vtpote cui exploratum esset, in sola nobilitatem virtute ac fido constantiq; Dei obsequio consistere. S. Iudas veram nobilitatẽ in Dei cultu collocabat.

Accedit ad hanc generis magnitudinem & splẽdorem, quod ceteros inter Apostolos Iudas noster insigni Ecclesiæ Doctoris meruerit titulo decorari, atq; vt talem doctissimam scripsisse epistolam, quę & canonica habetur, & inter septem Epistolas Catholicas recensetur, magnoque ab vniuersa Ecclesia honore afficitur, ac passim recipitur. Cũ ergo illi, teste Nicephoro, satis haudquaquam esset, per vniuersam Iudæam, Galilæam, Arabiam, Syriam S. Iudas Doctor habitus est Ecclesię.

Niceph li. 2. cap. 40. riam ac Mesopotamiam Euangelium annuntiasse, scriptis etiam fidem ac Religionem litteris confirmare voluit, verum se Iesu Christi discipulum, verbo scilicet & scripto, sermone & effectu, quæ duo de veri Pastoris & veri Ecclesiæ Doctoris essentia sunt, exhibendo.

Matth. 11. Hinc Ioannis Herodiana carcere detenti discipulis, de Messiæ venturi certitudine eum percontantibus mundi Redemptor ore suo dixit, *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis*: quæ *audistis* in prædicatione, quæ opere *vidistis* & miraculis, eo quod è duobus hisce capitibus, doctrina nempe & operibus, verus Doctor Euangelicus agnosci & possit & debeat.

Operibus & verbis cognoscitur prædicator.

Hinc & magni huius magistri exemplo apud Philippenses suos gloriatur Apostolus, ita se perpetuo vixisse & docuisse, vitã nempe prædicationi vsquequaq; adaptãdo, nihil vt diceret in cathedra, quod non suo reipsa tempore exequeretur, ipsosq; orat, horum vt reminiscerentur, & huiusmodi in rebus se imitarentur, *Quæ audistis*, inquit, *& vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum*. Perinde ac si vellet dicere, Scitote sæpe me vobis proposuisse, ieiunium vt seruaretis, in oratione esse assidui, castitatem coleretis, carnẽ hanc comprimeretis, inimicis ignosceretis, injurias æquanimiter toleraretis, tentationibus animose resisteretis, aduersitatibus non crederetis, aduersus mundum certaretis, bonis incumberetis operibus, & pœnitentiam amplecteremini: verum nihil vobis ipse dixi, nihil consului, quin id ipse primus reipsa præstiterim, & vobis in hoc exemplo præiuerim.

Philip. 4. S. Paulus faciebat quæ docebat.

Hoc ipsum & discipulo suo Timotheo documentum dedit, hanc illi, postquam ipsum ad Ecclesiasticæ dignitatis culmen euexisset, methodum præscribens, *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione*, id est, sic viue, itaque te gere, nihil vt in verbis vel operibus occurrat, quod fideles offendat. Vel etiam hoc sensu, Ita sapiens, discretus, & prudens cum tuis in verbis, tum reb. tam in prædicatione quam vitæ ratione esto, vt Dei serui hoc viso ædificentur, cernentesq; opera tua verbis respondere, ac per omnia coincidere, vt verum te ac perfectum Pastorem, ac sincerum Euangelij

1. Timoth. 4. Quomodo Timotheũ Apostolus moneat.

ecclesiasten agnoscant.

Profecto, qui nonnisi verba sectantur, at actiones negligunt; qui ore quidem concionatores sunt, at vita impostores, digni sunt, quibus illud Anacharsidis Scythæ in Græcos scomma accommodetur, vt refert Plutarchus, *Græci verborum magni Philosophi, sed vitæ & moribus leuissimi* Non inepte, quin imo merito hoc ipsum omnibus Prædicatoribus oggeri queat, qui in cathedra Philosophos & Oratores agunt, verbisque mellitis omnes in stuporem rapiunt; sed foris & alibi ceu pueros se gerunt, nullamq; vita ac moribus cõstantiam probitatis aut disciplinę præferunt.

Plutarch. lib. de profect. vitæ.

Venit mihi hic in mentem alterius sarcasmi ac joci acerbioris à Solone sapiente in eosdem Græcos contorti, quem in eodem lego Plutarcho: *Vos semper pueri estis, senex autẽ Græcorum nemo.* velut si diceret: si quis loquentes vos audiat, magnos vos Philosophos, quosdã Platones aut Aristoteles audire se credet; at si vitæ vestrę normam propius fuerit intuitus, meri esse pueri deprehendimini; & vt pueri viuere; ac pauciſſimos inter vos reperire est, qui senum, prudentum, cordatorum, sapientium, bonumq; exemplum præferentiũ ritu se gerant. Idipsum de potissima sęculi nostri concionatorum parte iudicium esto; sane si loquentes ipsos & in concione audias, credas, nisi aliunde eos perspectos habeas, oracula te audire, Hieronymos quosdam, Augustinos, Ambrosios, Chrysostomos, aut aliquẽ ex illustribus illis veteris Ecclesiæ Patrib. at si alio in loco eos videas, atq; vitæ ipsorum rationẽ propiꝰ examinaris, infantes esse & pueros deprehendes, meram in moribus ipsorũ pueritiam, & nihil in actionibus aut conuersatione, quod senem aut hominis sapientis gestus vel mores sapiat, elucere.

Plutarch. Solonis in Græcos scomma.

Ezech. 8. Refricant hæc mihi omnia senes illos stolidos ac fatuos, quos Ezechiel tergum scribit altari obuertisse, solem orientẽ respexisse, & adolescentium floridorum ac vegetorum ritu flosculos aurib. inseruisse. Ecquæ n. abominatio, ecquod probrum, imo quæ insania, viros jam canitie albicantes, jam pedem alterũ in Charontis habentes cymba, qui nonnisi vni-

vnicum Dei spectare obsequium ac cultum, ad alteram vitam anhelare, pietatem docere, sapientiæ exempla edere, alijsq; ad vitam recte legitimeque instituendam exemplo præire deberent; tunc potissimum ineptire, insanias consectari, tergum & humeros pietati obuertere, præ alijs dissolutioni studere, amores illicitos prosequi, ad impudicitiã aspirare, vanitatibus voluptatibusq; indulgere, iuuenculum, ac prope puerum agere. Maxima inquam hæc est abominatio & dedecus probrosissimum. An non idipsum dici queat, de tot veteribus annosisq; Prælatis, Pastoribus, Episcopis, Prædicatoribus, ac sæculi nostri Doctoribus? qui, tametsi annis graues, canitie aut etiam caluitie venerabiles, frontem rugosi, oculos pene cæcutientes, ac facti filicernia, ac scipione gressũ fulcientes; adolescentulos tamen imitari gestiunt, sine vlla sollicitudine in omni dissolutione viuunt, quasi pueri forent; nec non semper & omni in re risum ac voluptatem non aliter captãt, quam si in ætatis flore ac vere agerent. Videas eos veste eleganti ac splendida indui, regifice epulari, omnigena indiscriminatim contubernia ac sympolia frequentare, vbiq; insolenter ridere & iocari, mulierum familiaritates ac colloquia magna cum dissolutione consectari, in gestibus & moribus auliciſmos captare, denique in vniuersa vitæ ratione omnibus offendiculo esse, an non hæc meræ & inauditæ sunt abominationes?

Non ita vitam instituit glorioſus Apostolus noster Iudas, sed vt vir semper prudens, sapiens, & omnibus in rebus cordatus adeo se modeste in Apostolatu suo gessit, omnes vt eum audientes aut videntes vt verum Dei seruum habuerint, ac qui vnicum illius spirabat amorem, & animarum salutem. Habuit namq; duas illas illustres dotes ad perfectionem magni alicuius viri requisitas, veritatem inquam doctrinæ & integritatem vitæ, scientiam in concionando, ac sanctitatem in recte debiteq; viuendo. Adeo vt, iuxta hanc Redemptoris apud D. Matthæum formulã, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*; credẽdum sit, glorioſum hunc Apostolum, qui vtrumque, scientiam nimirum & virtutem, vitam probam ac prædicationem, quamdiu in hoc mundo vixit, habuit, modo in altero inter maximos ac glorioſissimos sanctos recenseri.

Sic vobis persuadeatis velim, sanctæ pieq; animæ, & vt credatis, obsecro: quin etiam ad sanctitatem vitamque horum duorum fratrum simul & Apostolorum vobis proponentes, doctrinamque memoria recolentes, illos bene ageudo sequi conemini; illorum sectemini vestigia, vos ipsos demittendo, illorum imitamini fidelitatem ac diligentiam, vos ipsos ad Deum conuertendo, animositatem illorum memineritis, aduersa & tribulationes in hoc mundo patiendo. Vos autem Pastores & Prælati, qui Iesu Christi pascitis gregem, qui fidelium duces, religionis bases, Scripturæ interpretes, Ecclesiæ columnæ estis, oculos in primos illos Pontifices ac summos Sacerdotes conijcite: considerate ipsorum in publicando Euãgelio sollicitudinem, in Deo colendo zelum, in conuertendis peccatoribus charitatem, in mundo Euangelij causa peragrando sudores ac labores, etiam in tot malorum tolerantia patientiam, ipsorum denique in animarum salute procuranda generositatem, nullum vt periculum aut discrimen formidarent.

Vos vero concionatores Euangelici contemplemini sanctos hos ac primos Ecclesiæ nostræ Doctores, & primos Spiritus S. discipulos. Videte quomodo ac qua Euangelium simplicitate annuntiarint, quo verbum Dei ardore promulgarint, qua crucis cultum modestia induxerint, qua de rebus sanctis sint humilitate locuti, qua Scripturas sacras fide exposuerint, qua mysteria reuerentia declararint, qua populorum capacitati atque ingenio discretione se accommodarint, qua de rebus fidei sapientia egerint, & quo denique fructu ministerium suum exercuerint.

Vos vero indocti & idiotæ, ac vulgus, cogitationes pauliſper sustollite, è terra nonnihil vos subducite, atque mundo egredimini, & vobis ob oculos horum duorum Apostolorum vitam ponite, in tenebris vestris eos vt faces sequimini, vt Doctores insciti, vt Prædicatores in incredulitate, in tempestate vt nauarchos, in erroribus vt conductores, in prælijs vt duces & antesignanos, in negotijs

Exhortatio ad Prælatos & Pastores.

Ad Prædicatores.

Ad populũ.

Matth. 5.

vt tutores, in infirmitate vt medicos, in litibus vt arbitros,& omnibus in aduersis & tribulationibus, quæ in vos ingruent, vt custodes ac propugnatores. Laudate quidem Dominum in sanctis eius, sed inprimis in duob. hisce Apostolis ac Fratribus, illumq; laudando ipsorum admiremini austeritatem, imitemini virtutes, patientiã ac pœnitentias æmulemini illorum sectemini vestigia, illorũ memineritis prædicationum, documenta nolite obliuisci, moresq; vestros vitæq; emendationem ad ipsorum mores vitamq; componite.

Quam vero tu, ô Deus ter maxime, vere es admirabilis! sed in duob. hisce sanctis tam profecto es laudabilis, quam in alio vmquam fuisti. Horum namq; duorum velut intrepidorum quorundam ducum opera es vsus, ad regium crucis tuæ signum plantandum; ceu peritorum nauclerorum ac conductorum, ad Ecclesiæ tuæ cymbã per mundi huius oceanum dirigendã; ceu Philosophorũ ac Theologorũ, ad gentes erudiendas, & idololatras Deo lucrifaciendos; ceu interpretũ profundorum, ad voluntates tuas aperiendas, & omnia tua mysteria cunctis terræ nationibus declarãda; ceu Secretariorum & Cancellariorum, ad abolitiones, remissiones, gratias, indulgentias quorumlibet etiam delictorum omnigeno hominum generi concessas consignandas; denique ceu Pastorum zelantium, sedulorum ac vigilantium, ad oues omnes luporum faucibus expositas, inq; mundi huius deserto ac præcipitijs errabundas ad ouile tuum reducendas. Summe Deus, cum duos hosce Apostolos tam longinquum suscipere iter video, Arabiam penetrare, Syriam percurrere, Mesopotamiam peragrare, aliasque prouincias peregrinas ingredi; videre mihi videor duos illos magnos populi tui duces, Iosue inquam & Caleb, ad regnum Chanaan idololatria infame explorandum profectos, quo legi tuæ ipsum subijcerent, & ad nominis tui cultum traducerent. S. Simon namque & Iudas veluti duo generosi & validi duces, has infidelium prouincias exploratum abierunt, tibique easdem subiecerunt, in ijsdem ignaros docendo, ad meliora peruicaces cõpellendo, peccatores conuertendo, & idola ac simulacra subuertendo. Nobis porro Deus clementissime gratiam concede, eorum tam bene imitandorum, tibi in hoc mundo seruiendo, vt ad eorum etiam exemplum aliquando tecum in altero glorioſi ac beati esse mereamur, quo nos Pater & Filius ac Paraclitus ille Spiritus perducere dignentur, Amen.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Partitio.

1. *De bonorum operum merito ac pretio.*
2. *Quanta beatorum sit beatitudo.*
3. *Qualis sit eadem.*
4. *De octo beatitudinibus generatim.*
5. *De paupertate spiritus.*
6. *De mitibus & patientibus.*

Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis, Matth. 11.

FIGVRA.

CVM fortissimus ille Hebræorum Princeps Dauid arcem Sion, arte & natura inter ceteras Israel arces munitissimam, numerosa militum corona circumquaq; cinxisset, & Iebuzæi, qui eidem inclusi oppugnabantur, acriter & strenue sese defenderent; vt Principes Iuda & fortissimos Israel ad fortiter agendum ipsiusq; arcis expugnationem maturandam incitaret, præmium, acre ad victoriam & triumphum calcar omnibus fortiter agentibus, ac summos honores, veros virtutis & fortitudinis stimulos, proposuit. 2. Reg. 5.

Equidem cum egregium hocce Dauidis facinus animo reuoluo accuratius, in eo adoculum expressum videre videor, quod Deum inter & hominẽ, quoad cœlorum expugnationem quotidie transigitur. Deus quippe, Dominus ille dominantium, ac totius vniuersi Imperator, vt nobis in obsidio arcis illius validissimæ, totius inquam mundi valli ac velut armamentarij, sed arcis, quę non nisi à violentis & à strenue pugnantibus, teste Euangelista, expugnatur, quæq; vndiq; à Diabolis, tartareis illis Iebuzæis, aditũ quoquo modo prohibentibus, propugnatur, vt nobis

inquam

inquam omnibus, qui natura milites eius sumus, atq; inter vniuersas creaturas nobilissimi, animũ adderet, quo fortiter & generose nos gereremus, & ad arcis huius expugnationem accingeremur, Christiani nominis honorẽ & dignitatẽ, qua ad agẽdum & ferendũ fortia nos potissimũ incitari par est, Sanctorum item omniũ exemplum, eorumq; gloriã & felicitatẽ, qua in cœlestib. habitaculis perfruuntur, hodie nobis velut rei præclare gestæ præmiũ ob oculos ponit, ac certantib. demonstrat. O præmium valoris & pretij infiniti! ô mercedem incredibilẽ! Sed ô diem vere admirabilem, in quo tot victorum ac triumphantium solennis agitur memoria! diem, inquam, omnium dierum ac solennitatum principem, in quo omnes nobis sancti vno simul tempore spectandi proponũtur! O diem iucundum ac festuium, qui eodem modulamine eademq; voce Angelorum felicitatem, Patriarcharum fidem, Prophetarum zelum, Apostolorum miracula, Martyrum tolerantiam, Confessorum virtutes, Doctorum merita, Virginum castitatem, omniumq; deniq; Beatorum ac cœlestium triumphos victoriasq; decantat! Postremo diem sanctum, omnium nobis Sanctorũ festiuitates sub vna celebritate repræsentantem! diem adhæc festum omnia simul anni festa in se cõplectentem! diem, qui non nisi coronas, serta, aureolas, gratiam, beatitudinem, mercedem denique continebit! Quæ omnia vt pro dignitate vobis exponere queam Auditores, Paracliti spiritus auxilium in primis inuocandum est, eiusq; benedictio & gratia enixius postulanda: gloriosa deinde cœli Regina, ac Sanctorũ omnium Sancta ac Domina, Maria, veluti Patrona & Mediatrix adhibenda: quamobrem vnanimes communi eam prece, Angelica nempe salutatione, compellemus

AVE MARIA.

I. Bonorum operum merces in sacris litteris euidenter demonstratur.

Cum pleraq; fidei Christianæ mysteria sactis nobis litteris tradita, & diuinis testimonijs consignata sint Auditores, tum nullum in ijsdem litteris aut notius, aut magis stabilitum est, quam iustorum pieque viuentium merces, & amplissima bonorum operum hic olim factorum in cœlesti habitaculo remuneratio, Sexcenta vtroque è Testamento, quibus id effici queat, producere queam testimonia, vt in primis illa Apostoli verba: *Qui reddet vnicuique secundum opera sua* &, *Apud Dominum est merces eorum*, multis ante sæculis scripserat Sapiens: vt & alibi: *Reddes iustis mercedem laborum suorum.* Hieremias vero, *Erit merces operi tuo*, aliaque & numero infinita & auctoritate prægnantia. Sed non postremum mihi inter cætera vindicare locum videtur, quod in Prouerbiis legimus, *Impius facit opus instabile, seruanti autem iustitiam merces fidelis.*

Rom. 2. *Sap. 5.* *Sap. 10.* *Ierem. 31.* *Prou. 11.*

Vbi notare vos velim Christiani Spiritum Sanctum hæc verba, *Merces fidelis*, non in cassum aut sine ratione adhibuisse: sed vt hinc omnes euidenter colligerent, Deum esse iustissimum, nec quemquam velle facere, neu in laboribus, ærumnis, aduersitatibusq; eius nomine toleratis remunerandis vmquam deesse. Neque n perfidum illum Laban imitatur, de quo fidelis gener Iacob apud vxores suas conquestus est dicens: *Et ipsæ nostis, quod totis viribus meis seruierim patri vestro: sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meã decem vicibus.* Non est, mihi credite, eius naturæ Deus noster, sed è contra, *fidelis omnibus verbis suis, & sanctis in omnibus operibus suis*: tam nimirum fidelis in promittendo, quam largus & profusus in elargiendo.

Gen. 31.

Deus promissis fidelis est.

Crudelis ille Ægyptiorum Rex Pharao ingẽtem reuera ingratitudinẽ, crudelitatemq; erga Hebræos, qui in Ægypto captiui grauissimo seruitutis iugo premebantur, ostendit: nam eos, postquam grauib. ac duris per totũ diem laboribus exhausti erant, circa vesperã persoluto penso, à præfectis operum flagellari adhuc iubebat. Non est hæc summi illius Dei, qui natura vniuersi Dominus est, quiq; iustitiam diligit, agendi ratio, sed exactissime & perfectissime quiquid ei vnquam obsequii impensum est, agnoscit, ac vel minimam eius nomine susceptam molestiam & difficultatem infinita mercede & præmio compẽsat. Docet nos parabola illa de operariis in vinea, quibus cum vesper iam aduenisset aduocatis mercedem ex condicto persolui iussit.

Psal. 144. *Exod. 3. & 5.*

Matth. 20.

1. *Reg.* 30. Magnam haud dubie tribunus ille Amalecitarum, de quo in libris Regum, erga seruum suum inhumanitatem declarauit, quãdo, visa eiusdem inualetudine, sine vllo eum commiserationis affectu, sine vllo obsequiorum, quæ Domino fideliter aliquãdo præstiterat, aut vllo discriminum, quæ toties eius nomine subierat, intuitu, ægrotantem in agris deseruit, & omni destitutum auxilio hostibus licet tergo iamiam imminentibus, dereliquit. Audiamus obsecro, vt suum ipse miles casum deploret: *Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, qui ægrotare cœpi nudius tertius.* 1. *Reg.* 30. Omniquã crudelitatem, & crudelem iniquitatem! summus ille exercituum Deus hunc agendi modum ignorat, nec quemquam ex omnibus omnino mortalibus reperire dabitur, quem ille sub signis suis militantem vnquam deseruerit, aut quem strenue laborantem post vitæ huius diem peractum, non persoluta mercede, eaque amplissima, domum dimiserit. Testem huiusce rei habeo Dauidem Regem, qui ait, *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum* & fidelem militem à Deo duce suo *derelictum, nec semen eius quærens panem.*

Omnes Prophetę bonis operib. mercedem assignarunt. *Eccl.* 36. Dicere vult, Deum, non sine præclaro ingentis æquitatis testimonio, omnia quam iustissime remunerari, & magna liberalitate vicissim præmia sua & dona in eos refundere, qui sincere & ex animo eius volũtati morem gesserint, eiusque legem ex tota mente & corde perfecto obseruarint.

Et sane omnia Prophetarum oracula certissime hoc & magno consensu tradiderunt: quin & ipse Sapiens hinc occasione arrepta, Dominum commonefacit, vt fidem seruet, promissis stet, liberalitatis ac munificentiæ thesauros referet, ne ipsa Prophetarum miracula alicuius forte mendacij coarguantur: *Da mercedẽ*, inquit, *sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur*: qui nempe toties iustitiam tuam deprædicarunt, teque æquissimum ac largissimum in dando descripserũt.

Iniustus Deus audiret, si bonis operib. mercedem deesset. Vlterius quin etiã progressus est Apostolus Paulus, qui Hebræos docet, Deũ si digna bona opera mercede non compensaret, iniustitiæ culpandum, dicens: *Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri.* perinde ac si dicere vellet, fidele fideli Deo obsequium exhibete: eiusq; præceptis pro virili satisfacere cõtendite, legem eius seruate, præsertim cum certum sit & indubitatum, eum haud esse iniustum, aut bonorum vestrorum operum obliuisci, perpetuo eadẽ memoriæ insculpta gerere. Ita vt idem Apostolus de se ipso loquẽs ad Timotheũ scribere non erubuerit, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex*, vbi notare vos velim, vt operum nostrorum remunerationem *coronam iustitiæ* appellare non dubitarit. negaret. *Hebr.* 1. 2. *Tim.* 4.

Sed, hem: vtriusque Iuris Doctor Paule, quanti iustitiam hanc facis? vnde quæso hãc conclusionẽ Theologicam depromis? quid obsecro homo, etiã præstitis omnibus, quæ & voluerit, & potuerit, corã Deo promereris? An ignoras in Euangelio à veritate dictum esse, *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite: Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.* *Luc.* 17. Apostolus autem vt quid innuere vellet, melius intelligendum daret, Scholasticis Doctoribus ansam dedit meritum in duo genera distinguendi: vnũ namq; meritum genus est, *quod de condigno*, alterum quod *de congruo* appellarunt, adeo vt opera omnia ex condigno pure, simpliciter, & in sese considerata nihil omnino mereantur, nullaq; remuneratione digna censenda sint: ita quippe Paulus ad Romanos ait: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* *Rom.* 8. Verum opera nostra de congruo, præterid, quod plurimis alijs promissionibus, quas ipse Deus nobis pollicitus est, innitantur: (vt in primis verbis illis S. Scripturæ, *Erit merces operi tuo*) in quo ita nobiscum conuenit, quemadmodum ex verbis illis parabolæ Euangelicæ: *Nunquid ex denario conuenisti mecum*: colligitur vt seipsum etiã ad mercedem reddendam obligarit quæ si bene attendantur, ingentem sine dubio remunerationem consequentur: *dignus est enim operarius mercede sua.* Ita vt non mediocre in Deo iniustitiæ signum foret, mercedem eorum frustrari, ac remunerationem, non impedientib. tot promissis contractibus, conuentis, obligationibus, pactis, quæ pro eadẽ faciũt, fallere, vt taceamus hic interim, quod Duo genera meriti. *Ierem.* 31. *Matth.* 20. 1. *Tim.* 5.

ipsas

ipsis Jesu Christi meritis, quæ infinita sunt, inmittantur, quæ iisdem robur & vires subministrant.

Statim vt Elizæus Propheta salem in aquas Jerichuntis, quæ natura insipidæ erant & amariores, coniecit, subito mutatæ sunt, & ex amaris potui suaues, ex sterilibus fertiles, atq; ex virulentis salubres redditæ. Certum porro est, aquarum nomine in Scripturis sanctis hominum opera designari. Ita vt dicere liceat, opera nostra instar aquarum insipidarum esse origine & scaturigine fœtentium, ac meritis sterilium: verum si Christi passionis sal in easdem coniiciatur: dulces eas reddi, alium saporem induere, Deo hominibusq; gratissimas reddi, indeq; merito fœcundari.

Luc.10. Cum Angelus ille exterminator omnes Ægyptiorum primogenitos interficeret, iis solum domibus pepercit, quarum postes ac superliminaria agni Paschalis sanguine cruentata cernebat, cæteris omnibus internecione deletis. Est hoc veluti quoddam præsagium, Christiani, omnia nostra, quæ in mundi huius Ægypto opera edimus, sine sanguine ac cruenta Domini Saluatoris passione emortua, & exsanguia quodammodo esse, atq; omnis prorsus meriti expertia: sed si eadem Agni illius immaculati cruore tingãtur, vitam nobis æternam & immortalem elargiri, prout ad Romanos testatur Apostolus: *Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*

Rom.2.

Psal.2. Omnes quoque olim neci eripiebantur, quorum frontes signo Thau, velut stigmate quodam inustæ conspiciebantur, cum, qui eodem carerent signo, vindice gladio interimerentur. Hinc colligo, omnia quæ à nobis hic bona fiunt opera, quæ signo crucis, cuius Hieroglyphicum Hebraicum Thau erat, signata non sunt, at tantum sigillo & nota naturæ nostræ, morti esse dedicata, neu vitam ac salutem promereri posse: è contra vero, quæ regiam hanc epigraphen fronti insculptam gerunt, ab omni esse prorsus discrimine secura, vitamque semper duraturam mereri.

Ipsa Mosis manus, si nudata ac sine velamine videbatur, lepram præferebat, sed vestibus cooperta & ad sinum iussa referri, ab omni prorsus lepræ macula libera erat, & integerrima. Scitum est in sacris voluminibus, manus operum ipsorum figuram ac symbolum esse. adeo vt, si actiones nostræ nudæ penitus & in sua ipsæ natura, extraque gratiam constitutæ conspiciantur, nihil aliud præter lepram quandam teterimam, meras sordes & colluuiem esse videantur: at si eædem in sacratissimæ Passionis sinum ingererantur, ac pretiosis meritorum Jesu Christi vestibus circumuestiantur, mundissimæ coram diuinæ maiestatis oculis, ac pulcherrimæ compareant. *Exod.4.*

Æneus ille serpens, quamdiu humi iacebat, Israelitas veneno ac tabo quodammodo inficiebat, & conspicientibus horrorem incutiebat, sed in altum stipitem, in deserto Sinai, sublatus, intuentibus vitam ac sanitatem cõferebat, prodigia operabatur, & percussos à serpentibus cæteris omni prorsus cõtagione liberabat. Hic rursus docemur opera nostra cum in naturæ suæ terra conspiciuntur, virulenta esse & contagiosa, & diuinæ maiestatis oculis ingratissima; sed in deserto Caluariæ in arborem crucis Dominicæ sublata, virtutes admirabiles operari, ac merita superexcellentia producere. *Num.21.*

Princeps ille Syrus Naaman licet opibus ac diuitiis affluetet, lepra tamen turpissima toto corpore coopertus erat: hinc factum est, vt nullũ durante lepra Propheta Elizæus ab eo munus vel minimum recipere voluerit, sed quam primum vt Jordanis sese aquis abluit, & lepra abiit, ac caro eius sicut caro pueri paruuli restituta est, suam ei ipse Propheta nõ rogatus benedictionem impertiit, muneraq; eidem obtulit. Hic iterum demõstratur, hominem, qui in mundi huius aula instar reguli cuiusdam dominatur, si in natura spectatus, insignia quædam, pretiosa ac præclara opera edit, lepra tamen turpissima esse coopertum. Vnde bene apud Prophetam legimus, *Et facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersa iustitiæ nostræ.* atq; eadem opera, quamquam propter vitam æternam promerendã eidem offeran- *4.Reg.5.* *Esai.64.*

tur, grata neutiquam existere, at si eadem semel rubicundis ac lympidis sacri Jordanis, id est, Dominicæ passionis aquis immergi contigerit, venustatem quandam & noui splendoris imaginem assumptura, adeo vt gratissima ac iucundissima ei futura sint, atque ipse Deus è contra leproso huic benedictionum suarum & gratiarū cœlestium thesaurum quam amplissime reseraturus. Desuntne igitur nobis figuræ & bonis operibus merita?

Simile. Nam quemadmodum globi, quibus balista ac tormenta bellica infarciuntur, ponderesuo graues sunt, & nonnisi magno labore & contentione in altum librari queunt: si vero tormenti angustiis atque orificio, igne nimirum & puluere tormentario accedentibus, egrediantur, horrendi cuiusdam fulminis in morem per aëra librantur, muros, ac valla validissima concutiunt, ac perfringunt. Non secus quoque opera nostra, quæ velut pilæ quædam bellicæ sunt: adeo namque ea natura sua grauia ac ponderosa sunt, vt semper ad terram trahantur, nulla vero ratione in altum, ad æternā beatitudinem acquirendam sustolli valeant. Si eadem corde cuiuspiam caritatis incendio succensi, gratiaq; onerati, orificio tormenti, egredi contigerit, mirum, vt in altum sustollātur, adeo vt ad vsque cœlesti domicilium volitent, vitæq; æternæ repagula quodammodo perfringant.

Exod. 36. 37. Ægyptiorum aurum & argentum, atque omnes eorum opes nulli alij rei, quam sacrificiis idolorum destinatæ erant, sed statim eedem Hebræis cessere, in sacros easdem vsus conflarunt, atque in primis in tabernaculum, quod auro mundissimo intus & foris coopertū fuit. Opera nostra, Christiani, velut opes Ægyptiorum sunt, quæ si in seipsis considerentur, meræ sordes sunt, & idololatrica superstitione fœdata, atq; ante oculos Dei velut immunditiæ sordescunt, sed statim vt charitatis fornax ac diuini amoris incendiū eadem excoquit ac sublimat, pulcherrimum quoddam æternæ gloriæ tabernaculum constituunt luculentamque mercedem promerentur. Docet hoc ipsum nos hodiernæ festiuitatis Euangeliū, quod ab Ecclesia inter reliqua omnia hodie institutum est, vt præmia & remunerationem laborum, ærumnarumque, quas Sancti hoc in mūdo iam olim subierunt, nobis in mentem reuocaret, nosq; ad eorum imitationem potissimum accenderet, dicens, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Vt porro apte & methodice verba hæc valeam exponere, primo mercedis ipsius magnitudinē, ac deinde media, quibus ad eandem peruenitur, explicabo, ac duobus hisce punctis totā concionis meæ seriem, atq; omnem Sanctorum triumphum animarumque beatorum gloriam circumscribam. *Matth. 5. Luc. 6.*

II.

Quid sit beatitudo.

Principio igitur ipsa beatitudo ac cœlestis gloria, Electorū inquam merces, quam Sancti omnes, quorum hodie festiuitatem celebramus, in remunerationem acceperunt, adeo sublimis, augusta & magna est; vt eam aliquatenus quidem admirari, verbis autem consequi, aut pro dignitate explicare nullus queat: quippe quæ nec sensu cognosci, nec ratione percipi, neve ipsa potest cogitatione comprehendi. Testem hic habeo Apostolum Paulum, qui post raptum in tertium cœlum ad se reuersus, eiusdem magnitudinem demiratus exclamat: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2.

Cyprianus, magnum illud Africæ sidus, & Carthagineusis Episopus, qui sub Valeriano Imper. martyrio coronatus est, atq; anno post Christi natiuitatem ducentesimo quinquagesimo in Ecclesia floruit, cum beatitudinis huius mentio incidisset, hoc eam elogio deprædicat: *Quæ eris gloria & quanta lætitia admitti, & Deum videre, honorari, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias? Abraham, & Isaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare? cum iustis ac Dei amicis in regno cœlorum data immortalitatis voluptate gaudere? sumere illic, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit?* Epist. 58. 1. Cor. 2. Quibus verbis insinuare vult, nihil esse omnino aut reperiri, quod cum sempiterna hac felicitate, quæ Electorum omnium & cœlitum merces est, sit comparandum.

Angelicus ille Doctor Thomas, Theologorum omnium Coryphæus ac Princeps, Sorbo- 1. Par. q. 25. art. 6. ad 4.

Sorbonæ nostræ Phœnix, cũ quæreret, Num Deus Opt. Max. ea, quæ olim condidit, meliora iam reddere queat & perfectiora, quam in ipso rerum primordio condita erant, tandem hoc modo concludit, Omnipotentem hunc artificem posse quidem eorum aliqua iam perficere, atq; emendatiora reddere; esse tamen quædam tanta perfectione & artificio ab eo condita, atq; ita numeris omnibus absoluta, vt summus ille naturæ opifex nihil perfectius aut absolutius condere valeret. Atque horum in numero ponendam esse gloriam & beatitudinem cœlestium, quæ tantæ nimirum magnitudinis est, nihil vt maius fieri, aut mente comprehendi queat. Et firmissimo quidem ipse nititur fundamẽto. Cum enim omnis, vt ait, sanctorum beatitudo & merces ipse sit Deus, & Deus nihil se ipso maius aut perfectius possit effingere, sequitur hinc etiam Deum nihil aut melius aut diuinius, tum nec quidquam præstantius Electorum gloria ac Beatorum gaudio posse efficere.

Beatitudo definitur. Christianus ille Sophus Torquatus Boetius, cum suum huc etiam symbolum conferre vellet, optime mihi rem visus est tetigisse, ita namque eandem definit: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Cum ait, *omnium*, generalitatem quandam includit. Si enim vel vnum, quamuis minimum desit, omnis eiusdem perfectio concidat, necesse est, ac fœlix ille status, qui nonnisi perfectione absoluta constat, si vel minimum quid defuerit, consistere non valebit.

Quod summus ille Metaphysicus terminis Philosophicis declarauit, Deus ipse Theologicis multis ante sæculis exposuit, quando nimirum Moysi loquens omnis ei boni visionem, ac perfectam omnis voluptatis fruitionem in remunerationem & beatitudinem daturum se pollicitus est, dicens: *Ostendam tibi omne bonum*, quasi diceret, Noli animum contrahere Moyses, aut aduersitatibus ærumnisq; nimium quantum deiici: nam tametsi labores tui & molestiæ, quas sustines, graues sint & permolestæ, merces tua tamen multo, mihi crede, maior erit. Videbunt quippe oculi tui, quod hactenus minime viderunt, ostendam quippe eis omne, quod bonũ est, & quidquid summum ad bonum referri potest. Non enim vidisti in mundi huius officina, nisi vmbraticam quãdam boni imaginem, sed ipse te deducam in officinam, in qua omnia bonorum genera recondita sint. Illic videbis corpora gloriosa, non qualia videre olim Daniel & Joannes in Reuelationibus, quæ fulguris aut solis instar resplendebant, sed, quæ transluceant, ac nonnisi lumen sint & splendor, immortalia adhæc & pati nescia. Videbis illic Cherubinos, non quidem in ænigmate, vti in propitiatorio apparebant, & Seraphinos, non quales Esaias vidit, admirabili nimirum schemate, pennis circumuestitos & alatos; sed vt spiritus purissimos, subtilissimos, & substantias ab omni prorsus materia secretas. Videbis Angelos, non iam in figura & velamine humanamque formam indutos, vt eos videre Abraham, Loth, Jacob, aliiq; veteris Testamenti Patriarchæ, sed ad viuum, prout sunt, sine corpore, non iam figuratos, non iam occupantes locum, sed omni prorsus dimensione quantitatis carentes. Meipsum denique videbis, qualis sum è natura, non iam in rubo ardenti, vt in deserto Sinai olim visus sum; non in specie turbinis, sicut tempore Eliæ apparui; sed facie ad faciem, & in propria natura: meq; ipsum cum videas, omne simul bonum videbis; & meipsum cum tibi ostendam, *ostendam tibi omne bonum*.

Dan. 10. Apoc. 1. Exod. 25. Esai. 6. Gen. 19. 22. 28. Exod. 3. 3. Reg. 18.

O sublimẽ Theologiam! sed penitus mihi eadem examinãda est, eiusq; promissi geminus sensus inuestigãdus, qui hic esse videtur: Ostendam tibi quidquid honestum est, quidquid vtile, quidquid iucundum est. Infernus enim omne malum ostendit, mundus autem bonum malo permixtum, at in cœlo nonnisi omne bonum tibi ostendam. Exploratores quidem, quos Josue olim emisit, vuas & botros terræ Chanaan in castris, velut euidens fertilitatis eiusdem specimen ostenderũt; Ezechias rex legatis Babyloniis diuitias & thesauros suos; Assuerus Satrapis & Principibus regni sui magnificẽtiam & splendorem; Satanas Christo omnia mundi regna ac gloriam eorum; ast ipse maius quid & excellen-

Exod. 33. Num. 13. 4. Reg. 20. Esth. 1. Matth. 4.

cellentius tibi demonstrabo, ostendam tibi scilicet omne bonum.

Quodnam vestrum de hac propositione iudicium est ô Philosophi? quid inde effici putatis? quid inde concluditis? scilicet, Deum, cum verbis & reipsa Moysi, & post cum omnibus omnino fidelibus promittit, ostensurum se illis, idque in laborum ac molestiarum remunerationem, *omne bonum*, eadem quoque opera promittere, ostensurum se illis *omne ens*, & consequenter quoque omne verum. Ens enim, Bonum & Verum ad se inuicem reciproca sunt, & à se mutuo disiungi nequeunt, & vt Metaphysici loquuntur, conuertuntur. Adeo vt ipsa felicitas & gloria Beatorum sit, ipsius boni, Veri & Entis visio, & in his tribus virtutis ipsius merces atque actionum nostrarum honorarium consistat.

Mundus inops est & vanitatibus plenus.

Ostendit quidem mundus ipse Ens aliquod, sed transitorium, & labile, ac nonnisi per transennam; aliquod quidē Bonum, sed fucatum & fallax; aliquod quidem Verum, sed falsum & tantum specie tenus. Quid enim ipse aliud est, quam vilis quidam veteramentarius ac scrutarius, qui nonnisi decem categorias habet, velut indicem omnium opum suarum vaferquidam mango est, cuius omnes merces vitium continēt, & fucum olent; falsarius est & impostor, qui inani quadam rerum imagine nos ludit, & mendaciis aures & oculos hominum opplet. Vnde Rex ille Dauid fraudes eiusdem detegens & versutias, omnes omnino mortales alloquitur, sibi vt caueant, & mundanorum auribus eiusdem technas instillat dicens, *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* vt quid cœlum & cœlestia negligitis, vbi tamen Omnes, Omne bonum & Omne verum Beatorum animabus ostendit Deus? ô præmium inæstimabile! Quamobrem gaudete animæ, quæ in hoc mundo pœnitentiam agitis, atque omnem vitam vestram summi illius Principis obsequiis impenditis, *gaudete inquam, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.*

Psal.4.

Matth.5. Luc.6.

Copiosa inquam, ac tanta, vt omnes Sancti Patres luculentum de ea testimonium perhibuerint, quorum omnium verba, vt ex iis quanti eadem fecerint, colligatis, in medium proferam. Primus in scenam prodeat Basilius, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Magni illius Gregorij, cognomento Theologi, discipulus, Arianorum terror, atq; omnium Græcorum, meo quidem iudicio, & doctissimus & eloquentissimus, qui circa annum Dom. CCC. LXX. floruit, hic cum pluribus cœlestem hanc gloriam verbis assertum iuisset, eiusdemque felicitatem diguissimis encomiis deprædicasset, tandem concludens ait: *Ibi Angelorum millia, primorum parentum conuentus Apostolorum sedes, tribunalia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, Martyrum corona, Iustorum laudes cumulatissime spectabuntur.* Exhortatio ad Baptismum.

Quinquaginta deinde interiectis annis post hunc Orientis solem, nonum in Africa effulgens iubar Augustinus, verbis tum grauibus, tum egregiis hanc sanctorum beatitudinem cumulatissime descripsit: *Quanta erit felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus?* *Lib.22.de Ciuit.Dei, cap.30.*

Prosper Aquitanicus (qui post quinquaginta, & quod excurrit, annos, Augustinum excepit, quiq; anno postissimum CCCC.LX. & vitæ sanctitate & doctrina in Ecclesia viguit, quam proxime quoque eum in scribendo secutus est) cum animam contemplatiuam ad cœlestis gloriæ Beatorumque felicitatis considerationem incitaret: his eam verbis allocutus est: *Futura vita creditur beate sempiterna, & sempiterne beata, vbi est certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas; vbi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus.* O verba aurea, & quibus collatum aurum non ita carum! Ecce & alia. *De vita contemp. Li.c.3.*

Epist.6.c.4.

Prodeat dehinc Carthagine itidem natus Fulgentius, qui tempore Vandalico circa annum Domini quingentesimum floruit summus Episcopus & scriptor non postremus: qui cum de cœlesti gloria mentionem faceret, sic orationem exorsus est: *Quis non illius vitæ desiderio præsentem vitam despiciat? quis non illius abundantia delectamento diuitias temporis labentis exhorreat? quis non illius regni*

regni dilectione omnia terrena regna contemnat?

Magnus autem Doctor & Pontifex Gregorius ante mille circiter annos tam ample & digne eandem descripsit, itaq; laudes eius decantauit, vt dicere non erubuerit, tam ingentem mercedem illlam esse, quæ Beatis in regno cœlorum promissa est, vt si vel scintillam eiusdem animis nostris insereremus, omnis subito rerum temporalium amor eiusdem ardore in nobis extingueretur. Verba eius audiamus: *Si consideremus, fratres charissimi, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo, quæ habentur in terris.* Nam quidquid quatuor hæc elementa, & orbis inferior continet, nihil omnino est, atque indignum prorsus, vt cum eo, quod in cœlesti nobis domicilio paratum est, conferatur.

Hos omnes vero multis sæculis antecedens Martialis, Apostolorum discipulus, ciuium meorum decus & columen, magnus Aquitaniæ Apostolus, primusque per hanc nostram Galliam Euangelij præco, ad Tholosanos scribens, vt eos ad fortiter in vitæ huius prælio certandum animaret, & ad virtutis itencapessendũ incitaret, aliud profecto calcar non adhibuit, quã vt semper mercedẽ gloriæ cœlestis ante oculos haberent: *Mementote vero sermonis mei, quem sæpe dicebam vobis, quanta & qualia in cœlo præparata sunt sanctis, & timentibus Deum. Omnis enim potentia & gloria in regno Dei indesinenter permanent, quæ nec augeri, nec minui possunt.*

Sed nimis iam diu veterum Patrum sententiis inhæsimus. S. Scripturæ hortum quoque ingrediamur, atq; ex eo, qui ad hanc corollam facere videbuntur, flosculos decerpamus, prodeat itaq; in medium generosa illa Amazon ac Virago, Machabæorum mater, quæ impij & efferati Antiochi tyrannidem crudelitatemq; haud verita, filiosq; ad fortiter agendum exhortans, infinitam illam iustorum mercedem, & immarcescibilem legitime pugnantium coronam ipsis in mentem reuocauit: ita namq; septimum & natu minimum, in mediis constitutum suppliciis, sex prioribus Martyrio iam consumptis, ad perseuerantiam constantiamque adhortata est; *Peto nate, vt adspicias ad cœlum, & ad terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus; ita fiet, vt non timeas carnificem istum*, mortem rideas, inque mediis suppliciis animum sumas.

Deinde, quod multo magis admirandum est, ipsemet Dominus ac Redemptor noster Jesus, nudus in cruce pendens, omni humano destitutus auxilio, spineo serto redimitus, toto corpore vulneratus, ac viribus exhaustis; spem gloriæ & mercedis immensæ, quæ ipsi post passionem parata erat, velut vnicum solamen ac dolorum lenimen habebat: proposito enim sibi gaudio, quod ex gloriæ illius fruitione oriebatur, clauos non sentiebat, in flagris velut in epulis versabatur, & hastam militis delicias existimabat. Ita namque ad Hebræos testatur Doctor Gentium Paulus: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Sumite igitur animos, Auditores, atque luculenta hac gloriæ spe ad fortiter agendum excitamini, & *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.*

Iterum inquam *copiosa*, ac tanta, vt voluptas, quam eiusdem perfecta ac plena fruitio generat, nullis exprimi verbis, nullis Scripturæ testimoniis valeat demõstrari. Amans illa mulier, quæ sub sponsæ imagine in Canticis describitur, cum dilectum suum per vicos & plateas indagaret, & filiæ Sion ab ea peterent? *Qualis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?* eiusdem statim virtutes, proprietates, perfectiones, dotes & merita graphice & ad viuum depinxit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus; oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Genæ eius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam; manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Mirari satis non possum hanc sponsam, quæ, cum omnia dilecti membra similitudinibus depingat, auro caput, palmæ cæsariem, columbis oculos, gemmis manus, myrrhæ os comparans; nihil tamen reperire potuerit, cui guttur eius com-

Gloria Beatorum verbis exprimi nequit.

compararet, id solum iucundissimum ac suauissimum nuncupans. Et sane id mysterio nō vacat; sed declaratur hic, multa quidem ac plurima hoc in mundo reperiri, quæ diuinæ maiestatis attributa ad viuum exprimant, & eius Sapientiam, Prouidentiam, Iustitiam, Misericordiam, aliaque plurima, quæ per hæc membra designantur, sed nihil omnino à Deo creatum esse, cui sponsi guttur, id est, gaudium, quo Electi in cœlo perfruuntur, pro dignitate conferatur, sed sufficere, si sponsæ verbis dicatur, *Guttur illius suauissimum.*

Ibid. Sancta porro Scriptura, vt idipsum gaudium aliquo modo exprimeret, nobisque quadantenus repræsentarat, *Gaudium Domini*, id appellat, ita namque in S. Matthæi *Matth.25.* Euangelio id expressum lego, *Intra in Gaudium Domini tui*: quasi dicere voluisset, gaudium, quo cœlicolæ & Iusti aliquando in cœlis perfundentur, similem fore gaudio, quo ipse Christus Dei filius fruitur. Ita namq; ipse id in Euāgelio S. Joannis expressit; *Loan.12.* *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Quin & amplius quid in verbis illis, *Intra in gaudium*; intueor; videtur enim illa loquendi ratio immensam huius gaudij magnitudinem appositissime declarare, quæ nimirum adeo copiosa & infinita existet, vt ipsa non in Iustorum animas, sed in ipsam animæ intraturæ sunt: deficiente quippe sinu, quo illam contineant & complectantur, in profundissimis illius abyssis penitus absorbebantur. Exclamem igitur merito, O gaudium, ô mercedē, ô ter & quater beatas animas, & *Matth.5.* *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est* *Luc.6.* *in cœlo.*

Vere *copiosa*, tum propter perpetuitatem quoniam in æternum permansura est; tum propter eiusdem eminentiam ac perfectionem, quia finis eius diuina essentia est, quæ omnis gaudij oceanus, in qua omnes thesauri reconditi sunt, & è qua velut è fonte quidquid habemus, aut videmus, derivatur; quæ proinde obiectum infinitum est. Cuius eminentiam, magnitudinē, amplitudinem ac maiestatem vt melius perspectam habeatis, aperta vobis eam similitudine declarabo. Si per plateas transiens sordes è domo foras proiici videres, quæ tamen reuera non sordes, sed pyropi, adamantes, gemmæ atq; aurum essent, an nō obstupesceres, oculisq; & cogitationibus in altum sublatis tecum ipse admirans diceres: Hem quam pretiosos in domo illa thesauros, quas diuitias, quasnam opes latitare existimandum est! hem quam felices ac beati illi sunt domestici, qui in opulentam hanc familiam adoptati sunt! O vos omnes qui per mundi huius plateas inceditis, attollite paulisper oculos; & vobiscum quæso perpendite, omnia quæ in mundo, cœlis, pelago, elementis, bestiis, gemmis, ac vobismetipsis denique conspicitis, & quidquid demum in rerum natura pretiosum existat, è diuinæ huius essentiæ fundo profecta esse, & potentiæ illius scopis per creationis fenestras in hunc mundum velut quasdam quisquilias, purgamenta, resque superfluas, quæ inexhausto diuinæ huius essentiæ reconditorio superabundant, eiecta; ac mille nouos mundos, & multo etiam perfectiores, eodem adhuc egredi posse, sic vt eosdem creare possit, ita & vellet. Hic igitur sistite, oculisque & animis in altum erectis vobiscum perpendite, quales thesauri, quæ diuitiæ, eoque gaudia in profundis Deitatis ipsius abyssis deliteſcant; quantaque eorum felicitas sit & beatitudo, quorum ante oculos infinitus ille thesaurus semper versatur, quorum ipse merces est & omnia, quippe in atriis illius semper commorātur: quam felicitatem cum Psalmographus consideraret, exclamat: *Psal.83.* *Beati, qui habitant in domo tua Domine; in sæ-* *Matth.5.* *cula sæculorum laudabunt te.* & ipse verbis Eu- *Luc.6.* angelicis eidem succino dicens, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.*

Copiosa reuera ac quodammodo infinita; præsertim cum eiusdem obiectum ipse sit Deus, idque in sæculorum sæcula: Deus inquam cuius vel solus intuitus homines simul & Angelos in admirationem rapit: cuius maiestatem atque amplitudinem quonium nullis erprimere verbis possum, similitudine quadam quantū potero demonstrare con-

contendam. Non esse sane mirum, si rege per regni sui terminos incedente agricolæ, coloni ac promiscua multitudo, quibus regiam intueri maiestatem insolitum foret, in admirationem & stuporem raperentur, tanta maiestate perculsi: at si ipsi aulici & regni Principes, qui regem quotidie viderent & alloquerentur, quique à primis annis aulam frequentassent, cum rege ipso quodãmodo educati, si illi inquam quotiescunque eiusdem amplitudinem, magnificentiam & maiestatem intuentur, præ admiratione toties in mentis stuporem raperentur, an non dicendum foret, summum hunc ac diuinum quodammodo Regem esse? Hinc vlterius cogitatione progredere Christiane, ac tecum cogita regem illum regum summum quendam Deum esse, ac maiestatem quandam infinitam, cum non modo ipsos sanctos, qui mundi huius olim incolæ fuerunt, sed ipsos etiam Angelos aulæ cœlestis inquilinos, qui iam à quinq; annorum millibus ei obsequuntur, seruiunt, ministrant, in admirationem & stuporem rapiat: ipsas etiam Virtutes, Dominationes, Potestates, ipsam scilicet regni eius nobilitatem, ipsos Thronos, Cherubinos, Seraphinos deniq;, Principes ei loco proximos, & ad coronam pertinentes. Atq; ex his omnibus tecum statue, num magnæ sit mercedis loco habendum, ac plurimi faciendum, summum hunc regem quotidie intueri, eiusque visione in perpetuum frui; & num iterum iure meritoque mihi liceat dicere, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Tertium mihi, ad hanc mercedem magis magisq; exaltandam, Cœlestiumque felicitatem sublimius adhuc extollendam, conceptum suggessit D. Joannes Chrysost. Dic obsecro, inquit, Christiane, si quis te in theatrum induceret, in quod magna virorum præstantium multitudo conuenisset, splendide ac regifice indutorum, magna seruorum caterua stipatorum, summoq; ab vniuersis honore affectorum: in eorum vero medio potentissimus quidam Monarcha sederet, auro gemmisque effulgens, qui suo te lateri assidere cuperet, teque in amplissimum illum virorum illustrium consessum adoptare; an non te totum libens ac merito eiusdem obsequio dedicares? an non te mortalium felicissimum existimares? Hac subnixus deinde cogitatione in cœlos euola, ad illud amplissimum theatrum oculos intende, quod non ex huiusmodi viris, sed ex purissimis spiritibus virtutibusque mundissimis coiit, quorum species, pulchritudo, diuinæq;, gemmas atq; aurum longe antecellunt, quorum splendor solis radios superat; nec solum ex hominibus, sed ex iis, qui hominibus infinitis partibus dignitate & conditione præstant, Angelis inquam, Archangelis, Thronis, Dominationibus, & Principatibus: in eorum vero medio potens ille Rex sedet, maiestatis infinitæ, cuius magnitudinis & amplitudinis vnicus splendor omnium creaturarum oculos præstringit. Adeo vt, si mille mortis genera essent subeunda, quo tantæ felicitatis participes reddi possimus, promptissime ea ac libentissime ferenda forent, & ab ambabus vlnis vltroque amplectẽda. Ita vt hac Chrysost. similitudine permotus rursum plena voce clamare cogat: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.* Matth. 5.

Sunt nimirum animæ illæ sanctæ ac Beatæ, quas hic exultare volumus, quibus scilicet hodierna die panegyrim hanc offerimus, & quarum lætam hodie festiuitatem celebramus; cum ipsæ sint, quæ hanc pro laboribus suis gloriam, hanc ob certamina coronam, hancq; pro sudore mercedem adeptæ sint. Animæ sanctæ, quæ vere in cœlesti habitaculo commorantur, nõ autem in aliquo mundi angulo, donec vltimus iudicij dies aduenerit, delitescunt, vt absurde olim asserebat Tertullian. quæ Dei modo visione perfruuntur, non vero eadem vsq; ad generalis iudicij diem priuatæ sunt, vt credebant Armenij teste Guidone, & Græci teste D. Thoma & Concilio Florentino: quæ in cœlesti paradiso iam exultant & lætantur, non vero eodem excluſæ manebunt, donec Christus ad iudicium venturus sit, vt docebat Vigilantius, Petrus Abailardus, Petrobrusiani, & Fratricelli testantibus id Hieron contra Vigilantium, Gabr. Prateolo de hæresibus, & Platina in vitis Pontificũ; quæ mun-

Lib. 4. contra Marcion. c. 24.

D. Thom. de erroribus Græcor. Conc. Flor. sess. 1.

do huic mortuæ in cœlo viuunt, omnium quæ hic geruntur conſciæ, non vero perpetuo ſommo ſepultæ iacent rerum mortalium prorſus ignaræ, vt ſacrilego ore calumniatur † Lutherus, vel, vt * Corn. Agrippa, nondum cœlo receptæ, vel, vti impius & nefarius Caluinus; qui mera commenta ac nugas exiſtimauit, aſſerere easdem iam gloria donatas: quæ mendacia ac deliramenta vno hoc vmbone ex Euangelio Joannis deprompto retundo: *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum; vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* & loco illo Paulino, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

† *ad cap. 25. Geneſ.*
* *Lib. 3. de occulta Philoſoph.*
† *Lib. 2 inſt. c. 25. ſeſſ. 6. Ioan. 17. Philip. 1.*

Animæ inquam ſanctæ ac terque quaterque beatæ, quæ nobis coram diuino tribunali patrocinantur, rem noſtram agunt, ac pro nobis apud ſupremum illum iudicem intercedunt, vt in Barueh Propheta legimus, *Domine omnipotens Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum, qui peccauerunt ante te.* Et ſecundo Machabæorum legimus ſummum Judæorum Pontificem Oniam, qui dudum antea defunctus erat, à fortiſſimo populi vindice, ac patriarum legum æmulatore Juda Machabæo viſum, qui iunctis Deo manibus pro Judaici populi ſalute ſupplicabat. Si diues ille Epulo, de quo in Euangelio, in medio flammarum infernalium conſtitutus pro fratrum ſalute Abrahamum deprecatus eſt, eorumque memor exſtitit; an non id potiore iure de Sanctis exſtimandum eſt? vt nimirum Vigilantij impietas refellatur, quæ teſte Hieronymo Sanctorum interceſſionem ſuſtulit, vt Conſtantini Copronymi temeritas conuincatur, qui etiam edicto publico Sanctorum inuocationem euertere conatus eſt, dicens Sanctos de nobis rebusque noſtris non eſſe ſollicitos, nobisque nulla poſſe ratione opitulari: cuius dementiæ aſſertores & teſtes habeo, † Theocteriſtum, * Suidam, & Michaelem Glycam, vt refutentur hæreticæ aſſertiones Waldenſium, reſtibus Guidone & S. Antonino; Wicleſitarũ, Thaborenſium in Bohemia, vt refert Æneas Sylu. Lutheri quoque & Zuinglij, qui omnes nefarie crediderunt, & ſuos verbis & ſcriptis docuerunt, Sanctorum inuocationem fruſtra eſſe inſtituram, eosdem carere auribus, quibus noſtras preces excipiant, eisq; nulla ſuppetere media, quibus nobis ſuccurrant, aut hominum poſtulatis vlla ratione poſſe mortẽ gerere. Similis omnino error eſt Mahumetanorum, qui Sanctorum interceſſionem iuxta Alcorani ſui doctrinam penitus negant, quod vnum à præcipuis nefandæ eorum ſuperſtitionis capitibus eſt ac veluti fundamentum.

Cap. 3.
2. Mach. 15.
Luc. 16.
Contra Vigilant. c. 3.
† *Orat. funebri in S. Nicetam.*
* *In verbo Conſtantinus.*
† *part. 4. annal.*

Mahumetus Azoara. 49.

Animæ beatæ ac felices, quæ ex variis nationibus omnibusque orbis gentibus congregatæ ſunt; ita namque easdem nobis Sanctus Joannes hodie in Epiſtola deſcribit, qui ſuis eas oculis præſens aſpexit: *Vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus & linguis, ſtantes ante thronum Dei*, ait: *vidi turbam magnam*, non vt hinc temere præſumeremus, nos certo certius de numero eodem futuros, ſed ne fortaſſe viſa electorum, ac ſaluandorũ paucitate, in deſperationis voraginem prolaberemur, qui æterna gloria excludendi, at vt hinc animos potius ſumeremus, eo nos aliquando peruenturos, quo tot generoſi athletæ, tot ſtrenui milites, & tanto quidem numero peruenerunt. Hæc porro gentium & tribuum commixtio, linguarumque diuerſitas aliud nihil denotat, quam ex omnibus mundi populis & nationibus aliquos in cœleſti habitaculo iucunda ac beata Dei viſione perfrui. Atque in huiusce rei confirmationem inſignis illa ciuitas, de qua in Apocalypſi, quæ Jeruſalem cœleſtis figura & typus erat, duodecim habebat portas amplas & late patentes, quæ verſus omnia mundi climata reſpiciebãt: vt hinc ad oculum pateat, ex omnibus terræ partibus & inſulis maris ad ciuitatem illam cœleſtem aditum patere.

Apoc. 7.
Ex omnibus mundi angulis ad cœlum aſcenditur.
Apoc. 21.

Animæ quin etiam glorioſæ, quarum tamen gloria & beatitudo inæqualis eſt, licet ſingulæ vſque ad ſatietatem reficiantur, & plena voluptate perfundantur: docuere me id duo magni nominis & ſanctitatis ſcriptores: Eucherius nimirum Lugdunenſis, qui anno Domini CCCCL. in noſtra hac Gallia floruit, Proſper Aquitanicus Eucherio per omnia æqualis. Prioris verba ſunt hæc: *Qui pius*

Homil. in Natali vnius Confeſſ.

plus laborauerit, plus mercedis accipiet: stella enim, vt Apostolus ait, differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum: quamuis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes æquales erunt. Posterioris vero hæc: *Propterea quicumque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab inuicem distabunt; omnes tamen vna perfectione beati erunt, quia singulis suæ præmia sufficientia erunt, & capere amplius præmiis suis iam perfecti non potuerunt: sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamuis singulis cibum non æqualiter, sed pro possibilitate percepérint; ita omnes Sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, vna beatitudine perfecti erunt, quia & vna perfectione beati sunt.* Adnectamus hisce testimonijs figuras è sacra Scriptura depromptas.

Traditum est, filios Israel, cum in deserto Sinai hærerent, & manna de cœlis præstito nutrirentur, quamuis alij plus alijs colligerent & comederent, eandem tamen omnes ex eo voluptatem percepisse, & saturatos fuisse, adeo vt tam saturetur, qui minus collegerat, quam is, qui amplius. Textus verba audiamus: *Et mensi sunt ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.* Manna in sacris litteris beatitudinem designat, vt ex eo ipso Apocalypsis loco manifestum redditur, *Vincenti dabo manna absconditum*, & iucundissimum ea profecto manna est, qua Beatorum animæ reficiuntur, sed eo discrimine, quod reuera mirandum est, vt quamuis omnes nõ æqualiter de eadem participent, omnes tamen iucundissime reficiantur, & sufficientissime saturentur, tam ii qui minori gloria potiuntur, quam qui maiori.

Ioseph Patriarcha cum totius Ægypti habenas moderaretur, & fratres qui in Ægyptũ venerant conuiuio excepisset, ordine ætatis singulos mensæ iussit accumbere, in suprema scilicet mensa priores natu, in ima vero natu minores. *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenitam suam, & minimus iuxta ætatem suam:* & quamuis loco inter se differrent, omnes tamen iucundissime, & ad satietatem epulati sunt: eodem namque loco scriptum est, *Biberuntque & inebriati sunt cum eo.* Quis est obsecro, qui negare audeat, hoc Iosephi epulum epuli cœlestis figuram fuisse, beatitudinis inquam æternæ, in qua Iesus Christus verus Ioseph omnes Cœlites & Sanctos, qui fratres eius secundum carnem sunt, lautissimo conuiuio excipit; sed ita, vt tamen veluti quendam, non quidem ætatis, sed meritorum vniuscuiusque ordinem seruet: adeo vt maiores natu velut in capite mensæ sedeant, maioriq; gloria perfruantur, qui vero inferiores sunt meritis, inferiores sint etiam gloria, omnes tamen sine vlla exceptione saturentur, & deliciarum vbertate inebrientur. Vnde Propheta, *Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ.*

Magnus ille Balthasar, magni Nabuchodonosoris filius, Babyloniorum Rex, splendidum ac regale optimatibus suis, purpuratis, ac regnorum præfectis conuiuium parauit, in quo *vnusquisque secundum suam bibebat ætatem.* *Psal. 35. 3.*

Quidam, quorum est omnia cauillari, ac sacra verba sannis excipere, aiunt, quę eorum ignorantia est, hæc verba, *secundum suam ætatem*, ita intelligenda, vt tot quisque scyphos exhauriret, quot esset annorũ: ita vt qui viginti annorum esset, viginti; qui triginta, triginta, qui quinquaginta, quinquaginta pateras euacuaret; vt nimirũ crescentib. annis crescerent & haustus, atque ita qui cæteros superaret ætate, superaret & numero paterarum, maiorique vinum biberet abundantia. *Dan. 5.*

Alij vero, quorum & mens sanior, ac doctrina maior, aiunt per *ætatem* hic dignitatem honorum meritorumq; gradus designari: quorum opinioni equidem accedens dico, hoc epulum Regis solemnis Beatitudinis epuli, quod ab omni æternitate electis suis Deus præparauit, typum existere, sed epuli exquisitissimi, in quo vnusquisque Sanctorum secundum ætatem, id est, secundum merita virtutesq; bibit. Docuit me id olim Prophetas Isaias, idque egregia quadam metaphora, *Pascentur agni iuxta ordinem suum*: & figura quadam non inferiori Psalmista, *Torrente voluptatis tuæ potabit eos.* *Esai. 5.* *Psal. 35.* *Luc. 19.*

Ad nouum iam testamentum veniamus: in quo legitur *homo quidam nobilis* in aliud regnum expeditionem adorasse, suasq; facultates inter seruos distribuisse: qui cum parta 32.

victoria,

victoria domum redijsset, & seruos singulos ad se vocasset, vt nimirum disceret, quantum quisque negotiatus esset, laudauit eos, qui se absente gnauiter in negotiando se gesserant, dominique diuitias cum fœnore impenderant, quorum aliquos decem ciuitatibus, aliquos vero quinque præficiendos curauit, in qua parabola liquido apparet, omnes quidem remunerationem accepisse, licet non æqualem. Hæc quidem, fateor, parabola est, sed Eucherius Lugdunensis cuius verba paulo ante adduximus, ait eam vt veram intelligendam esse, atque eadem denotari, Deum, qui in crucis certamine regnum sibi cœlorum acquisiuit, Electos suos ac fideles ministros, post rigidam de traditis talentis rationem exactam, in cœlesti habitaculo amplissima mercede ac remuneratione donare, sed non per omnia æquali: hos enim decem ciuitatibus; illos vero nonnisi quinque perfici, id est, hos maiori, illos autem minori in cœlo gloria donari. Fixum igitur sit & penitus indubitatum, Electorum mercedem infinitam esse & copiosam: in qua hic iam finio, vt ad alterum tandem aliquando concionis membrum descendam, simulque edoceam, qua via, quaue ratione ad tam immensam gloriam perueniatur.

IV. Octo ad beatitudinem viæ.

Octo olim Dominus vias esse docuit, quibus ad Beatitudinem perringatur, quas hodiernum nobis Euangelium etiam describit, Paupertatem scilicet spiritus, Humilitatem animi, Dolorem & luctum vna cum lachrymis, sitim & ardens quoddam desiderium iustitiæ, Benignitatem & misericordiam erga egenos, Munditiem & puritatem cordis, Mansuetudinem & dulcedinem morum, & singularem in ærumnis ac persecutionibus tolerantiam. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsi possidebũt terram*, &c. Sunt velut hæ totidẽ *ipsorum est regnum cœlorum, Beati mites, quoniã* viæ, quibus ad salutem peruenitur, ac veluti semitæ, quas omnes sancti, qui modo cœlesti gloria potantur, calcarunt, vt ad beatitudinem perueniret. Porro has octo vias in sacris legimus voluminibus expressas.

Matth.5.

Ezech.40. Vidit olim Ezechiel templum amplum ac magnificum, quadrangulare, in qua varia prodigia videbat, ad quod per octo gradus ascendabatur, splendidum illud ac superbum ædificium typus fuit ac figura templi illius cœlestis, & octo illi gradus, graduum, per quos ad gloriam & felicitatem æternam conscenditur, ac viarum, per quas ad cœlum iter patet.

Iacob Patriarcha cũ Bersabee (qui Iudææ vicus erat, in limitibus terræ Chanaan, qui in terræ diuisione Simeonitis obtigit) egrederetur, vt in Haram pergeret, somno grauatus in saxum caput reclinauit, cumq; altum dormiret, vidit scalam quandam prodigiosam, cuius vna extremitas cœlum, altera terram tangebat, per quam Angeli descendebant, & ascendebant. Qui veram somnii huius interpretationem habere desiderat, sibi illi persuadeat, scalam hanc figuram illius esse scalæ, quã hodie in Euangelio nostro erectam cernimus, quæ octo gradus habet & cuius vna extremitas terram tangit, cum dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; altera vero cœlum, cum in fine sequatur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ip orum est regnum cœlorum.* Scala, in quã, non Iacob, sed Iesu Christi, per quam nimirum Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Apostoli, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines denique ad cœlestem gloriam peruenerunt, sempiternæque felicitatis consortes effecti sunt. Quotnam igitur, Deus bone, semitæ sunt & viæ, quibus ad salutem perueniatur! quot portus, è quibus ad beatitudinem enauigare possimus! quotnam media, quibus æterna felicitas acquiratur! Quamobrem nolite iam amplius ô mundani præ animi angustia ac pusillanimitate dicere, ipsum iter cœlum versus angustum esse, & varijs periculis & casibus aditum eius interclusum. Nam proponit ecce nobis octo Dominus vias, vt ex ijs vnam deligamus, quam ingrediamur; certissimeque nobis affirmat, quacumque tandem incedamus, per eam ad æternã nos beatitudinem perducendos. In quam rem egregiam è profanorum libris historiã proferam.

Gen.28.

Matth.5.

Ibid.

Præclara Athenienſium conſuetudo.

Solemne erat Athenienſibus, quo liberorum suorum indolem melius perspectam haberẽt, eosq; à teneris ad omnem probitatem vitæq; honestatem erudirent, eosdem certis quibusdam diebus, omnium artificũ patentibus

ribus officinis, adhuc iuniores per omnes vrbis plateas deducere. In hac deductione diligenter notabant, in quam potissimum officinam oculos coniicerent, quos artifices attentius & curiosius intuerentur, & quorum artificio maxime caperentur: nam è fixo & accurato illo intuitu propensiones liberorum, & primos naturæ instinctus facile colligebant. Quando igitur eos policionis officinam attentius inspicientes viderent, ac singula arma non sine ingenti animi voluptate gestientisque vultus indicio contemplantes, hanc nimirum loricam bene compactam, huius hastilis leuitatem, huius gladii aciem, illius galeæ temperatam mixturam demirantes, præsagiebant patres, eos ad bellum natos, ac Martiis proinde exercitiis & certaminibus exercendos colligebant, itaque eos veluti secundos Hercules, Philippos, quasi nouos Alexandros patriam armis & dextra defensuros. Si vero iidem liberi ante bibliopolæ cuiusdam fores sisterent, & operibus Platonis, Euclidis inspiciendis, Homeri versibus, aut orationibus Demosthenis legendis caperentur; augurabantur eosdem ad studia & artes humaniores editos, atq; ideo studiis & scholis applicandos: atque eos aliquando velin rostris declamando, vel philosophicas disciplinas perdiscendo sibi parentibusque honorem & gloriam immortalem allaturos. Quod si illos mechanici alicuius artificio delectari cernerent, coniectabant eos non ad sublimia, sed ad triuialia natos, atque ita è diuersarum rerum intuitu, in quas liberorum oculi & tenelli animi terebantur, veluti præsagiebant, quo quisque animo foret, & ad quæ natura sua propenderet.

Idipsum omnino hodie nobiscum Iesum Christum, benignum illum Patrem & Dominum agere video: cupiens enim à primis incunabulis ad virtutem honestamque conuersationem nos exstimulare, adque beatitudinem accendere, omnibus amarissimæ vitæ huius diebus, ac præsertim hodierna die, per omnia nos Euangelii sui loca deducit, ac per varias semitas & vias, quibus ad gloriam peruenitur, quo naturam nostram propensionēque naturalem exploret, & videat num occulto naturæ instinctu ad æternam beatitudinem feramur. Modo namque ostendit nobis officinam pauperum, qui voluntate sua paupertatem amplexi sunt; & si videat nos hac eorum paupertate delectari & affici, certo sibi persuadet, ad regnum cœlorum nos aliquando peruenturos. Modo nos deducit ad lacrymātes, gemebundos, ac beatos illos Heraclitos, qui sic ad mortem vsque peccata singultibus, suspiriis, gemitibus inenarrabilib. pœnitentia, & lacrymis eluere conantur; & si cernat horum nos gemendi, plorandique cōsuetudine capi, continuo infert, gaudiorum nos sempiternorum participes futuros. Deinde proponit nobis mansuetos, benignos, mites, placidos, eos inquam, qui humilitatē consectantur, passiones & lasciuientes animi motus edomuere, eos, quorum cor mundum est atque ab omni prorsus labe vacuum; & si hic sentiat nos rapi & affici, auguratur & cōiicit nos Deum aliquando visuros, atque iucunda diuinæ eiusdem essentiæ visione aliquando recreandos. Denique per rubicunda persecutionum theatra nos exspatiatum deducit, per officinas nimirum afflictionū, per Martyriorum ac tribulationum pædagogia, quorū omnium aspectu si nos videt recreari, ac defixis oculis magna cum animi voluptate contemplari, hinc Petrum in cruce, Paulum sub ense, Stephanum sub lapidibus, Laurentium in craticula, Iosephum in carcere. Danielem inter leones, tres pueros in caminoignis ardentis: si conspiciat inquam, nos non sine aliquo lætitiæ gestu videre, Dauidē à filio bello petitum, Tobiam oculorum lumine orbatum, Iob vlceribus plenum, ac sanie coopertum, populum Israel tam diuturno tempore in captiuitate constitutum; hoc ei velut certissimum præsagium erit ac signū rectissima nos ad cœlum grassari via, & ad regni sempiterni fruitionem nos esse destinatos. Atque ita ex plurimis aliis considerationibus de intentione nostra & affectu, qui & de internis cogitationibus diiudicare potest: ideoque varias hasce vias nobis aperit, aquam vt ex illis quam calcemus nobis seligam°, vt iter ad æternā felicitatē obtinendā hac ratione facile nobis & expeditum reddamus.

Magnus ille Israelitarum dux Iosue, vrbem Iericho, quæ in primo terræ Chanaan limine sita. *Iosue 2.*

sus erat, quæq; à sexcentis hominum millibus cingebatur, expugnaturus, suos ad fortiter agendum cohortatus prænonebat, ad tubarum sacerdotalium clangorē muros eius dem ad terram quidem prosternendos: sed cauerent etiam atque etiam, ne patentibus iam muris & ad terram deiectis, omnes vno simul impetu per principem portā intrarent, ne sibi mutuo impedimento forent, sed singuli è regione loci, in quo stabant. Erit hæc nobis historia instar allegoriæ, dicemusque regnum cœlorum, quod toties in Euangelijs ciuitati comparatur, violenter rapi, ac vim quodammodo pati, in primis autem prædicationis buccina, quæ omnia valla demolitur, omnia etiam validissima propugnacula deijcit, omnes muros, quos dæmones ad se se defendendos obijcere queant, ad terram prosternit, vinci & expugnari.

Matth.11.

Quæ omnia ad terram cum deiecta fuerint, & iter ad cœlum iam complanatum, ingensq; ad transeundum patuerit hiatus, non vult summus ille Regum Rex Deus eadem nos intrare porta, eumdemque calcare callem; sed plures nobis demonstrat vias, vt quę visa fuerit facillima & expeditissima, eam nobis ad calcandum seligamus. Vult quodammodo, vt sine vllo nostro dispendio, magnaque commoditate cœlum ingrediamur, & facile ad salutem pertingamus: audite obsecro, quod nobis ostia reseret, quot auditus patefaciat: ait enim, *Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati qui lugēt, Beati misericordes, Beati mundo corde, Beati pacifici, Beati qui sitiunt iustitiam, Beati qui persecutionem patiuntur.* Aperiet ecce iter paupertatis, lachrymarum, misericordiæ, humilitatis, ac tolerantiæ semitam, aliasq; varias, quarum vnam nobis deligamus, per quam in cœlestem patriam proficisci, & in beatitudinis portum secure pertingere valeamus.

Matth.5.

Vetus Hebræorum traditio est, Israelitis mare Rubrum transeuntibus, duodecim id locis mirabili quadam ratione diuisum fuisse, vt vnaquæq; tribus sine vllo impedimento libere pertransiret, ita namque Origenes, Tostatus, & Genebrardus in Psalmos tradidere, illis Psalmographi verbis potissimum innixi, Psal. 135. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* Voluit nimirum Deus dilecto sibi populo duodecim transitus parare, vt tanto facilius & citius terram promissam per tribus ingrederetur. Discite hinc Auditores, eundem ipsum Deum, vt nos vitæ huius Ægypto & Satanæ tyrannide eductos in paradisum, qui vere terra est, quam nobis toties & tam sancte promisit, deduceret, rubrum mundi huius mare, quod nobis prius transeundum est, in plures partes diuidere, dilatare quodammodo & complanare diuersis locis, vt tanto nobis transitus facilior foret & expeditior. Hinc transitur per paupertatem, illinc per humilitatem, hac itur per misericordiam, illac per patientiam. Sed octo nobis vias hodiernū Euangelium, velut regias demonstrat, & eas penitus à se mutuo differentes, quas Beati & iusti calcando, diuersis anfractibus ad cœlestem patriam peruenire, & in gaudium Domini admissi sunt. Quarum aliquas accuratius iam persequar, & enucleatius explicabo. Prima itaq; sit paupertatis.

Exod. 14.

V. Paupertas voluntaria prima ad beatitudinē via est.

Ipsa namq; est prima omnium via, eaque certissima, & compendiosissima, qua ad cœlum & salutis portum peruenitur, hāc namque Christus primo loco nuncupauit, ceterisque omnibus præposuit, *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: quo loco non paupertatem, quæ necessario, etiam abinuitis, ferenda venit, intelligit, sed voluntariam; deq; ijs solū pauperibus agit, qui vltro & spontanee, sancto quodam ac religioso proposito, Deique amore succensi, eamdē amplexi sunt, atq; omnia, quæ in mundo possidebant, vel aliquando etiam possidere poterant, deseruere. Non possum vero, quin hoc loco eorum impudentiam & ineptam cauillandi prurigine coarguam, qui honore & dignitate beatitudinis huius abutentes; per pauperes hos spiritu, fatuos, stolidos, idiotas, bardos, & emotæ mentis & imminuti cerebri homūciones denotari volūt. Sed Glossam Ordinariam, quæ è cœlo profecta est, hic sequimur, quæ per pauperes hos spiritu intelligit eos, qui vltro nullius persuasu propria voluntate ac consensu, omni se rerum mundanarum affectu exuerunt, & heroico quodam mentis proposito diuitijs & delicijs sæculi huius valedixere, Deoq; Religiosæ

Matth 3.

ligiosæ paupertatis votum obtulere. Atque in hūc modum humilis illa Dauidis Regis oratio capiēda est, *Inclina Domine aurem tuam, quia inops & pauper sum ego*. quæ verba Augustinus explanans ait, *Pauper non erat Dauid, cum Rex esset, sed interius pauper erat: multi enim exterius pauperes sunt, qui intus diuites sunt desiderio*, & Sancti Pauli præceptum transgrediuntur. *Tamquam nihil habentes & omnia possidentes*. Quare hic non nisi de paupertate voluntaria sit sermo, cui & hoc Euangelicum elogium accino, *Beati pauperes spiritu*.

Hem quam securus paupertas ipsa portus est, è quo recta sine vllo discrimine aut piratarum metu per infames naufragij voragines ac mundi huius charybdes in patriam viuentium enauigamus. Quam multos sanctos viros fidus hoc à tempestate, procellis ac fluctibus eripuit? Testis nobis sit Ionas Propheta; hic enim cum mare pernauigaret, nō meliorem seruandæ nauis & vitæ nauarchi, suiq; à tempestate liberandi rationem inuenire valuit, quam mercibus nauim exonerare, easq; in mare deijcere. Vita nostra, Auditores, mera quædam nauigatio est, idq; in mari mundi huius, varijs tempestatibus & procellis agitata: in qua nauigatione vt vitam nostram cōseruemus, animamq; in tuto collocemus, & damnationis perpetuæ naufragium euadamus, nullum, meo quidem judicio, aut aptius aut conuenientius remedium reperire datur, quam inordinatis erga mundi huius res affectibus seipsum exonerare; diuitias velut res quasdam superfluas ejcere, atque sub vndis paupertatis omnia concupiscentiæ desideria, quæ nonnunquam offerre sese gestiunt, animoq; periculum accersunt, submergere.

Vasa, quæ Elizæus in domo Sunamitidis miraculosa quadā ratione oleo replebat, vacua prius fuisse constat. Vt autem nostro hoc proposito tropologice adaptem, dico, animę nostræ vasa non prius oleo gloriæ patriæ cœlestis, in domo Dei, id est, cœlo adimplenda, quam ab omni penitus concupiscentia, atq; omni terreno desiderio, in mundi huius domo eadem vacua reddantur. Nam mihi credatis velim, eum qui in hoc mundo pauper & inops est, hac sibi paupertate diuitias in altero comparaturum.

Bessai tom 3. de Sanctis.

Docent Philosophi, atq; in primis Aristoteles nullum in vacuo motum dari: adeo vt quamuis omni in re aliquis semper naturæ motus existat, in vacuo tamen nullus omnino reperiri possit. Dogma hoc quidem Philosophicum est: quid ni & Theologicum? aio nempe in anima paupere atque ab omni inordinato affectu rerumq; fragilium desiderio vacua nullum omnino motum corruptibilem existere, eamq; velut in tuto, ne ab vllis vitiosis motibus impeti possit, esse collocatam: adeo vt cum diuites & opibus pleni, ventis, tentationibus, & casib. varijs obnoxij sint, pauperes velut in tuto & aprico loco cōstituti, ab omnibus procellis tempestatibusq; immunes existant. Non est motus in vacuo.

Luna noctis illa domina nunquam defectum patitur, nisi dum plena est; quamdiu enim dimidiata est & in cornua curuata, ab huiusmodi deliquio tuta existit; quin etiam tum, cum plena est, à sole omnis luminis principio & fonte quam maxime distat. Idipsum quid impedit, quo minus de gratia dicamus? Peccata scilicet quæ obscurissima quædā deliquia nominari queunt, in anima paupere, egena, rebusq; necessarijs destituta (quæ hoc in mundo instar lunæ crescentis & decrescētis est) rarissime locum habere: sed tum potissimum eandem deliquium & Eclipsim experiri, ac longissime à Deo, qui sol justitiæ est, remotam esse, dum diuitijs & opibus turget. Exclamem igitur merito, O infelices diuitias, atq; omnium irritamenta malorum! & è contra, *Beati pauperes spiritu*. Luna nunquam delinquium pati tur nisi dū tum, cum plena est.

Vere inquam beati, qui propria sua voluntate, ac spōre vniuersos mundi thesauros dereliquere, seque ex omnibus sæculi huius pedicis & insidijs eripuere. Horum felicitatem olim quoque demiratus est Sapiens, dum ait, *Beatus vir qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abijt, nec speranit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Mirabilia inquam, ac mera miracula, ipsaq; miracula multis quin etiam partibus superantia. Asserit enim Chrysost. atque aperte confitetur, rerum temporalium & omnis lætioris fortunæ contemptum, omnium miraculorum esse maximum. in omnibus enim, quæ præter & supra communem *Matth. 8.* *Eccli. 31.* *Hom. 27. in 2. ad Cor.*

naturæ cursum, ac non sine diuina cooperatione fieri videmus, Deus ipse præcipuus operator est, homo vero non nisi instrumentū est, ac veluti quoddam zero in numerādi arte, quod ipsum quidem nullū ex se efficit numerum, sed alijs adjunctum notis ad millenarium vsque & etiam amplius extenditur: Verum in singulari hoc miraculo, quod in paupertate voluntaria ac rerum mundanarū contemptu situ est, homo præcipuus opifex est; hic enim ille voluntatem suam refrenat, hic prauos & inordinatos affectus compescit, eosque à fluxis & perituris diuitijs auocat: Deus autem non nisi cooperator est, Creator velut persona secundaria impellit, at creatura opus ipsum perficit & consummat. *Beati igitur pauperes spiritu.*

Laudatur in sacris literis singularis illa patientia, ac magnanimitas Iob Prophetę, quod nimirum, cum ignem, fulmina, elementa, homines etiam ac Diabolos, & totam vniuersi machinam in suam conjurasse perniciem videret, aliud nihil, vnus jam & nudus ad extremum inopiæ & paupertatis redactus, heroica quadam & masculæ animi magnitudine dixerit, quam, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ: & nudus reuertar illuc, Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum:* Dicere voluit expostulās, Quid est quod me hic affligam? cur animo excrucier? quippe qui nihil perdiderim; cum nihil huc intulerim, dum pedem in hūc mundum inferrem; & nihil quoque hinc mecum ablaturus sim, dum mihi ad sepulchrum abeundum erit. Si Deus mihi facultates sit elargitus, & easdē jam abstulerit, solum repetijt, quod ad se pertinebat: quare in æternum & in sæculum sæculi nomē eius maneat benedictum. Cum hanc Prophetę Stoicam magnanimitatem ac simul voluntariam Religiosi paupertatem & in abdicandis opibus constantiam accuratius mecū perpendo, existimo sane hanc maiorib. dignam esse encomijs magisq; deprædicandam hic enim sine vlla vanitate & inanis gloriæ metu dicere potest: Dederas Domine tam amplas facultates & opes seruo tuo Iob, & eas idem ipse, in omnes illius possessiones sæuiendo, repetijsti, in quo ipsa tibi elementa famulata sunt, Diaboli vero voluntatis tuæ executores exstitere: Ego vero mihi ipsi futurus sum carnifex & tortor: neq; enim exspectabo, donec ignis, latrones, Diaboli quoque in me crudelitatem suam exerceant, violenterque mihi auferant, quæ benignissime mihi aliquando indulsisti: at ego ipse amore tui ijsdem me denudabo, atq; omnibus omnino rebus motu proprio cedere, paupertatemque voluntariam ambabus vlnis amplecti paratus sum. Iterum igitur dico, *Beati pauperes spiritu.*

Iob. 2.

Pauperes voluntarij cum Iobo comparati.

Beati inquam ac terque quaterque felices, qui disruptis captiuitatis suæ vinculis, seque ipsos mundi huius catenis exsoluētes ad egregiam quandam libertatem & vere auream aspirant. Hinc Augustinus. *Quem delectat vera libertas, ab amore mutabilium liber esse appetit.* & apud Lucilium suum Seneca hanc suam libertatem extulit, ad eamq; eundem inuitauit dicens: *Vaco, mi Lucili, & aco: & vbicumque sum, meus sum: rebus enim non me trado, sed commodo.* quasi diceret, non meam ego libertatem vendo, nec ipsis me rebus penitus submitto, sed horas tantum aliquot ex otio meo illis elargior, & nonnullas tantum animi cogitationes. Singula hic verba pondus & energiam habent. *Non me trado:* rebus enim se tradere est de jure suo decedere, libertatem perdere, vinculaquædam pedibus injicere, seque mancipium confiteri, *sed commodo,* neque enim affectus rebus hisce fluxis, nisi in quantum ad vitam necessarijs, affigendi sunt: sed post aliquot occupationes deinde ad desideratam libertatem exoptatumq; asylum redeundum. Atqui hanc Senecæ agendi consuetudinem imitantur pauperes hi beati, quos hoc beatitudinis nomine ipsa Patris Veritas donauit, dicens, *Beati pauperes spiritu.*

Luculentus hic mihi conceptus in mentem venit. Ionas Propheta è Niniue reuersus cum die media sub vmbra virentis hederę defatigatus & laboribus exhaustus jucundissime dormiret, vidit ecce subito ad radicem eius vermem, qui eandem depascebat, quo facto omnis statim viror eiusdem exaruit. Scripturæ verba sunt hæc: *Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascēdit super caput Iona, vt esset vmbra super caput eius: Laborauerat enim, & lætatus est Ionas super hedera lætitia magna, & para-*

Ion. 4.

Temporalia bona hederæ comparata.

parauit Deus Germem, & percussit hederam & exaruit. Per semper virentem hanc hederam bona temporalia intelligo & merito: quemadmodum. n. hedera parieti aut maceriæ alicui adhærescens in sublime excrescit, & caput inter nubila condit, sola autem, & sine sustentaculo, sine vigore & flore per terram serpit: ad eundem modū & diuitiæ, si bonis hæ & pijs operibus adhærent, si eleemosynis innitantur, captiuorum videlicet redemptioni, egrorum curationi, alijsq; exercitijs misericordię, mirum quam sublime excrescant, quamque late meritorum ramos extendant: siu minus, facile apparet, quam euanidæ & emortuæ ac quodammodo exsuccæ ad terram delapsæ jaceant. Huius autem sub hederæ vmbra quam suauiter mundani dormiunt, cum nimirum diuitijs terræ huius gaudentes ingentem ex ijsdem voluptatem percipiunt? Sed, hem breuem ac fugacem voluptatem, dum minime credunt vel expectant, vermiculus quidam terra egrediens viridem hāc arborem exedit, & eiusdem radice depasta omni eam penitus virore despoliat. Vermis hic, Auditores, ipse Christus est, qui & hoc seipsum nomine appellare non dubitauit (*Ego sum vermis & non homo* superbiens & arrogans atq; instar aliorum peruersus & iniquus) vermis hic arbusculi huius radices depastus est, cum sacrosancto suo ore pauperes spiritu felices ac beatos pronunciauit. Hinc porro factum est, vt omnes deinde viri sancti elogio hoc potissimum incitati opes & diuitias sęculi huius velut mortuas, aridas & exsuccas existimarint.

VI. Benignitas secunda ad gloriam via est. *Matth. 11.*

Post opulentam hanc paupertatem altera ad cœlos semita ipsa est benignitas & injuriarum placida perpessio. ita namq; id docuit olim magnus ille artiū Magister Christus Dominus, dum ait, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, discite inquam non mundos de nouo condere, mortuos ad vitam reuocare, manna de cœlo pluere, rupes in fontes aquarum conuertere, sed benignitatem; discite rancorem & omnem animi amaritudinē exuere, & humilitatem cordis vestri tabulis insculpere. Hinc inter maxima Mosis Prophetæ encomia scriptum de eo legimus: *Erat enim Moses vir mitissimus.* & Psaltes inter cæteras Dei optimi maximi proprietates hanc nō postremam arbitratur, *Tu Domine suauis & mitis.* Quin & ipse Deus beatitudines suas exponens, & eos qui beati sunt enumerans, secundo loco benignitatem & mansuetudinē posuit, atque eos qui mites sunt & benigni, ab omni videlicet felle & animi virulentia alienos. *Num. 12.* *Psal. 85.*

Maledicta sit igitur iracundia, & rabies, ac nimium vos infelices, qui ira & effrenata vindictæ vos cupiditate transuersum rapi sinitis: neq; enim cœlum vlla ad vos ratione spectat: certum namque est furias ac quidquid ad rabiem spectat, tartara incolere, benignitatem vero ac mansuetudinem cœlorum inquilinas esse. Quantum porro malum sit cholera, quātumque animam commoueat, non existimo hic necessarium pluribus exponere, præsertim cum ex verbis Prophetæ Iob, *De naribus eius ascendit fumus ollæ succensæ*, satis id manifestum reddatur, quibus iratum oliuæ feruenti comparat, cum enim olla propter subjectum ignem feruet, quidquid in imo est, sursum ascendit: calor quippe, qui subtus operatur, feces, sordes, & quidquid in fundo latebat, ex se serit, quod aqua æstuante minime videri poterat. Ita quoq; dum animus ira & furore effervescit, igneq; ebullientis cholerę superimpositus est, omnia interiora concitantur & altum petunt, blasphemiæ ore euaporant, injuriæ prodeunt, & quidquid fœcis, spumæ, sordium in animo delitescit, foras gestit erumpere: adeo vt quando aliquem furere & cholera succensum videmus, illud Ieremiæ merito dicere possimus: *Ollam succensam ego video.* Ollæ feruenti cholera comparata est.

Alij vehementem hunc furorem grandini assimilant: quemadmodum enim grando impressio quædam meteorologica est, quæ in aeris regione nascitur, quæ dum in terram delabitur, tanto impetu decidit, vt *Sternat agros sternat sata læta, boumq; labores*: non secus quoque ira, quæ impressio quædam animæ est, in parte irascibili efformata, dum in terram conscientiæ alicuius ingruit, omnia destruit, dissipat, stragemq; illic non exiguam edit; adeo vt de cholericis illa scripturæ verba *Ierem. 1.* Cholera grandini comparata.

Psal.148. vsurpare liceat: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum pars calicis eorum*: ac veluti in temperata quadam regione rarissima est grãdo; ita & in anima suaui ac benigna cholera rarissime locum habet.

Olympus mons grandinem non experitur.

Docent rerum naturalium inuestigatores Olympum montem, qui omnium montium facile princeps est, à fulmine, turbinibus, procellis, & grandine non impeti. Docemur occulto hoc naturæ arcano sublimes & heroicos animos, quales mites sunt & pacifici, fulminantibus illis passionibus iræ obnoxios non esse, à procellis iracundiæ remotissimos, & à grandine æstuantis furoris nimium quãtum alienos; ac proinde mites & benignos ex Euangelij sententia vere mites pronunciari, in quam rem figuras producam.

Exod.9.

Grando illa Ægyptia, qua nulla maior vnquam aut vehementior fuit, omnia in Ægypto comminuit & euertit, pecora & armenta interemit, & segetes per vniuersum regnum pessumdedit. at in terra Gessen, in qua Israelitæ habitabant, nulla prorsus grando apparuit, & cum omnes circumquaque vicini tristi hoc casu affligerentur, minima hæc terræ portio immunis mansit. Peregregia sane allegoria. Per Ægyptum hanc iracũdos intellige, qui densis nebulis & spissis vaporibus oppleti, facillime se cholera extra animæ statum abripi sinunt, quæ instar grandinis omnes partes illas vitales, quæ in irascibili & concupiscibili sunt, euertit ac destruit, & eadem simul opera omnes virtutes & merita, quæ in animæ agro reperiuntur, quæ eiusdem quodammodo segetes & messis sunt, demolitur; at in terra Gessen, per quam pacifici anima, benignitati assueta denotatur, nullam vel minimam perniciem causat: ita vt vniuerso iracundorum horum Ægyptiorum regno grandine hac vastato, solus angulus Gessen, qui mansuetorum ac placidorum typus est, ab eadem tutus sit & immunis. Hinc non iniuria juxta Euangelium dicimus, *Beati mites.*

Matth.5.

At quoniam similitudines magnam apud omnes vim habere solent, aliam adhuc domi meæ natam producam. Dico itaque iram & furorem similem esse turbini cuidam vehementi, quantum è verbis Ezechielis colligi potest, *Ecce ventus turbinis venit ab aquilone*: at turbini, qui hoc ipsum in anima Christiani, quod olim domui Iob factum est, operari consueuit. Tradit namque scriptura ventum quendam è deserto repente excitatum, tanto impetu ac vehementia domum viri sancti concussisse, vt quatuor angulis eiusdem loco motis ipsa ad terram conciderit, miseraque ruina cunctos eius liberos oppresserit. Per infelicem hanc domum, hominis animam designari autumo, quæ quatuor columnis innixa, quatuor inquam virtutibus cardinalibus à violento illo iræ turbine, qui ex infernali abysso repente consurgit, tanto nonnunquam impetu vndequaque concutitur, vt ad terram concidat necesse sit, suoque casu omnia simul bona & liberos eius, virtutes scilicet, pia opera, ac merita inuoluat. Vbi enim vehemens hæc dominatur passio, & iracundia sæuitiam & tyrannidem exercet, omnia concidant & pereant necesse est. Cogitate igitur vobiscum, an non ira vere scelesta quædam sit rabies, & num mansuetudo heroica quædam virtus sit, & an merito inter octo beatitudines à Domino constituatur: atque num vna è vijs sit, per quas dum animæ insistunt, recta ad cœlestem Patriam & jucundissimam Sanctorum societatem perueniunt.

Ira turbini confertur. *Ezech.1.* *Iob.1.*

Ad priores hasce vias tertia accedit patientia & afflictionum æquanimis tolerantia, quæ vere via quædam regia est, per quam compendiosissime simul & expeditissime ad regnum cœlorum tenditur, & quam insistere adeo necessarium est, nulla vt ad gloriam perueneritanima, quæ hanc viam non prius calcarit. Ita namque id Apostoli auctoritate sua tradiderunt; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* & deinde sigillatim Paulus, *Hoc leue tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis.* Idipsum & Angelus Ioanni in Apocalyp. viuo exemplo demonstrauit, cum ei plurimas bellatorum turmas victorijs nobiles, ac palmas manibus gestantes, & vestibus agnã

Patientia in tribulationib. via est, per quam ad gloriam peruenitur cœlestem. *Act.14.* *2.Cor.4.* *Apoc.7.*

agni immaculati sanguine tinctis indutas ostenderet, quas hoc elogio condecorauit: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna.* Quin & ante hos omnes publice Saluator noster docuerat: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth 5.

O igitur omnibus votis exoptandæ persecutiones, quas tam ampla mercede compensat Omnipotens! ô auro redimendæ afflictiones, quæ cœlestem gloriam in præmium recipietis! Docuit id me Doctor gentium Paulus, qui in nulla re alia præterquam in cruce Domini, quæ Christianorum tribulationum symbolum est, gloriatur & triumphat: *Absit mihi,* inquit, *gloriari nisi in cruce Domini nostri* perinde ac si diceret, Glorientur mundani in diuitijs, in omniscia rerum cognitione philosophi, reges in sceptris & diadematis: equidem aliud non quæram aut ambiam, quam crucem Domini mei: illa futura est mihi honos, voluptas, vnica mea gloria ac triumphus. Perspectum namq; habeo, quid sit crux, & quantum boni cõtineant tribulationes, noui; præsertim cum per easdem ad gloriam perueniatur. Gal.6.

Magnus ille Patriarcha Iacob quamdiu caput in lapidem reclinatum habebat, mirabilem illam ac prodigiosam scalam conspexit, per quam Angeli è cœlo deorsum & è terra sursum ascendebant, cuiusque extremitates cœlum cum terra copulabant. Denotabat hoc nos, quamdiu tribulationum lapides capitibus nostris subiecti sunt, quamdiu super nudam membra extendimus, quãdiu persecutiones sustinemus, propter iustitiam, Angelorum visione recreari, cœlitum conspectum & scalam, per quam ad gloriam ascẽdimus, promereri. Merito igitur in Euangelio Dominus: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum.* Gen.28. Matth.5.

Iterum igitur exclamo, ô persecutiones super aurum & topazion diligendæ, quæ beatitudinem æquanimiter vos ferentibus affertis, & cœlestem mercedem promeremini! quibus solis, vti & voluntariæ paupertati regnum cœlorum promisit Dominus. Pacificis quidem & mitibus terræ possessio, lugentibus solatium, misericordibus & benignis in pauperes reciproca misericordia, esurientibus iustitiam saturitas promittitur, sed patientibus & pauperibus spiritu gloria nullo vnquam tempore finienda. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* ac deinde, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* vtrinque legimus cœlum, vtrinque coronas, vtrinque regna eaque afflictis parata & pauperibus. Anne scire vultis curiosi rerum inuestigatores, cur his duabus potissimum beatitudinibus tam magnificum tamq; amplum Deus præmium proposuerit? dicam. Prudentem hic Christus patremfamilias videtur imitatus, plures habentem filias, quarum non æqualis omnium sit pulchritudo, qui cum æquo singulas amore prosequatur, deformioribus tamen maiorem & ampliorem dotem assignat, quam ijs, quibus pulchritudinem natura contulit, quo illæ citius honesto matrimonio copulentur. Testis huiusce rei sit Laban, qui cum duas haberet filias, lippiẽtem vnam nomine Liam, & alteram venustate insignẽ, cui nomẽ Rachel, turpiori lautiorem dotem dedit; ita vt quæ impares forma, essent & dote. Idipsum penitus Pater facit cœlestis: cum enim octo habeat filias, cœlestes inquam filias, octo nimirum beatitudines, easque hominibus matrimonio velit iungere, paupertati & tribulationum tolerantiæ, quæ mundanorum oculis cæteris videntur deformiores, cœlestem gloriam velut in dotem constituit; cuius matrimonij tabulas ipsaque contractus verba huc adducam: *Beati pauperes spiritu, & beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth.5. Luc.6. Insignis conceptus. Supra.

Massagetis gentibus immanitate barbaris solenne erat, omnes quotannis filias nubiles, & simul etiam adolescentes, qui easdem ducerent, vnum in locum congregare: tum adolescentes, qui alicuius puellæ pulchritudine capti erant, eandem magna auri vi sibi in vxorem redimebant, quod ipsum deinde deformibus in dotem dabatur, vt & illæ hac sibi ratione maritos compararent, adeo vt pulchris pulchritudo, deformioribus aurum Laudabilis Massagetarum consuetudo.

Diaz in festo SS. omnium, & de Vega in ser. de S. Sebast.

maritos cõciliaret. Idem omnino hic in beatitudinum suarum enumeratione facit Christus, deformes nempe filias, hominumque oculis displicentes persecutionum patientiam ac paupertatem voluntariam ducentib. amplissimam mercedem pollicetur. Hæc autem eiusdem pollicitatio est: *Beati pauperes spiritu, & beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Audistis iam vias tritissimas, Auditores, per quas ad salutem peruenitur. vidistis planas illas semitas, quas omnes Sancti, quorum omnium vnam & generalem memoriã agimus, calcando, ad æternam tandem beatitudinem pertigerunt: vestrum vero est eosdem quam proxime sequi. Currite igitur in odorem tot strenuorum athletarum, virtutes eorum & facta heroica imitamini, eorum vos vitæ conformes ac meritorum capaces reddite, hac namque præsertim de causa eorum nobis festiuitatem Ecclesia proponit, cuius rei varias sacræ nobis litteræ figuras subministrant.

Supra.

Fusile illud mare, quod fecit olim in Dei honorem Moses, singulare inter cetera hoc habebat, quod duplex in eo sculpturarum striatarum ordo appareret, & ipse quidem fusilis. Ingens illud vas in maris similitudinem efformatum Ecclesiam denotabat; illæ porro sculpturæ SS. exempla & imagines, qui ad imitandum potissimum nobis propositi sunt, vt quibus illi vijs, quibus rationibus ad tantam gloriam peruenerint, hinc colligeremꝰ, erat porro sculpturarum harũ ordo duplex, quo Sanctos & veteris & noui simul testamenti melius nobis ostenderet, eorum imagines vt intuendo virtutes etiam sanctaque opera imitaremur.

Num. 13.

Moses Dux vt Hebræos, qui Ægypti ollas numquam non spirabant, ad terram promissionis armis sibi parandam magis accenderet, exploratores aliquot in totius populi conspectum produxit, qui varia fructuum genera, velut quoddam inauditæ fertilitatis specimẽ populo demonstrarent. Magnus ille regum Rex Christus, & Ecclesia sancta, quæ eiusdem hic vices supplet, non imprudenter mihi videntur fecisse, cum vt hominibus ad mundi huius Ægyptum semper anhelantibus verę promissionis terręe desiderium excitarent, omnes illis hodie Sanctos producit, qui omnes regnum cœleste exploratunt, variasq; virtutes, qui veri quidam regni illius fructus, euidentia gloriæ indicia, & luculenta numquam visæ vel auditæ fertilitatis argumenta sunt, secum deferunt. Tertiam adhæc post duas hasce sacras è gentium monimentis producam historiam.

Lacedæmonij vt iuuentutem ad maiorum suorum imitationem accenderent, omnes omnium fortissimorum virorum heroumque, tam eorum qui domi, quam qui bello claruerant, imagines in senatu in ære, vel marmore ad viuum expressérant, hoc adiuncto epigrammate, *si fueritis sicut isti, eritis sicut isti.* Laudabile hoc Spartanorum factum sanctius interpretatus dico, Ecclesiã hodierna die idipsum prorsus facere: omnes enim Christianos excitare dum satagit, vt vitam adinstar maiorum suorum agant, eorumque vestigijs gnauiter insistant, diuersa ijs Sanctorum genera, Apostolos nimirum Martyres, Confessores, Virgines, antiquos illos dico heroes & heroinas, qui fortitudine sua & rebus strenue gestis immortalis gloriæ coronam adepti sunt, ob oculos ponit, & ijsdem nos verbis alloquitur; Si tales fueritis meritis, quales Sancti hi fuere, quorum iã diem colitis, eritis & tales gloria, quales modo illi. Apostolus vero Paulus idipsum nobis proponit, sed alijs plane verbis: *Si compatimur, & conregnabimus* Atq; in hunc sensum & hodiernum Euangelium, & præsens hæc concio finem accipient: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Lacedæmoniorum mos in iuuentute ad virtutem excitanda. *De Vega in Paradiso Sanctor.*

2. Tim. 2.

Matth. 5.

In hoc porro gratiam tuam nobis elargire, ô omnium Sanctorum Sancte; vosque eamdem vestris ab illo precibus obtinete ô Sancti cœli incolæ, Angelorum socij, ac summi Dei amici; vos inquam, quorum hodie festiuitatem facimus, quos inuocamus, imploramus, adoramus, non quidem vt aliquos deos, sed vt fideles summi Patris ministros. Hoc obsecro nobis ab æterna illa maiestate exorate, in hoc preces vestras interponite, votis nostris & desiderijs annuite, & orationibus

nostris

nostris benignas aures accommodate. Nolite vero imitari ingratũ illum Pharaonis pincernam, qui ergastulo solutus & à Rege suo in pristinũ dignitatis locum sublimitatus, captiui Ioseph oblitus est, qui eidem tamen cum illo carceri inclusus fuerat. Vos autem Sancti glorioſi, qui nostri olim in pœnis & afflictionib. socij exstitistis, qui eodem, quo nos modo, carcere clausi fuistis, hanc ingratitudinem & inhumanitatem nolite imitari. O ter beati Sancti, qui felici Zephyro afflati optatum in terra viuentium portum intrastis, nostri quæso nolite obliuiſci, qui in procelloso hocce mari plurimis obnoxij casibus adhuc fluctuamus, quiq; ad eundem portum aspiramus; cursum nostrum dirigite, vt peritissimi nautæ in tempestatibus nobis affulgete, & exoptatæ cynosuræ lumen nauigantibus præbete, & lucidissimæ lampades, felices viatores, qui post tot confecta itinera in patriam tandem peruenistis; cum nos miseri hic etiamnum peregrinemur, licet interea dum in terra hac exilij versamur, ad perpetuę hoc quietis domicilium aspiremus; conducite nos, dirigite iter nostrum, vias nos edocete, per quas ambulantes peregrinationem nostram peragamus. Sed ô Sancti felicissimi, iterum nostri mementote, pro nobis intercedite; & quoniam animæ in Purgatorio adhuc detinentur, & oculos suos in nos & nos etiam conijciunt, vestraque suffragia, & simul nostra efflagitant, nostra vestris vota coniungimus, proque ijs vnanimi oratione, vestræ gloriæ valedicentes, dicimus, *Requiescant in pace.*

IN FESTO COMMEMORATIONIS OMNIVM FIDELIVM DEFVNctorum.

Partitio.

1. *De mortis memoria.*
2. *Quam illa sit vtilis.*
3. *De cura pro mortuis.*
4. *Varia gentium variarum in mortuos cura.*

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

FIGVRA.

FLix ille Princeps Dauid, qui ex humili o- 2. Reg. 1.
uium pastore ad sceptra Iudææ euectus est, audito fortissimos Israel vna cum Saule & Ionatha in montibus Gelboe occubuisse, lachrymabundus ac suspirans suos omnes ad ieiunia, suspiria, & lamenta inuitabat, singultuq; verba interrumpere huiusmodi lesso defunctorum miserias deplorabat: *Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati: Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?* Ipsum mihi hodierna die facere videor. Audiens enim, acerbo omnes Pontifices, Reges, Principes, tot viros illustres & nobiles, qui in mundo vnquam vixere, fato occubuisse, plorans & ingemiscens, fideles omnes ad plorandum, ieiunandum, & orandum inuito, omniumque auribus voce intensa exclamo: Considerate obsecro Christiani pro his, qui ferali mortis iaculo sauciati in cœmeterijs vestris sepulti requiescunt. Respicite tot nobilitatis insignibus illustres, diuitijs affluentes, doctrina & scientia celebres, qui in tumulis modo iacentes in putredinem & vermes conuersi sunt. Intuemini, quot Monarchæ potentissimi, quot mulieres speciosissimæ, quot nymphæ, quot Helenæ, quot

quot Lucretiæ in pulueres & sordes redactę, in sepulchris vermes, bufones, & viperas saginent? Horum mecum casum deplorate, ieiunia pro animabus eorum vobis indicite, preces pro ijs ad Deum fundite, sacrificia offerri curate, vestrisque suffragijs eisdem succurrite, atque hac potissimum die, qui omnium fidelium defunctorum exequijs obsequijsque ab Ecclesia destinatus est: die, quo commune pro omnibus mortuis funus indicitur, quo templorum parietes lugubrem amictum præferunt, campanæ tristem sonum edunt, & quo ipse funebrem pro ijsdem orationem facturus huc ascendi. Paracletus Spiritus sua nobis gratia, ac Deipara Virgo suis apud filium precib. adesse dignentur, quam Angelica proinde salutatione compellemus:

AVE MARIA.

I. Eccl. 14. Salomon ille Regum & mortalium omnium sapientissimus, cum probe teneret, quantum homini mortis memoria vtilitatis afferret, quamque ei ad salutem necessaria foret, omnibus omnino hominibus ait: *Memor esto, quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum, quoniam monstratum est tibi*, quasi dixisset: Noli perpetuam tibi vitam polliceri ô homo, aut annos spondere Nestoreos, sed mortis tuæ nunquam non memor viue, & cogita iam à fascibus eius fores tuas pulsari, ac proinde dispone domui tuæ, testamentum conde, deque sepulchro tuo quid fieri velis constitue. In horum verborum sensu Iansenij interpretationem sequor, qui pro ea qua præditus fuit literarum sacrarum cognitione per verbum *Inferorum* sepulchrum dixit significari, ita vt sensus sit: Memento quicunque demum sis ô homo, & quocunque in loco degas, mortem tibi nocte dieque instare, astare, citatoque gressu te insequi, vt te semel comprehendat.

Apoc. 6. Egregium nobis in hanc rem emblema in Apocalypsi sua suppeditat Ioannes, quo loco vidisse se testatur equum pallidum, & equitem eidem insidentem, cui nomē mors, cui super quatuor terræ partes & orbis cardines potestas data erat, omnia vt vindice gladio interimeret, & ipsas quin etiam bestias necaret. Mortem scilicet equo vehentem vidit, vt eius celeritatem, quamque citatis eadem gressibus ad humanum effundendum sanguinem, diuina iussa implenda, vitamq; hominibus eripiendam feratur, exprimeret.

In ipso quidem rerum creationis primordio mors nonnisi pedibus incedebat, ac quodammodo claudicans in longum mortalibus tempus vitam prorogabat, dudumque morabatur, antequam in noxios animaduerteret. Nongentos enim ac triginta Adamo ad pœnitentiam annos concessit. Noachum nongentis quinquaginta, ac multo etiam post diluuium ipsum tempore persecuta est, nongentis & vndeseptuaginta nouem cucurrit annis, antequam Mathusalem comprehenderet. At iam insidet equo, atque ita ad cursum edocta est, nihil vt eadem sit celerius, nosque statim, interdum post annum, nonnunquam post decem, viginti, triginta, comprehendat, ac longissimum, quo eam fugere possimus, tempus octoginta, ad summum centum sint anni: quibus euolutis tandem inuitis etiam manus inijcit, atq; ad supplicium rapit etiam reluctantes. Vnde bene ac vere dixit olim Sapiens, *Memor esto, quoniam mors non tardat.*

In mundi exordio nonnisi pedibus mors incedebat, iam vero equo insidet.

Babylonijs, vt mortis celeritatem & instantiam ad oculum exprimerent, mos erat, ipsa qua Rex eorum inaugurabatur die, quatuor regio throno auiculas appendere, quæ continua alarum agitatione ac volatu ante Regis triumphantis ac gloria tumentis oculos exspirarent. Hoc illi Regem facto edocere volebant, vitam hanc nostram fragilem ac nimis eheu! fugacem esse, eamque adinstar auis per aera celerrime præteruolantis pertransire, & mortem eidem perpetuo insidiari, ac de loco in locum assidue insequi, vtpote quæ & regibus, aut orbis Imperatoribus parcere nesciat. De huius porro veritate historiæ vsque adeo mihi non constat, & quāuis Alexander ab Alexandro eandem literis consignarit, dubito tamen, num ille sua eam auctoritate valeat astruere. Sed hoc scio de Ecclesiæ Romanæ esse consuetudine, in solenni

Eccles. 14. Alexander ab Alexan. Babyloniorum mos in regum inauguratione.

Pia quædā cōsuetudo in Rom. Pontificis coronatione.

lenni Principis eius, id est, summi Pontificis inauguratione, vt mortis memoriam vitæque fragilitatem in mentem ei reuocaret, Spiritus sancti vt credendum est instinctu, stuppam accendere, & hæc ei verba repetere: *Pater sancte sic transit gloria mundi*: quasi diceretur, Noli sanctissime Pater, noli inordinate erga hanc vitam affici, mortem semper ob oculos habe, & cogita mundi huius gloriam instar stuppæ in momento transire, & similitudinem fumi in auras euanescere.

1. Mach. 15. Cum Ionathas Mathathiæ filius dolo Tryphonis circumuentus interfectus esset, Simon frater eius, qui in illius locum dux constitutus erat, corpus eius in patrum suorum sepulchrum, quod in ciuitate Modin visebatur, intulit, vtque nomen eius æternum foret, & famam ad posteros transferret, superbum illi ac magnificum monumentum erigi iussit, septem pyramidibus innixum, quibus ingentes columnas circumposuit, columnis vero arma & gentilitiæ nobilitatis addidit insignia, armis autem naues sculptas adiunxit, quæ ab ijs, qui mare nauigarent, conspicerentur: quæ omnia magno artificio singularique elegantia perfecit. Cur porro naues huic monumento apposuit? vt æterno hoc opere posteritatem commonefaceret, vitam hominis hoc in mundo similem esse cursui nauis medio in mari nauigantis, atque omnes illos, qui tantam sibi in hoc mundo gloriam pepererunt, & tam celebre nomen ad posteros transmisere, eadē omnino celeritate mare hoc percurrisse. Huc visus est allusisse Iob, cum diceret, *Pertransierunt quasi naues*, neq; n. tanta celeritate naues ab aquilonibus & flantibus Austris agitatæ feruntur, quam fugiant improborum dies in hoc mundo, quorum vita instar fumi euanuit.

Sepulchrū Ionathæ ducis.

Iob. 9.

Vita hominis instar fumi.

Regiam hanc cogitationem menti semper insculptam gerebat regius vates, & numquam non ingemiscebat dicens, *Defecerunt sicut fumus dies mei*. Filius & successor eius Salomon idem pene semper animo voluebat, atque impios apud inferos hanc vitæ breuitatem semper deplorare, atque his querimonijs vti: *Quoniam spes impij tamquam fumus, qui à vento diffusus est, & tamquam memoria hospitis vnius diei pertransientis*, cuius memoria, quamprimum vt diuersorio egressus est, euanescit.

Psalm. 101.

Cap. 5.

Apposite sane. Videmus namque quotidie quantum hospites viatoribus hospitium inuersorio trantibus honorem exhibeant, quam diligenter eis omnia necessaria subministrent, & quam sedulo illis obsequantur, interea dū apud eos diuertunt, sed statim vt profectionem illi adornare incipiunt, & expensarum rationes subducuntur, quam care omnia æstimant, quam exacte singula computant? mox vero vt domo egressi sunt, nulla amplius apud eos horum viget memoria: adeo vt multum se illis honoris exhibuisse existiment, si vel affixa parieti exteriori tabella eorum memoriam conseruent, hac addita epigraphe, Tali mensis die atque tali anno ille hic nobilis, ille Princeps diuertit, tali die talis hoc hospitio Dux exceptus est. Mundus hic, Auditores, verissimum diuersorium est, qui nos, interea dum hic peregrinamur, in introitu & exordio humaniter admodum habet, & dum vitæ moras in eo trahere oportet, magna voluptate perfundit: sed in vitæ exitu tyrannum se illis exhibet, nudos & vdos in sepulchrum velut in pistrinum compingens, adeo vt postquam semel pedē hinc eos extulisse cōtigerit, maiorem eorum memoriam non habeat, quam si vnica tantum hora apud eum diuertissent: vt magnū quid se fecisse arbitretur, si aliquod interdum eorum monumentum templorum columnis affixum videatur, & sane ipsa Epitaphia, bases, obelisci, pyramides, quæ in sublime erectæ superbiunt, aliud nihil sunt, quam inscriptiones funebres, & tituli hospitiorum, vt ex ijs transeuntes colligere possint, talem hic Præsidem, talem Episcopum, talem Principem hospitio exceptum esse. Dicite ergo, nū iure meritoque dixerit Sapiens, *Memor esto, quod mors non tardat*. Eccles. 14.

Ingenij ac doctrinæ Princeps Platō dicere solebat, prudentes ac sapientes sibi scholam quamdam constituere, in qua aliud præter vitæ breuitatem, & mortis celeritatem non doceretur; eiusque meditationem veræ, ac germanæ quoddam Philosophiæ genus

Platonis apophthegma.

genus esse; stolidos vero ac fatuos academiam obliuionis, quod nunquam mortis ac nouissimorum recordarentur, semperque de vita proroganda cogitarent. Est enim vero verius, probos, ac virtutem colentes viuendo sensim mori, improbos vero & nefarios moriendo viuere, vitamque semper sibi proponendo mortem pedibus conculcare, quibus nimirum displiceat, vultus eius furorem, ac minas intueri: aduersus quos exclamat Propheta Dauid, mortem illis interminatus. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes* id est, Impleret tandem aliquando Domine superbis illis & effrenatis peccatoribus mors, & quoniam ipsi eamdem pedibus substrauerunt, fac obsecro, vt ipsa illos tandem etiam substernat, & quoniam numquam eius in vita memores fuere, iure ac merito idcirco ad inferos descendant viuentes. Irascitur ecce peccatoribus pius ille Rex, quod mortis nullam memoriam haberent: Deus autem grauiter propter hoc ipsum nonnumquam exacerbatur.

Psalm. 54.

Amans ille sponsus in Canticis colloquium cum dilecta sua instituens, subiratus in ipso exordio videtur, & acerbioribus eam verbis allocutus: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi.* Referri possunt tropologice verba hæc ad Deum, qui dilectam sibi sponsam, animam sc. illis interdum alloquitur, quorum sensus & medulla hæc est: O anima, quæ inter creaturas omnes pulcherrima es, si inani te cogitatione abripi finis, nec tuam fragilitatem agnoscis, & quæ sis, vel vnde, aut quam vilis, ignoras, nec vnquam mortis aut Dei tui reminisceris, *egredere* è domo mea, *& abi* procul à consortio sodalium meorum, à quo te, nite cognoris, posthac excludo: *Dura & aspera*, inquit in hæc verba Bernardus, *increpatio hæc: quip, e verbum serui audire solent à valde irascentibus & indignantibus dominis: vel ancilla à dominabus suis, cum grauiter illas offenderint: Exi hinc, exi à me, egredere à cõspectu meo, & à domo ista. Hoc ergo verbo aspero & amaro satis nimium que increpatorio vtitur modo sponsus contra dilectam, sub conditione tamen, si seipsam ignorauerit.*

Cant. 1.

Bern. sup. 30. cap. Cantic.

Cum Dominus apud Ierem. calamitates & infortunia, quæ Ioachim regi peruersissimo & idololatræ impendebant, prænuntiaret, inter cæteras minas intentauit, sepultura asini eum sepeliendum, dicere vult, inter monumentum regis huius, qui adeo superbijt, & cervices tam sublime erexit, ac sepulcrum asini, quo nullum animal aut vilius, aut abiectius, nullum omnino discrimen futurum. Quid hoc sibi vult; quis audiuit vnquam asinos fuisse sepultos? Referunt quidem historiæ Bucephalum Alexandri equum regio mãdato terræ mandatum esse, at de sepulto asino nulla vsquam apud scriptores fit mentio. Et nihilominus DEVS, qui mentiri non potest, Ioachim regi asini sepulturam comminatur. Dum omnes loci huius consulo interpretes, nullus est, qui melius meo gustui satisfaciat, quã Glossa interlinearis, quæ hoc sensu verba hæc exponit: *Sepultura asini, sunt stomachi canum & ferocium bestiarum, & aues rapaces.* Per hanc igitur comminationem signare voluit DEVS insolentem, & arrogantem hunc regem terræ in visceribus non sepeliendum, quod terrenæ suę originis semper immemor exstitisset, sed quoniam instar bestię & instar asini vixit, asini quoque ritu sepulturæ mandandum: qui quoniam terram nunquam, vt matrem voluit agnoscere, nec lutum, vt principium ortus sui intueri; ideo terram eum loco filij non habituram, nec lutum sepulturæ locum ei concessurum, sed canum, leonum, aut alterius cruentę, aut carnium aues bestię stomachum loco tumuli futurum. O minas horrendas!

Ierem. 22.

Gen. 28.

Magnus ille Patriarcha Abraham, ne hanc à Deo comminationem audiret, mortis memoriam animo iugiter inscriptam gessit. Primum namq; quem possedit agrum in sepulturam suam & Saræ vxoris destinauit, vt nobis ostenderet, primam animæ curam & intentionem esse debere, mortis perpetuo reminiscí, ac sepulchrum suum ob oculos nunquam non habere. Placet prior ille conceptus, vti & hic, quem mox subnecto.

Voluit in Leuitico Deus, locum cinerum, in quem & immolatarum auium plumæ cõgregabantur, ad orientalem, non autem ad occidentalem plagam vergere: *Et plumas proij-*

Leuit. 1.

proijciet prope altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent. Quid vobis locus hic cinerum aliud denotare, quam sepulchrum videtur, in quod omnes penitus diuitiæ, honores, voluptates, cunctæque vitæ nostræ deliciæ, quæ ad instar plumarum sunt, quibus homines superbiendo in altum efferuntur, conijciuntur? homines namque veræ quædam aues sunt ad mortem destinatæ, quæque omni momento & hora crudeli illi vltrici & carnifici in sacrificiũ immolantur. sed mysterio carere non existimo, quod cinerum ille locus ad orientem sit? sit: docemur enim cineres & putredinem semper nobis ob oculos, quos designat oriens, non vero à tergo, cuius imago est occidens, versari debere, ac mortis memoriã menti penitus insculpendam esse, & nunquam animo deponendam.

Atque hinc est, quod Sancta mater Ecclesia, quę omnium fidelium defunctorum hodie cõmemorationem celebrat, vt mortem nobis in mentem reuocaret; nosque ad preces pro defunctis effundendas cohortaretur, hanc nobis formulam proponat; *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.* Libera eos purgatorij ergastulo, pœnas eorum minue, aut potius penitus rescinde, vt in lucis regione constituti, te, qui verum lumen es, videre mereantur. De lugubri hac materia hodierna die ad vos verba faciã. Et quoniam dies hic nonnisi mortuis & defunctis sacer est, & nos mortales sumus, de nulla re alia, quam de morte, deque suffragijs pro defunctis hic loquar.

Principio igitur ipsa mortis memoria Christianis omnib. in primis necessaria est ac perutilis, quæ nobis ideirco toties tamque diuersis rationibus inculcatur. Hæc enim vna præ plurimis alijs cogitatio modo cum vtilitate ac debita ratione adhibeatur, omnẽ vitę nostræ seriem dirigere potest ac moderari. Verum autem me dicere ipsę docebũt historiæ. Plutarch. enim cum Traianum Imp. qui eius olim discipulus extiterat, missa quadam epistola docuisset, quas virtutes sectari, quęnam vitia fugere, & quibus eum rationibus laudabilis ac boni Principis officium implere oporteret, post varia quib. id confirmat præcepta, facile eum omnia impleturum dixit, si vnica mortis ad hęc omnia accesserit memoria: *Ego scio*, inquit, *quod hæc omnia feceris, si tui nunquam oblitus fueris*, i. e. conditionis & originis tuæ, & si memineris, quã fragilis hęc vita sit, quamque cito splendor eius ac pulchritudo euanescat. Et sane quis nõ miretur, aliud à tanto Philosopho præceptum tanto Imperatori ad tam vastum & late patens imperiũ prudenter ac sapienter administrãdum datum non esse, quam vnicam mortis meditationem?

Mortis memoria hominib. perutilis est. *Plutarchi epist. ad Traian.*

Accedit adhæc, quod superbos & insolentes animos intra moderationis limites cogat & quodammodo retundat, veramque animi demissionem hominibus inserat. Hinc in Machabæorum historia legimus, superbum illum & arrogantem Antiochum, cum à veribus se depasci videret, & à morte instante vrgeri, in hæc verba, quæ candido signanda sunt lapide, prorupisse: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* suamque fortunam cum diuina non comparare. Quantam igitur vtilitatem affert mortis & nouissimorum meminisse? Memoria mortis vnidium. *2. Mach. 9.*

Salomon quoque rex, quo nullus vnquam exstitit sapientior, quoties cum vanitas & mentis elatio extra humilitatis terminos abriperent, vt earum impetus retardaret, hoc ipso fræno vsus est, atque his sese in medijs prælijs verbis allocutus, *Sum quidem & ego mortalis, homo similis omnibus*, quid enim est, quod me à vanitate aliorsum abripi sinam, cum mihi quoque moriendum sit, & impiæ huic Parcæ & carnifici non secus ac reliqui mortales obnoxius sim, & ad sepulchrũ vna cum ipsis condemnatus; quantum igitur prodest mortis memoriam ante oculos habere? *Sap. 7.*

Barnabas & Paulus Salomone Rege in hoc nõ inferiores fuere: cum n essent Lystris (quę ciuitas Lycaoniæ ac Sancti Timothei patria est) & ciues eos propter miracula, quę virtute & cooperatione Dei ediderãt, vti deos quosdam suspicerent, colerent, adorarent; ad inanes has laudes reprimendas, & populares gloriæ fastus procul à se reijciendos, mortis memoriam, velut singulare quoddam antipharmacũ adhibuere, discissis tunicis eorum in- *Actor. 14.*

solentiam increpantes, *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines.* Ad eundem modum & tu ô homo, vt omnia in tuam vtilitatem interpreteris, cur mundum, quando diuinis te mactat honoribus, teq; ad inanem gloriam sollicitat, à te nõ reijcis, aut compescis dicens: Quid facis munde? quid cogitas? an ignoras mihi propediem hinc esse discedendum? nescis me iam à multis annis, ab ipsa etiam natiuitate, sepulchro viuere destinatum?

Gregor. Turonens. Carolus, qui rerum gestarum gloria inclytus, ac multis victorijs nobilis Magni cognomẽtum inuenit, cum in extremo vitę articulo cõstitutus à suis rogaretur, ecquę insignia, quęnam arma, aut quorũ trophæorum imagines, in tot victoriarũ, ac luculentorum facinorum memoriam, sepulchro affigi vellet; respondit, referẽte Turonensi Gregorio, sola se mortis insignia cupere: quæ nimirum omnes illius victorias in nihilum redegisset, cõculcasset, deque se victore triumphum egisset. Non petijt Ægypti pyramides, non quæsiuit Mausoleę Carię, non ambiuit regalia insignia, non signa bello parta, victrices Rom. Imperij aquilas, non sceptra, non diademata, non denique perennaturam rerum gestarum gloriam, quæ apud posteros immortalis haberetur; sed vnicam mortis memoriam. Sola ecce mors deijcit & debellat eum, qui totum, qua patet, orbem nominis sui fama compleuerat, & armorum terrore concusserat. O factum vere regium: & Epitaphium penitus diuinum!

Gen. 4. Impius ac sceleratus Cain ex quo parricidali fratrem peremit manu, toto tremuit corpore, ac nunquam non timuit; putabat enim se ab omnibus, quicunq; se inuenissent, occidendum: sed ait ad eum Dominus: *Nequaquam ita fiet, nam omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Posuit enim in eo signum, quo viso nemo in eum manus auderet mittere. Hic sudant interpretes, & magnopere laborant in signo hoc inuestigando. Hieron. sane, & Ambrosius, & Tostatus optime mihi hic ad gustum faciunt, in quorum trium virũ sententiam equidem libens concedo, aiũt enim signum hoc tristem mortis memoriam fuisse, quæ mirum adeo eum cõsternabat, ac terrefaciebat, toto vt corpore tremeret, atq; ita quicumque eum viderent, manus ab eo continerent. Hæc cum auditis, cogitate, Auditores, omnes nos esse velut quosdam nefarios ac sceleratos Cainos, eiusdemque quo ille parricidij reos: toties quippe fratrem nostrum, id est, proximũ innocuum verbis, facto, tamque varijs modis occidimus, vt sane mirum sit, si omnes in nos creaturę ad vindictam sumendam non insurgant, & ipsi quin etiam dæmones nos è medio non auferant. Sed benignus ille parens Deus signum quoddam ad nostri conseruationem adinuenit, ipsam scilic. mortis memoriam, quæ iustos ac seruantissimos æqui tremere & exalbescere semper cogat: vt hac visa, dæmones, ne quod nobis detrimentum afferant, atq; ipsa in primis superbia & insolentia, cæteraque peccata omnia sese contineant. In primis namque diuina illa mortis recordatio insolentiam comprimit, fastum mentis euellit, typhum minuit, veram cordis humilitatem generat, ipsoq; facto animas penitus mortificat. Lepidum vobis quoad hanc materiam Lepida hi-exemplũ ex vita S. Gregor. Nysseni referam. storia. Hic enim cum quodam tempore verba illa *Luc. 9.* Euangelij, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*, exponeret, interrogareturq; deinde ab quodam suo discipulo, quid esset sui ipsi abnegatio, & propriæ voluntatis abdicatio, ad cœmeterium eum misit, in quo variæ defunctorum caluariæ, crania, ossa membraq; sparsa erant, præcepitque, vt varias in eadẽ calumnias exoneraret, quo facto ad se reuerteretur. Adolescẽs tanti Patris verbis morẽ gerens, ad cœmeterium properat, ac mille iniurjarum & conuitiorum plaustra in ossa illa conijcit, dicens, Vah ossa putrida, putrida, à vermibus exesa, carne nudata, viperis scatentia; vah informia cadauera, vermium receptacula, ac bufonum domicilia: vah ossa latronum, sicariorum, sacrilegorum. Post varias denique cõtumelias nullo accepto responso ad S. Præsulem cum reuertisset, eodem ab illo rursus destinatus est: sed vt iam mutata voce varijs eadem ossa encomijs exornaret, & laudibus cęlo tenus efferret. Obsequitur adolescens, & ad cœmeterium reuersus, commutatis vocibus, pluri-

Hieron ad Damasum. Ambr. l. 1. de Can. Gen. 4.

plurima in eadem effundere præconia, varijsque ea laudibus extollere incepit: Hem ossa insignia & vere illustria! hem pectora vere regia! hem capita Monarcharum, corpora generosa Principum! hem ossa inuicta, ossa militum ac ducum! atque infinita alia laudum genera ingeminans; nullo accepto responso ad Gregorium reuersus est. Petebat deinde Præsul, quid ad hæc vituperia vel encomia defuncta illa & semiputrida ossa respondissent: Nihil omnino, inquit ille. Subintulit Gregor. Vade, & tu quoq; fac similiter: quacunq; demum injuria, contumelia & opprobrio accepto, vel quibuscunque auditis præconijs permoueri noli, dissimules, teque velut insensibilem geras: atque ita fiet, vt vere mortificatus appellari, & teipsum, propriamque voluntatem abnegasse dici possis, ac tum perfecte didiceris, quid Euangelica sui sit abnegatio.

Idipsum vos hodierna die facere vellem Auditores: vellem inquam vos cœmiteria adire, ac mortuorum ossa curiosius intueri. Ingredimini igitur funesta illa mortis palatia, accedite ad illa cadauerum receptacula, inspicite brachia illa carne nudata, membra illa à vermibus exesa, ossa illa semiputrida ac fœtentia, atque ex ijs, vos alloquor, qui tam iniquo injurias animo accipitis, & laudibus vestris auditis in tantum insolescitis, Christianam mortificationem discetis. Ossium namque horum inspectio ac mortis recordatio singulare aduersus superbiam remedium est; quo nimirum anima aduersus omnes mundi ac Sathanæ impugnationes inexpugnabilis redditur: quod veteres nobis sub fabulæ cuiusdam inuolucris liquido satis demonstrarunt.

Isaiæ 6.

Antæus ille, Terræ filius, de gigantum stirpe progenitus, dum cum Hercule luctatus in terram procumberet, & matrem illam exoscularetur, vires ei & robur restaurabatur: sed statim vbi in altum caput efferebat, imminutis iterum viribus ab Hercule prosternebatur. Sed fabulæ relicto cortice, veritatis quæ in eo latet nucleum aperiamus. Dico igitur idem omnino accidere homini, qui animos gerit giganteos, & de singulari quadam fortitudine præsumit: dum enim terram intuetur, oculosq; in Esse suum conijcit, simulq; considerat, quid sit, vnde venerit, & in quid redigẽdus, nullus omnino reperiri potest hostis, aut tentatio, quæ eum vincat, expugnet, aut prosternat: at si inani quadam præsumptione in elationem se abripi patitur, & nubes & inania captat, sursumq; sese contendit erigere, deniq; si ignoret, quęnam sua sit origo, & vnde venerit, neu mortem ante oculos habet, vincitur, superatur, jugulatur. O igitur sanctam mortis memoriam!

Vere dixi Sanctam: nam prꝛterquam quod elatos & superbiẽtes redundat, omnium omnino rerum contemptum & obliuionem etiam inducit. Docuit id me magnus ille Doctor Hier. qui inter cætera, quæ ad bene laudabiliterq; vitam instituẽdam ad matronam quandam Romanam scribit, hoc habet, *Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum*: in quam materiam & sacræ mihi literæ egregium suggerunt conceptum. Pilosus ille Esau cum de venatione rediens fame propemodũ enecaretur, propter vile quoddam lenticulæ edulium primogenita sua vẽdidit: Cogitabat enim secum, satius esse eisdem cedere & viuere, quam ijsdem conseruatis fame emori; dicens, *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Sola itaq; mortis cogitatio & apprehensio ad tam iniquam venditionem Esau compulit. O Christiane, in Esau ipso deterior audire velis, dic interdum, mortem in medio honorum cursu ob oculos versans: Inter paucos ecce dies mihi è vita abeundum est, quid ergo mihi proderunt diuitiæ, dignitates, ac tot beneficia? Hoc scilicet sæpius animo voluebat pius ille Rex, cum diceret interdum; *Dives cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Hactenus quidem quę de hac mortis memoria dicta sunt, è sacris codicibus deprompta sunt; profanas jam tempus erit proferre historias.

Mortis memoria aliarum rerum obliuionẽ generat.

Gen 25.

Psal. 48.

Philippus Macedonum Rex cum tempore quodam, referente Plutarcho, palæstram in qua Græci luctabantur, ingressus esset, & inter luctandum ad terram prosterneretur; jacentis sui imaginem scite in arena expressum videns, quamq; parum loci occuparet considerans, jocando cœpit dicere: *O quã minimam*

Plutar. in Apoph.

terræ partem natura sortiti, orbem appetimus vniuersum! Audite, audite, inquã, cupidi mortales, quibus totus qua patet orbis non sufficit; quorumque æstuans desiderium vniuersus mundus minime implet, regia illa verba; ac vobis exiguum illum locum, quem tãdem post laborum vestrorum finem hęreditate acquiretis, sepulchrum scil. septenum pedum ob oculos ponite. Huc quidam Prophetarum veterum respiciens ait, *Vide vias tuas in conualle*: quæ verba LXX. nostro proposito aptius transtulerunt, *Vide vias tuas in sepulchro*. id est, cogita tecum ô homo, quam exiguum tibi post mortem paratum sit domicilium, vt nonnisi septem tibi pedum spatium ad ambulandum concedendum sit.

Ierem. 2.

Plutar in Apophth.

Iulius Cæsar cum Magni Pompeij, quem cane peius & angue hactenus oderat, cuiusq; auidissime sanguinem & mortem sitierat, caput, quod Ptolomæi Ægyptiorum Regis Eunuchi ad eum deferebant, coram esset, intuitus, fortunę vices demirans, illacrymatus est: tacite namque secum cogitabat, ad quantam calamitatem exitiumq; deuenisset ille, quem tam lætis paulo prius fabris fortuna affluauerat, qui omnes mundi limites armorum suorum terrore concussérat, & nominis sui fama compleuerat, & cuius vnius imperiũ ac vocem omnes Africæ atq; Asiæ Reges, & maxima senatus pars sequebantur. Quis vestrum adeo ferreus & adamantinus futurus est, cuius adeo durum erit pectus, cuius oculi adeo austeri & infracti, qui, cum hodie tot Regũ, tot Principum, Ducum, militum capita vermibus oppleta situ obsita, putredine fœtentia, & in cineres redacta videat, lacrymas contineat?

Principes Israel cum Iezebelem Reginam, quam prius ita superbam & insolentem conspexerant, in terra vt informe quoddam cadauer prostratam, & à canibus dilaniatam viderent; triste hoc spectaculum, fortunæ variantis ludibrium, & horrenda Dei judicia demirati ad inuicem dixere: *Haccine est illa Iezabel?* illa inquam Iezabel, quæ omnes nominis sui terrore & auctoritate consternebat? quæ Prophetas Dei vindice gladio ad mortem prosequebatur? quæ potentiæ suæ cornua in immensum tollebat? vbinam modo nunc aulæ & Regius comitatus? vbi omnes priores honores? vbi omnes quas prius habuit diuitię & opes? An non & nos hodie, cum tot ossa, tot mortuorum crania, tot brachia, tot tibias per cœmeteria hinc inde sparsas, sub saxis gementes, in sepulchris latitantes, quæ tamen tristes quędam reliquiæ sunt pręstantium ac doctorum virorum, & formosarum mulierum videamus; an non, inquã, lugubri hoc viso spectaculo dicere præ admiratione poterimus: Illane sunt capita, quæ aureis olim redimita diadematis vidimus? Illane cadauera corporum purpura, & cocco vestitorum? illæne linguæ tam disertorum oratorum? illine vultus nympharum, quibus orientis gemmæ & omnia Arabiæ nemora ad ornatum non sufficere? illæne genæ, quæ tantum stibij, purpurissæ, & stactes consumpsere?

4. Reg 9.

Sed si mortui ipsi hodie loqui possent, si eorum ossa nostris responderent vocib. dicerent profecto, quod olim in mediis ærumnis casum suum deplorans Iob Prophera dicebat: *Ego ille quondam opulentus, repente cõtritus sum, tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi insignum.* Ego sum prudens ille senator, qui tot olim sententias & decreta tuli, tot aliquando homines judicaui: Ego sum ille Martis pullus, alter Annibal, secundus Hector, qui tot certaminibus interfui, toties cũ hoste conflixi, tot victorias retuli: Ego sum disertus ille ac celebris Ecclesiastes, qui magno omnium applausu toties ad populũ verba habui, & ad cuius dicentis os cuncti ora obuertebant sua: Ego sum locuples ille mercator, qui tantis partis opib. honestam familiam instituit, & tam amplum patrimonium liberis reliqui: Ego sum formosa illa Iuno, cuius pulchritudo omnes in admirationẽ & inuidiam traxit, quã tot proci ambierunt, quæque semper gemmis cooperta, auro fulgens, byssо & coccino induta fui. Sed proh dolor! vnico omnia hęc momento euanuerunt, fortuna nostra de repẽte mutauit, tristis nos omnes mors vsq; ad ossa depasta est, ac feralis illa Parca iræ suæ iacula in nos velut scopum aliquem detorsit. Repente contriti sumus, & posuit nos mors quasi in signum.

Iob 16.

Hæ

Hę sunt igitur voces, quę hodie sepulchris egrediuntur, querelæ, quibus cœmeteria resonant, clamores, quibus tumuli concrepant, ac tristis oratio, quā defuncti è bustuarijs suis jam verminantes ad nos habent. atq; hæc vna è præcipuis rationibus est, cur Sancta Mater Ecclesia omnium hodie defunctorum commemorationem instituerit, vt nimirum de mortuis cum mortuis in mortuorum omniū die verba facientes, ipsi quoq; mortis recordaremur; altera vero eaq; omniū potissima, vt illos ipsos defunctos precibus & suffragijs nostris adiuuem⁹, idq; præsertim vulgari illa orandi, & bene precandi formula, *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.* Hinc porro alteram concionis hodiernæ partem, vt initio proposueram, exordiar.

III. Non est pro ijs orandū qui in cœlo gaudijs perfruuntur æternis.

Hoc igitur tristi & funesto die pro defunctis nos orare oportet, nostrisq; suffragijs ijsdem opitulari: non quidem defunctis, qui cœlesti jam beatitudine perfruuntur, & gloriæ æternæ consortes facti sunt; neq; enim orationibus nostris indigent: nam teste Augustino, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* finis quippe precum & suffragiorum is est, vt ijs, pro quibus oratur, oratione nostra bonum aliquod accedat, vel malum aliquod accedat. cum vero Martyres sempiternæ jam felicitatis compotes effecti sint, nullis omnino precibus opus habēt. Quamobrem in vacuum omnis nostra cederet oratio, si pro ijsdem oraremus, injuriamq; non modicam illis irrogaret, qui meliorem ac feliciorem illis sortem deprecaretur. Deinde pro damnatis omnino nō est orandum: id enim qui ageret, næ ille oleum & operam perderet; cum nimirū in inferno nulla prorsus sit redemptio, aut ne minima quidem solatij spes, etiam vniuersis Sanctis pro ijsdem apud Deum intercedētibus, pœnarumque minuendarum affulgere possit: atq; idem Augustinus scribere non sit veritus, se, si sciret animam patris inferorum supplicijs mancipatam esse, non amplius pro eadem quam pro Diaboli salute oraturum. Quamobrem pro ijs solum orandum, qui adhuc in purgante illo igne emendantur, proque ijs solum diuinæ Majestati vota facienda, ac nullo non tempore, nulla non hora pro earum redemptione ingeminandum: *Requiē æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.*

Et sane ipsum Purgatorium, quoniam eius jam mentio incidit, quoddam spirituum receptaculum est, & animarum pro quibus hodie nobis supplicandum, ergastulum. Non est porro necesse pluribus vobis, Purgatorium aliquod esse, verbis astruere: sufficit enim, si è sacris litteris, idipsum confirmari, à Sanctorum Patrum auctoritatibus stabiliri, totius Catholici orbis assensu defendi, & è quinque generalium conciliorum decretis astrui possit, Concilio nempe Carthaginensi, Toletano XI. Lateranensi sub Innocentio Tertio, & Florent. in quo Græci omnes simul & Latini coadunati fuere, & nouissime Tridentin. horum quatuor vt Canones taceam, referam quæ in Concil. Carthag. can. 95. scripta sunt. *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicantur.* quo loco si omnes ij excommunicantur, qui orationes & oblationes pro defunctis non persoluant, ergo multo magis ij, qui ipsum Purgatorium negant; hæc namque preces præsupponunt aliquod Purgatorium esse.

Purgatoriū asseritur.

Vnius vero Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani, omnium Græciæ Ecclesiarum primatis, testimonium hic puto sufficere, quod ad instar mille testium omni exceptione maius habendum est: hic enim in mortis articulo constitutus inter cæteros articulos fidei, quos moriens profitebatur, & Purgatorium se credere asseruit, ac manu propria signauit; cuius deinde professio ad posteritatem dimanauit *Quoniam ad extremum vitæ meæ deueni, idcirco pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam sententiam his litteris palam facio: Beatissimum Patrem patrum, ac summum Pontificem, Romaque veteris Papam, Domini nostri Iesu Christi Vicarium esse concedo: atque animarum purgatorium esse non inficior.* Quid hac fidei professione reperiri queat, aut clarius, aut efficacius? cui si quinque generalium Conciliorum accesserit auctoritas atq; omnium quotquot vnquam vixerunt,

Asseritur Purgatoriū auctoritate Patriarchæ Constantinop. morientis.

xerunt, Sanctorum Patrum, quis adeo impudens futurus est, qui Purgatorium audebit inficiari?

Non patitur temporis jam angustia, pluribus hic ostendere, pro defunctis orandum esse: cum omnis id docuerit antiquitas, omnes Sancti Patres id tenuerint, atq; vniuersalis id Ecclesia inuiolate semper obseruarit.

Quot obsecro elapsa sunt secula, ex quo Iudaicæ gentis gloria Iudas Machabæus contra Gorgiam conserto prælio, & magna suorum clade accepta, duodecim argenteaꝝ drachmarum millia, ad sanctam ciuitatem Ierusalem misit, quæ sacerdotibus darentur, vt victimas pro defunctorum militum salute & animarum sospitate Deo offerrent! quod Iudę factum latius scriptura deducens, hoc tandē Epiphonemate concludit, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* bis mille & amplius jam anni elapsi sunt ex quo hoc contigit. Sed aduersus hanc auctoritatem obijcere, libros Machabæorum non esse in Sacrorum librorum Canonem relatos, procul à vero est, mēdacium spirat: neq; enim alijs verbis S. Augustinus vsus est, vt doceat pro mortuis orandum, quā his quæ modo ex hisce libris produximus. Et quamuis libri hi in canonem relati nō essent, quod nunquam concedemus, & nonnisi historiales quidam libri forent; hinc tamen efficeretur, orationes & suffragia pro vita functis jam à duorum annorum millib. & quod excurrit, in vsu fuisse.

2. *Mach.* 12.

Ibidem.

Li. de cura pro Mortuis.

Quantum etiam effluxit temporis, ex quo pius ille Senex Tobias, inter cętera, quæ Tobiæ filio suo dabat præcepta, orandum pro defunctis docuit, cum ipso orationis limine his filium verbis admonuit. *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue*: quasi diceret: Nunquam mortuorum obliuiscere fili mi, sed pro eorum animarum salute Altissimum deprecare; cumq; justi ex hac vita ad alteram decesserint, panem tuum & vinum tumulis eorum apponendo, animabus illorum succurre. Hinc notare vos velim, ab illo tum temporis sepulchris defunctorum panem & vinum appositum fuisse, vt pauperes, qui pro eorum salute Deum obsecrabant, hinc sustentarentur. Tradidit hoc Chrysostomus, qui in alium locum ita scripsit, *Cur post mortem illorum pauperes vocas? cur presbyteros, vt pro eis velint orare, obsecras?*

Tob. 4.

Chrysost. 23. in Matth

A quot sæculis Galaaditæ Saule & fortissimis Israel interfectis, in eorum exequijs lacrymati sunt, pullas vestes induerunt, & septem sibi diebus jejunia indixerunt? Cui rei seruiunt hæc pro mortuis jejunia, nisi vt ijsdem placaretur Dominus, jejuniorumque merita defunctis applicarentur, & diuinam justitiam, si forte ob delicta quædam occulta exacerbata esset, defunctis propitiam redderent, quo eosdem purgatorij eriperet ergastulis.

3. *Reg. vlt.*

Iam mille sexcenti propemodum prætierere anni, ex quo Apostolus gentium Paulus orationem pro defunctis valida asseruit, Corinthiosque edocuit, ait enim: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt*: id est, si non mortuorum resurrectio, cur igitur pro mortuis oramus, sacrificia offerimus, jejunia nobis inducimus? Et sane ipsum verbum *Baptizare* hoc sæpe modo in sacris litteris accipitur: & Apostolus resurrectionis mysterium per orationem pro defunctis probare contendit; & ostendere, quando quidem pro mortuis vbique oretur, eos etiam resurrecturos. Si enim nunquam resurgent, frustra pro ijsdem suffragia nostra offeremus.

1. *Cor.* 15.

Purgatoriū sub terra est

Cum hoc igitur fixum & indubitatum sit, & simul certo sit certius, Purgatorium locum quendam subterraneum esse, contra quem sentiant Richardus de S. Victore, Papa Gregorius, alijque plures, qui idipsum modo in mari, modo in aere, modo in certo quodam orbis angulo cōstituunt; dico, vniuersam hodie Ecclesiam orare; ac nos eius inuitatu orare debere pro defunctorum animabus, quæ corporeis his exuuijs solutæ, & hinc in Dei gratia decedentes, rationem coram seuero illo diuinæ justitiæ tribunali reddere coactę, captiuæ detinentur, & in purgatorium velut in carcerem aliquē compactæ manent, è quo non prius, quam quo ad vltimum quadrantem persoluerint, omniq; debito vacent, eximentur. Atque in idipsum magni preces nostras ponderis esse constat.

Animæ enim, eheu! sunt miserę illæ captiu-

Insignes conceptus.

ptiuæ, quæ in carcerem coniectæ, atque ibidem grauissimis supplicijs excruciatæ, non ante egredi aut liberari queunt, quam nouissimum quadrantem persoluerint; quod in Matth. Euangelio adumbratum legimus.

Matth. 5.

Sunt quoque spiritus illi afflicti, qui in locis infernis constituti ad Sacratissimum Iesu nomen genua flectunt, manus & oculos in altum tollunt, idipsum proni velut nomen Redemptoris adorant, & ab eo liberationem enixissime efflagitant; de quibus ad Philip. Paulus, *In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Sunt adhæc miseræ istæ creaturæ quæ ad præfinitum temporis spatium, procul à cœlo in purgatorij locis exultant, inque ijsdem grauiter castigantur & perpurgantur, licet non in æternum, diuinæ tamen essentiæ visione interea priuatæ. Quod egregia è sacris litteris figura manifestum reddam.

Philip. 2.

1. Reg. 14.

Absalon licet Patri post excitatos in vniuerso regno tumultus iam reconciliatus esset, at quod omnium priorum delictorum veniam consecutus, vt tamen iustitiæ debite satisfaceret, & aliquam saltem pœnam propter concitatam multitudinem subiret, ad duos annos aula & dilectissimi patris vultu carere debuit. Actus hic iustitiæ temporalis reuocat mihi in memoriam ea quæ in cœlesti tribunali quotidie contingunt: vt certo mihi persuadeam, eodem prorsus modo cum defunctorum animabus agi: quamuis enim è mundo hoc Deo Patri reconciliatæ decedant, plenam & integram omnium delictorum veniam & indulgentiam consecutæ, vt tamen æternæ illi iustitiæ faciant satis, & pœnas aliquas temporales, à quibus nondum penitus sunt liberæ, adhuc persoluant, ad præfixum temporis terminum cœlo carent, & in purgatorio velut in auxilio quodam constitutæ sunt, iucundissima patris sui visione destitutæ.

Animæ in Purgatorio viuentes opem implorant.

Iob. 19.

Sunt denique incarceratæ illæ animæ, quæ in fideles Christianos oculos suos hodie coniicientes, cum lachrymis, gemitu, & suspirijs inenarrabilibus eorum auribus lugubrem hanc næniam occinunt; & tristibus hisce verbis eorum opem improrant. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Inclamant se a manu diuina tantum tactas esse & non nisi ab vnica manu; vt hic discrimen inter has animas, & eas quæ tartareis mancipatæ sunt supplicijs, euidens fiat, hæ namque ab vtraque Dei manu, & acriter quidem, etiam percutiuntur: adeo vt teste Apostolo, horrendum sit incidere in manus Dei viuentis.

Hebr. 10.

Vos autem animæ quæ corpori huic adhuc viuitis inclusæ, clamorem hunc pauperum attendite, & accommodate aures postulatis ac supplicationibus earum, quæ in tetro illo purgatorij carcere inclusæ sunt, atque è verbis earum colligite, si vel vnica diuinæ iustitiæ manus adeo easdem excruciet, vt superos ipsos ac non mortales in sui auxilium aduocent, quid de damnatorum supplicijs dicendum sit, quæ ambabus Dei manibus percussæ noctæ dieque assidue clamant & eiulant, vt præ cruciatuum grauitate temporisque quo illis excruciandæ sunt, diuturnitate, in desperationis abyssum præcipites ruant? Ipsæ autem quæ purgatorio continentur, clamant, & opem nostram postulant, propter pœnarum quas ferunt grauitatem. Idem enim carnifex, ignis scilicet ille adurens & castigans delicta, excruciat has & illas, vnde Gregor. *Eodem igne purgatur electus, & cruciatur damnatus.* At vnum inter vtrasque discrimen est, quod pœnæ, & supplicia earum, quæ infernalibus tormentis traditæ sunt, æterna sint; purgandarum vero cum tempore præfixo terminentur. Illæ horribili dæmonum intuitu semper deterrentur; hæ frequenti Angelorum visitatione recreantur, illæ furiunt, efferascunt, desperant, & præ pœnarum grauitate impatientes sunt: hæ quotidie exultant: quod tormenta breui finienda sperent, viuunt in spe, & opem à fidelibus implorant, dicentes: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*, vos in primis hæredes, quibus tot opes & facultates reliquimus; vos filij, quos tot relictis opibus ditauimus: vos noti & consanguinei succurrite & opitulamini nobis, nostras ærumnas inspicite, orationes pro nobis effundite, alijsque effundendas indicite, ac viscera misericordiæ nobis laxate. An non tristes illæ querimoniæ cor vestrum feri-

Discrimen inter supplicia damnatorum & electorũ in Purgatorio

Iob. 19.

unt, ac quodammodo dissecant Auditores an non lugubres illi clamores vos ad commiserationem excitant? feralis illa ac lamentabilis echo, an non vestras aures verberat? Auditisne filii eiulatum parentum vestrorũ? auditisne hęredes querimoniam benefactorum ac Mecænatum? Auditisne amici preces carissimorum sodalium? O ingrati, ô adamantini, ô perfidi, ô parum antiquæ fidei & amicitiæ memores! sed non ita, exigit namque Christiana caritas, totus vt mundus in solamen & fauorem animarum dicat, *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.*

Animam precibus Purgatorio eximere insignis misericordiæ actus est.

Inter cætera misericordiæ opera non postremum locum meo iudicio obtinet, captiuorum redemptio, incarceratorum solutio, vinculorum, captiuitatis disruptio. Nullorum autem captiuorum redemtio luculentior, aut præstantior habenda est, quam eorum, qui in alio orbe captiui detinẽtur: quos nostris precibus in libertatem asserere, ac flammis tormentisq; eripere possumus. Hoc autem pro dignitate facere magnæ atque diuinæ cuiusdam virtutis actus est, cum religione coniunctus, & quem in sacris litteris expressum legimus.

Exod. 23. *1. Cor.* 9.

Voluit olim Deus, vt quicunque bouem aut asinam aut quodcunque proximi animal in foueam incidere animaduertisset, omni ratione eidem quamprimum succurreret, ac luto educeret. Errat, qui putat hic de bruti solum animalibus sermonem esse. Audiat autem ille quid dicat Apost. *Nunquid de bobus cura est Deo.* sed crediderim in hac ope animabus impensa, curam & auxilium quod animalibus exhibendum est, exprimi, quas cum in purgatorii profundum cecidisse hodie videamus, nostrumque ab iisdem auxilium efflagitari audiamus, nostrum profecto erit omni illis ratione succurrere & opitulari, atque eleemosynis, sacrificiis, votis, precibus eas tormentis eripere, in earumque auxilium dicere: *Requiem æternam dona eis Domine:* In hoc mihi conceptu viam præiuit magnus ille Doct. Aug. qui ad fratres in eremo degentes verba faciens: ait: *Clamat porcus, & cum eo clamare non cessant: cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant: sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat: este vestra humanitas, fratres.* ô rem deplorandam ac crudelitatem inauditam?

Ser. 44. *ad fratr. in erem.*

Magna quidem fratrum Ioseph crudelitas fuit, quando exaudito eius eiulatu, & lamentis è cisterna, in quam eum deiecerant, nullus illi succurrere sustinuit, sed surdis clamores eius auribus exceperunt, quod Ruben iis deinde in mentem reuocans magno conscientiæ remorsu illis exprobrauit: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus.* Sed maior multo mihi credite, fidelium est inhumanitas, qui viso fratres suos germanos in purgatorii cisternam deiectos, ac tantum non sepultos, opem illorum quam enixissime postulare, non minus ad commiserationem excitantur? *Quem si dura silex, aut stet Marpesia cautes.*

Gen. 42.

Amos 6. Filiorum ingratitudo erga parentes defunctos.

Hunc porro mihi conceptum suggessit Propheta Amos, dicens: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Ioseph.*

Quam merito autem nostris hisce temporibus, tuas, ô Propheta, querimonias iterare possumus? quot enim hodie reperire est filios, qui defunctorum parentum, opes, & diuitias dilapidantes, genioque quotidie indulgentes, de eorum suppliciis ne minimum quidem solliciti sunt, ac vix vllam amplius eorum memoriam conseruant: imo tantum abest sæpe, vt Deo pro eorundem salute supplicent, vt testamenta atque vltimam voluntatem nonnunquam etiam complere negligant. O impietatem inauditam! ô barbaram crudelitatem! ô patres infelices, qui tam voracibus & immitibus lupis opes vestras reliquistis!

Hæreticorum modernorum crudelitas. *Lib.* 41. *Lib.* 4. *in Sirena Pyrrhi. Lib.* 4. *Var. Lib.* 16.

Rabies porro & crudelitas nostri temporis hęreticorum infinitis etiam partibus maior est; omnesque crudelitatis & inhumanitatis terminos excedit, defunctis enim bellum indicentes, corpora eorum honore priuant sepulcrali, animas autem fidelium suffragiis. ô barbaros & sanguinarios, ô cõmentum diabolicum! ô homines minime homines, sed inhumanos, brutos, stupidos, & ad gentilitios mores inclinantes! ô hæreticos, nostri

noſtri temporis procellas, religionis fulmina, tartaro genitas furias! quid ſimileſne eſſe vultis Parthis, quibus, vt refert Iuſtinus, ſolemne fuit mortuos canibus obijcere, caninoque in ventre ijs ſepulchrum condere? Imitari vultis Peones, qui mortuorum cadauera in minuta fruſta concidebant atque ita in profluentem deijciebant, vt à piſcibus & monſtris marinis deuorarentur, vt ſcribit Laertius? Sequiminine Colchios qui eadem culeo inſuta ex arboribus ſuſpendebant, vt vultures & aquilæ & quidquid auiũ ad prædam natum eſt ea deuorarent, teſte Æliano? An inſiſtetis veſtigijs Arabum, qui vt è Strabone diſcimus, defunctorum corpora, etiam Regum & Principum in fimo ac cœno componunt, cloacaſque ijs & foricas tumulorum loco aſſignant? An vero Maſſagetas æmulabimini, qui præ ea, qua erant barbarie & immanitate mortuorum carnes ſibi in edulium parabant, paratasque deuorabant, vt ex opere Alexandri ab Alexandro colligere eſt.

Lib. 3. c. 2. Et ſane inſenſata hæc ingenia, inimici hi Dei & Sanctorum immaniſſimi mortuorum hoſtes, noui illi Euangelici, pſeudoprophetæ Baalim ac ſacrificuli idoli, quod eſt ipſa Hæreſis, de illorum ſunt numero, de quibus olim Sap. 4. locutus eſt Sapiens. *Et erunt poſt hæc decedentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, & memoria illorum peribit*: nullum quippe relinquent Epitaphium, nullos honores ſepulchrales, nullas fundationes aut in pios vſus legata, quibus nomen eorum poſteris innoteſcat, & pauperes atque alij occaſionem habeant pro eorum animabus Deo ſupplicandi.

Quid porro neceſſe eſt pluribus veritatem prophetiæ huius oſtendere cũ ipſa nos quotidiana doceat experientia, rem ita, vt diximus, ſe habere, atq; ita per vniuerſum orbem inualuiſſe conſtet, ac præſertim ijs in locis, in quibus infelix illud hæreſeos lolium, & triſtis errorum in religione Paliurus inter bonam ſegetem iniuſſus excreſcit? Hæreticorũ namque ſepultura infamis eſt, maximo cum dedecore coniuncta, neq; enim maior apud eos mortuo corpori, quod animæ domicilium, ac receptaculum eſt ſplendidum, ac magnificum, habetur reuerentia quam cadaueri beſtiæ, nec maior animæ eiuſque ſtatus, aut periculi quod ei in altero orbe ſubeundum eſt, habetur ratio, quam aut aſini, aut putidi canis. O pudor, ô infamia, ô dedecus intolerabile! Quid videmus in hæretici exequijs, ac pompa funebri aliud, quam cohortes aliquot militum integros cum inſignibus manipulos? & lictores ſecuribus inſtructos? vt magis maleficus quiſpiam ad ſupplicium duci, quam defuncti corpus ad tumulum deferri videarur. Bene igitur dixit Sapiens: *Et erunt poſt hæc decedentes ſine honore,* Sap. 4. *& in contumelia inter mortuos.*

Quid? nonne in vrbibus noſtris maritimis, ſi Anglum quempiam aut Belgam in portubus mori contingat, bombardæ & tormenta bellica horrendo boatu remugiunt, de precibus pro mortuo effundendis nulla penitus fit mentio. Illæ nimirum ſunt exequiæ quas mortuis peragunt, illa ſunt iuſta, quæ perſoluunt hęc ſunt apud illos officium defunctorum: & ſane fumo illo & ſtrepitu animas, non dico ad cœlos, ſed ad inferos recta deducunt. Annon igitur ſepultura hæc infamis eſt, & exequiæ quales beſtiarum, & quales Deus olim per Prophetam Ioachim impio regi intentauit: *ſepultura aſini ſepelietur*: & quales impiorum ſeptuluras fore auguratus eſt Sapiens: *Et erunt poſt hæc dese-* Ierem. 22. *dentes ſine honore, & in contumelia inter mor-* Sap. 4. *tuos?*

Lutherani vero & miniſtri Anglici cum perſpicerent, quantam hæc ſepeliendi ratio infamiam ſecum trahat, mitius & benignius multo cum mortuis agunt. Pſalmos enim in eorum funere decantant, funebri eos oratione cohoneſtant & epitaphia ijſdem erigunt. Et ſane nouit vniuerſa hæc Gallia, quanto honore & ceremonia, quantaq; ſolennitate, Eliſabethæ Angliæ & Hiberniæ reginæ, nu- Eliſabethæ perrime defunctæ corpus deductum ſit: de- Angliæ reducentibus id nimirum totius regni proceri ginæ funus. bus atque omnium Eccleſiarum Epiſcop. ſuperpellicia & pluuialia ſplendida indutis, & defunctorum officium ac varios pro mortuis pſalmos decantantibus. In hac porro deductione ducentæ virgines ſpectabantur, albis indutæ veſtibus, & albis caput coopertæ peplis, ac velis, quæ cingulo tenus depende-

bant: hæ pro defunctæ reginæ anima Deum exorabant, quas Principes & Magnates ac publici ministri, atris induti, & vbertim lacrymantes proque Principis suæ anima supplicantes, sequebantur, qui nisi animæ hæc omnia saluti plurimum conducere credidissent, nunquam hoc schemate & pompa corpus ad tumulum detulissent, fuisset alioqui ingenti Principem fœminam ludibrio exponere.

Ipsi quin etiam Caluinistæ, qui tam crudeliter modo in cœmiteria nostra desæuiunt, & velut furiæ quædam infernales, magna mortuorum contumelia, in loca sacra & ossa Sanctorum, magno crudelitatis exemplo grassantur, cum sibi post mortem non maiorem honorem quam equo & mulo, quibus non est intellectus, à suis exhiberi cernerent, in conuentu quodam Ministrorũ quem Geneuæ an. M D LXXII. indixerunt, inter cæteros synodi articulos statuerunt, vt pro mortuis preces effunderentur. Sed laudabile hoc institutum Caluinistica quadam vafritie & astu obliteratum, & penitus erasum fuit, ne quam cum Papistis forsitan in sactis ritibus similitudinem inducerent. An non igitur mera quædam malitia est, ne dicam vesania, mortuis bellum indicere, & instar spumantium ac rabidorum canum lapides sepulchrales vesano dente præmordere?

Ratio. 10. Aliud longe magis admirandum audite, Inclytus ille martyr Edmundus Campianus, Societatis Iesu, nobilis de nobili trunco surculus, ac sæculi nostri decus & columen, in suis ad Oxonienses Academicos rationibus, quibus eos ad disputationis certamen prouocauit, & quibus Religionem Catholicam assertum, ac propugnatum iuit, ait magnum Turcarum Imperatorem, totius Christianitatis calamitatem, cum de nouo illo Antichristo Luthero, deque eius erroribus, quos in Germania diffundebat, inaudiuisset (inter quos erat & purgatorij negatio, precum pro defunctis effusarum inutilitas) magnificis cum literis compellasse, suumq; ei obsequiũ obtulisse, adeo vt quacumque occasione oblata auxilium se ei laturum spoponderit. Mahumetanus ecce tyrannus suum pseudoprophetæ huic obsequium defert: cum sciret, peruersorum eiusdem dogmatum promulgatione maiorem sibi ad Christianorum regiones ferro flammaque vastandas aditum, quam quingentorum millium hominum robore reseratum iri, quamobrem summas ei gratias ob turbas concitatas agebat, ac si qua re & auxilio in posterum indigeret, ei suos se obsequio adfuturum pollicitus est.

Nos vero Catholici Neuatorum horum consuetudinẽ & vafritiem exosi, Sanctos inuocamus, imagines eorum dedicamus, mortuos honore afficimus, animarum eorumdem recordamur, nostrisque eos precibus, quantum in nobis est, adiuuamus? Et quoniam nos filios Sanctorum appellamus, quo olim Tobias nomine suam cognationem commendauit; ideo quoq; par est, vt maiores nostros imitemur: nam cum Patres nostri, sanctissimi viri fuerint, pietate & religione insignes; consentaneum etiam est, ne filij ab eorum virtute & meritis aliqua ratione degeneres existant: cumque illi tam benignos se erga mortuos præbuerint, tanto reliquias eorum honore coluerint, proq; eorum animabus tanto affectu orauerint, æquum est, nos ad imitationem eorum accendi, magnum erga defunctos affectum ostendere, semperque in eorum fauorem sacra hæc verba iterare: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.*

Tres in mundo religiones capitales quæ omnes pro mortuis Deo supplicant.

Porro oratiuncula hæc sancta est, bene & recte instituta, ac magnam pietatem spirat, semperque apud omnes, qui vnum se adorare Deum, veramq; religionem amplecti profitebantur, in vsu extitit. Et cum non nisi tres in orbe vniuerso religiones reperire sit, quæ veluti cæterarum principes ac magistræ sunt, & in vnum Deum credunt, Iudaica, Mahumetana, & Catholica, hæ tamẽ omnes Purgatorium aliquod esse credunt, de mortuis pie ac laudabiliter sentiunt, proque eorum animabus Deum quotidie deprecantur.

Iudæi pro defunctis orant.

Iudæi enim, qui legem suam infractam & integram adhuc custodierunt, quotidie pro defunctis Deo supplicant, nam cum eos sacrificijs adiuuare nequeant, quæ nonnisi in templo Salomonis, quod in aduentu Messiæ tandem aliquando restaurandum putant

putant, peragere liceat, varias precandi formulas in hunc vsum concinnarunt, ita vt eorum Mahofor; qui iis instar Breuiarij cuiusdam est, in quo variæ preces continentur, orationibus pro defunctis effundi solitis scateat. Deinde & hoc iis solenne est, cum aliquis eorum in extremo vitæ articulo constitutus est, lectum eius frequentes circūstant, magnoq; eum obsecrant affectu, vt ita in altero orbe cum fuerit sodalium suorum memor existat, vt ipsi eius hic in terra momores futuri sunt: enixeque efflagitant, vt, cum in alteram vitam venerit, Messiā roget venire in mundum, ne differat, sed aduentum suum maturet.

V. Turcæ mortuos reuerenter habent.

Turcæ autem in hoc Judęis adhuc religiosiores sunt & accuratiores: cum enim credant animas mortalium post hanc vitam purgandas, pro mortuis preces fundunt, de iisdem nōnisi reuerenter admodum loquuntur, eorumq; memoriam celebrant: adeo vt sex quotidie lampadum millia ante pseudoprophetæ Mahometi tumulum in ciuitate Mechæ accensa colluceant.

Item Christiani.

Christianos vero pro mortuis preces effundere, notius est, quam vt pluribus verbis explicari debeat. Nam quocunque demum loco ij reperiantur, Catholici sint, vel schismatici, defunctorum tamen memoriam celebrant: Græcis Constantinopoli, Æthiopes Prete-Janne, Abyssini, & Maronitæ in Oriente, Chinenses apud Antipodes, atque adeo per vniuersum terrarum orbem, quo Christianorum nomen penetrauit, Purgatorij quoq; fides viget, ac pro defunctis preces indici solent. Solus Caluinista degener ac spurius sanctæ huic consuetudini repugnat. In quo ipsi eum Ethnici superarunt; qui se benignos & pios erga mortuos eorumque reliquias, longe secus quam hæretici, præbuerunt. Quin ipse Cicero fidei licet lumine destitutus, scribere nō erubuit, primum ad pietatem gradum esse, eorum qui ante nos vixere reminisci, eorumque memoriam integram seruare, quia iam dudum tributum, ad quod ipsa nos mors obligat, persoluerunt: adeo, vt non solum ille impius ac nefandus & naturę aduersarius haberetur, qui corpori defuncti, debitum officium ac honorē negaret, verum etiam, qui animæ. Ipse quoque Philosophorum omniū caput Aristoteles iisdem inuistens vestigiis, æquius esse ait mortuis quam viuentibus auxiliari. O apophthegmata aurea, ac Christianis semper reuoluenda! Ethnicus ecce de mortuis nos reuerenter loqui vult, & hæreticus iisdem bellum indicit. O tempora! ô mores! ô sæculi labem!

Quid veteres Ethnici de mortuis senserint.

In Prol.

Iidem ipsi Ethnici etiam immanitate barbari & feritate inculti, tanto semper defunctos eorumque ex hoc mundo emigrationē honore prosecuti sunt, vt mirer; hæreticos historias & gesta veterum legentes non erubescere. Lycurgus quippe Lacedæmoniorū legislator sanxit, vt mortui cum oleæ ramis ad sepulchrum deferrentur: vt edoceret nos, mortuis honorem esse exhibendum, ac misericordiam, cuius oliua symbolum est, ostēdendam.

Albanis mos erat, omnes defuncti opes, & quidquid pretiosum habebat, sepulchro inferre: quo audito confundantur Christiani, qui cum parentes & affines terræ mandandi sunt, adeo interdum sordidi & tenaces sunt, vt viles & semilaceros vix iis pannos dare sustineant.

Alexan. ab Alexand. lib. 6. 2.

Refert apud Diodorum Siculum, Dresias historicus Macrobios Æthiopiæ populos defunctorum statuas ex auro vel argento, vel ligno erigere consueuisse, vt eorum ita memoriam, visa statua, in animo semper conseruarent. His vero statuis quæ intus excauatæ erant, defunctorum cineres includebantur; is vero, qui defunctis sanguine erat proximus easdem domū deferebat, qui easdem deinde vitro pellucido includebat, vt melius forinsecus videri possent, ceteri vero affines iisdem statuis frugum suarum primitias atq; alia plurima sacrificia quotannis offerebant.

Diod. lib. 3. v. 2.

Maior adhuc erat Galatarum erga mortuos cultus, ne dicam superstitio: quamprimum enim vt aliquis inter eos exspirasset, varias ad eum litteras & scripta destinabant, quæ deinde ipso sepulturæ die vnā cum corpore cremabant; credebant namque eadem à mortuis in altero mundo legi. Erat, fateor, hæc mera superstitio: sed ea tamen quam

Alexan. ab Alex. lib. 3. v. 9.

proxime ad ſanctam Chriſtianorum cõſuetudinem & cærimonias accedit ; hi enim harum chartularum loco preces iiſdem offerunt, quarum efficaciam ac robur eas experiri certo certius credunt.

Græci hac re cæteris gentibus haud extitere negligentiores. Alexander namque Macedo, Hephæſtioni amicorum integerrimo extincto tam ſplendidas exequias adornauit, vt ipſa etiam animalia partibus ſuis non defuerint : ita vt non ſuffecerit ei totum exercitum atris indutum ſpectaſſe, niſi & vrbi, in qua ille exſpiraſſet, muros quodammodo deraderet, & equorum iubas in ſignum luctus detonderet.

Græcis quoque non ceſsere Romani, vt nimirum è funere Junij Bruti manifeſtum redditur ; Bruti inquam, qui vitæ ſuæ pericu- *Plutar. in problem. Halicarn. lib. 5.*
lo patriam in libertatem aſſeruerat, ac duro Tarquiniorum eam imperio liberarat. Hic enim cum fato conceſſiſſet, totius populi ac ſenatus humeris, magno cum honore in forum delatus eſt, & funebri omnium primus oratione cohoneſtatus, qui mos deinde Romæ inualuit, ac mox ad alias nationes, ſed ad Chriſtianorum præſertim exequias celebrandas, dimanauit, vt nimirum ex oratione S. Ambroſij in exequiis Magni Theod. videre eſt.

Videre igitur, vt omnes orbis nationes etiam barbaræ, defunctorum memoriam celebrarint ; & ſoli, prô pudor ! Caluiniſtæ eosdem inſectantur, preces pro iisdem negant, ſepulchra exſibilant, & nulla erga defunctos miſericordia tanguntur. O crudelitatem intolerabilem ! Audite & vt in ſactis litteris ſepulturæ dignitas extollatur. Inter cæteros enim quos Meſſiæ venturo tribuit Eſaias honores, ait ſepulchrum eius fore glorioſum, & *Eſai. 18.*
magnificentia eximium ? *Erit ſepulchrum eius glorioſum* : quod LXX. Interpretes verterunt : *Et erit requies eius honor.* & Hieron. Hebraicum textum ſecutus : *Et erit ſepulchrum eius gloria*, è quibus omnibus vnum hoc efficitur Chriſtum magnifice & glorioſe ſepeliendum. Ipſe enim, qui toto vitæ ſuæ tempore omnia ſublimia, diuitias, honores & delicias contempſerat, ipſum honorem, qui mortuis impenditur, & honeſtam ſepulturam noluit negligere : fuit porro ipſa glorioſa, ſi quæ vnquam, cum varia in eam vnguenta & aromata, idque per fœminas pias, impenſa ſint. Quis igitur credat, Deum, qui tantos honores & tam glorioſum filio ſuo ſepulchrum deſtinarat, eoſdem fidelibus nolle impendi ; fierine poteſt eum in deteriorem partem interpretari, ſi pro eorum animarum requie preces fundantur, & ſacrificia propitiantia offerantur (an putabimus eum offendi, ſi ſolitam illam bene apprecandi formulam ſæpius in purgandorum auxilium repetamus : *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis ?* Nequaquam. Sed eodem, nos iuuitat dilectiſſima eius ſponſa Eccleſia, atque hoc ipſum enixiſſime miſeri illi captiui à nobis efflagitant : hoc vnum hodierna die maximopere à nobis poſtulant ; huius rei ergo in nos oculos coniiciunt, & eam ſe impetraturos penitus confidunt. Nulla quippe toto anno dies illis illucet optatior, & nulla feſtiuior. Hodie namq; exultant & lætantur, cum preces noſtras aliquod habuiſſe pondus ſentiunt, vt hi quidem pœnis omnino liberati ad æternam requiem euolent ; illi vero aliquod ſaltem tormentorum leuamen ſentiant. Huc reſpexiſſe mihi viſus eſt Dauid vates cum diceret : *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata* : ſcio quidem hoc non minus de reſurrectione generali in qua mortuorum corpora ad Angelicæ tubæ clangorem, quã ad iudicium ac deinde ad gloriam euocabuntur ſepulchris, immortalitatis & gaudij gloria rutilantia egredientur, poſſe intelligi. Sed alio ſenſu & quidem myſtico de animabus Purgatorio detentis intelligimus, quæ auditis hodie precibus in earum fauorem effuſis mirum in modum exultant magnoque iubilo perfunduntur : eas autem eleganter per *oſſa humiliata* deſignari exiſtimo, quæ nimirum toties coram diuina maieſtate ſeſe humiliarunt. *Pſal. 50.*

Et bene, mea ſententia, ait *oſſa humiliata*, & non caro. Peccatores enim carnales nimirum homines, qui carnis delicias ſemper cõſectati ſunt, eamque nimis tenere fouendo ad tartari abyſſum deuoluti, ad preces Eccleſiæ

cleſiæ non exultant cum eius ſuffragia illis nequeant prodeſſe. Sed ſola oſſa, homines inquã ſancti ac mundi contemptores, qui in vaſta quadam ſolitudine pœnitẽtiam agentes (Antonios, Paulos, Hilariones, Macarios intelligo) ipſi mundo adeo exſucci videbantur, vt præ macie ex inedia contracta, exſanguia quædam, oſſa & emedullata cadauera viderentur. Deinde ait; *oſſa humiliata*, qui ſoli humiles, dura inquam illa ac ſolida oſſa, & heroica quadam conſtantia & virtutibus offirmata, qui nimirum toties genua corã diuinæ maieſtatis oculis curuarunt, in altero mũdo recreari mereantur; non vero oſſa illa ſuperbia & ambitione turgentia, qui ſeſe numquam ſub potenti Dei manu humiliare, aut ſubmiſſe de ſeipſis ſapere voluerunt.

Elephantorum forma.

Dicuntur Elephanti, vaſta illa animalia, quod eorum crura ex vnico tantum conſtant oſſe, ſine vllo nodo, aut articulo, quiq; numquam crura incuruant, cum ſemel ad terram proſtrati fuerint, non poſſe ſe rurſus in pedes erigere, atque ita facile in venantium poteſtatem concedere. Aſt alia animalia, quæ exiguis conſtant oſſiculis, ac varias habẽt in cruribus vertebras, eaſque flexibiles, licet ad terram concidant, leui ſe negotio iterum ſubrigunt, ſeſeq; in fugam coniiciunt. Idipſum mihi de damnatis hic dicere liceat: eos nimirum cum inſtar brutorum Elephantorũ hoc in mundo vixerint, oſſa & latera continua inarticulataque habentes; & numquam genua flectere, & ferreum magni Judicis legibus ſubmittere cor voluerint, ſi ſemel ad inferos præcipites ruant, nunquam deinde amplius ad vitam poſſe reſurgere. Sed humiles illos electos, de quibus in Euangelio dicitur: *Sinite paruulos venire ad me*, qui nimirum toties corpus & oſſa ad Dei obſequium incuruarunt, quippe ſi toties coram maieſtate eius humiliarunt, licet ad purgatorium vſque deciderint, facili negotio poſſe reſurgere, & ad precum noſtrarum auditum magna lætitia & exultatione, iuxta Prophetæ verba: *Exultabunt oſſa humiliata*, perfundenda.

Luc. 18.

Pſal. 50.

Hinc factum eſt, vt veteres illi Patriarchæ ſemper iuxta Jeroſolymam, aut ſaltem in Palæſtina ſepeliri voluerint: ſpiritu namque Prophetico augurabantur fore, vt poſt templi illius ſplendidi exſtructionem, ſacrificia ibidem ac preces pro mortuis Deo offerrentur: atque ideo haud procul à ciuitate ſancta Jeruſalem humari cupiebant, vt ſcilicet oſſa eorum, preces quodammodo audiendo, & Sacrificiorum nidorem odorando, ad meritorum participationem exultarent. Ne vero me exiſtimetis fabulas aut nugas vendere, inſpicite cap. 50. Geneſ. & videbitis Patriarcham Joſeph lecto ad mortem vſq; affixum enixe a fratribus poſtulantem, diligentem vt ſui corporis à morte rationem haberent, neue oſſa ſua in Ægypto idololatria infami, & in qua nulla mortuorum habebatur ratio, ſinerent putreſcere, ſed ſecum eadem in terram Chanaan aſportarent, in qua tot pro iiſdem ſacrificia, & victimæ immolari, totaliquando orationes fundi debebant.

Quamobrem Chriſtiani, vnum hoc noſtrum hodie ac toto vitæ tempore ſit, ſtudium pro fidelibus defunctis feruentiſſime ad Deum preces effundere, eorumque nullo non tempore memoriam facere. Moueant nos obſecro tormenta & ſupplicia quibus excruciantur, vt querimoniis eorum aures accommodemus, eorum neceſſitatibus ſubueniamus, & reipſa iam oſtendamus, quo eos olim amore, quo affectu fuerimus proſecuti. Mareus Tullius tribus potiſſimum de cauſis nos à Deo conditos aſſerit: *Non ſolum enim*, inquit, *nobis nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes, partem ſibi amici vendicant*: amici quidem vt diligantur; parentes, vt colantur, patria vero, vt ab hoſtium incurſu defendatur. Idem mihi quoad defunctorum memoriam dicere non liceat? & ſane ſi parodice eadem verba expreſſero, ſanctius multo & melius mihi videor concluſurus: *Non ſolum nobis nati ſumus, ſed ortus noſtri partem Eccleſia, partem Sancti, partem ſibi mortui vendicant*: Eccleſia quidem, quod noſtra vere ſit patria, Sancti quod parentum nobis loco ſint; mortui denique, quod inſtar amicorum habendi, quodque noſtras hodie preces etiam atq; etiam implorent. Igitur quantum in nobis eſt, eos adiuuemus, ac diuinam miſericordiam ſolli-

Cicero in offic.

sollicitius pro iisdem exoremus, vt nimirum eo um misereatur, pœnas minuat, temporis spatium abbreuiet, nostras orationes eorumque querimonias & lachrymas non respuat, denique eas acribus purgatorij flammis eripiat. Quamobrem toto vitæ tempore semper pro iisdem Dominum inuocemus, dicentes: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.*

Et sane ô pater misericordiarum, & totius consolationis Deus, viuorum ac mortuorum Judex æquissime, supplices te hodierna die deprecamur, vt captiuarum illarum virginum lamenta, suspiria, clamores, lachrymas benignus exaudias: ac tristes creaturarum tuarum gemitus attendas, quæ iam à tot annis, tamq; grauiter, & tam atrocibus apud inferos in iustitiæ tuæ carceribus suppliciis excruciantur. Noli quæso clementissime ac benignissime Deus aures eorũ questubus occludere, qui noctes & dies de profundis terræ visceribus ad te inclamant, ita namque sortem eorum describens Psalmographus ait: *De profundis clamaui ad te Domine, exaudi orationem meam; Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Psal. 129. Quare age fidelium omnium conditor, eorumque animarum Redemptor, misericordiam & gratiam illis impertire, & veniam misericordissimæ pietatis tuæ omnia illorum peccata exstingue, & vniuersalem omnium illis delictorum veniam concede, vt indulgentiam quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur: & tetris illis carceribus egredientes libertatis æternæ compotes efficiantur, ac recta ad beatorum gloriam & requiem sempiternam, quam ipse beatitudinis status secum trahit, perueniant: ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus perducere dignentur.

IN FESTO S. MARCELLI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Potest esse commune de Episcopo aut Confessore quocunq;.

Partitio.

1. *Quæ duæ sint dotes Episcopales.*
2. *De doctrina Episcopali.*
3. *De vita ac virtute Episcopali.*
4. *De dictorum omissione Episcopali.*

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. Eccl. 44.

FIGVRA.

INter cæteros quos Romana Respubl. tulit viros virtute & rerum gestarum gloria insignes ac bello & pace nobiles, non postremum, meo quidem iudicio, locum obtinet magnus ille Marcellus, qui Hannibalē Italię incumbentem profligauit, quintum Consul fuit; ac variis in Rempub. collatis beneficiis, egregiam virtutis & fortitudinis apud posteros famam & nomen est consecutus. Non minorem vero laudem mihi cōmeritus videtur Marcellus Parisiensis, magnus ille Jesu Christi athleta, qui toties in vita, non dico Hannibalem, sed ipsum diabolum fregit, ac superauit: qui quidem non Consul Roman. sed Præsul Parisiensis extitit, multis in Rempubl. Christianam meritis celebris, & fidei Catholicæ propagatione nobilis. Eius hodie vobis elogium hic celebrabo, si sanctissimus ille spiritus auxilij sui zephyro, ac glorioſissima Dei mater Maria intercessionum suarum flabris cymbulam meam propellere dignentur. Quare solita eam compellemus salutandi formula. Plutarch. in Marcello.

AVE MARIA.

Apostolus Paulus cum virtutes & qualitates in Episcopo requisitas Timotheo suo præ- I. *1. Tim. 3.*

præscriberet, duas inprimis ei necessarias esse ait, doctrinam videlicet, & vitæ probitatem, opera simul & verba: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, continentem, pudicum, doctorem.* Inde vero est, quod verbum *oportet* hic vsurpauit, quod sine iis duabus absolutus Episcopus quis dici nequeat. Ac multis ante Paulum sæculis in lege Mosaica peregregio id designauit hieroglyphico Deus, cum à sacerdotio arcuit eos, in quibus aliqua esset macula, cœcos, quin etiam claudos, & eos omnes, qui membro aliquo Leuit. 21. essent mutili, *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cœcus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu.* Cur putatis eum cœcos & truncos manibus à sacrificiorum oblatione arcuisse? non sine ratione. Cœcitas enim symbolum est ignorantiæ, & ipsa scientia oculus animæ; & per truncos manibus certum est designari eos, qui nullis sanctis, aut piis operibus incumbunt. E quibus omnibus efficitur, eum qui cœcutit, id est, qui ad Dei verbum annuntiandum ineptus est, & eum, qui manibus mutilus est, id est, qui in bonis operibus negligens est ad Episcopatum, & Dei, Ecclesiæque ministerium minime idoneum existere.

Philip. 4. Idem Apostolus scribens Philippensibus his duobus se instructum gladiis, ad eos descendisse gloriatur, atq; hęc duo, verba nimirum & opera velut certa Euangelij sui argumenta producit, dicens: *Quæ vidistis & audistis in me, hæc agite:* Perinde ac si diceret: Nolite me nugiuendulum, aut cymbalum tinniens æstimare Philippenses, qui nimirum aliud doceam & aliud faciam, neque enim de eorum sum numero, quorum lingua brachio sit longior, qui dicunt & non faciunt; mea vero agendi ratio cum operibus semper hactenus coincidit, vberaq; mea ad verba traducere conatus sum, adeo, vt duæ hæ dotes vitam meam, velut pretiosæ quædam gemmæ, decorarint.

Accedit adhæc, quod duos è suis, qui iam ad Episcopatus dignitatem euecti erant, & Ecclesias moderabantur, admonuit, vt duobus his potissimum armis se instruerent, vni enim eorum in hunc modum scripsit: *In omnibus temet ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate,* dicere vult: Quoniam Spiritui S. & nobis visum est cariſſime, præsulem te & pastorem animarum in Ecclesia constituere, satage & pro viribus enitere, vt gregi tuo pietatis & probitatis sis exemplum, ac per bona opera vocationem tuam certam facias & confirmes, quadam scilicet grauitate Episcopali, integritate vitæ, & potissimum doctrina. Alterum vero his verbis adhortatus est: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione:* Quandoquidem Timothee ad Episcopatus apicem euectus es, omnem da operam, vt fidelibus bonæ vitæ exemplo præluceas, ac velut sidus quoddam in conuersatione & doctrina effulgeas, nolo autem te campanas templorum imitari, quæ in summitate quidem templi pendentes sono suo & tinnitu omnes vndecumque fideles ad templa cogunt, cum tamen ipse nunquam eadem ingrediantur; quibus campanis merito comparauero depascentes illos pastores, qui ad summum in Ecclesia apicem euecti, alto quidem & sonoro tinnitu aures audientium feriunt, bene dicunt; atq; omnes ad bene agendum inuitant: sed ad operandum ne digitum quidem mouent. Neque enim sufficit Præsulem tantummodo loqui, sed necesse quoq; est eum manus ad opus ipsum extendere.

Esaias futuri Messiæ Pontificium & sacerdotium in spiritu præsagiens, his id coloribus Ecclesiæ depinxit: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verba post tergum monentis.* Esai. 30. Paucis ecce verbis omnem Pontificis perfectionem cõprehendit: verba nimirum eius celebrat & opera: necesse namq; est Præsulem habere aliquid, quod hominum oculis appareat, bona scilicet opera: atq; etiam aliquid, quod ab omnibus exaudiatur, insignem doctrinam, adeo, vt cui alterutrum desit, perfectus & absolutus pastor dici nequeat.

Duo illi viatores, qui in Emaus proficiscebantur, cum Christi qualitates describerent, Luc 24. qui verus Põtifex est, & de quo toties ad Hebræos Apostolus tam magnifice locutus est (scilicet, *Habemus Pontificem magnum*, ac de- Heb. 4. 6. 9.

inde *Pontifex factus in æternum*, & alibi, *Christus autem assistens Pontifex*) duas potissimum protulerunt, *qui fuit Propheta potens in opere & sermone*. Quibus verbis demonstrabant, cum, qui actionem & prædicationem, opera simul habet & verba, perfectum vere nominari posse : at qui alterutro caret, veri Pontificis & absoluti Pastoris nomine prorsus esse indignum. Quod & gentiles, naturæ tantum ductum sequendo, facile perspexerunt.

Luc.24.

Anacharsis enim Philosophus, referente Plutarcho, Græcorum insipientiam & ineptiam exsibilando dicere solebat : *Græci verborum magni sunt Philosophi, sed vita & moribus leuissimi*. Idipsum & Plato in Timæo in iis ipsis Græcis reprehendit : *Vos semper pueri estis, senex autem Græcorum nemo*. Garrulitatem eorum & verbositatem vterque coarguit, quod multa quidem docerent, varia verbis præcepta traderent, opere vero nihil, aut saltem parum exequerentur. Sed quanto hoc rectius & verius de Episcopis, quibus alterutrum horum desit, dici potest ? vtrumque enim apprime iis necessarium est : quod cum in aliquo perfecte reperitur, næ ille magnus & vere diuinus dicendus est, quod vt veteres melius & perfectius exprimerent, emblemate id explicandum censuerunt.

L. de profect. morum. Apophthegma Anacharsidis & Platonis.

Nobilis enim ille pictor Zenalis hoc nobis in tabula scite depinxit : expressit scilicet Vlyssem & Diomedem sese mutuo amplectentes & iuuentes, hac addita Epigraphe : *Vnum nihil, duo simul, plurimum*, id est, ex duobus hisce ducibus, Vlysse nimirum prudenti & sagaci, & Diomede Martio & audaci perfectum aliquem posse ducem constitui : ita porro id expressit in emblematis Alciatus :

Zenalidis tabella.

Laerta genitum genitum quoq; Tydeos vna
Hæc ce a expressit Zenalis apta manus.
Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis :
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa est ;
Solum mens hominem, dextra ve destituet.

Embl.110.

quo quid aliud voluit insinuasse, quam eloquentiam vna cum prudentia, si ad vires & robur alicuius accesserint, admirabilem aliquem & penitus diuinum posse reddere : at alterutrum, si cui defuerit, inter præstantes eum duces non posse annumerari.

Idipsum & Ægyptij, præclaro Hieroglyphico expressere : geminum scilicet pingebant Mercurium, sed ita, vt vnus iuuenta veruante reniteret, alter vero rugis senium arguentibus esset deformis. Designare hic volebant, eum, qui ad dignitatem aliquam aspirat, & magistratum ambit, vt pro dignitate munus suu exerceat, vno in corpore duos gerere vultus oportere, senis vnam & alteram adolescentis : doctrinam ei esse necessariam, & robur ; prudentiam simul & opera : & vtrumque hoc magnum aliquem & absolutum reddere, ac Deum quendam efficere, magnum dixi præeunte mihi ipsomet Domino, dum ait : *Qui autem fecerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Hieroglyphicum Ægyptiorum.

Matth.5.

In Actis Apostolorum historiam video, quæ huc optime facere videatur. Paulus enim & Barnabas Apostoli cũ Lystris, quę Lycaoniæ ciuitas est, claudo ab vtero matris, virtute diuina, pedum vsum restituissent, ciues ; nouo hoc & raro portento mirũ in modum perculsi, existimabant, Deos sub humana ad se imagine è cœlo descendisse, adeo, vt sacerdos Iouis tauros ad diuersorium eorum immolandos raperet, coronasq; è floribus contextas afferret, vt easdem capitibus eorum veluti deorum imponeret, Barnabæ quidem tanquam Ioui, & Paulo vt Mercurio : quod hic ad populum verba haberet, & alterutro esse videretur eloquentior, ille vero inusitata quadam virtute supernaturali potentia operaretur prodigia : huic nimirũ attribuentes verba, illi autem opera, adeo, vt ob duas halce dotes, quas in duobus his animaduertebant, diuinis honoribus vtrumq; censuerint afficiendum.

Act.14.

Et profecto ad eum se modum res habet, ille enim diuinus, admirabilis ac plane cœlestis, quin & absolutissimus quidã Episcopus est nuncupandus, qui vtramq; hanc dotem in se cõplectitur, ille namq; vere sacerdos magnus dici potest, quod verbis quidem Mercurius, operibus vero sit Jupiter : magnus inquam, vt par ei haud facile queat reperiri.

Verba & opera diuinũ aliquem virum efficiunt.

Horum

Horum de numero exstitit Marcellus noster Præsul vigilantissimus, cui hodiernam concionem velut panegyricum quendam dedicoq;: & cui hordierna die Ecclesia tribuit elogium: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi.* Sacerdos nimirum, qui verbis opera adaptauit, quæ duo potissimum Episcopo ad perfectionem necessaria sunt, ac de quibus hodierna ad vos dicturus sum. Primo porro agendum erit de verbis, ac deinde de operibus orationem instituemus.

Eccl. 44.

Quod ad primum igitur spectat, quam sit doctrina ac verba Episcopo alicui necessaria, euidenter satis Redemptor noster in Euangelio demonstrauit, quando nimirum Apostolos, primos nempe Ecclesiæ præsules, lucem mundi appellauit, *Vos estis lux mundi*, perinde ac si dicere voluisset: Ego ô Apostoli mei, cœli atque omnium Angelorum lux existo, vos vero vt mundi & hominum lux sitis, constitui. Quid hinc elicietis vos sacrarum litterarum interpretes, cum pastores mundi lucē à domino appellari intelligitis, an non sat multæ in cœlo sunt faces? an non quidam sol est, an non luna, an non sidera? fateor. Sed non hic est genuinus verborum Domini sensus. altius nimirum euolandum est, philosophia hæc Christi longe sublimior est ac profundior. Innuere namq; vult omnia illa luminaria in solum animalium rerumq; corporalium vsum esse condita, at animarū lucem ipsos esse pastores, eosque radiantium quorundam siderum locum tenere, quæ nimirum Christianos ad gloriam perducant, & viam ad res supernaturales demonstrent.

Episcopi sunt mundi lux. Matth. 5.

Ac veluti sol, ille omniuens mundi oculus, cum nostrum axem conscendit, tenebras omnes dispellit, spissas nebulas dissoluit, lumen suum quocunque diffundit, atque omnia, quæ in inferiori hoc mundo continentur, educat ac fouet, ad eum modum & perfectus quidam Episcopus, qui mundo huic velut quidam sol est, inter omnes late lumen suum debet diffundere, in medio Ecclesiæ splendescere, doctrina ac prædicatione eniteere, ignorantiæ tenebras fugare, errorum nebulas auferre, & omni virtutum scientiarumque genere micare: denique instar rutilantis cuiusdam planetæ sit, oportet, atque in Ecclesiæ firmamento velut sidus quoddam eluceſcat.

Comparantur soli.

Accedit ad hanc meam comparationem quam proxime Sapiens, atque ex eius verbis aliam haud adsimilem elicio, *Dedit*, inquit, *eis ignis ardentem columnam ducem ignotæ viæ.* ecce nuncupat eos columnas & bases, quoniam Deus eos vt fulcra quædam & sustentacula constituit, quibus tota Ecclesiæ moles incumbat sed columnas ardentes & flammātes, doctrina nimirum & scientia, vt sint nimirum in lucem gentium, & ambulent populi in splendore eorum, vt ad ipsorū splendorem peccatores deuij in meliorem semitam redeant; vt iis vias quas nesciunt aperiant & ad calcandum difficiles demonstrent; viam scilicet qua ad regnum cœlorum tenditur, viam mandatorum DEI vias salebrosas difficiles sublimium fidei mysteriorum; vt nimirum doceant, quid sit in sanctissimam Trinitatem credere, qui peractum sit sublime Incarnationis mysterium, quia vnigenitus Dei Filius pro infinito in genus humanum affectu humanam carnem assumpsit: quomodo omnia è nihilo Deus condiderit: quæ sunt reuera viæ quædam ad ambulandum difficiles; ac penitus incognitæ.

Comparatur columnæ ardenti. Sap. 18.

Robertus Holcot magni inter scholasticæ Theologiæ scriptores nominis, verba hæc Salomonis exponens, ait, Sapientem hæc scribendo, ad historiam quamdam, quæ ex traditione Rabinorum è Geneſi eruitur respexisse: scilicet Cham Noachi filium, finito diluuio, visa iam clade quam vehemens illa aquarum inundatio mundo inuexerat, veritum, ne idem denuo forsitan contingeret, quatuordecim ingens columnas statim cōstituisse; septem quidam æreas quæ aquarum vi resisterent, & septem lapideas, quæ flammis incendioq; nequaquam cederent, iisque omnium scientiarum characteres & notas insculpsisse, primæ nimirum notas Rhetorices; secundæ Dialectices; tertiæ, Musices; quartæ, Mathematices, atq; aliis aliorum scientiarum notas ac præcepta:

Holcot lect. 195.

vt, si iterum similis orbi strages superuentura esset, ipsæ saltem scientia & artes superstites forent, perennantibus illis columnis instar præ. Porro Doctor ille nostro hoc proposito adaptans ait, Præsules & prælatos, qui veluti bases quædam & fulera sunt, quibus tota Ecclesia innititur, ad instar harum columnarum esse debere: vt scilicet ijs omnium scientiarum characteres insculpti, omnesque ijs virtutes inscriptæ legantur, columnæ inquam circumquaque exaratæ, virtutibus & scientijs plenæ, vt licet omnia in hoc mundo naufragio pereant, virtutes & scientiæ nihilominus in eorum animabus hospites perseuerent, & à naufragio immunes, adeo vt Pontificem & Prælatum ita vtrisque instructum esse oporteat, vt ad eum non secus atque ad scientiarum oraculum & virtutum omnium thesaurum singuli recurrant, vt ab eo simpliciores consilium, ignorantes scientiam, afflicti solamen, pauperes auxilium, egeni remedium, peccatores probitatis exemplum, atque vniuersa Ecclesia gloriam & laudem percipiant.

II. Cur vestis summi apud Iudæos Pontificis tintinnabulis fuerit plena. *Exod.* 28.

Scientia namque & doctrina Episcopo in primis necessaria sunt. Hinc factum puto, cur Dominus olim vestem summi apud Iudæos Pontificis tintinnabulis, voluerit instrui, quæ dum incederet, tinnitum quemdam ad numerum ederent; neque enim prius Sancta Sanctorum ingredi poterat ad sacrificia Deo offerenda, quam tintinnabula sonitum edidissent, cuius rei rationem scriptura reddens ait: *vt audiatur ingrediens, & egrediens, & non moriatur.* Quid? itane eum, si ingrediendo & egrediendo sonitum non edat, vitæ periculum incurrere? Plurimæ sunt huiusce loci expositiones. Alij namque dixere summum sacerdotem Sancta Sanctorum ingrediendo, Angelos vt plurimum videre consueuisse, qui minaci & terribili incessu timorem ei incutiebant, sed eosdem ad tintinnabulorum sonitum abire solitos, atq; ita Sacerdotem per tintinnabula morte eripi. Alij vero existimarunt, id propter reuerentiam erga diuinum numen, institutum esse, quod nimirum Deus hunc sibi locum peculiari quadã ratione delegisset, in quem non sine magna reuerentia & sancta quadam formidine, ac non nisi dato signo, aut edito pulsu, vt in palatijs Magnatum & Monasterijs fieri videmus, ingredi oporteret. Alij alia commenti sunt, sed omnium meo quidem iudicio, optime rem tetigisse visus est magnus ille Pontifex Gregor. qui per veterem illam cærimoniam ait designari animam sacerdotis & Episcopi prædicationis sonitum edere debere: *Sacerdos ingrediens & egrediens moritur, si sine sonitu prædicationis incedat,* & tinnitum, sacras litteras interpretando, non edat. O minas horribiles, ac penitus formidandas! Deus ecce mortem intentat Prælatis Ecclesiam, vetum Sanctum Sanctorum, non edito doctrinæ & prædicationis strepitu ingredientibus, id est, curam pastoralem temere assumentibus. Hinc igitur elicere potestis, quam sit doctrina, ac scientia illi necessaria: in quam rem & alium adhuc conceptum profeiam.

Tradunt Doctores Scholast. & in primis S. Thom in Christo Iesu, in quantum Deus erat, scientiam quandam increatam fuisse; sed in quantum homo, scientiam quandam infusam: cuius rei rationes variæ sunt, sed illa principem facile locum occupat, quæ è verbis D. Dionysij Areopagitæ eruitur, qui ait Christum etiam vt hominem Angelorum omnium ac spirituum cœlestium magistrum exstitisse; vt nimirum ostenderet se eorum caput, Principem ac Pontificem esse. Vt autem eos in proprio idiomate edoceret, requirebatur in eo scientia quædam infusa, qualem & ipsi habebant, ac necesse erat vt scientia præceptoris scientiæ discipulorum, responderet. Per hæc autem omnia demonstratur, Pastores qui totius populi capita sunt ac vertices singulari quadam scientia ad docendos alios, debere esse instructos. *D. Thom. 3. par. q. 9. art. 3.* *De cælesti Hierarch. cap. 7.*

In corpore humano solum caput oculos in se continet, atque omnia membra dirigit & moderatur; ita vt quamprimum oculi eruuntur, tota corporis humani respub. pericula varia adeat, & in ruinam vergat. Ita quoque, vt meo similitudinem hanc proposito accommodem, certum est, Præsulem in magno illo Ecclesiæ corpore, mystici cuius- Episcopus capiti comparatur.

cuiusdam capitis locum obtinere, in eoque oculos, id est, litteras, scientiam & doctrinam singularem esse oportere, vt nimirum omnes sibi subditos rite ac debite dirigat, ac securos per salebras & anfractus deducat: qui si cæcutire caligare incipiat, quid de cõmissis ei animabus, quæ eiusdem quodammodo membra sunt, sperandum est aliud quã ruina, pernicies, & idipsum quod in Euangelio legimus, *si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt*. Matth. 15.

Inter cæteras quas in Judæis deplorat Esaias calamitates, erat Principum cæcitas, & nimia in delinquentibus conniuentia: quod scilicet instar talpæ cæcutirent, & instar canum mutorum, visis populi peccatis non inclamarent, Audite eius verba: *Speculatores cæci omnes nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Esai. 56. Quinam vobis hi speculatores esse videntur nisi Episcopi, quorum Græca appellatio ἐπισκοπὸς tantundem valet, ac speculator & excubitor? Ecquis est, obsecro, qui non ploret, qui non lacrymetur, atque Ecclesiæ calamitatem non defleat, cum eius rectorum cæcitatem & ignorantiam intuetur, adeo vt populum instruere, & aduersus hæreticos qui ouili circumquaque insidiantur, latrare nesciant? scientia namque hominibus ac præsertim Episcopis propria est, vt ignorantia brutis ac bestiis.

Non parua quoque meo iudicio, comminatio fuit, cum populo suo Deus comminatus est, daturum se ei Duces & Principes, qui cæcutirent, & gubernatores quorum oculi caligarent, *Et claudet oculos vestros Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet* Esai. 29. id est, Propheras & Reges vestros, qui vestri quodammodo oculi sunt, quorum est reipubl. commodis inuigilare, cæcos reddet, adeo vt conducendi & dirigendi sitis ab iis, qui prorsus cæcutient, qua nulla maior calamitas & infortunium timeri queat, quæ nunc non nisi insignem ruinam vobis allatura sit.

Hinc cum arx Sion à cæcis Jebuzeis defenderetur, statim ab Hebræis direpta fuit: *Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebuzæum, & tetigisset domatum fistulæ, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam Dauid.* 2. Reg. 5. Vnde colligitur Ecclesias cum à Prælatis cæcutientibus, id est ignorantibus & indoctis administrantur, maximo in discrimine versari.

Atque ideo Ammonitarum Rex Naas, vt Galaaditas inimicos suos penitus deleret, ducibus eorum oculos eruere conabatur. 1. Reg. 11. Cum enim tyrannus ille valida militum manu aduersus eos descenderet, ipsi duces ad eum velut legatos destinarunt, vt secum paciscereturque, suumque illi obsequium obtulerunt, sed barbarus ille & immitis respondit, non prius se cum iis pacem inire velle, aut fœdus pacisci, quam dextros singulis oculos eruisset. Doctissimus Liranus barbarum hocce factum accuratius examinans, tandem hoc modo concludit; Galaaditas, scilicet ingentis staturæ viros fuisse, longos, proinde & vastos clypeos gestasse. Et quoniam clypeus sinistrum plerumque oculum tegit, hinc fiebat, vt barbarus ille dextros oculos eruros vellet; quibus ereptis ipsi ad bella prorsus inepti essent, vt pote, qui nihil inter pugnandum viderent. Vt hoc nostro cæpto seruiat, dico ipsos Ecclesiæ militantis duces, ac Principes, Prælatos esse; Satanam vero, qui Naas infernalis est, aliud nihil desiderare, quam vt eos cæcos reddat: quos si semel dextro oculo, scientiæ scilicet ac prædicationis, orbari contigerit, & imperitos esse, quid obsecro aliud ab illis exspectare potest Ecclesia, quid aliud Christiani omnes, ac grex ipsis concreditus, quam meram ruinam, eosque velut inutiles ac frugiperdas alere.

Vnum è præcipuis ornamentis quæ in Dei tabernaculo visebantur, fuit candelabrum aureum, in quo septem lampades collucebant: *facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso.* Exod. 25. designabat hoc, maximum Ecclesiæ ornamentum esse, si Pastor & præsul instar candelabri septem eximiis lucernis ad subditos illuminandos exornatus sit; si inquam Episcopus septem liberalibus artibus ac Theologica scientia optime instructus Ecclesiæ præsit; hæ namque artes sunt velut lucidæ quædam la-

pades, quæ nobis in hoc vitæ itinere lumen præbent: Ita nempe & Euangelium loquitur, quod scientiam lucernæ & Episcopos candelabro assimilat, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Quidquid sit efficitur saltem, scientiam Sacerdotibus, Prælatis, atque omnibus qui ad sublimiores dignitates euecti sunt, perneceſſariam esse, quod noua adhuc ratione demonstrabo.

Matth. 11. *Luc.* 8.

Voluit olim Deus, vt Sacerdotes tubis clangerent in medio exercituum, quamobrem hoc eum putatis iussisse? an deerant alij quibus hoc magis pro officio facere ineumberet, vt milites ac duces? an non erat indecens, Sacerdotes qui Deo sacri erant, tubas in medio castrorum inflare, officioque tam profano destinari? vt nimirum ostenderet, Sacerdotes & Præsules, in castris Christianorum, id est Ecclesia, quæ terribilis est vt castrorum acies ordinata; tubarum & buccinarum locum obtinere debere, vt nimirum Euangelium annuncient, summi Dei edicta promulgent, eius leges seruandas proponant, suos ad fortiter agendum inuitent, bellumque acerbissimum & implacabile vitijs indicant. Audite quid olim Isaiæ in simili negotio præcepit Deus, *Quasi tuba, exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.*

Isai. 38.

Princeps ingenij ac doctrinæ Plato tum demum beatas fore resp. dicebat, si aut Philosophi eas regerent, aut qui ad earum gubernacula sederent, philosopharentur. Idipsum modo de hoc nostro sæculo dicere mihi iure posse videor; beatas tum demum fore parochias, diœceses & Ecclesias, cum Doctores, Theologi, & Philosophicis scientijs instructi, in capita; Pastores & Episcopi constituerentur.

Platonis sententia.

Sed quam te merito felicem occupare potes ô Lutetia, orbis epitome, totius Europæ ciuitatum & caput, & Princeps, Regum delicium, quæ huiusmodi semper Præsules nacta es? nimirum doctos, sapientes, sanctitate & morum honestate penitus admirabiles! Inter quos principem facile locum obtinet glorioſus ille Confessor Marcellus, qui in gremio tuo est educatus, qui tibi domi natus est, qui territorij tui & agri fructus est germen, qui inter Episcopos tuos, vt inter stellas Luna minores, emicat. Marcellus inquam qui in hac Parisiensi ciuitate natus, nonus in ordine Parisiensium Episcoporum fuit, successor Prudentij, idque temporibus cum hæc Gallia ab infidelibus adhuc regebatur regibus; quinque iam à mille ducentis propemodum annis viuere desiit, & sanctæ Genouefæ perfamiliaris exstitit.

Statim vt ingens mundi huius imperium conditum est, duo quamprimum magna luminaria constituit Deus, solem nimirum & lunam, quæ toti quaqua patet orbi de die ac nocte illucerent. Idem Deus cum Galliæ huius Monarchiam constitueret, duo quoque luminaria effulgere fecit, Marcellum nimirum velut solem, & sanctam Genouefam quæ secunda luna foret, vt duo hæc astra, splendore & luce rutilantia, toti huic regno lucem præberent. Quid autem impedit, quo minus vtrumque virentibus illis oliuis comparem, quæ in conspectu Dei videbantur, vt in Apocalypsi Ioannis describitur? Hem quam eximia virgo? quam magnus & celebris confessor! quam merito de ipso hodierna die cum Ecclesia decantare possumus, *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.* Supra.

Vere inquam Sacerdos magnus, ac Episcopus maximus, simul sanctissimus, doctissimus, ac salutis animarum studiosissimus. Quoties enim ille ad populum verba habuit, vt peccatores è deuio vitiorum tramite ad salutis iter reuocaret, peccata ipsa profligaret, hæreses & praua dogmata extirparet, & idololatrias ad fidei veritatem compelleret! fuit, fuit Auditores, nouus quidam Iacob, qui vt gregem Labani cœlestis seruaret, magna animi constantia frigus & æstum infractus sustinuit, dies noctesque orando traduxit, vt eadem, quæ Iacob, vsurpare verba merito potuisset; *Diu noctuque æstu vrgebar & gelu: & fugiebat somnus ab oculis meus:* Habuit enim præter verba doctrinam sapientiamque etiam opera; docebat nimirum simul faciebat, quod scilicet alterum *Gen.* 31.

terum est quod in absoluto Episc. desiderari dicebamus, & secundum concionis nostræ membrum, quod iam prosequamur.

III. Actio & opera externa Episc. quoque necessaria sunt. Simile.

Bono igitur & fideli pastori non modo verba, sed etiam opera necessaria sunt; neque enim sufficit, vt doctus sit, ad populum sæpenumero verba habeat, sed requiritur etiam vt manum ad opus ipsum extendat, atque ea quæ pro suggestu dixit reipsa & facto probet, omnibusque & singulis egregiam probitatis honestatisque exemplum præbeat. Erit alioqui mendaci horologio persimilis. Nam quemadmodum cum hora 11, audis, & oculos in gnomonem coniicis ac nonnisi 10. vel 9. horas vides designari, statim tecum ipse iudicas horologium fallere, aut axes introrsum esse vitiatos, ac loco motos. Ita quoque, si pastor, qui verum quoddam fidelium horologiū est, in summo Ecclesiæ fastigio horas & minuta indicans, quique veluti campana quædam est, omnes salutis horas ac momenta populo denuntians, si ipse inquam Ecclesiæ pastor alium sonum prædicatione & alium operibus edat, euidens signum est eum sibi non constare, atque in eius actionibus discordantiam reperiri.

Paulus Doctor Gentium veritus, ne idipsum sibi fortasse accideret, omni ratione contendebat mores & vita vt verbis prædicationique responderent: hinc ad Corinthios scribens, aiebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Id est, Opere implere connitor, quod verbis doceo, & pœnitentiam aliis prædicans, in meipso eandem prius exprimere studeo: alios ad fletum & lacrymas inuitans, prius oculis meis lachrymas excutere atque imitari gestio præclaros illos agricolas, de quibus Psaltes ait: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.*

1. Cor. 9.

Psal. 125.

IV. Variis similitudinibus designatur Episcopus, qui ea quæ dicit; opere non adimplet.

Episcopus namque multa docens, & pauca præstans, quique theoriam quidē habeat scientiæ, at nullam virtutum praxim, & qui alios ad bene viuendū inuitat, ipse vero dissolutionem morum ostentat, similis esse perhibetur faci, aliis quidem lucem præbenti, seipsam vero ardēdo destruenti. similis quoque est aquis Baptismi, quæ animabus quidem ad cœlum aditum patefaciunt, ipsæ vero in sordibus remanent: similis etiam est iis qui Noe arcam longo tempore compegerūt, in qua alii seruarentur, cum ipsi eadem exclusi aquis immersi perierint. Bonorum igitur operum exercitium vna cum doctrina & prædicatione Episcopo necessarium est.

Demosthenes inter Græciæ oratores eloquentissimus, interrogatus aliquando, referente Aug. quidnam in perfecto Oratore primas ferret, respondit, Actio: petentib. deinde aliis, quid secundas iterum respondit Actio, ac mox quid tertias, iterum Actio: & sane erediderim, cum semper hoc ipsum de actione dicturum fuisse, si sæpius id ab eo petitum esset: equidē idipsum de Episcopis iure meritoque mihi dicere posse videor: si enim quis à me petat, quid primas in perfecto, absoluto & digno Episcopo ferat quamprimum sine tergiuersatione, idque totius orbis iudicio, respondebo, vnicam esse Actionem, si deinde, quod obtineat secundas, tertias & quartas vnicam esse dicam actionem: adeo vt si millies eadem quæstio reiteretur, idem ego semper de actione testimonium darem. Ipsa namque actio velut fundamentum est Episcopalis dignitatis, à qua nimirum tota Episcopi perfectio dependeat.

Epist. 16. ad Diosc. orum.

Satis id indicasse visa mihi est sponsa in Canticis, statim namque vt sponsi vocem laudauit, *sone vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & decora* ad manuum eius pulcritudinem celebrandam descendit, *manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Sponsus hic profecto veram Episcopi imaginem gerit, sponsa autem Ecclesiæ vox eius prædicationem denotat, & manus hyacinthis plenæ bona opera virtutibus & meritis insignita. Tunc namque manus eius vere aureæ dici possunt, quando charitas & zelus in operibus eius elucent, hoc namque inter virtutes charitas est, quod aurum inter metalla, & tum digiti eius gemmis & hyacinthis scatent, quando bonis operibus, ac virtutib. incumbit, quibus nulla pretiosiora monilia aut gemmo cariores reperiri queunt. E quibus omnibus apparet, vocis dulcedinem, vna cum auratis manibus, doctrinam simul & virtutem, prædicationem & opera, præstantissimas dotes esse, quæ in Episcopi ani-

Cant. 2.

Cant. 5.

Matth. 23.

anima, qui verus Ecclesiæ sponsus est, desiderari possunt.

Quin etiam magnus ille paterfamilias apud S. Matthæum, vineam suam, dum cultam vellet, elegit in vinitores, non disertos aliquot oratores, non magnos Doctores, non sublimes Phiſo ophos, sed solos operarios & laboribus assuetos. *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in vineam suam*, & post pauca addit idem paterfamilias, *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Vinea hæc Ecclesiam repræsentat, vinitores vero & agricolæ cœlitus missi esse debent laborantes, qui tantum nimirum operantur, quantum loquuntur. Sed vnum hoc deplorandum est, quod multum in hac vinea sit operis, ac messis plurima, at pauci admodum reperiantur operarij, multi quidē in vniuersitatibus, Doctores, multi in Collegijs philosophi, multi inter nobiles & Aulicos Abbates, multi in Palatijs principum Episcopi, sed operarij pauci, pauci, inquam qui Ecclesiæ commodis inuigilent, qui pro eadem laboribus incumbant, pauci scilicet Episcopi, qui quidquid dicunt, opere ipso deinde expleant, *dicunt enim & non faciunt.* Hi vero Deum grauissime offendunt. Hinc libro 1. Regum iratus, quod Saul iussa sua nō adimpleſſet, eiusque verbis, Amalecitas internecione non delendo, non obtemperasset, ad Samuelem ait, *Pœnitet me quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.* Nihil porro obstat, quo minus hoc etiam de Episcopis dicatur, illi enim Deum dereliquisse vidētur, eiusq; verba negligere, qui quod dicunt non præstant, qui quidem Euangelium ac genuinum Dei verbum populo denuntiant, ad operandum tamen non accinguntur, nec manum operi admouent.

Matth. 9. *Luc.* 10. *Ibidem.* Prælati vinitoribus Euāgelicis comparati.

Matth. 23.

2. *Reg.* 23.

Scriptum est in libro Iudicum, Aod filium Gera, ambidextrum fuisse, & vtraque manu pro dextra vsū, de quo inter cætera scribitur, quod *fecit sibi gladium ancipitem habentem in medio capitulum longitudinis palmæ manus.* Omnia porro hæc mysterio non vacant. Inprimis validus ille miles nostros Episcopos designat, qui quoniam Ecclesiæ copijs præsunt, nunquā inermes sint, oportet, sed semper gladio, quod est verbum Dei, accincti, gladio inquam ancipiti, tum ad virtutes laudibus debitis exornandas, tum ad peccata & vitia castiganda: qui gladius quoque ad longitudinem manus aptandus est, vt nimirum faciant, quod docent, atq; opere demonstrent, quod verbis alijs persuadere satagunt.

Iud. 3.

In mari illo fusili, quod Salomon in templo Ierosolymis constituit, insculptī erant leones, boues, & Cherubini. Si me sculpturæ huius interpretem adhibere vultis, dico per mare hoc optime Ecclesiam designari, per animalia vero insculpta ipsos Episcopos, quos fortitudine oportet esse leones, scientia Cherubinos, opere ac labore boues, boues inquam ad effringendas glebas duriores, ad portandum iugum: ad vineam purgandam, & ad Ecclesiæ noualia colenda. 3. *Reg.* 7.

Ioannes in Insulam Pathmos à Domitiano relegatus plurimas à Deo apparitiones habuit, atque inter cæteras vidisse se ait filium hominis septem manu stellas tenētem. Per septem has stellas interpretes designari Episcopos arbitrantur, qui scilicet instar rutilantium ac splendidorum siderum in Ecclesiæ firmamento collucent, & in manu Dei versantur, vt nimirum hinc discamus, pastores, nisi sincere ac sincere vlla fraude à manu Dei in Ecclesia stabiliti sint, non vero manu mundi, id est, fauore aliquo, aut datis muneribus, aljsque vijs illicitis, semper obscuros esse, ac nunquam non deliquium pati, nec vllum lumen præbere. Hæ autem stellæ Angeli appellantur, *septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum:* vt hinc intelligamus, quanta vitæ puritas Episcopis sit necessaria, qui per doctrinam instar stellarum effulgere, & per vitæ integritatem & innocentiam Angelorum imitari debent puritatem. Noto hic deinde stellas has manu teneri, non vero capiti esse superimpositas, aut alteri cuidam corporis membro annexas, vt doceamur hinc opera Prælato imprimis esse necessaria, quorum operum verum symbolum ipsa est manus. *Apoc.* 1. *Apoc.* 1.

Quam pulchrum porro est, ac iucundum videre Principes illos Ecclesiæ munere suo debite ac rite fungentes, populum sibi commissum verbi vitæ pabulo fideliter pascētes, doctrina sua salutis iter illi manifestantes, eumq;

eumque honesta conuersatione, ac probitate vitæ ædificantes, omniq; ratione contendentes, vt cum theoria praxis quam optime coincidat: Quam vero dolendum est ac deplorandum, cum in ijs mores doctrinæ & verbis vsq; adeo non respondent, cum hoc docent, & illud præstant. Egregiam ad hoc propositum historiam refert Plutar. In Laconicis. Cum quidam ætate grandior, stadium olympicum ingressus esset, ac conuenientem ætati suæ locum quæsisset, nullus ei omnino ex vniuersis Græcis assurrexit, aut locum cessit: qui tandem ad Lacedæmonios se contulit, qui cæteris cultiores audiebant, inter quos ei non modo pueri, locum cedendo, sed etiam ætate grandiores ac viri assurrexerunt, venerandam canitiem & annos in eodem reueriti, quod factum cum cæteri Græci magnopere deprædicarent, inclamare in omnium consessu senex cœpit: *Heu miseriam! Omnes Græci norunt, quid sit honestum, sed eo solum vtuntur Lacedamonij.* Vt hoc senis huius apophthegma propositæ accommodem materiæ, dent operam Pastores, ne ipsis scientibus quod sit pulchrum, honestum, vtile ac quantum sit virtutis decus & pulchritudo soli Laici idem opere demonstrent, ac facto præstent.

Huius meminisse vos velim Præsules, & simul in mentem reuocare, quam acrem illi in Euangelio reprehensionem à Domino vineæ audierint, qui præ desidia & inertia otiabatur: *Quid statis hic tota die otiosi? Otiosi* inquam, non concionantes, nõ scribentes, Ecclesiæ commoda negligentes: *Otiosi*, clerum non reformantes, diœcesis visitationem omittentes, hæreseon zizania non exstirpantes: *Otiosi*, extra diœcesim, procul à grege, in aulis Principum, in delicijs, voluptatibus indulgentes *tota die*: toto iuuentutis vestræ tempore, in flore ætatis, toto denique vitæ spatio. Non ita, nõ ita inquam vestri fecere majores, non hac via sancti illi patres vobis præluerunt, & in primis S. Marcellus, ille namque & concionabatur, & operabatur, ad imitationem nimirum Apostolorum, qui primi orbis exstitere Episcopi, qui bona opera velut additamentum ad prædicationem adjungebant, ac virtutem doctrinæ velut sociam adnectebant, zelum prædicationis, & vitæ austeritatem semper simul in aciem producentes. Hinc de ijs locutus videtur Psalmographus dicens: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.* In quam rem egregiam mihi similitudinem suggerit Propheta Iob. Psal. 125.

Cum Deus Iobo quædam naturæ miracula reuelaret, inter cætera ait: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in pratis, aut parturientes ceruas obseruasti? Incuruatur ad fœtum, vt pariant, & mugitus emittunt.* Gregorius locum hunc in Moralib. explicans ait, per has ibices, & ceruas, cursu velocissimas, primos Ecclesiæ patres designari: quorum tanta fuit in cursu celeritas, vt quatuor mundi cardines breuissimo temporis spatio peragrarint. de quibus in Psalmis scriptum legimus: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: quique plurimos Deo, sed non sine ingenti molestia ac magna difficultate pepererunt. vt de se ipse inprimis testatur gẽtium Apostolus Paulus: *Per Euangelium ego vos genui.* Scire vultis, quos illos labores subierit, quas ærumnas exantlarit, quos in partu dolores sustinuerit, ipsum de se scribentem audite: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, die & nocte in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratrib. in labore & ærũna, in vigilijs multis, & fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, &c.* O partum difficilem! ô graue & ærumnosum pauperium! Heu! veteres illi Ecclesiæ Præsules, vt munere suo pastorali optime fungerentur: quos carceres non subiere, quæ vincula, quas catenas non sustinuere, quos labores non sunt perpessi, quos sanguinis torrentes non effuderunt? vt merito de illis Dauidicum hoc vsurpare queam: *Dedit eis regiones gentium & labores populorum possiderunt.* Psal. 104.

Tales scilicet fuere veteres illi Præsules, sanctitate & doctrina admirabiles, tales Episcopi illi Galliæ, quorum nomina scripta sunt in cœlis, Remigius Rhemensis, Martialis Lemouicensis, Saturninus Tholosanus, Surinus Burdegalensis, Astremonius in Aruernia, Hilarius Pictauensis, Martinus Turonensis, Marcellus Parisiensis, Episcopi S. Galliæ veteres Episc.

Marcellus inquam, quem hodie præ cæteris prædico, ac de quo canit Ecclesia: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, &: Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* qui nimirum adeo magnus in mũdo exstitit, ac tanti in Ecclesia nominis, vt paucos ei pares reperias, pares scilicet meritis, pares virtutibus, pares miraculis, pares in docendo populos, pares in idololatria exstirpanda, pares in honore & cultu Dei promouendo, deniq; in misericordia erga pauperes ac mendicos pares.

De eo namq; vere dicere possum ac proprie quod de omni viro iusto ait sapiens: *Laudent eum in portis opera eius.* ac publice coram vniuerso mundo. Non est porro necesse pluribus laudes & encomia eius verbis deprædicare, ipsa eius opera, ipsa miracula, eius heroicę virtutes in portis eum decantent, ac celebrent, in portis inquam magnæ huius Ecclesiæ, honori & cultu Deiparæ Virg. dedicatæ, in portis nobilis hui⁹ ac vastę ciuitatis, in portis ac liminibus magni huiusce regni, deniq; in portis totius orbis Christiani laudes eius & opera celebrentur.

Prou. 31.

Cum aliquem magni nominis, aut Principem mori contigerit, superbis statim stragulis ac peristromatis magnificis parietes & domus limina conuestiuntur: adeo vt necesse non sit nomen & qualitatem scisciatari defuncti, cum ex aulæis & parietũ ornatu satis manifestum sit opulentum aliquem ac dignitate fulgentem obijsse, quem laudent in portis, & parietibus opera eius. Idipsum de sancto Marcello hodie mihi dicere licet: si enim scire desideretis, quis qualisue fuerit, quænam eius merita, vnico vobis statim verbo respõdebo: *Laudent eum in portis opera eius*: vitam eius intuemini, actiones eius inspicite, miracula attendite, & plurimas alias virtutes, quæ vera animæ supellex sunt, & videbitis ex his omnibus, ipsum celebrem aliquem ac magni nominis Episcopum fuisse.

Ibid.

Laudes & encomia Marcelli.

Eccl. 44.

Tota igitur hæc diœcesis, totum hoc regnum, vniuersus clerus atq; vniuersa Catholica Ecclesia hodie mecum dicant: *Ecce sacerdos magnus.* Vere magnus, quia magnæ ac latę patentis ciuitatis Episc. magnus, quia magna ac luculenta edidit miracula; magnus, quia magna modo eius in cœlis est gloria; magnus deniq; quia magni apud omnes nominis est ac famæ. *Ideo fecit illum Dominus crescere in plebem suam.* O mercedem incomparabilem! ô nobile vigilantium Episcoporum præmium! quia nimirum vigilans fuit ac sedulus in Episcopatu, quia populum sibi concreditum assidue verbo vitæ pauit & sapienter vitam instituit, quia scientiæ opera, & actionem coniunxit, *ideo* nomen eius per omnes terrarum angulos celebre redditum est: *ideo* Episcopatũ eius Dominus benignissime fouit ac promouit; *ideo* gregem eius & oues fecit excrescere: *ideo* bonos ei successores elargitus est; *ideo* nomen eius super æthera notum, ac memoria illius apud posteros erit immortalis. Nam, *in memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit* Hoc quidem de omni iusto, sed ipsum Sancti Marcelli nomen peculiari quadam ratione in æternum manebit, nunquam de eo quisquam secus ac debet loquetur, Lutetia semper memoriam celebrabit, nomen eius perpetuo conseruabit; semper eũ inuocabit ac nunquam non de eo dicet: *Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo:*

Psal.

Ecc. 11.

O vere magne Marcelle atq; inter omnes Sanctos eximie, inter Pastores Pastor egregie, decus Lutetię, vniuersę columen Gallię, fidelium spes, supplicum refugium & præsidium: cuius hodie Ecclesia festiuitatem celebrat. O Sancte ac gloriose Episcope, qui modo Angelis sociat⁹ in cœlesti regione regnas, Altissimo dilectus & æterna beatitudine perfruens. O beate Episcope, qui tanta olim prudentia, ac sanctitate hanc diœcesim direxisti, huius obsecro tui gregis memor esto, ad ouiculas tuas benignissimos oculos conuerte, intercede pro eo, qui nostris diebus locum tuum hic occupat, qui infulam, quæ tuum aliquando caput exornauit, capite gestat, & pedum manibus, quod tuum aliquando fuit, qui idem, quo tu olim grauatus fuisti onere humeris impositum habet. Et quoniam multum te apud Dominum posse, & magni preces tuas apud eum ponderis esse confidimus, nostris hodie precibus aurem accommoda,

pro-

pro nobis omnibus intercede, nostras quoq; Deo orationes repręsenta, ac pro nobis apud Altissimum obtine, vt postquam fidele hic ei obsequium præstiterimus, teq; qui ei carus es, debito honore prosecuti fuerimus; ex hac vita in æternam ingredi mereamur, ad quam nos conducat Pater, & Filius ac Spiritus S. Amen.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Partitio.

1. *Quales esse oporteat Episcopos?*
2. *De S. Martini statu militari & admiranda charitate.*
3. *De eius eremitico Monachatu.*
4. *De Mundi statu & contemptu.*
5. *De fuga mundi bonoq; statu monastici.*
6. *De Episcopatu S. Martini pauperis.*
7. *De inuicto Sancti Martini zelo ac fortitudine.*

O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec viuere recusauit!

FIGVRA.

Gen. 12. ABRAHAM Patriarcha statim vt à Deo vocatus fuit, patriam suam, cognationem, ac domum paternam deseruit & in regionem alienam profugus secessit, in qua varijs laboribus afflictus, ac grauissimas ærumnas perpessus est. Cum oculos in Sanctum Martinum eiusq; vitam conijcio, simile quid videre mihi videor. Contemplor enim eum, instar Abrahæ, ad Dei inspirationem, è castris sese proripientem, vitam militarem, amicos, domum paternam & consanguineos deserentem, & in aliam mundi regionem, in vastam scilicet solitudinem secedentem, in qua varijs exercetur molestijs, innumeros subit labores ac miseriarum iliadem experitur. Magnus Patriarcha fuit Abraham ac multarum gentium parens. Porro similitudinibus hisce inhęrens, eius hodie vitam, virtutes, res gestas, merita & quidquid de eo refertur, mox dicendo prosequar, si paracleto Spiritui visum fuerit cœptis, & gloriosissimæ Virgini auxilio suo succurrere. Atq; adeo omnes eam Angelica salutatione compellemus.

AVE MARIA.

Platonis sententia.

Ingenij ac doctrinæ princeps Plato tum demum beatas fore resp. dicebat si aut Philosophi eas regerent, aut qui ijsdem præessent Philosophię incumberent. Quod summus ille Philosophus de rebus publicis ac ciuitatib. hoc ipse multo scitius de Ecclesiis queam dicere: eas tum demum felices, ac beatas dicendas, cum à doctis, & probis Pastoribus, virisque Philosophicis gubernantur.

Philippus Macedonum Rex audito, filium sibi natum, magnum se à dijs immortalibus beneficium adeptum censebat; at vero multo maius, quod eo potissimum tempore natus fuit, quo Aristoteles scientia & doctrina magnus Athenis viuebat, cui filium in disciplinam suo tempore traderet. Multo maiorem gaudendi & exultandi occasionem Ecclesias & diœceses habere existimo, quando summus ille rerum arbiter Deus de viris sanctitate illustribus & scientia claris, ijsdem prouidet.

Plutarch in Lucullo.

Theopompo Regi quidam non esse mirum dicebat, Lacedæmoniorum Rempubl. longo tempore & rerum gestarum gloria florere, & non vt cæteras pessum ire; cum scilicet, qui eam gubernarent suo munere optime fungerentur, & suas quisque partes quam diligentissime implere satageret. Idem de rebus publicis Christianorum, Ecclesijs inquam & diœcesibus quid vetat dicere? non esse scilicet mirum, si eædem dulcissime floreant, cum fideles habeant pastores, qui eam regere & debite administrare norint; aut si deficiant, ac consenescant, cum inepti & incapaces ad earum gubernacula sedeant.

Domus in qua Philisthæi epulabantur statim ad terram corruit, cum Samson eorum

aduersarius eiusdem columnas adinuicem collideret, statum quoque Ecclesiasticum ad terram prosterni necesse est, ac pessum ire, statim vt Præsules, qui eiusdem fulcra sunt & bases, deficiunt, cumque eos Sathan, juratus mortalium inimicus, etiam vel minimum, concutit & labefactat. Hinc quamdiu justus Loth in Sodomis habitabat, quinq; circumjacentium ciuitatum onus, veluti quidam Atlas, humeris sustentans, nunquam eædem excidi & destrui potuerunt: sed statim vt eum Angeli vna cum vxore & filiabus exire coegerunt, ecce sublatis jam basibus & fulcris, quinque illæ florentissimæ ciuitates, vltrices diuinæ justitiæ dexteras expertæ sunt. Ad hæc, ingens illa statua Nabuchodonosor, quoniam luteos pedes habebat, ac proinde fragilis erat, ad primum lapilli attactum in frusta comminuta est, & in cineres redacta. Cogitandum est Auditores idem prorsus accidere Ecclesiis. Nam si Pastores, qui earum fundamenta sunt & bases, quorumq; humeris totum earundem onus incumbit, firmiter non consistant, si vacillent, si Episcopi munere indigni sint, ac dignitatis tam amplæ penitus incapaces, omnia pessum eant & concidant necesse est.

Gen. 19.

Dan. 2.

II. Episcopi columnis ferreis comparantur.

Et sane Episcopi & Prælati Ecclesiæ fulcra sunt & columnæ, ac sæpius in sacris litteris columnis comparantur, at non columnisligneis, terreis, plumbeis, aut fragili quadam materia constantibus, sed ferreis & æreis; quibus dum diœcesium fornices & vniuersus totius prouinciæ status innititur, penitus inexpugnabilis & immobilis efficitur. Hoc de Hieremia Prophera testimoniũ dedit Deus, cum enim veluti Pastorem populo suo destinaret: *Ecce dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram.* E quibus Domini verbis elicitur; eos qui à Deo ad Ecclesiarum gubernacula & præfecturas diœcesum vocati sunt, aut hominum suffragio electi firmos, constantes, robustos, in virtute fundatos, atque instar columnarum ferrearum inflexibiles esse oportere. Audite in hanc rem figuras.

Ierem. 1.

Cant. 3.

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ex fortissimis Israel circumuallabant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Lectulus hic verissima Ecclesiæ imago est, ac ducesti, Præsulum & Episcoporum, cœlitus ad Ecclesiam defendendam constitutorum: atque eos è toto Christianorum exercitu seligi oportet, omni nimirum virtutum ac meritorum armatura instructissimos, doctissimos ęque ac fortissimos, atq; ex toto Ecclesiæ corpore perfectissimos. Esse debent veri quidam Cæsares, veri Hercules, non vero ignaui, aut inertes quidam Therſitæ. Dixi, ex fortioribus Israel, quod Prælatos omni fortitudinis genere, panoplia, & gigantæa quadam firmitate instructos esse oporteat; quoniam interdum accidit, vt, qui vna virtute destituti sunt, officio suo desint.

Strenuus ille Eleazarus viribus suis acroborri militari nimium confisus, cum stricto gladio inimicorum agmen perrumperet, & subtus Elephantem vndiquaq; armatum, ac turrita cum militibus propugnacula tergo gestantem concideret, confisus eius se molem facile sustinere posse, eodem ad terram conci- Episcopi dente, oppressus interijt. Accidere id solet ijs fortes meriqui sollicite admodum Episcopatus ambiũt, tis esse decosq; humeris se suis sustinere posse arbitran- bent. tur. Si enim humeri nutent & vacillent, si merita eorum exigua sint ac debilia, sub mole oppressi exspirent necessum est. Quamobrem quicunq; Episcopum agere volunt, meritorum lacertis & virtutum robore instructi sint oportet. Cum in Geneseos limine Cherubim *Gen. 1.* flammanti romphæa armatum, ante paradisi januã constitutum intueor, veram Episcopi imaginem videre videor. nam vt ille Ecclesiam suam quæ paradisus quædam est, debito modo defendat ac tueatur, Cherubim quidã scientia esse debet, ac militis in morem gladio ancipiti & flammãti verbi Dei romphęa, (quod toties in sacris litteris hoc appellatur nomine, quod trans animas simul & corpora feratur) armari. Vnde Dauid de Apostolis locutus, ait: *Gladij ancipites in manibus eorum.* *Psal. 149.*

Potens ille Hebræorum rex Salomon cum superbum thronum extruxisset, duodecim eum leonibus, non ouis, ceruis, aut damis, alijsque animalibus timidis, innixi voluit: *Et duodecim Leunculi stantes super sex gradus, hinc atq; inde, non est factum tale opus in vniuersis regnis.* 3 *Reg. 10.*

Episcopi leonibus tollati.

gnis. Cum magnificum hoc opus intus & foris perspicio, per hoc ipsum designatos existimo; eos qui ad onera Ecclesiæ, quæ vere thronus est eius, qui plusquam Salomon, teste Euangelio, subeunda & sustinenda electi sunt; non debere esse oues, ceruas, aut instar damarum fugaces & timidos, sed adinstar leonum validos & magnanimos, & singularis heroicæ cuiusdam constantiæ, atque inter homines, vt Leo inter animalia, virtutibus ac doctrina excellere. Hinc Athenensium dux Chabrias dicere solebat, se malle exercitum ceruorum duce leone, quam exercitum leonum duce ceruo. Equidem vt terminis meis inhæream, dico, diœcesim vel parochiam quæ brutis & ignorantibus hominibus referta est, cuius ductor & antesignanus sit Leo, in salutis via securius & cõfidentius procedere, quam eam cui præsit asinus aut ceruus; i.e. ineptus, bardus, pauidus nulliusq; meriti aut qualitatis.

Chabrias Dux.

2. Esd 4. Hebræi de Babylonica captiuitate reuersi, cum templum & muros ciuitatis Ierusalem reædificarent, vna quidem manu trullam, altera vero gladium tenebant, vt se contra hostium qui opus impedire conabãtur, impetum & insultus tuerentur. Per fabros illos & architectos, Episcopos intelligo qui vna manu gestare debent malleos ad ædificationem Ecclesiæ, bona scilicet opera edendo, alia vero gladium, id est, litteras, doctrinam & prædicationem, quo gregem suum defendant, lupos arceant, & hæreses opprimant.

Ezech. 11. Cum mirabilia illa animalia, quę Prophetа ardentia, & quatuor modis ignem euomentia, modo vt scintillas, modo vt carbones ignis, modo instar lampadum, modo instar fulguris coruscantis, describit, accuratius circumquaq; perlustro, & omnium sanctorum Patrum expositiones considero, omnibus ijs relictis etiam illa quæ per eadem animalia quatuor Euang. designari ait, credo per hæc ipsa ad viuum Præsules & Episcopos designari. Scintillæ quippe eorum indicant viuacitatem spiritus, quæ in illis singulari quadam ratione eminere debent; carbones zelum officij, lampades bonum exemplum; fulgur vero diligentiam in Episcopali munere debite explendo: quæ singula ad absolutum Episcopum efformandum magnum afferre momentum putamus.

Onus & dignitas Episcopalis exponitur.

Quin vos ô ambitiosi, qui ad sublimes has dignitates aspiratis, qui non nisi mitra & pedum somniatis, hæc interdum in mentem reuocatis? cur non interdum cogitatis, id esse in Ecclesia Episcopum, quod sol in mundo? nam quemadmodum lucidum illud astrum ad totius vniuersi conseruationem semper calet & splendet, suisque influxibus omnia hæc inferiora fouet, ita & Præsulem, ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem, in operibus charitatis, & virtutum exercitijs, feruentem æstuantemque esse oportet. deinde etiam doctrina resplendentem, ac totam diœcesim sua agendi ratione sanctaque conuersione, velut influxibus quibusdam fouentem. Cur vobis ob oculos non ponitis, quemadmodum firmamentum, quod supra omnes Planetas est, stellis refertum est, quæ nunquam defectum patiuntur; ea vero quæ subtus sunt, vnam tantum stellam habent; ita & Episcopum qui supra seculares & clerum constitutus est, virtutibus velut stellis refertum esse debere: adeo vt, si sæcularis vel Sacerdos aliquis aliquam interdum virtutem demonstret, ipse plurimas in animo gestare debeat, vt si fieri posset eę numero stellas superarent.

In veste summi apud Iudæos Pontificis totus terrarum orbis atque omnes omnino creaturæ efformatæ erant, adeo vt numquam, nisi vniuersum orbem circumgestando, incederet. Quid figurabant hæc omnia nisi in anima Episcopi, qui per summum Sacerdotẽ designatur, omnes omnino quæ reperiri possunt virtutes expressas esse debere, & hoc eum schemate & ornatu numquã incedere, aut coram populo apparere debere, quin mundum quendam virtutum atque adeo totius mundi virtutes humeris gesterit?

Sed iam satis superque in hoc præludij æquore prouecti sumus, qui plura audire, ac veram veri pastoris digni Præsules, & Episcopi penitus admirabilis imaginem intueri desiderat, ille in S. Martinum in prima æta-

te militem, mox monachum, ac deinde Episcopum, hodie oculos conijciat: Episcopum inquam in meditullio Galliæ huius constitutum, cuius nomen ab vno mundi cardine ad alterum vsque peruasit, & cuius vitam virtutesque totus terrarum orbis obstupescit, semperque, quamdiu hæc machina stabit, obstupescet, cuius denique laudes Ecclesia decantans ait admirabunde: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum.* Quæ verba vt pro dignitate expendere possimus, huiusque Episcopi merita digno præconio celebrare, eum instar Prothei, aut Chamæleontis euiusdam, omnes sibi facies & colores adaptantis producam, primo vt militem, deinde vt Monachum, denique vt Episcopum, atque ita pro varietate colorum in tres concionem partes distinguam.

Principio igitur, si profusam de diuina clementia erga aliquam vnquam creaturam demonstrauit, sane erga Sanct. Martinum eam profusissimam fuisse dicendum est: et-
Psalm. 67. si magnus ille Deus iuxta Psalmistam mirabilis est in Sanctis suis, confiteri oportet eum in Martino nostro mirabilem quoque quam maxime extitisse. Cum enim propius eum intueor, toties colores & habitum mutantem, faciemque varias induentem figuras, dicere mihi posse videor, quod olim poeta Metamorphosim suam auspicaturus, occinuit,

In noua fert animus mutatas dicere formas.

II. modo namque eum in castris Iuliani Imper. vt strenuum militem contemplor, modo in vastæ solitudinis cauernis, vt pium Monachum, denique in Ecclesia Christi vt Episcopum vigilantissimum. vere igitur nouus quidam Trismegistus nuncupari potest.

Cum nouas has metamorphoses & mutationum varietatem in viro hoc perpendo, alterum mihi Paulum delapsum cœlo videor intueri, aut saltem magnam inter vtrumque similitudinem. Paulus namque vt
Act. 9. sanguinarius quidam miles, spirans minarum & cædis in discipulis Domini feritate vnico temporis momento deposita, & ad diuinæ vocis auditum armis exutis, ex truculento milite sanctissimus, & honoris ac nominis Christiani sitientissimus Apostolus effectus est. Hic vero videmus Martinum, Romanas sequentem aquilas, & gentilicijs imbutum erroribus, cœlesti inspirationi obsecundãdo galeam exuere, cingulum deponere, ac militari se sacramento liberando ad Episcopalem dignitatem promoueri.

Ezechiel dum quãtuor illa animalia por- *Ezech. 1.*
tentosa describit, omnes in admirationem rapit, quæ singula faciem hominis, bouis, aquilæ & leonis habebant: *Similitudo autem vultus eorum facies hominis & facies leonis à dextris ipsorum, quatuor facies autem bouis, à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ, desuper ipsorum quatuor*, sed mirari desinant homines, videant enim hic Martinum, qui vno in corpore omnes has facies & figuras repræsentet. In castris enim & in bello leonis eum faciem habere videbimus, in aula Principis hominis morati, & aulicis imbuti moribus, in deserto bouis formam induisse, vbi non nisi pœnitentiam prædicat: aquilæ vero in Ecclesia, qui nimirum cæteris altius, ad Episcopatum nimirum, quo nullus in Ecclesia locus, aut dignior est, aut eminentior, euolauit. Aiunt naturalium rerum indagatores Chamæleontem exiguum animalculum, quod nonnisi ex aere viuit, omnes sibi calores adsciscere, de cuius rei veritate non vsque adeo mihi constat: hoc saltem constat, Martinum nostrum instar Chamæleontis alicuius vixisse, qui nimirum in primæua ætate colorem militis, deinde in virili Monachi, ac postremo Episcopi assumpserit, adeo vt Ianus quidam triceps ac veluti monstrum quoddam hominis fuisse videatur.

Vt miles, parem vix habuit, verus quidam Martis pullus erat in acie, Hercules quidam in conflictu, & Lucullus in expeditionibus. Nunquam eum hostis in fugam compulit, aut pauor tergum vertere coegit, nec mortis instantis imago exanimauit: ob strenuitatem ac robur apud Principes carus erat, & magni apud omnes nominis. Deinde quod maiorem adhuc laudem meretur, accedebat ad generositatem illam animi, ma-

gnus

gnus semper ad bonum instinctus naturæ, & singularis ad timorem Dei propẽsio; qua incitatus animam virtutib. exornare quam maxime satagebat.

S. Martini charitas.

Sed prima, quam sub lorica eius virtutem intueor, ipsa est virtutum omnium regina ac princeps, charitas, & immensa quædam in pauperes benignitas, cũ enim sub signis gregarius adhuc miles ageret, & mendicus quidam nudus & vdus eleemosynam ab eo postularet, & aurum aut argentum ei ad manum non esset, nec alirunde suppeteret ad ei succurrẽdum, arreptam ex humeris chlamydem dissecuit mediam, sibique partem seruando, alteram mendico magna liberalitate donauit. Quis audiuit vnquam simile quid à quoquam factum? O charitatem incomparabilem! ô liberalitatem vere prodigam, aut potius prodigiosam? Vos vero quibus castra & castrenses exosi, vulgatum illud poetę amplius dicere nolite: *Nulla salus pietasque viris, qui castra sequuntur.* contrarium enim reipsa Martinus hic ostendit, quippe qui castra adhuc sequens, amplum fidei suæ, pietatis, benignitatis aliarumq; virtutum testimonium dedit.

Plut in Galba.

Iphicrates Athenienſium dux cum olim in plurimorum conuentu de requisitis in absoluto auditore differeret; dicebat eũ qui cõmilitionibus suis obstare vellet, & auarum esse debere, & genio indulgentem. Sed iniquum hoc me iudice iudicium est; ac potius barbarum, nec tanto dignum duce, virtutem nimirum in vitiorum medio constituere, Martinus enim, qui & inter strenuos milites poterit annumerari, iniquam hanc Iphicratis sententiam mendacij coarguens, penitus cõtrarium præstitit, vt pote qui voluptatum loco ingenti membra sua macerat inedia, at tantum abest, vt auarus audiat, vt omnia sua in pauperes, etiam vestes liberalissime profundat. Vnde tantum tamen adeoque celebre sibi nomen adeptus est, vt omnium militum summus ac princeps iure, meritoq; ac præsertim propter infinitam illam caritatem quæ omnes in admirationem rapit, haberi queat.

Exod. 3.

Hebræorum ductor Moses, cum in medio deserti rubum ardentem, ac penitus inflammatum videret, non parum obstupescens, ac perculsus magnam id visionem appellauit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Sed maior mea quidem sententia visio, ac longe mirabilius spectaculum in Martino spectandum proponitur, cum nimirum in medio gentilitatis deserto, in ipsis inquam infidelium & ethnicorum castris, nouum quendam rubum, lorica velut sentibus obsitum, atque ære minacem, charitate exæstuantem, & plenum igne flammaq; contemplamur; quo viso quis non merito obstupescat: Ecquis porro ignis, ecquod incendium? quam iucunda visio est, videre militem ense paludamẽtum dissecantem, vt nuda & algentia pauperis membra contegat? Quis vnquam ab hominum memoria simile quid, aut vidit, aut factum audiuit?

Tanto affectu Dauidem Iessæum colebat Ionathas Princeps Israel; vt vestibus sese suis aliquando exuerit, quo Dauid easdem indueret. ne quis autem me errare existimet, contextus verba producam. *Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus, diligebat enim eum quasi animam suam, Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsq; ad gladium & arcum suum* fuit hoc reuera magnum magnæ generositatis, atq; euidens singularis amicitiæ testimonium: sed ipsum Martini nostri factum maiorem adhuc laudẽ meretur, non enim princeps extitit aut opulentus, ita vt ei abunde suppeteret, quo pauperes sustẽtaret, sed legionarius miles suo victitans stipendio: nihilominus tamen tam ingentem charitatem demonstrat, vt proprias vestes exuat, media sese hieme denudet, quo mendico stipem postulanti succurreret. Merito itaq; cælum & terra, homines simul & Angeli tantam benignitatem propensionemq; in pauperes obstupescant. *1. Reg. 18.*

Plinius alijque naturæ mystæ velut prodigiosum quid retulerunt, rupes reperiri, quæ nocte & interdiu flammescant, quales esse ait montem Chimæram in Lycia, montes Hephæstios, quorum tantus est ardor, nulla vt aqua superinfusa, aut pluuia queant restingui, quin & rupes quædam in promontorio Nymphęo esse traditur, quę adeo exæ-

Plin. lib. 1. cap. 106.

stuat,

stuet, vt ipsam etiam pluuiam exsiccet & accendat. Sed maius hic prodigium narrabo. Video namque hoc loco nouam quamdam petram, æneum scilicet ac ferreum pectus, cor militis, sed quod sanctæ charitatis igne adeo inflammescat, vt nulla valeat ratione extingui, vt merito illud canticorum hic vsurpare possimus, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruêt illam.* O ignes, ô incendium, ô ardentes charitatis fornaces, vestę spoliare, & eandem pauperi elargiri!

4. Reg. 2. Cum magnus Elias igneo in aera curru ab hominum oculis sustolleretur, atque Elisæus qui ipsi ministrabat, subuecto acclamaret, ipse pietate & affectu paterno commotus, pallium ei suum reliquit, vt sui in seruum amoris testimonium daret, factum hoc non in Propheta solum, sed & in milite commendatur, qui charitatis ardore succensus, mendici precibus victus, ac misericordia commotus intrinsecus, vt suum in eum amorem & affectum testatum faceret, media illum chlamyde donauit. An non hoc in milite summam laudem meretur? an non hoc figuratum optime cum figura coincidit?

Gen. 39. Ioseph Patriarcha cum in domo Idololatræ Putipharis habitaret, & ad impurum se concubitum dominæ importunitate solicitari cerneret, adeo vt cum veste apprehensum ad facinus, inuitum quodammodo cogeret, ipse castitatis & amoris in harum præmio sibi proposito, relicto in manibus eius pallio nudus profugit, & illibatum pudoris florem conseruauit.

Simile quid in Martino intueor; cum enim in aula Iuliani profani idololatræ adhuc commoraretur, sub eiusque signis militaret, & mundus eum quotidie illicitis amoribus illaqueare satageret, propriaque eum caro, impudica & lasciua illa pellex, ad voluptates assidue perurgeret, vt nimirum genio indulgeret, abdomini seruiret, instar bruti viueret, libertari militari habenas laxaret, secumque delicias spectando adulterium committeret, singulis eum momentis pallio vanitatis apprehendens, ipse heroica quadam fortitudine hoc idem pallium deserit, pauperi tradit, mundique pellicis lasciuiam declinans magno eiusdem ludibrio, & insigni vitæ emendatione nudus omnino profugit.

Et quemadmodum, quando domus aliqua incendio correpta est, & ignis circumquaque grassando desæuit, omnia eiusdem supellectilia per fenestras eijciuntur foras, ac deinde per ostium fugitur. Ita quoque sacro charitatis igne, non quidem in aliqua domo, sed in corde Martini exæstuante, omnia ecce per fenestras eijciuntur, per oculos lachrymæ, per os suspiria, ex humeris vestes, ac deinde haud multo post per pœnitentiæ ianuam effugiendo, in tuto ipse sese collocauit. O factum cœleste, ac plane diuinum! O præclarum conuersionis ad Deum exordium! O mirabiles charitatis effectus! Simile.

Et quoniam de igne loqui cœpimus, an non certum est, igne aliquo subterraneo in occultis terræ visceribus exæstuante, insolitos & mirabiles quosdam motus, ac violentas concussiones ignis, omnia effringi, comminui, nec prius illum posse quiescere, quam liberum egressum reperiat. In milite nostro hoc ipsum video contingere; ardens enim & penitus diuinus charitatis ignis mirabili quadam ratione in eius anima cum exæstuaret, quos, bone DEVS, motus, quas concussiones causatur? proponit ei in primis ob oculos horrenda & occulta Dei iudicia, ac vitæ huius pericula: cogit eum chlamydem dissecare: nec prius quiescere poterit, quam liberum egressum, egressum inquam è mundo, egressum è vanitatibus, egressum è castris, egressum denique è seipso nanciscatur. An non mirabilis quidam terræmotus est, & mira quædam ruptura, propias vestes lacerare, easque in pauperes distribuere? Charitas in terræ visceribus latitanti comparatur.

Cum Deus in monte Sinai in figura ignis descenderet, totus circumquaque mons fumo & igne oppletus erat, & calidos quosdam vapores non secus atque accensa quædam fornax exhalabat. Cum militem Martinum videbitis, idem vos videre existimabitis, cũ enim Deus in specie ignis, charitatis intelligo, super hunc mundanum, Martinum, ac boni-

bonitatis montem descenderet, omnia statim fumo opplentur, superfluitates euaporant, ambitiones abeunt, mundi honor dissipatur, inanis gloria, vitæ huius deliciæ, amor proprius, cogitationes sæculi, diuitiarum appetitus, & rerum temporalium desiderium velut in fumum euanescunt. Videte enim vt se exuat, quo pauperes induat, imitatur scilicet eum, cuius se postmodum discipulum profitebitur, & quem deinde vt magistrum sequetur. Christus namque prius quam crucem conscenderet, ad eius pedem vestimenta reliquit, ac nudus in crucem actus est. Miles hic vestigijs se ducis conformare, eius signa sequi, & ad crucem Euangelij euolare gestiens, suas etiam vestes exuit, & chlamydem tradit mendico, vt nudus ac veluti generosus rerum temporalium contemptor, pœnitentiæ Caluariam conscenderet, in qua ipsi mundus & ipse mundo ad imitationem Pauli crucifigeretur.

Matth.27. Marc.15. Luc.23. & 10. & 19.

Gal.6.

Abraham Patriarcha montem conscendens ad Filium Isaac immolandum, asinas, seruos, & quidquid secum asportauerat, ad montis radicem reliquit, & solus, vna manu ignem, altera gladium gestando, montem conscendit. Modo animum velitis aduertere, idem omnino in pugile nostro videbitis, recta namque ad pœnitentiæ montem properans, Deo seipsum in sacrificium, de quo loquitur Psalmographus: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: vel quod innuit Apostolus dum ait: *Qui autem sunt Christi, carnē suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, oblaturus pompam vestimentorum, & seruorum comitatum inferne relinquit, castris se proripit, vt ad perfectionem, ignem charitatis sinistra, dextra vero gladium, quo chlamydem dissecet gestando, ascendat. O strenuum bellatorem! ô generosum pugilem! ô vere nobilem militē! vel, vt Ecclesiæ verbis exclamem: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum!*

Gen.22.

Psalm.50. Gal.5.

III.

S. Martinus ex milite factus est Monachus.

Sed quoniam iam ad alterum concionis membrum deuenimus, alio quoque eum schemate in scenam producemus. Quem enim paulo ante equo insidentem, in medio castrorum, in ipsa acie, iuxta Imperatores, circumsecus armatum vidistis, eum ipsum obsecro videte iam in humilem monachum commutatum. Induit iam ecce cilicium, loco loricæ trilices, flagra & virgas loco gladij manu vibrat, cucullum loco galeæ, & scapulare loco fasciæ humeralis assumit. Heu quantum mutatus ab illo Hectore! ô militem exarmatum? Ecquænam illa subita metamorphosis! Videte nimirum fulmen illud belli, honestis genitum parentibus? palatio Principum destinatum, solitudines ambientem, antra incolentem, cum bestijs commorantem? an non admirabilis quædam rerum mutatio? illum, quem paulo ante inter milites, omnibus gratum, inter magnos duces magnum, Principibus carum conspeximus; Religiosum iam, humilem, à mundo penitus abstractum, honores fugientem, vili habitu amictum inedia corpus macerantem, pauperibus ministrantem, leprosos exosculantem, & innumera alia pietatis humilitatisque opera exercentem cernite? O pauper humilitas! ô humilis paupertas! ô mira mutatio dextræ Excelsi!

Non prius potuit Philisthæorum ille terror, & Israelitarum decus Dauid, Goliadam Israeli insultantem expugnare, quam regijs exuuijs exutis, tunicam pastoritiam indueret, pedum pastorale & lapides torrentis assumeret; sed hac armatura instructus facile eum prostrauit, victoriamque de eo consecutus est; Martinus quoque noster ingētem illum Goliam, mundum intelligo, qui hominibus quotidie insultat, armis bellicis, toga aurea, vesteq; splendida indutus, prosternere non potuit; sed habitu humilitatis & veste religiosi assumpta, flagellis scilicet fundæ loco fungentibus & austeritatibus lapidum, facili illum negotio prosternet, eiusque victor euadet. Hinc factum est vt habitum mutarit, & quidquid ad humilitatem & paupertatem spectaret, assumpserit; quæ vero ad fastum & insolentiam tenderent, procul à se vt malorum inuitamenta reiecerit. Quid: an non vos quicumque sub hoc mundo stipendia meretis generosum militis huius factum ad pietatem inuitabit! subita hæc & quidem in melius conuersio an

1. Reg. 17.

non omnibus vobis lachrymas abundanter excutiet?

2. Reg. 15. Dauid Rex cum palatio & omnibus suis derelictis nudis pedibus nudatoque vertice, oculisque lachrymas effundentibus in desertum secederet, vt minas & insolentiam Absalomi in patrem insurgentis decliuaret; omnis eum nobilitas, atque vniuersa ciuitatis multitudo, amaritudine cordis tacta intrinsecus, & Regis sui casu ingemiscens, suspirijs & lachrymis inualescentibus, comitabatur. Quis igitur adeo ferreus & immitis futurus est, qui viso hodie validum illum bellatorem, legionibus, castris, aula, principum amicitia, atque omni sociorum consuetudine derelicta nudipedem & lachrymabundum in desertum ac solitudinem secedere, quo contumacis, ac perfidi mundi furori sese subtrahat: ad compatiendum excitetur, ac tam acerbæ & tristis rei intuitu totus in lachrymas non resoluatur!

Sed hem cum militem hunc iam non militem considero, cum arma deposita, vexilla composita, & triste hoc mutationis schema intueor, facile perspicio mundum iam in eo deiectum ac triumphatum esse, & Christum longe lateque in anima eius dominari. Quando enim Princeps aliquis aut miles magni nominis ad sepulchrum defertur, signa militaria per terram trahi, milites pulla indutos veste luctum præ se ferre cernimus, tympana atro circumamicta velamine lugubrem & querulum sonum edunt, funiculi exstincti sunt, nobilitatis insignia tristi panno velantur, parietes atrati lugent, atque omnia nescio quam luctus, & tristitiæ imaginem induisse videntur. Ita quoque cum militem hunc nostrum, aliud schema assumpsisse, luctum induisse, corporis eius tympanum lugubrem sonum edere, funiculos superbiæ exstinctos, vanitatis insignia deposita, omnes inanitates ac superfluitates recisas, atque omnia apud eum luctu & mœrore plena conspicio; certissime colligo, magnum illum tyrannum mundum, mundum inquam, exspirasse, hoc eius funus esse, omnia quæ illius sunt iam exstincta, omnesque vanitates eius terræ mandari.

Insignis conceptus.

Purpurati Benadad Regis Syriæ cum Regem suum bello fractum & fusum videret, saccos induti & laqueos collo gestantes ad Achab regem Israel quem oppugnauerant, venere, veniam commissorum ac misericordiam postulantes. Simile quid in mutatione militis nostri intueor. Videns enim mundi huius tyrannum prostratum, atque omnes vanitatis illius manipulos fuga distractos, cilicio & sacco ecce indutus, cucullum gestans & lachrymabundus ad Christum sese cõfert, quem in gentilitate & idololatria existens oppugnauerat, veniamq; implorans, peccatorum indulgentiam, animæ vitam ac salutem consequitur. 3. Reg. 20.

Et sane cum repentinam illam mutationem perpendo, cum eum arma deponentem, militare cingulum exuentem, castris sese subducentem, ac Principibus valedicentem cerno vt mundi pericula declinando vel ut in securo portu res suas collocaret, alterum quemdam Biantem mihi ob oculos positum existimo, nudum se ex vrbe incensa proripientem, nihil præter scientiæ suæ supellectilem secum ferentem, casumq; suum æquo animo ferentem, ac dicentem: *Omnia mea mecum porto.* Videre quoque videor secundum Loth è Sodoma fugientem, vt se incendio eripiat, & montes iubente Deo petentem. Videre denique videor nouum quemdam Noachum, qui perpetuæ damnationis diluuium veritus, ad euitãdos fluctus & naufragium, in arcam pœnitentiæ se conijcit. Gen. 19. Gen. 7.

Erro, erro, Auditores; non est hoc gloriose Martine, non est hoc ex habitu, namque tuo, tuaque agendi ratione aliud quid longe sublimiùs elicio. Cum enim te agros peragrantem conspicio, ligna præcidentem, in solitudine pijs operibus incumbentem, cum siluarum abdita ad verborum suorum sonitum audio resonantia ac pœnitentiæ tuæ rigorem contemplor, nouum te Matatthiam esse arbitror, qui mala quibus Iudæi miserrime affligebantur, & abominationes quæ Ierosolymis publice fiebant, intuitus, ægerrimeque ferens patrias leges pessumdari, ac tantis calamitatibus ingemiscens, in ciuitatem Modin se receipit, ad quem plures quotidie. Machab. 2.

3.Reg.18. die legis patriæ æmulatores confluebant. Videris quin etiam nouus Elias esse, qui vt rabiem & truculentiam Iezabelis declinaret, vrbes deserit, in horridam quamdam solitudinem secedit, super duram membra extendit, ac pane subcineritio sese sustentat, in qua Angelorum consortio, & filiorum Prophetarum alloquio sæpenumero fuit recreatus. Denique, mihi persuadeo secundũ me Moysem cernere, qui plurimorum Religiosorum velut Israelitarum, agmen ducens, mundo, cuius figuram gerebat Rex ille Amorrhæorũ, præclaram hanc legationem destinasti: *Obsecro vt transire nobis liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas exputeis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.*

Num.21.

Sed dic mihi Martine, quanam de causa è mundo secedis? quid? tantone te odio mundum prosequi? itane exosum esse? Audire eminus videor vocem quamdam dicentem: Exiui mundo, quod nihil tuti contineat, quod latrocinijs & prædonibus infamis sit, quod sicarijs scateat, denique quod vniuersa varijs in eodem periculis exposita sint. Adam quippe in eo iustitiam originalem perdidit, Abel occisus est, vndis Pharao submersus, & alij innumeri misere perierc, vt & ipsi Angeli vix tuti & immunes fuerint, ipse quin etiam redemptor noster Iesus eius se fallacijs expedire, aut eius insidijs vitam tutus traducere nequaquam potuerit. Sed hem, aliud quidpiam & alia parte per solitudinis inuia & inaccessa audire mihi videor; vocem scilicet pœnitentis ore prolatum, quam hic, quantum ex sonitu paululum remotiore colligo, exprimere conabor.

IV.

Iam vale ô immunde munde, valete diuitiæ, valete deliciæ, valeant inquam inanes, ac nimium fragiles voluptates. Iterum vale, ô munde infelix, perfide, fallax, vafer, fugax, mango, Iuda proditore nequior atq; infinitis partibus deterior: qui nimirum mundanis per honores, ac voluptates tuas oscula præbendo, eosdem ad crucem damnationemque perpetuam trahis, ac dæmonibus tradis.

Proh quanta eius est infelicitas infelix munde, qui te sequi desiderat! & quanta tua perfidia est ac vafrities! Similem te dico Naamano Syro, lepra cooperto; huius namque munera cum Giezi Elizæi puer accepisset, toto statim corpore lepra deterrima fuit infectus. Superbis quidem ac diuitias tuas iactas, sed scates lepra, quia & omnes qui tibi seruiunt, deque tuis muneribus participant, tuæ quoque lepræ contagio coinquinantur.

4.Reg.5.

Repræsentas mihi ô sacrilege mare illud rubrum, rubrum inquam sanguine, cædibus & insigni quadam crudelitate purpurissans. Submergis & deuoras eos, qui ad instar Ægyptiorum vada tua tentare gestiunt. (illi namque ab vndis celerrime absorpti descenderunt in profundum sicut lapis) verosautem Israelitas, qui omnia sua in Ægypto reliquere, sicco pede & incolumes traducis, & in optatum littus sospites sistis.

Exod.14.

Munde scelestc & pellax, crediderim haud dubie te esse vrbem illam Iericho, idolorum cultu infamem, in limine terræ Chanaan sitam, de qua olim Helizæo dictum est: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra ste rilis*: cum enim instar ciuitatis alicuius exstructa sis, situs quidem tuus hominũ oculis arridet, sed voluptatum tuarum aquæ pessimæ sunt, & cum à te discedendum est, sterilitatem quandam & siccitatem solum tuum demonstrat.

4.Reg.2.

Docebat olim Isocrates Athenienscm ciuitatem perpulchram esse & ad ambulandam peraccommodam, ad incolendum vero difficilem ac magnopere periculosam. Idipsum de te ô munde quid impediat dicere! amœnum quidem est ac iucundum in te deambulare, sed eheu quantum discriminis sibi accersunt ij, quos diutius in te permanere ac stabilem in te sedem figere delectat! Vale igitur perfide, vale scelestc, vale in æternum vale: iam te fugio, te desero, te derelinquo, te abominor, ac nihil inposterum quod tuum sit aut habere aut desiderare cupio.

Eheu Christiani cum lugubres hasce voces, ac tristem illam echo per vastam solitu-

dinem resonantem audio, audire videor vocem Baræ Regis Sodomorum, qua Patriarcham Abraham alloquutus est: *Da mihi animas, cætera tolle tibi* quasi diceret: Sine quæso animam fidele Deo obsequium exhibere: accres tuas tibi habe diuitias, delicias, risus & iocos tibi tolle. Sine me inedia corpusculum hoc macerare, austeritatem induere. Sine me animæ saluti incumbere; & honores, dignitates, splendorem, fastus, tuasque inanias ac vanitates tibi seruo. *Gen.14.*

V. Adhæc quando cum è mundo se proripientem contemplor, existimo nos tacita quadam ratione ad imitandum incitari, atque cum D. Bernardo exclamandum: *Fugite de Babylone & saluate animas vestras.* Et cũ, monasterium ingrediendo, omnib. ijs applausisse eorumq; propositum commendasse, qui sæculo relicto monasticam vitam profitentur; diuitias denique abijciendo, eos tacite coarguisse, qui erga easdem perdite nimis afficiuntur.

Menander. Menander quidam Poeta dicere solebat, satius esse pauperem in terra viuere, quam diuitem mari sese committere. At Martinus reipsa hodie religionem ingrediendo, ostendit multo satius & securius esse, in monasterio pauperem, ac solitarium in eremo procul ab hominum cõspectu degere, quam diuitem & opulentum in vasto mundi huius mari nauigare. Quod fecisse mihi videtur sanctus ille Rex, ac Propheta Dauid, qui licet ad regiam dignitatem euectus esset, opes tamen ac regnum paupertati postponebat, dicens: *Elegi abiectus esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Addamus & aliquid ex historijs gentilium. *Psalm.83.*

Alexand. Apophth. *Valer. Max. lib. 4. cap. 3.* Alexander Macedonum Rex cum vitam & agendi rationem Diogenis Cynici, (qui quidquid in mundo erat, contemnebat, & vt plurimum in dolio commorabatur) intuitus esset, & ab eo quæsijsset, num quidnam ab eo peteret; & ille respondisset, aliud nihil se petere, quam ne sibi apricanti officeret ac non nihil retrocederet, qui nimirum corpore suo vmquam quandam induceret: Rex tam heroicum viri responsum demiratus, ait, se, nisi Alexander esset, Diogenem esse velle. Ad huius imitationem dico mundanos, si delicias & voluptates, quæ in monasterijs reperiuntur perspectas haberent, ac scirent quanta Religiosorum sit fœlicitas ac beatitudo, qui nimirum in corporeo hoc vase voluntatis, aliud nihil à mundo effiagitant, quam ne solis iustitiæ lumen impediat; fœlicitati eorum inuidentes, ad eandem quietem aspiraturos esse.

Moyses cum ad sublimes honorum gradus in aula Regis Pharaonis promoueri potuisset supraque omnes Ægypti principes constitui, maluit in desertum secedere, mare rubrum transire, cumque populo Dei varijs tribulationibus & ærumnis inuolui, quam regio se prognatum sanguine, aut Pharaonis nepotem mentiri. Vnde Apostolus ad Hebræos ait: *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis magis, eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* fuit hoc, Auditores, velut figura & typus, quo docemur multo esse melius ac laudabilius, in monasteriorum se recessu abdere, votis se monasticis obstringere, paupertatem profiteri, rigori & pœnitentiæ inter Dei seruos quotidie assuescere, quã ad summum honorum fastigium in mundo promoueri, in eiusq; regno summum imperium adipisci. *Esth.7.* *Hebr.11.*

Apostolorum Princeps Petrus in monte Thabor constitutus (qui locus erat desertus & incultus) tanto repente gaudio perfusus fuit, vt omnium quæ in mundo vel habebat vel vnquam viderat oblitus exclamarit: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Mons hic, nisi iudicans fallat, Religionis imaginem gerebat, in qua animæ transfigurantur: quam cum semel ascenderint, mirum dictu quibus consolationibus, ac voluptatibus perfundantur, quas delicias & iucunditates experiantur. adeo vt præ gaudij abundantia, oblitæ quidquid est mundi, exclamare compellantur: *Bonum est nos hic esse,* ac diserte confiteri, illic habitantium sortem esse & felicissimam & inuidendam. Amplum eiusce rei Martin. hodie testimonium dabit, qui iucundissimam hanc quietem & dulcem spiritus tranquillitatem bellicis tumultibus, *Matth.17.*

regnum,

regnum gratiæ, imperatorisq; fauori anteponit.

Ita porro sit ô religiosi, vt semper in tuto viuatis, procul à procellis & turbinibus sæculi: & semper extra discrimina cõstituti nec aduersis casibus expositi, vt vos, pereuntibus, qui mundum frequentant, saluemini. Superbi enim Amani laqueo vitam finiunt, vos vero humiles Mardochæi discrimine liberamini, & Regi ac Principi vestro perfamiliares reddimini: diuites illi epulones, qui byssо ac purpura vestiuntur, qui splendide ac regifice epulantur, ad infernale barathrum demerguntur, & vos pauperes Lazari recta ad cœlum tenditis, Angelorum manibus subuecti.

Ephe. 7. Luc. 16.

Nabuzardam Princeps militiæ regis Nabuchodonosor (qui Ierem. in libertatem assertum in Iudæam abire permisit) in Ierosolymorum excidio, omnes principes & magnates vinculis & ferro grauatos, captiuos in Chaldæam abduxit, sed vilem plebeculam ac fæces populi in Iudæa reliquit. Allegoriæ huius laruam auferens, ipsumq; mysterium propius, vti est, intuens, opinor hic denotari, in mundi excidio & euersione splendidos & opulentos ab humani generis hoste Sathana, plurimum in infernalia ergastula rapi, pauperes vero spiritu, quales haud dubie Religiosi sunt, (dicitur enim in Euangelio, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*) immunes & intactos relinqui, & quietos in cellulis permanere, atque inde recta ad æternam beatitudinem proficisci. Quid dicam amplius?

Ier. 39. 40.

4. Reg. 5. Luc. 16.

Dicam in omnium rerum creatione (quod notatu dignum est) ingentia & vasta animalia nulla à domino benedictionem videri cõsecuta: sed auiculas atq; omnia volatilia cœli eandem obtinuisse, per hæc solitarios, eremicolas, religiosos; per illa vero mundanos apparet designari, vnum signum est reprobationis diuitibus scilicet & magnatibus alterum autem prædestinationis, Religiosis scilicet ac pauperibus.

Hæc omnia animo cum volueres Martine, mundum relinquere, & in desertum te conferre compulsus es, vbi admirabilis ac plane diuinus effectus es sanctitateque eximius. Nunquam enim tantum tibi tamque celebre nomen parere potuit militaris gloria, quantum solitudo & aspera pepererunt, cum Religionem ingressus eremum incoluisti.

Omnis Oriens, Ægyptus, Thebais terra Mempheos, omnia circumquaque deserta, & intimè in Oriente solitudines vitam & sanctitatem vnius Martini, qu. in Occidente fulgebat, admirabantur, & prædicabant: Pauli, Antonij, Macharij, Euagrij, Hilariones, Serapiones, alijque plurimi Anachoretæ tum sanctitate admirabiles, tum miraculis celebres, Martinum velut oraculum suspiciebant. Testem huius rei habeo Sulpitium Seuerum, è quo priora hæc hausi, quique ita narrationem suam concludit: *Ego quamdiu viuam & sapiam, Ægypti Monachos, radicabo, laudabo Anachoretas, mirabor Eremitas, Martinum semper excipiam, non ego illi quempiam iudebo Monachorum certe non Episcoporum quempiam comparare.*

In vita S. Martini.

Et vere quidem meo iudicio. Quis enim vnquam plura edidit miracula in mundo, quam ille in deserto. Vestra mihi venia nonnulla hic commemorare liceat; ac breuiter & summatim eorum aliqua perstringere, vnde euidenter appareat, quam admirabilis vita eius extiterit, quamque præclara in solitudine opera præstiterit. Pluribus cæcis visum, surdis auditum reddidit, leprosos osculando mundauit, paralyticis membrorum vsum restituit. O paradoxa! audite majora, magisque admiranda, diabolos fugauit, Angelorum sæpius visione fuit recreatus, futura prædixit, ac tres mortuos ad vitam reuocauit. An plura ipsi præstitere Apostoli? an majora ipse Sanctorum omnium Dominus Christus? Exclamem igitur vere: *O virum ineffabilem nec labore victum, nec morte vincendum!* sed mutemus jam cursum, & sinus in alium ventum laxemus.

S. Martini miracula.

VI. Vidimus jam heroica milites gesta, vidimus miracula, quæ edidit factus monachus, videre jam restat, qualem vitam duxerit factus Episcopus. Ecce cum Martinus noster

latitare ſtrageret, in petris duriſſimis membra exſanguia reclinaret, cauernas incoleret, ac magna auſteritate corpus attereret, extremaque inedia maceraret, cœleſti ſine dubio monitu ad mundum redire compellitur, ac Turonenſis Eccleſiæ ſummi inter omnes Gallicas nominis gubernacula capeſſere. Renouatum hic video quod L. Cincinnato olim factum narrant hiſtorici: hic enim cum vitæ priuatæ deſiderio, vrbe ſe ſubduxiſſet, & honoribus abdicatis ruri in otio vitam ageret, nihil minus opinatus ab aratro & ſtiua ad dictaturam euocatur, quietem alioquin turbis anteferens. Simile quid in Martino noſtro videre videor, cum enim procul à mundi tumultibus ſecretus, firmiter ſecum ſtatuiſſet, quietam vitam ducere, & ſæculi honores arbitratus eſſet vt ſtercora; ſubito eccelegati cœlitus, vt credendum eſt, miſſi, ad eum in cauernis latitantem venere, qui infulam ei & pedum offerunt, atque Epiſcopum electum denuntiant: qua dignitate vlla vix maior in Eccleſia inueniri poteſt. Exijt igitur è ſolitudine & ad vrbes ſe recepit.

Valer. l. 4. c. 4

Cerui amiſſis cornibus in publicũ ſe dare nolunt.

Cerui, vt naturalium rerum ſcriptores perhibent, in publicum ſe dare amiſſis cornibus non audent, ſed ſpeluncis abditi lucem fugiunt, ac deliteſcunt; at mox vt eadem denuo excreſcere ſentiunt, per agros euagantur, & montes & plana peragrant. Humilis hic Monachus cerua timidior cum longo tẽporis ſpatio, amoris diuini cornibus amiſſis, in mundo eſſet commoratus, in publico apparere non audebat, ſed in ſpeluncis locisque deſertis latitans, honores & dignitates ſubterfugiebat. At cum eadem recuperaſſet gratiaque cœleſti atque omni virtutum munimine ſeſe armatum cerneret in publicũ prodit, lucem intuetur, vrbes ingreditur, & luculentum ſane Epiſcopatum in Eccleſia regendum ſuſcipit.

Leo ſemper in via quadam regia dormit.

Fertur animalium Rex leo nunquam de nocte dormire in cauernis, ſed in medijs viarum, quippe qui naturali robori plurimum confidat, aut nullum prorſus animal reformidet. Hanc generoſitatem inter omnes religioſos ac Monachos etiam Martinus demonſtrauit, ſuique animi vere heroici ampliſſimum dedit teſtimonium: nam inſtar leonis alicuius, deſerta & dumoſa derelinquens, dum alij in ijſdem latitantes perſeuerant, in latiſſimas mundi vias ſe coniecit, vrbes adijt, cum hominibus agere & conuerſari incepit, atque onus epiſcopale in humeros ſuſcepit. Videte eum igitur hodie, vt Turonenſibus præſit, vt mitram capite geſter.

Hodie igitur tempus illud aduenit, quo præclara illa lucerna, quæ tanto tempore in ſpeluncis abdita delituerat, ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita eſt, vt omnes circumquaque prouinciæ lumine ſuo irradiaret, prout in Euangelio dicitur: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* Luc. 11.

Hodie ſcilicet impletum dicere poſſumus, quod in Iſaia legimus: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.* Turonenſis enim populus qui ambulabat in tenebris ignorantiæ, vidit ſubito lucem magnam, lucem inquam virtutis, & ſcientiæ, lucem admirabilem. De Ioanne Domini præcurſore olim dictum eſt: *Erat lucerna ardens & lucens.* Sed multo æquius id ipſum de magno Martino dicendum eſt: fuit enim lucerna ardens caritate, & honeſtæ vitæ conuerſatione lucens. Iſa. 9. Ioan. 5.

Hem quænam fax! ecquis ſol inter omnes Epiſcopos! Non ſectabatur aulas Regum, nõ delectabatur canibus, non condebat opes, bona Eccleſiæ non dilapidabat, ſed ſemper egens, ſemper inops vixit, vtq; alios locupletes redderet, ſeipſum exinaniuit, adeo vt ſenior factus ad tantam inopiam redactus ſit (quamuis octoginta & ſex annis vixerit, atq; opulentum illum Turonenſem Epiſcopatum triginta ſex rexerit.) vt in cineribus, lecto dũ caret, ei fuerit moriendum, atq; in extremæ paupertatis ſuæ teſtimonium, in mortis conſtitutus articulo dixerit: *Non decet Chriſtianum hominem niſi in cinere mori.* Vnde Bernardus: *Pauper vere fuit Martinus, veſte ſordidus, crine incultus, facie deſtricabilis, quæ in Epiſcopatu fere non mutauit.* Ser. de S. Martino.

Fama

Fama est Pontificem quendam Romanum (equidem Pium V. esse crediderim) in vltima ætate dicere solitum, pauper fui Episcopus, egens Cardinalis, Mendicus Papa: at melius hoc & verius de Martino nostro dici potuisset. Pauper enim fuit dum militiam sequeretur, ita vt obulum quem in pauperes erogaret, non haberet, mediam chlamydem dare coactus, pauperior multo in statu monastico, at pauperrimus in amplissimo Episcopatu.

Bapt. Fulgos. lib. 4.

Non est porro necesse ô Græci, Epaminondæ Thebanorum Ducis paupertatem tantopere vos demirari, cuius in domo, licet rerum gestarum gloria inter plurimos duces celebris exstitisset, præter militarem lanceam nihil repertum fuit, vt de publico ei ærario funus adornari necesse fuerit, aut Lysandri inopiam adeo offerre. Hic enim cum Athenienses prælio superasset, & opimam prædam retulisset, in tanta tamen inopia mortuus est, nihil vt pecuniarum à morte reliquerit: adeo vt generi filias eius, quod nullam adirent hæreditatem, repudiassent, ni publico id decreto magistratus fieri vetuisset.

Valer lib. 44.

Desinite admirari Romani Valerium Publicolam, qui Regio Imperio propter nimiam Tarquinij superbiam finito, consulatus initium cũ Iuno Bruto auspicatus est, ac tres postea consulatus populo Romano acceptissimos gessit: interim fastorum illud columen patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente decessit, ideoque publica pecunia ductæ sunt.

Hic enim quid magis admirandum videbitis, cõtemplamini hic nouum Lysandrum, nouum Publicolam, nouum Epaminondam, contemplamini inquam Ecclesiæ Principem Martinum, qui tamẽsi tam opimum sacerdotium tanto tempore possedisset, adeo pauper & inops ex hac vita decessit, vt in cineribus eum exspirare necesse fuerit. O paupertatem extremam! ô inopiam inauditam!

Paupertatis Emblema.

Alciatus cum verum paupertatis emblema cuperet exprimere, Biantem pinxit hoc addito elogio: *Omnia mea mecum porto*, at qui perfectiorem & absolutiorem eiusdem imaginem videre desiderat, Martinum nostrum intueatur.

Ita namq; vera paupertatis imago dici poterit, qui nimirum pauper fuit miles, pauper Monachus, pauper quin etiam Episcopus, pauper quidem facultatibus, at virtutibus opulentus, ac præsertim feruente animarum iuuandarum desiderio, Ecclesiæ commodorum promouendorum studio, & huiusmodi rerum arduarum ad Dei glõriam perpetratione. Quod ad oculum jam demonstrabo.

VII. Zelus animarum in S. Martino.

Dum enim æger ad mortem, ac lecto defixus decumberet, & hinc commissi sibi populi salutem & commoda ob oculos poneret, illinc vero oneris sibi crediti grauitatem in mentem reuocaret, zelo animarum prædominante atq; oculis in cælum sublatis Dominum orauit dicens: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso labrem.* perinde ac si dixisset, si operam meam Ecclesiæ tuæ hactenus impensam Domine, eidem adhuc necessariam judicas, ac videat tibi gregi adhuc verbo & exemplo posse prodesse non recuso, statue de me ipso quod visum fuerit, paradisum mihi adhuc conclude, introitum denega; viuere me permitte, equidem ad laborem me accingam, molestias non subterfugiam; modo longior vita mea in populi mei salutem, atq; in nominis tui gloriam redunder. O facies amoris! ô ardens incendium! vnum ecce quodammodo pedem in cœlo habet, & retrahit, vt Ecclesiæ suæ adhuc prodesse atq; animabus succurrere queat.

Si quis tibi ô Noe, postquam quadraginta diebus & noctibus diluuij procellas sustinueras, & jam in Armeniæ montibus, velut in portu tutissimo hæreres, si quis, inquam, tum dixisset, esse tibi diutius adhuc in mari fluctuandum, ac nouum diluuium expectandũ, quid obsecro egisses? an non graue fuisset eandem iterum fortunam experiri, & non secus ac prius ijsdem tempestatibus jactari? Et ecce Martinus octoginta licet annis per mundi huius bretia ac syrtes nauigasset, tribulationum procellis varie quotidie jactatus, & grauissimarum afflictionum ventis agitatus, ac salutis portus jam jam esset intraturus, graue tamen non duxit in tristi hoc ocea-

Gen. 7.

no

no diutius fluctuare vitæq; huius nauigationem longius adhuc producere: sed vltro heroica quadam constantia exclamat: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.*

Dauid licet ad regiam dignitatem & sceptrum Iudæ effectus esset, lauteq; ac splendide viueret, ægerrime tamen ferebat hanc sibi vitam produci, adeo vt sæpius de die ingeminaret: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* Noster autem Præsul è deserto profectus, pœnitentiæ assuetus, in austeritatibus educatus, solo sacco indutus, jejunijs corpus macerans, ac vitam ærumnis afflictionibusque plenissimam ducens, libenter eam sibi vult prolongari; vltro quin etiam sese offert, vt eadem offeratur, & cœlesti gaudio ad tempus carere desiderat, ne suam commissus grex opem à morte desideraret.

Psal. 119.

Apostolus Paulus, cuius tantus erat zelus, vt sæpe de se diceret, nullum tormentum, aut supplicium posse reperiri, quod eum à diuino posset amore auertere, nec ipsam quin etiam mortem, quæ tamen plurimos de statu mentis deturbat ac percellit, adeo tamen vitę huius tædio afficiebatur, vt ærumnis ac difficultatibus oppressus, sæpius inclamaret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Eodem modo & Iob persecutionibus circumuallatus, mortem exoptauit, adeo vt ipsa ei vita mors quædam esset, & non quæreret, nisi eandem quam breuissime finiri, dicēs: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Quid? duo illi viri sanctitate noti, quibusdam grauaminibus oppressi, ita hanc vitam perosi sunt, vt eos viuere tædeat; & Martinus, quamuis plurimas in vita sua molestias subierit, ac labores propemodum infinitos non defatigatur, nec graue putat, eandem adhuc proferri, sed hilariter ingeminat: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.*

Rom. 1.

Iob. 10.

Bernardus non minus etiam admirabilis, tum propter libros doctrinam ac pietatem singularem spirantes, tum etiam propter vitam sanctissime transactam apud omnes celebris, hanc Martini constantiam demiratus, ad Angelos orationem conuertit: *O Angeli, magna est vestra obedientia, sed pace vestra dixerim, nescio an inueniatur in vobis quisquam paratus, in tale ministerium mitti, in quo necesse habebat, non videre faciem patris?* vni tamen Martino in hoc concedatis, necesse est.

Magna profecto fuit constantia, & heroici cuiusdam animi judicium, cum Princeps Apostolorum Petrus omnibus rebus in mundo derelictis Domino diceret: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* sed cum in monte Thabor Christi transfigurationi interesset, vnica tantum cœlestis gloriæ guttula degustata, mundum pertęsus, ad eundem reuerti recusat, & ait: *Bonum est nos hic esse*, quasi diceret: Mori mallem Domine, quam vel pedem hinc mouere, atque omnia potius relinquere, quam ingenti hac voluptate etiam vel paululum priuari, quam ad mundum denuo reuerti. Non sic Martinus, non sic, sed cum jam in foribus eius quodammodo gloriæ esset, ad mundum redire non recusat, turbulenti maris procellas iterum vult experiri, ac de nouo se naufragio exponere.

Matth. 19.

Magnus ille Ionas, quem Hebræi extraditione viduæ Sareptanæ filium ab Elia ad vitam reuocatum esse docent, cum maris tempestatem ac ventorum turbines expertus esset, maluit hinc morte discedere, quam eandem rursum fortunam & infidi maris truculentiam denuo subire, ait enim: *Et nunc Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quam vita.* Quid ais Iona? quid conquereris? Alia, mihi credite, longe mens fuit Martino. Cum enim jam veluti in portu esset, iterum desiderat mare conscendere, ventosq;, & fluctus vitæ huius exsibilando, diutius in eadem agitari.

Ioan. 4.

Elias, etiam Propheta, cum atroces Iezabelis persecutiones, eiusq; rabiem declinans, in solitudinem se contulisset, veritus ne eandem iterum fortunam subire cogeretur, sublatis ad Deum manibus rogabat, ne se diutius vitæ huius ærumnis confici pateretur, dicens: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Quid metuis Elia? an impiæ mulieris rabies & furor ita te percellunt, vt mortem exoptes, an eiusdem crudelitatis timor vitæ

3. Reg. 19.

mihi

tibi tædium ingerit? Et ecce gregarius quamquam miles, quem tanto tempore tamque varijs insidijs, impia illa Iezabel, id est, caro, & crudelis Achab, id est, mundus & crudelis tyrannus, id est, diabolus persecuti sunt, viuere non detrectat, sed mortem sibi differri postulat, & ijsdem quin etiam insultare præsumit.

Simile. Generosus & validus miles ille dicendus est, qui postquam sæpe hostium cuneos perfregit, plurimos ictus excepit, fumum balistarum vidit, innumera vulnera accepit, cum iam receptui canitur, arma resumere, hostem denuo adoriri, & prælium quoquo modo redintegrare præferuore desiderat Ad eundem modum validus quoque Christi ille miles dici potest, qui postquam tot pericula in mundi huius conflictu pertulit, & tot cruenta certamina solus sustinuit, cum iam classicum audit, esse sibi ex hac vita discedendum, animo resumpto iterum in prælium cupit descendere, certamina experiri, nouis caput periculis obiectare. Dicite Auditores num simile quid vos vel audisse vel vidisse memineritis?

Quamobrem Christiani hunc viri animum mecum obstupescite, ingentem hunc zelum celebrate, & luculentas hasce virtutes dignis mecum encomijs extollite: Videte inquam mirabiles vitæ eius metamorphoses, inprimis nouam hanc militis conuersionem, videte deinde piam Monachi conuersationem, denique virtutes Episcopales dispicite. Videte namque eum, vt militem, vt Monachum, vt Episcopum, & iudicabitis, nullum vnquam ei parem in tribus hisce vitæ generibus extitisse. Quare ad omnes eius laudes, honores, & præconia hoc velut summarium quoddam adiungatur, in quo nimirum concionem inchoauimus, & in quo eandem concludemus: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum.*

Virum inquam, cuius virtutes & merita nullus etiam eloquentissimus oratione consequi queat: Sanctum quoque præcipuis sanctorum annumerandum, quem nulli in hac vita labores frangere, nec ipsa mors vnquam potuit percellere. O gloriose Martine, pauperum tutor, militum speculum, Religiosorum pater, Episcoporum sydus, nostri obsecro iam recordare; nostri patrocinium suscipe, nostras apud æternum Iudicem partes age, proque ijs in cœlo intercede, qui omnimodis hic in terra vitam tuam imitari conantur. Sancte inquam, mille laudibus dignissime, qui paupertatem tam sancte coluisti, pro ijs ora, qui eandem tuo potissimum exemplo sectantur, qui arma aliquando gestasti. Romanas aquilas secutus es, nobis obsecro succurre, qui eandem fortunam sub regio IESV CHRISTI vexillo experimur, arma nunquam non gestando, quique ab inimicis vndique cingimur, cum hæc vita mera quædam militia sit, qui tam celebris tantique nominis Episcopus exstitisti, pro Episcopis etiam omnibus orare non graueris. Denique tu qui Galliæ nostræ decus es, atque ornamentum, pro Gallia vniuersa, pro cuncto fidelium cœtu, pro vniuersi demum terrarum orbis hominibus intercede, vt nimirum precum tuarum auxilio, vitæ & meritorum tuorum imitatione accedente, tandem aliquando ad æternæ felicitatis fruitionem, cuius ipse iam es compos, peruenire valeamus, quod concedere dignentur Pater & Filius, ac Spiritus Sanctus, Amen.

Bossa i tom. 3. de Sanctis

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Partitio.

1. *De Virginitatis nobilitate.*
2. *De comparatione varia trium statuum inter se.*
3. *De præmio Virginitatis eiusdem.*
4. *De S. Catharinæ patria & donis gratuitis.*
5. *De eiusdem aliis exquisitis actibus.*

Simile est Regnum cœlorum decem Virginibus, &c. Matth. 25.

FIGVRA.

Iud. 14. CVM generosa ac virilis illa vidua Iudith Holofernem Principem capite truncasset, & vniuersum Assyriorum exercitum confusione turbatum superasset; omnes adeo milites, ac duces, tam præclarum & virile à muliebri profectum dextera obstupuerunt facinus, simul & erubuerunt à muliere vna se subactos; ac nominatim Vagao, hinc rabie & confusione percitus, & illinc actum hunc generosum obstupescens, voce è principis tentorio elata, exclamauit: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Antiquis relictis historijs, recentiores non minus admirabiles recenseamus: Videbimus namq; facinus longe mirabilius, rem hactenus nusquam auditam, quam hodie in vniuersa qua patet Ecclesia Christiani recolunt. Tenera namque virguncula scientia & animo plena, (animo quidem dum tyrannum subigit; scientia vero dum quinquaginta in disceptatione Philosophos doctrina illustres cogit obmutescere) cũ Maxentiũ regem superasset, illiusq; simulacra deiecisset; ecce vniuersa ciuitas Alexandrina, simul & orbis vniuersus stupescens & admiratione plenus exclamauit: Vna Virgo Christiana fecit confusionem in domo Maxentij. De sancta loquor Catharina, virgine illa admirabili, puella illa admirabili, puella illa generosa, animo illo masculo & Ecclesiæ ornamento. Summum illius vt hodie ingenium, profundam scientiam, insuperabilem animum, sanguinis nobilitatem, incomparabilem patientiam, aliasque illustres eiusdem virtutes perspiciatis, Spiritum Patris adeamus, supplicesque eum obtestemur, gratia nobis vt sua auxilietur; Deiparam vero matrem, precibus vt suis hanc ipsam obtineat; quamobrem omnes salutatione Angelica ad hoc faciendum illam inuitemus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Virginitas homines æquat Angelis.

Sancta virginitas adeo illustris & admirabilis est virtus, vt homines non dico pares, sed & superiores ac digniores Angelis efficiat; adhæc, si Deo illos non æquet, (quod dicere nefas est) saltem illi quam proxime faciat accedere. Doctrina hæc verissima est, quin imo, velut fidei capita, suscipienda, vtpote in sacra Scriptura fundata, quod testimonijs certissimis comprobabo. Quod Angelis hominem æquet, colligas licet ex illis Christi verbis: *In resurrectione neque nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* quem locum sic etiam exponit sanctus Ambrosius dicens: *Quid pluribus exequor,* inquit, *laudem castitatis? castitas Angelos facit: qui eam seruauit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.* *Matth.* 22. *Lib.* 1. *de virg.*

Eamdem sequitur opinionem S. Cyprianus tractatu quem de disciplina & habitu Virginum conscripsit: *Cum castæ perseueratis,* inquit, *& virgines, Angelis Dei estis æquales.* Mellifluus Bernardus his subscribit epistola ad Henricum Archiepiscopum Senonensem; sic autem scribit: *Quid castitate decorius: quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum de homine facit.* *S. Cyprian.* *Epist.* 42. *ad Henricum Archiep. Senonens.*

Figuræ loco erit, quod in Apocalypsi legere est. Angelum enim gloria & maiestate velatum cum Ioannes cerneret, ecce, ilico spiritus huius splendore & fulgore præstrictus Apostolus, ad pedes illius se parat pronus abiicere, apparentemq; adorare: sed Angelus humanitate & sapientia plenus hunc *Apoc.* 19.

hono-

honorem admittere detrectat, & impedit dicens: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum*, paris tecum gradus & conditionis. Ob virginitatem, quæ duobus hisce communis erat, mihi fit verisimile Angelum seruitutis ac qualitatis paritate honorare Ioannem voluisse: perinde ac si dixisset: hunc mihi noli honorem deferre, neu de eodem adeo esto solicitus, fortuna namque pares sumus in virginitate æquales, & nobilitate haud dissimiles. Ego natura, tu castitate es Angelus: quod ego creatione sum, tu quoque vt sis, virtus efficit & corporis integritas; in conditione etiam conuenimus, & eiusdem ambo Dei serui sumus, qui nostrum vtriusque est princeps.

Scio nonnullos, & quidem magni nominis & auctoritatis Scriptores, hanc exponentes visionem, & Angelicæ huius modestiæ humilitatisque rationem reddentes, diuersimode loqui. Docet nonnemo, ob mysterium incarnationis hoc ita factum esse, in quo natura humana adeo est exaltata, diuinitati vt vnita sit, & Deus hominem induens, homo vt Deum induat, efficit. Quod repræsentans & cogitans Angelus hic, qui ante hominibus velut superior & dignior, ab iisdem adorari solebat, atque idipsum etiam permittebat; hæc permittere post hæc detrectat, hominis dignitatem agnoscit, & parem se eidem in omnibus haud diffitetur. Alii alia cogitant, docentque ideo Angelum sibi à Ioanne cultum deferri noluisse, quod sacerdotio hic esset insignitus. Et sane hæcce dignitas adeo sublimis, alta, atque eminens est, vt omnes alios longo titulos superet interuallo, & ab ipsis etiam adorari mereatur Angelis. Sunt qui tam demisse se abiecisse Angelum, & hanc prætulisse modestiam volunt, quod Ioannes Apostolus foret; quæ sane dignitas, nescio quid Angelis maius atque eminentius continere videtur. Vnde & Apostolus, hinc occasione forsan sumpta, gloriatur; quod Angelorum sit & superior, & Iudex, & præses futurus, dicens: *Nescitis quia Angelos iudicabimus.* Omnes hæ opiniones aliquatenus sunt verisimiles, & probabiles; sed ipse mihi persuadeo, quod & alii ratione potiore nixi, & ad veritatem propius accedentes, tradunt, ob virginitatem puritatemque, quæ in sancto hoc Apostolo eximia erat, Angelicum spiritum hunc illi honorem detulisse, atque obstitisse, quo minus, vt alii, se adoraret. Vt hinc nimirum discamus, virginitatem adeo diuinam virtutem esse, vt ab ipsis coli & honoribus affici meratur Angelis, & creaturas commutando, ex hominibus efficiat Angelos, quin adeo iisdem superiores reddat.

Mysterium incarnationis hominem reddit Angelis dignatores.

Sacerdotiũ Angelis venerabile.

1 Cor. 6.

Hoc mihi iam probandum incumbit. Ad quod adduco locum illum Isaiæ, in quo de quodam eunuchorum genere loquens Deus ait: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus nomen sempiternũ dabo eis quod non peribit.* Quæ † Augustinus verba de Virginibus, vti & Ambrosius in exhortatione ad Virgines, S. Hieronymus contra Iouinianum, sanctus Basilius libro de vera virginitate, sanctus * Gregorius denique exponunt, & per filios ac filias illas, beatos intelligunt Angelos: cum ergo eo loci virginibus locus promittatur dignior ac nomen excellentius, quam domesticis Dei, id est Angelis, iisdem hauddubie etiam præpositi videntur.

Isa. 56.

† *Lib. d. virgin. c. 23.*

* *3 par. past.*

Iam efficiamus & ostendamus necesse est, quomodo diuina hæc virtus non iam Angelis, sed ipsi Deo ter maximo; non iam creaturis, sed omnium nos conditori assimilet. Ostendet hoc pro me magnus ille Basilius lib. de vera Virginitate, in quo sic orditur: *Magnum quiddam*, inquit, *vt vere dicam, est virginitas, incorruptibili DEO, vt summatim dicam, hominem similem faciens.* Certum est autem, regiam hanc virtutem quoddam nobilitatis, non Angelicæ dumtaxat, sed plane diuinæ, signum fronte præferre. Adeo vt Psalmo 2. quo vulgata legit, *Apprehendite disciplinam.* alii ex Hebræo legant, *Osculamini filium*; alii denique ad sensum nostrum accommodatius, *Adorate puritatem*, id est, virginitatem, quasi diceret sensus, virginitatem sanctam, ceu diuinum quid reuereamini, colite, summoque honore ac veneratione prosequimini.

Virginitas Deo hominem similem reddit.

S. Basilius.

Psalm. 2.

Huc mirifice quadrat, & in confirmationem veritatis adduco, quod de Constantino Magno refert Eusebius, eum scilicet tanti vir-

Euseb. lib. 4. de Vita Constantini.

ginitatem feciſſe, vt omnes quotquot in mundo fingi poſſunt honores, vnica excepta adoratione ſoli & vni Deo debita, ſacris deferri debere virginibus exiſtimaret. Atque hinc forſan factum eſt, vt veteres idolorum cultores inter duodecim ſigna cœleſtia ſuum virginem eſſe voluerint locum & in cœlo virginitatem collocarint, velut rem plane diuinã; ſic quidem ſentit D. Hieronymus, aduerſus Iouinianum omnis puritatis inimicum ſcribens.

Lib. 1. in Iouin.

Eſt denique virtus plane regia ac diuina, quæ quadam naturæ illata violẽtia paratur, quæque hominibus terribilis non minus eſt quam dæmonibus. In huius rei figuram in Apocalypſi dictum eſt, virgines inſtar tonitruorum locutas fuiſſe, *Et audiui*, inquit Ioannes, *vocem de cœlo tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni.* Tonitrua porro, horribiles illi ſtrepitus ac fragores vt formidinem audientibus incutiunt; ſic & ſimplex fama ac ſolus ſanctæ ac cœleſtis virginitatis rumor, homines voluptati deditos percellit, ac diabolis tremorem formidinemq; incutit.

Apoc. 14.

Omnia hæc exordij ac proœmij loco allata, ſunt occaſione & in gratiam ſanctiſſimæ cuiusdam Virginis Catharinæ ſcilicet, productæ, cuius omnis Eccleſia hodie feſtum celebrat, & hoc nobis Euangelium proponit: *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus*, &c. Circa quod pro more meo & dicendi conſuetudine duo dicam; primum virginitatis panegyriſten agã, deinde merita, perfectiones & præconia magnæ & illuſtris Virginis Catharinæ celebrabo.

II. Regnũ cœlorum cur decem virginibus, nõ autẽ coniugatis eſſe dicatur ſimile.

Quod ad primum ergo attinet, Dico primo, tametſi coniugatorum ac viduarum ſtatus illuſtris ſit, laudabilis, honoratus, & in Eccleſia magni fiat, virginalem tamẽ longe eſſe digniorem, perfectiorem ac ſublimiorem. Confirmationis loco ſit, quod in Euangelio Redemptor Eccleſiam non decẽ maritatis, non totidem viduis, ſed decem virginibus aſſimilet, veluti rei longe excellentiori: vt hoc pacto ad oculum oſtendat, quanti virginitatem ducat, & quo cæteras inter virtutes angelicam hanc dignitatem loco conſtituat.

Adhæc in parabola de ſemine dicitur, cum eius pars ſecus viam cadens ab auibus cœli deuorata eſſet, alia in petram & ruderoſum ſolum illico arefacta; tertia vero inter vepres ac ſpinas excreſcentis exareſcens ſuffocata, partem quartam, quæ in ferax ac felix ſolum decidit, multiplicato fœnore progerminaſſe; vario tamen, vt alia triceſimum, alia ſexageſimum, centeſimum denique alia fructum attulerint. Ænigmatis ac parabolæ huius interpretes ad triplicem Eccleſiæ ſtatum triplicem hunc fructum referunt, triceſimum coniugatis, ſexageſimum viduis & continentibus, centeſimum denique virginibus attribuentes.

Matth. 13.

Cõiugium, viduitas & virginitas vna in parabola figurata.

Si parum fructus aſcribitur coniugibus (eo quod, teſte Apoſtolo ad Corinthios: *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*; animo eius terræ tantum, quantum cœleſtibus adhæreſcente, tam mundano cultui, quam diuino incumbente) viduis ſane longe amplius datur, eo quod ab omni negotio rerumque tractatione liberæ ſunt, quo Deo pie fideliterque ſeruiant, virtutum exercitio incumbant, Sacramenta ſæpius vſurpent, animum mentemque ad cœleſtia dirigant, ſanctis piiſque operibus vacent, rerumq; ſanctarum praxi ſe totas dedicent. Intelligendum hoc porro de piis ſapientibuſque viduis, quales Timotheo ſuo depingit Apoſtolus dicens: *Quæ vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus nocte ac die: nam, quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt.* Hue aures animumque aduertite ſæculi noſtri viduæ, hæcce Apoſtoli verba vobiſcum accuratius perpendite, videte inquam quales vos eſſe oporteat. veræ autem eſtote viduæ, cor & animus viduali reſpondeant veſti, tam interius quam exterius viduarum ſtatum exhibete, nulla in veſtibus, moribus, actionibus aut verbis veſtris eluceat, mundum ſapiens diſſolutio, nulla vanitas: vere vos eſſe deſolatas oſtendatis, vt pote quæ dimidium veſtri ſato amiſiſtis: conſortia ac familiaritates aliarum aliorumque declinetis, à mundo vos ſubducatis, ſolitudinem conſectemini, Deum noctu & interdiu tum pro maritorum

1. Cor. 7.

Viduis maior Deo ſeruiendi eſt occaſio quã matrimonio iunctis.

1. Tim. 7.

Quæ veræ ſint viduæ.

rum vestrorum animabus, tum pro sobolis orbæ conseruatione, tam pro pudicitiæ atque honoris vidualis tuitione, quam pro tentationum diabolicarum victoria, & pro patientia demum ad extremum vsque conseruanda deprecantes. In primis denique voluptates nolite ambire, delicias non quæratis, & carnalibus concupiscentijs habenas minime laxetis; hinc enim vniuersa vidualis ornamenti ruina dependet, quin corporis simul & animæ interitus perpetuus.

S. Paulus & Ioannes Euangelistæ plures habuere reuelationes quã reliqui Apostoli.

Virginibus porro, ceu perfectiori, digniori, & animam Deo quam maxime assimilanti statui, centuplum debetur. Hinc nulli Apostolorum aut Euangelistarum tot ac tam illustres reuelationes, aut ad cœlestia raptus contigisse legimus, quot sancto Paulo & Ioanni Euangelistæ, cuius rei (vt occulta Dei iudicia taceam) alia reddi ratio non potest, quam quod ea vtriusque virginitas promerita sit: ambo namque vxorem nescierunt, cum reliqui forte matrimonio fuerint

In 1. epist. ad Cor. c. 11. iuncti, vt testatur Ambrosius. Adeo vt hinc, etsi alia argumenta non haberemus & indicia euidenter satis pateat, virginitatem meritis & omnigena excellentia coniugali statui antecellere.

Hanc vt veritatem adstruant, nemo non veterum Patrum ac Doctorum allobarat. Hinc Diuus Augustinus triplicem illam in

Gen. 6. Lib. 13. Civ. c. 16. arca Noe contignationem, de qua Genesis 6. legimus: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis, mansiunculas in arca facies*; mystice exponens mansionibus his denotari credit tres Ecclesiæ status, matrimonialem, vidualem, ac virginalem, & huic postremæ veluti digniori ac nobiliori, primum ac supremum adscribit locum Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, quod inter virgines & coniugatos est discrimen & interuallum, melius etiam designaturus, hos ceu inferiores ac minoris pretij, argento; illas, ceu digniores, auro assimilat. Eamdem comparationem adhibet etiam sanctus Cyrillus in Catechesibus,

Cyrill. Cat. Illumin. 4. aitque tantam inter vtrumque hunc statum differentiam inueniri, quanta inter aurum & argentum, quæ inter reliqua metalla primas ferunt.

Vterque porro hanc à Diuo Hieronymo mutuati similitudinem videntur, qui virginitatis aduersus fœdas & impudicas fallacis Iouiniani ineptias propugnatorem agens, sic loquitur, *Sicut se habent hæc metalla ferrum, argentum, aurum; ita se habent coniugium, viduitas, virginitas.*

Coniugiũ, viduitas, virginitas, ferro, argẽto, auro æquantur.

D. Hier. in Iouinian.

Alias aliunde comparationes elicit ad hanc ipsam rem exprimendam Diuus Augustinus dicens: *Sicut se habent stellæ, luna, sol, ita illi tres status.* Stellæ æquatur matrimonium, viduitas lunæ, soli virginitas: Vt autem sol, stellarum ac planetarum omnium rex est, & splendore ac lumine reliqua antecellit sidera; sic virtutum reliquarum regina est castitas, & perfectione, nobilitate & dignitate omnes mundi status antecellit.

Idem, quem iam ante paulo produxi, Hieronymus, idem, sed alijs atque alijs verbis docet, hac super re ad illustrem virginem Eustochium scribens; apud quam virginitatem puritatemque virginalem sic deprædicat: *Laudo nuptias, sed quia virgines generant, colligo de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam.* Quibus è verbis, castitatem nimium quantum extollentibus, facili negotio colligere est, ab illustri hoc doctore gemmis, auro, rosæ virginitatem; conchæ vero, terræ ac spinis matrimonium comparari.

Epist. ad Eustochium.

Eamdem rem extollens eloquentiæ sanctæ decus Chrysostomus; eiusdem item est opinionis, & virginitatem sic dilaudat. *Virginitas melior est matrimonio, & si placet, quanto etiam melior sit, addam, quanto scilicet cœlum terra, quanto hominibus Angeli.* Nec vero hyperbolice hic locutus est, aut rem vltra quã mereatur exaggerando, sed puram puramq; veritatem sincere dixit: hinc proinde colligamus licet, tantum matrimonium terrestre esse, quantum virginitas cœlestis ac diuina; simul & veritatem prouerbij illius vulgati, per Virginitatem cœlum, per matrimonium terram incolis repleri.

Lib. de virg. c. 10.

Virginitas cælum, matrimonium terrã replet.

Suum hic etiam symbolum adferens sanctus Ioannes Damascenus, hanc depromit sententiam; *Cœlibatus vitam imitatur Angelorum; ex quo fit, vt quantum Angelus hominem*

antecellit, tantum quoq; virginitas matrimonio præstet, ac si dicat, quod inter homines & Angelos quoad perfectionem & nobilitatem est discrimen, ipsum inter virginitatem & coniugium poterit reperiri

Lib. 4. fid. c. 25.

Quapropter omnia hæc virginitatis præconia hac concludam D. Hieronymi sententia: *Non est detrahere nuptiis, cum illis virginitas antefertur; glorientur & nuptæ, cum à virginibus sint secundæ*, quasi diceret: Adeo non est sancto matrimonij vinculo maculam aut probum affricare, aut vllam eidem iniuriam inferre dum virginitati illud postponimus; quin imo magnum illius est decus & ornamentum, proximum post statum illum sanctum & prorsus Angelicum, virginitatem inquam & castitatem locum occupare.

Epist ad Eustoch.

Hanc aliasque ob causas credamus oportet filium Dei, cum in terra inter mortales ageret, toties castitatis amplectendæ nuptiarumque non ineundarum consiliū suggessisse. Apostolus Paulus deinde eius exponens consilia; & suam identidem addens sententiam neminem non ad præclaram hanc virtutem consectandam est exhortatus, huius sibi non imperandæ quidem sed consulendæ tantum cœlitus curam datam asserens: *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Hinc etiam inter consilia Euangelica ipsa cōnumeratur, & sane è primariis præcipuisque rei Christianæ capitibus est, quibus ad perfectionem peruenitur. Vetus quidem Testamentum sub lege Mosaica fœcunditate gloriabatur, matrimoniumq; nimiopere extollebat; at cum noua Jesu Christi lex in mundum venisset, quę ad omnem perfectionem gradum sternit, virginitatem, castitatem, sterilitatemque matrimonio prætulit, quin etiam singulare eius amplectendæ consilium dedit, nuptiasque eidem posthabuit.

Redemptor virginitatem consulit.

Et S. Paulus.

Eccles. 3.

Hoc olim Sapiens veluti prædixerat, dum ait: *Omnia tempus habent: tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*, connubialibus. Tempus namque veteris legis tempus fuit amplexendi licito vsu mulieres, easque sibi matrimonio copulandi; at Legis Euangelicæ tempore, consilium datum est ab huiusmodi amplexibus longius secedendi, matrimonialibusque delitiis valedicendi. Hanc expositionem mihi suggessit magnus Augustinus libro de adulterinis cōiugiis: *Erat*, inquit, *tunc quædam propagandi necessitas, quæ nunc non est: quoniam tempus amplexandi, sicut scriptum est, quod vtiq; tunc fuit; & tempus continendi ab amplexibus, quod nunc est.*

Lib. de adul. coniug. c. 12.

Judæi olim ex legis præscripto, circumcidebantur, quo aliquam castrationis speciem referebant: at inter Christianos apud quos ad perfectionem aspiratur, nonnulli sponte se atque vltroneè castrant, omnibusque corpus delitiis spoliant, iuxta illam Redemptoris veritatem: *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum*, cunuchi inquam non natura, sed voluntate propria castrati, id est, qui quo gaudia cœlestia consequantur, matrimonij sibi sponte vsum interdixerunt.

Virginitas circumcisionis species.

Matth. 19.

Dauid Rex, sub illa ipsa obscura imperfectionum nebula adhuc agens, de coniugatorum agens beatitudine, matrumque parientium benedictione & gaudio canit: Quam porro felix futurus es, ô vir, quotq; in matrimonio benedictionibus cumulaberis! *Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Verum in lege gratiæ longe aliter se res habet, & versa sors est, nulla amplius vxorum aut filiorum apud eos, qui ad perfectionem adspirant, & consilia sequuntur Euangelica, fit mentio, sed ab omnibus se delitiis sequestrant.

Psal. 127.

Velut præsagium ac lætum huiusce rei augurium in canticis dicitur: *Tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Ad litteram vernum tempus ibi describitur, quod & aptum est putandis vineis, & quo auicularum cantillantium passim voculæ per nemorum auia exaudiuntur, ac præsertim turturum. At mystice & allegorice consideremus licet, tempus Jesu Christi fuisse & etiamnum esse tempus castitatis, tempus putandæ vitis, & resecandorum palmitum. Turturis, quæ castitatis figura est, vox in terra Ecclesiæ nostræ tunc audita est.

Cant. 2.

Tempus Christi tēpus est castitatis.

Porro,

Porro antequam Redemptor cœlo aduenisset, matrimonij vox passim in orbe audiebatur; at, postquam ille cœlo descendit, castitatis, continentiæ, ac virginitatis auditi harmonia cœpta est. Turturis autem, id est, virginalis puritatis vox est hæc ipsa, quæ in prima ad Corinthios epistola clamat: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem: qui enim matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit*; in eo namq; Euangelij perfectio consistit.

1.Cor.7.

Mox vt creaturæ primigeniæ in mundum recens conditum inductæ sunt, dictum illis à Deo: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Tum quidem Adamo imperante, hominibus terram repleri, & viros vxoribus iungi necesse erat, vt sic prolem progignerent, sed sub Christi Jesu imperio, & hodierna die, virginibus cœlestes habitationes repleri necesse est. Quo alludens sanctus Heronymus, aduersus Jouinianum, dum virginum paranymphum agit ac propugnatorem, sic scribit: *Nuptæ terram replent, virgines paradisum.* Quod perspectum habens Apostolus Gentium, viris consuluit, milieribus non commisceri, & castitatem colere, *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere*, neu matrimonij iugum subire. S. Cyprianus Apostolo suffragatur & scribit: *Prima creatoris sententia, crescere & generare præcepit, secunda continentiam suasit.* quasi diceret, prima Dei voce institutum esse connubium, & secunda consultam ac suasam continentiam.

Gen.7.

Lib. 1. contra Iouinian.

1.Cor.7.

Lib. de disc. virginum.

Virginitas vires superat naturæ.

Certissimum ergo & exploratissimum est, virginitatem coniugio ac matrimonio præstare; quin etiam naturam ipsam superare: vtpote quæ virtus est nihil humanum aut vulgare continens, sed vires omnes naturales excedens. Quod, vt & reliqua facile comprobabo, & probatissimis testimoniis certum faciam. S. Hieronymum inprimis huic sententiæ confirmandæ testem aduocabo: hanc enim ipse palam docet, & virgini Romanæ præscribit: *In carne*, inquit, *præter carnem viuere, magis angelicum est, quam humanum*, perinde ac si diceret: Scias ac tibi persuadeas velim, filia, virginitatem seruare illibatam, arduum quid esse ac perdifficile: in corpore quidem fragili habitare, carnem rebellem ac refractariam spiritui circumgestare, carnem inquam vna cum passionibus enatam, & rationi semper contrariam atque aduersantem; sed eius aculeos effrenesque impetus non persentiscere tentationibus venereis resistere, omnemque à se voluptatem abdicare, res est humanas vires ac robur exsuperans, atque ad Angelorum dignitatem & apathiam quam proxime accedit.

Epist. ad Eustoch.

Hæc quidem rationi consentanea sunt, & cum Philosophia Ethica optime conuenientia. Si enim pro comperto & explorato habetur, vti & ipse habeo, & in moralibus docuit Aristoteles, virtutem circa difficilia & ardua quæque versari, haud dubie virginitas virtutum omnium futura est maxima, ac præ reliquis primas feret, cum difficilimum omnium pro scopo & obiecto habeat. Quod ipsum communi omnium veterum Patrum & Anachoretarum consensu iudicioque verissimum esse comprobatur: qui quadam in collatione congregati maius esse vnanimi suffragio censuerunt miraculum, propriæ carnis posse aculeum, quem Paulus Angelum vocat Satanæ aut tollere, aut retundere, ac fomitem illum concupiscentiæ in proprio inardescentem corpore exstinguere & obruere, quam alienis è corporibus cacodęmones pellere.

2. Ethic.

Virtus circa difficilia versatur.

Quapropter mea sententia ille non errauerit, qui virginitatem magis in hominibus admirabilem, maiorisque esse pretij quam in Angelis, dixerit. Longe namque pluris facere & admirari magis, solemus ea, quæ humano artificio & industria naturam quã proxime imitãtur, quã quæ reipsa & naturaliter talia sunt, & genuina. Exẽpli loco esto, Vuæ illæ & botri, quos Zeuxis pictor in tabula coloribus tam scite & eleganter imitando ad naturæ ludibrium expressit, vt aues & muscæ delusæ ad eos veluti ad naturales & genuinos vndique aduolarent & rostro configerent, millies plures habiti sunt, quam hactenus omnes naturales, quin & rosa aut alius quislibet flos acu pictus aut opere phrygionico elaboratus, ob artem elegantiamque suspici magis consueuit, quam

Virginitas in hominibus admirabilior. quam Angelis.

Pictura Zeuxidis.

qui

qui in hortis aut agris natura matre è terra prodeunt ; naturam scilicet eiusque operæ hominem superante artificio atque industria.

Angelos igitur castos esse, & omnis immunditiæ expertes quis miretur ? vtpote cum talis illorum sit natura & hoc in statu creati sint, ac proinde, si dicere fas est mirum haud est : at in hominibus artificio quodam & summo conatu ac labore virginitatem parem etiam Angelicæ haberi summam meretur admirationem, & permagni ducēdum est. Nouum namq; haud est, minimeq; mirum, pomum poma, cerasum cerasa, ac vineam vuas proferre ; sed è vepribus racemos, è sicomoris mala punica, è cupresso ficus enasci, nemini non admirationem mouet. Moraliter hæc capiamus, & homines vrticas & carduos ; at Angelos arbores frugiferas esse imaginemur ; viso tamen, homines non alios proferre fructus, quam ferunt Angeli, & creaturas illas terrestres & infimas ad spirituum illorum cœlestium puritatē pertingere nouum est, inauditum, ac nonnisi miraculum.

S. Bernard. Sanctus Bernardus quam succinctissime loquens ; & virginitatis partes agens, illam si quando in homine reperitur, merito pluris, quam dum in Angelo commoratur, æstimandum docet. Verba eius hæc sunt : *Differunt quidem inter se virgo & Angelus ; sed felicitate, non virtute : nam etsi huius castitas felicior, illius tamen fortior esse cognoscitur.*

Serm. 1. de annunt. Angelus & virgo eodē funguntur officio. Orat. in præsent. Euang. Apertius hoc & elegantius Petrus Rauennas : *Virginitas hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura. Angelus & virgo diuinum agunt officium, non humanum. Angelicam gloriam acquirere, maius est quam habere.* Idipsum exaggerans Gregorius Nazianzenus, longe altiora & digniora profert : *Annō plane Angelicum est, eam quæ carni viuenti alligata sit, non secundum carnem viuere ; sed natura ipsa excellentiorem esse ?* Hanc forsitan ob causam, qui allegoriis delectantur, & eas passim consectantur, virginitatem, ob altitudinem & excellentiam suam, monti Segor assimilarunt, ad quem vt concederet, Lotho Sodomis agenti consuluit Angelus : *In montem saluum te fac.* Gen. 19. Vt enim alios taceam Patres & interpretes, sanctus Gregorius Pontifex hoc ipsum accipit modo : sic autem loquitur : *Sodomam fugere est illicita carnis incendia declinare ; altitudo vero montium est munditia continentium.* Videtisne quomodo sanctus hic doctor, ingentis & eximiæ vt huius virtutis magnitudinem, & eius supra connubium quin imo naturam eminentiam declaret, altissimo cuidam monti ipsam comparet.

Virginitas militat. 3. p. Past. admon. 28.

Nouum vero vobis aut peregrinum non videatur, Auditores, si virginitatem naturæ virtus est supereminere, humana omnia transcendere, & ordinarias omnes dixero potentias exsuperare, nolite inquam mirari, si audacter & vno velut verbo dicam, de supernaturalium illarum rerum conditione ac genere esse. Testes enim ac vades opinionis huius plerosque Patrum afferre queam. D. Isidorum inprimis, qui libro de summo bono hæc in eius laudem habet : *Virginitas admonita tantum est, non iussa ; sed ideo tantum admonita, quia nimis excelsa.* Perinde ac si diceret : Deus non minus bonus quam sapiens, præcepto aliquo virginitatem omnibus iniungere noluit, aut ad eam passim vniuersos lege lata obligare imperasset, si quidem & cōpulisset ad seruandum id, quod communem naturæ ordinem transcendit. Eo quod castitas humana omnia exsuperet, nonnisi ingentes & generosos exigat animos & constantiā plusquam Angelicam. Hinc ipse naturæ auctor & legis ad eius obseruantiam neminem lege lata aut mandato repugnantem compellit, sed consulit duntaxat, & suadet, & vnumquemque eodem, si modo vltroneè lubuerit, inuitat. Sic autem de illa Redemptor loquitur : *Qui potest capere, capiat :* res arbitraria & voluntaria est, neminem ad eandem volo compellere.

Virginitas virtus est supernaturalis.

Li. 2. de sum. bon. c. 40.

Virginitas admonita tantum nō iussa est.

Matth. 19.

Horum verborū sensum indagans Theodoretus, quid dicturus sit ignorat, quo se vertat, nescit, hoc duntaxat proferens : *Intellexit*, inquit, *Deus, virginitatem esse supra naturam* ; hinc nullum ad eandem obstringere voluit, aut iussu aliquo obligare. Plura S. Ambrosius, & mirabilia proloquitur : *Quis humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus ? aut quis voce natu-*

In epit. diuin. decr. cap. de virg.

Lib. 1. de virg.

na vrali complecti, quod supra vnum natura sit?

An non igitur hæc veritas satis superque stabilita est: aliane habere testimonia vultis? plurane illius confirmandæ ergo depromenda sunt? sunt vtiq; Ecce Cyrill. Hierosolymitanus, suo quoq; calculo rem adstruet. *Non ignoramus*, inquit, *castitatis gloriam: Angelica enim est corona, & supra hominē perfectio.* Euidens sane hoc testimonium est, quo vix dari vllū queat illustrius. Joan. Damascenus etiam subscribere gestiens, suum his verbis declarat: *Virginitas Angelorum munus est ac peculiaris omnis incorporea natura nota.* quasi dicat, Qui seruare ac colere castitatem voluerit, incorporeus is sit oportet, & humanam naturam transferat in Angelicam.

Catech. 12.

Lib. 4. fidei c. 25.

Vnum adhuc producam Ambrosium, qui huic testium coaceruationi coronidem imponet, sic scribens: *Supergreditur virginitas conditionem naturæ humanæ, per quam homines Angelis assimilantur, maior tamen est victoria hominum, quam Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, virgines vero in carne triumphant.* Quæ eius verba velut omnium pulcherrima & præstantissima studio in postremum locum conieci.

Lib. de viduis.

Virginitas maiori donatur gloria in cœlo.

Audistis, Auditores Catholici, me, idque è SS. Patrum potissimum verbis, dicentem, virginitatem nuptiis & matrimonio longo interuallo præcellere, quin omnes naturæ vires nimium quantum excedere; iam probandum restat, illam, quoniam & eximia est & præstabilis, propterea etiam in cœlo corona excellentiori atque illustriori gloria post hanc vitam donari. Sequar hac in re magni Hieronymi sententiam dicentis: *Propterea maiori præmio coronatur, quia præceptum Domini non habet, & vltra imperata se extendit.*

Epist. ad Philemon.

Latius se dilatat & rem explicat lib. 1. contra Iouinianum, *Ideo plus*, inquit, *amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, maioriq; gratiæ est officium, quod non debeas, quam reddere quod exigaris.* Adeo, vt ex D. Hieronymi sententia, cuicumq; virginitatem intactam illibatamq; custodire contigit, de ipso illud Psalmographi merito dici queat: *In mandatis eius volet nimis.*

Lib. 1. contra Iouinian.

Psal. 111.

Virginalem namq; florem integrum & intemeratum seruans, longe plura præstat, quam facere iubetur, ac diuina mandata & iussa transscendit.

Et sane adeo eximia & nobilis virtus est castitas, vt non modo æterna gloria, cæteris sanctis communis, illi attribuatur, sed & peculiaris quædam & singularis eam beatitudo, in cœ esti habitaculo maneat. Aureola inquam illi debetur similis illi, qua Doctores Ecclesiæ ac generosi Christi pugiles & Martyres post hanc vitam donabuntur. Huius rei figura est mensa illa aurea, panum propositionis, quam limbi instar corona interrasilis, deinde & alia minor, quæ peculiarem hanc aureolam denotat, circumambiebat. Rem & figuram explico. Notum esse vobis existimo, Redemptorem Jesum, olim apud Apostolos de cœlesti gloria agentem dixisse, abire se parare illis regnum, *vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Recte quidem; in cœlo namque beatis omnibus parata & instructa est mensa, qua sanctorum omnium deliciæ ac gaudia repræsentantur; mensam hanc cingit corona & limbus, id est, merces omnibus prædestinatis debita. Hoc namque eam nomine donauit Apostolus, dicens: *Ideo reposita est mihi corona iustitiæ.* Coronam hanc maiorem alia minor coronula & aureola circumcurrit: hæc porro aliud non est, quam particularis quædam gloria, solis merito Martyribus, Doctoribus & Virginibus, nulli vero alteri, debita aut reseruata.

Aureola virginitati debita.

Exod. 25.

Luc. 22.

2. Tim. 4.

Apostolis apud Matthæum Redemptori dicentibus: *Ecce nos reliquimus omnia; & secuti sumus te, quid ergo ergo erit nobis?* ilico respondit rogatus: *Omnis, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et sane arduum quid est ac difficile, Patrem, Matrem, facultates, possessiones, consanguineos, & proximos propter nomen Christi relinquere; hoc ipsum tamen vulgo fit & communiter idque ratione vxoris. In Geneſis namq; initio legitur: *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhæ-*

Matth. 19.

Gen. 2.

adhærebit vxori suæ. Sed vxorē, quæ vnam tantū tecum constituit carnē, & filios, qui tui ipsius pars sunt, deserere; vere quid magnum est, centuplum meretur, & æterna præ reliquis rebus omnibus mercede denotari dignissimum est.

Esai.56.

Esaias Propheta manifesto indicauit, qualis quantaq; a Deo merces Eunuchis Euangelicis, id est, virginitatem in Ecclesia Christiana colentibus promissa sit; dum ait: *Et non dicat Eunuchus; Ecce ego lignum aridum,* Magna merces virginibus promissa. *quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea*, id est, a sollicitudinibus & curis carnis liberi, *& elegerint, quæ ego volui & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Doctissimus iuxta ac sanctissimus Augustinus, locum hanc tangens, & ampliſſimam mercedem hunc demiratus, de virginibus ipsum exposuit, de Eunuchis inquam illis Euangelicis, qui seipsos propter regnum cœlorum castrauerunt. *Lib. de virgin. c. 24.*

Plenam & exactam egregij huius promissi adimpletionem habere vultis? anne videre nomen, locum, gradum & gloriam, quam in cœlesti domicilio pro reliquis acceperi sunt, qui virginitatem integram inuiolatamque seruarunt? Legite quæ in Apocalypsi sua scribit Joannes: *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Virgines autem hic designat, atque eos in cœlo, cuius mons Sion figura exstitit, nomen Dei Patris, ac filij eius Jesu Christi frontibus suis inscriptum gestare; vt euidenter & palam appareat, illos semper pudicos ac verecundos fuisse, (eo quod in fronte pudoris sit sedes) atque omnem puritatem ac pudicitiam suam DEO JESV Christo dedicasse, eamque integram & sinceram illi toto vitæ tempore religiose custodisse. *Apoc. 14.*

Pro comperto est, quin & sacræ Litteræ nobis fidem faciunt, Sanctos omnes cœlica perfruentes gloria, diuinitatis signum ac notam frontibus prælaturos; sed sacrum ac sanctum Dei & Agni immaculati nomen vultu scriptum præferre, & circumgestare, Virgines nomen Agni in cœlo frontibus insculptum habebunt. so is virginibus singulari quadam prærogatiua reseruatum esse. Dicitur exinde, quod Canticum sint nouum & carmen inauditum decantaturi, quod nemo præter ipsos cantare poterat.

Visionem hanc penitus inuestigans, ac scire auidus, cur Sancti illi puri, illibatique virginitatis cultores coram Agno in monte potius, quam ad illius radicem aut campi alicuius planitie, Joanni videantur, duplicem hac rationem inuenio. Prima è virginitatis dignitate & excellentia petita est. Cum enim virgines summum quendam locum occupent, & alto quodam in Ecclesia constituti sint gradu, non sine causa, nec absurde in montis Sionis conspiciuntur vertice coram Agno stantes. Huic expositioni subscribit etiam Magnus Gregorius libros Regum exponens: *Bene*, inquit, *in sublimi virgines esse dicuntur, quia, quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est, vnde & virgo ille dilectus Ieu locum virginum insinuans ait: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Mox vero idem Doctor subnectit: *In monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, qua à terrenu & carnalibus delectationibus se diuiduut, in sempiterna Redemptoris gloria sublimantur*; & à mundanis voluptatibus se sequestrantes, ad cœlestes dignitates simul extolluntur. Cur Joannes virgines in mõte conspexerit. *Lib. 5. in lib. 2. Reg. c. 15.*

Et sane ita se res habet: nihil quippe in mundo virginitate est altius, quod aduersus hanc virginitatem oppugnantes de eaq; dubitantes egregie tuetur Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus. Sic enim in illa Matthæi verba: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*: Paraphrastice scribit, *Videte*, inquit, *sublimitatem inde-prehensibilem fere inuenietis; quomodo enim non mélius carne est, non generare carnem id, quod à carne genitum est: quomodo non angelicum, carni alligatum non secundum carnem viuere, sed natura esse sublimiorem?* Nihil in mundo virginitate altius. *Super c. 19. Matth.*

In hu-

3 Reg. 7. In huius rei figuram video Salomonem in templi sui fabrica, ante vestibulum eiusdem duas ingentes collocare columnas ære fusas, quibus capitella in summitate liliorum instar imposuit. Sic namque in Regum libro tertio legere est: *Fecit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis.* & paulo post: *Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant.* Quid sibi volunt lilia adeo sublimia elata? cur in summitate harum columnarum potius, quam medio aut imo eadem erecta? mysterium notabile est. Vt scilicet hinc discamus, castitatem (cuius lilium est imago) altitudine, dignitate, excellentia, quidquid in mundo est, superare. Sic porro columnarum harum proprietatem exponit D. Ambrosius.

figura.

Lib. 1. de virginit.

Altera cur Joannes virgines in monte conspexerit ratio è virginitatis difficultate elicitur: quæ profecto tanta est, vt quicumque ad eandem aspirat, & eam colere desiderat, sibi persuadeat necesse sit, montem se quemdam accliuem, difficilem, lubricum, molestum rependo ascendere, cuius ea quidem sit altitudo, & ascensus adeo laboriosus & arduus, vt neminem ad eandem seruandam ipse obligare Redemptor, aut iusso cogere voluerit, sed dumtaxat consulendo suadendoque dixerit: *Qui potest capere capiat.* quasi diceret; Ascendat eo, qui voluerit; ardua quidem via est & ascensus molestissimus, ad neminem eo cogo: hoc ab vna voluntate dependet, & in illo hominis virtus, animus, & generositas euidenter agnoscetur.

Matth. 19.

Egregie hoc diuineque pertractat D. Hieronymus, eundem semper vellicans Jouinianum: *Noli timere, ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis. Multi vocati, pauci electi. Si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus diceret: Qui potest capere capiat, & Apostolus insuadendo non trepidaret, De virginibus præceptum Domini non habeo.* Verum æquo diutius hoc in stadio moror, atque in virginitatis in genere præconiis proferendis nimius videor, iam illam singillatim in decoro sanctæ Catharinæ Virginis, omnium & pulcherrimæ, & sanctissimæ, & maximæ admirabilis vultu emicantem conspiciamus.

Lib. 1. contra Iouinian.

Erat quidem Catharina, carissimi, secundum carnem nobilis, sed spiritu ac mente longe nobilior: nobilis inquam & illustris prosapiæ: eo quod regio descenderet sanguine, & Regis terreni esset filia; at nobilissima exstitit, quod Regis Regum cœli terræq; monarchæ esset sponta. Erat formosa & facie decora, sed quoad animam longe venustior. Erat denique naturalis Philosophiæ ac terrenæ peritissima, sed in cœlesti ac diuina Theologia versatior, quia omnibus natu æ conis, quæ in illam contulerat Deus, singulari sapientia ac modestia vti nouit.

S. Catharina Regis erat filia.

Non sic autem vitam instituunt filiæ seculi huius, sed longe secus agunt; vt plurimum enim non modo gratiis cœlestibus ac diuinis beneficiis abutuntur: sed (quod longe deterius ac magis deplorandum) hæc ipsa ad benefactorem suum exacerbandum, & vitijs indulgendum conuertunt; quam Dominus apud Oseam indignitatem ingratitudinemque deplorans sic loquitur: *Dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Proh scelestę atq; infelix homo! qui ex omnibus, quæ in te larga Deus effudit manu, idolum tibi ac numen quoddam fabricas, eiusque te cultorem constituis? hoc quippe apud Prophetam hunc expostulat Deus, hoc iustæ eius querimoniæ insinuant; quasi dicere velit: Ecce, quanta populi mei sit nequitia, & quam detestabilis ingratitudo, qui acceptis à munifica mea manu tot tantisque muneribus, tis velut armis ad me est oppugnandum vsus, & è diuitiis, quas in ipsum effudi diola conflauit, quibus mihi contumeliam iniuriamque irrogaret.

Filiæ mundanæ Dei gratiis abutuntur. *Osee. 2.*

Mūdus diuinas gratias in peccatum conuertit.

Sapientior longe exstitit Catharina nostra. Nam adeo non sanguinis ac generis nobilitate, venustate, doctrina, aliisq; dotibus, quas à Deo datore acceperat, est abusa, vt è contra, vt filia sapiens & ad virtutem ac timorem Dei efformata, omnes & singulas semper ad eiusdem obsequium, & ad dęmoni mundoque bellum inferendum impenderit. Hoc scilicet piis solenne est, hęc filiorum Dei

S. Catharina omnes gratias suas ad Dei cultum conuertit.

consuetudo hoc omnibus, qui diuinis donis & beneficiis cœlestibus grauatos & adobrutos se norunt, faciendum incumbit. Sic viuant oportet, qui turpe ingratitudinis effugere dedecus & beneficiorum agnoscentes, è contra dici volunt. Non peccauit hoc in genere vmquam illustris nostra virgo, numquam se ingratam præbuit, donisque diuinis ac cœlestibus nunquam perperam legitur vsa. Fuit ergo sanctarũ virginum ornamẽtum, virtutum schola, pulchritudinis decus, scientiarum omnigenarum miraculum, sapientium puellarum speculum, & nobilitatis honor.

S. Catharinæ laudes.

Virginitas in primitiua Ecclesia communissima inter nobiles.

Quam vero admirabile ac diuinum est, regis terreni filiam adeo castam, sanctam, doctam, prudentem, Deique obsequio tantopere deditam intueri! Hæc porro honestas, ac sanctimonia adeo in primigeniæ Ecclesiæ exordiis communes erant, etiam inter genere illustres ac magnates, vt ad Philippenses scribat Apostolus: *Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de domo Cæsaris sunt.* O beata secula, ô tempora exoptanda, quibus palatini & purpurati, & aulici Cæsaris, vitæ sanctimonia excellebant! Quales ergo fuisse oportet eos, qui cœnobiorum claustris arctabantur, qui in inculta & soliuaga agebant solitudine, ab omni humano consortio alieniſſimi, si, qui apud Reges & Cæsares agebant, qui aulam frequentabant, qui in mũdo degebant, ad tam excellentem sanctitatis gradum vitæque honestatem peruenerint.

Philip.4.

Pulchritudinem semper stipant superbia & vanitas.

Admirationem & stuporem mihi hunc iniicit sancta nostra Catharina, cum ipsam adeo doctam in regia, ita piam ac Dei timentem inter puellas aulicas, adeo humilem & minime insolentem in tanta vultus venustate contemplor. Solent quippe reginæ aut aliæ illustri sanguine prognatæ, quin etiam plebeiæ ac triuiales, accepta cœlitus pulchritudine superbire, inflari, magnum quid de se hoc nomine sentire. Fastus namque indiuulsus venustatis est comes, & naturalis hæc dos vt plurimum præsumptionem, vanitatem & nescio quam superbiam secum trahit. Peruidit idipsum olim & Poëta dicens,

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam. Ouid. in Fastis.

Verum hanc sapiens gloriationem à fidelibus amouens docet pulchritudinem nonnisi meram esse vanitatem, & solam matronam, quæ Deum timet, virtutemque colit, laudem mereri, *Vana est*, inquit, *pulchritudo; mulier autem timens Deum ipsa laudabitur.* Quantopere igitur sancta Catharina laudari meretur! Prou. vlt.

Psalmo 29. scriptum est: *Domine in voluntate tua præstitisti decoro meo virtutem.* sensus est: Tuum, Domine, beneplacitum est, & simplici tua, pura, & bona voluntate, non vero meritis meis aut alias ob rationes fieri dicam, vt, sicut pulchritudine excellebam, non minus etiam virtute præstarem. Certissimum porro est, omnem quidem animam deuoram hisce vti verbis posse, ac Deum his similibusve compellare; Catharinam vero nostram propriissime & ratione quadam singulari, eadem posse repetere credendum est. Quod vt melius intelligatis, sciendum est, Deum illustrem illam venustatem infinitis quibusdam virtutibus condecorasse, quæ & in eadem luxere, & eam in omnibus prorsus admirabilem reddiderunt. Psal. 29.

Prima in illam collata virtus, fuit mundani honoris & gloriæ contempus, etsi genere inclyta foret, & nobilitate excellens. Longe secus ac mundus hodie agere solet: nobiles enim terreni gloriam, resque temporales permagni faciunt. Atque hoc nomine etiam olim tantopere sese efferebant apud Joannem veteres illi Abramidæ, dicentes: *Semen Abrahæ sumus*, genus inclytum. Magna ergo hac in virgine & eximia fuit virtus, ipsam Costi regis filiam, aulæ honoribus, amicarum familiaritatibus, voluptatibus, diuitiis & quam sperare poterat promotioni valedixisse. S. Catharina mundi gloriam cõtemsit, etsi nobilis foret. Ioan. 8.

Magna quoque Dauidis regis simili in occasione virtus fuit, qui quo expeditius ac liberius coram arca Domini saltaret, regiis se vestibus spoliauit, ac ludibrio se, maiestate neglecta, omniumque risui exposuit. Tales sint oportet omnes, qui ad perfectionem aspirant, vt nimirum honoribus, P. Reg. 6.

pom-

pompis, & magnificentiæ terrenæ renuntient, vt eo liberius meliusque disposite coram Domino exultent, & præ gaudio in Pœnitentiæ suæ exercitijs gestiant. Non tamen ignoro, quemadmodum ea tempestate non defuit Michol, Dauidi insultans dicensque: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudaretur vnus de scurris*: Sic & hodie quamplurimos futuros, cum amicos & consanguineos, tum cosmophilos qui publice explodant eos, qui honores, opes ac gloriam mundanam pedibus proterunt. Sed sicut tum quidem Dauid viriliter respondit insultantibus: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me, & ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*: sic nos eadē animi constantia ac generositate illis mundanis obtrectatoribus resistamus oportet, illis inquam sanctorum conceptuum exprobratoribus, & bonorum operum tentatoribus. Sic inquam fidelissimos seruos Iesu Christi, & indefatigabiles virtutum sectatores nos esse necesse est.

Moralitas insignis.

Considerent ergo Reges & Principes ac nobiles, quod olim sancta atque illustris hæc Virgo, omnem mundi huius gloriam summe breuem esse, infinite fragilem, insensibiliter volatilem, ac durationis omnis expertem. Horum occasione Sanctus Augustinus libris de Ciuitate Dei, de Romanorum olim Imperij magnitudine tantopere gloriantium agens gloria, omnem hanc maiestatem ait Chrystallo perlucido, diaphanoque, sed in se & natura perfragili, haud dissimilem fuisse. Næ enim pomposa, splendida, ac magnifica hæc dominatio, exterius quidem magnum splendorem & admirabilem gloriam ostentabat; sed simul ingentem fragilitatem præferebat, vti suo post tempore patuit, cum eius finis, interitus, cineres, ac ruina apparuit.

Lib. 4. de Ciuit.

Idem ipse Augustinus ijsdem in libris obseruat, Reges omnes, qui Romano præfuere regno, nascentisque imperij gubernacula moderati sunt, nonnisi numero septem, miserabili omnes morte vno excepto Numa, exstinctos fuisse; hic enim pacifice regnum administrauit, latis legibus stabiliuit nec tam calamitosum nactus est fatum Nobiles ergo ac Reges hæc sibi proponant, & ad mundi gloriam contemnendam vilia imprimis natiuitatis suæ exordia, vitæ fragilitatem, mortis futuræ horrorem, exstincti corporis cineres, & in funere effundendas lachrymas ob oculos habeant. Sed ad relictam materiam redeo.

Lib. 3. de Ciuit.

Secunda, quam Sancta Catharina à Deo susceptit virtutem, fuit eximia quædam mentis & corporis puritas, animi & membrorum honestas: quæ duo vno in homine simul quam rarissime occurrunt. Interior vero plurimis fit quam exterior, iuxta Psalmographi sententiam, qui regis filiam dilaudans, eo illam potissimum nomine celebrat, quod introrsum pulchra ac decora esset, ac primaria eiusdem gloria in anima resideret: *Omnis gloria*, inquit, *filiæ regis ab intus*. non quod exteriorem corporis virginitatem non magni ducat; sed quod interior, quæque cor mundum reddit, longe sit excellentior.

S. Catharina corporis animique puritatem habebat.

Psal. 44.

Atque hanc ob causam sponsus in Canticis, cum sponsam in omnium dilaudasset membrorum perfectionibus, tandem exclamat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! exterius scilicet, absque eo quod intrinsecus latet*, & in anima. Declarans nempe hoc loquendi modo, sufficere sibi quidem verba ad exteriorem virginitatem deprædicandam; sed nulla ad interiorem exponendam apta satis inuenire se posse. Et proinde inferre volebat, puritatem illam interne & in anima commorantem, longe maioris pretij esse & illustriorem ea, quæ exterius apparebat, cum nulla eam verba, nulli sermones humani satis possent exprimere.

Cant. 4.

Apostolus in prima ad Corinthios duo hæc ad sanctæ Virginis ornamentum ac perfectionem membra, duplicem inquam puritatem requirit, ac primo loco ponit, interiorem tamen pluris facit: *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu*. Et sanctus Augustinus verba illa Apocalypseos 14. *Virgines enim sunt, & sequuntur*

1. Cor. 7.

De bono Viduit. in Apoc. 14.

quuntur agnum quocunque ierit, exponens ait: *Agnum sequi quocunque ierit, est ipsius virginitatem mentis & corporis imitari.* Et in Psalmum 29. sic scribit: *Quid prodest integra caro mente corrupta: melius est humile coniugium, quam superba virginitas.*

In Psal. 29.

Humilitas donata S. Catharinæ, simul cum gratiarum multitudine.

Tertia, quam præter præcedentes sanctæ huic virgini Deus contulit, virtus fuit profunda quædam humilitas, cum ingenti gratiarum multitudine coniuncta. Multi acceptis Dei donis superbire solent & insolescere, altum quid de se ipsis sentire ac vane præsumere. Testis sit primus ille Angelus, qui naturæ suæ perfectiones ac decora, vt pennas suas superbiens pauo demirando considerans, redditus insolentior eo ambitionis & arrogantiæ deuenit, vt diuinitatem affectaret, seque nonnisi meram creaturam esse obliuiscereturQuocirca hoc Timotheo suo Apostolus consilium dedit, ac pie illum monuit: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere.* Et tametsi eo loco ad litteram de temporalibus agat diuitiis, de spiritualibus tamen id non minus est intelligendum. Nam Glossa ordinaria S. Augustinum citans sic in hæc ipsa verba commentatur: *Morbus diuitiarum est superbia; quæ est vermis diuitum.* Atque idem Augustinus hoc ipsum confirmans, difficile ait esse, vt qui dives sit non superbiat. Quod & Osee Propheta confirmat: *Adimpleti sunt*, inquit, *& saturati, & eleuauerunt cor suum.* Quæ omnia ad diuitias spirituales referri deque iisdem intelligi queunt; nam hæ non minus quam temporales animum inflant, ambitionem excitant, vanitatem fouent & ad superbiam animant.

1. Tim. 6.

Glos. ord.

Hom. 13.

Osee. 13.

S. Catharina multis donata gratiis.

Huc numquam vanitatis S. Catharina peruenit, sed semper intra statutos modestiæ & humilitatis limites se continuit. Habuit quidem reuera illustria dona, omnigenisque exornata fuit gratiis, quales forte, si nonnemo alius, saltem muliebris sexus nulla à Deo vmquam est consecuta. Anno quippe ætatis duodecimo (rem raram & admirabilem!) adeo literis politioribus exculta fuit, & septem liberalium artium ita perita, vt vniuersa Alexandrina schola, aut alia Ægypti Academia parem illi minime habuerit. Nacta autem, præter hanc doctrinam, erat tam singularem eloquentiam, vt Rege præsente & inspectante quinquaginta Philosophos Christo Iesu lucrifecerit, illosque ad Euangelium pertraxerit. Præter duas hasce S. Catharidotes raras, & in sexu ac conditione penitus næ pulchriadmirabiles, erat pulchra vt quæ pulcherrima, & intuentes omnes quas natura vultui illius indiderat perfectionibus ac dotibus in stuporem & amorem rapiebat. Possidebat insuper & alias virtutes egregias, easque numero plurimas donaque eximia; non tamen propterea in animum eius vmquam vlla præsumptuosior subiit cogitatio, & cum Psalmista dicere potuit: *Non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus supra me.*

tudo.

Quod ipsa nos natura quam apertissime docet. Videmus namque arbores pomiferas ac feraces, quo fructibus magis sunt grauatæ ac poma plura progignunt, eo caput & comã dimittere profundius, & ramos humo propiores Harum exemplo animæ sanctæ, quo cœlestibus donis, perfectionibus, gratiis, virtutibus, meritis aliisque diuinis charismatibus onustiores ac repletiores sunt, eo cor solent deiicere demissius, nihilum suum perpendere attentius magisque se humiliare.

Simile.

Deiparæ matris humilitas.

Hic autem humilitatis actus incomparabilis scilicet & profundissimus, in gloriosa Deipara matre præ omnibus creaturis maxime eluxit: cum enim illam vt Dei matrem futuram Angelus salutasset, (qua nulla in mundo fingi dignitas maior aut honoratior potest) illa vilissimam omnium conditionem elegit, seque è summa humilitate ancillam dumtaxat vocauit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Atque sola hac virtute magis quam infinitis aliis quæ in anima ipsius commorabantur virtutibus Deo Opt. Max. placuit. Vnde & suo ipsa in Cantico haud diffitetur, sua Deum maxime esse humilitate delectatum dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Luc. 1.

Luc. 2.

Quod

3. in epist. epitaph. Sy.

Quod ipsum Sanctus Hieronymus adstruens quadam in epistola scribit, ob vnicam humilitatem, quam ob reliquas animæ eiusdem virtutes, carnem humanam virgineo in vtero Deum accipere maluisse. In hac illam Diua Catharina quam proxime est æmulata: si quæ vnquam enim in diuitiarum spiritualium abundantia modestiam atque demissionem præ se puella tulit, & virtutum choro cincta humilitatem sectata est, Catharina nostra sane inter primas exstitit.

1. Catharinæ fortitudo.

3. Reg. 7.

Quod vero maxime in illa admirabile est, & quod vt quartam in ipsa virtutem cœlitus acceptam laudare gestio, insignis est fortitudo, & admirabilis fragili in sexu, aut sexus fragilitate animi constantia, fortitudo inquam primo ad virginitatis florem conseruandum, ad cuius custodiam insigni quadam & generosa opus est. Quod designasse mihi videtur Salomon, cum ante augusti sui templi vestibulum duas ingentes ex ære columnas erigi iussit, quæ in summitate nonnisi lilia sustinebant, quo denotandum est, cum virginitas (cuius lilia cadētia sunt symbolum) perdifficilis sit, grauis, & onerosa, & sub qua vires humanæ facili negotio fatiscunt, æreis opus esse columnis ad eam sustinendam, magnas inquam gratias & auxilia cœlestia ad illius conseruationem, ne quod detrimentum patiatur, ne labarur, ac ne eius honor violetur requiri. Cœterum duæ columnæ, id est, duplex fortitudo, ad lilia castitatis sustinenda necessariæ sunt, gratiæ scilicet cœlestis auxilium & generosa & strenua hominis cum submissa à Deo gratia cooperatio.

Castitas seruata difficilis.

Secundo, insigne ostendit robur ad carnis impetus, rebelliones, & intestinos ac domesticos conflictus ferendos: eo quod virginitas quoddam martyrij sit genus, incruentum tamen, in quo magnis viribus, animo generoso, ac magnanimitate singulari opus est. Sic testatur Diuus Hieronymus, ad illustrem Demetriadem scribens, & ad virginitatis propugnationem generose veluti martyrium quoddam subeundum excitans: *Assume*, inquit, *scutum fidei, loricam iustitiæ, galeam salutis, pro ede ad prælium, habet & pudicitia seruata martyrium suum.*

Epist. ad Demetriadem.

Egregie hoc & ad viuum exprimitur visione illa Zachariæ Prophetæ ostensa; qua omnigenos ille conspexit equos, eosque colore inter se discrepantes, hos quid rufos, illos albos, alios diuersicolores, sequentes omnes equitem equo rufo insidentem. Cuius visionis expositiones varias vt omittam, plerique per equitem illum rufo insidentem equo Iesum Christum designari volunt, passione sua rubricantem, & in humanitate sua velut equo rufo inequitantem per pone sequentes illos equites adumbrari varia Sanctorum genera, Redemptorem Iesum supplicia patientem suis in supplicijs imitari contendentium; per equos rufos, Martyres; per albos, virgines; per diuersicolores ac varios, reliquos Sanctorum; qui hoc in vitæ cursu diuersis enituere virtutibus & omnigenis meritorum ac perfectionum charismatibus in suo quisque genere claruerunt.

Zach. 1.

Figura insignis.

Tertio, nobilis hæc virgo generosos animos & heroicos, simul & extraordinarium quoddam robur in corporis castigatione, & carnis domesticæ illius hostis emaceratione patefecit; idque Apostoli Pauli exemplo, qui cum vere esset virgo, in carnem & membra numquam non quam rigidissime sæuiebat, illius vt infrenes motus comprimeret, & insolentes impetus insultationesque retunderet. Vnde hoc ipse de se testimonium tulit: *Castigo corpus meum*, & illi dominari satagens *in seruitutem redigo*. Huius rei figuram fuisse credo, quod vela & cortinæ in Exodo tabernaculum Mosaicum obuelantia diuersorum fuerint colorum, ex hyacintho scilicet, purpura, coccobis tincto, & bysso retorta, ad denotandum nimirum, virginitatem, quæ cœleste Ecclesiæ est ornamentum, & hyacinthinum quoddam velamen, semper byssum retortam præsentem sibi habere debere, castigationem inquam & maceration em membrorum, qua mentis appetitus & inclinationes, natura sua ad voluptatem vergentes, & eodem hominem inuitantes, aliquatenus retorquentur, & ad cœlestes delicias

1. Cor. 9.

Exod. 26.

licias potius ac voluptates diuinas desiderandas conuertuntur.

Dicebat in Canticis amans illa sponsa: *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima* quibus illa verbis significabat, non illustria modo opera sua, quorum manus imago sunt; sed & minimas actiunculas, quas digiti adumbrant, perfectissimam quamdam in omnibus mortificationem (cuius myrrha symbolum) spirare. In his porro omnibus palmam tulit Catharina nostra, omnes namque actiones eius, exercitia, & occupationes tam magnæ quam paruæ illustres æque atque obscuræ, tam iucundum spirabant odorem, tamque suauiter redolebant, vt eas si quis consideraret, propius & quodammodo olfaceret, non nisi insignem sui contemptum, annihilationem, mortificationem, & profundissimam humilitatem cerneret, ac persentisceret. In quo generosam declarauit animi constantiam, atque ob eandem pro eo ac sexus ferebat, maiorem meruit admirationem.

(*Cant 5.*

S. Catharinæ mortificatio.

Nullam vero admirationem includit, nec nouum est vel insolitum, virum aliquem generosum, fortem ac magnanimum videre, cum natura & conditio sexus eo inclinent, sed contra naturam esse iudices, ac veluti prodigij speciem, puellam aliquam magnanimam esse, primam illam in certamine apparere, generosos animos præferre, virtutis testimonia dare, & crudelissimis tyrannis ac militibus maxime sanguinolentis insigni quadam constantia intrepide insultare, puellã inquam, cui natura simul & sexus audaciam ac fortitudinem denegarunt, nam sexus hic fragilis est quam maxime, & omni in re, & periculo etiam minimo pusillanimis, nihil magni aut ardui moliri ausus. Quod denotare haud dubie Iob Propheta voluit, dum hominum arrogantiam depressurus, & originalem naturalemque illis fragilitatem ostensurus, ipsorum ex vtero muliebri exitum, velut primam imbecillitatis notam; pro reliquis ob oculos posuit dicens: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, &c.*

S. Catharinæ magnanimitas.

Iob. 14.

Nihilominus sancta Catharina robore quodam eminenti excelluit, ipsumque tum reipsa patefecit, cum Alexandriæ in medio idolis immolantium cœtus inuolans, ipsos acerrime coarguit, de Dei sui honore nimiũ quanta sollicita, atque illius cultum ardentissime zelata; quibus illud Prophetæ repetijt: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* Nec vero Maxentium Regem idololatrarum principem reuerita est, quin ipsum ante alios aggressa, hac illum audacter oratione compellauit: *Omnes Dii Gentium dæmonia. Dominus autem cœlos fecit.*

Psal. 96.

Psal. 95.

Cum Philosophis vero disceptans, eorumque rationes & argumenta dissoluens, ingenij quadam viuacitate & profunditate, quin etiam doctrina singulari & rara quadam eloquentia, ad oculum illis ostendebat fieri minime posse, vt idola ac simulacra, hominum concinnata manibus, & conflata industria, vera sint numina; cum Deus optimus maximus, rerum omnium prima & vniuersalis sit causa; ac proinde plane impossibile esse, vt is ipse ab alio quoquam progignatur, formetur, ac producatur, exordium aliquod habiturus. Et tametsi in SS. Trinitate Filius à Patre procedat ac descendat, non id tamen per modum effectus fieri, & quasi ab illo causaretur, sed velut gigneretur: sic etiam Spiritum sanctum à Patre simul & Filio, veluti spiratum, procedere. Atque inde sequi, Patri filium æternitate parem esse, & ambobus Spiritum sanctum, quod insigni quadam ratione illos edocebat.

Rationes quibus S. Catharina idolorum falsitatem ostendit.

Deinde oculum illos, & cogitationes altius attollere iubens, à rebus naturalibus & quæ quotidie ad oculum & vsu ipso cernimus, argumenta depromebat. Solem enim, lunam, & astra dici simul & noctis faculas & illustria connexorum illorum hyanthinorum ornamenta ostendens, atque inde ad elementa descendens, & omnia totius vniuersi membra seriatim deducens, euidenter hinc argumento elicito, nonnisi vnum esse Deum, primam horum omnium auctorem ac motorem, credendum stabiliendumque in orbe asserebat. Neque enim ab homine posse

Veritas vnius Dei asseritur.

ne posse illa produci, etiam maximo, scientissimo ac potentissimo; tum ob immensam ab hac terræ superficie, in qua degimus, distantiam, quo enim modo quis artifex mortalis tam altum ascendat, & in firmamentum penetret ad stellas eidem eo quo sunt ordine ac magnitudine inserendas? tum vero ob perfectionem operis & elegantiam, qui enim quis fieri credat, vt homo (qui nonnisi ægre & cum labore candelulam ad horæ vix quadrantem arsuram accendere potest) solem, facem illam orbis semper ardentem, & hactenus à tot annorum millibus ab orbe condito, inconsumpto lumine & flamma collucentem, condiderit, adinuenerit, cœloque suo inserserit? tum denique ob continuam ipsorum stabilitatem, cõstantiam, durationem, & inconsumptibilem in esse suo perseuerantiam? quomodo enim homo mortalis, qui ex se adeo fragilis, fugax & vmbræ instar euanescens, nonnisi triduo (vt prouerbialiter loquar) victitans, & qui nonnisi rarissime ac summa cum molestia ad sæculum vnum vitam extendere potest; qui denique inconstans est ac durare nequit; tantum dederit temporis ac durationis omnibus in rerum natura, jam à quinis annorum millibus, rebus existentibus, vti in totius vniuersi serie atque ordine colligere est?

Effectus sẽ. per causa posterior.

Tertio, Philosophicum etiam telum in eos detorsit, hoc librans argumentum: Fieri omnino nequit effectum aliquem causa sua esse priorem, ipsamque præcedere: in scholis quippe vestris velut certissimum traditis (vti & reuera verissimũ est) causam effectu priorem esse, effectum vero causa posteriorem. Pro explorato autẽ est, quæ vos adoratis numina, cum tempore cœpisse, in tempore etiam vixisse, vna cum tempore elapso euanuisse, vtpote qui non secus ac vos mortales fuerunt; cœlum vero, & quidquid illorum ambitu & conuexo comprehenditur, jam inde à mundi incunabulis productum est: fieri ergo nequit hoc ipsum ab homine aut vlla quapiã creatura conditum esse; causa alioquin effectu foret posterior, & effectus causa prior, nobilior, veterior, eamq; antecedens.

Quarto, denique hoc argumentum *adhominem* efformauit, ipsosque Philosophos hoc falsitas de ipso petijt, dicens: Numina vestra, cum numero sint plurima & quantitate distincta, vt Iupiter, Mars, Mercurius, Iuno, Venus, &c. distinctas etiam & plures habent voluntates, ac proinde inter se dissentaneas, discrepantes, nec vniformes: hinc quod vni placet, alij displicet. quæ cum ita sint, quodammodo sub differentium inter sese & variorum in voluntate capitum directione ac regimine mundi subsistet machina? quomodo cœli æquali motu ferentur, & Planetarum cursus æquabiles erunt, atq; orbes omnes ad numerum certoque ordine ac mensura dirigentur? Hoc vt fiat, absurdum est, ficta hæc sunt numina, inanis diuinitas, quin potius blasphemiæ horrendæ intolerabiles. Idolorum falsitas declaratur.

Quapropter, ô viri magni, & docti Philosophiæ cultores ac mystæ, qui his in erroribus jacetis, qui falsitatem hanc acriter propugnatis, qui huiusmodi in ignorantiæ caligine versamini, qui veritatis in scopum nondum collineastis; jam tandem, obsecro, velũ ab oculis tollite, corda oculosque recludite, & videte nonnisi vnum esse Deum, rerum omnium conditorem, cui soli omnis honos, & gloria debetur, vnum inquam essentia & natura sed personis trinum. Hi ergo Philosophi, totius Ægypti flos & decus, & velut regni oracula, cum veritatis violentiæ resistere amplius non possent, & ad respondendum virgineis hisce argumentis verba non supperetet; genu flexo, & Virgini honorem exhibentes, Iesum Christum adorarunt, eiusq; Euangelio colla submiserunt. Rex igitur ira cõcitus, & horum Philosophorum conuersione, simul & illata idolis omnibus contumelia irritatus, sanctam hanc viraginem in carcerem abripi iubet, acerbissimisq; eam supplicijs & morti tandem addicit, quæ illi sententia immarcessibilem gloriosissimi martyrij coronam comparauit. S. Catharinæ ad Philosophos Apostrophe.

Occurrentem rei huius occasione, quoad martyrium, quæstionem hic soluam necesse est. Difficultas igitur est, cur, cum ex legum præscripto, & legislatorum decretis, à testimonio dicuntur pueri & fœminæ arceantur, V.

nec vulgo ad testandum admittantur, ac pręsertim in rebus ad maritum & patrem spectātibus: cur inquam magnus ille Deus puellas teneras, sexus adeo fragilis & inconstantis, de fide testimoniū ferre ac dare permiserit: martyr enim Græce tantum valet ac testis. Quomodo enim deceat virgines juuenculas, aduersus tyrannos atrocissimos, de re adeo admirabili, Christiana inquam fide, testimoniū dicere? ecquæ illa justitiæ ac juris forma foret? Egregia quidem hæc est quæstio, sed solutio eiusdem non minus elegans.

Cur teneras virgines de fide testari sinat Deus.

Dico igitur ob triplicem id rationem fieri, quarum singulæ consideratione dignæ sunt. Prima, vt suam hoc pacto Deus declararet potentiam: vt enim ad Corinthios loquitur Apostolus: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Exemplo sint Apostoli, obscuri, ignoti, plebeij, viles piscatores, & è Iudæorum fece prognati: horum tamen est opera DEVS vsus ad potentissimos maximosq; orbis Reges & Imperatores subjugandos, mundumq; vniuersum sub diuinorum mandatorum jugum redigendum. Atq;, vt loquitur Origenes, *Vult Dominus*, qui prout vult, creaturas suas armatas producit, *de locustis vincere gigantes.*

1. Cor. 1.

Origenes.

Non narro fabulas, aut commenta poetica. An non enim in Exodo legimus, Deum vt Pharaonem debellaret pręfractum, & vniuersum Ægypti regnum dicto suo audiens redderet, ranas & muscas armasse velut justitiæ suæ administras. Vt vero vrbem Iericho, quæ vniuersum Israelitarum agmen contemnebat, ad terram deijceret & euerteret, solum tubarum & buccinarum sonitū adhibere statuit, quo audito ilico solo tenus mœnia ac propugnacula euersa sunt, tametsi Mauortia hæc instrumenta nonnisi belli sint signa, & ad pugnam acuendam idonea. Videmus denique eundem, ad Goliadę superbiam retundendam, qui vniuersæ domui Saul, & tribubus Israeliticis simul omnibus nescio qua frōte insultabat, obscurum quendam ouium pastorem in aciem produxisse, qui funda ac lapidibus carneam illam molem solo dejecit.

Exod. 8.

Ios. 6.

1. Reg. 17.

Secunda, vt, quemadmodum testatur Apostolus, *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*: id est, vt omnium ora ac lingua tam puerorum, adolescentum, virorum, quam senum Deus optimus maximus glorificetur ac celebretur; juxta illud Dauidis vaticinium, *Iuuenes & virgines senes cum iunioribus laudent nomen Domini.* Hinc eum Apostoli in senectute sunt confessi, Innocentes martyres in pueritia & infantia, S. Laurentius ac Stephanus in juuentute, S. Sebastianus, Cosmas & Damianus alijque permulti in virili ætate. Quapropter, vt ex omni ætate testimonium haberet, a fragili etiam sexu glorificari, & in ætate annisque adolescentibus à virgunculis, sicut à sancta Catharina nostra duodeuicesimum agente annum nominis sui confessionem fieri voluit.

Phil. 2.

Psal. 148.

Tertia, vt hac ratione magni illius Dei sapientiæ mirabilia, & quam illi creaturæ omnes debent obedientiam obstupesceremus. quę sane semper tanta tamq; prompta fuit, vt quoties de Dei creatoris honore & gloria ageretur, vniuersum semper, etiam minimas creaturas, ad eandem vindicandam armarit, juxta illam Sapientis sententiam, *Armabitur contra insensatos orbis vniuersus*: id est, omnes omnino creaturæ, quæ orbe toto continentur, prodibunt in aciē, ac quodammodo, ad honorē Omnipotentis Dei propugnandū, & quas illi insensati peccatores delictis suis inferent injurias vlciscendas armabuntur. Sic Passionis Dominicæ tempore, die inquam illa ferali ac funesta, qua Dei filius mortem pro peccatoribus oppetijt, cum hanc impietatē, & in supremum rerum creatorem hominum scelus vniuersitas rerum ferre non posset; ecce omnes omnino creaturæ illius partes tuēdas suscipiunt: terra namq; tremit, sol tetro velamine radios abscondit, monumenta aperiuntur, vniuersa terrę superficies obscura inuoluitur caligine, ipsæ etiam petrę indignantes quodammodo & concitatæ diffringuntur mediæ.

Omnes creaturæ creatoris sui honorē tuentur.

Sap. 3.

Simili quoq; in re, cum Scribæ & Pharisæi, malitia cæci, atq; inuidia pleni, quadam aduersus Messiam horrendas blasphemias die contorquerent, & in virtute Beelzebub diabolos

Zelus mulieris cuiusdam pro honore Saluatoris.

bolos illum pellere calumniarentur ; mulier quædam è turba hæc audiens, & honorem filij Dei nimiopere violari videns illius causam defendendam suscipiens, & innocentiam oppugnatam propugnans, alta per turbas voce exclamat, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

Luc. 11. Sic etiam, honorem suum nimium quantum ab impijs idololatris contaminari ac violari cernens Deus, octodecim annorum suscitauit puellam, nostram inquam Catharinam, quæ eius partes ageret, & magni Dei gloriã, simul & Euangelij fidem, morte sua testaretur ac defenderet. Puellæ igitur huius operam adhibere hic voluit, atque inde laudem nominisuo conciscere; vt quod olim cecinerat rex ille, verum esse comprobaret, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam, vt destruas inimicum & vltorem.* Sensus est, Quanta tua est sapientia, Domine! perfectam ex ore paruulorum & vbera etiamnum sugẽtium laudem tibi asseruisti, vt hoc pacto aduersarium, ac nonnisi de vltione cogitantem prosterneres, prostratumq; penitus destrueres. Vt alios consulto taceam, proculdubio è tenera ætate, scientia, corde & ore pulchræ ac iuuenculæ puellæ, Catharinæ scilicet, illustrem Deus gloriam, & infinitas laudes sibi comparauit.

Psal. 8.

Si pluribus sanctæ huius Virginis laudes & perfectiones singulares prosequi velim, finẽ non haberet oratio ; hoc vnum duntaxat addam: si Holofernes copiarum Assyriarũ princeps, oculis & pulchritudine Iudithæ conspecta, eiusque audito sermone inescatus ac captus fuit, vt milites ac duces præ stupore extra se rapti ad inuicem dicerent, *Non est mulier talis super terram:* etiam verisimile sit, Maxentium tyrannum, eximia virginis huius venustate conspecta, & eloquentię illius audita vbertate & suauedicentia, animo simul & oculis captum fuisse, & omnes eius purpuratos ac Philosophos regni merito dicere, veluti extra se raptos, potuisse, similẽ huic virgini nullam in orbe aut conspectam, aut vsquam auditam esse, *Non est filia talis super terram.*

Iudith. 11.

In hoc ergo finem faciamus, auditores, hic cursum inhibeamus, & ore tacentes, corauimumq; in sanctas ac sublimes meditationes libremus. Cogitate scil. diuinum illius ingenium generosum eius animum, admirabilem constantiam, zelum incomparabilem, aliasq; illustres sanctę huius virginis virtutes ad animum aduocate, Christiani ; proponite inquam eiusdem sanctitatem, illius in pompa sæculi humilitatem, in honoribus mundanis modestiam, & tantum opum contemptum atq; abiectionem ; perpendite illius pro honore diuino zelum, erga proximi salutẽ charitatem, ad idola subuertenda constantiam, denique inuictam in sexu fragili & imbecilli fortitudinem. Meditationes propositio circa vitam S. Catharinæ.

Vos autem studiosi, Magistri artium, Philosophi, Doctores, omnesq; adeo docti & facultatum periti genibus in terram prostratis, aperto capite, & ore deprædicabundo patronam vestram honoribus afficite, caput eius laurea redimite, in cathedris & in scholis, tam domi quam foris, in vrbe & rure, mentis illius viuacitatem, judicij maturitatem, memoriæ præstantiam, animi generositatem, & voluntatis affectum extollite: quin & oratione tum vincta, tum soluta, in Vniuersitatibus vestris, & omnibus Collegiorum vestrorum angulis artium eius humanorum puritatem, scientiæ profunditatem, studiorum laborem, ac doctrinæ illius fructum decantate. Pro studiosis.

At vos puellæ ac virgines, filiæfamilias, tam nobiles quam plebeiæ, tam genere illustres, quam loco obscuræ, cuiuscumque demum conditionis ac status sitis, nolite transire, quin admiremini, & admirãdo æmulemini, & æmulando emolumentũ vobis aliquod è vita moribusq; prudentis ac cordatæ huius virginis cõparetis. Considerate scilicet, quod ipsa cum filia esset Regis, & omnigenis honoribus accumulata, tempus litteris addiscendis traduxerit ætatem iuuenilem ac puellarem artium simul & virtutum studio dedicarit, vt hac ratione aliquod Deo gratum ac beneplacens redderet obsequium. Perpendite, obsecro, illius in tanta venustate castitatẽ, in tanta generis claritudine humilitatem, singularem deniq; in tantis illicijs vanitatibusque modestiam. Dispicite eiusdem in aulicis conuersationib. sapientiam, in familiaribus col- Pro puellis.

loquijs prudentiam, actionum omni in loco integritatem, vitę omnibus in ſtatibus honeſtatem, animi in diſputationibus pro veritatis defenſione generoſitatem, deniq; inſignem in tolerando anno ætatis 18. martyrio patientiam.

Tu autem beatiſſima virgo Catharina, ſanctarum puellarum decus, martyrum gloria, prudentium Virginum miraculum, puritatis imago, honeſtatis ſymbolum, virtutis exemplum, ſcientiarum throne, magnanimorum ſpeculum, ſapientium ſtupor, Philoſophorum magiſtra, ſtudioſorum norma, Alexandriæ ornamentum, vniuerſi decus, & Eccleſiæ ſpectaculum. Tu Regis filia in terra, Regis Regum in cœlo ſponſa, puella genere & ſanguine nobilis, ſed virtute & bonis operibus nobilior: tu ô fidelis fidei noſtræ teſtis, religionis propugnatrix, Euangelij tutela, idolorum aduerſaria, memento noſtri, Vniuerſitatibus eſto propitia, tuos in collegia omnia influxus immitte, ſcientiæ & artes vt effloreſcant præſta, ſtudioſos tui ſtudioſos honoribus auge, qui te velut vnicam caramque patronam reuerentur, & infinitas tibi quotidie benedictiones ac laudes offerunt, omnes pro viribus, ſuis in ſtudijs, ac ſumma contentione tuam diligentiam ſtudentes imitari, & in vitæ ratione tuas acquirere virtutes, atque inde pertingere, vbi tu modo regnas in gloria, ad quam nos Pater, Filius, ac glorioſus Spiritus S. perducere dignetur.

Amen.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Partitio.

1. *De vocatione Diuina eiuſq; in peccatore operatione.*
2. *De eius duplici diuiſione.*
3. *De S. Andreæ ſi gulari prærogatiua.*
4. *De eius ab aquis vocatione.*
5. *De crucifi ione, & conſtantia in pœnis ſubeundis.*

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, &c. Matth. 4.

FIGVRA.

QVemadmodum olim in veteri lege, vti Exodi initio legere eſt, Deus ter maximꝰ ex Ægypti aquis paruulũ Moyſen à matre expoſitum eduxit, vt eum deinde ſuum apud Reges legatum, in tribus Iſraeliticas vicatiũ, decretorum ſuorum legislatorem, & vniuerſæ Synagogæ principem conſtitueret: ſic hodie in optabili legis gratię tempore omnipotens eiuſdem Dei filius, ſed in hoc mundo incarnatus, ab aquis maris Tiberiadis, non minori miraculo piſcatorem humilem, Andreã nomine educit, eum vt deinde ad ſummum honorem euehat, verbi ſui prædicatorem, myſteriorum ſuorum interpretem, Euangelij doctorem, paſſionis teſtem, deniq; de Eccleſiæ Principib. vnum conſtituit. Hæc porro vocatio admirabilis eſt, cuius vt mirabilia ſingula commemorem, oculos ad cœlos Deumq; conuertamus, vt inde ſubſidium deuocemus, ſimul ac Deiparam matrem obteſtemur, ſuas vt ne deneget ſuppetias; hanc ob rem cum Angelo eam omnes ſalutemus, dicentes,

AVE MARIA.

Certiſſimum, atq; exploratiſſimum eſt, & experientia quotidiana notiſſimum, Dei erga genus humanum amorem in omnibus ſemper. Amorẽ Dei erga homines celebrat.

Vniuersus orbis.

per rebus mirifice eluxisse, quin & sensibili quadam ratione creaturis etiam sensus expertibus cognoscendum se & perspiciendum infinitis in rebus præbuisse. Si vniuersus terrarum orbis hac super re interrogaretur, & suum dicere testimonium compelleretur, vt quod vere sentiret, aperte fateretur; nulla in orbe creatura, qualis qualis ea demũ fuerit, modo vel esse habeat, futura est, quin libere confessura, & pro creatore testatura sit, illius in homines affectum & extremum ac summum esse: & nulla non admirando & singulari quodam cum stupore exclamatura sit,

Psalm. 8. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum*, tot in eum effusis benedictionibus & gratiarum affluentia? cur tanti eum facis? tanto eum affectu prosequeris?

Vocatio Dei magni amoris indicium.

Fatendum nihilominus ad agnoscendum, in vna vocatione diuina amorem hunc potissimum elucere, Deumq; homines ad se vocando, atque mundi turbis & occupationibus seuocando, quo suo eos dedicet cultui & obsequio, incredibilem in hoc dilectionem & amorem patefacere, cui similis nullus vnquã exstitit. Hunc per Prophetas suos Deus ipse sæpenumero repræsentat, quin etiam

Hierem. 7. 11. 25. 29. 35. queribundus & expostulans, *Locutus sum* inquit, *ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis me*.

Exaggerans hoc ipsum Apostolorum maximus Petrus, sic loquitur, *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu* quasi diceret, Magnus ille animarum nostrarum creator Deus & infinitam bonitatem suam, & ineffabilẽ amorem tum manifeste, & eminẽti quadam ratione nobis patefecit, quãdo filij sui Iesu Christi incarnatione & in mundum hunc descensu nos vocauit, vt regni cœlestis hæreditatem adiremus, & gloriam æternam capesseremus. Eo vero amor est maior & eminẽtior, quod eos vocet, qui vocari prorsus indigni sunt. Testatur hoc ipse met de se in Euangelio dicens,

Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Exemplũ vero sententiæ huius sit, quod publicanum à telonio, latronem à cruce, Paulum denique à credentium persecutione & minis ad sui sequelam euocauerit.

Hunc Dei in hominum vocatione amorem egregie & ad oculum repræsentat præclara illa & singularis parabola Matthæi 20. *Matth. 20.* in qua cordatus quidam ac prouidus patersamilias summo mane strato se corripiens exijt conducturus operarios, eosq; in vineam suam missurus; & diuersis quidem horis exijt, tertia, sexta, nona & vndecima. Parabolæ huius sensus indicat, qua Deus erga Ecclesiam suam sollicitudine afficiatur, & quo electos & prædestinatos, velut sedulus quidam pater, amore prosequatur, magna eos cura & anxietate ad obsequium suum euocans & conducens, hos scilicet summo mane, & iam inde à mundi exordio, vti Patriarchas; illos hora tertia, sicut Prophetas; alios hora sexta ac nona, vti Legisperitos ac Sacerdotes Mosaicos; alios denique circa vesperam & hora vndecima, Apostolos inquam, & hæc patrisfamilias cura extremum creatoris erga creaturas suas affectum dilectionemq; manifestat.

Parabola de vocatione diuina.

Quin & alio sub ænigmate idem Dei amor & solicitudo in Euangelio repræsentatur. Matth. namq; cap. 22. dicitur homo Rex nuptias filio suo instituisse, & emisisse seruos vt vocarent inuitatos ad nuptias: viso ergo neminem inuitatorum ac denuo per seruos vocatorum venire velle, seruis ait; *Ite ergo in exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.* Eminentem profecto & inaudi-

Matth. 22.

Insignis homini exhibetur honorem (qualis est ad epulum regale vocatori) homines viatores, nihil minus quam de nuptijs cogitantes, claudos adhæc, cœcos, & pauperes, penitus hac re indignos, & qui numquam vel spe huiusmodi sibi beatitudinem vel somniando promiserant. Potens ille Regum Rex longe maiorem patefecit amorem, quando homines, qui nonnisi peregrini & viatores hoc in mundo sunt, ad se vocat, & omnigenis sceleribus infames ad regias beatitudinis cœlestis nuptias inuitat.

Duo hac in parabola diligentius notanda occurrunt: Primum, vocatos omnes & inuitatos adesse noluisse; vt hinc euidenter constet, non omnes per baptismum, fidem, di-

uinas inspirationes, vota monastica ad salutem vocatos, salutis compotes fore: iuxta illam Redemptoris hic sententiam, *Multi sunt vocati, pauci vero electi* Matth.22. Alterum, neminem ad nuptias intromissum, qui non ante fuerit inuitatus; vt nostram hinc discamus à diuina vocatione salutem dependere, *Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* Rom.9. Salus quippe nostra non tam à nostra voluntate, quam à Dei ad eamdem nos vocantis misericordia dependet. Hanc autem propositionem ac doctrinam Redemptor ipse in Euangelio confirmat dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* Ioan.6. i.e. salutem nemo audire posset, nisi Pater æternus suum auxilium adderet, cooperaretur, ac misericordiam præstaret.

Vocatio diuina prim' prædestinationis effectus.

Cæterum sicut hæc diuina vocatio infiniti cuiusdam amoris est testimonium, ita & primus effectus, & æternæ exordium prædestinationis. Testatur hoc ad Romanos scribens Apostolus, *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Rom.8. In quæ verba Angelicus Doctor Thomas sit commentatur, *Primum, in quo incipit impleri diuina prædestinatio, est vocatio hominis; hic est primus effectus diuinæ prædestinationis, qui ex Dei gratia, & misericordia procedit.* D. Thom. in ep. ad Rom.

Docet hoc ipsum idem Apostolus cap. mox sequenti, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est* Rom.9. id est, non propter bona opera, sed ex puro beneplacito & sola voluntate vocantis. Hac de re pluribus & quidem eleganter agit magnus * Augustinus, ac præsertim quæst. 2. ad Simplicianum. Atque vt prædestinatio altum habet exordium, longeq; petitum, nempe ab æterno & ante omnia sæcula, sic & vocatio; vt hinc constet eam præcedere ac priorem esse hominum meritis. Sic enim de ea loquuntur Prophetæ, ac præsertim Isaias, apud quem legere est, *Audite insulæ, & attendite populi de longe, Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Isai 49. Sunt hæc Redemptoris Iesu verba, & sub insularum illarum longinquarum nomine Ecclesias ex omnibus terræ nationib. etiam remotissimis collectas alloquitur. Longe sane petita & antiqua illa est vocatio quæ iam inde à matrice & vtero sit materno; inolit' ille

* Tom. 4. li. 83 quæst. 2.

Deus suos vocat iam inde à matris vtero.

est amor, & affectus inueteratus, qui iam tum, antequam essemus, esse cœpit. Vnde & per eundem Prophetam alio loco simili in re loquitur Deus, *Et tu Israel serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendite, & ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te.* Isaiæ 41. Per illas autem distantias, extremitates, interualla, elongationes, mundi exordia intelligenda sunt, vitæ initia, sæculorum æternitates.

Huc item facit, quod eodem capite legimus. Deus namque apud populos & nationes externas de potentia sua ac misericordia disceptans, has proponit quæstiones, *Quis suscitauit ab Oriente iustum? & vocauit eum, vt sequeretur se? Quis hæc operatus est & fecit, vocat generationes ab exordio? Ego Dominus, & nouissimus*, qui feci hæc omnia. Suscitare iustum ab Oriente Sole, aut à patre mundi Orientali, est eum ab æterno prædestinare; & vocare generationes ab exordio, est eas iam inde ab orbis principio & primis vitæ incunabulis ad salutem dirigere. Sic se vocatum gloriatur Apostolus, dum ad Galatas sic scribit, *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam* Galat.1.

Ibidem. Vocatio mundo ex Oriente oriturr.

Hinc fit in scripturis hominum vocationem sæpenumero pro electione ac prædestinatione sumi, & duos illos diuinæ voluntatis actus, etsi in se differentes, & quoad intelligentiam nostram vno altero posteriores, confundi, vnum eundemq; putari, deniq; pro vno capite adeo vt vocari, eligi, aut prædestinari multis in Scripturæ locis idem omnino sint. Apud Sophoniam imprimis, qui ait: *Sanctificauit vocatos suos*, i.e. quos prædestinauerat. & in Apocal. *Quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum; & qui cum illo sunt, vocati & electi & fideles.* Sophon.1. Apoc.17. Vocatio & electio sæpe in Scriptura pro vna eademque re sumuntur.

II. Vocatio diuina duplex.

Notandum præterea duplicem à parte Dei vocationem esse; vnam efficacem, alteram sufficientem: prima semper scopum ferit, & suum sortitur effectum; nō autem altera, sed media habet ad eum consequendū sufficientia. Vtraq; in Lothi & generorum eius vocatione cōprehensa est. Nam, vt Geneseos prodit historia, Angeli generos iusti huius vere vocarunt, inuitaruntque, vt se subducerent, Gen.19.

atque

atq; vrbe egrederentur; at Lothum socerum manu arrepta egredi cõpulerunt, & in mõtes deduxerũt. Vocatio inuitatioque generis facta ad salutem consequendam potens & sufficiens, gratiam sufficientem; sed coactio, violentiaque Lotho quodammodo inuito facta, vsque in tutum collocaret, efficacem repræsentabat. Matth. 23.

Idem omnino in parabola inuitatorum ad nuptias regales, quarum memimit Euangelium, legimus contigisse; ad quas alij duntaxat sunt inuitati, alij etiam compulsi & coacti intrare. Posteriores imago sunt eorũ, qui per gratias efficaces vocati sunt, & certissime salutis compotes fiunt; priores vero eorum, qui sufficientes solum consequuntur, & non semper post vocationem ad finem ad quam à Deo vocantur veniunt, quia venire detrectant.

Vocationis interioris definitio.

Sunt insuper duæ aliæ vocationes; vna interior, & intus in anima agens, recta cor instigationibus, motibus, & internis occultisque inuitationibus feriens; quæ teste Diuo Thoma, aliud non est, quam quidam animi instinctus aut motus, per quem à Deo mouetur & inducitur ad assentiendum ijs, quæ ad fidem aut virtutem spectant. Nititur hæc illis Isaiæ verbis, quæ iam supra attulimus, *Quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum, vt sequeretur se?* Atque huiusmodi vocatio plane est necessaria: nunquam enim ad Deum animus conuerteretur, nisi illum ipse ad se conuerteret, & attraheret. Hinc in Threnis Ieremiam legimus orãtem, *Conuerte nos Domine ad te*, cor animumque nostrum pulsando, *& conuertemur* tibi auscultantes. Atque hæc vocatio prædestinatis est efficax, & semper ad vocati salutem tendit. Isai. 41. Thren 5.

Definitio vocationis exterioris.

Alia exterior est, ac forinsecus prouenies, & ore Prophetarum, prædicatione Apostolorum, scriptis Doctorum, & Sanctorum librorum lectione peragitur. In figuram huius rei legitur Sapientiam *misisse ancillas suas, vt vocarent ad arcem.* atque hoc modo omnes omnino mortales vocati sunt, & vniuersi vtriusque poli incolæ audito prædicationis Apostolicæ sono, Euangelioque terra marique promulgato, & per quatuor mundi angulos denuntiato, iuxta illud Psalmographi vaticinium, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Prou. 9. Psalm. 18.

Apostoli exterius vocati sunt.

Ceterum vocationis Apostolorum dignitas & excellentia in eo consistit, quod exteriori vocatione ab ipsomet Dei filio, qui admirabili quadam ratione hominum corda commouebat, vocati sint. Sic hodie Andream Apostolum vna cum Petro fratre in littore obambulans vocauit, atque hoc Euangelio præsenti continetur, in quo legimus, *Ambulans Iesus iuxta mare, vidit duos fratres, &c. Et dixit eis, Venite post me* Vt ergo ordine quodam ac methodise tam illustrem materiam deducam, pro consuetudine bipartito distribuam, primo namq; S. Andreæ vitam, mores ac virtutes, deinde mortem, passionẽ ac reliquam martyrij eius seriem commemorabo.

III.

S. Andreas primus Christianus.

Principio ergo, vt amplum hunc & spatiosum Apostoli huius præconiorum campum ingrediar, dico referente Petro Damiani sermone quem de S. Andrea composuit, in magnum eximiumque sancti huius viri honorem, nomen & gloriam cedere, quod primus fuerit Christianus, primus Iesu Christi discipulus, primus etiam, qui Euangelij igni se subiecit, suo Petrum fratrem exemplo eodem inuitans, qui reliquorum deinde Apostolorum factus est Princeps, atque vniuersalis Ecclesiæ caput, idque forsitan ob tam generosum S. Andreæ actum, ac in recognitionem pietatis, fidei, zeli ac promptæ ipsius in Christo sequendo, & rebus omnibus per paupertatem voluntariam repudiandis obedientiæ Egregia historia rem facit manifestiorem.

Lyranus doctus ille sacrarum litterarum interpres, hanc in illa Geneseos verba, *Non auferetur sceptrum de Iuda, ac dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*; quæstionem mouet, & è curiositate quadam percontatur, cur corona Israel in tribum Iudæ potissimum translata sit, & quamobrem regnum hoc nobilissimum, velut hæreditariũ ac successione quadam continuans, in hanc potius familiam quam alias deriuatum. Auctor incognitus & Titelmannus in hæc Psalmistæ Gen. 49. Psalm. 113.

Traditio Hebraica.

mistæ verba, *Facta est Iudæa sanctificatio eius*, respondent, quod tribus huius duces in maris rubri vado pertranseundo cæteris generosiores, dum Ægypto egressis & in libertatem abeuntibus mare non sine singulari miraculo factũ est peruium, primi reliquum agmen audacter antecesserint. Hebræorum namque traditio est, Mose virga æquor percutiente, & ipso in duodecim diuisiones quodammodo abeunte, Ægyptijs à tergo prementibus, montibus dextrorsum & sinistrorsum imminentibus, profundis antrorsum fluctibus minitantibus, omni populo contremiscente, palpitante, & præ formidine tantũ non emoriente, adeo vt nemo iter sternere aut vadum iam vento arefactum tentare auderet; tandem ceteris audentiorem ac generosiorem Aminadab, tribus Iudæ Principem, sumpto animo, horrorem contribulium suorum spectando, & in Deum cœli spe iecta, arrepto quantocius tribus suæ vexillo, primum in arenas marinas ingressum, eoque præeunte, reliquos contribules mox secutos, illorum deinde exemplo reliquas tribus, turmas, ac familias mari se commisisse. Deum autẽ ob tam generosum facinus, tribui huic benedixisse, ac voluisse, vt continua successione de patre in filium corona regni penes solos è Iuda natos maneret, hique soli regni titulo ac iure supremam in reliquas omnes tribus auctoritatem ac potestatem obtinerent.

Cum omnes historiæ huius partes, & circumstantias perpendo, ipse mecum statuo, quin & vos, si modo animũ aduertatis, haud diffitebimini, in Andrea nostro hæc omnia quam exactissime velut in re figurata contigisse. Ipse namque, cum primus verbis Iesu Christi, veluti olim Moyses virga, cruce iter cœleste reserantis credens, in tribulationum vndas se iecisset, & per saxosos præcipitesque Euangelicæ doctrinæ calles semitam strauisset, ceteris hoc pacto ad idem faciendum atque imitandum iam dato exemplo præeundo; mirum videri nemini debet, si Ecclesiæ insulam ac coronam, id est, Pontificatum supremum, de domo illius auferri noluerit, sed in fratris ipsius, beati inquam Petri vertice manere permiserit Deus. Hanc scilicet gloriam, prærogatiuam, atque decus vniuersæ familiæ ac posteritati vnius viri iusti animositas, virtus, atque fortitudo attulit.

Inter primos ac fundamentales templi illius mystici, quod olim vidit Ioannes, lapides primum obtinet locum Iaspis. Gemma hæc, vt quidem gẽmarij & naturalium rerum commentatores prodidere, fortitudinis est & constantiæ symbolum, quæque obstat, vt à quocumque gestatur, metu ac formidine non conterreatur. Hoc in Apostolum nostrum mire quadrat, licet vel nominis eius- S. Andreas per Iaspidem repræsentatus. dem etymologiam ac significatum, vel vocationem eius ac sortem, statumque intueamur. Statum quidem: nam vt Iaspis primus templi huius vmbratici fundamenti lapis fuit, ita Sanctus Andreas primus Apostolos reliquos interà Christo Domino electus est & vocatus, quo primum fundamentum, basis, ac princeps Ecclesiæ suæ foret. Etymon vero: nomen enim illius cum gemmæ huius proprietatibus optime conuenit: Andreas n. Græca notione virilitatẽ, fortitudinem, virtutem ac magnanimitatem sonat. *Apoc. 21.*

In Zachariæ Prophetia lego, quod his mire deseruit: *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Quocunque demum sensu hæc capiantur, nullus erit proprius magis atque accommodatior, quam si ad S. Andream hæcce referamus, & in ipso prophetiam hãc impletam dicamus; non tam ob potestatem illi simul & reliquis Apostolis, communi omnibus prærogatiua, collatam (cuius apud Ioannem meminit Redemptor dicens, *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos:*) quam ob singulare illud priuilegium ipsi imprimis datum, quod in cruce pro nomine Redemptoris expirarit: in quo Domino suo ac magistro persimilis fuit, eandemque cum illo sortem subiuit: adeo vt illa Iobi verba non immerito vsurpare ipse queat, *Vestigia eius secutus est pes meus*, &c. *Zach. 4.* *Ioan. 20.* *Iob. 23.*

Et est profecto mirum, Deum Apostolos & obscuros piscatores, qualis Andreas erat, filio suo vnigenito auctoritate potestateque exæquasse, ac velut socios & pares illius Deus Apostolos filio æquauit.

con-

constituisse, inter omnia autem magni huius Dei arcana ac proposita nullum detego profundius aut secretius, nec in operibus ipsius vllum admirabilius, quam quod ad orbem vniuersum subigendum hominum vilissimorum & abiectissimorum opera sit vsus. Sed est hęc communis & incomprehensibilis magni illius Dei procedendi ratio, qui magna semper & elata humilibus & obscuris instrumentis exequitur.

Iudic.6. Madianitas deleturus & excisurus cum esset Israel, ecce tibi trecenti, imbelles & inertes selecti: quibus ea erat animi imbecillitas ac languor hostiumque tantus timor, vt ne vel in terra prosternere se, sitim commode restincturi, auderent, sed ne paulisper quidem morari ausi, manus fluentis injicerent, atque animalium in morem aquas lamberent, vti patrijs in Antiquitatibus obseruat Iosephus. In quo, & per quod factum omnipotens, velut Deus Sabaoth, hanc victoriam illustriorem, & glorioſiorem reddere voluit.

Libro. Antiq. Iudaic. 9. Generosa illa virago Iudith, cum Holofernem tollere statuisset, & iamiam illi ceruicem esset incisura, corde ad Deum sublato, & genibus in terram prouoluta, sic orando ait, *Erit enim hoc memoriale nominis tui, dum manus fœminæ deiecerit eum:* perinde ac si diceret: Hoc faciendo & illustre hoc facinus exequendo immortale nomen tuum reddes, & ad futuras generationes æterna recordatione recolendum transmittes, & omnes adeo orbis gentes laudem tuam celebrabunt, ac sapientiam pœnitentiamque obstupescēt, audientes scilicet, ad tam potentem indomitumque aduersarium deijciendum imbellis te mulierculæ operam, dextram, animum adhibere voluisse. fateamur ergo & concedamus è viraginis huius verbis necesse est, Deum nomen suum ac laudem vere immortalitati in eo sacrasse, quod ad mundum vniuersum sibi subiugandum, & potentes terræ monarchas ac Principes voci suæ parentes reddendos, ad rem inquam tanti momenti ac ponderis, adeoq; arduam peragendam nonnisi pauperculos & duodecim tantum piscatores, inter quos primus vocatus est Andreas noster, adhibere voluerit, illorumque dextra de vniuerso amplissimos triumphos, & victorias incomparabiles mundo retulerit.

Mirum est Deum orbem conuertisse per piscatores.

Ioab Dauidicarum copiarum præfectus ac Princeps, Regi quoque suo fidus, & prudētia bellica instructissimus, vrbem aliquam hostilem iamiā armata manu inuasurus, ad Regem ilico nuntios misit, rogaturus, vt in castra venire ocyus ne grauaretur, obsidioni interesset, & loci expugnationem coram intueretur, vt omnis victoriæ honos illi, non vero Ioabo, qui nonnisi subditus cliens, ac de ducum regiorum erat numero, asscriberetur. Historiam illam in rem præsentem ac propositum meum adaptans, iustissimum esse dico, nulli nisi soli Deo illustrem hanc Euangelij propagati victoriam asscribere. Quocirca hoc in bello non alios adhibere voluit duces ac bellatores, quam pauperculos piscatores quorum facile primus fuit Andreas: Ad. 2. *Reg* 12. Ioabi sadētia. eo vt Psalmista Excelsi & Omnipotentis demiratus opera merito dicere & nos post illum repetere possimus, *Excelsus Dominus, & humilia respicit*, & cum Iobo dicere, *Profunda fluuiorum scrutatus est oculus Domini, & abscondita produxit in lucem:* per *abscondita* hæc, humilia, infima & vilissima intelligit. Vti n. dynastas ac Principes illustrissimorum donamus nomine, quod omnium in oculis versentur, cunctis noti sint, ab omnibus colantur & suspiciantur; sic paruos dicimus, obscuros esse & absconditos, eo quod quodammodo lateant abditi, & vniuerso sint mundo incogniti. *Psalm.* 137. *Iob.* 28.

Egregiam rei huius figuram suggerit Genesis. In ea siquidem scriptum est, Abrahamo victori à prælio (in quo trecentos & vndeuiginti vernaculos, aduersus tres Reges potentissimos, qui Sodomam & Gomorrham expilauerant, nepotem eius Lothum in captiuitatem abduxerant, & omnem illius substantiam diripuerant, armauerant) reduci, Regē Sodomorum occurrisse, & hac illum oratione adortum, *Da mihi animas*, quas ab inimicorum manu vindicasti, *cetera tolle tibi*, iure enim hoc tibi debetur. Cui Abraham generosa quadam constā- Figura. tia & heroico rerum contemptu respondit, *Leuo animam meam ad Dominum Deum excel-* *Gen.* 14.

sum possessorem cœli & terræ, quod à filio subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditaui Abraham.

Mundi redemptio assimilata Sodomitarum liberationi per Abrahamum.

Cogitate, auditores, Abrahamum Patriarcham Redemptoris Christi imaginem fuisse, qui Lothum & Sodomitas ab interitu vindicauit, id est, iustos simul & peccatores redemit, & ad Euangelij libertatem vocauit, idque per solos seruos suos, id est, ignaros & ignobiles piscatores. Sodomorum Rex mundi est figura, qui Iesu Christo diuitiarum ac scientiarum arma dare potuit, sed ipse, velut alter Abraham, nihil omnino illi⁹ è facultatib. voluit accipere, ne quis forte cogitaret, mundum illi in victoria comparanda & manubijs coaceruandis suppetias tulisse, itaque de hominum redemptione ille gloriaretur. Docet hoc itidem Apostolus, qui recta in hunc conceptum tendens, Corinthijs sic scribit, *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia* Quænam rei huius causa, Paule? *vt non glorietur*, inquit, *omnis caro.*

1. Cor. 2.

Inuentiones hæ sublimes sunt ac minime vulgares, sed plane admirabiles, ac præsertim in ijs, quæ ad D. Andream spectant. An non enim sublime, & prodigij prope simile, videre hominem adeo obscurum & ignobilem mox inter totius vniuersi Principes cooptari? (*Constitues eos Principes super omnem terram.*) Pauperem ac simplicem piscatorē statim adeo sublimem euehi, vt è Dei viuentis coadiutoribus, & Messiæ legatis vnus constituatur? Hos quippe titulos ac nomina sibi Apostolus vindicat, ijsq; gloriatur, dicens, *Dei adiutores sumus.* & alio loco, *Pro Christo legatione fungimur* perinde ac si diceret: Quos nam esse nos credunt homines? quamnam esse sortem nostram putant? Sciant esse nos coadiutores Dei, & magnos Iesu Christi legatos.

Psalm. 8.

1. Cor. 7.
2. Cor. 5.

An non enim inauditum quid, nouū & paradoxū, videre pauperem, ignarum, artiumque omnium insciētem tam subito gratiæ ac sapientiæ plenitudinem, quoad diuinorum mysteriorū reuelationem, obtinuisse. Testatur hoc, & promittit illis ipse mundi Redemptor apud Lucam dicens, *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Apud Ioannem vero sic legimus, *Omnia quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis* O beatos ac ter & amplius felices discipulos, qui tam doctum, sapientem, atq; eruditum nacti sunt magistrum, qui sine vllo labore, pœna, aut studio ipsos Doctores, & instanti vno facultatum omnium reddidit peritos, & quidem adeo peritos, vt profundissimi quiq; Philosophi, scientiarumq; calentissimi cum ipsis collati velut vmbræ volitarint, & in omni scientiarum genere inferiores exstiterint?

Luc. 8.

Ioan. 5.

Scientia & eloquentia insignis S. Andreæ collata.

Ecquod inquam miraculum, obscurum quemdā ac triuialem, de fece populi, qualis Andreas noster, natura meticulosum indisertum, indoctum, omnibusq; ad conuersandū cum hominib. communicationemq; humanam necessarijs dotib. destitutum, tanto tam subito eloquētię torrente perfundi, & ea donari scientia, vt peccatores ad pœnitentiam cōuertat, Philosophis ruborem incutiat, tyrannos percellat, & ad Euangelium admittendum omnes orbis nationes inuitet? Promisit hoc omnibus in genere Apostolis Redemptor dicens, *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri*: id est, adeo vos disertos, doctos & peritos reddam, omnes vt vobis cessuri sint, & loquentibus vobis orbis vniuersus in dicta vestra concessurus.

Luc. 21.

S. Andreas vnus ex orbis iudicib.

Deniq; an non summo stupore & admiratione dignum, vel auditu accipere, virum maritimæ, nauiculatoriæ ac piscatui innutritum, vilem, sine vllis meritis, & auctoritatis omnis expertem ab ipso Dei filio eligi ac segregari, qui de supremis viuorum simul & mortuorum iudicibus in nouissimo mundi die foret? Verissimū est enim, quod ipse Redemptor, qui tunc protopræses futurus est, olim discipulis promisit, dicens: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Matth. 9.

IV. Cur S. Andreas ab aquis vocatus.

Ad hunc honorem ac dignitatem primum omnium Andream nostrum Saluator euexit, eumq; ab aquis & ora maritima euocauit, vt notat Euangelium, *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres* Nec vero id mysterio caruisse fit verisimile. Emiserat Pater æternus.

nus filium in mundum, vt mirabile Ecclesiæ suæ opus ac molimen inchoaret, vt colligere est ex illo Isaiæ loco, *Posui*, inquit Pater Filio, *verba mea in ore tuo, & in vmbra manus mea protexite, vt plantes cœlos, & fundes terrã*. Apostolos ergo selegit, qui primi eiusdẽ lapides forẽt, in fundamentum nouæ huius fabricæ coaptãdi. Hinc hodie eos iuxta litt[a] & aquas colligere incipit, & præ ceteris Andream nostrum, qui, vt primus lapis foret, seligitur. Isai 51.

Rei huius figura, ac velut augurium fuit, quod, cum Deus insigni miraculo vadum Iordanis siccasset, quo transuadantes filij Israel iter in terram promissam commodum haberent, præceperit Iosue, vt sic Israelitis ediceret, *Præcipe, vt tollant de medio Iordanis alueo duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum.* & rationem iussi reddens mox subnectit, *Et quando interrogauerint vos filij vestri, dicentes, Quid sibi volunt lapides isti? Respondebitis eis, Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, idcirco positi sunt lapides isti, monumentum filiorum Israel in æternum.* Ios 4. Figura.

Ipse Redemptor Iesus omnib. nobis iter in cœlos patefecit, cum hanc ob causam triste passionis mare & amaras mortis aquas esset ingressus, quod, teste Abacuco, insigne fuit prodigium: *Viam fecisti in mari equo tuo, in luto aquarum multarũ.* In operis vero adeo eximij ac prodigiosi memoriam duodecim ingentes è medijs aquis lapides, i.e. duodecim Apostoli è profundo maris huius mundi fundo selecti sunt, qui rei huius testes sint, futurisq; retro generationib. in monumentum ac memoriale, testes inquam passionis Dominicæ, testes mũdi vniuersi redempti, testes noui itineris, quod in cœlum ducat, iam parati, deniq; veritatis Euangelicæ testes. Et notate quemadmodum duodecim illi veteres lapides in media castra illati sunt, sic duodecim Apostolos in medium Ecclesiæ locum cooptatos esse, quæ quod castris & aciei sit persimilis, *militans* dicitur, & propterea *terribilis vt castrorum acies ordinata*. Abacuc 3. Apoc. 10.

Iesus Christus vere est Angelus ille Apocalyps. fortis, è cœlo descendens, nube amictus, & iride coronatus. habebat is faciem solis instar rutilantem, & pedem dextrum super mare, sinistrum autem super terrã collocabat. Non vacabat ea res mysterio, vt scilicet significaretur, è mari illum primos Apostolos velut primos quosdam lapides, qui Ecclesiæ fundamentum forent, eductum. Pes autem dexter mari superimponitur velut alio fortior, vt hinc magnũ & mirabile quod parabatur opus patesceret, opus inquam, quod ederet Deus Ecclesiæ fabricam moliendo, & à mari primos quosque Apostolos vocando.

Prima mundi naturalis productio ac creatio ab aquis cœpit, sic ab ijsdem aquis noui mundi reparatio initium habuit. Rem explico; Genesis exordium est, *In principio creauit Deus cœlum & terram.* & mox subditur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Eodem scilicet instanti, & prout Deus res nouas creabat, ita Spiritus Domini super aquas ferebatur. Aquæ ergo initia & origines primæuæ noui fuere mundi. Sic quoq; Iesus Christus ab aquis felicia Ecclesiæ suæ ducere exordia voluit, cum iuxta littus ambulans maris Tiberiadis, duos conspexit Apostolos, Petrum inquam & Andream, eosq; ad sui sequelam inuitauit: *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, &c.* Gen. 1.

Vt de sola Andreę vocatione loquar, & Petri silentio inuoluam, cum illam mihi repræsento, in mentem venit eius, quod tertio Regum libro scribitur. Ibi legitur Elias vidisse nubeculam è mari ascendentem, humana specie, quę deinde in ingentem versa est pluuiam. Hic animos cogitationesque vestras sustollite allegoricorum sensuum indagatores, & in S. Andreæ vocatione simile quid contigisse cogitate. Redemptor enim haud procul à mari hunc conspicatus Apostolum, velut nubeculam quãdam ipsum cernit, quæ deinde in magnum doctrinæ ac sanctitatis nimbum excreuit, vniuersum terrarum orbem, ac præsertim ferax Ecclesiæ solum humectans & irrorans. 3 Reg. 18. Figura.

Ceterum mox vt Andream Redemptor ad se vocauit, ipse vocantem sine vlla dilatione, nullis dum visis miraculis, omnibusq; valedicens rebus, secutus est: in quo ingentem erga Deum amorem, & promptam ad iussa eius obedientiam patefecit. Abraham Patri- Magna S. Andreæ obedientia in Christ sequendo.

archa cum heroicum illud, immolationis scilicet proprij & vnigeniti filij sui Deo, opus perageret, ilico ab Angelo apparente audiuit, *Nunc cognoui, quod timeas Deum* perinde ac si diceret; Agnoscet ex hinc mundus, quo Deum amore complectaris, & quam mandatis eius iussis refragari minime audeas. Tum scilicet vere nostrum erga Deum amorem, pietatem, ac verum timorem patefacimus, cum illum offendere verentes, carissima quæque relinquimus. Sic quoq; Redemptor ipse apud Lucam docebat: *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* S. Andreas ergo hancce doctrinam dum sequitur, de veris ac genuinis filij Dei discipulis fuit, cum, quo ipsum sequeretur, omnibus confestim se abdicarit. Vnde de illo ac fratre Euangelista, *Relictis retibus secuti sunt eum.*

Gen. 21.

Luc. 14.

Iudas Machabæus cum suis ad conflictum pergens, hac eos ante oratione compellauit, & præmonuit: *Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est sed state & nunc contra inimicos vestros, & expugnate eos, & sumetis postea spolia securi.* Qua suos Redemptor discipulos oratione compellauit, ad omnibus valedicendum, sibique obedien dum eos exhortatus, illi Iudæ Machabæi orationi esse videtur persimilis. Equidem hanc vobis repeto, fideles, vobisque auctor sum, vt, cum hostes habeamus acerrimos, & continuum nobis noctu & interdiu bellum, ipsumque sanguinolentissimum immineat, mundi huius rebus nos in tantum haud immisceamus, illius manubias ac spolia minime consectemur, sed generose nos defendamus, & aduersarios superemus, quia relata de hoste victoria, & conflictu egressi honoribus, voluptatibus, & æternis diuitijs commode & quam abundantissime tum demum perfruemur. Si n. modo spolijs vos oneretis, timendum est, ne ijsdem postea excidatis, simul & vitæ iacturam faciatis.

1. Mach. 4.

Moralis sensus.

Gloriosus Andreas noster diuinum hocce consilium secutus, & bene monenti auscultans, generosa quadam mente & constantia omnia terrena vili pendit, & cuncta negligens, nullo terrenorum spoliorũ desiderio, Iesum vocantem confestim sequi constituit,

Magna promptitudo S. Andreæ in Christo sequendo.

illius voci promptissime obediens, illiusque se obsequio vna cum fratre Petro mancipas. Huius forsitan rei ratio est, quod magni in Ecclesia futuri essent Sacerdotes ac Præsules. In huius rei figuram iussit olim duas tubas argenteas conflari Deus ad milites ac duces ad castra conuocandos. Hæc autem earum inflandarum seruabatur ratio: ad duces ac principes euocandos nonnisi semel clangebatur; sed si gregarij exciendi, frequentior erat clangor. Hoc discrimine denotabatur, Præsulem, Sacerdotem & Clericum quemlibet, qui populi sunt antesignani atq; Ecclesiæ duces, ad primam cœli vocem, & minimam Dei inspirationem conuasare sua, ad bellum se parare, mundo egredi, ac Redemptorem sequi debere. Sæcularibus vero longiori & concisiori opus est sono, monitisq; frequentioribus, vt vitiorum cœno emergant, Dei iussa capessant, obsequio illius mancipent, honoremq; tueantur. Laudem hac in re meretur Andreas noster, quod Dei filium tam prompte vocantem sit secutus, cum nullum dum ab eo edi miraculum vidisset. Primum namq; quod fecisse eum Ioannes commemorat, in Cana Galilææ contigit, *Et hoc est primum signum, quod fecit Iesus.* Apostolis omnibus iam eum sequentibus, & cultui illius adhærentibus.

Num 10.

Figura.

Ioan 4.

Non ob hoc duntaxat S. Andreas dignus est laudibus, sed ob id præcipue, quod adeo cito ac prompte, tantaque generositate sit secutus eum, quem qualis esset, tum ignorabat, qui solus per agros & solitudines oberrabat, nullo comitatu, discipulis nullis, tenui indutus veste, facultates nullas possidens, ex eleemosynis ac donis piorum victitans, omnibus exosus, præsertim Sacerdotibus ac Synagogæ principibus inuisus, quem vt quis sequeretur, votum paupertatis ederet, & omnia desereret oportebat. Deinde ipsa quam sui sequacibus faciebat promissio, & merces, quã paciscebatur, quod scilicet illos hominum faceret piscatores, sectatoribus occasionem dabat cogitandi, rideri se ac ludibrio haberi. Nihilominus parui hæc faciens Andreas, & nihil moratus vniuersa *relictis omnibus secutus est eum.*

Andreæ fides in Christo sequendo.

Hoc scilicet in sancto hoc Apostolo per-

magnã

Obiurgatio eorum, qui vocanti se-qui Christũ nolunt.

magni faciendum est, & admirandum. Illi vero è contra vituperio digni & reprehensione, qui, tametsi Deus tam sæpe vocet, tot signa exhibeat, tot patret miracula, tam amplam spondeat mercedem, tot tamq; graues incutiat minas, ipsum tamen deserunt, illiq; nolunt adhærescere: sed adolescẽtem Samuelem potius imitantur. Hic, vt è sacra colligitur historia, à Deo de nocte vocatus, & ad vocem eius experrectus, confestim quidem strato se corripit, se ad Heli Sacerdotem jam grandæuum & ægrientẽ, alio in conclaui decumbentem abit, idque tertio. Ecquæ pueri huius stoliditas est, Deo vocante, ad homines adeuntis, cum Deum vocantem sequi oporteret? Hoc ipsum & pluribus hodie contingit, quos Deus quotidie ad se vocat, sed quoniam noctu, id est, tenebris & caligine vitiorum occæcati vocantur, hinc à Deo abeunt, & ad senescentem Heli, id est, decrepitũ ac morbidum mundum se conferunt, eique seruire malunt, quam Deo aut Iesu Christo. Quam hominum cæcitatem deplorans Deus sic per Ieremiam conqueritur, *Et locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis, & vocaui vos, & non respondistis.*

1 Reg. 1.

Ier. 7.

Increpatio eos, qui inspirationi bus diuinis non auscultant.

Quoties vero, heu! peccatores ad se vocat Deus ille clementissimus, eius tamen voci non auscultant? quot inspirationes, quot prędicationes, quot motus interni, quot monita exteriora, quot secretę inuitationes, ceu Dei voces immittuntur? has tamen omnes adeo non audiunt aut sequuntur, vt etiam contemnant, rideant, & aduersus bene monentem peccando insurgant. Permulti enim aduersus concionatores, veros Dei nuntios ac legatos ad veritatem nuntiandam emissos insurgentes, sine vllo humano intuitu, nec diuina morati judicia, varias in ipsos irrogant injurias, ignorantiam illis impingunt & hypocrisin, quin etiam Pseudoprophetas nominare non verentur.

Increpat eos, qui concionatores exhibent.

2 Reg. 10. v. 19.

Dauid cognito Regem Ammonitarum Naas, quocum societatem amicitiamque, interim dum exagitaretur aduersis, & à Saulis facie fugeret, inierat, fato functum esse; filio eius Hamnoni regni hæredi idem præstare officium, quod sibi olim pater, voluit, & nuncios ad illum destinat, tũ in patris eum morte consolaturos, tum de adepto illi regno congratulaturos. Legatorum oratione audita, Rex etiam adolescens, consiliariorum prauorum suggestione turbatur, suspicionemque regis Ammonitarum concipit, non nisi explorandi causa hanc ad ipsum legationem Dauidem adornasse, ac regno ipsius inbiare: breui quippe copias submissurum, quibus & ipsum regno pelleret, & sibi illud vindicaret. Iuuenis ille princeps his verbis quam leuissime auscultans, tanti regis legatos indigne admodum habet, mediam illis barbam abradi, & vestes pube tenus prope decurtari jubet, hacque infamia notatos domum ablegat. Quo audito Dauid iratus insignem hanc contumeliam ac ludibrium bello illato vindicare statuit.

Prauum consilium

Non aliter hodie pleriq; nuntios ac legatos Iesu Christi, Ecclesiæ scilicet Catholicæ Doctores & concionatores habent, in quo Hamnone illo barbaro atque impio stolidiores sunt, insolentiores, & deteriores. Quoniam vero præcones illi ac tubicines Euangelici nudam illis veritatem proponunt, hinc virulentas in illos stringunt linguas, & caninos dentes exacuunt, velut molossi in ipsos sæuiunt, doctrinam illorum conuitiando lacerant & conuellunt, famam lædunt, nomen denigrant, & vitam agendique rationem vbique qua possunt calumniose mendaciterque commaculãt. Vestes vero illis medias ac barbas præscindunt, dicendo illos asinos ac bardos esse, & mediam dictorum partem meras esse mendacia, alios nimirum centuplo doctiores longe secus & penitus contrariũ sentire, iter cœlum versus non esse adeo cliuosum, arduum ac difficile, neq; adeo seuerum judicem Deum, vt ipsi vulgo clamitant, quin imo quam vulgo credimus, clementiorem ac benigniorem. Qui hęc contumeliose jactant, & fatuis hisce sermonibus popello imponũt, legatis Iesu Christi mediam præsecant barbam, & pube tenus vestes ipsorum concidunt, sed Deus optimus maximus, quem hoc modo non mediocriter irritant, impune eos habere nõ sinet, serius aut citius, sed tandem aliquando, vti de Ammonitis Dauid, vindictam deposcet. Hæc conclusionis loco dicta

monitarum

Deus irascitur his, qui irrident.

sint, quibus primæ concionis parti finem imponemus, modo ad alteram accingamur, & nonnihil de Apostoli huius cruce, passione, ac martyrio loquamur.

V. S. Andreas crucifixus.

Refert ergo historica series, sanctum hunc Iesu Christi discipulum, & Apostolorũ principis Petri fratrem natu maximum, postquam varias peragrasset prouincias, animas plurimas ad Deum viamq; salutis conuertisset, diuersos adisset populos, ad vltimas vsque insulas penetrasset, & terrarum incognita attigisset; tam inimicum mundũ vniuersum habuisse, propositoq; suo adeo aduersantem, vt idololatras in eius perniciem armarit, & in vitam conspirare coegerit, adeo vt persequendi exagitandique ante finem illi non fecerint, quam ad mortem raptassent, & in crucem egissent: quod mortis genus omnium est crudelissimum & atrocissimum, sed summæ semper constantiæ virisq; generosissimis reseruatum.

Huc referri queat, quod in Isaia legimus, *Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me.* Gregibus & armentis suis mercedem Deus promittit, sed diuersam ac discrepantem. Greges minorum sunt pecudum, & animalium tenuiorum, vt ouium, agnorum, caprarum, &c. sed armenta maiorum, vt boum, bubalorum, camelorum, equorum, & aliorum. Deus ergo minoribus animalibus loca spondet campestria, fertiles pascuas, & campos vberes & graminosos, id est, ô allegorici, vitæ tranquillitatem, consolationum abundantiam, gaudium spirituale ac sexcenta aliarum gratiarum genera, animalibus mediocribus, & non vsque adeo perfectis: sed armentis & animalibus majoribus, id est, animabus nobilioribus & illustrioribus vallem Achor, id est, crucem & tribulationes grauissimas addicit. De hac enim valle est in libro Iosue sermo, in qua sacrilegus Achan ille à populo lapidatus est. Vocatur autem vallis *Achor*, id est, turbationis, quia cupidi huius direptoris furtum vniuersas tribus Israel turbauit. Hic igitur lectus, thorus & thalamus Andreæ nostri extitit, qui de armentorum fuit numero, & è generosissimis, quos vnquam sol est intuitus, viris. Crux igitur vallis est Achor: qui autem in cruce quietem inueniunt, eaque lætantur, ex armentis sunt Iesu Christi, ijsque persimiles, de quibus in Apocalypsi sermo est: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine agni.* De cruce porro venire, vti Andreas venit, & tam atrox subire supplicium, est de magna tribulatione venire. In hac Apostolus noster delectatur, & gaudet, hoc Apostoli Pauli reipsa exequens, *Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus.* Atque hæcce est consolatio, & honor, quem confert Deus ijs, quos habet carissimos, & qui ad perfectionem toto conatu ac studio incumbunt.

Isa. 65.

Allegoria.

Iosue 7.

Rom. 5.

Sabalus piscis, vt quidem animalium descriptores memoriæ prodidere, & piscatores tradunt, in fluminibus & aquis dulcibus oua ponit & excludit, sed vbi pisciculos ac fœtus excreuisse videt, inde eductos in mare deducit, in quo nimium quantum excrescunt, tantæque molis fiunt, pares vt non alat Oceanus. O mirabile naturæ arcanum, & ad mysterium longe admirabilius viam nobis patefaciens! Prouido huic pisci, quoad prouidentiam & electorum suorum directionem gubernationemque Deus ter maximus haud dissimilis est. quamdiu enim justi paruuli sunt, & ad summas nondum virtutes perfectionesque perueuere, dulci consolationum eos aqua fouet, ac pascit: sed jam grandiores effecti ac perfectiores, in vastum tribulationum pelagus conijciuntur, ad vallem Achor deducuntur, per crucem transeunt, vti Andreæ nostro contigit, qui in cruce exspirauit, suamque virtutem ac constantiam tam atrocis supplicij toleratia consignauit.

Sabali piscis natura.

Singularem hoc pacto in sanctum hunc Apostolum gratiam Redemptor contulit, dũ crucis suæ honoris illum fecit participem, idemque mortis ac supplicij genus illi secum esse voluit commune. Præuidisse hoc Sapiens videtur, ac reipsa expressisse, dum quodam scribit loco: *Simili pœna eruus cum Domino afflictus est, & populatis homo Regi similia passus est.* Hoc in Apostolo nostro certissime locum habuit,

Insignis honor Andreę in cruce mori, instar Christi.

Sap. 8.

habuit, cum vt seruus idem cum Domino suo Iesu Christo subit supplicium, & vti simplex aliquis in cruce instar Dei filij moriendo, vere dicitur, *popularis* ac pauper *homo similia* Iesu Christo *Regi* regum supplicia ac martyrium par pertulisse.

Vsallus si eadem qua princeps morte moriatur, consolationem sentit. Plutarch. & Erasmus lib. 4. Apoph. tit. 2.

Sane si quam includit nonnullorum mors etiam probrosa gloriam; non minima sane subiecto ac famulo futura est consolatio, eadem posse emori morte, & eadem subire supplicia, quæ Dominus ac Princeps. Exemplo id Phocionis fiet illustrius. Hic ergo cũ mortiferum manu venenũ teneret, ad quod jam iniqua judicum sententia, in ingrata patria, erat condemnatus, læto se animo ad mortem parauit instantem, sed qui eodem in carcere vinctus tenebatur, Tudippus nomine, plebeius homo, eodem mortis genere etiam enecandus, eam haud æquo animo tulit: suam enim calamitatem, sortemque aduersam deplorabat, querebaturq; hoc se mortis genere judicum sententia intermori, cui magna constantia Phocion, *Num tibi satis est cum Phocione mori?* quasi diceret, Cur tantopere affligeris Tudippe? quid mortem adeo exhorrescis? an non tibi perquam honorificum est cum Phocione viro innocẽtissimo, rebusq; gestis clarissimo mortem oppetere? Andreas noster alios longe animos præferens, & eodẽ mortis genere, quo Domin⁹ ac Rex cœlestis, demoriens, tanti hocce beneficium duxit, tamq; id sibi gloriosum ac magnificum credidit, vt lætus atq; hilaris ad supplicij properans locum, eminus conspectam crucem his salutarit verbis, *O bona crux iam diu desiderata, & concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te.*

S. Andreæ morientis constantia.

Insolens ille Aman, interrogatus ab Assuero Rege, ecquo afficiendus honore esset is, quem Rex honoratum ab omnibus vellet, nõ omnino præter rem respondit, *Homo quem Rex honorare cupit, sedere debet super equum, qui de sella Regis est* Iesu Christi equus, quem aduersus inimicos nostros bellaturus conscendit, ipsa crux est; cum ergo Andream eidem insidere equo, id est, eandem subire crucem voluerit, maximum hunc fuisse honorẽ, qui creaturæ alicui conferri possit, putandum est. Quam vero illustres eæq; plurimæ in veteri Testamento & lege Mosaica honorem hunc præsignarunt figuræ.

Iob. 6.

Primitiæ frugum ac segetis si quando Deo offerendæ essent, igne eas vstulari idem ipse jussit. verba legis hęc sunt: *Si obtuleris primitias frugum tuarum de spicis adhuc virentibus, torrebis igni* S. Andreas prima fuit spica, quę Ecclesiæ in agro conspecta est, atque, vt S. ait Bernardus, *prima vocatio saluatoris:* quapropter in cruce eum immolari oportebat; non tamen sine igne: nam biduo ipso in hoc cruciatu perdurans, velut alter rubus deserti, ardentissimo diuini amoris incendio ardebat, non tamen adurebatur.

Leu. 2.

Exod. 3.

Quam fuit egregium ac jucundum spectaculum, videre Ionathæ principis armigerum, animositate & amore herili plenum, per mõtium prerupta, ac rupium inaccessa proserpere, indeque in hostes magnam longe lateque stragem edere, dominumq; præeuntem per mille vitæ sequi discrimina: tam illustre ac præclarum fuit, post aliquot sæculorum centurias, generosum Iesu Christi discipulum Andream, robore alioquin & virtute repletũ, in crucis cernere montem conscendentem, per tormentorum scopulos proserpentem, in idololatras detonantem, & magno vitæ cum periculo, eodem in passionis bello Dominũ ac Regem suum magna constantia ac generositate sequentem.

1 Reg. 14.

Redemptor in lege doctum Nathanaelem sic est Ioa. 1. allocutus, *Videbitis cœlos apertos, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* Videntur autem verba hæc ad priscam Patriarchæ Iacobi visionem alludere, sed in Andrea nostro reipsa adimpleta sũt: videte namque, vt hodie velut Angelus quidam, crucis scalam ascendat, & ei innitentem conspiciat Redemptorem Iesum, cœlos intueatur apertos: atq; hoc pacto figuræ verificantur, & propheriæ complentur.

Ioan. 1.

Gen. 28.

Inter varia, verissima tamen, summeque admirabilia diuinæ potentię argumenta, hoc à Iobo velut primum ceterisque admirabilius recensetur: *Extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris, qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri: qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum*

Iob. 9.

rum non est numerus. Obscura & inuoluta hęc verba sunt, & astrologiam ac mathesin sapiunt, quæ S. Gregorius expositurus, aliud explicationis gratia non addit, quam, *Quid mirum, qui fecerit hæc, qui fecit omnia.*

In hæc verba

Insigne mysterium explicatum.

Verum aliorum hoc super mysterium Patrum expositiones peruolutans, ænigmaticis hisce verbis maius quiddam ac sublimius cõperio Prophetam designare voluisse, puta spiritualem Ecclesiæ constructionem. Per cœlorum igitur extensionem sanctorum Apostolorum capio martyria ac passiones: illi nãque veri quidã ac noui sunt cœli, quos Deus extendit. Per fluctus autem marinos Ecclesię intelligas persecutiones: Arcturus vero, ꝙ sidus è septem stellis, semper circa borealem polum versantib. conflatum est, septem Spiritus sancti dona repræsentat, Ecclesiam semper protegentia & auxiliantia, quæ assidue quidem & nũnquam non exagitatur, nunquã tamen opprimitur aut mergitur; quia portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Orion & Hyades aliæ sunt stellæ, quæ circa autumni finem & hyemis exordia tempestates causantur, atq; hæ Apostolos & Martyres repræsentant, aduersus quos atrocissimæ cõcitatæ sunt procellæ & turbines tempestuosissimi.

Apostoli noui Ecclesiæ sunt cœli.

Psal. 18.

Phil. 3.

Marc. vlt.

2. Cor. 6.

Apostoli porro noui illi Ecclesię fuere cœli, de quibus cecinit olim Psaltes, *Cœli enarrãt gloriam Dei*: eo quod per doctrinam Euangelicam vbiq; terrarum gloriam Dei annuntiarunt, eorumq; conuersatio plane cœlestis erat. testis ille, qui de se suisq; collegis ait, *Nostra conuersatio in cœlis est*: perq; cœlestes quosdam influxus ad vnum omnes Ecclesiam fundarunt. Hos vero cœlos tum extendit ac dilatauit Redemptor, quando eos ad Euangelium omni creaturæ prædicandum per omnes mundi angulos emisit, dicens, *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* Charitate inquam eos diffudit & extendit, vti Corinthijs scribit Apostolus, *Cor nostrum dilatatum est ad vos.* Verum inter omnes hosce cœlos præcæteris duo fratres, Petrus & Andreas, maxime dilatati & extensi sunt, cum ille Romę capite in terram obuerso; hic vero Patris Achaiæ vrbe in crucem sit actus sub Præside Ægea, vbi biduo in cruce hic viuus perseuerans viginti hominum millia prędicatione sua Christo lucratus est.

S. Andreæ Patris crucifixus est.

Exclamare ergo hic iuuat, ô patientiam admirabilem! ô constantiam incomparabilem! Hic ergo vir magnus ad crucem condemnatus, vt ad supplicij locũ ductus est, & eminus gloriæ suæ argumentum conspexit velut cyguus quidã fato vicino exultans & plaudens, eam salutare cœpit & corde & ore exultabũdo exclamare, *O bona crux, &c.* In quo Pauli est constantiã & generositatem imitatus dicentis, *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Crux igitur vnica Andreæ nostri gloria, amor, gaudium, voluptas ac delectatio fuit. Et in ipso non minus quam reliquis Apostolis adimpleta illa Redemptoris fuit prophetia, *Beati eritis, cum vos oderint homines: gaudete in illa die, & exultate.* S. Andreas ergo passionis suæ die exultat & plaudit, magnaq; gestientis animi significatione crucem amplectitur, & eidem se gratanter offert.

Gal. 6.

Matth. 9.

Soleramor exstases, raptusq; quosdam extra statum mentis causari, hominesq; laboribus, tormẽtis ac cruciatibus insensibiles reddere. Figurã Geneseos suppeditabat liber. Iacob Patriarcha cũ quatuordecim ipsis annis in domo Labani magna laborum & ærumnarum tolerantia, Rachelis potiundæ spe, seruũ egisset strenuum ac sedulum, adeo illum amore & affectu captum fuisse tradit Scriptura, vt quatuordecim illi anni, tametsi duri ac laboriosi, pauci illi præ amoris magnitudine viderentur. Amoris scil. vehementia omnem illi laborum ac sudorum sensum abstulerat. Amoris namq; proprium est, sensus quodãmodo soporare, rationis vsũ tollere, iudicium fascinare, difficillima quæq; reddere facilia ac leuia, carduos deniq; in flores, & absynthia in saccarum conuertere.

Gen. 29.

Amor pœnas reddit insensibiles.

In horum omnium signum ipsemet Saluator ob insignem, quo Ecclesiam sponsam suã prosequebatur, amorẽ, acerba illa quæ pertulit flagra, pungentes illos spinarum aculeos, fœtida illa ac putiscentia sputa, & vndantissimum illud suppliciorum passionis suæ diluuium, nonnisi guttulas esse aliquot dixit, atq; rorulentum noctis humorem: sponsam quippe suam compellans sic loquitur, *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, &*

Cant 5.

cin-

parua *cincinni mei guttis noctium*. Perrorem hunc & illa, guttas nocturnas, inflatissimos tot paarum magna ac tormentorum, quæ pro nobis in monte

Caluariæ pertulit, torrentes, oceanos ac diluuia, intelligere sponsum pro comperto est: Persuadet scilicet amor, elephantes nonnisi tenues esse muscas, oceanos guttas videri, montes in atomos esse conuersos. Ita nempe nimius amor decipere ac fascinare hominum mentes solet.

Hinc etiam vicissim sancta illa sponsa, extremum & incomprehensibilem sponsi sui amorem perspectum habens intimeque penetrans, passionem eius, nonnisi myrrhæ fasci-
Cant.1. culum, sub Cantici vocat initio, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. Cum dicere, & quidem vere potuisset, quoddam ipsam myrrhæ nemus fuisse, i. e. infinitum quendam & immensum pœnarum, tormentorum, aliarumq; rerum grauium affligentiumq;, quarũ myrrha symbolum est, acceruum de iis, velut de fasciculo loquitur, ingentem sibi proponens amorem, qui dolores illos adeo minuebat, & deprimebat, vt quasi vix sentiri viderentur. Adeo vt eum sub charitatis nomine exaggeCant.8. rans sic postea loquatur, *Fortis est, vt mors dilectio tua, aquæ multæ*, i.e. tribulationes infinitæ, *non potuerunt extinguere charitatem*: quasi diceret, adeo quidẽ vehemens & fortis tuus est amor, eum vt mors expugnare nequiret: tuæq; charitatis flamma ita ardens, vt omnes oceani aquæ, id est, quælibet persecutiones & aduersa mundi eam extinguere non valerent.

His robur & auctoritatem addit Apostolus
1 Cor.13. dum charitatem omnia ait tolerare: *Charitas omnia suffert*: i.e. Amor adeo fortis, ingens ac potẽs est, vt omnia perferat, omnia perfringat, omnia exsuperet, nihil illi difficile, nihil arduum, nihil impossibile videatur. Idem sa-
Iob.13. piebat & Iob, cum erga Deum amore æstuãs dicebat, *Etsi occiderit me, sperabo in eum*, i.e. vitam tollat, omnes, quas potest, afflictiones immittat, non propterea amare illum desinã, nunquam amoris nexum dissoluam, nunquã quem spopõdi affectum exuam, illi indiuulsus adhærebo, & ab ipso nunquã spem meam diuellam.

Magnum quidem est, atque inprimis mirabile, mortem pro Iesu Christi nomine æquanimiter pati, eamq; non perhorrescere: vt & Paulus Apostolus id velut spectaculum credat mundo, angelis & hominibus exhibitum. Verum ridendo mori, patientem exultare, crucem amplecti, ad passionem læto animo properare, prodigii loco habendũ. Hoc vni Andreæ reseruatum est, qui propterea dicere non immerito, ac potiori iure quam olim Psaltes, potuit, *Tanquam prodigium factus sum multis*. Sensus est: Qui meas viderunt afflictiones & aduersa, & quo eadem animo & constantia pertuli, id velut prodigium habuere.

1 Cor.4.

Psal.70.

Iob; tametsi ceu patientiæ habitus exemplum, & ob singularem animi in aduersis magnitudinem omnium stupor: in mediis tamen afflictionib. tremebundus ac velut quiritabundus dicebat, *Neque fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est*. Quasi diceret: Ea tribulationum mearum est magnitudo, vt ad minime eam sentiendam, aut sine querimonia subeundam, pectus quoddam marmoreum, aut præcordia ænea necessaria sint. Verũ Andreas noster marmoris ac ferri duritiem patientia longe vicit, dum mediis in tormentis exultat, hilari animo morti sese offert, ad supplicia lætus properat, crucem denique mortis imaginem tanto cum honore salutat, dicẽs, *O beata crux*, &c. eamq; amplexatur & ipsam gratulabũdus cõscendit.

Patientia S. Andreæ superat lapidum & æris duritiem.

Suis in sermonibus fabulam Vlyssis moraliter exponit D. Ambros. Vlysses enim prudẽtia ac vafritie vir singulari, vt quidem Poetæ fabulãtur, quo præsentia naufragii discrimina & scopulos effugeret, & illices Sirenũ cantus sine noxa præteriret, malo nauis se alligari iussit, itaque se suosq; discrimini subduxit. Vt fabulam hanc veritate cõuertiamus, cogitemus necesse est, in medio Ecclesiæ, q̃ toties naui comparatur, arborem esse, sanctam inquam crucem, in quam Saluator semel actus, omnes omnino mortales ab interitu vindicauit: in qua bonus latro etiam tum cõfixus æterni naufragii discrimen euitauit, & feliciter salutis est portum inuectus. In qua deinde & S. Andreas, ac plurimi sanctorum eadem ratione mundi huius pelagus ac fluctus sine noxa & indemnes euaserunt.

Vlyssis fabula moraliter exposita.

Sap. 4. Salomon huc visus est alludere, cum in libro Sapientiæ scribit, *Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Scio ad litteram sermonem esse de iis, qui mare nauigant, fluctuumque ac ventorum iuclementiæ se cõmittunt, qui interim dum in naui versantur, nonnisi duobus à morte absunt digitis, atque omnis illorum vita & incolumitas nonnisi ab exiguo ligno ac tabula nauis dependet; sed allegorice de cruce Sapiens locutus est, quæ in oculis quidem infidelium exiguum ac vile lignum est, & peccatoribus exosum, de quo Apostolus, 1. Cor. 1. *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, nobis Dei virtus est.* salus tamen ac liberatio in paruo hoc ligno peragitur, suas omnis illi mundus credit animas, & sine illo salutem nemo ac sospitatem in Ecclesiæ agens naui, & procellosum mundi huius mare enauigãs, consequi potest.

Exiguo hoc in tigillo sospes enatauit D. Andreas, tantum est in eo honorem consecutus, & martyrii lauream adeptus. Ad vile & contemptibile hoc lignum tanto gaudio aspirauit, hoc ipsum tanto honore est prosequutus, hoc denique tanto cum affectu salutando exclamauit, Iudic. 9. *O bona crux!* ô sancta, ac sacra crux, crux plane regia, crux arborum omnium regina! quod rubus, olim in arborum regem delectus, liquido figurauit. *O bona crux*, crux venerabilis & adorabilis! antea quidem formidabilis & terribilis eras, sed te Iesus Christus modo bonam, illustrem, sanctam & admirabilem reddidit. Huius rei figura fuit virga illa Mosis, quæ in terram abiecta in serpentem mutabatur, sed à Mose iterum recepta in pristinam redibat formam. Exod. 4. Profecto crux malefi corum supplicio destinata, atque ita velut profana in terram inter reos abiecta; maledictum quid erat & ignominiosum; sed Iesu Christo dum inseruit, & in manus magni illius Prophetarum Regis recepta est, illustre quid, sanctum, glorioſum, ac diuinum facta est.

Hic ergo exitus, mors, passio, ac glorioſum sanctissimi Apostoli huius fuit martyrium: hæc patientia & inæstimabilis S. Andreæ generositas. Cõsiderate eum obsecro Christiani, in crucem actum, ac biduo in eandem ventem. Perpendite (vt taceam supplicii grauitatem) pœnarum longitudinem, dolorum continuationem, martyrii durationem, & quomodo hocce mors eum biduo oppugnet ac lancinet, nulla indulta noctu aut interdiu requie, tandemque violenter coget occumbere. Cogitate, carissimi, illius interim dum corpus tormentis exhauritur ac succumbit, animum tamen eodem tempore animabus conuertendis incumbere. Audissetis sc. illum è media cruce, veluti è cathedra doctorali, toto tempore verbum Dei prædicantem, veritate Euangelica infideles imbuentem, idololatrarum errores ac superstitiones coarguentem, Dei vnitatem rationibus naturalibus astruentem, familiaribus verbis & cum ratione congruentibus salutis iter ostendentem, horrendis peccatores obduratos minis percellentem, ac spe & mercede certissima fideles & pœnitentes consolantem. S. Andreæ Prædicatio in cruce.

Sed quando ô beate Apostole, ô glorioſe & triumphans martyr, in hac te cruce contemplor, videre mihi aliquem ex illis Angelis videor, quos Iacob in scala illa mystica in cœlum ascendentes conspexit. Sed in hoc quam perfectissime te adimplesse comperio illud Seruatoris consilium, Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tu enim vere primus omnium temetipsum abnegasti, crucem tuam sustulisti, non vti Simon ille Cyrenensis, qui eam quidem vna cum Redemptore portauit, sed in illa non exspirauit; sed eam ipse gestasti, & in eadem mortuus es, ac filium Dei secutus. Secutus es inquam vocantem, vt venires post ipsum, atque è piscium piscatore hominum fieres piscator. Secutus es quoque exemplo ac vitæ imitatione, paupertatis votum edendo, vnicam charitatem respirando, mundi vanitatẽ pedibus proterendo, terrena omnia contemnendo, & solam Patris cœlestis gloriam spectando. Toto etiam vitæ tempore eius secutus es, eius partibus adhærescens, cultui obsequioq; illius te dedicans, sacramenta eiusdem administrans, Euangelium annuncians, diuinitatem propugnans, Ecclesiæ dilatationi incumbens, deque vita illius ac miraculis vbique terrarum testimonium reddens. Secutus es denique illum in morte,

morte, eadem cum ipso morte decumbendo, eandem crucem tolerando, idem subeundo supplicium, eandem patiendo infamiam, iisdem denique tormentis te exponendo Feliciter tandē post hæc omnia secutus es, velut Dominum fidelis famulus, vt ducem generosus miles, vt principem supplex cliens, ceu pastorem innocens ouicula, vt gubernatorem sapiens discipulus, secutus, inquam ad laborem, ad pœnam, & crucem in hoc quidem mundo, sed in altero ad gloriam, ad requiem, ad felicitatem sempiternam; ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus S. perducere dignetur. Amen.

IN FESTO S. NICOLAI CONFESSORIS.

Partitio.

1. *De abusu donorum Dei.*
2. *De parabola expositione hominis peregre proficiscentis.*
3. *De talentis.*
4. *De eorundem recto vsu.*
5. *De S. Nicolai præclaris dotibus.*

Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, &c. Matth. 25.

FIGVRA.

IOB Propheta iustitiam olim suam sine vlla tamen vanitate deprædicans, bona opera sua exaggerans, virtutes exaltans, & aduersus calumniantium insolentiā ac tela integritatis ac innocentiæ suę honorem propugnās, inter alia, velut primaria virtutis suæ argumenta ac signa manifestissima, misericordiæ, quæ toto vitæ exercuerat tempore, opera producebat, dicebatque, *Oculus fui cæco, pes fui claudo, & pater eram pauperum.* Alio vero loco etiam amplius, *Ab infantia creuit mecum miseratio.* Quasi diceret; Iam inde à primis annis, quantum excrescebam ætate, tantum eademque mensura mecum assurgebat: charitas & misericordia. Quidquid sanctus hic vir, non sine modestia tamen, in se, ac de se prædicauit, non minus nos de Nicolao quodam repetere possumus. Nam eadem charismata spiritualia, quæ in illius Prophetæ vita eluxere, non minus perfecta ac vera in huius Episcopatu dignitateq; comparuerunt. Reuera enim non minus quam priscus ille Iobus oculus ac fax fuit cæco, ignorantes docendo, verbum Dei annuntiando, animasq; ad salutem exciendo. Baculus etiam claudis, cum egenis auxiliatus, afflictos consolatus est, errantes in rectam semitam reuocauit, & imbecilles sua misericordia sustentauit. Vere quoque pauperum fuit pater, de suis eos facultatibus alendo, orphanos tuendo, puellas ob inopiam de castitate periclitantes nuptui tradendo, & alia sexcenta charitatis ac misericordiæ opera actitando. Hæc illum virtus iam inde à pueritia comitata est: nam etiamnum puer tribus quothebdomadis vicibus ieiunans, ab vberibus ac lacte materno abstinebat, & prout annis & corpore excreuit, ita sancta hæc virtus cum aliis plurimis in ipso suum sumpsit incrementum, auxit & increuit: nullus vt vir eo aut sanctior, aut Præsul dignior vnquam exstiterit. Equidem illius vobis hodierna die vitam describere, suisque ipsum expressum coloribus proponere decreui. A precibus ergo auspicemur, ac gloriosissimam precemur matrem, suo nobis vt auxilietur subsidio, salutationem illam sacram ab Angelo primum prolatam illi dedicantes:

AVE MARIA.

Non adeo noxium ac periculosum est diuinis carere beneficiis, quam iisdem iam acceptis male vti, eadem ad benefactorē suum oppugnandum conuertere, suamque hoc pacto ingratitudinem testari. Quid enim profuerit, cœlestibus donis & charismatibus cumulari, si in tuum ea commodum non conuertas, sed iisdem abutaris? hoc scil. diuinam maiestatem infinite offendit. Hinc Nathan Propheta, Regem Dauidem ob commissa

I. Dei donis abuti noxā insignem includit.

scelera verbis castigaturus, ante omnia donorum acceptorum ac gratiarum diumarum abusum, & post recepta tot tantaque à tam liberali dextera beneficia ingratitudinem exprobrauit, dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego vnxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, dediq; tibi domum Israel & Iuda; & si pauca sunt ista, adiiciam tibi multa maiora.* Perinde ac si diceret: Tantos in te Deus fauores accumulauit, totque sibi te beneficiis deuinxit, & tu iisdem male es vsus; & quæ tibi eius colendi, honorandi, obsequendi esse debebant instrumentum & occasio, inde ad eundem oppugnandum arma ac tela deprompsisti: quod profecto insignis est ingratitudinis nota, quin & graue peccatum. 2. Reg. 12.

Hinc & Ezechiel Propheta primi Angeli apostatæ ruinam atq; peccatum exaggerans, in primis illi obiicit gratias ac perfectiones, quas iam receperat, & quibus male vtens, omnem honorem suum, gloriam ac dignitatem amiserat. Sic autem loquitur: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris, in medio lapidum ignitorum ambulasti?* quasi sic exprobrasset: Qui fieri potest, Lucifer, te qui inter Angelos non secus atque inter stellas sol fulgebas; qui iam inde à primo creationis tuæ momento tanta cum excellentia ac decore exoriebaris; in quem inter reliquas creaturas, tot perfectionum contulerat Deus charismata, te inquam spirituũ cœlestium principem, omnipotentis Dei dexteræ opus primarium ac princeps totius vniuersi miraculum, tam turpi ac misera ruina cecidisse, tam fœde fœlici sorte tua exoidisse, tam stolide lapsum te tuum procurasse, tot denique gratiis acceptis male vsum esse? Satius longe fuisset, nunquam te hasce à diuina munificentia accepisse. Ezech. 28.

Lucifer diuinis gratiis abusus periit.

Noxium est gratiis Dei abuti.

Apostolorum princeps hac super re suam proferens sententiam, & illorum coarguens ingratitudinem, qui fidei semel accepto dono, in turpe apostaseos crimen turpiter prolabuntur, hæc scribit, *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum reuerti.* Quasi diceret velit, multo esse satius nullas à Deo accipere gratias, quam iis receptis abuti, & post beneficia ingratum se exhibere. 2. Pet. 2.

Rei huius hieroglyphicum è sacris literis hoc esto inter alias aues velut immundas, & sacrificio esuique ineptas struthio connumeratur. Aliam huius reprobationis causam non reperio, quam quod auis hęc, licet ingentes à Deo alas, quin & insignes ac decoras pennas receperit, iisdem tamẽ vti nequaquam norit imo vix volitet, sed instar quadrupedis in terra semper commoretur. Leuit. 11.

Admirabile hoc mysterium, ac signum est euidentissimum, eos inter reliquos mortales à Deo reiiciae reprobari, qui diuinis beneficiis velut fulgidis quibusdam plumis onusti (quorum adminiculo sublime euolare, cœlestia inquirere, ad perfectionem tendere eos oportebat) semper tamen velut vasta & crassa quædam animalia in terra resident, & pernici illo alarum vti remigio nesciunt: quod profecto deplorandum est, ac miseriarum omnium longe miserrima. Deiabuti donis signũ est reprobationis.

Testatur hoc ipsum & Sapiens, quem quęso eloquentem audite; *Est & aliud malum,* inquit, *quod vidi sub sole; vir cui dedit Deus diuitias & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem, vt comedat ex eo; hoc vanitas & miseria magna est.* Huic porro persimilis is est, cui plurimum Deus contulit gratiæ, & in quem maximas effudit perfectiones; iusto tamen Dei iudicio, ita nimirum peccatis exigentibus, excellens hoc illi denegat auxiliũ, eidem vt queat ad animæ salutẽ cooperari: vnde fit, hæc illi plus obesse beneficia, quam prodesse. Eccles. 6. Miserum est nescire vti gratiis à Deo acceptis.

Sciamus igitur, quidquid à Deo receipimus cum temporale, tum spirituale, quod sub talentorũ nomine Scriptura exprimit, idcirco nobis donari, vt eodem negotiemur, fructum ac fœnus ex illo colligamus, æternaque pro eodem nanciscamur. De omnibus porro reddenda est ratio aliquando, vt scilicet manifestum fiat, num ad Dei gloriam, animæque salutem acceptis beneficiis vsi simus. Quo autem gratiarum futurus est numerus ac cumulus maior; eo & ratio reddenda erit exactior, & diligentius inquiretur; si modo illud Gregorii Magni verum sit, *Cum prescunt dona.* Reddenda ratio pro omnib. quas à Deo recepimus gratias. Homil. 9.

dona, rationes etiam crescunt donorum in diuinæ iustitiæ tribunali reddendæ. Adeo vt quodcunque à Deo accipimus, in magnos rationum eiusdem libros relatum & inscriptũ sit, donec scilicet rogemur, quo acceptis modo vsi simus, ac donec illa venerit dies, qua de omnibus exactissima reddenda erit ratio. Ah hominum cæcitas ac caligo, de hisce rebus maxime cogitantium! ô fatuitas nimis ah deploranda.

Simile. Sunt hoc ipso tempore, quo hæc loquor, permulti in aula optimates ac palatini, qui præter naturale omnibus, quo Regi subiiciũtur, debitum, insuper ob exhibitam beneuolentiam, aut accepta beneficia singulari quadam ratione illi obligati sunt; hi quidem ob collatos iam reipsa honores ac dignitates obtentas, illi vero quod easdem aut etiam maiores à Rege sperent. At si Regia Maiestas tam curiose & exacte inquireret, quo vitam instituant modo, & quid rerum fiat, vt singulis commentariensem scribamque singillatim daret fidissimum, qui omnia illorum verba, facta, & quomodo Regiis donis ac beneficiis vtantur, scripto quam diligentissime cõmitteret, vt Rex postea euolutis libris, & singulis inspectis agnosceret, quid quisq; promereretur, aut præmii aut supplicii (vti Assuerum Regem fecisse constat, qui insomnes trahebat noctes, & regni annales & monumenta vetera peruolutabat, vt qui in Regiam peccassent maiestatem, aut aliquod illi præstitissent obsequium perspectos & cognitos haberet, sic namque historia Esther prodidit:) si hoc inquam hodie hisce in regnis obseruaretur, quo in metu palatini singuli versarentur? quam metuerent committere quidpiam quod Regem vel facto vel verbo offenderet? omnes vero cõtremiscerent, quoties loquẽdum esset, & quoties quid agendum, ne Regi id forsitan displiceret.

Audite, Christiani, quæ dicturus sum, & similitudinis huius applicationem adaptationemque perpendite. Quotquot sumus, plurima munifica Dei dextra munera recipimus, quin maiora etiam adepturos nos speramus, beatitudinem scilicet & gloriam sempiternã; sed quisque nostrum ad latus scribam habet fidissimum ac diligentissimum, qui nocte dieque omnes actiones, verba, quin & abditissimas quasque cogitationes connotat ac conscribit, vt Deus eadem videat & cognoscat. In huius rei figurã vidisse se ait Ezechiel hominem lineis vestitum, atramentarium scriptoris ad renes habentem. Certum est autem habere nos indiuulsos & assiduos quosdã comites, Angelum custodem scilicet ac dæmonem, qui quidquid agimus, explorant & inspiciunt; ille bonum, hic prauum, vt deinde ad Deum cuncta referant, tametsi aliunde ea satis perspecta & explorata habeat: omnia namque is nouit & pro comperto tenet. *Ezech 9.*

Hanc ob causam libri etiam aliquando aperientur, examen peragetur, & rationes quã exactissime instituentur. Testatur hoc in Apocalypsi sua Ioannes dicens, *Aperti sunt libri & iudicatus est mortui, ex his, quæ scripta erant in libris.* Repræsentatur hoc ipsum & in Euangelio hodierno sub talentorum datorum parabola, in quo dicitur, *Homo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos*: quod in festiuitate S. Nicolai legendum præscribit Ecclesia. Circa quod, vt quid vestro palato gratum ac sapidum afferã, primo parabolę huius sensum tangam, deinde in sancti huius Confessoris laudes dilabar: si modo patiẽtes ac benignas prębeatis aures, iucunda ac placẽtia audietis. *Apoc. 10.*

II. Explicatio parabolæ talentorũ.

Quod ad primũ spectat. Textus Euangelii refert hominem quendam, iam longinquam instituturum profectionẽ, & iam in procinctu prope versantem, seruos ad se suos euocasse, iisque bona ad negotiandum tradidisse, vt inde lucrum, interim dum ipse domo abesset, colligerent; sed iam ab itinere reducem, rationem ab iis expensorum petiisse. Si hominem hunc intus & in cute perspexerimus, & penitius considerauimus, omnes eum vt Iesum Christum Redemptorem habebimus, qui ascensionis suæ die longe peregrinatum abiit, in cœlum conscendendo; cum suas ante seruis facultates dispertisset, at in supremo iudicii die redibit rationem ab iisdem petiturus. Per seruos autem hos plerique Patrum Prælatos ac Doctores intelligunt, eo quod bonus ille Dominus diuersa illis talenta concredidit, id est, his maiorem, illis minorem ad prædicandum Euangelium, Scripturas exponen-

das, atque animarum salutem procurandam gratiam. Hæc Origenis est expositio, quin & Ioannis Chrysostomi, Hieronymi, Ven. Bedæ, Euthymii, Theophylacti, Ambrosii, & aliorum plurimorum.

In cap. 19. Luc.

III. Explicatio talentorum Euangelicorum.

Cæterum circa talenta & bona, quæ diuersimode Deus effundere in homines consuevit, non eadem omnium est opinio. Nam varii varie sentiunt; hi vno, illi alio exponunt modo. Sanctus Ambrosius suam præ aliis afferens sententiam, per hæc talenta rationem intelligit naturalem; quæ dum rite excolitur, & ea homo recte vtitur, promeretur, vt naturæ insuper addatur gratia, id est, maiora in illum talenta & plura conferantur, eiusque conditio locupletetur. Auctor operis imperfecti talentis his diuersis designari vult officia, munia ac dignitates Ecclesiasticas, Episcopatus scilicet, Abbatias, Priorates, Diaconatus ac Sacerdotium. Sanctus Hieronymus ac Beda in singularem abeuntes opinionem, sensus humanos ac facultates naturales hic adumbrari credunt. Iustinus, Origenes, S. Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus in vnam opinionem conspirantes, Euangelium ac verbum Dei, Doctoribus ac Prælatis Ecclesiasticis concreditum, vt Ecclesiæ ipsum prædicent atque exponant, per talenta data accipiunt.

Hom. 55.

Alia talentorum expositio.

Alii hisce opinionibus non assentientes, & aliam singillatim statuētes, ac velut latius se se diffundentes, generalius rem exponunt, ac per talenta gratias omnes *gratias datas* vulgo nuncupatas interpretantur. Nostis enim, doctores, in scholis duo tradi gratiarū genera: sunt enim aliæ, gratiæ gratum facientes, aliæ vero gratis datę. Hi nonnisi de postremis loquuntur. Sunt & alii deniq; longius abeuntes, qui de omni genere donorū aut gratiarum, quæ à Deo dari hominibus solent, vt à parte sua operantes & laborantes eadem multiplicent, nec eadem terra defodiant, id est, fructus & fœnoris expertia eadem esse non sinant, intelligunt.

Duo gratiarum genera.

Omnes nō similiter gratiæ Dei cooperantur.

Cæterum hac ipsa parabola ostendere Seruator voluit, non omnes æqualiter diuinæ gratiæ cooperari, non æquali singulos passu procedere, nec inspirationibus atque vocationibus sibi factis eadem omnes ratione respondere: alios quippe in hoc esse diligentiores, alios lentiores ac languidiores. Duo tamen in hac talentorum diuisione ac distributione in primis obseruanda sunt. Primum, Dominum seruos omnes ad se euocasse, ac selegisse de numero, quos volebat, iisq; suas ipsum facultates distribuisse; neminem vero seruorum vltro se obtulisse aut ingessisse, neminem talenta sponte accepisse aut abstulisse. Vnde inferamus licet, eos qui legitime vocati non sunt, sed ambitione acti, vanitate ebrii, aut alia quapiam inordinata cupiditate inescati seipsos intrudunt atque offerunt, in Pastores aut Ecclesię Doctores admittendos non esse, sed plane ac vere vt hæreticos habendos.

Qui sine missione prædicant, sunt hæretici.

Hinc insuper discimus, quicunque à Iesu Christi manu honores, bona, gradus, dignitatesue non recipiunt, sed eas studio petunt, summa contentione ambiunt, & quam enixissime & efflictissime iisdem inhiant, veros Iesu Christi seruos non esse, sed fures ac latrones. Hanc ob causam non immerito filii Zebedæi quam ardentissime honorem à Redemptore, & primas in regno eiusdem cathedras contendentes ab ipso audiuere, *Nescitis quid petatis*, petitio vestra indecens est, ambitio inordinata, ac ratio excæcata. Quæ omnia fugillans Apostolus in epistola ad Hebræos sic scribit, *Nec quisquam sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Matth. 20.

Hebr. 5.

Ethnici ambitione exosa habēt.

Erat & Ethnicis ambitio omnis exosa, honorumque sitim ac studium nimium quantum detestabantur. Imperator enim Traianus ad Imperium euectus, vt omnibus palam faceret, non ambitione se aut artibus illicitis hominumque commendatione, sed sola deorum voluntate ac nutu in Imperatorem assumptum esse, numismatis quoddam genus vulgauit, quod dextrorsum eius nomen, sinistrorsum vero Iouem referebat, sceptrum illi aquilæ ministerio offerentem. Declarabat scilicet hac imagine, à summo se Deorum Imperio Romano admotum fuisse, cum aquila auium regina symbolum sit Imperii, quam suis etiam vexillis Romani præferebant.

Si

Si apud Ethnicos ea viguit modestia, vt suam ad munera, dignitatem, honores, vocationem electionemq; vni cœlo asscriberent, & omnem ambitum, petitionem, studium ac prensationē, quæ honorum in consectatione adhiberi solent, tantopere exosa habuerunt: Christianis sane magis ea res cordi esse debet & magis obseruanda. Et profecto quicunque sancto hoc dicitur nomine, in omnib. rebus suis cœlum consulat ante oportet, diuina decreta directionemque in omnibus sequatur, terrā ac terrenos semper vt suspectos habeat; honores, status, officia ac beneficia cœlitus & à Spiritus S. denominatione, non vero ab artibus & hominum pensatione exspectet. Quid enim nobis opus sit, nouit Deus, meritaq; nostra quousque se extendant ac quanta sint, perspectum habet melius quam mundus: sæpe namque reiicit ac reprobat, quos mundus promouere studet; & contra quos hic deprimere atq; in ordinem redigere contendit, sæpenumero ipse euehit. Testatur hoc aperte Psaltes, dicens, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Et sane multoties fieri videmus, vt quos mundus, & magnates honoribus ac dignitatib. ineptos existimant, hos ipse Deus, merita ipsorū ac dotes penitius intuens lapides angulares tam in statu politico, quam sacro constituat; alios, vt Iosephos ac Dauides ad regnorum gubernacula; alios, vt Aarones ac Moses, ad Ecclesiæ regimen assumendo.

Accipienda igitur à Domini manu talenta sunt, non vero contentiose emendicanda, cum parabola hominem hunc in seruos facultates distribuisse doceat: *Et vocauit seruos, & tradidit eis talenta.* Primo scilicet ad se euocauit, dein euocatis talenta concredidit. A Deo ergo euectionem ac bonum tuum exspecta, quisquis es, ipsum obsecra, vt statum tibi, beneficium ac dignitatem illam det, quam & suo honori & animæ tuæ saluti expedire cognouerit. Quidquid enim illle tibi daturus est, maxime tibi expediet ac conducet: nam qui videt & intuetur omnia, quique cuncta comperta habet, nouit simul, quid tibi sit necessarium. Audi quid hac super re sentiat Ecclesiasticus, *Oculi Domini*, inquit, *multo lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi.* Circumspicit inquam *omnes hominum vias*, quoniam perfectissime & opera & verba & cogitationes ipsorum, quæ sunt illorum velut viæ, cognoscit. *Profundum* etiam *abyssi*; nouit quippe arcana omnia desideria, intentiones, proposita, cogitationes intimas, & abditissima quæque molimina in cordis fibris latentia, quæ profundissima quædam abyssus sunt; quam præter Deum nemo alius ingenii sui bolide attingere valet, nedum cognoscere: nam scrutatur ipse corda & renes. Nouit rursus *vias omnes*, eo quod omnes vocationes, status, occupationes, officia, beneficia, dignitates, regna, imperia, quæ regiæ quædam ac patentes viæ sunt, per quas homines ambulant, & in quibus quandiu in hoc mundo agunt, commorantur ac detinentur, exactissime perspectas habeat. Harum ergo viarum si quam eius nutu vel decreto ingrediamur, errare aut declinare in præcipitia non possumus, sed si sponte nostra & impulsu proprio inire aliquam voluerimus, errandi periculum subest.

Rem manifestiori explico similitudine: Contingit non raro, vt viator per regionem incognitam iter faciens, in varias simul incidat vias, diuersa ad loca deducentes, quarum hæc illorsum, illa istorsum, hæc dextrorsum, illa sinistrorsum, alia quoque diametraliter ac recta ferat. Anceps viator ac dubitabundus quo se vertat nescit, quod eligat iter ignorat, ne erret ac deuiet, metuit. Viarum capita atque introitus dumtaxat videt, sed earum medium, fines, exitus cernere nequit; hinc sæpe, relicto recto, deuium iter ingreditur. Erroris ergo & deceptionis causa est, quod omnem quam late patet viam cernere coram nequeat. Huc referas, quod in Prouerbiis suis ait Sapiens, *Est via, Prou. 4.* inquit, *quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius ducunt ad mortem.* Ad eundem plane modum in officiis, dignitatibus ac statibus ineundis contingit: persæpe namque homines ignari, quam conditionem arripiant, aut cui munere se dedant, (eo quod exitus

Ecc. 23.

Deus nouit vias hominis.

Simile.

Homo à Deo, non à hominibus electio, item & honorem exspectat.

Ps. 117.

Deus euehit quos mundus deprimit.

A Deo status ac beneficia petēda.

exitus & nouissima ipsorum ignorent) turpissime impingunt, errant ac falluntur, & damno sæpe suo statum eligentes, pessimum deligunt, atque optimum repudiant. Hic se statui applicare vult Ecclesiastico, qui si in mundo maneret, longe satius foret, ille reipublicæ præsidens & publica administrans munera, perniciem animæ incurrit, qui hoc relicto itinere, & monasticum ingressus, eiusdem haud dubie salutem operaretur. Deus ergo, qui singula nouit & introspicit, solus sine errore ac certissime suggerere nobis potest, ecquod iter, statum, conditionemq; arripere nos oporteat. Orandus proinde est, vt nos, qui itinera ignoramus, dirigere, ac ne vspiam deuiemus, in omnibus deducere dignetur.

Tob.10. Tobias iunior, longinquum instituturus iter, cœlo missum habebat Angelum, itineris comitem, qui ab eius latere nunquam recessit, sospitemque & incolumem reduxit, quod illemet beneficium redux agnoscens, patri ait, *Me duxit & reduxit saluum*, sine periculo, feliciter ac propterea magnis erga eum deinctus sum nominibus. Magnus *Testamenti Angelus* est Iesus Christus, quos vero tu cursus inis, diuersæ sunt viæ ac viuendi rationes, quæ in mundo occurrunt, & diuersæ occasiones: nunquam solus eas ineas oportet, ne forte in iisdem erres, sed semper Angelum hunc comitem habeas, qui omnes perspectas habet vias, vt te discrimini subducat, in itinere tueatur, defendat, dirigat ac custodiat. Hoc spectabat & Psalmographus, qui licet Rex foret, vias tamen hasce metuens, non ante easdem ordiri audebat, quam Deus iter demonstrasset. Quocirca eum ex corde obsecrat: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*; nam erraui sicut ouis quæ periit, quoniam vias ignoro.

Psal.24.

Deus noster esse dux debet in omnibus actionibus nostris.

Deus consulendus, antequam status eligendus.

Alia insuper nos impellere ratio ad Deum, antequam statum aliquem aut munus suscipiamus, consulendũ debet. Nam postquam aliquod iam à Dei manu officium aut munus suscepimus, in omnibus quæ in eo occurrere possunt difficultatibus libere ad ipsum refugere, auxilium eiusdem implorare, opem poscere poterimus, quandoquidem ad hoc nos ille munus vocauit ac promouit: at si inconsulto Deo, & infallibili Spiritus sancti directione decretoque neglecto amicorum tuorum consilium, parentum ambitionem, mundi prensationem secutus, tuo ipse motu & instinctu aliquam vltro dignitatem capessas, à Deo quam iustissime derelinqueris, atque ille tibi tum, & merito quidem, omnibus in difficultatibus & impedimentis ingruentibus oggeret. Aliunde subsidium pete, eos consule, qui hanc ad dignitatem te euexerint, neque enim me suasore & auctore hanc adisti, quapropter nec tibi teneor auxiliari, nec tuis in rebus adesse. Manifeste hoc apud Isaiam declarat, dicens, *Opera tua non proderunt tibi, cum clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus.* Congregatos vocat eos, quos homo ad consulendum adierat, & quorum suis in consiliis ac rebus consilium secuturus erat.

Tantundem apud alium Prophetam, Oseam scilicet, reperies, apud quem iratus Deus, quod ipsius consilia fidi fierent, sic cum Israele expostulat, *Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum, ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes exstiterunt, & non cognoui.* Perinde ac si diceret, Me non consulto, & suam mihi non aperientes voluntatem, ad honores, dignitates ac regna aspirarunt, sed hoc ipsorum erit exitium, pernicies ac ruina, si me enim consuluissent, nunquam ex me audissent, hisce se vt honorum molibus obruerent. *Ose.8.*

Audite quid egregium ac mire hoc faciens. Decreuerat Deus Optimus Maximus Macchabæorum opera Israelitas in libertatem asserere, & ab hoste vindicare, quin & ad hoc ipsos delegit, simulque robur & dexteram auxiliatricem in hanc ipse rem illis subministrauit. Sed libro Macchabæorum primo legimus, *Iosephus & Azarias audientes magnalia Iudæ & Ionathæ, dixerunt, Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus, pugnemus aduersus gentes, quæ in circuitu nostro sunt, existimantes fortiter se facturos, sed fugati sunt cum magna plaga.* Cuius stragis rationem sacra reddens historia subnectit; *Ipsi autem non erant de semine virorum, per quos salus facta*

facta est in Israel. Quasi diceret Spiritus sanctus, Non erant cœlitus ad hoc munus ac commissionem electi, nec vocati, hinc nihil prorsus effecerunt, & fusi fugatique sunt. Vi-

Qui munera exercent

deris igitur, auditores, nisi à Deo ad dignationem vocati electi ac vocati sitis, incassum vos la-

Deo, actũ boraturos, & actum acturos; contra vero fe-

gunt. liciter vobis succedent omnia, beati eritis, ad votum fluent omnia, si vos ipse eo vocauerit, vti serui illi Euangelici à Domino suo vocati sunt, *Vocauit seruos, & tradidit eis bona sua.*

IV. Alterum, quod hac in parabola notandum venit, est, quemlibet acceptis talentis, negotiari ac fœnore multiplici eadem augere debere, id est, acceptis à Deo gratijs bene rectèque vtendum esse, quod vt faceret quisliber, Apostolus adhortatur & docet,

2. Cor. 6. *Adiuuantes* & consolantes in afflictionibus *vos exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Hunc porro loquendi modum à Regio Propheta mutuatus videtur. Nam hic olim

Psal. 23. interrogans, *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?* mox sibi respondet, *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam*, &c. Quid est autem animam in vanum accipere? male scilicet eadem vti, & adeo non Dei sui cultui eam dedicare, honoris eiusdem studiosam reddere, eius præconiorum diuulgandorum cupidam efficere, & gratiarum diuinarum cooperatricem, vt potius dissolutioni vacet, tempus inutiliter consumat, voluptates consectetur, & Deum suum omnigenis sceleribus offendat. Verbo vt dicam, est anima abuti, & eam non ad boni exercitium, & honeste vt vitam instituat, compellere, sed ad malefaciendum pellicere, ac pecuino ritu vitam instituere.

Spiritualiter ergo negotiandum est, in rebus sanctis fructificandum, è talentis diuinis

Gen. 30. luctum trahendum, Deique facultates honesto cum fœnore multiplicandæ. Talis haud dubie mercator aut negotiator erat Iacobus Patriarcha, qui de bona rei familiaris soceri sui Labani administratione, deque anxia sua ad facultatum eiusdem & gregis incrementum procurandum solicitudine gloriatus, sic eumdem abiens compellauit, *Medicum ha-*

buisti, antequam venirem ad te, & nunc fines effectus es, dixitq; tibi Deus ad introitũ meum.

Næ ille beatus qui bona facultatesque diuinas multiplicat, deque ijsdem adaugendis laborat. Ea namque Dei est voluntas, atque hunc ob finem facultates seruis committit, vti ex hac parabola liquidò patet: vbi enim latine legimus, *tradidit illis bona sua*, Græce habetur, τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, id est, facultates, opes, substantiam, ac diuitias suas, quidquid scilicet possedit, illis tradidit: non quidem vt ijs abuterentur, prodigerent, nequiter dissiparent dissolutionibus impenderent, aut prout iuberet, cõsumerent: nequaquam; sed vt honestè ijsdem negotiarentur, ipsa prudenter adaugerent, & sapienter ac prout oportet administrarent.

Dei donis non est male vtendum.

Qui porro secus agunt, talentis acceptis abutuntur, gratias diuinas perperam impendunt, in quos grauissimis Deus optimus maximus supplicijs solet animaduertere. In huius rei figuram in Exodo legimus, *Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, vt audiatur sonitus, quando ingredi ur, & egredi tur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Summus ergo Sacerdos quotiescumque officij sui ministerio functurus, sancta Sanctorum ingrederetur aut egrederetur, sub pœna mortis incurrendæ tunicam Pontificiam indutus esse debebat, & alligatis eidem tintinnabulis sonitum aliquem in conspectu Domini edere. Quam præclarum hic latet mysterium? Tintinnabula Aaronis gratiæ sunt ac dona homini à Deo concredita, quæ numquam non sonum, quamdiu in Ecclesia, quæ verum nostrum est sanctuarium, agimus, tum bono exemplo, tum vita inculpabili, sub mortis & damnationis æternæ pœna, edere necesse est. Sed audite & aliam figuram eiusdem propè generis.

Male iis vtentes ipse punit. *Exod* 28.

Numquamne arborem illam Babylonicã, quam Daniel suo in libro describit, arborem inquam illam patulam considerastis? Erat hæc arborum omnium, quæ vsquam visæ sunt, & maxima, & maximè admirabilis. Ipsa enim è Danielis descriptione, radices ad imas vsque abyssos emittebat, ramos luxuriantes vltra nubium concaua extendebat; latitudine vero quatuor mundi occupabat

angulos; adhæc tantũ ipsa gerebat fructuum, vt sub mole prope succumberet. Quid autem eidem accidit? ecquæ sors illius fuit aut exitus? Propheta ergo hanc dum accuratius contemplatur, & tacitus admiratur, ecce tibi cœlo vox dicens, *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excuti e folia, & dispergite fructus.*

Arbor Nabuchodonosor moraliter exposita.

Quamobrem triste hoc excidium? quid ferax hæc arbor promeruit? vnde tanta displicentia & Dei ira? Rationem subiungit Propheta dicens, *Vescebatur ex ea omnis caro.* quasi diceret, arboris huius velut ingratitudinem sugillans, tot eam tamque præclaris ab auctore naturæ acceptis fructibus abusam esse: nam adeo non homines ipsa pascebat, vt iisdem bestias enutriret. quo verbo tacite innuit sua male illam abundantia vsam, & quam acceperat sortem ac gratiam non recte impendisse.

Inuectiua in Prælatos bonis Ecclesiæ abutentes.

Historia hæc terribilis est, sed quæ sicut illustria complectitur mysteria, ita & formidinem non mediocrem incutit, docetque magnates illos, magnos inquam illos Præsules, eruditos Doctores, opulentos Abbates, locupletes Episcopos, qui omnes ingentes Ecclesiæ arbores sunt, atque omnes multiplici fructu, puta tot facultatibus, honoribus, gratiis, diuitiisque tam temporalibus, quam spiritualibus onusti, prospicere & dare operam debere, ne iisdem abutantur, ac ne hoc ipsum, quod arbori huic contigit, sibi eueniat; videre inquam debere, ne Deus succenseat, quod facultatibus ac reditibus suis inopes non alant, doctrina ignaros & inscios non erudiant, sed illos in scorta, in canes venaticos ac luxum, hanc vero in ioculares & ridiculas narrationes sermonesque plausibiles & comicos impendant; ne inquam exacerbatus Deus, quod, quæ ipsorum est ingratitudo, gratiis acceptis tam nequiter abutantur, Ecclesia eos sua exscindat, beneficiis suis spoliet, à mortis securi eos succidi sinat, quo deinde in tartareas flammas, velut inutiles quidam trunci, abiiciantur, iuxta illud Euangelicum epiphonema: *Omnis arbor, quæ non fecit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Matt. 3. Luc. 3.

Magnus ille paterfamilias apud Matthæum maiorem in modum obstupuit, audito è seruis semen bonum ac triticum, quod in agro suo seminarat, non vsque adeo excrescere, sed infelicia eius loco zizania ac lolium exsurgere, vnde mirantem illi allocuti aiunt, *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania:* Quanto grauius ac funestius Deo spectaculum est (si modo vllus in ipsum cadere dolor potest) quanto lugubrior nuntius, iam inde è cœlo audire, & in terris etiam intueri, postquam tot in anima tua dona, tot gratias, tot scientias, tot opes, ac diuitias seminauit, nullum ex iis bonum excrescere, sola zizania pullulare, omnigena exsurgere vitia? An non hoc reuera Deum est offendere? an non hoc eius est gratiis atque anima tua abuti? Iram ergo Dei & terribilia iudicis illius tremendi iudicia perhorresce.

Matt. 13.

Allegoria.

Absalon Princeps Israel, & Dauidis filius, vt è Regum colligere est historia, crines habebat elegantissimos ac pulcherrimos, eius quidem pretii ac valoris, vt eos mulieres ad auri pondus appensos magno redimerent, quo suam iis comam adornarent. Ille vero hac se efferens comæ pulchritudine, ac nimium quantum corporis decore gloriatus, aduersus patrẽ dum bellum rebellis mouet, is ipse decor mortis illi causa fuit; nam crines laquei supplentes vicem, adhærentes ilici, domino inde pendulo mortem attulerunt.

2. Reg 14.

Mors Absalomi moraliter exposita.

Audite Principes, qui in aulis ac regiis agitis vosque illustres & potentes Præsules, qui ad Ecclesiarum sedetis gubernacula, honores, status, dignitates, reditus annui, vestes splendidæ, denique opes illæ affluentissimæ, crines sunt fulgidi, quibus condecoramini, sed videte, ne iisdem abutamini, nolite inde insolentiores reddi, Deum iis nolite offendere, ne forte hæc ipsa damnationis vestræ sint laqueus, mortis vestræ occasio, ruinæ denique vestræ seges & materia.

Hebræi abutentes diuitiis, quas Deus iis Ægypto egredientibus liberali contulerat manu, easque in idolorum fabricam impendentes, Deum cœli ad iracundiam prouocarunt, qui in eos grauissime in tanti sceleris expiationem animaduertit.

Exod. 32.

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Ac

Allegoria. Ac Magnates tam Ecclesiastici, quam laici sibi prospiciant, caueant, ac dent operam, ne thesauris & opibus spiritualibus à Deo datis perperam vtentes, illasque ad idola confiandа, ad meretrices fouendas, ad aues & canes alendos, ad vestes parandas, conuiuia instruenda, domos construendas, tripudia instituenda, aliaque, quibus idololatrica quadam mania adhærent, facienda impendentes, omnipotentis iracundiam prouocent, ipsius indignationem incurrant, ac maiores etiam ei dent pœnas. Ira namque Dei magna est, & iudicia eiusdem summopere metuenda.

V. S. Nicolaus fidelis Dei seruus.

Non hoc vitam ritu (quandoquidem iam secunda orationis est pars inchoanda) instituebat sanctus Nicolaus, suis in actionibus prudentior erat ac moderatior, suis in negotiationibus sapientior, suis in muniis cautior, inque domini atque heri sui rebus administrandis fidelior ac sagacior. Numquam scilicet donis est cœlestibus abusus, sed acceptis à Christo talentis fideliter ac sedulo negotiatus. Hanc ob causam & merito quidem de illo canit Ecclesia; *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Fuit hic virorum proborum flos, eleemosynis deditorum speculum, ieiunantium exemplum, Præsulum moratorum ornamentum, ac fortasse Episcopus & perfectissimus & sanctissimus omnium, quos vnquam habuit Ecclesia.

Matth. 25. Luc. 19.

Hunc ergo vt ab vitæ exordio ad finem vsque continua serie deducendo vobis depingam, noueritis oportet, illum iam inde ab incunabulis Deum timere cœpisse, virtutum succum vna cum nutricis lacte imbibendo, quod pium ille iter tota deinde vita retinuit, nec ab eo vel latum deflexit vnguē. Apostolus vitæ bene instituendæ rationem, Christianis omnibus in genere necessariam, tradens scribit, *Sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo.* perinde ac si diceret: Ad bene in hoc mundo legitimeque viuendum tria apprime sunt necessaria, sobrietas quoad nosipsos, iustitia erga proximum, pietas denique erga Deum. S. Nicolaus triplex hoc virtutis membrum quam exactissime habuit, & iuxta huius præscriptum honestissimam vitam duxit. In pueritia scilicet sobrietatem coluit, in ætate virili munificentiam erga inopes simul & iustitiam, in senectute denique eximiam quamdam pietatem ac deuotionem.

Tit. 2.

Certissimum est autem, illum iam inde ab incunabulis & fascijs puerilibus ieiunium colere cœpisse, tertio singulis hebdomadis nutritia sugere vbera detrectando. In quo sane insignis sobrietatis actus elucet, dum hoc Prophetæ consilium secutus est, *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Ieiunare porro, delitijs se priuare, austeritatem consectari, facere opus pœnitentiæ, iuga sunt & iussa Dei: quicumque autem hæc à puerilibus annis exercuerit, vti Nicolaus noster, eo est laude dignior, meritoque gloriari poterit, iam inde à vitæ primordijs iugo se Domini collum submittere cœpisse.

S. Nicolaus etiamnum puer ter quotebdomadis ab vbere abstinuit. *Thren.* 3.

Percontatus Isaias: *Quem docebit scientiam? aut quem intelligere faciet auditum?* sibi ipse respondet, & sic hanc quæstionem dissoluit, *Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus* nutricis suæ. Quæ cum ita sint, & S. Nicolaus noster, nescio quo Dei instinctu & arcano quodam Spiritus sancti motu, lac & vbera matris reliquerit, credibile fit, & ipse mihi persuadeo, ideo id factum esse, quod magnam illum Deus scientiam ac sapientiam esset edocturus, vt de virtute ac mysteriorum notitia iudicaret.

Isai. 28.

Dei sui mirabilia exaltans Psaltes, & incomprehēsibiles diuinæ eiusdem prouidentiæ actus, hæc inter alia habet, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam.* dicere vult: Quam es in omnibus admirabilis, Domine? omnes omnino creaturæ tuæ noctes atq; dies laudem tuam deprædicant, potentiamque tuam decantant: sed nulla tibi laus maior aut perfectior defertur, quam ab infantium ac paruulorum ore etiamnum ab vberibus maternis pendentium. Verba hæc velut vaticinium quoddam aut præsagium, in sancti Nicolai nostri honorem laudemque studio prolata à Psalmographo videntur. Si enim ieiunium corporis edomatio, voluptatum carentia, aliaque pia sanctaque opera, actus sunt laudis immediate ad

Deum directi, & sanctus hic vir tales iam inde ab infantia, & maternis affixus vberibus ediderit, perfectissimas ab illo laudes accepisse Deum credendum est.

Exinde iam vir factus, è beati Apostoli præscripto vitam instituit iustam, eleemosynas scilicet elargiendo, & eam in proximum charitatem exhibendo, vt etiam hodie illustri hoc, *Pater pauperum*, nomine dicatur. Nemini porro mirum videatur, si per τὸ *Iuste* charitatem intelligam. Scimus enim iustitiæ nomine charitatem & eleemosynam nominari. Testis erit ille Matthæi locus, *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* quo loco per *iustitiã* eleemosyna intelligenda venit, vt è sequenti fit sententia manifestum, quæ à priori sensu non declinat: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere.* quod sc. initio orationis *iustitiam* vocarat, in fine seipsum explicans eleemosynam se intellexisse significat. Hac virtute eminuit S. Nicolaus, & Christi consilium secutus, semper eam clanculo & in abscondito exercuit; crumenas auro turgidas per fenestram de nocte, ne quis id resciret, iaciendo, vt inops pater filias nuptui traderet, sumptusque præstaret elocandis puellis necessarios.

Tit. 2.

Matth. 6.

Eleemosyna dicitur *iustitia* in Euangelio.

Scytales serpentis proprietas

Scytale serpens, vt quidem naturalium rerum tradunt Scriptores, hoc à natura inditum habet, vt semper cauerna lateat, numquam vt egrediatur, nisi compulsus; hinc aliquam inter ipsum & litteras illas occultas & arcanas, quas Scytalas vocant, esse similitudinem ac conuenientiam volunt quod serpens hic secretam quamdã & incognitam viuendi rationem haberet. Hæc insuper illi inest proprietas, quod noua quadam & alijs serpentibus insolita ratione exuuias ponat: ceteri enim sub solstitio æstiuo, æstu per omnia sæuiente pellem veterem deponunt, hic vero solstitio brumali & hyemis medio tantus porro exuuijs illius inest calor, vt quotiescumq; agricolæ frigidas habent manus, easdem calefacturi, has applicent exuuias, quas permagni faciunt. Sed iam proprietatem hanc proposito nostro adaptemus.

Eleemosynæ symbolum.

Quicumque ergo eleemosynas facere volet, serpentis huius naturam imitetur oportet: bona namque eleemosyna omnes hasce habere conditiones debet, quo legitima habeatur. Primo namque secreta sit oportet & occulta: suadet hoc apud Matthæum Redemptor dicens, *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Secundo oportuno fiat tempore, quo scilicet prodesse queat accipienti ac dãti, quid enim tibi profuerit eleemosynas dare iamiam morituro & agonizanti, vt nimirum ab aliis videaris, cum inops iam præ fame dudum exspirauit? quid serpenti profuerit exuuias posuisse, cum omnes æstus iam ante torruit & tantum non suffocauit? Sanctus Nicolaus vero suis in eleemosynis elargiendis eo quo debuit modo processit: erat enim primo suis in actionibus secretus, clam pauperibus stipem elargiens; deinde tempore opportuno & conuenienti eamdem erogabat: quo enim die, hora & momento necessitatem & inopiam perspectam indigentium habebat, eo charitatem exercebat, eo eleemosynas effundebat.

Matth. 6.

Præter sobrietatem infantilem, & iustitiam atque charitatem ætatis virilis, suam etiam in senectute, ex Apostolico præcepto, pietatem exeruit (*Pie viuamus in hoc sæculo.*) Hac ætate, iam ad dignitatem Ecclesiasticã euectus, nonnisi deuotionem spirabat, nonnisi è sancto quodam affectu loquebatur, semper piam intentionem testabatur, denique nonnisi in humilitate, austeritate, omnique mortificationis Christianæ genere viuebat. Vt Episcopus & Prælatus Ecclesiasticus, cum reliquis Patribus Niceno interfuit Concilio, quo fidem & in primis Iesu Christi diuinitatem, quam Ecclesiæ inimici inique negabant & in controuersiam vocabant, aduersus hæreticos Arianos tueretur. Vt magnus & illustris Doctor, verbo & doctrina potens, SS. Trinitatis mysterium contra eosdem, à quibus vehementer oppugnabatur, acerrime propugnauit, quos cũ rationibus simul & sacræ Scripturæ testimoniis abunde confutasset, quo illustrior foret victoria, & deuictorum maior confusio, naturalibus eos argumentis & experientijs os ipsis penitus opprimendo conuincebat. Arrepto quippe in manus latere iisque exhibito aiebat, Hanccine regulam cernitis, tria omnino

Tit. 2.

S. Nicolaus Niceno interfuit Concilio. Contra Arrianos mysterium SS. Trinitatis defendit.

nino diuersa in se complectentem? constat quippe aqua, argilla & igni, nonnisi tamen vnus est later. Ad eumdem plane modum in arcano ineffabilique sanctissimæ Trinitatis mysterio rem se habere vobis persuadeatis velim: nam in illa quidem tres discrepantes personæ sunt, & in relationibus plane oppositæ, at tamen nonnisi vnum & essentia & natura Deum constituunt, substantia hic vnitatem, & relatione causante differentias.

1. Nicolaus Episcopus Myrenſis.

Episcopum eum esse dixi, & vere dixi: Myrensi enim Ecclesiæ præfuit. Vt autem prodigiosam illius ad Episcopatum electionem, & diuinam plane assumptionem, vtpote, qui à Deo, non vero ab hominibus aut propria prensatione ad dignitatem hanc sacram euectus fuit, consulto taceam, hoc vnū dicam, tantam eum hoc in munere sapientiem, prudentiam ac virtutem prætulisse, vt nemo non viderit, sicut vocatio eius plane erat sancta, ita & eadem vitam sanctitate clarusse.

2. Nicolaus suo in munere vigilās fuit.

Sexcentæ Episcopum hunc ad dignitatem hanc sacram euectum dotes ac virtutes Episcopales illustrarunt, sed inprimis admirabilis ac sedula animarum cura, & indefatigabilis in grege Dominico conseruando tuendoque vigilantia. Jacob Patriarcha suā, vt pastor, solicitudinem, quam in soceri Labani gregibus pascendis custodiendisque aliquando habuerat, exaggerans, simul etiam quos ea in re subierat labores recensens, sic loquebatur, *Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, perpetuaque in anxietudine ac labore agebam. Non minor Episcopi nostri in Jesu Christi grege tuendo exstitit vigilantia ac solicitudo. Quo enim ipse noctes duxit insomnes? quot labores pertulit? quot pœnas perpessus est? quoties sudores, quoties frigus, gelu, æstum, aliaque corporis incommoda tolerauit? ad peccatores in salutis semitam reuocandos, ad oues errabundas ad caulā Dominicam reducendas, ad lupos à stabulis arcendos, ad hæreticos debellandos, ad fideles adiuuandos ac fouendos, ad verbum Dei prædicandum, ad diœcesin obeundam aliosque labores in munere suo debite administrando perferendos.

Gen. 31.

Perdifficile, obscurum, & inuolutum hocce apud Salomonem est ænigma, *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, leo fortissimus bestiarum, gallus succinctus lumbos suos, & aries, nec est Rex, qui resistat ei.* Quid sibi Sapiens hic vult? quid hocce ænigma aut emblema denotat? quid eum ad dissimilia hęc animalia, puta leonem, gallum & arietem, simul combinanda permouit; ac dicendum, hęc tria mire inter se conuenire, neu Regem dari posse, qui illorum resistat potentiæ? quid? ouem leoni iungi, & vtrisque gallum, ac dicere, adeo bene hæc simul gradi, ac tantam eorum iunctorum esse potentiam, vt eisdem reges cedant: Aliquod hic latitat mysterium, quapropter ipsum enucleandum est, vobisque eiusdem cortex denudandus.

Beda in 10. Prou.

Locum hunc exponens Venerabilis Beda, & rem aperiens, per leonem vult Redemptorem JESVM intelligi, qui multoties leonis nomine in sacris voluminibus nominatur (*Vicit leo de tribu Iuda*) per gallum vero lumbos succinctum doctos concionatores: per arietem denique ordinē Sacerdotalem, gregi Christianorum bono exemplo præeuntem: dicitque hæc tria coniuncta, & simul gradientia, Sacerdotes nempe, Prædicatores, & Jesum Christum adeo quidem esse potentia, nulla vt in mundo sit fortitudo, aut potentia, quam non superent ac pessumdent. In hoc porro Ecclesiæ situm est robur, hoc mundum simul & tartarum frenat omnesque eorundem vires, machinamenta, molimina, atque oppugnationes euanidas reddit atq; euentilat.

Huic expositioni & ipse pondus auctoritatemque addo, aliud tamen iter insistens, alio sensu, tum tria hæc animalia bene gradi & recte inter se conuenire sentio, cum in Episcopo aut alio quo libet Ecclesiæ Præfecto simul & leonina generositas, & ouina innocentia, & gallina vigilantia concurrunt: singula namque hæc imprimis necessaria & quodammodo essentialia sunt cuilibet, qui aliis in Ecclesia præesse, & dignitate aliqua fungi desiderat. Generosus & infractus leonis instar sit oportet ad religionem propugnandam, vitiisque resistendum; instar ouis item innocens, simplex, omnisque malitiæ

Episcopo necessariæ dotes.

expers in vitæ ratione ac moribus; denique vt gallus domesticus vigilans, ac de animarum conseruatione & salute sollicitus. Quæ tria, vbi in Episcopo maritata videbis, tunc omnia recte procedere censebis, nihilque omnino Ecclesiæ prosperitati tranquillitatiq; nocere posse.

Vigilantia Episcopo necessaria.

*Prou.*30.

Dores hæ singulæ ad perfectionem ac munus Episcopi vere necessariæ sunt, sed imprimis vigilantia. In huius rei figuram esto hoc inter alia veteris legis statuta ac præcepta, Leuitico cõtenta, minime postremum, quo cœcum omnem vetuit ad altare suum Deus accedere, quo sacerdotio fungeretur, *Si cœcus, si claudus, si fracta manu, non accedet ad ministerium altaris.* Cœcus ignorantis est imago aut dormientis: vterque porro summopere Deo displicet, & indignus est, qui inter Ecclesiæ eiusdem ministros eligatur. Hanc ob causam in Zacharia hæc in malos Pastores inuectiua legitur, *O pastor & idolum derelinquens gregem!* Idolum porro, verus nõ est homo, etsi homo videatur: duos quidem habet oculos, non tamen vt videat; aut vigilias agat. Malus Prælatus, qui gregem suum negligit, qui muneri suo debite legitimeque non vtitur, qui de animarum salute nequidquam solicitus est, nulla parte vigilans est, verũ est idolum, Pastoris quidem nomen, titulum, ac characterem habet, sed reuera non est, sed nonnisi per speciem. *Oculos habent, & non videbunt:* oculos inquam ingenij, scientiæ, animi, perfectionum, meritorum, non tamen vt super diœceses suas vigilent, vt quæ religioni imminent discrimina detegant, vt inimicorum molimina disiiciant, vt mores deprauatos emẽdent, & dissolutionem omnem tollant; sed ècontra nonnisi iocularia captant, voluptates ac delitias consectantur, in aula agere, magnates colere, & rem suam promouere omni mentis vitiumq; contentione allaborant.

*Zach.*11. Mali Prælati idolis comparati.

Malorum Præsulum abusus.

*Leuit.*2.

Vt manifestum vero fiat, quantum vigilantia hæc Prælato necessaria sit, quantique ponderis, in Leuitico dicitur Sacerdotibus ac Leuitis iniunctum esse, vt, quo die summus Pontifex consecrabatur, nocte & die integra in tabernaculo commorarentur excubias Domini agentes; *Die,* inquit Dominus, *ac nocte manebitis in tabernaculo, obseruantes custodias Domini ne moriamini.* Glossa autem interlinearis *nocte ac die,* exponit, *prosperitate & aduersitate*; & *in tabernaculo,* explicat, *in seruitio Domini.* quo datur intelligi, Episcopum aut Præsulem sub mortis ac damnationis incurrendæ pœna seruire Domino, eius seruare gregem, & super eodem excubias agere, tam in aduersis quam prosperis, & omnibus in casibus debere.

Episcopus sub pœna mortis tenetur Deo seruire, & super gregem excubare.

An ignoratis vltimam Apostolorum Principi & totius Ecclesiæ Pastori Petro factam reprehensionem in eo potissimum sitam fuisse, quod Juda proditionem iam adornante, bello Redemptori indicto, Ecclesia in angustias redacta dormiret, nec pro muneris sui partibus vigilaret? Hinc illi accedens Saluator ait: *Simon, non potuisti vna hora vigilare mecum?* perinde ac si diceret: Dormiréne securus vtramque in aurem potes & audes Simon, vbi caput atque antesignanum tuum periclitari cernis; oculosne claudere graue non ducis, videns inter præsentissima me agere discrimina? securéne dormitas, somno grauatus, tu, quem meum vicarium, Apostolorum principem, primarium Ecclesiæ pastorem, fidelium protectorem, ac tot animarum millium fideiussorem cõstitui? Notandum hic autem, illum, dum somnolentiæ insimulatur, non iam Petrum, sed Simonem duntaxat dici; quo ipse nomine ante vocationem, dum adhuc piscatoriam exerceret, vulgo dicebatur: vt hinc discamus, eum, qui Ecclesia laborante & afflictionibus exagitata dormit sopore victus, Prælati nomine indignum esse, nec legitimum Petri successorem.

*Matth.*27. S. Petrus somnolentiæ coarguitur.

Præclarum est, quod in Esaia in bonorum Pastorum commẽdationem, & mercenariorum minimeq; vigilantium probrum ac vituperium legitur: *Super muros tuos, Ierusalem,* inquit Dominus, *constitui custodes, tota die ac nocte in perpetuum non tacebunt,* facultates tuas & opes defendẽtes. Quinam vobis hi esse Jerosolymæ custodes & excubitores videtur, Auditores, clamantes ac vigilantes? non alij sane quam Antistites & Pastores Ecclesiæ, quos vt noctu & interdiu prædicationibus,

*Esai.*62. Prælati custodes sunt & excubiæ Ecclesiæ.

nibus, orationibus, ac precibus clamarent, & assidue eius in muris vigilias agerent, religionem nempe propugnando, hæreses euellendo & pro animarum salute excubando, Deus in eadem constituit.

Ezech. 1.

Cherubinus ille Exechielis prodigiosis quatuor simul habuisse facies scribitur, hominis, bonis, leonis & aquilæ: quem proinde & octo habuisse oculos fit verisimile. Propius spiritum hunc cœlestem inspicite, ac veram boni Episcopi eum esse imaginem comperietis; quem, Cherubini in modum, quatuor hosce diuersos vultus præferre necessum est; leoninum quidem in generositate, aquilinum in perspicacitate, bouinum in labore indefatigabili, humanum deniq; in clementia; & octo consequenter habeat oculos oportet, vt tantum videat, quantum octo alij, vt eminus nempe & cominus videat, quæ Ecclesiæ immineant discrimina, videndoque auxilium afferat. Singulares hæ dotes singulæ Nicolao nostro, vero in terris Cherubino, minime defuerunt. Leonis etenim vultum prætulit, vtpote quo nihil generosius vidit Ecclesia. Bouis quoque: quid enim eo laboriosius atque indefatigabilius? Hominis item: nihil namque benignius aut liberalius. Aquilæ denique: nullus quippe ipso exstitit vigilantior, nullus in rebus ad muneris sui functionem spectantibus perspiciendis cernens acutius.

Prælatus 4. præferat vultus.

S. Nicolaus in pauperes liberalis.

Præter infractam illam vigilantiam, quæ in glorioso hoc Nicolao perpetuam sedem fixerat, elucebat in illo indicibilis quædam charitas & misericordia prorsus admirabilis. Quidquid enim vltra victui ac vestitui necessaria sibi supererat, in egenos erogabat: vt de illo dici haud immerito queat, *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius* & charitas *manet in sæculum sæculi.* Hæc porro virtus Episcopo bono cumprime necessaria est. Signi & figuræ loco esto, quod Salomon duos ingentes in templo suo Cherubinos collocasse scribatur, & eos non aureos, sed oleaginos. Olea namque misericordiæ symbolum est, vt Episcoporum imago Cherubini. Denotat autem mysterium, Prælatos atque Episcopos, qui Cherubini quidam terrestres sunt, aut esse saltem debent, oleaginos etiam totos, id est, charitate & misericordia plenos in Ecclesia esse oportere, puellas inopes in matrimonium elocando, orphanis auxiliando, viduis suppetias ferendo, egenis stipem conferendo, ac largorum illorum prouentuum vltra victum necessarias reliquias in indigos distribuendo.

Psal. 111. 3. Reg. 6.

Cherubini Salomonici duorum aliorum, quos Moyses in Tabernaculo constituit, mihi refricant memoriam, alis suis propitiatorium obrumbrantium: Salomonis autem ianuam respiciebant. Primi hauddubie sedulos repræsentat Prælatos, propitiatorio incubantes, qui eleemosynis elargiendis sunt inclyti, & paupertati alienæ succurrunt; qualis hauddubie Nicolaus noster erat: postremi deteriorum imago sunt, qui de honore Dei, & proximi amore ne hilum laborant, ac ianuam respiciunt, de solis facultatibus terrenis solliciti, priuata spectantes commoda ac fortunæ semper lautiori inhiantes.

Exod. 25. 3. Reg. 6.

S. Nicolaus omnia contempsit.

Accedet & hoc ad Nicolai nostri laudes corollarium ac velut summa, quod, præterquam quod sedulo super gregem excubarit, & facultates in egenos effuderit, terrena omnia insigni quadam generositate contempserit. Mundum siquidem ridebat, vanitates omnes pedibus proterebat, & vnicam humilitatem respiciebat, quin & ad perfectam suiipsius abnegationem pertigerat. Etsi enim corpore in terris ageret, in cœlestibus tamen animo menteque commorabatur, vtpote illorum de numero, qui apud Apostolum dicunt, *nostra autem conuersatio in cœlis est.* Inter diuitias enim & honores paupertatem complectebatur, inter conuiuia & epulas sobrietatem fouebat, in luxu ac splendore mediocritatis erat amator, in voluptatibus ac commodis honestatis studosus, & in media rerum copia rerum omnium spirabat neglectum & abnegationem.

Philip. 3.

Tertio Regum libro, & in Exodo, columnæ tum templi Salomonici, tum tabernaculi Mosaici, cedrinæ, & æneæ fuisse scribuntur, non aureæ. Mirum profecto & inauditum, cum omnia in templo essent ex auro con-

3. Reg. 7. Exod. 25.

ro conflata & compacta, solas columnas ligneas fuisse. Denotabat hoc & mystice innuebat, Prælatos & Episcopos, qui Ecclesiæ columnæ ac bases sunt, non esse debere aureos vel argenteos, non pecuniosos, sed cedrinos, id est, incorruptibiles & vitio omni carentes; & æreos, id est, bonis moribus, & exemplis imitabilibus sonoros, & bonam vulgo famam habentes, beneque passim audientes.

Sap. 8. Sacerdotem summum in libro Sapientiæ sua in veste talari mundum vniuersum depictum gestasse tradit Salomon; erat autem, dum sacro ministerio fungebatur, nudipes. Mirum sane, inclytum illum Pontificem vniuersam mundi machinam humeris gestasse, pedes autem habuisse denudatos. Mysterium includit ac docet, Antistites & Episcopos, quamquam diuitiis omnibus & honoribus, quos offerre mundus potest, onustos ac donatos, affectus nihilominus, qui animæ sunt pedes, nudos ac penitus exutos habere debere. In huius rei confirmationem Apostolos suos Redemptor docebat, vt quoties per agros & oppida peregrinarentur, *sine sacculo, sine pera, sine calceamentis* incederent. Quod deinde Apostolus exponens cõsilium ac documentum, *Tanquam nihil habentes*, inquit, *& omnia possidentes*. Perinde ac si diceret, Veri Prælati ac discipuli Jesu Christi est ita viuere, quasi nihil penitus possideret, etsi habeat omnia; plenum esse & affluere diuitiis, affectu tamen iis non adhærescere, quasi in summa rerum ageret inopia; pium hoc pij Regis consilium quam exactissime sequendo dicentis, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Sensus est: Quamquam opibus abundetis animum tamen vel cor iis non applicate, affectum non affigite, voluntas semper ab iis sit alieniissima, atque ita viuite, quasi nihil penitus in mundo possideretis.

Prælati affectu rebus terrenis adhærere non debent.

Luc. 12.

2. Cor. 6.

Ps. al. 61.

Hæ sunt, auditores, virtutes, merita ac perfectiones glorioſi Confessoris Nicolai, quæ, vt essem æquo prolixior, in causa fuerunt: quapropter hic canam receptui, vos solummodo exhortans, vt vestigia sancti huius viri quam proxime sequamini, illius vitæ integritatem & innocentiam æmulemini. Exemplo enim vobis ipse præiuit, vt à prima vos ætate diuino cultui consecraretis, & annorum primitias omnipotentis Dei honori, & bello aduersus mundi illecebras suscipiendo.

Vos vero, studiosi adolescentes, collegiorum ornamenta, regnorum seminaria, prouinciarum spes, veterum truncorum propagines, egregiæ Ecclesiæ arbusculæ, bonarum litterarum cultores, Musarum deliciæ, Parnassi mystæ, scientiarum candidati, hodie alloquor; vos hæ litteræ compellant: vt vitæ scilicet vestræ exemplar ad S. Nicolai vitæ normam componatis. Illum vt patronum cooptatis, moderate ergo viuite, & ad eius imitationem Deo famulamini, illas annorum primitias virtuti impendite, probitatem iam inde ab incunabulis sectemini, & innocuam illam pueritiam diuino offerte obsequio. Hunc, ô Academiarum & Vniuersitatum flos, vrbium & oppidorum surculi, status tum sacri, tum laici seminaria, vitum vobis proponite, ac pios eius mores atque egregiam viuendi rationem summa animi contentione sequi studete: eius ad exemplum iam inde à primo ætatis vere delicias sæculi reiicite, & à colluuie, exemplo & consilio iniquorum declinate, omnem immunditiam & dissolutionem quam maxime fugite, tempus sedulo impendite, studia vestra prosequamini, in virtutis nolite via defatigari, sed ipsam cum scientia coniungite, Deiq; vos obsequio eiusq; Ecclesiæ promotioni aptos indies reddite. Studiosorum laus.

Vos autem Prælati illustres, honorabiles Episcopi, status ac regnorum lumina, religionis bases, pietatis prototypa, Ecclesiæ columnæ, cœlorum legati, Apostolorum successores, Jesu Christi commissarij, fidei tutores, fidelium Doctores, Scripturarum interpretes, mysteriorum œconomi, errorum reprehensores, veritatis consignatores, hæreseon iudices, & animarum ductores; sancti & prudentis huius Episcopi vitam morumque honestatem proponite illius austeritatem, in pauperes benignitatem & eleemosynarum profusionem perpendite. Respicite, obsecro, bonum quod omnibus dabat exemplum, sanctitatem vitæ quam ducebat, zelum Episcoporum elogium.

zelum quem omnibus in actionibus respirabat, & quam in munere magno debite peragendo pœnam ac molestiam subibat. Inprimis velim, notare, quo facultates Ecclesiæ administrarit modo, qua reditus dotales, census annuos, iura patrimonialia, aliasque diuitias ratione dispensarit. Non quidem in rhedas aut equos, non in famulorum aut pedissequorum cateruas, non in canum venaticorum & vertagorum alimentum, non in opiparas regificasque mensas, non in rem culinariam aut popinam, non in parentum, aut consanguineorum ad altiora promotionem, non denique in regum, aut magnatum sequelam adulationemq; eadem impendit, sed vt prudentes ac laude digni Antistites, in egenos largiter sua effundebat, orphanorum curam gerebat, re & opera pauperes iuuabat, puellas ab opibus destitutas nuptui dabat, afflictis qua poterat ope succurrebat, morbidorum domus & nosocomia obibat, & omni qua potis erat ratione proximo se totum impendebat.

Tu autem, Nicolae, studiosis quidem ob studia ac virtutem, Episcopis vero ob perfectionem, exemplum ac meritum summopere imitande, fuisti, es, atque in perpetuas retro generationes futurus es iuuentutis speculum, iam inde à puerilibus & impuberibus annis virtutum te consecrans exercitio, & vna cum lacte nutricis probitatis ac timoris diuini succum hauriens. Qui te videbant tam bene exordiri, teque sponte ab exiguis illis deliciis ac commodis infantili ætati debitis ablactantem quodammodo ac sequestrantem, iam tum, ecquis futurus eras grandior, quis meritorũ tuorum futurus fulgor, quo ieiunium ardore esses complexurus, iudicabant: prima hæc primæ ætatis tuæ exordia sufficientia erant hauddubie præsagia, è quibus de sanctitate, mirabilibus, ac reliquo vitæ tuæ statu certissimæ capi poterant coniecturæ. Fuisti scilicet, glorioſe Nicolae, diœcesis Myrienſis gloria, Ecclesiæ honor, atque totius vniuersi miraculum, fuisti inquam tuo tempore, & posteris, etiam nascituris, futurus es bonorum Episcoporum exemplum. Docuisti enim illos, ad hoc munus à Spiritu sancto assumptus, dignitates non ambire, honoribus non inhiare, ac vanitates non consectari. Reipsa ostendisti etiam, quam Prælatus animarum habere debeat curam, quo Dei cultum & honorẽ promouere zelo, quam in Ecclesia propugnanda præferre generositatem, quæ illi ad populum & commissum sibi gregem edocendum doctrina sit necessaria, qua inopes charitate complecti, quo lupos à caula & diœcesi arcere labore, qua impios coarguere, vitia reprimere, & hæreses iugulare ingritia debeat.

Omnes Beatissime Nicolae, te in Ecclesia Christiani venerantur, in scholis suspiceris, à naufragij in periculo versantibus in mari inuocaris; ius quippe habes in Episcopatus, priuilegium in scientias, potestatem denique in naufragia. Hanc ob causam & nos, vltimis hisce verbis inuitati, in procellosa mundi huius mari modo nauigantes, tempestatibus ac ventis agitati, naufragij ac mersionis in discrimine agentes, magna animi te contentione inuocamus, auxilium tuum deposcimus, summaq; animi demissione obtestamur, vt tuo sub fauore velut benigno quodam ac propitio sidere affulgente, & influxu, alterius vitæ portum feliciter inuehi mereamur; in illo namque omnis nostra sita est beatitudo, ad quam nos Pater & Filius ac Paracletus Spiritus deducere dignetur, Amen.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Partitio.

1. *De absoluta Dei potentia.*
2. *De conceptione originali puræ ipsius Deiparæ.*
3. *Variis figuris illustrata.*
4. *Rationibus à sacra Theologia petitis.*

De qua natus est Iesus, qui dicitur Christus, Matth. 1.

FIGVRA.

3. *Reg* 10. TErtio Regum Juda libro proditum est, Salomonem Regium quemdam construi iussisse thronum, auro purissimo conuestitum, duodecim nixum in ascensu leonibus, sed solido interius ebore constantem, cui, Scriptura teste, simile opus non vidit orbis. Certissimo nobis persuadeamus oportet, figuram illum operis illius diuini atque admirabilis, taciti tamen, quod in immaculata Beatissimæ Virginis conceptione omnipotens operaturus erat, fuisse. Hodie porro figuræ veritas succedit, hodie Deus ter maximus magnificum erigit thronum, in quo nimirum Salomon ille cœlestis consideret: Virginem inquam charitatis auro penitus & vndiquaque effulgentem, puritate plenissimam, septem Spiritus S. donis innixam ac fundatam: cui simile nihil vnquam à mortalibus conspectum fuit. O rem admirabilem! ô opus plane stupidum! ô thronum vere incomparabilem! ter millies etiam beatum diem illum, quo arbor illa primum consita est, quæ vitæ est fructum allatura: diem, quo constructa primum egregia illa sapientiæ domus, septem nixa columnis: diem, quo exiguum illud sinapeos granum seminatum est, quod deinde excrescens patula futura est arbos, in qua suum volucres cœli, id est, duæ illæ naturæ, humana scilicet ac diuina, nidum component: diem denique, quo filij Dei vnigeniti concepta est mater, sed sine vllo peccati næuo, sine omni macula, sed gratiarum ac mirabilium plenissima: de hoc ipse plenius ad vos agere hodierna die decreui, modo cœpta nostra Spiritui S. dirigere placuerit; Virgini vero huic precibus cœleste nobis auxiliū implorare, cum eius solius hic agatur honor, res, & gloria. Hunc in finem Angelicam salutationem illi quam possumus feruentissime offeramus.

AVE MARIA.

Vniuersa Theologorum schola duplicem semper in æterno illo & infinito esse, quod vulgo Deum dicimus, potentiam constituit, communem vnam & ordinariam, alteram absolutam & extraordinariam.

Prima est, qua suauiter omnia, iuxta statutum naturæ ordinem cursumque ordinarium Deus optimus maximus dirigit ac conducit. Sic hoc ipsum Sapiens declarat dicens, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Duplex in Deo potentia. Sap. 2.

Altera, omnipotens quædam est virtus, qua supremus ille agens & operator admirabilis creaturas, prout eius est beneplacitū, ac prout vult disponit; declaraturus scilicet esse se causam liberam, nō vero naturalem nullisve astrictam legibus: leges omnes perfringit, ac violat contra vulgatum vniuersi cursum & ordinem rem peragit, & opera patrat insolita, contra, præter, ac supra naturam, quæ esse vulgo dicimus miracula. De hac locutum verisimile est Dauidem, dum canit, *Narrabo omnia mirabilia tua.* & alibi, *Qui facit mirabilia magna solus* & rursus, *Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Psal. 8. Psal. 71. Psal. 105.

Adeo, vt cœlorum motus, elementorum inter se pugna, ventorum pernicitas, oceani æstus, aliique plurimi causarum illarum naturalium effectus primæ illius potentiæ sint argumenta. Sed diluuium vniuersale, ignis præter ordinem cœlo descendens, maris rubri diuisio, fornacis Babylonicæ impotentia, solis in meridie quies, rupis in torrentem reseratio, fluuiorum in sanguinem conuersio, serpentium in virgas, mulierum in statuas salis, aliaque præter vulgarem naturæ fluxum euenientia, secundæ sint effectus & indicia. Vtramque porro in magno illo Deo reperire est: quod productæ è sacris litteris figuræ manifestius reddent. Gen. 7. Gen. 19. Exod. 14. Dan. 2. Ioſue. 10.

Vidit primo Prophetiæ capite Ezechiel Cherubinum penitus prodigiosum, qui inter alia pedes simul habebat & alas; illos quidem, vt in terra incederet, has vero, vt in sublime se efferret, & nubium tenus euolaret. Portentosa hac imagine & emblemate duplex omnipotentis Dei potentia designatur. Ipse porro verus est Cherubinus, pedibus simul & alis instructus: illi potentiam eius- Figura.

dem

dem ordinariam repræsentant, qua causas particulares naturali ordine hic producit; hæ vero absolutam atque extraordinariam, qua illarum effectus sublimat, & vltra ac supra naturæ limites & leges communes eos producit. Huc forsitan respiciebat Dauid, cum in Psalmis diceret, *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra, & alta à longe cognoscit.* Id est, quis potentia Deo nostro est comparandus? vtpote, qui duplicem habet; modo potentia quadam ordinaria effectus inferiores & communes, quales sunt in cœlo motus & influxus, & in terra rerum generationes & corruptiones; deducens; (*Humilia respicit in cœlo & in terra*) modo extraordinarias, sublimes, & prodigiosas, & à communi naturæ ordine nimium quantum remotas operationes proferens. (*Et alta à longe cognoscit.*) Hæc quidem Theologorũ è scriniis deprompta sunt iam etiam Philosophorum archiua excutiamus, & inde conceptum aliquẽ efformemus.

Psal. 136.

Duplex motus in cœlo.

Vnanimis Philosophorum omnium consensus & consonantia est, adeoque illorum nemo de hoc ipso dubitauit, duplicem in cœlo motum reperiri; vnum quidem naturalem & ordinarium, quo sphæræ omnes & orbes cœlestes ab Occidente in Orientem raptantur; alterum vero violentum ac celerem quã maxime, qui aduerso cursu, viginti quatuor minus spatio horarum, per quatuor mundi cardines ipsos propellit ac rapit. Cum vero ab effectibus creaturarum ad Creatoris pertingamus cognitionem, vt quidem ait Apostolus; nõ aliter de magno illo Deo philosophandum est, cogitandumque eius in potentia duplicem reperiri motum; vnum velut naturalem potentiæ cuiusdam ordinariæ, qui omnia naturali suo motu & inclinatione ad effectuum productionem dirigit; alterum virtutis cuiusdam absolutæ, ac veluti violentum, qui contra omnes leges & consuetas vniuersi harmonias ac gressus vi quadam omnia impellit, vt miraculosos & insolitos, & numquam antea in rerum naturalium officina conspectos è causis procudat effectus.

Rom. 1.

Omnia hæc in sacris fundata sunt litteris, quæ de primæ illius potentiæ agentes effectis, plerumque eadem opera digitorum diuinorum nuncupant. Primus namque Dauid hoc illa donauit nomine dicens, *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* & post illum Esaias, *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Primus de cœlorum creatione, alter de terræ loquitur fundatione. dicit autem vterq;, hæc nonnisi tenuia quędam digiti Dei opera, & communes potentiæ illius ordinariæ effectus esse. Verum cum de alia sermo instituitur, velut de magna quadam re, ac brachij potentis, neruosi, validique impetu semper agi solet. Pleni huius rei testimoniis omnes sunt libri sacri. In Exodo primum occurrit, *In magnitudine brachij tui fiant immobiles quasi lapis.* deinde in Psalmis, *In manu potenti, & brachio excelso.* demum in Euangelio, *Fecit potentiam in brachio suo.* Moyses de Pharaonis loquitur mersione, Psaltes de prodigiis, quæ in Ægypto contigerunt, Lucas denique de excelso incarnationis mysterio: quæ omnia effectus sunt supernaturales, & extraordinaria absolutæ cuiusdam potentiæ opera.

Psal. 8.

Esai. 40.

Exod. 15.

Psal. 135.

Luc. 1.

Hactenus hæc eo produxi, quod hodie admirabile quoddam potentiæ illius extraordinariæ opus & argumentum recolendum proponatur. Communes namque summi illius Dei leges, decreta, statuta decernebant, omnes vt omnino mortales filij iræ nascerẽtur, inque originali delicto conciperentur; at hodie omnes hasce leges violans, & declarare cupiens, his se in legibus cum lubitum fuerit dispensare posse, & aliquod potentiæ huius absolutæ testimonium ostensurus, non sine miraculo hodie efficit, Virgo vt quædam singulari quodam priuilegio exciperetur, & sine vllo peccato aut macula conciperetur, Virgo inquam destinata & ab omni æternitate præelecta, quæ filij Dei genitrix foret. atque hoc est Euangelij hodierni epiphonema, *De qua natus est Iesus, qui dicitur Christus.* Virgo purissima, simul & sanctissima, Virgo simul & mater maxime admirabilis. Atque hæc est, de qua hodie locuturus sum materia, illius scilicet puritatem, cum sacræ Scripturæ auctoritatibus, tum veteris Testamenti figuris, tum denique rationibus Theo-

logicis asserere, ac triplici hoc basi triplicem concionis partē inædificare cupiens, in quibus omnibus illustrissimæ huius Virginis panegyristen agam.

II. Primo ergo velut fundamentum inconcussum suppono, non esse certum & indubitatum fidei articulum, nec sub æternæ damnationis pœna ad credendum Christianos teneri, peccati originalis expertem gloriosam Virginem Mariam in vtero matris conceptam esse, cum nihil in hac re certi adhuc Ecclesia statuerit, nullum hoc definierit Concilium, imo nec Tridentinum difficultatem soluere voluerit, etsi fauere videatur partem negantem tuentibus: quin vero multi auctores singularis & nominis, & scientiæ velut arbitrarium quid ac liberum hoc habuerunt, ceu rem ad fidem nullo pacto spectantem, vtpote quam vtrimq; rationes propugnant prægnantissimæ; quin & ipsi problematice in vtramque partem depromptis argumentis, tum lingua, tum calamo de eadem senserunt.

E contra vero, præterquam quod Virginis dignitas, filij eiusdem reuerentia, ac Religionis nostræ decentia & conuenientia nos ad hoc pie credendum inuitent & quodammodo compellant, ad eius probabilitatem asserendam tam euidentia sacris in voluminibus occurrunt testimonia & auctoritates, vt etiam maxime huic aduersantes suam in partem quodammodo violenter trahant, & piam hanc sententiam vt indubitatam amplecti cogunt. Primum, quod depromere volo testimonium è libro Prouerbiorum deductum est, atque hoc est, *Dominus possedit me*, & in sua potestate habuit, *ab initio viarum suarum*. Virgo ipsa hic loquitur, suamq; ipsa causam agit: per has autem Domini vias viam intelligit prædestinationis, creationis, & redemptionis generis humani, atque se ab omni æuo, antequam quidquam à Deo conderetur, præuideretur, aut aliqua creatura prædestinaretur, designatam, præuisam ac prædestinatam primam fuisse insinuat, primam dico nostro loquendi modo, qui in diuina præscientia alia priora, alia posteriora fingimus, etsi omnia eodem ibi instanti decreta & eodem consignata sint tempore. Similitudine euidenti fiet hoc manifestius.

Prou. 2.

Quemadmodum in picta aliqua tabula, si quando varios mixtosque præfert colores, & æqua omnes à vilu nostro remotos distantia, cæteris tamen viuaciores fulgentioresque citius in oculos incurrunt, & præ aliis primi agnoscuntur: vt licet vno omnes sint loco, vnum tamen & eundem non habeant fulgorem, & hi illis eminentiores sint. Idipsum in capaci illa diuinæ sapientiæ tabula consideremus necesse est, & dicamus, quamuis omnia in illa eodem repræsententur instanti, & ab omni æternitate Deus Optimus Maximus hæc ipsa sine vllo ordine priorum aut posteriorum perspiciat, quæ tamen cæteris perfectiora sunt, maioremque continent excellentiam, celerius à nobis cognosci, & pro qualitate sua in primo cognitionis ordine constitui. Ecce & aliam similitudinem. Simile.

In cœlo item etsi stellæ omnes antiquitate & ætate prope pares sint, & eadem ab oculis nostris intercapedine remotæ, quod tamen lumine ac splendore inter se discrepent, & inæqualiter fulgeāt, quæ cæteris micant lucidius, citius aliis videntur, & in oculos, animæ inquam feneſtras, velocius incurrunt. Non aliter de præscientiæ illius æternæ obiectis cogitandum est: quamquam enim omnia æterna sint, æqualiter à cogitatione nostra distent, & omnia simul & eodē ordine ab æternitate illa procedant; cum alia tamen aliis maiorem maiestatem & magnitudinem iudicio quidem nostro continere, & diuinius includere mysterium videantur, fit, vt hæc prius & ante alia conspiciamus, & in conceptuum nostrorum statera atq; æstimatione his primum, secundum illis locum attribuamus. Doctrinam hanc secutus Scotus animam Redemptoris hoc modo inter aliorum sanctorum animas primam prædestinatam & ante illas ad gloriam electam, & proxime post illam gloriosam Deiparæ animam præuisam fuisse asserit. Deus namq; omnipotens filium ad humanam assumendam naturam destinans, simul & eadem opera Virginem hanc inclytā selegit ac præuidit, quæ illi futura esset mater. Vt autē Doctoris huius opinio- Alia similitudo. In 3. sent. dist. 7. q. 3.

opinioni aliquod addamus pondus, illum Psalmistæ locum proferimus, *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam*; & per librum hunc magnum illum æternæ præscientiæ accipimus Calepinum, in cuius exordio ac prima pagina Iesu Christi nomen continetur, & homo ex Patris sui voluntate ac decreto futurus destinatur. Secunda ergo pagina Deiparæ nomen præferat necesse est prædestinatæ: Relatiua namque semper alterum alteri proxima sunt, & vno posito necesse simul poni & alterum; correlatiua porro inter se sunt mater & filius, Iesus Christus, eiusque beata mater.

Psal. 39.

Quapropter expresse & data opera ait, *Dominus possedit me in initio viarũ suarum*. ait inquam *possedit*, non *egit*, vt se sine peccato conceptã innueret: perinde ac si vellet dicere, Possedit me Dominus à primo conceptionis meæ instanti; atque hoc initium est viarum, quas ad mundum in libertatem vindicãdum seligere Domino placuit aut ẽt, vt rem altius arcessamus, à principio prædestinationis, præuisionis peccati cõmittendi, atq; incarnationis filij Dei latarum inquam præscientiæ diuinæ viarum. Vt vero vim verbi *possedit* comprehẽdamus, notemus oportet, Deum, vt vniuersi creatorem atque Dominum, in omnes creaturas suas, præsertim ratione donatas, vt quidẽ D. Thom. docet, nõ proprietatis modo ius, sed & possessionis habere, quamdiu videlicet illius in amore viuunt, diu sunt in gratia: vbi enim peccando gratia excidunt, sua Deus quoq; excidit possessione, ac dæmon id habitaculũ subit. Atqui certissimum est, & generali iam consuetudine inductum, vt iuxta vulgatam Iuris regulam, fructus sint possidentis. Si ergo certo sit certius, à Deo semper & ab omni æternitate Virginẽ hanc possessam, vt palã hoc ipsa testatur, *Dominus possedit me ab initio viarum suarum*, indubitatum quoq; erit, vniuersos animæ eius fructus, opera cuncta, atque omnia eiusdem proposita & intentiones, ipsius, ac proinde in gratia fuisse, & consequenter sine omni peccato exstitisse: vnde demum efficiamus licet, eam sine originarij delicti inquinatione cõceptam fuisse. Audite quid super ea re de se ipsa apud Ecclesiasticum virgo prædicat: *Flores mei fructus honestatis*, anima, inquit, mea flores emisit, ac Domino fructus tulit; non quidem insipidos, verminantes, puttidos, peccatum ac nescio quã siluecentiam redolentes, sed fructus bonos, dulcedine & honore plenos, & gratiam vndiquaq; respirantes. Quod vestrum de hoc testimonio iudicium est? auditores. Sed iam alterum depromamus.

1.q.10.

Eccli. 24.

Eodem Prouerbiorum in libro ac loco dicitur, *Antequam forent abyssi, ego iam concepta eram*. Omnes omnino interpretes verba hæc de Virginis conceptione exponunt, voluntque ipsam hic loqui, & immaculatam conceptionem suam astruere; dicentes illam cœlitus electam & prædestinatam, antequã conderentur abyssi, peccatum scilicet, mortem & damnationem perpetuam per hasce abyssos intelligendo. Ecquæ abyssus enim peccatum est! ecquæ vorago mors! ecquod præcipitium ac profundum! ecquod barathrum tartarea damnatio! Si ergo ante hæc omnia Virgo nostra concepta est, qui vocare in dubium & controuertere audeat, num conceptio eiusdem pura & minime inquinata fuerit? Iam ad tertium.

Prou. 1.

Virginis puritas asseritur.

Patientiæ illud speculum Iob hac de materia, deq; eximiæ huius Virginis prærogatiuis loquens, diuinæ potentiæ venam aliquã do tentans, sic Excelsum interrogat, *Quis potest facere mundum* originaliter *de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es* in esse tuo? Sensus est, Verissimum est, Domine, omnes nos de inquinata Giezi stirpe esse progenitos, & parentis nostri leprã fronte præferre. Et res longe certissima est, in peccato originali ad vnum omnes nos cõceptos esse, & velut membra putida, luxata, ac paralysi dissoluta à capite illo deprauato & putiscente Adamo originem trahere: origine ergo prima & fonte corrupto, torrentes & flumina pariter corrumpi necesse est; & trunco semel in putredinem abeunte, numquam ex in de rami vitorem induunt: sed, quæ tua omnipotens virtus est, Domine, hoc & impedire potes, & efficere, vt è semine impuro, immundo, & vitioso, singulari quadã prærogatiua ac priuilegio pura penitus creatura enascatur; quemadmodum in matre tua olim facturus es, quam puram & ab omni macula

Iob. 1.

Conceptio Virginis pura à peccato astruitur.

4. Reg 9.

exemptam in mundum proferes. Cum ergo reliqua hominum turba peccato inquinanda sit, virgo hæc sola omni plane næuo carebit, peccatique expers erit. Quartum sit hoc.

Inter Dauidicas Prophetias hæc de purissima Virginis conceptione non postrema est. Psal. 40. Sic enim Psalmo 40. legere est, *In hoc cognoui Domine quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me; me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum* Sensus est: in hoc demũ perspexi, quo me amore prosequaris, quo affectu erga me feraris, cum iam inde ab incunabulis protectionis tuæ vmbone me tutatus sis, teque mei defensorem aduersus cacodæmonas hostes meos iuratissimos ostenderis, adeo vt nullum in me illi ius vindicare queant, nec vllam gloriandi occasionem habere, quod vel vllum in animam meam delictum irrepserit: tu me solam ab hocce malo defendere voluisti, atque ob innocentiam eligere me ac destinare, quæ filij tui matrem forem; hinc me ab omni æternitate in gratia confirmasti, & ab omni scelere immunẽ præstitisti. Si modo veritatem eloqui velitis, mihi fateamini necesse est, verba hæc Dauidi, qui innocẽs minime fuit, sed peccatis inquinatus; neu Iesu Christo, qui semper Deus exstitit; eius autem humanitas non ante fuit, quam vbi diuinitati combinata est: hinc (vt nuperus quidam scriptor ait) propter innocentiam suam susci pi non potuit, quia numquã fuit antequam susciperetur; adaptari non posse. Quamobrem necessario ad Deiparam Virginẽ referenda sunt, quæ cœlestem in hoc se gratiam consecutam fatetur, quod Diabolus, peccati auctor, nullum in ipsius conceptionem ius habuerit, quodque ob innocentiam suam electa fuerit, quæ Dei filij mater foret. *In hoc*, inquit, *cognoui*, quod ab originali mę peccato exemeris, quod præ reliquis creaturis eximiam mihi prærogatiuam concesseris, quod inter omnes filias Adæ singulari hoc me priuilegio donaris, quod nimirũ omnibus in peccati immũditie nascentibus, sola ipsa sine eodem sim concepta, quod omnibus filijs hominum, dum in lucem eduntur, filijs iræ ac maledictionis existentib. ipsa vnica & sola filia sim gratiæ ac benedictionis nata. In his inquam omnibus perspexi, quam tibi cara sim & dilecta Quintum succedat.

Eodẽ in Propheta alius occurrit locus ad causæ huius tuitionẽ mirifice faciens, quiq; inter cæteros adduci huc meretur. Sic autem Psal. 48. Propheta loquitur, *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.* S. Augustin. sensui literali inhærens de terra Iuda exponit, & ait, Quandoquidem à manibus tuis benedici omnibus sit repleti bonis, Domine; terram tuam Iuda, infirmitis in eam collatis beneficijs, summopere tibi deuinxisti; ac tũ præsertim, cum Iacobi stirpem & posteros à captiuitate redemisti. S. Hieron. de pœnitentibus, qui austeritates sectantur, & vitæ morumq; correctioni magna animi contentione incumbunt, intelligit & eos sic loquentes inducit: Tum demum maledictam illã terrã benedixisti, cum eum à fœda duraq; vitij captiuitate vindicasti. Verum Arnobius & Isidorus, magni vterque nominis, de gloriosa Virgine Matre non inscite exponunt, ac sic loquentẽ Psaltem faciunt: *Benedixisti Domine terrã*, id est, Virginis huius animam simul & corpus, ne sub peccati seruitutem captiuitatemq; vmquam redigeretur, sed virtutis ac meriti fructus tibi afferret, *terram* inquam *tuam*, quam ab æterno possedisti, & ab omni hostium incursu rabieque tutatus es.

Æquum porro erat, ô Propheta, hoc te de Virgine hacce modo vaticinari: si enim primi Adami corpus è Virgine efformari terra oportuit; an non rationi longe magis consentaneum, quin imo plane necessarium, secundum è carne simul & anima purissima enasci, & consequenter Virginis huius conceptionem sine vlla prorsus inquinatione delicti fuisse? Sextum hoc esto.

Idem in collatis Virgini gratijs & priuilegijs vlterius procedens Psalmista, alio hæc habet loco, *Fundamenta eius in montibus sanctis:* Psal. 86. *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Tametsi autem locus hic, è nonnullorum Patrum expositione, de Ecclesia cõmode capiatur, quæ ciuitas est plena gloriæ, rupi inædificata, quæ in fundamentum habet Iesu Christi merita, quæ montium instar magna, & sublimia sunt, atque ipse ter maximus DEVS portas Sionis, id est,

Ecclesiæ

Ecclesiæ suæ Sacramẽta (quæ ceu portæ quædam sunt, per quas in gratiam ingredimur) pluris quam omnia tabernacula Iacob, id est, omnia veteris legis sacrificia, ritus, ac cœremonias faciat; de Deipara tamen etiam non incommode intelligatur, cuius fundamenta & generationis ortusque initia fuere sublimes illi Patriarcharum, Prophetarum Regũ, aliorumque virorum illustrium montes: in quorum perfectionibus ac meritis Deipara mater vitæ suæ bases ac fundamenta collocauit. Ecqui illi sunt montes? *Liber generationis Iesu Christi, filii Dauid filii Abraham.* Diligit aũt Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, id est, Conceptionem & Assumptionem gloriosæ huius Virginis, veras inquã portas, per quas in mundũ ingressa & eodem egressa est, præ reliquorũ Sanctorum natiuitatib. & mortibus, Deus optimus maximus complectitur & cara habet. Nihil aũt ille diligit, quod peccatum aliquod inuoluit. Concludamus ergo necesse est, conceptionem hanc sanctissimam ac purissimam fuisse. Iam ad vltimum veniamus.

Amans ille in Canticis sponsus dilectæ suę dotibus recensendis totus intentus, hanc illi inter alias laudẽ attribuit, *Quam pulchri sunt gressus tui, filia Principis, in calceamentis!* Per filiam hanc Principis sacratissimam Virginem intelligo, cœli terræque Principem, nouam hanc Iunonem, quæ diuum incedit Regina, Iouisque & soror & coniux, nõnisi duos ipsa passus & gressus fecit, primum de non esse ad esse scilicet, quod hodierna cõceptionis eius die factum est, qua ante non existens, cœpit esse: alium de esse ad nasci, (quod gloriosa natiuitatis eius die peractũ) quo post esse ad natiuitatem progressa est. Et duo hi gressus summe pulchri, ambo sine peccato, ambo gratia condecorati fuere. Nonnulli quidem sancti egregium gressum fecere, vt Ieremias, Ioannes Baptista, aliique, qui sine peccato nati sunt, iam inde à materno vtero sanctificati; sed cum maiorem nanciscì libertatem, & abesse gratiam saltare non possent, omnes in conceptionis suæ transitu in peccatum originale prolapsi sunt.

Cant. 4.

At Virgo hæc sola omnes superauit, & duos egregios gressus fecit; vnum quidem in natiuitate, in mundum tota munda veniens; alterum vero insigniorem in conceptione, vtpote sine vllo peccato concepta. Et gressus hosce admiratus sponsus, laudi hoc illi vertere non obliuiscitur, dicens: *Quam pulchri sunt gressus tui, ô filia principis!* Quid vobis de hoc loco videtur? Vobiscum ipsi dispicite, interim figuras ipse perquiram.

III. Præter tot loca ac testimonia sacra, quib. Virginis huius innocẽtia & integritas hactenus à me stabilita est, sexcentas etiam sacra Scriptura figuras suppeditat, quæ iam inde à mundi primordiis conceptionis eius integritatem puritatemque, vitæq; sanctitatẽ præsignarunt. Prima à Geneſi deprompta est. Illic enim arcam video diluuii vndis innatantem, & tametsi summa montium cacumina ab aquis cooperiantur, ipsam tamen semper fluctuantem, vndas & tempestates non perhorrescentem, nulloq; in naufragii periculo versantem. Repræsentabat hoc iam tum Virginẽ hanc, veram Noe arcam; quæ generalis illius diluuii peccati originalis vndis numquã non innatauit. & licet tẽpestas hęc altissimos submerserit montes, animas inquã sanctissimas inuoluerit, hæc tamẽ Virgo aquis semper supernatauit, nequidquã frendentib. procellis enauigauit, sine vllo naufragii euasit periculo. Hanc figurã ex parte Psalmista suppeditat dicens: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*, id est, nemo sit præter vos duos, qui leniter fluctuet, in peccati abyssum ac profundum non subsidat, & generalis diluuii aquis non inuoluatur.

I. *Gen. 6.*

Psalm. 131.

2. Quoniam vero arcæ mentio incidit, in Iosue legimus Deum, quo arca testamenti sine vllo periculo Iordanem pertranſiret, eiusdẽ aquas singulari quodam prodigio stitisse, & præter communem earum cursum, fontem & caput versus eas compulisse, ac velut in mõtem constipauisse, ne in mare solito fluxu descenderent. *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, adinstar montis intumescentes apparebãt.* Erat hoc figurę loco, vt hinc manifestum fieret, eundem ipsum Deum, vt gloriosa hæc Virgo, vera arca fœderis, sine vllo discrimine aut malo indemnis in conceptione pertranſiret, nõ sine miraculo vndantem illum peccati originalis torrentem cohibiturum, ac com-

Iosue 3. & 4.

compressurũ. Et videtur hoc ipso apud Psalmistam Deũ precata dicens: *Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum*

Psal. 68.

3. Ecce & aliud de hac eadem arca. Video eã quippe in Exodo auro purissimo conuestitam, duos & insistentes Cherubinos, alis eam suis obumbrantes, & ambos eiusdẽ pulchritudinem summo cum stupore cõtemplantes. Fuit & hoc figura pulchritudinis nostræ Virginis, quæ ceu vera quædam arca virtutibus, velut auro, condecorata, duos hodie Cherubinos in admirationẽ rapit; homines inquã & Angelos, omnes capacitatis & ingenij sui alas quã fieri potest latissime, ad merita eiusdem deprædicanda, cõceptionem ipsius sanctificandam, & integritatem propugnandam extendentes. De hominũ quidẽ admiratione certum est. S. Dionysius enim eam conspicatus, adeo obstupuit, parum vt abfuerit, quin eam vt deam adorarit; & scripto testatus est, omnes vndiquaque homines accurrisse, vt hoc pulchritudinis miraculum intuerentur.

1 Exod. 25.

S. Ignatius Martyr *sacratissimum* eam appellat *monstrum*, ac *cœleste prodigium*. Quid amplius dicit Chrysostomus, *orbis terra miraculum* ipsam indigetans. Hildephonsus vero post hos, tantam eius vultui inditam cœlitus pulchritudinem ac decorem scribit, tantam animæ puritatem, omnes vt in stuporem raperet. *Erat*, inquit, *fidelibus desiderabilis* Sed in figuris nostris pergamus.

1 Epi. ad Ioan. 1 Euang.

4. Gen. 3. generosa de muliere sermo fit, quæ serpentis esset caput compressura, & implacabile cum ipso bellum gestura. Audite quo hoc ipsum modo illi indicatur, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum*. Illustris hæc mihi credite virago Dei matrem repræsentabat, quæ velut generosa quædam bellatrix, iam inde à conceptionis suæ articulo, peccati (cuius serpens est symbolum) caput comminuit, & perpetuo cum ipso bello decertauit. Conceptus hic alium mihi pene similem in memoriam reducit.

1 Gen. 3.

Abimelech nothus Gedeonis filius, cum septuaginta fratres fœdo parricidio de medio sustulisset, & inimicos iam bello profligasset, in tres turmas vniuersum exercitum suum distribuens, turrim Sichem, locum arte ac natura munitissimum (ad quem viri simul & mulieres velut ad asylum commune confugerant) obsidione pressit: vt vero propius accessit, à muliere è summo pinnaculo saxum ingens iaciente contritus est; textus habet, *& ecce vna mulier fragmen mola desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius*. Obscurum hoc ænigma sic expono: Abimelech ille spurius, & illegitimo natus thoro, Satanæ imaginem referebat, qui post vniuersale tot millium Angelorum, qui fratres illius naturales ac germani erant, excidium & hominum, inimicorum suorum mortalium profligationem, cum peccatorum omnium ac scelerum agmen trifariam (in originale scilicet, mortale, & veniale) diuisisset, tandem obsidens non iam turrim Sichimorum, sed turrim illam Dauidicam, arcem inexpugnabilem, & quam omnes adeo mortales in asylum selegerant; hodie dum oppugnationem suam funestam adoritur, in instanti scilicet conceptionis huius Virginis, ipsa illi caput, velut bellicosa quędam virago contriuit; atq; hoc illi prædixerat olim Deus dicens, *ipsa conteret caput tuum*. Vt simul hinc liquido pateret, nullum in hanc puellam peccatorius aut potestatem, ne quidem in eius conceptione fuisse; & ceteris creaturis in hanc calamitatem incidentibus, ipsam solam exemptam fuisse. Habeo ad manum & alias figuras.

5. Iudith. 9.

6. Scriptum est in Genesi, Pharaone omnem regni sui terram sibi subijciente, vtpote pretio emptam, ac tributariam reddente, solam sacerdotalem à tributo immunem fuisse, ac libertate vsam. *Emit igitur*, inquit textus, *Ioseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni; & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum*. Mysterio huic personam detrahẽs, dico ipso declarari, cum Satanas, Pharao ille tartareus, vniuersum mundi regnum sub diram peccati seruitutẽ redegisset, & Deus ipse totius orbis Dominus, homines, qui naturæ iure illius sunt subditi, pœnæ æternæ addixisset, solam Mariam Virginẽ, magni illius sacerdotis, de quo scriptum est, *Tu es sacerdos in æternum secundum*

Gen. 47.

Psal. 109.

dum ordinem Melchisedech, terram exceptionem esse passam, vtpote quæ semper ab omni peccato immunis mansit, ac libera, & proinde sine peccato originali, quod quidem commune, sed tyrannicum naturæ tributum erat, concepta.

7. Post Regem Ægyptium Persarum Princeps succedat Assuerus, hic cũ communi decreto vniuersam Iudæorum stirpem morti addixisset, sola Regina Esther excepta est, quam hisce verbis Rex à populari excidio eximit, *Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere: non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Cogitetis velim Estherem Deiparę nostræ imaginem fuisse & Dei Assuerum; qui, cum, juxta feralem illam peccati sententiam, vniuersum genus humanum ad mortem cõdemnasset, nouam hanc Estherem præseruauit, & maledicta illa peccati lex cum in omnes omnino lata esset, ipsam minime, sed alios omnes Adami nepotes in originali delicto conceptos cõprehendit: nam hodie ipsa sola sine peccato cõcepta fuit. Noli ergo metuere sacratissima Virgo: non enim pro te, sed pro omnibus alijs hæc lex constituta est.

8. Libro secundo Regum hæc legere est: *Inme Domine mi Rex sit iniquitas, & in domum patris mei. Rex autem & thronus eius sit innocens.* Sunt hæc ad litteram Thecuitidis verba, Dauidem inducere satagentis, filium vt Absalonem profugum in gratiam admitteret: sed allegorice esse verba queant & oratio naturæ humanæ se & vniuersum humanum genus peccati originarij ream confitentis, vno Rege Iesu Christo, & gloriosissima matre eius Maria, quę eiusdem est thronus, excepta. Atque inde conceptionem eius plane sanctam fuisse colligo.

9. Chaldæi latrunculi cum in facultates Iobi irruerent, tres fecere turmas, & omnes seruos eiusdem interfecerunt, adeo vt nonnisi vnus manus ipsorum & furorem euaserit, qui funestæ huius cladis nuntius foret: Cuius hæc sunt ad herum verba, *Chaldæique fecerunt tres turmas, & puero: percusserunt gladio, & ego solus euasi.* Deipara hæc ipsa repetentem audire mihi videor: cacodęmon enim, vetus ille tartari prædo ac latro, cum in hominum vitam ac statum conspirasset, & triplicem in cuneũ peccata diuisisset, venialia inquam, mortalia, & originalia, atque ijsdem in vniuersum mortale genus irruisset, sola post Dei filium Maria cladem euasit sospes, quæ hodie se in tutum collocans dicere mihi victrix videtur, *Et ego sola euasi.* Constat enim omnes sua in conceptione à peccato jugulatos fuisse, & ipsam solam indemnem mansisse.

Habeo ad manum & alias figuras. Ieremiæ mandat Deus, vt figuli officinam quantocyus ingrederetur; quam cum cum subijsset, singula accurate intuitus, vidit vasa jam confracta subito à figulo in aliam formam commutari, & è fragminibus noua integraque constitui, vasa inquam honoris, & pretiosa, oculisque placentia. *Et dissipatum*, inquit, *est vas, quod ipse faciebat ex luto manibus suis, conuersusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret.* Rei huius ænigmaticæ expositionem quam lubuerit excogitate, equidem ipse mihi sum auctor, his omnibus naturę humanæ statum conditionem simul & omniũ hominum in peccata lapsum, hinc illorum è statu innocentiæ excidium, illinc vero intemeratæ Virginis excellentiam ac puritatem figurari. 10. *Ierem. 18.*

Magnus enim ille Deus cum velut figulus quidam omnes omnino homines in potentiæ suę rota ceu vascula quædam efformasset, & ipsi illius è manibus misere per peccatum excidissent, & ad funestum hunc casum comminuti essent, magnus ille figulus eandem argillam, in omnipotentiæ suæ orbita conformans, vas quoddam honorificum, vas inquam pulcherrimum, & penitus admirabile, B. scilicet Virginem composuit; vas illud regium, quod & ipsi Reges summopere semper sunt demirati, *vas admirabile, opus excelsi.* Adeo vt cum omnes Adæ filij, peccato confracti, in ipsa conceptione perijssent, sola hæc à malo hoc immunis fuerit, & integra solidaque permanserit. Sed his minime immoremur, & ad alias figuras transeamus. *Eccli. 45.*

Vidit olim Nabuchodonosor inter somnia dum patulam quandam & opacam arbo- 11. *Dan. 4.*

rem, vertice in cœlos tendentem, & radices ad ima prope tartara promittẽtem, arborem, inquam, fructu grauatam, & omnigenas inde bestias pascentem; sed audiuit & vocem, qua eadem excidi mandabatur, eius fructus excuti, ramos præcidi, omnemque hoc pacto illi virorem ac succum tolli, sola illi ad solatium radice relicta, denuo vt pullulascęret, & surculum nouum emitteret: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius, verumtamen germen radicum eius in terra sinite.* Scire vultis, quid hæc omnia sibi velint; audite, rem paucis exponam. Comata hæc arbor naturam repræsentabat humanam, arborem inquam illam adeo ingentem, insignem, totq; justitiæ ac perfectionũ cœlestiũ fructib. decoratam. Verum Satanas feralis ille ligniseca peccati securi eam petẽs, jam inde in paradiso terrestri ramis eam spoliauit, omnem eiusdem fructum dissipauit, frondes præcidit, virorem abstulit, eamque aridam penitus reddidit, nihil vt succulentum ac viride præter solam radicem remanserit; radicem inquam, quæ Virginem Deiparam repræsentabat, radicem illam Iesse, hoc enim nomine Isaias eam nominauit, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet* radicem, quæ nouam arborem, id est, Redemptarem Iesum, arborem illam vitæ, protrusit. Et cum omnes homines in peccato concepti fuerint, sola ipsa immunis & intemerata exstitit. Hoc pie de illa credendum est, tametsi certus & indubitatus fidei non sit articulus. Inuitat nimirum huc fideles omnes magnæ huius Virginis honos: & sane illa se erga eam non benigne affectum ostendit, qui cum aliarum mulierum fece eam commisceet, communibus legibus subijcit, & eandem subire sortem vult, quam reliquæ Adami nepres peccatis obnoxiæ.

Allegoria.

Isaiæ 11.

Bethulienses viduam Iudith tanto honore ac veneratione passim prosequebantur, nullus vt, teste Scriptura, in vniuersa regione sinistre aut in sequiorem partem de illa loqueretur. *Magna facta est in Bethulia, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* hæc etiam historia nescio quod continere videtur præsagium ac figuram, quo omnes Ecclesiæ filij veram hanc Iuditham (quæ adeo magna, & coram mundo adeo fortis futura erat) afficere cultu & honore debeant, nemo vt nominis eius honorem lædere, famæ detrahere, aut sinistre de illa loqui audere debeat. Quam vero ille male loquitur, quam ille famã Virginis huius coinquinat ac deturpat, qui peccatricem, & in peccato originali conceptam non secus atq; alios homines eam asserere audet?

Iudith. 16.

Decretum facultatis Theologicæ Parisiensis circa B. V. conceptionem.

Viuat ergo inclyta illa ac celebris facultas Theologica Parisiensis, mater illa mea carissima, viuat nobilis illa Sorbona, omnium Academiarum Regina, bonarum artium genitrix, honestiorum disciplinarum nutrix, ingeniorum illustrium procreatrix, quæ Virginis huius colendæ, eiusque honoris studiosissima, permittere noluit, quisquam vt de eius meritis perperam loqueretur, & ad conceptionis illius intemeratæ atque immaculatæ propugnationem solemne decretum tulit. Nullum adhæc illa Doctorem suas in cathedras admittit, qui huic articulo non subscribat, simul & sacramento confirmet, honorem se & innocentiam sanctæ huius Virginis, qua poterit vbique propugnaturum. Hoc porro anno 1333 statutum est, & jam per annos prope 300. eius obseruatio inuiolata permansit.

Gersonis conceptus. Ser. de Cõcept.

Illustris ille Academiæ huius Cancellarius Ioannes Gerson mirum in modum erga beatissimam hanc matrem affectus seriptum reliquit, octo vetulas falsarias, & per omnia scelestas, juratas honoris huius virginis aduersarias reperiri, quę inculpatam conceptionis illius prodigiosæ puritatem semper arrodere & oppugnare omni ratione contendebant hæc porro detestabilia illarum nomina, littera occidens, ratio litigiosa, ratiocinatio sophistica, Canonum superficies, legis apparentia, doctrinæ falsitas, fabulosa poesis, & hæreseos suspicio. Totidem vero illis opponit virgines pulcherrimas, quæ eius honorem, puritatem, innocentiamque junctis viribus tuerentur, veram scilicet Theologiam, rationem probabilem, Ecclesiæ auctoritatem, Decretum Canonicum, Ius ciuile, doctri-

strinam bonam, poesin mysticam, ac fidem religiosam. Anne igitur, fideles, post tot illustria testimonia, & figuras apertissimas puram sanctitatem & sanctam puritatem conceptionis huius Virginis in dubium amplius reuocabitis? Multis Scripturæ sacræ auctoritatibus, & illustribus figuris eam stabilire sum conatus, sed modo, quo sic ad tertium concionis membrum deueniam, conuenientissimis rationibus adstruere satagam, vt vos in partes meas, si non suauiter ac placide, rationum saltem pondere coactos, transire faciam.

IV. Hebr. 1. Ostensurus Apostolus in epistola ad Hebræos, Redemptorem Iesum meritis, omnigenaq; perfectione Angelis præcellere, nominis illius magnitudine atq; excellentia hoc ipsum euincere potissimum conatur, dicens, Dei filium illum dici: quod sane nomen super omne est nomen, & nulli vnquam Angelorum datum. hoc vero pacto suum argumentum concepit, *Tanto*, inquit, *melior Angelis effectus, quanto præ illis excellentius nomen hæreditauit. Cui enim Angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Inferre & efficere inde vult, quandoquidem tale Redemptor nomen habere meruerit, quale accipere nullus vnquam dignus fuit Angelus, necessario fatendum esse, his illum dignitate ac meritis longe præcellere. Vnde simile ipse in Angelorum Reginæ laudem ac decus, atque in qualitatum eius commendationem argumentum formare audeam, *Tanto melior Angelis effecta, quanto præ illis excellentius nomen hæreditauit.* Reddita enim digna cum sit regio illo atque inclyto matris Dei nomine, quod sane nomen omnium nominum est maximũ, & cui omnia Angelorum, quin imo Cherubinorum nomina cõparata nihil omnino sunt ac velut vmbræ vocari, certissima credendũ est fide, eius fauores, gratias ac priuilegia illustriora ac digniora, quam reliquorum omnium fuisse. Cum autem Angeli, & spiritus illi cœlici in gratia conditi fuerint, dubitandũ non est, quin hoc ipso illorũ Regina, Virgo nostra, donata sit priuilegio, ac sine vllo peccato aut macula concepta.

Rationes, quibus demonstratur Virginem suæ originis peccato conceptam fuisse.

1. Secunda. Rationi consentaneum est (& absurdum alioquin videretur) maiora, aut saltem paria æqualiaque Angelorum prærogatiuis priuilegia Virgini huic concedere. Illi porro a peccato præseruati sunt, & antequam caderent, porrecta illis manus: cur non eodem igitur hæc priuilegio gaudeat? Hoc fore prædixit olim Psaltes, dicens: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo* esse sui & conceptionis, ab originali eam macula indemnem præstans. Quin & hoc ipsum illi Deus ter maximus sub amantium illorum sponsorum schemate spopondit; dum ait, *Equitatui meo* cœlesti *in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea* priuilegijs & gratijs. Theodoretus locum hunc exponens, per equitatum hunc Angelos designari existimat, qui idcirco in Scriptura passim, & præsertim apud S. Lucam *milicia* dicuntur *cœlestis exercitus*. Illorum olim opera Omnipotens velut militum ac bellatorum ad Pharaonem rubri maris gurgite inuoluendum, & populum suum dilectum per eiusdem fundum sicco pede ac sospitem tutoq; traducendum est vsus. Amans vero spõsus idipsum dilectæ suæ, quæ vera sanctissimę matris imago erat, contigisse prodit: eo quod in periculoso conceptionis eius transitu ac fundo, in quo omnes Adæ posteri peccati aquis adobruti sunt, non sine miraculo Deus sospitem illam præstitit, maris huius vndas inhibens, liberum illi transitum concedens, & Pharaonem illum, peccatum inquam aquis submergens. Verbo vt complectar, vt Angeli per gratiam, sic illa è misericordia præseruata est incolumis, vt ijsdem saltem priuilegijs potiretur.

Psal. 54. Cant. 1. Luc. 2.

3. Tertiam hanc facio. Magnus ille Deus, omniscius atq; omnipotens, quos ad aliquod munus vocat, disponere sic paulatim ac præparare solet, vt eidem apti reddantur & idonei, iuxta hoc Apostoli testimonium: *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti.* Testatur hoc aperte D. Thom. quod & ipsi euidentissimis probare exemplis possumus. Sic enim Moysem, Eliam, Isaiam, Ieremiam, aliosque plurimos ad ministeria, ad quæ selecti erant, idoneos reddidit. In nouo item Testamento Ioannes Baptista in Messiæ præcursorem destinatus, hanc ob causam materno in vtero

2. Cor. 3. 3. p. q. 27. art. 4.

fuit sanctificatus: Apostoli segregati, qui Ecclesiæ illius forent Principes Euangelicique præcones, gratijs ac mirabilibus repleti cœlitus sunt: vt enim loquitur Apostolus, *Primitias spiritus acceperunt.* Virgo ergo cum ab omni æternitate in Filij Dei matrem prædestinata fuerit, an non, quo tantæ dignitatis ea pax ac propria redderetur, Deus illã ita huic præparasse censendus est, vt omnigenis illam gratijs donarit, quin imo, in cõceptione præsertim, ab omni peccato protexerit. Rationi huic robur addit D. Anselmus dicens, *Decuit, vt conceptio filius hominis de matre fieret purissima, & tanta puritate niteret quæ sub Deo maior nequeat intelligi.* Et Cyrillus Alexandrinus libro contra Nestorium, in intemeratam hanc Virginem adeo injurium ac blasphemum, ait, ad dignitatem & honorem ad quem illa diuinitus vocata erat, respectu habito, insignem temeritatem, addo & impudentiam intolerabilem fore, eam peccato obnoxiam fuisse audere asserere.

Rom. 6.

Lib. de conc. Virg. c. 18.

4. Suus & quartæ sit locus. Non minus propositionibus illis sacris è litteris depromptis, quibus omnes peccato obnoxij esse dicuntur, repugnat, glorioſam Virginem sanctificatam fuisse, dicere, quam à peccato eam immunẽ seruatam credere. Absolute namque Apostolus & generaliter, *Omnes nos filios iræ*, id est, peccatores, *nasci* ait. peccatum namque Deo nos reddit exosos, diuinæ iracundiæ in nos flagella acuit, non autem nos omnes iræ filios concipi. fatentur quidem omnes, glorioſam Virginem iræ filiam natam non esse, imo nec Ioannem Baptistam, nec Ieremiã, nec alios, contra generalem illam Apostoli sententiam; quid obstat igitur, quo minus illam iræ ac maledictionis filiam conceptam fuisse negemus? Accedit, quod in propositionibus illis generalibus non tantam effingere generalitatem necesse sit, quin aliquis exceptioni sit locus. multa enim in sacris voluminibus sunt loca, quę quanquam prima fronte vniuersalitatem præferunt, non tam late tamen, ac sonant, extendendæ sunt. vti ille Isaiæ, *Videbit omnis caro, quod os Domini locutum est.* & ille Apostoli, *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* & ille alius, *Omnes quæ sua sunt, quærunt*; quæ tamen certo est certius de omnibus hominibus intelligenda non esse.

Rom. 5.

Isa. 4.

Phil. 1.

Phil. 2.

Ad quintam jam veniamus. Glorioſa Virgo Maria nunquam fuisset ea, quam oportebat esse illam, quę in Dei matrem electa erat, si vel veniale vllum commisisset delictum; nam hoc tali illam indignam dignitate reddebat, vt in Summa docet D. Thomas, & in 1. Sententiarum ergo, si originali peccato inquinata fuisset, multo etiam fuisset indignior. quod sic probo, peccatum veniale animã iræ filiam non constituit vti originale. Adhęc anathema Concilium Tridentinum dicit asserentib. Deiparam vel venialiter Deum ante filium Dei conceptum offendisse. impium enim foret dicere Deum à matre, quæ venialem noxam aliquando contraxisset, carnem sumpsisse. Cum ergo originale delictum longe veniali sit deterius, illud ipsum matrem hanc multo indigniorem fecisset, atque ideo inferendum est, nunquam permisisse Deum, vt in labe originaria Virgo hæc conciperetur.

5.

2. sent. dist. 44. ar. 3. & 3. p. q. 27. ar. 4.

Quam inquam absurdum foret filio sanctissimo matrem obtingere, quæ non sancta, sed peccatrix foret? Vrna, in qua manna asseruabatur, aurea vt foret, in Exodo præcipitur. Summus item Sacerdos in Leuitico parentem habere vtrumque jubetur nulla sequiore labe inquinatos. Simulacrum Dagon in eadem qua arca fœderis ara statui non poterat. Quibus omnibus figuris declarabatur, quod, vbi verum foret manna, Summus Pontifex, & vera Testamenti arca, Iesus Christus, ibi omnia gratia inaurata, vitio carere, ac sine peccati idolo omnia esse debebant. Huc facit, quod in Matthæo circa Ven. Eucharistiæ institutionem lego. Hanc ergo Redemptor instituturus, in pane fermentato consecrare noluit, eo quod fermentum corruptionis sit symbolum. Sed cur, Domine, peracta jam consecratione non panis substãtia, sed sola accidentia remanebunt? Noluit scilicet vel sola panis corrupti accidentia permanere: sed ô bone Iesu, hæc te accidentia non tangent? Verũ quidẽ est, inquit, sed quoniam ea velut cortinæ ac velamina futura sunt,

Exod. 16.

1 Reg. 6.

Ioan. 6. Matth. 26.

sunt, sub quibus delitescam, nolo ibi vel panis corrupti accidentia remanere. O ineffabilem magni huius Dei puritatem! quam illi peccati corruptio est exosa! si permittere noluerit vel nuda accidentia, quæ ipsum ne tactura quidem erant, in augustissimo hoc Sacramento remanere, credemusne sacram hanc Virginem, quæ ei adeo futura erat vicina, vt illius futura sit mater, & illi è carne sua paratura corpus, à fermento peccati vnquam corruptam, & paucis vt dicam, peccatricem fuisse?

3. Reg. 6. Ianuas templi Salomonici ex olea fuisse fabricatas testis est Scriptura. arbor hæc semper pacis ac misericordiæ symbolum fuit, vnde illud Poetæ:

Adiuuat in bello pacata ramus oliua.

Designabat hoc iam tum, sacratissimæ huius Virginis, quæ nostræ redemptionis futura erat ianua, conceptionem, nonnisi gratiam, fauorem, & misericordiam fore, atque opus omnigenis priuilegijs decoratum. Quoniam vero præcipue hoc spectabat redemptio, vt à peccato penitus redimeremur, æquum erat, eius vt initium & opus primum ab omni peccato liberum foret, ac consequenter, vt Virgo nostra plane pura conciperetur. Sed in nostris rationibus pergamus. &

6. Sextam hanc statuamus: Virgo hæc à cõmuni & generali illa in homines lata quoad corporum post mortem corruptionem, & in cineres reductionem sententia, quæ in libri Geneseos initium his relata est verbis, *Cinis es, & in cinerem reuerteris*; exempta & excepta fuit. Nam vniuersale hoc statutum illudens & superans confestim à morte, vt pie credit Ecclesia, resuscitauit, & in cœlos cum anima simul & corpore assumpta est, nullam aliorum exemplo corruptionem passa, nec in cineres conuersa. Ergo longe rationi videtur conuenientius, eam simul & ab omni animæ corruptione, quæ peccato fit, præseruatam fuisse, & à ferali & sanguinolenta illa lege, quæ omnes eidem mortales subijcit *In quo omnes peccauerunt*, &c.) exemptam. Si vero corpus à corruptione naturali, contra vniuersale decretum in omnes latum, immune permansit, quid ni & anima ab inquinatione peccati, singulari priuilegio, contra aliam illam legem vniuersalem, omnes homines eidem obnoxios reddentem, præseruari queat?

Gen 3.

Rom. 5.

Hoc S. Anselmus egregia confirmat similitudine. Si quando, inquit, regi aliquod cõstruendum est palatium, arenosum, spongiosum atque infirmum eidem fundamentum non seligitur, sed vel rupes aliqua aut terra solida. Cum ergo Spiritus sanctus Virginem hanc elegerit, quæ filij Dei vnigeniti domicilium ac regia foret, credendum est, illum aliquam illi humani generis ruinæ, id est, peccato minime obnoxiam selegisse: ecquæ n. ab hoc ædificatio sperari soliditas aut firmitas poterat, si lapsui, corruptioni & ruinæ huic fuisset expositum? *D. Anselmus.*

Iam ad septimam ac postremam veniamus. Scotus Doctor ille subtilis illa Pauli ex 1. Corinthios epistola verba, *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui nos liberauit a morte*, exponens, hoc format argumentum: Cum Christus perfectissimus fuerit Redemptor, vti Apostolus docet, conueniens & æquum erat, eiusque honoris vel maxime intererat, vt quam perfectissime vel vnam redimeret animam: neque enim præclarus ac præstans ille habetur opifex, qui non opus aliquod eximium vnquam arte sua efformarit. 7. *In 3 sent. dist. 3 q. 1.*

Qua autem Christus nos ratione liberauit, perfectissima ac præstantissima haud fuit, redemit nos quippe iam in captiuitatem abductos, & compedibus constrictos. Duplex redemptio. Notandum porro duplicem esse redemptionis modum, primus est, dum in libertatem asseritur, qui iam in carcere & vinculis gemit; alter vero, quo quis redimitur, antequam in eumdem abripiatur. Atque postremus ille multo est priori nobilior ac perfectior. Et maius aliquis sibi beneficium putabit conferri, qui iamiam à iustitiæ ministris in vincula compingendus à quopiam hac pœna eripitur & ab omni infamia ac probro imminenti vindicatur, quam si, post hanc ignominiam, carceris ingressum, nominis delationem, compedum ac manicarum perpessionem, tum demum liber dimittatur. S. Augustinus à corporib. hoc ad animas trans-

ferens, multo id esse censet illustrius, ait ergo, *Maior gratia sit illi, qui conseruatur in innocentia, quam cui remittitur culpa* Testatur hoc ipsum & Scriptura, & Dauid imprimis dicens, *Eruisti ex infern animam meam.* Constat autem Prophetam in inferni abyssum detrusum minime fuisse: sed hic verborum eius est sensus: Equæ mea erga te obligatio est, Domine? animam meam iamiam in tartara præcipitandam præseruasti, & à pœnis sempiternis vere vindicasti. Hoc etiam sensu exponit D Hieronymus Abrahami liberationem de Vr Chaldęorum vbi frater eius viuus deflagrarat. Hoc ergo liberationis genus, antequam quis pœnam subeat, cum multo sit præstantius, necessarium erat, vel honoris sui tuendi gratia, Iesum Christum, vt perfectum se Redemptorem ostenderet, hocce redimendi genere vel vnam animam redimere, & præclarum hoc ac diuinum opus quoad redemptionem operari. In quam porro animam hoc potius conferendum erat munus, quam suæ glorioſæ matris? Cum ergo id facere debuerit, id ipsum fecisse credendum est, atq; ideo sanctissimam hanc Virginem sine originali labe conceptam fuisse.

Super Genesin ad literam.

Psalm. 84.

Quis hoc vero in controuersiam vocet, si modo honorem, quem matri filius hic debebat, perpendat: & quantæ illi futurum fuisset infamiæ, si huic ipsa delicto obnoxia extitisset, tiuxta illam Salomonis sententiam, *Gloria filiorum patres eorum.* Saul quoque filium Ionatham insigni contumelia ac probro notare volens, matris illi delictum obiecit, vocauitq; *filium mulieris vltro virum rapientis.* Et sane semper parentum delicta filijs exprobrantur. Minime autem credibile videatur, passurum fuisse Dei filium, charissima sua vt mater ignominiam hanc subiret, quę sibi deinde infamiã, verecundiam & probrum perpetuum attulisset; passurum inquam, propria vt mater peccato commacularetur, & diaboli mancipium constitueretur. Veterum historiarum produnt monumenta, Teutonib. ac Cimbris aduersus Romanos prælio decertãtibus, animos cominus ab vxorib. commonitione additos, *Eia viri pugnate fortiter, vincite, ne nos Romanorum captiuas videatis.* Qui hanc barbararum adhortationem rei sacræ adaptare voluerit, persuadeat sibi, quanto Dei filium fuerit æquius ac conueniẽtius omnem à matre infamiam auertere, & in conceptionis eius conflictu contra peccata per miracula decertare, vt ne illam Satanæ immanis, barbari & immitis aduersarij mancipium ac captiuam videret?

Prou. 17.

1. *Reg.* 10.

Post tot ergo egregias rationes allatas, post tot figuras ac sacra testimonia deprompta concludamus necesse est, nulla ratione credendum videri, imo ne cogitandum quidem sacratissimam hanc Virginem huic fuisse discrimini expositam, ipsam, inquam, Dei matrem, Angelorum dominam, vniuersi totius reginam, quæque plures sola in se perfectiones ac merita, quam simul sancti omnes, complectitur. Quo alluisse Paræmiasten censeo dicentem, *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu super ascendisti vniuersas.* Quin & huius rei figura in Exodo occurrit. Tabernaculi quippe constructionem cum indixisset Deus, Principes omnes tribuum ac populi Duces ad ipsum cõficiendum donaria præcepit offerre. Quo eminus signo præsignabatur, ad Virginis huius veri tabernaculi Euangelici perfectionem, Patriarchas omnes, Prophetas ac sanctos suas velut in symbolam virtutes ac merita collaturos, & ipsam ceu numisma aliquod regale atq; aureum fore, omnigenos in se nummos complectens. Nec id sane mirãdum est, cum in Dei illa matrem electa fuerit.

Prou. 31.

Exodi 25.

Dauid Rex enormes, quas in templi illius splendidi constructionem futuram expensas fecisset, recensens, & populũ ad liberaliter necessaria suppeditãda exhortans, ne cui id nouum & mirũ videretur, hanc ijs causam tãtorum sumptuum reddebat, *Opus grande est, neq; homini præparatur habitatio, sed Deo* Idipsum hodie mihi repetere liceat, ac pmonere vos, ne cui vestrum mirum aut nouum videatur, si adeo se in Virginem hanc liberalem, munificum, effusum ac prodigum Deus ostenderit, si tot in illam gratias accumularit, tot prærogatiuas in illam contulerit, ac præsertim si sine originali labe concepta fuerit: *Opus enim grande erat, neq; homini præparabatur habitatio, sed Deo* ter maximo.

1. *Par.* 29.

Sed plura hac de re nõ dicemus; erubescant solum-

sólummodo eius aduersárij, qui eam peccatricem statuunt, qui tam siniſtre de eiuſdem meritis, loquuntur, honorem eius adeo turpiter denigrant, de priuilegijs illius controuerſiam mouent, conceptionem eius ſanctiſſimam fœdiſſimis originariæ labis maculis conſpurcant, deniq; innocentiæ eius iura tã indigne blaſphemeq, calumniantur; iterum dico erubeſcant & pudore ſuffundãtur, quod Turcis, Saracenis, ipſis etiam Ethnicis deterius iudicent. Refert ſiquidem in varia hiſtoria Ælianus, Alexandrum Macedonem, cum
lib. 2. Epheſi in Apellis pictoris celeberrimi officina ſuiipſius equo inſidentis imaginem depictam conſpexiſſet, initio quidem, longe alia animo voluentem negotia, & nihil minus quam de pictura ſollicitum; eam parui pendiſſe: donec tandem quidam de comitatu equ.is tabulam hanc & in ea equum conſpicatus, viuentem eum eſſe ratus, adhinnire, ſubſultare, alioſq; applaudentis geſtus edere cœpit. Pictor inde paruum Regis iudicium ſugillare orſus exclamat; Dij immortales, animalia hominibus longe præcellunt, ſinceriuſque de rebus diiudicant. Hoc pictoris reſponſum in hæreticos & parum Religioſos Catholicos tam praue de Virginis huius cõceptione ſentientes, ſummo eorum cum dedecore, retorquebo, Beſtias ſcilicet infideles ac Turcas hoc ijs nomine præſtare, quod melius, maioriq; cum reuerentia, ac ſanctius quam ipſi de matris Chriſti honore loquantur & ſentiant. In Mahometico namq; Alcoin Alcorano cap. 6. rano hæc in Virginis noſtræ commendationẽ legitur propoſitio, *Nullus naſcitur de filijs Adam, quem non tangat Satan, præter Mariam & filium eius.* O pudor, ô dedecus, ô hæreticos Turcis deteriores, ô animas in Dei matrem Ethnicis ipſis iniurioſiores!

Vos vero, auditores, huic orationi finem imponens adhortor, & tum rationibus meis, tum figuris antiquis & teſtimonijs ſanctis, coniuro, vt Virginis huius honorem propugnetis, innocentiam tueamini, conceptionẽ eius ſanctificetis, ſiniſtre de illa numquam, aut ſentiatis, aut loquamini, vobiſque, hoc illi ideo datum priuilegium, quod Dei filij futura eſſet mater, vti hodierni Euãgelij preſert epiphonema, *De qua natus eſt Ieſus, qui dicitur Chriſtus*, perſuadeatis. Illam hodie contemplemini, eiuſque pulchritudinem demirantes cum D. Anſelmo exclamate; *O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandũ, vulnera corda noſtra amore pulchritudinis tuæ.* Omnimodis inq̃ pulchra, gratia plena & virtutibus, peccatis aut vitijs nunquam coinquinata, & tota pura concepta: tota inquam pulchra, & pulchritudinum regina, à qua tot ſuis in primordijs mundus mutuat° eſt imagines, puta paradiſum illum voluptatis, arcam illam Noe, ſcalam Iacobi, rubum ardentem in deſerto, Moſis virgam ſerpentes deuorantem hæreticos, Aaronis virgam in conceptionis florentem nocte; arcam teſtamenti è ligno compactam incomputribili, magnum Iſaiæ librum, portam illam Orientalem viſam Ezechieli, & hortum illum concluſum: quibus omnibus figuris hoc efficitur, fuiſſe te omnium quæ vnquam exſtitere pulcherrimam, non aliorum ad inſtar iræ filiam; non vt reliqua Adami poſteritas, peccato obnoxiam, non cruentis maledictionum vniuerſalium decretis comprehenſam; ſed præ alijs prærogatiuis donatam, à Deo inter omnes dilectam, ſolam contra vniuerſalem omnium infelicitatem ſine peccato conceptam. Tu Deum pro nobis peccatoribus obſecra virgo puriſſima & immaculata. Tuque ô Salomonis noſtri mater, quę modo ad filij tui latus glorioſa conſides, noſtram monſtra te eſſe matrem: delictorum nobis in hac vita veniam, & gratiam, in alia vero gloriam, in qua omnis noſtra beatitudo conſiſtit, impetra, ad quam nos Deus in Trinitate & eſſentia vnus, & in perſonarum numero trinus dignetur perducere. Amen.

IN

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Partitio.

1. *De consortio malorum fugiendo.*
2. *De Thomæ incredulitate & ingratitudine.*
3. *De lapsu Sanctorum quorundam: cur & quomodo.*
4. *De Sanct. Thomæ conuersione quomodo acta.*
5. *De eius raptu & clamore, Dominus meus, & Deus meus.*
6. *De seruatis Christi vulneribus.*

Thomas vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Ioan. 6.

FIGVRA.

Gen. 46. IAcobi Patriarchæ filij duodecim ab itinere frumentationis reduces, dum patri nuntiarent, filium eius dilectissimum Ioseph etiamnum superstitem esse, & in terra Ægypti regnare, vix ille credere præ gaudio poterat, ac somnium audire se existimabat; donec post aliquot ipse dies suis eum conspicatus oculis, præ gestientis animi & pio admirationis sensu exclamat, *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Simile quid hodierno in Euangelio contingere videmus. Duodecim namque Apostoli Thomæ collegæ suo dum enarrant à mortuis resuscitatum esse Dominum; atque omnibus sibi rediuiuum apparuisse, credere prorsus noluit obfirmatus, quin imo fabulam audire se putauit, donec tandem suis eum conspiciens oculis, & manibus contrectans, octiduo post, gaudio & stupore plenus exclamat, *Dominus meus ac Deus meus.* Plura non ante dicam, quam Dei opem inuocauerimus, atq; hanc ob causam Deiparam cum Gabriele paranympho salutemus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Philosophorum gnomæ de mali consortij fuga. Veteres Philosophi dum homines docent, quibus ad probitatem vijs contenderent, & quorum hanc in rem sectarentur consortia, tam diuina & eximia cunctis in genere documenta tradiderunt, vt non Ethnicorum ab ore & calamo eadem, sed Christianorum sortij prolata videantur. Omnis ea generis hinc inde collegi, & occasione materiæ, quam hodie vobis exponere decreui, statui recensere.

Solon. Solon imprimis malorum vetans contubernia, optimo cuique consulit; *Cum malis commercium non habeto.* Quin & post ipsum Cato sapientiæ fama celebris hoc ipsum confirmauit, dicens, *Cum bonis ambulato,* eorumq; sequere vestigia.

Cato.

Philemon. Huc accedens Philemon, & quæ prauorum familiarias includat discrimina, aperiens, nemini non suadet, *Cum viro improbo iter ne feceris.* non conuersationem modo, familiaritatem ac colloquia prauorum vetat, sed & congressus, & coambulationes.

Epictetus. Inter moralia Epicteti documenta ac præcepta hoc non postremum obtinet locum, *Scito eum inquinari, qui cum inquinato ingenio conflictatur.* Quin & veterum Sophorum oraculum Socrates eundem feriens scopum, hanc protulit sententiam, *Malorum consuetudinem ne ambias,* sed remis velisq; fugito.

Socrates.

Psalm. 1. Ante omnes hosce Philosophos regius ille vates ac Psaltes suos ab hac eadem materia Psalmos auspicatur: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quibus ipse verbis omne prauorum consortium societatemq; condemnat & interdicit, & fundamentum ponit, super quod tot egregias gnomas ac sententias Ethnici Philosophi de in ædificarunt.

Malorum consortium periculum includit. Et sane res est longe periculosissima per uersorum impiorumque frequentare commercia. Tacite hoc & mystice innuit in Canticis sponsa, dum dicit, *Nolite mirari, quod fusca sim quia decolorauit me sol, filij matris meæ pugnauerunt contra me.* duas decolorationis suæ declarat causas, primam concupiscentiæ

tiæ animalis calorem, quam sole designat, deinde prauorum societatem dicens, *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Impij enim pios lacessunt, bellumque ijsdem noxio persuasu, diabolicis consilijs, pernicioſis sollicitationibus, pessimoque exemplo indicunt.

Apocal. 9. Hoc ipsum ad litteram designauit visio illa Ioanni in Apocalypsi ostensa, qua vidisse se ingentem equorum multitudinem ait, *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* Quinam vero hi equi, & bellatores equestres fuere? sibi ipse respondet, *Et ita vidi equos in visione, & qui sedebant super equos, habebant loricas igneas ac sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus & sulphur, & ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum.* Hoc vt mysterium exponamus, sciamus ante oportet, non semper seipsis omnia malorum genera dæmones operari, sed sceleratorum & impiorum velut malitiæ suæ instrumentorum opera vt plurimum vti ad eadem efficienda. Hoc itaque præsuppoſito certissimū est, per equites hos dæmones designari, quorum infinitus est numerus; per equos vero, peruersos & impios, quorum opera & adminiculo de hominib. cacodæmones triumphant, victoriamq; de ijs referunt, quam, illorum ni foret subsidium, referre non adeo commode possent. Leonina equorum capita, & ora igniuoma, fumumque ac sulphur exhalantia impiorum crudelitatem notabant, quod peruersi proximū deprauent & pessimo exemplo inficiant. Potissimum autem horum malorum patrandorum instrumentum ipsum est os, quo verba iniquitatis & blasphemias; intolerabiles proferunt; atque hoc igne equorum faucibus prodeunte repræsentatur, proximi honorem adurente, omnemque eiusdem vitam in cineres conuertente. Fumus porro atroces calumnias, horrendas detractiones & verba famam inquinantia figurat, quibus proximi famam atterunt, honorem violant, uominique eiusdem turpissimam aspergere maculam omni ratione conantur. Sulphur denique sordidorum, fœdorum ac malcolentium verborū, quib. castissimos quosque deprauant, inficiunt, & afflant, putiscentiam ac fœtorem repræsentat. Vt n. nihil sulphure maleolentius aut putiscentius, ita castis auribus nihil est quam verba inhonesta & impia ingratius, exosius, & intolerabilius. Hanc ob causam os impiorum sordibus, inquinamentisque & infectionibus semper patens, sepulchro fœtido & mephitim terrimam spiranti non inscite à Psalmista accommodatur, *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Psalm. 5.

Impij instrumentum sunt Dæmonis.

Verba iniqua sulphuri assimilantur.

Omnis hæc tropologia eo spectat, vt videatis, videntesque metuatis, metuentes deniq; euitetis malorum consortiorum discrimina. Hoc vt Sapiens declararet, hæc ænigmatica proponit inuolucra: *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs? sic & qui comitatur viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius, &c.* Eccli. 12. Quibus ille verbis hoc potissimum significare intendit, non minus esse cum impijs agere noxium ac periculosum, quam cum bestijs maxime feris conuersari: Atque hanc ob causam adiungit, *Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto*, quasi diceret, Lupi tractatio familiaris & quotidiana non adeo noxia est agno, nec tantum metuenda, quantum iusto domestica peccatoris & impij societas. Eccli. 13.

Prauorum familiaritas non minus metuenda, quam bestiarum.

Si hæc Scripturæ loca non sufficiāt ad persuadendum & ad oculum videndum, quantum prauorum consortia discrimina inuoluant; sapiens ille Rex Dauid reipsa id vobis declarabit, dum quodam loco sic scribit: *Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* De filijs Israel sermo est, quos impiorum Chananæorum consuetudine deprauatos fuisse non diffitetur, nam idololatrarum tractantes commercia, infideles etiam & idololatræ facti sunt. Psalm. 105.

Hanc solam ob causam, ad euitanda inquam discrimina, quæ malorum affert societas, hoc per Moysen filijs Israel mandatū dedit Deus: *Præcipe Israel, vt ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo, tam masculum quam feminam, ejicite de castris, ne contaminet ea, cum habitauerit* Num. 3.

Prauorum societas noxia.

sint vobiscum. Hoc de leprosis pollutisque & immundis è castris eijciendis præceptum nõ alium ad finem referebatur, quam vt hinc disceremus, quam sint leprosi spirituales peccatores scilic. polluti & seminiflui, puta scandalum dantes, si quotidianum cum ijs habeatur contubernium, noxij & damnosi. Qui ergo infici & afflari noluerit, diligentem det operam, ne pestifera hęc commercia frequentet.

Hac etiam de causa non mediocri aduersus Iosaphat Regem iracundia concitatus est Omnipotens, quod Regis Achab, quo nullus Regum Israel exstitit aut nequior, aut vafrior, amicitiam, fœdus, societatemque perdite experitisset. quapropter stomachatus eidem aiebat, *Impio prabes auxilium, & ijs qui oderunt Deum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona inuenta sunt in te.* Irascebatur scilicet Iosaphato, quod iniquam societatem iniisset, quæ tandem illi affetre exitium potuisset; vt hac ratione omnes, paruos simul & magnos, edoceret, nihil esse peccatorum societate, scãdalosorum frequentatione, sceleslorum fœdere, alijsque impiorum commercijs Deo exosius; ab hoc namque tota hominis ruina dependet & exitium.

Omnis hominis ruina ac perditio à prauorum dependet consortio. Bonorum societas optanda.

Vt autem perditorum ac profligatorum societas mala, noxia, & pernicioſa est, ac proinde summopere detestanda; sic vice versa bonorum sanctorumq; consortium bonũ, honestum, vtile, atque inprimis optandum est. Exemplo sit Laban ille paterfamilias, qui in Genesi confiteri non erubescit, simul cum Iacobo in domum suam ingrediente etiam Deum ingressum esse, & virum hunc sanctissimum & integerrimum omnigenam secum prosperitatem ac benedictionem attulisse: cum n. mediocrium ante foret facultatũ, sancti huius viri frequentatione ac societate factum est, vt præ populatib. locuples euaserit.

Gen. 30.

Gen. 39. Idipsum & de Iosepho famulo suo testatur Pharaonis Eunuchus Putiphar, agnoscitq; ipsius solius sinceritati probitatique omnem domus suæ affluentiam ascribendam.

1. Reg. 6. In libris Regũ videbis Obededom Leuitæ quam breuissimo tempore domũ omnigena benedictione cumulatã, quod arca Domini ad menses aliquot in eadem diuertisset. Quo exemplo discimus, vbi virt⁹ adest, vbi fœderis arca commoratur, vbi vir iust⁹ habitat, ibi omnem felicitatem & prosperitatem quam copiosissime affluere. Hinc efficiemus ergo, bona honestaq; commercia numquam non vtilitatem afferre. In huius rei testimonium semper beata videbis Saulẽ Regem, vnum non vsquequaque pbum, sed sceleribus multis coopertum dum inter Prophetas agit, simul etiam prophetare, atq; illorum ad instar in sancta piaque oracula prorumpere, *Et prophetauit cum ceteris.*

Bonorum consortia

1. Reg. 19.

Sed qui habere historiam, qua quę dicimus confirmãtur, voluerit, videat quæ 4. Regum scribuntur libro. Leget ibi cadauer tumultuarie in Elisæi Prophetæ sepulchrum proiectũ ad primum ossium ac reliquiarũ propheticarum contactum rediuiuum à morte suscitatum: quo prodigioso, notabili tamen & consideratu digno facto discim⁹, iustorum sanctorumq; virorum frequentationem & conuersationem nimium quantum ad mortuos vitæ restituendos, peccatores inquam conuertendos, & ad delictorum cognitionem, atque inde ad gratiæ vitam reducendos sufficere. Nam vel minimus viri boni contact⁹, verbum, commonitio, consilium & salutaris doctrina, vel exemplum bonum ad impium conuertendum, Deo asserendum, ad pœnitentiam ei, vitiorumque fugam persuadendam sufficerit.

4. Reg. 13.

Hęc omnia S. Thomæ Apostoli occasione dicta sunto, qui, priusquã mortem Redemptor oppeteret, cum quadam die vna cum alijs Apostolis dicentem audisset, ascendere se Hierosolymam velle, in qua ne mors sibi pararetur, metuebat; & omnes eius collegæ perterriti exalbescerent, & mœrore pauidi animum contraherent, robur illis addens magnaq; generositate pusillanimitatem ipsorũ exprobrando, ait, Eia, *eamus, & moriamur Ioan. 11. cum illo*, si opus sit, pericula ac cruciatus instantes quid perhorrescimus? non propterea animum abijciamus, non idcirco à fide præstita desciscamus. Et ecce modo, postquam mortuus & resuscitatus est, à ceterorum Apostolorum contubernio semotus, alijs forte se parum religiosis (quorum, vti

& ho-

& hodie ingens erat numerus sociũ addidit. Quamobrem ad illos reuersus vt primũ audijt, magistrum ac Dominum IESVM à mortuis surrexisse, amles se audire credebat fabulas, non fidem verbis eorum adhibere voluit, nec ante se crediturum asseruit, quam suis eum vidisset oculis, & vulnera manibus contrectasset. Euangelij seriem audiamus, *Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus*, &c. Hac de materia acturus pro methodo mea & consuetudine bipartitam concionem faciam. Primum namque Apostoli huius pertinaciam & incredulitatem ob oculos ponam, deinde eiusdem conuersionem, fidem, zelum, mutationem, & resipiscentiam spectandam dabo.

II. Thomę infidelitas exaggeratur.

Principio igitur Euangelista S. Thomæ incredulitatem euidentius declaraturus hæc initio narrationis verba vsurpat; *Thomas vnus de duodecim*: quibus eadem maiorem in modum exaggeratur: quasi diceret, Illiorum de numero vnus, quos Dei filius plus alijs diligebat, qui maiora cæteris charismata ab eo acceperant, ex illius domesticis vnus, ex illis, qui toties illi fidelitatis sacramentum præstiterant, qui tot eum patrantem miracula viderant, quibus tot ipse vicissim arcana crediderat, vnus denique illorum, qui tot illi nominib. deuincti erant, talis inquam tam turpiter impegit, tam grauiter offendit, ita sui est oblitus, a fide defecit, tamq; enorme crimen conscinit.

O ingratitudinem singularem! quam tanto animi dolentis sensu Propheta plangit exclamans, *Audite cœli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, filios enutriui & exaltaui, ipsi autem speruerunt me*, cœlos terramq; ad auscultandum inuitat, omnesque adeo mortales attentos esse vult, ac discere, quantum quamq; detestandum ingratitudo crimen sit.

Isaiæ 1.

Ingratitudinis ingens vitium.

Nathan Propheta, quo Dauidis Regis peccata castigaturus maius verbis suis pondus adderet, ingratitudinem peccatris potissimum sugillat, & sic loquentem Deum per prosopopœiam inducit, *Ego vnxi te in Regem super Israel, & eruite de domo Saul, & dedi tibi domum Domini tui, dedique tibi domum Israel & Iuda, & si parua sunt hæc, adijciam & maiora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu eius?* perinde ac si, ingratitudinẽ eius carpendo, diceret, Quanta tua ingratitudo est Dauid! quam ingratus, & tot à Deo acceptis beneficijs & gratijs indignus es! Quis credidisset fore vnquam, te tot bonorum à me acceptorum memoriã ac sensum tam cito omnẽ, quæ tua est ingratitudo, depositurũ? quis vel cogitatione fingere audeat, fore, vt tu adeo sublimatus, & ab ouium gregib. ad solium ac populi regimen vocatus tam cito tamq; turpiter benefactorem delinquendo offenderes, & aduersus eum contumax insurgeres? Hæc quidem olim ingrato Dauidi dicta sunt, peccator; at vide ne & idipsum tibi oggeratur: quæ enim scelera committis, quas contrahis culpas, & quotidiana tua in eundem ipsum Deum, qui iam inde ab incunabulis beneficus in te extitit, & nouis etiã quotidie te gratijs adobruit, ingratitudo regis illius peccata longo superant interuallo.

Dauidis ingratitudo extollitur.

Peccatorum in Deum ingratitudo aggeratur

In eiusdem sceleris horrorem ac detestationem hanc in Psalmis querelam ipse mũdi Seruator alia in persona depromit, *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*. quasi gemebundus & lamentabundus, Iudę ingratitudinem deplorans, diceret: Proh dolor! an nõ insignis illa est ingratitudo, illum, quem tot beneficijs ad mei cultum cantis expellexeram, quem de Apostolorum numero, de Ecclesiæ Principibus, de œconomis domesticis, de regni mei secretarijs intimis, ac de mysteriorum meorum interpretibus vnum cõstitueram, ita sui oblitum esse, vt aduersus me conspiret, tam sceleratam in caput meum proditionem adornet, ac mortem mihi atrocissimam moliatur? Quis similem vnquam vel fando vel legendo ingratitudinem audiuit? Verba vero Euangelij, quibus Thomę incredulitas carpitur, eundem prope sensum videntur includere, *Thomas vnus de duodecim*.

Psalm 40.

Iudæ peccatis exacerbatur ingratitudo.

Moyses honoris diuini zelator acerrimus, cum in populum idolis seruientem inueheretur, & nimium quantum succenseret, in primis illi ingratitudinem opprobrat, quam verbis sensuque satis pathetico exprimit

Deut. 32. mit dicens, *Incrassatus est dilectus, & recalcitranit, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo*, vita tua, & bono suo, factus instar equi sæginati insolentior. Quibus verbis ingens dolor, & æstuans iracundia, simulque intolerabilis illius populi ingratitudo exprimitur; vti & illis Euangelij nostri, *Thomas vnus de duodecim*.

Nullus autem tota sacra Scriptura locus est ad peccantium ingratitudinem carpendam, castigandamque illo Ezechielis aptior aut accommodatior; apud quem præuaricantem Synagogam, beneficiorum & gratiarum acceptarum immemorem Deus ter maximus sic coarguit: *Lauite*, ô Synagoga ingrata, *aqua* purissima, *& emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo*, & odoramentis perfudite, *& vestiui te discoloribus, & ornaui te ornamento* omnigeno; hinc *& ornata es auro, & argento* & pretiosis monilibus, *& perfecta eras in decore tuo, quem posueram super te*, nullus vt te in orbe esset perfectior & ornatior, *dicit Dominus Deus, & habens fiduciam in pulchritudine tua* & perfectionibus, ijsque superbiens *fornicata es*. Sensus est: Quis, quæso, intolerabilem & barbaricã illam ferat ingratitudinẽ, te, post accepta à me beneficia, tantasq; diuicias, adeo mei oblitam esse, vt ob eadem adeo me non diligas, colas, & reuereare, vt ijsdem me offendas, abutaris, & in fœdissimum ac cœnosissimum prolapsa sis volutabrum.

Ezech. 16.

Insignis de ingratitudine populi Iudaici locus.

Propudiosæ porro & acres hæ sugillationes non omnino præter rem sunt, ecquæ enim dari fingique maior ingratitudo potest, quam si puella humili nata loco & obscuris ortanatalibus, quin & infamibus, vt pote cuius parentes latrocinio victitarint, insuper semilaceris vestita scrutis ac veteramentis, & vero pauperrima & ab omni re destituta, postquam iam diligenter abluta & inuncta, splendido matrimonio iuncta, regifice induta, & regis vxor facta ac regina esset, horum omnium oblita, honorem prostitueret, prostibulum ac propudium omnium se redderet, amasios alienos consectaretur, iuratam Regi fidem frangeret, & in tam benignum potentemque coniugem tam ingrata existeret? Ad eumdem plane modum Synagoga Iudaica, tametsi illustria & ingentia à sponso suo cœlesti, Deo, beneficia & gratias accepisset, horum omnium immemor, & benefactori iniuria, eamdem commiserat culpam, atq; hoc illi apud Prophetam Deus exprobrat.

Simile.

Hæc ipse maiori etiam vehementia animique dolore apud alium Prophetam deplorat, *Ecce locuta es*, inquit, *& fecisti mala, & potuisti*, ô ingrata Synagoga. Admirari sane videtur quodammodo Deus, eam hominibus esse sui offendendi audaciam & animos. *Es locuta es*, id est introrsum in animo cogitasti tuo, quasi diceret: Anne venire in mentem tibi potuit? anne vel cogitare potuisti animo in Deum vt peccando insurgeres? Si vero id ipsum cogitaris, quomodo ipsum executioni mandare ausa es? Idem prope sensus est atque ille verborum Euangelicorum, quæ velut in ingratitudinis & incredulitatis S. Thomæ expostulationem ab Euangelista dicta sunt, *Thomas autem vnus de duodecim non erat cum eis*.

Ier. 3.

Verba illa *vnus de duodecim* studio, quasi per modum admirationis, posita sunt, quo modo scilicet sanctus hic Apostolus, in miraculorum edoct. ludo, virtutum ad exercitia formatus, Messiæ regulam professus, inter discipulos Iesu Christi coopratus, errare, & in tantam incredulitatem labi potuerit. Simile quid & eadẽ dictum acrimonia in Isaia lego, apud quẽ sic populo suo loquitur Deus, *Misereamur impio, & non discet iustitiam facere, in terra sanctorum iniquagessit*. sensus est, Causa cur in populum hunc sim immisericors, est, quod, cum tanto tempore inter Patriarchas ac sanctos Prophetas, aliorumq; piorum vixerit quotidiana commercia, terq; virtutis sectandæ occasiones habuerit; nunquam tamen sapere voluit, semper in nequitia perseuerauit, nunquam discere voluit, vt faceret, quæ iustitiæ sunt. quamobrem indignus est, cui aliquam gratiam aut misericordiam impendam.

Isaiæ 26.

Eodem etiam modo, & eadem acrimonia sugillatus est præuaricantium Angelorum princeps Lucifer: *Tu Cherub extentus & protegens, in medio lapidum ignitorum ambulasti*. &

Ezech. 28.

paulo

paulo ante: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Qui fieri, inquam, potuit Lucifer, tam turpiter te labi, tam felici sorte tam infeliciter excidere, qui tanto splendore, & tantis perfectionibus iam inde ab initio oriebaris? quomodo credam te, qui lapides interignitos, id est, inter Angelos, spiritus illos amore Dei ardentes & æstuantes, ambulabas, adeo in eodem refrixisse, vt aduersus maiestatem & dignitatem eius conspirares? te inquã è principibus Angelorum, è primarijs cœli satrapis & dynastis, ex illis beatorum spirituum capitibus vnum? Quod hic autem de S. Thoma dicitur, eiusdem prope generis est, *Thomas vnus de auodecim.*

Cæterum omnis hæc ingratitudinis S. Thomæ exaggeratio & exprobratio ad incredulitatem eiusdem refertur, quam sancti Patres excusare tamen & in bonam partem interpretari conantur, & hominibus persuadere, non illam, quæ vulgo putatur, eius esse criminis enormitatem. Petrus Chrysologus inprimis, prophetiam magis quam cũctationem in eo fuisse credit: quasi spiritu prophetico è plagis in sacra Domini humanitate relictis eius confirmare resurrectionem voluerit. Haymo addit, si dubitare illum permiserit Deus, ad nostrum bonum & Ecclesiæ illius gloriam id factum esse. Sicut de cœco nato Redemptor in Euangelio testatur, non hãc illi ob delictum aliquod proprium, aut patẽtum eius, sed pure & simpliciter ad maiorem Dei gloriam, cæcitatem immissam.

Pet. Chrys.

Haymo.

& Gregor.

Eiusdem quoq; sententiæ magnus est Gregorius, ac dubitasse Thomam vult, vt animos ipse nostros confirmaret, & omnis dubitationis fibras eradicaret, vt vidẽres nimirum, causam hanc tã rigide examinatam, & à tam pertinaci teste, qualis est Thomas, tam peruicaciter euentilatam, fidem ipsi adhibeamus, & alia ad confirmationem eiusdem testimonia non inquiramus. Additque, quemadmodum Redemptor sanctiss. matris suæ sponsum Iosephum de conjugis suæ prægnantis integritate dubitare voluit, quo eiusdem deinde virginalis pudoris testis foret, ita & hunc discipulum dubitare permisisse, vt irrefragabile & certissimum resurrectionis præcedentis testimonium daret, ac nullus de eadem deinceps ambigeret. Huc referri queat, quod suis in homilijs habet August. *Quam bona ignorantia, quæ eruditi ignaros, quæ instruxit incredulos! quam bona infidelitas, quæ sæculo fidei militauit!* *Ser. 156. de temp.*

Eandem causam propugnans S. Cyrillus, S. Thomam mirificis enmulat laudib. eumq; sanctissimum Domini vocat discipulum: aitque eum amore potius & pio Saluatorem resuscitatum, videndi affectu turbatum fuisse, quam dubio aliquo aut diffidentia motum: *Quamuis, inquit, mihi Thomas videri soleat non infidelitate magis, quam summo amore perturbatus fuisse, qua Dominum oculis suis non videbat.* *S Cyrill.*

Longius progreditur S. Bernardus in Apostoli huius patrocicinio; eius nãque diffidentiam & incredulitatem aliorum Apostolorum fidei anteponit, & ait: *Plus nobis Thomæ dubitatio ad fidem profuit, quam aliorum Apostolorum cito credẽtium fides.* Suffragatur eidem & Euthymius, & idem prope habet, *Dubitatio hæc Apostoli multos alios confirmat, & à dubitatione li erat.* *Hom. 2 super missus est.* *Euthym.*

Cyrillus ab omni prorsus illum culpa hanc ob causam liberat, eiusque innocentiæ patrocinatus, in hunc Ioannis locum commentans, illum in Domini sui resurrectione minime credenda noxam nullam ait contraxisse, eo quod ipsam credere non teneretur, vtpote nondum ab Ecclesia vt fidei articulum declaratam, vti postea in Apostolorum Concilio communi fuit sententia credenda proposita.

Equidem libenter in horum Patrum partes concedo, & non minus illis Apostoli huius honorem & famam omnimodis tueri allaborando, credere mihi est animus illius incredulitate fidem nostram esse confirmatam, & Ecclesiæ non mediocre emolumentum accessisse. Verum enim vero cum veritati adeo contumaciter illum video refragari, ac testium ro. omni exceptione maiorum, qui deinde mundo vniuerso tem eandem persuaserunt, testimonio credere aut acquiescere nolle, non possum, quin peruicaciam illam obfirmatam, aut nouam atq; inauditam, aut falsam temerariam credam. Contremisco & exhorresco cum illum, collegis omnibus affirmantibus, negantem audio, & in alia longe

S. Thomæ pertinacia.

abeuntem dicere, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum in latus eius, &c. non credam.* Verba hæc nescio quam superbiam ac præsumptionem spirant, temeritatem redolent, & insignis pertinaciæ sunt testimonium. Decem viri, ijque Sacerdotes, Doctores, Episcopi, Apostoli ac discipuli Iesu Christi, qui vniuersum terrarum orbem fidei Christianæ subijcere potuerunt, hunc vnum collegam suum ad eandem conuertere nequeunt. Rei huius forsan causa fuit, quod non secus atq; alij Apostolus, Prælatus & Euangelizator foret.

Magni & docti difficilius alijs ad fidem transeunt.

Dico igitur, Auditores, ac dicenti mihi vos credere volo, si quem virum illustrem aut doctrina eximium in errorem prolabi cõtingat, difficilius atque ægrius illum resipiscere, quam alium quemlibet obscurum aut plebeium. Citius namque ad meliora conuerti videbimus latronem, aut crumenisecã, aut meretricium aliquod prostibulum, aut denique alium profligatis ac perditis moribus, quam Sacerdotem aliquem perdite viuentem, aut excucullatum monachum: dum enim impingunt grauius alijs peccãt, ac proinde majori difficultate atque labore à vitijs se abstrihaunt. In huius rei signum est, quod in Euangelio legimus. Angelus enim Zachariæ apparens, eique filium promittens, inter alia hoc de illo deprompsit vaticinium, *Et multos filiorum Israel conuertet ad Deum ipsorum.* Non ait, conuersurum infidelium aut gentilium multos, sed filiorum Israel, id est, Iudæorum, quibus verbis futuram aliquando pueri huius prædicationem mirum in modum extulit, qua Iudæorum plurimos ad Deum & meliora conuersurus esset: vtpote quorum conuersio longe futura esset difficilior, quam Ethnicorum; simul etiam ostendens, maiores in Religioso deprauato, aut Sacerdote profligato, quam fure aut scorto cõuertendis esse labores subeundos. Videte hic, vt decem concionatores atq; omnes Apostoli, ne vnum quidem commouere Thomam potuerint.

Luc. 1.

Peccatores inueterati ægrius resipiscunt, quã recentes.

Alia contumaciæ atque offirmationis huius causa erat, quod multo jam tempore in hoc errore versaretur. Iam octo enim dies effluxerant, quo primum hanc incredulitatem contraxerat. Ceterum inueterati peccatores maiori cum difficultate conuertuntur, quam recentiores ac nuperi. Ad oculum hoc ostendit apud Matthæum Redemptor: Videns enim quodam tempore duos fratres, Iacobum ac Ioannem vna cum patre Zebedæo piscantes, ad se eosdem vocauit; qui statim relictis omnibus propere vocantem secuti sunt, pater verò in nauigio remansit: erat. n. ille jam senex, filij porro juniores ac vegeti. Mystice ac figurate hoc denotat, juniores ac nouiores peccatores, in delictum aliquod prolapsos, mox vt à Deo per inspirationes internas, tribulationum flagella, prædicationum monita, aliasque inuitationes supernas euocantur, ilico præcipitio exire, peccato valedicere, ac Zebedæidum illorum exemplo confestim sequi. Inueterati vero & inoliti peccatores, tamesi appellentur, in eodem semper statu perseuerant, loco se non mouent, & senecionis illius ad imitationem in cœpto progrediuntur. Nonnisi octo, eheu! effluxerant dies, quo crimen hoc Apostolus noster conciuerat; & ecce Apostoli ad vnum omnes animum obduratum mouere nequeunt; quorum ille verbis præfracte resistens, tametsi certissimis, addit: *Nisi videro, non credam, &c.*

Matth. 4.

Fides hoc in mundo, in altero visio est.

O singularem incredulitatem! ô errorem intolerabilem! Quam falleris, & erras Apostole, videre dum cupis, antequam credas: credere enim prius oportet quam videre: fides mortalium est, at æterna jam beatitudine gaudentium visio. Egregiam rei quam tracto allegoriam dabit Genesis. Iacob Patriarcha septem ipsis annis Labano se in seruum addixit, Rachelis filiæ ipsius, puellæ formosissimæ matrimonium ambiens, qua dum potiri jam sperat, septennio exacto, Lia illi lippiens à patre supponitur dicente, *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus nuptias.* De vtriusque autem puellæ forma hoc Scriptura dat testimonium: *Lia erat lippis oculis, Rachel autem decora facie, & venusto aspectu.* Etsi, vt postea apparuit, illa fœcunda & hæc sterilis foret. Sed jam allegoriam applicemus.

Gen. 29.

Allegoria.

Deus

Ecclesia triumphans militans Lacheli ac Liæ collata.

Deus optimus maximus, magnus ille paterfamilias duas egregias habet filias, duas inquam Ecclesias, triumphantem vnam, quam Rachel repræsentat, summe ac singulari quadam ratione decoram; in illa namque quam perspicacissime Sancti diuinam maiestatem intuentur; non enim ille amplius meredi, aut bonorum operum patrandorum est locus. Militantem alteram, quæ Liæ adinstar lippientes ac fluidos habet oculos, eo quod diuinorum ac spiritualium nihil prorsus ad oculum videamus, sed qualia sint, solum inaudiamus: fœcunda nihilominus est, multosque parit filios, eo quod in terra merendi sit oportunitas & locus. Liam porro ante ducere oportet, quod ante per fidem in Ecclesia viuendum sit, multa merita, bona opera, & infinitos amoris actus exercendo; ac postea Rachelem nobis desponsabimus, diuina visione & conspectu in gloria cœlesti perfruentes. Quocirca non mediocriter illos falli cum Thoma certissimum est, qui dicunt, *Nisi videro, non credam*, Rachelem ante conspicere, quam Liam cupientes: è contra vero ante credendum, ac deinde obtinget visio ac fruitio.

Vt vero libere, quid de Apostoli huius delicto sentiam, exponam, cum dicentem insolens illud, *nisi videro*, audio, fatear necesse est, verba mihi hæc summam incredulitatem includere videri. Neque enim Apostoli est dicere, velle se videre ad credendum, sed incredulorum Iudæorum potius, quorum hic apud Ioannem est sermo: *Quod ergo signum facis, vt videamus & credamus?* Apostolicum vero est dicere cum Apostolorum Principe, *Nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui.* In quæ verba hoc notat Augustinus: *Dixit prius, Credimus quam Cognouimus, vt doceret occulta Dei mysteria credenda esse, vt cognoscantur, & fidei cognitionem esse præmittendam.* Addere his illud Beati Prosperi licet, *Non fides ex intellectu, sed intellectus ex fide nascitur.* Dicere, mea sententia, vult, non à sensibus argumentorum, non ab experientia, non denique à rationibus naturalibus fidem dependere, sed hæc omnia è contra fidem vt fundamentum habere. Nam vt quis credat, non sensus, non humanam capacitatem, non ingenium consulat oportet, hæc enim omnia fides transscendit; quin potius è contra, quidquid naturale & humanum est, ab ipsa dependet, eamque vt Dominam ac Principem agnoscat necesse est.

Ioan. 5.

Ioan. 6.

Tract. 7. in Ioan.

Lib. de vita contempl.

Fides à sensu non dependet.

Hanc forsan ob causam amans illa sponsa, sponsi sui videndi percupida, desiderioque æstuans & anhelans ait, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi cubes in meridie.* Petenti sic respondit dilectus: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*: quasi diceret: me ipsa coram intueri desideras, sed ante auribus inaudias oportet, per quas fides in animum ingreditur; nam teste Apostolo, *Fides ex auditu.* Huc respexit haud dubie patiens ille Propheta Iob, *Auditu auris audiui te nunc autem oculus meus videt te.* Audisse se ante ait, quam vidisse, oculis aures, id est, fidem visioni præmittens. Sanctus Thomas vero vice versa ante videre quam credere desiderat, *Nisi videro, non credam.*

Cant. 2.

Rom. 6.

Iob. 24.

Ibid.

Hanc porro nobis infidelitatem sancti Thomæ, vti & aliorum Sanctorum infirmitates ac labeculas idcirco Deus optimus proponit, vt hinc liquido constaret, ipsos infirmos, fragiles, inconstantes, & vitijs non minus quam nos obnoxios natos esse: deinde vt ipsorum imitari vestigia, & in pœnitentia, quam dimissis delictis subierunt, præeuntes sequi nequaquam pigeat: simul & virtutes, quarum exercitio, diuina auxiliante gratia, naturæ infirmitatem superarunt. Volupe est peccatoribus ac perplacens, Sanctorum lapsus & errata inaudire, vt hoc pacto propria per similitudinem excusent, sibique peccantibus abblandiantur & velut adulentur. Sic suam libidinosi & adulteri fornicationem & adulterium simili Magdalenæ & Dauidis fornicatione adulterioque excusant. Matthæi vsura fœneratitio lucro inhiantibus pallium est; blasphemis sancti Petri cum juramento peieratorio negatio solatio est; denique sancti Thomæ nostri incredulitas peruicaces in sua confirmat & corroborat, sic alios alia. Nec vllum omnino peccatorem dabis, qui, quo scelus suum excuset, purget, seque minus reum reddat, non aliquem sibi sanctum, qui idipsum aliquando ad-

Cur S. Thomæ incredulitatem Deus nobis proponat.

Peccatores sua crimina Sanctorum criminibus excusant.

do admiserit, repræsentet. Quod sane in maximam Sanctorum vergit cõtumeliam, summaq; ipsis hoc pacto irrogatur injuria, quam sibi ipse factam arbitratur Omnipotens, atque interdum adeo hac offenditur, vt honorem illorum propugnaturus, non raro insigniter in huiusmodi blasphemos animaduertat.

2. Reg. 10. Palatini Regis Hannon missos à Dauide Legatos indignis habuerunt modis, & contumeliam insignem ipsis irrogarunt, mediam illis præsecantes barbam, & vestes pube tenus decurtantes. Quam Dauid rex injuriam sibi irrogatam existimans, eamque vlturus, cum lecta militum manu Ioabum ducem misit, qui vindicias reposceret, & in injurios pro merito animaduerteret. Huc animos & aures conuertite allegoricorum sensuum sectatores Peccatores, qui Sanctorum crimina imitantur, illaq; in sui purgationem adducunt, mediam illis vestem præsecant, & membra velut verenda detegunt. Si vero suis irrogatam seruis injuriam Dauid tam atroci vltione castigauit, ipse sane Dei filius nõ impune habere sinet illos, qui eadem in Sanctos suos injuria lasciuiunt, & in domesticos suos & palatinos adeo indignis modis sæuiunt.

Allegoria.

III. Verissimum est, nec diffitemur, Sanctorũ plurimos, & eos quidem principes ac primarios, non secus ac nos, peccata admisisse; sed ea potissimum id causa permisit Deus, vt si labi nos interdum in delictum contingat, non propterea animo cadamus, neu de venia consequenda desperemus, sed diuinam semper esse misericordiam ad indulgendum & omnigenos peccatores resipiscentes recipiendos paratam agnoscamus. Mirum in modum hoc in epistola ad Timotheum exaggerat Apostolus: 1. Tim. 1. *Quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccato es saluos facere, quorum primus ego sum, sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primum ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Quasi diceret, Fui reuera (quod gemens fatear necesse est) maximus ac grauissimus peccator, me tamen admittere in gratiam Deo visum est, vt eiusdem bonitatis & patientiæ cunctis essem peccatoribus, qui in illum mei ad instar peccarent, paradigma, nunquam vt desperarent, sed spẽ veniæ, sicut mihi eam ipse indulsit, consequendæ conciperent certissimam.

Permisit Deus Sanctos labi, ne animũ peccatores despouderent

Cur Sanctorum imperfectiones nobis Ecclesia repræsenter.

Hæc quidem vnica fuit ratio, tametsi non desint aliæ, cur Catholica Ecclesia, à Spiritu Sancto gubernata ac directa, Sancti Thomæ festiuitatem annuam recolendo, eius imperfectiones, & quod circa fidem potissimum commisit erratum, Christianis proponat. Idipsum & in Magdalenæ peccatis præstat, docens eam fuisse in ciuitate peccatricem: nec minus in Matthæi, dum eum publicanorum (erat hoc hominum genus apud Iudæos maxime infame) in telonio sedentem inducit. Adeo vt eorum decantans laudes, & virtutes celebrans, illorum simul imperfectiones ac vitia proponat.

Ritus triũphãdi apud Romanos.

Romanis in more positum fuisse proditur, vt eodem in curru quadrijugo, quo triumphans Imperator vrbem inueheretur, seruus aliquis aut vile mancipium post tergum triumphantis astaret, qui quo alij stipatores modo eius generosa facinora ac laudes deprædicabant, injurias & cõtumelias in ipsum jaciebat. Fiebat hoc, ne triumphans gloria hac & plausu populi superbiens insolesceret, atque vt demisse de se sentiret humanæ sortis memor. Sanctus Hieronymus eandem consuetudinem referens, præconẽ fuisse prodit, qui currum anteiens commonebat, ne in superbiam efferretur, aut sibi ipsi insolentior factus, hoc in plausu & gestientis acclamantisque populi præconijs adularetur, sed mortalem se esse, atque omnia hæc vmbræ instar euanescere cogitaret. Ad eius fortè ritus imitationem Ecclesia Catholica, Sanctorum illorum illustrium festa celebrans, eximijs ipsorum virtutibus peccata intermiscet, & eo quo ipsorum dignitatem & excellentiam celebrat tempore, imperfectionum simul recolit memoriã. An vt ne superbiant, & demissius de se sentiant? nequaquam hæc Ecclesiæ mens est; nam in statu illo, quo modo sunt, visione Dei potientes, nulla amplius, ne vane se efferrent, aut insolescerent, formido est: sed vt hac ratione animos nobis adderet, consolationis nobis exempla ob oculos ponen-

Ecclesia Sãctorum errata nobis proponit, vt adderet animos.

ponendo. Ne scilicet, exempli loco, si quæ muliercula honorem prostituit, pessimo aliis fuit exemplo, Veneri vacando; si quis vsurã & fœnebre lucrum exercuit, iniquos contractus iniit, fœneratitiam pecuniã exposuit; si alius fide exciderit, ab Ecclesia decesserit, & in infamia hæreticorum tenebrionum gurgustia ac lacunas concesserit, ne inquam hi aliique propterea desperent, aut penitus animo cadant, sed omnem in Iesu Christo spem collocent; vt qui à fide desciuit, ad Ecclesiam redeat; alii peccata plangant, Sacerdotique eadem detegant vere & ex animo resipiscendo: quod vbi fecerint, vti Magdalena, Matthæus, & noster Thomas fecisse perhibentur, sicut eis misericordiam præstitit pater ille clementissimus, non dubito fore quin & illis sit commissa condonaturus, & gratia mentes vberrima repleturus. Sed æquo hac in parte, quæ S. Thomæ nobis incredulitatẽ & delictum patefecit, sum prolixior: iam alterius auspicandæ, & Apostoli huius conuersionis ac fidei proponendæ tempus est.

Octiduo ergo post, quam in incredulitatẽ hanc Thomas prolapsus esset, vt quidem Euangelista prodit, Apostolorum aliorum orationi credere detrectans (non quod mentiri, sed quod falso eos decipi viso, ventoso phantasmate aut spectro inani crederet,) ecce tibi Redemptor Iesus, animam eius ab errore liberaturus, illi derepente se sistit, & corã aliis discipulis singillatim ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* q.d. Non ante te, Thoma, crediturum iurasti, me à mortuis rediuiuum resurrexisse, etsi homines omnes, quin imo Angeli hoc ipsum tibi iurati assererent, quam tuis me coram videres oculis, & manibus plagas ac loca clauorum contrectares; equidem hanc tibi modo gratiam præstare volo, temeritatem tuam sufferre, tuæque me infirmitati accommodare. Aperi ergo oculos tuos, admoue digitos, manus porrige, agnosce veritatem, fidem amplectere, & noli iam esse incredulus, & cum te fides conuincere non potuerit, ipsa te modo conuincat experientia.

Ioan. 20.

S. Thomæ in Redem-

Quo Dominum suum amore prosequebatur hic Apostolus, ipsum credo Redemptorem induxit, illius vt cõmiseratione tangeretur, & hoc naufragio eriperet. Sanctus Thomas enim Dominum vehementi inter alios Apostolos amore cõplectebatur: quem tum in primis patefecit, cum reliquis Apostolis præ mortis formidine in Iudæam reuerti metuentibus, animos ipse addens, ait, *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Mortem ecce non reformidat, modo Iesu Christo liceat adhærescere. Thomæ porro animositas alterius mihi æque generosi, Ethai nomine, ad Dauidem Regem verborum memoriam renouat, simili cum generositate dicentes, *Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus*, & eandem tecum sortem subibit. Quæ Dauidi Regi generositas tantopere placuit, vt ob hanc potissimum causam de tribus primariis ducibus, castrorum præfectis, & vniuersi regni negotia administrantibus, vnum ipsum constituerit. Eandem etiam ob causam S. Thomam à Redemptore Iesu de primariis Ecclesiæ suæ ducibus atque antesignanis vnum creatum esse credendum est.

ptorem amor.

Ioan. 2.

2. Reg. 5.

Vnicus amoris & ardentis discipuli huius erga charissimum Dominũ suum affectus, & quam eius sequẽdi gratia protulerat animositatis respectus, ad ipsum benigne respiciendum, & misericordiam exhibendam, credo, Christum permouerunt; quin & obsequiorũ illi tamdiu impensorum memoria ad hanc illum clementiam pertraxerunt. Nam sanctorum operũ recordatio ad iratum Deum placandum ac leniendũ permultũ pollet. Quod sacro exẽplo illustrabo. Ezechias Rex audito morti se diuina sententia adiudicatum, bona quæ toto vitæ lapsu præstiterat opera, quo Deum ad vitę prolongationem cõcedendam flecteret, recensendo produxit, dicens, *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Sensus est, Si mihi succenseas Domine, memento, obsecro, quid in nominis tui honorẽ & tui causa præstiterim: recordare omnium operum bonorum, quæ aliqundo feci, idq; sincere & ab omni dissimulatione & hypocrisi alienissimus. Nihil vnquam facere, nedum cogitare volui,

Isai. 38.

4. Reg. 6.

Bonorum operum recordatio ad Deum placãdum permultum potest.

volui, quoad scilicet vixi, quin tibi id scirem esse quam gratissimum. Idem aiebat & alius Rex, ac Deum iratũ placaturus, quæ egerat alias opera bona, in memoriam illi reducebat, dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, id est, Si mihi iraseeris Domine, si de me vltionem sumere decreuisti, si pœnam tibi ob delicta daturus sum, memẽto, obsecro, ecquæ mea fuerit clementia & in alios benignitas, memento, inquam, quo modo illatas ab aduersariis iniurias æquanimiter semper pertulerim, & quam gratanter commissas in me offensas offendentibus remiserim. Minime igitur dubitandum, quin Redemptor ipse, quę Thomas illi tanto tempore præstiterat obsequia, in mentem reuocans, ad illi erratum condonandum, & in rectum fidei tramitem ipsum reducendum permotus fuerit, dixeritque, *Infer digitum tuum huc.* *Psal.131.*

In Apocalypsi Ecclesiam noua quadam & singulari ratione figuratam videas, vt mulierem scilicet sole circumcinctam, & duodecim stellis redimitam. Cæterum duodecim hæ stellæ totidem Apostolorum erant figura, qui coronæ instar Ecclesiam condecorant & ornant, vt Prælati eam gubernant, atque vt lucida quædam sidera illuminant. Ex hoc stellarum numero vnum demere, & in terrã deiicere contendit draco; de quo eodem dicitur loco, *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Thomam sane nostrum miserabili quadam ruina inuoluendum detrahere omnimodis conatus est Satan, sed id minime Dominus permisit. Nam iuxta illam Psalmographi sententiam, *Homo cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Thomam cacodæmon iam in præcipitium deturbarat, verum Dominus non vnam, sed ambas supposuit cadenti manus, quin imo & latus, dicens: *Vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Vtramque ergo manum & vulneratum subiiciens latus obstitit, quo minus præceps rueret, & in peccati abyssum & barathrum prolaberetur, quin & admirabilem illam diuinitatis confessionem sustulit, vt diceret, *Dominus meus, & Deus meus.* *Apoc.12.* *Psal.36.*

Qui oculorum vsu priuatus est, res tractando & tangendo, quænam illi sint, ediscit. Hinc Isaac Patriarcha, cuius iam præ senio caligabant oculi, vt Esau filium internosceret, accedere eum propius iussit, vt cominus contrectaret, contrectatumque verene esset, quem designabat, cognosceret ac dicit, *Accede huc fili mi, vt tangã te, vtrum tu sis filius meus Esau an non.* Circũsecus ergo eum cum pertractasset, tandem subdubitans ait, *Vox quidẽ vox Iacob est, sed manus sunt Esau.* Vt ergo cæcutiens Isaac, quo filium nosset, eum tangere voluit, sic & Thomas, vt de Domini sui esset resurrectione certus, tangere illũ cupiens desiderauit. Isaac, vbi Iacobum contrectauit, *Vox quidem*, inquit, *vox Iacob est, sed manus sunt Esau*, partim eum agnoscens, partim vero nõ, vocem enim nouerat, sed non manus. Verum Apostolus hic, mox vt Dominum suum tetigit, perfecte eum à mortuis resuscitatũ cognouit, agnouit inquã certissimo has Christi & Domini sui manus, vocem, latus & corpus esse: nec vero hoc duntaxat, sed & penitus perspexit, fideliterque credidit, ipsum Deum simul & hominem vere esse. *Gen.27.*

Quocirca merito illud Psaltis in illũ quadret, *Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum* vt cæcutiens aliquis, *& non sum deceptus.* Hoc sane modo eundem Deum S. Thomas quæsiuit; & vere eum vt erat cognouit, nec in sua est opinione deceptus. Vnde Ioannes Chrysostomus, *Paulus*, inquit, *Thomas incredulitate, & non est deceptus.* Vt vero eum plane certum redderet, benigne illi Saluator ait, *Infer digitum tuum huc.* *Psal.76.* *Homil.de Trinitate 3.*

Ecquę mirabilia! Ipso Resurrectionis festo Maria Magdalena aromatibus onusta, ante auroram, monumentum Dominicum petit, lachrymabunda ibidem commoratur, videndum se illi Redemptor exhibet. Illa ergo dilectum conspicata, vt ad sacros illius pedes prouolui festinat, corripitur & audit, *Noli me tangere*, ne pedũ quidẽ extremitates à sancta hac muliere tangi sustinet; hodie vero incredulo apparens discipulo, non sacros modo pedes ab illo tangi permittit, verum & manus & latus, quin imo digitos vltro in loca clauorum infert, ô mirabilia! *Ioan.20.* Gratia ingens S. Thomæ præstita.

Ratio

Ratio rei huius forte fuit, quod S. Thomas Sacerdos esset & Apostolus: solis porro Sacerdotibus licitū erat iuxta legis præscriptū
Num. 4. arcam fœderis tangere, vt Numerorum libro proditur. Accedit huc, quod toties in sacris libris a sacrorū contactu mulieres arceantur. Secundo Apostoli fidei erant testes, à Deo ad hoc cōstituti ac prædestinati, vt de mysteriis Ecclesiasticis apud omnes passim testimonium
Act. 10. darent, vt in Apostolorū Actis legere est; quos designarunt olim duodecim illi fontes
Exod. 5. Elim, quos omnem omnino orbem adaquare & satiare oportebat, par ergo erat duodenos illos fontes repleri, & cum gaudio hauriri de scaturiginibus Saluatoris, vti prædixit
Isai. 12. olim Isaias *Hauritis aquas de fontibus Saluatoris*; erant namque vt canales & aquæductus fidei, Euangelii & gratiæ.

Tertio fuere Apostoli veluti quidam terræ sanctæ exploratores, qui Ecclesiæ egregium illum botrum, ficus, mala punica attulerunt, vt hoc pacto fideles animarent, & ad labores subeundos corroborarent. Vnde glorioſus
1. Pet. 1. Apostolorum princeps Petrus, *Non enim doctas fabulas secuti* inquit, *notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.* Viderat nimirum Petrus, & suis cominus oculis conspexerat eximiam hanc Saluatoris excellentiam iam olim in monte Thabor in die transfigurationis, & eam hodie S. Thomas digito octiduo post glorioſam eius resurrectionem tetigit.

Hist. Schol. in Antipatro. Scholastica historia refert Antipatrū Idumæum magni Herodis patrē, cum vt proditionis reus ad Imperatorem delatus esset, & causa eius in Senatu Romano agitaretur, nullum vel in sui causæque defensionem, vel vt actorum argumenta refutaret, verbum protulisse, sed facta verbis potentiora ratus, suam vt innocentiam testatam faceret, criminaque falso sibi imposita diluceret, coram Imperatore & iudicibus pectus amota veste denudasse plurimas vulnerum variis in conflictibus pro Imperatore ac patria tuenda acceptorum cicatrices ostendisse. Quo facto tum demum causam verbis agere incipiēs: Verbis, inquit, clementissime Cæsar, minime opus est ad factorum cōmendationem, & aduersariorum
Antipatri ad Cæsarē oratio. meorū calumnias falsitatis coarguendas: hæ plagæ, hæ notæ threniæ, hæ cicatrices satis loquuntur, & sufficientissimum pro me dant testimonū, quo te hactenus sim amore prosecutus, quam tibi fidum semper præstiterim obsequium: sanguinis quoque, quem pro te, Cæsar, effudi, nimis quam sufficienter pro me loquitur, & animi mei generositatē, factorū & actionum sinceritatem, vitæq; innocentiā quam cumulatissime & apertissime testantur. Historia hæc pathetica est, & cum eo, quod cum Thoma Redemptor hodie agit, dum pedes, manus, latus & vulnerum loca velut resurrectionis suæ argumenta, affectus indicia & veramoris quem illi semper ostendit testimonia aderit, dicens: *Infer digitum tuum huc*, coincidere aliquo modo videtur.

Illud ipsum factitasse amans ille Canticorū *Cant. 5.* sponsus, tum ad dilectę suæ amorem captandum, tum etiam suum vicissim illi patefaciēdum mihi videtur; dum sic illam alloquitur, *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est* gratiæ *rore, & cincinni mei guttis noctium*, id est, humanitas mea plagis refertissima patentissimis. Idem ipse Ecclesiæ & animarum nostrarum sponsus hodie Apostolo huic ait, *Infer digitum tuum huc.*

O admirabilis ergo peccatores Iesu Christi amor & indicibilis benignitas! Non voce vocat eos intensa, non aculeos verborum, non flagella, non comminationes vsurpat, sed amore & affectu plenus, suauissimis illos verbis ad se pellicere conatur. Hanc Messiæ *Isai. 42.* venturi modestiam, & in loquendo comitatem iam olim prædixit Isaias, Messias blandissimus, inquit, & suauissimus moribus futurus est, *Non clamabit vox eius, non audietur foras, calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quæ fingi maior Christi erga peccatores benignitas.
clementia ac benignitas potest, quam homini pertinacissimo & obstirmate credere detrectanti dicere, *Infer digitum tuum huc, & mitte in latus meum?*

Parem nemo suauitatem aut comitatem vidit. Duo discipuli ipso Resurrectionis Dominicę die in Emaus abeuntes, & mysterium hoc adimplendum plane diffisi, ab ipso acriter in via corripiuntur, & inscitiæ arguuntur, *Luc. 24.* vt iniurioſe quodammodo iis diceret: *O stulti*

& tardi corde ad credendum! sed longe aliter cum Thoma se gerit, adulari illi simul & pro dignitate Apostolica ipsum venerari videtur. Duo illi viatores forte Apostoli non erant, sed erat Thomas: propter dignitatis illius habita ratione stultum eum aut tardum ad credendum minime vocat, tametsi octo ipsis diebus Dominum resurrexisse credere noluerit. Adhæc duos illos clam, nemine præsente, ac priuatim corripiebat Thomam vero coram aliis Apostolis corripere debuisset. Hinc suauius cum illo agit & blandius, dicens: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Adhæc vna cum aliis ipsum postea in die ascensionis correpturus erat: de quo dicitur: *Discumbentibus vndecim apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum.* Quamnam igitur hac in re adhibuit prudentiam, quam patienter processit & blande? noluit quippe extempore & in flagranti, vt ita dicam, delicto discipulum hunc carpere, ne forte pertinaciam eius obduraret magis, sed in aliud tempus oportunius hanc castigationem reseruat. Docentur hic & discant Prælati ac Superiores, ne erga delinquentes acrimoniam vllam præferant, neu statim commissa noxa in eos reprehensionis aculeos stringant, sed in commodius correptionem suam tempus & aptius differant. Audite quid Antistitum ac Superiorum omnium Rex dicat, & quo se erga peccatorem, eumque contumacem & refractarium, gerat modo: *Infer digitum tuum huc.* Exclamem ergo: O clementiam! ô benignitatem! ô æstuãs salutis animarum in Redemptore desiderium! vt vel animam vnam in exitium ruentem in salutis viam reuocet, pedes illi manus & latus, denique se ipsum totum inspectandum contrectandumque permittit. Quod admirans Theophylactus ait, *Vide quomodo propter vnum hominem Thomam non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere, vt saluet animam vnam incredulam, ita & nos neque minimum contemnere debemus.* Non oportet autem imitari fratricidã illum Cainum, qui percontanti Deo, vbinam Abel frater esset, vt in Genesi legitur, pro ea qua erat impudentia ac superbia, hoc responsum dedit, *Numquid custos fratris mei sum ego?* fratris Christiani custodes nos esse oportet, & singulos singulorum rationem habere, ac reddere, atque ideo diligens danda opera, ne prauo pereat proximus exemplo.

Prudentia Christi in Thoma subito non corripiẽdo. *Marc. 6.*

Salutare documentum pro Superioribus.

Gen. 4.

Iudas de venia desperans, & de commissis dolens, ad Principes Sacerdotum se contulit & Synagogæ seniores, & triginta denariis, cruentæ proditionis pretio, ad pedes ipsorum effusis ait: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Vah insignes fratrum custodes! ô viros charitate perfectos! nouos potius Cainos! Respondent quippe, *Quid ad nos? tu videris*: tua res agitur, non nostra. Vos res spectat, Sacerdotes, vos Superiores, vos Prælati, qui in Ecclesia aliis præestis, ad vos subditorum peccata pertinent, proximi vos habere salus solicitos debet, de animabus pereuntibus reddenda vobis est ratio. Super fratres ergo Christianos diligenter excubate, peccatores à peccando reuocate, impios conuertite, & illis, qui morti, inferno, damnationique iam sunt proximi, auxiliariam dextram tendite, consolatorium aliquod iis verbum loquimini, & Christum imitemini, Thomæ benigne dicentem, *Infer digitum tuum huc.*

Pro salute proximi respondendã.

Moyses maximo Dei in hoc corpore mortali videndi tenebatur desiderio, quapropter singulari quodam animi sensu ab illo hanc sibi fieri gratiam petiit, dicens: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciam tuam,* præsta, vt te conspicere obiter in hac vita queam, donec æternum in altera te videre detur. Cui Deus, in petræ huius foramine stes, & pertranseuntem me videbis. Iussa ergo Moyses exequens dum in foramine expectat, ceu qui per fenestram prospicit; ecce derepente pertransit Deus. Viso ergo fulgore quodam splendidissimo, obstupescens exclamat, *Dominator Domine Deus.* S. Thomæ factum huic non admodum fuit dissimile. Cupidus namque Iesum Christum, Dominum ac Magistrum suum, resuscitatum videre cum foret; ecce Redemptor illum consolaturus ait, Accede Thoma, & adsis, *Infer digitum tuum huc*, in foramine hoc quiesce, per hanc fenestram prospice. Huc ergo cum accessisset, & manus simul & digitos admouisset,

Exod. 33.

Allegoria.

uisset, insigne diuinitatis conspexit lumen, & stupore extra se raptus clamare cœpit: *Dominus meus, & Deus meus*: vt qui extra mentis statum præ stupore & admiratione raptus esset.

V. *Iudic.7.* Cum lagenæ militum Gedeonis in bello ad inuicem collisæ & confractæ forent, lampadarum in iisdem latentium subito lux apparuit, tantamque animis Madianitarum consternationem iniecit, vt omnes præ timore in fugam se darent. In Apostoli huius facto simile quid intueor. E latere namque Saluatoris, haud ita pridem in passionis conflictu cõfracto, & hodie huic Ecclesiæ ductori rursus reserato, & è diuinitatis ibidem latentis lampade tantus subito fulgor emicuit, vt eodem oculos præstringente obstupescens, & raptus extra se clamarit, *Dominus meus, & Deus meus.*

S. Thomæ raptus. Hæ exclamationes, raptus & exstases Apostoli huius honorem mirum in modũ adaugere velle videntur, vtpote qui his sequẽtia innuebat: Mene quis in mundo viuit beatior & honoratior: Bonus ille Deus vniuersi Saluator, bonus ille Pater cœlestis, claues quidẽ suas Petro, pedes Magdalenæ, dextrã latroni resipiscenti, & Ioanni pectus clausum dedit; mihi vero latus apertum, suum mihi cor præbuit conspiciendum, simul & plagas omnes ostendit. O gratiam singularem! ô honorem incomparabilem! *Dominus meus, & Deus meus.*

Regina Saba sapientiã miratur Salomonis. Regina Saba postquam multa suo in regno fama de Salomonis sapientia inaudiuisset, & illam deinde reipsa probasset, & suis ipsa oculis regni illius mirabilia conspexisset, velut extra se rapta, & penitus consternata in has regis laudes prorumpens, sic tandem concludit, *Verus est sermo, quem audiui de terra mea super sapientia tua.* Deinde progressa vlterius beatissimos prædicauit illos, quibus ille quotidie nastare, & sapientiam hanc coram audire contingeret. Annon quid simile in S. Thoma nostro hodie peragi certissimũ est? Toties de Dominica resurrectione multa ipse inaudierat, quin & Apostoli de eadem plurima iam retulerant; sed hodie resuscaturum suiismet conspiciens oculis, & suis tangens manibus, rem esse verissimam confitetur, & præ stupore exclamat, *Dominus meus, & Deus meus.*

1. Reg. 10.

Sauli dictum fuit olim, vt in libris Regum legitur, *Insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.* Vera fuit prædictio; spiritus enim in illum insiliit, animus est immutatus, & ceterorũ ad instar in prophetias prorupit. Idem hodie in Thoma nostro fit; dum enim Domini intuetur plagas & admiratur. Spiritu S. repletur, & in alium mutatur virũ, è dubitante factus est certus, è pertinace persuasibilis, ex incredulo fidelissimus insuper & Propheta: oculis quippe fidei diuinitatem latentem, vti oculis corporeis saeram humanitatẽ conspiciens, præ admiratione exclamat, *Dominus meus, & Deus meus.* Sacrarum scil. plagarum Dominicarum contactus has in illo causatur ecstases: hocque spectabat Redẽptor, cum illi dicit, *Infer digitum tuum huc.* *Ibid.*

Duo illi Dominus mandat. Primo, vt digitos in loca clauorũ inserat, deinde manus in latus in erat. Per manus operatio, per digitos vero designatur discretio, eo quod manus bolum. in digitos distincta ac distributa sit. Figuratur autem hac re, non esse satis bene operari, nisi adsit discretio. Quam ob causam in Leuitico etiam sacrificia omnia sale conspergi iubentur, quo repræsentatur, in omnibus esse actionibus etiam bonis adhibendam discretionem. Huc referas, quod de sponsa illa in Canticis apud sponsum ait, *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima*, i.e. omnia opera mea pœnam infligentia, i.e. omnis pœnitentia mea & austeritas, omnia flagra & sensuum & affectuũ mortificationes (quarum myrrha est imago) discrete & ex rationis præscripto peraguntur. Cæterum in loc clauorum Christi digitum, & in latus manum inserere, aliud non est, quam quid facere simile ei, quod fecit Redemptor, cum clauis pro nobis confingi, & latus suum lancea aperiri voluit, id est, ex Christi amore operari. Tunc namque operatione nostra Saluatorem contingimus, cum per eandem amore & charitate illi coniungimur. Atque hoc est, quod Redemptor spectauit, cum discipulum Thomam digitum inferre in latus suum voluit. Digiti discretionis

VI. Cur seruare sua Christ⁹ vulnera voluerit.

Infer digitum tuum huc. Dicere vult, oculos tandē, carissime Thoma, reclude, manus admoue, hic cogitatione siste, animo tecum volue, quamobrē tibi plagas meas ostendam & perpende causas, ob quas eadem ipse retinere, eorumque seruare cicatrices voluerim. Noueritis porro, auditores, quod olim Apostolo huic semel Christus ait, id ipsum quotidie vobis repetere, & eadem ostendere plagas, vosque scire velle, cur eadem in corpore reseruet. Multæ vero rei huius sunt causæ, quas ordine ipse vobis patefaciam. Prima ergo est, vt hinc omnibus manifestum fiat, idem omnino reipsa corpus a mortuis resurrexisse, quod triduo ante cruci affixum fuit, adeo vt corporis huius cicatrices certissima quodammodo signa, notæ & argumenta sint resurrectionis. Testantur hoc Chrysostomus *a*, Augustinus *b*, Ven. Beda, & Cyrillus.

a Hom. 86. in Ioan.
b ep. 49. q. 1. & Ps. 74.

Secunda. Vt hac ratione æternam & immortalem illustris & ineffabilis beneficii passionis, & infinitæ in homines exhibitæ misericordiæ, tum in cœlo, tum in terra memoriam redderet, nunquam vt intermoreretur. Sic docet Haymo in Ioan.

Tertiam S. Ambrosius *c*, Cyprianus *d*, Beda hanc assignant, vt se Patri suo in hominū genus succensenti has plagas ostenderet, hisque amoris characteribus ipsum ad misericordiam flecteret.

c In Luc. vlt.
d Serm. de S. Ioan. Bapt.
e In Luc. cap. 24.

Quarta. Vt in die iudicii has ipsas hominibus, sed Iudæis inprimis, exhiberet; se illum esse manifestās, quem inique olim morti adiudicarunt, cruci affixerunt, & in monte Caluariæ neci dederunt. Sic quidem Haymo & alii nonnulli docent.

Quinta. Sanctas has plagas Seruatos referuat, vt animositatis cuiusdam eximiæ notas, & victoriarum suarum trophæa. Sic Ambros. in Luc. cap. vlt. & S. Bernardus *f*, & Beda Ven. in Luc. cap. 24.

f Serm. 3. de Resur.

Sextam idem Beda affert rationem; vt enimirum hæc passionis foræ nt memoriale, hisque homines ad Deum amandum excitarentur, & post tam ingens & illustre beneficium ingrati non forent.

Serm. 61. in Cant.

Septima. Vt hæc ipsa, vt quidem S. Bernardus ostendit, asyla quædam & loca refugii, quin & propugnacula quędam fortissima forent, ad quæ, dum tartarei nos hostes oppugnabunt & exagitabunt, confugiamus, nos in tutum recepturi. In huius rei figuram sponsus dilectam suam, sub nomine columbę inuitat, vt in foramina petræ, & cauernas maceriæ, insequente miluo, se subducat. In quæ verba Gregorius sic commentatur, *Per foramina petræ vulnera manuum & pedum Christi libenter intellexerim; cauernam vero maceriæ vulnus lateris eodem sensu dixerim.*

Cant. 2.
Gregorius 2. Cant.

Denique, octauo S. Bernardus sacras hasce plagas idcirco à Saluatore seruatas, & æternum seruandas credit, vt per easdem, ceu per foramina & aperturas quasdam, quoties luburit, generosum cor eius, amore, dilectione & misericordia redundans conspiciamus. Hanc ob causam in pedibus, manibus, ac latere perforari voluit, ostendens, velle se, vt per pœnosas illas aperturas nemo non nostrum agnosceret, affectus suos, quorum pedes figura sunt; opera, quæ manibus repræsentātur; cor denique latere designatum, amore sauciata & misericordia plena fuisse. Vt hoc particularius S. Thomæ ostenderet, ait illi, *Infer digitum tuum huc.*

Serm. 61. in Cant.

Credibile porro fit, S. Thomam sanctorū horum vulnerū conspectu & contactu, præter infinitum, quem inde emicare amorem cognouit, ad mortem eius nomine subeundam animatum fuisse: vulnus quippe in latere Christi lancea patefactum considerans, ad eandem fuit passionem ferendam, ac similem subeundum cruciatum inflammatus. Vt enim elephantis, vt ad bellandu... & ferociēdum excitarentur, in libris Macchabæorum legimus mororum succum, ac vinum rubicundum, quæ sanguinis colorem referunt, fuisse obiecta. Sic S. Thomas, conspecto rubricante latere Christi, quod hasta reserarat, in tantum amore exarsit, tantosque induit animos, vt mortem oppetere paratissimus, in armis & conflictu occubuerit, & in vrbe Calamine in Orientali India, lanceis vel hastis fuerit transfixus. In cuius generositatis memoriam ac signum etiamnum hodie a pictoribus addito hastili depingitur.

S. Thomas ad martyrium animatus visis Christi plagis.

1. Macch. 6.

S. Thomas hasta transfixus hinc illi eadem appingitur.

Nec vero frustra aut sine causa hoc teli genus Apostolo huic appingitur: na apud priscus

Hasta regalitatis signū

cos haſtam geſtare non exiguus erat honos, ſed regiam dignitatem referebat, & vt diadema, ſic & haſtile eiuſdem inſigne erat. Hinc Virgilius Æneam ſuum vt Regem repræſentaturus, bina manu lato criſpantem haſtilia ferro inducit. Quin & Feſtus Pompeius auctor eſt, viris generoſis & fortibus olim haſtas offerri in virtutis ſolere teſtimonium, eo quod armorũ prima forent, & imperii ſignũ Lyſippus, referente Plutarcho, ſtatuarius, Alexandro magno haſtam in manus dedit, velut regiæ maieſtatis inſigne, vt hoc pacto nomen eius redderet illuſtrius. Quin imo teſtatur Cyrillus, ipſis ſimulacris deorum olim haſtas velut diuinitatis ſymbolum addi ſolitas; ea porro veteribus inſidebat opinio, cõſtantiam hoc teli genere, & immobilem diuinæ naturæ firmitatem deſignari. Ita Marti bellorum Deo, & Palladi ſcientiarum Præſidi haſta appingebatur.

Deorũ ima quib. haſtã addi moris erat.

Legere etiam apud veteres memini, captiuos & ſeruos ſubhaſtari, & ſub triplicis lanceæ iugo venire ſolere. Hæc porro S. Thomę noſtro non inſcite adaptantur: à Chriſto namq; deuictus ſubhaſtatus deinde fuit, haſtas ſubiit, & haſtis tranſactus mortem pro eodem oppetiit, atq; hinc in diuini honoris notam in Eccleſia haſtam ceu ſymbolum in manibus habens depingi ſolet.

Captiui ſub haſta venundabantur.

Hæc ſunt, quæ S. Thomæ occaſione dicẽda mihi occurrerunt. Hæc eius vita, mors, & martyrium fuit; fideliter ac ſincere vobis, & ſine adulatione, aut fuco, conuerſionem eius, raptum eius & ecſtaſes patefeci. Iam reliquũ eſt, vt aliquod ex omnibus emolumẽtum & conſolationem eliciatis. Fiet hoc, ſi quę in hiſtoria hac notatu digniſſima occurrunt, in mentem reuocaueritis. Diſcetis inprimis, quam ſit noxium à bonorum ſe ſocietate ſequeſtrare, & ſanctorũ deſerere contubernia; cum Thomas à SS. Apoſtolorum conſortio abſens, Redemptorem conſpicere non potuerit, & infidelis factus ſit; ſed cum octiduo poſt iiſdem ſe adiunxiſſet, illum videre, in viſum credere credendo quoque in de conſolationem & gaudium ſingulare eliciere meruit.

Damnoſum eſt bonorũ societatem deſerere.

Videbitis deinde, atque videndo admirabimini bonitatem, benignitatẽ, clementiam, patientiam, & inſignem Dei erga creaturas ſuas, atq; inprimis Apoſtolum hunc miſericordiam. Octo ipſum diebus ad pœnitentiã exſpectat, & in cubiculo cum aliis Apoſtolis congregatum vltro ipſum adit, benigne affatur, vulnera illi & cor patefacit vulneratum, & ipſum tangi permittit, quod à reſurrectione nulli dum diſcipulorum conceſſit; deniq; ſpirituales illi ardores & incomparabilem conſolationem inſpirat.

Dei in peccatores benignitas.

Amorẽ, affectum & bonitatem patris filii prodigi nemo non demiratur ac mirifice deprædicat, quod tam benigne ganeonẽ illum ac perditum redeuntem admiſerit, venientis in amplexus cecíderit, vitulum ſaginatum in gratiam eius mactari iuſſerit, veſte noua induerit, & ſymphonia iucundiſſima recrearit; non tamen ante, quam filius ad patrem rediret, & erroris eum commiſſi pœniteret: neque enim filio occurrit pater, ſed patrem adit filius, & genibus in terra proſtratis veniam commiſſorum efflagitat, dicens, *Pater peccaui cœlum & coram te.* Diuina porro bonitas parentis huius clementiam longo anteit interuallo. Nam, ecce, Ieſus Chriſtus benignus ille Pater cœleſtis, Thomæ ſuo obuiam velut filio cuidam prodigo, qui omnem fidei diſſiparat ſubſtantiam, procedit, amplectitur, ſtringit, venientem magno cum honore admittit, familiariter illum habet, paſſionis illi ſigna exhibet & trophęa victorię, & iucũdiſſima & ſuauiſſima conſolatione modulatã ex eo elicit harmoniam. Non exſpectat hic pater, donec filius perditus ad ſe accedat; (nã de illehoc quidẽ cogitarat) non exſpectat inquam, vt veniam poſcat & reſipiſcat; (nam nimium caligabat & pertinax erat) ſed ipſe errantem præuenit, ipſe inſtat, & incredulitate exeundi, & ad gratiam ipſius denuo redeundi, vltro rationes ſuggerit. *Luc. 15.*

Diſcetis denique, chariſſimi, hac è concione, Apoſtolum hunc, Redemptoris intuendo vulnera, ſuiſque ea manibus contrectando, incredulitatis abyſſo egredi, humilem ac fidelem fieri, Deum ac Saluatorem ſuum agnoſcere, ad pedes eiuſdem ſe abiicere, fideliter adorare, & fidiſſimum illi deinceps

addicere.

Vulnerum Dominicorum contẽplatio ad incredulos cõuertẽdos efficaciſſima eſt.

addiceret obſequium. Atque hinc diſcetis, ſolum vulnerum Dominicorum aſpectum, & attentiorem contemplationem eſſe ad infideles conuertẽdos, peruicaciſſimos perfringendos, maxime inſenſibiles commouẽdos, maxime ſoporatos excitandos, frigidiſſimos inflammandos, ingratiſſimos quoſque ad beneficiorum acceptorum memoriam recolendam ad accendendos, & peccatores obduratiſſimos in alios viros commutandos, nimis quam efficaciſſimam. Hæc igitur vulnera inſpicite, Chriſtiani, hæc amoris ſigna, hęc dilectionis teſtimonia, hæc patientiæ argumenta, hæc noſtræ redemptionis indicia, has beatitudinis noſtrę arrhas, & infinitę miſericordiæ ſymbola bene attenteque intueamini, intuendo in æternum illorum memineritis, ac nunquam ipſorum memoriam aut ſenſum amittite.

Nunquam hoc nobis accidet Redemptor, nunquam ſanctæ paſſionis tuæ memoriam deponemus, ſemper crucem tuam, claues & ſpinas intimo ſenſu recolemus, ſemper plagas tuas & vulnera, noctes ſimul & dies ob oculos habebimus. Hic erit deinceps cogitationum noſtrarum ſcopus, ſermonum materia, & operum gloria, non enim aliud animus quam dolores tuos reſpirabit, nonniſi de morte tua lingua loquetur, nec aliud manus, quam ſacra tua vulnera contrectabunt. Summe omnipotens, iuſtiſſime & miſericordiſſime Deus, petiſti olim, vt ſancta illa Canticorum ſponſa te vt ſignaculum ſuper cor & brachium ſuum poneret, *Pone me*, dicens, *vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Cant. 8. In animabus hoc noſtris complendum ſpondemus, cum illarũ ipſe ſis ſponſus, & tuæ ipſæ ſponſæ fieri mereantur. Mors, paſſio ac vulnera tua animo noſtro perpetuo inſculpta erunt, & plagis tuis cor noſtrum viciſſim ſemper inſcriptum & infixum erit: eas ipſi vt ſignaculum ſuper cor & ſuper brachium geſtabimus: quod cogitationes, (quarum cor domicilium eſt) & opera, (quorum brachia ſymbolum ſunt) non alium quam ſancta vulnera tua ſcopum reſpicient. S. Thomas hæc credidit, & admiratus eſt, dum tangeret; at nos hæc ipſa credimus, tametſi non videamus, & credendo in hac vita admiramur; ſpe concepta, eadem in ſacro corpore tuo permanentia in altera nos vita, cœleſti ſcilicet habitaculo, velut partiale aliquod beatitudinis noſtræ obiectum viſuros, ad quam nos Pater & Filius & Spiritus ille conſolatorius deducere dignentur.

Amen.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te conuertentur.
Pſalm. 50.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM HOC TOMO DE SANCTIS COMPREHENSORVM ORDINE Alphabetico digestus.

A.

Abraham Sodomitas liberans mundi per Christum redempti figura 659
Abimechi in fratres. 70 *crudelitas* 46
Absalonis mors moraliter exposita 75
Abusus donorum Dei noxius. 761. *signum reprobationis ibid.*
Accidens duas habet proprietates, esse nimirum & inhærere. 285. *est sine subiecto in Euchar. Sacramento ibid.*
Adam rebus omnibus nomen imposuit 148
Adorare idem in scriptura quod sacrificare 315
Adoratio Deo debita ob nutrimentum, quo nos quotidie fouet & nutrit 290
Ægyptiorum hieroglyphicum 698
Aeris infectio causa pestis 510
Æsopo Philosophi apopthegma 95
Afflictiones signa amoris Dei in nos 36
Agamemnonis clypeus 162
Agnus Paschalis Sacramenti Eucharistici figura. 252. *in eius immolatione.* 4. *circumstantia seruari solita Eucharistiæ adaptantur* 314
Alexander magnus cur capillos suorum militum radi iusserit 224
Alexandri magni responsum. 224. *apopthegma.* 130. *ambitio.* 356. *facinus* 396
Alexandria primo Leontopolis dicta. 161. *in eius fundatione quid notabile & summe mirandum ibid.*
Alimentum fortissimum, quo homo Deo Creatori suo obligatur 289
Allegoria insignis de ceteris hominis exuuiis. 529
Ambitio crux ambientium. 436. *Ethnicis exosa* 458
Amicitia Christiana virtus quædam diuina est. 645. *triplex apud veteres. Vide Charitas.*
Amor Christi in cruce omnem excedit amorem. 206. *magna reddit parua* 753
Amor lenis est tyrannus, sed potens 335
Amor Dei & proximi sunt duo sponsæ oculi. 645
Amoris sancti mirabiles proprietates 336
Amoris verum hieroglyphicum Christus in cruce pendens 175
Anacharsidis apopthegma 655
Angerona Dea apud Romanos qualis 230
S. Andreas primus Christianus per Iaspidem designatus. 744. *cur ab aquis vocatus.* 741. *variis figuris designatus.* 747. *eius in Christo sequendo prompta voluntas. ibid. in crucifigendo constantia.* 748. *in cruce prædicatio.* 754
Animæ mortuorum in Purgatorio existentes viuentium suffragiis iuuandæ 638
Angelus & virgo eodem funguntur officio 728
Angelus, periculum, quod puero Iesu ab Herode imminebat, denunciaturus, cur Iosepho potius quam Deiparæ apparuerit. 41. *in mysterio incarnationis filii Dei legatione fungitur.* 136. *à primo creationis suæ instanti cognitione donatus.* 463. *ad peccatoris iustificationem cooperatur* 476
Angeli filii Dei dicti, lapides igniti, custodes mundi. 581, *in 9. choros &c. Hierarchias distributi.* 583. *alati in scriptura picti.* 588. *principaliter nominati* 592
Angelorum in hominum custodia effectus mirabiles. 59. & 483. *numerus infinitus.* 386. *pulchritudo ibid.*
Animæ salus honorabilior mundi creatione 370
Anima iusti comparata lectulo Salomonis 581
Anna Perenna mulier apud Ethnicos celebris. 458

Anna filia Phanuelis vidua ad annum. 84. *mansit* 454
S. Anna mater Deiparæ an plures habuerit maritos. 454. *an Deiparam ab que originali peccato conceperit.* 458. *Elisabetha dignior ibid ab æterno in matrem Deiparæ electa.* 464. *eius genealogia.* 454. *sterilitas.* 454. *nomina* 4. *in scriptura.* 458. *rationes quibus probatur vni & non pluribus iunctam maritis.* 455. *illa nulla mulier sanctior.* 458. *in illa tria mirabilia.* 464
Animalia 4. *in Apocalypsi descripta quatuor Euangelistarum figuræ.* 154. *cur hæc oculos ante, intus & retro habuerint* ibid.
Animalia volatilia & aquatilia die Iouis creata. & cur 185
S. Anselmi sententia de Angelorum pulchritudine. 586
Antigoni Regis ad suos oratio 167
Antiochiæ primo cœpta tonsura clericalis 115
Apellis Pictoris mirabilis opera 493
Apostrophe ad puellas parum honestas & pudicas. 429. *ad Religiosos.* 626. *Concionatores.* 662
Apostoli ea potestate in Ecclesia vtuntur, qua in in veteri Synagoga Pharisæi. 120. *Dii terræ vocati.* 165. *Rubenitis & Gadditis collati. ib Dei Secretarii. ibid. variis figurati. ibid. & seq. illorum in scriptura tituli ibid. scientia Christi scientiæ inæqualis. ibid. turbatio vnde.* 168. *nubes volantes & loquentes dicti.* 174. *labores in animarum conuersione.* 337. *denotati in* 12. *fontibus Eliud.* 12. *bobus maris æneis, aliisque figuris.* 364. *columnis.* 523. *vasis figlinis.* 600. *cur sine pera & calceis* 639
Apes in cunis D. Ambrosii visæ 351
Arbor Nabuchodonosoris moraliter exposita. 761. *Symbolum Prælatorum male viuentium, & bonis Ecclesiæ abutentium* ibid.
Arbor mirabilis in Canaria Insula, Amaquam dicta 353
Arca fœderis scabellum Dei cur & quomodo dicta. 376. *cur è lignis incorruptibilibus constructa* 426
Areopagi descriptio 495
Areopagitæ quinam dicti. ibid. cur iudices nocturni vocati 496
Aries bicornis Sacramenti Eucharistici figura. 311
Aristidis in patriam amor 25
Arma Messiæ spiritualia. ibid. illorum descriptio 195
Aromata pretiosa à Beata Maria Magdalena Christo oblata quid designent 423
Arrii Hæretici mysterium S. Trinitatis negantes à S. Nicolao falsitatis conuicti 762
Ascensionis Christi mysterium quam excellens. 184. *terminus, cœlum Empyreum,* 186. *in ea varia completa figura* ibid. & seq.
Astrologorum augurium in ortu Principum. 355
Atheniensium præclara consuetudo in liberis educandis 670
Auaritia quantum malum 574
Aues quædam in India Orientali quarum caro incorruptibilis. 297. *cantillantes simul ac ouis exclusæ.* 354. *cur quibusdam hominibus similis.* 382
Augustus Cæsar cur dictaturam recusarit 345
Augusti Kalendæ cur Ethnicis solennes 424
Aulicorum mundanorum apud Principes agendi ratio ibid.
Aurum charitatis symbolum 651
Aureola qualis virginitati in cœlo debita 729
Axiomata mundi, Dei ac Sanctorum varia. 467.

B.

Babyloniorum Veterum mos in Regum inauguratione 680
Baculus libertatis symbolum 638
Balthasaris conuiuium 605
Baptismi aqua qualis esse debeat 334
Baptizare verbum sacris litteris æquiuocum. 408
Barbari in frontibus cur cruce signati 209
Basilii magni sententia de lumine Solis prima die creato 294
S. Barnabas Apostolus petit separari à Christo propter proximum. 336. *an fuerit Apostolus Iesu Christi* 340. *dictus vir bonus ibid. eruus Iesu Christi bonus ac fidelis* 342. *sapientia cœlitus donatus ibid. vt Deus habitus & cultus* 343. *in eius domo cœna vltima celebrata. ibid. cur Iupiter dictus.* 344 *eius humilitas* 345. *caritas.* 346. *filius consolationis cur & quomodo dictus. ibid. viuus comburitur* 344

S. Bar-

S. Bartholomæus qualis fuerit, an idem qui Nathanael. 524. an fuerit Syrus. ibid. Viuus excoriatur. 528. pellem syam tripliciter requirit. 529 eius in tormentis constantia. ibid patientia cum patientia Iobi iusti collata. 530. multa de eo sparsa apocrypha 523
Bellum inter Christum & Diabolum 37
Bellum pestis & fames tria diuinæ iustitiæ flagella. 512. 513
Benedictiones Iacobi Patriarchæ S. Benedicto adaptatæ 402
S. Benedictus cur similis Abrahamo. 390. à sertor mundi quamdiu in spelunca delituerit 392. à carne impetitus in spinetum se coniicit. 398. collatus cum Mathathia. 400. aliam voluntatem non habebat quam Dei. ibid. eius ordo bonis temporalibus affluens. 402. late diffusus. ibid. scientia. 404. perfectio 399
Beneficiorum Dei memoria vtilis 27. sanctum exercitium & diuini amoris nutrimentum 209
Beatitudo quid sit. 662. æterna tanta est, vt Christus ipse in cruce pendens ea se vnice solaretur. 664. de ea Patrum testimonia. 666. & seq. consequendæ via & octo 670
Beatitudinis seu gloriæ SS. magnitudo diuersimode ostenditur, idq; per similitudinem 668
Beatorum gloria verbis exprimi non potest. 666. erit inæqualis quod typis ostenditur 669
Bellerophontis & Persei mythologia exposita 317
Benignitas via ad gloriam Sanctorum consequendam 675
Bestia vrso similis luxuriæ symbolum 539
Blasphemi olim ad mortem lapidati 17
ad Blasphemantes nomen Iesu apostrophe 80
Boni viri descriptio. 363. apud Ethnicos imago. 344
Bonorum Ecclesiasticorum abusus Prælatis noxius 762
Bos figura S. Lucæ Euangel. quid memorabile notet. 461 symbolum continentiæ, iustitiæ, laboris & tolerantiæ. ibid. eum mactare cur olim fuerit capitale 644
Boues 12. marini æi Apostolorum 12. figura 364.

C.

CÆci cuiusdam mirabile factum 599
Caligula Imperat. epulum, 272. æstimatum centies sestertium, id est, trecentis coronatorum millibus ibid.
Caluini argumentum, ipsius opinione, inuictum, quod aduersus Eucharistiam vsurpauit 254
Caluinistæ Gabaonitis similes. 208. in conuentu quodam statuerunt, vt pro mortuis preces funderentur. 548. error circa accidentia in Eucharistiæ Sacramento per se subsistentia 285 opinio de Sacramento Eucharistico. 207. cœna similis olæ filiorum Prophetarum 4. Reg. 4. 208. in ea nihil nisi fraus, nil solidi 209
Caluinisticæ cœnæ fructus quis 327
Cambysis Regis Persarum crudelitas in iudice viuo decoriando 532
Canis quam fidum & familiare animal hero suo 510
Capilli symbolum rerum temporalium 224
Caprearum proprietas 75
Carcer hominis est hic mundus 681
Caro propria, impudica & lasciua pellex. 323. fidus Dæmonum custos 474
Carnis peccatum SS. Eucharistiæ sumendæ impedimentum noxium 276
Carolus magnus quænam insignia sepulchro suo affigi voluerit 318
Cassii symbolum post mortem I. Cæsaris 78
Castitas vita est Angelica 69. Deo placita. ibid. eius symbolum, turtur 453
S. Catharina Regis Vngariæ filia mundi gloria contempta, Christo vero sponso se totam dedicat. 730. & seq. quibus virtutibus insignis. 733. variis gratiarum donis exornata. 712. quibus rationibus Philosophos gentiles superarit. 734. circa illam insignes meditationes. 739
Cathedra varie accipitur in scriptura. 105. quadruplex, Dei, Diaboli, Moysis & S. Petri. ibid. & seq. eius elogia. ibid. festiuitas cur sic appellata. 109. varia & egregia epitheta 116
Cathedra & claues symbola auctoritatis & potestatis 113
Catholica fides circa SS. Eucharistiæ Sacramentum 554
Catholicorum tessera Transsubstantiatio 258
Catena S. Petri moraliter exposita 472
Cereris sacerdotes albis induti & cur. 305. fabas cur non comederint 308

Cerui & bos auditu excellunt 335
Cerua cur Ioue tonante dicantur parere 446
Ceruorum in flumine tranando industria. 20. in siti restinguenda solertia 424
Chabriæ Ducis Athenienſium de Leone agminis ceruorum duce, & ceruo Leonum agminis ductore 165
Charitas deſignata zonâ aureâ Apocalypticâ. 340. cingulo ibid. vinculum perfectionis. 645. cur veſtis nuptialis dicta. 646. ignis latens eſt in terræ viſceribus. 712. eius effecta. 646. ſymbolum aurum, & cur. 652. ei beatitudo promiſſa ibid.
Cherubinorum munus 537
Cholera olla feruenti, grandini comparata 675
Chriſtus natus in Bethleem Iudæ, in Ægyptum cur profectus, & an hoc ita fuerit neceſſarium. 3. & 44. vbinam, à quo & cur circumciſus. 52. & ſeq. amorem ſuum in nos in circumciſione teſtificatus. 57. Creaturarum omnium dominium S. Petro contulit. 112. in mundum venit ad reſurrectionem multorum. 118. cur matris ſuæ maritum eſſe voluerit Iosephum. 148. poſt Reſurrectionem cur ſingulariter S. Iacobo Apoſtolo apparuerit 91
Chriſtus in 4. animalibus Apocal. cur & quomodo adumbratus. 155. cur mortem timuerit. 171. quo die, quaue hora cœlum aſcenderit. 185. & ſeq. aſcendens ſoli collatus. 189. cur aſcenderit. ibid. filio prodigo quomodo dicatur. ibid. cur in cruce coronatus. 198. quatuor gemmis crucem exornauit 209. in cruce pendens verum amoris hieroglyphicum. 105. peccatoris ſimilitudinem habens, omnis tamen peccato immunis 200. liber eſt & lectu facilis. 210. fuit miraculum & prodigium. 211. cur in cruce mori voluerit. 561. in cruce ab omnibus creaturis cognitus. 568. petra & cur. 572. 72. diſcipulis vero paupertatis voto aſtrinxit. 538. verus Perſeus & Bellerophon. 320. fuit regula & dimenſio omnium Sanctorum. 200. mercateri comparatus & cur. 58. qua in re Maſſagetas imitatur. 677. prudentem Patremfamilias qua in re ſit imitatus. 577
Chriſtus in Sacramenti Euchariſtici inſtitutione teſtamentum ſuum condidit. 249. cœlum non deſerit in Euchariſtia præſens. 280. totus & indiuiſus ſub qualibet ſpecie. 302. Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec. h primus Miſſam celebrauit. 320. cur ſuos pecuniam ferre vetuerit 639
Chriſti iter in Ægyptum à Prophetis prædictum. 43. humilitas in circumciſione. 58. claues Sacramentis non ſunt ligatæ. 114. ingreſſus in cœlum glorioſus. 182. humilitas exaltationis cauſa. 188. crucis elogia. 199. patientia in cruce miraculoſa. 212 aſcenſio omnes in admirationem rapit. 188. aſcenſio quibus ſimilitudinibus illuſtretur. 186. & ſeq. circumciſio auri per lapidem lydium probationi comparatus & cur. 59. humanitas in Sacramento Euchariſtiæ eleuata. 231. amor erga hominem ſimilis amori Ionathæ erga Dauidem. 237. amor dictus violentus. 207. natiuitas magnates cur latuerit, Paſtoribus innotuerit. 388. Diſcipuli cur calceos ferre vetentur. 639. aduentus in curnem ſimilitudine illuſtratur 355
Chriſti corpus quomodo ſit in Euchariſtia. 280. caret dimenſione. 281. eſſe ibi abſque locali extenſione figuris demonſtratur. ibid eſt inuiſibile. 285. totum & indiuiſibile ſub vnaquaque ſpecie. 302. non frangitur fracto Sacramento. 282. in pluribus locis vno eodemque tempore exiſtere rationibus variis probatur. 283. eſt in Euchariſtia, non generatione, nec per motum localem, ſed vera quadam panis in illud ipſum conuerſione, exemplis demonſtratur. 291. humanitas in Euchariſtiæ Sacramento Angelis ſublimior 293
Chriſtum neceſſario Ægyptum ingredi debuiſſe rationibus demonſtratur 44
Inter Chriſtum & Diabolum bellum, eiuſque cauſa 40
In Chriſto duæ natiuitates. 4. quænam qualitates præcipuæ 529
Chriſtiani Antiochiæ primo fideles dicti. 113. eorum ingratitudo 291. eis quid inprimis neceſſarium 635
Ciconiarum affectus in parentes 500
Circumciſio ſpiritualis quid ſit 62
Circumciſio in veteri lege an neceſſaria. 50. erat velut fidei promiſſio. 51. in ea infantibus nomina impoſita 57
Ciuitates quot & quib. periculis peccandi expoſitæ. 414. in ea admiſſa facinora quam grauiter puniendæ ibid.
Claues Eccleſiæ quid ſint. 113. ſymbola auctoritatis & poteſtatis ibid.

Cla-

Claues inferni cur S. Petro non datæ, sicut & cœli. ibid.
Clauis duplex Ecclesiæ duplicem notat potestatem, ordinis & iuri'dictionis. 114. *Christi quid differat ab aliis* ibid.
Cleomenis apophthegma 635
Cleopatræ conuiuium 171
Cœlum Empyreum, terminus ascensionis Christi. 185
Cœlorum apertio quomodo intelligenda. 24. *regnum cur decem virginibus non totidem coniugatis assimiletur* 724
Cœna vltima vbi celebrata. 344. *cur dicta Sacramentum Eucharistiæ.* 278
Cœna Caluinistica similis ollæ filiorum Prophetarum 4. *Reg.* 4. 248
ad Cœnam Eucharisticam tria peccantium genera venire renuunt. 319
Communicans indigne qualiter puniendus 308
Conceptio vniuscuiusque porta vitæ humanæ. 388.
Conceptio Deiparæ ab omni labe originalis peccati non est articulus fidei. 771. *ab ea exempta Deipara, probatur diuersis sacræ Scripturæ locis.* 774. *rationibus & figuris variis.* 775. *& seq.*
Concionatoris munus triplex. 371. *ei necessaria charitas & scientia* 371. *vide Prædicator.*
Coniugum æqualitas in matrimonio potissimum spectanda 145
Constantinus Imperator insignis S. crucis cultor. 204
Consuetudo peccandi, vitium noxium 472
Contemplationis effecta 406
Conuersionum naturalium exempla, quæ videri exterius nequeunt. 259
ad veram Conuersionem 4. necessaria 263
Conuiuiorum apud veteres mos & priuilegia 272. *& 294. mala effecta* 537
Cor impiorum mari simile. 172. *ei quæ maxime necessaria* 174
Coriandri natura 282
Corinthij cur amantes cali is 325
Cornu variæ acceptiones in Scriptura 103
Corpus naturale absq; ordine nequit subsistere. 104
Corpus adesse posse, non tamen videri, duobus exemplis ipsius Christi, item argumento minori ad maius ducto probatur 288
Cosroë Persarum Rex crucem in fronte gestat. 209
Corruptio vnius est alterius generatio 117
Craticula S. Laurentij lectus doloris 493
Crines Absolonis moraliter expositi, & malis Prælatis applicati 625
Crux collata cum baculo Iacob. 196. *cum Iride, gladio forti & duro.* ibid. *Christo crucifixo nobilitata* ibid. *triplex* 197. *à sanctis Patribus extollitur.* 199. *Iesu Christi victoriarum signum. Diaboli confusio.* ibid. 4. *gemmis à Christo exornata.* ibid. *fit illustrior Constantino imperante.* 204
Crux signum bellicum, & ab omni æternitate ad mundi redemptionem delecta. 201. *vbi & quando inuenta.* 204. *per miraculum reperta.* 205. *excessus quidam amoris est, vti & pœna.* 206. *clauis Ecclesiæ & cœli.* 207. *theatrum fuit, in quo omnes Christi virtutes apparuerunt.* 209. *ab omnibus gentibus culta.* 554. *Symbolum vitæ & spei salutis.* ibid. *in passione filij Dei mirifice exaltata.* 557. *diuersimode adumbrata.* 558. *arbor vitæ varias ob causas.* 559. *honoris pyramis.* 561. *variis modis exaltata.* 563 *cultus latriæ adoranda.* 564. *Ethnicis infamis habita.* ibid. *omnia ad se traxit.* 565. *à Deo electa, vt instrumentum nostræ redemptionis.* ibid *dicta virtus & fortitudo Dei* 566
Crux, quam ferunt iusti, crux est iustitiæ. 198
Crucis effecta. 204. *Inuentionis historia.* ibid. *figura in pectore Serapidis velut monile.* 209. *de eius efficacia mirabilis historia.* ibid. *elogia.* 213. *epitheta.* 558. *qualitates & tituli.* ibid.
Crucis exaltatio ad quid vtilis. 562. *beneficium omnibus commune.* 569. *in ea iustitia perfecte facta.* 570. *omnes virtutes conclusæ.* ibidem.
Crucem tollere quid sit. 398. *non sequi signum reprobationis.* 566
Crudelitas mulieris vitium 415
Curiosus oculo comparatur 33
Curiositatis mala quædam. 603

D.

DAmaris vxor S. Dionysij ab eo ad fidem mirabiliter conuersa. 704

Daniel

Daniel Prophetaab Angelo in lacu Leonum enutritus quid 502

Dauid Philisthaeorum terror & Israelitarum decus. 53. mortem Saulis & Ionathae cu usmodi luctu declarari. 623

Dauid prophetia de Ecclesiæ maiestate. 164. planctus in morte Absalonis filij. 170. gratitudo in Deum benefactorem suum. 261. pœnitentia post peccati recognitionem. 419. misera conditio post lapsum. 471. vir bonus cur dictus. 319. ei optio data, belli, famis aut pestis, & cur pestem fami belloq; præferat. 504

Descriptio umbratica cœlestis Hierusalem 34

Descriptio bonorum & malorũ Prælatorum. 164. armorum Messiæ venturi 196

Detractio quam noxia homini 82

Deus consulendus, antequam status vitæ eligendus 638

Deus cur animal auribus truncum immolari noluerit. 423. adorari meretur vel hoc solo, quod nos enutriat. 225. vult suorum beneficiorum memoriam in animis hominum vigere. 28. omnia sapienter & ordinatim condidit. 103. cur in Cathedra sedere fingatur. 108. vidit homines regi ab hominibus. 110. solus claues inferni possidet. 114. Iudam ad Apostolatum cur eligat, quem proditorem fore præsciebat. 125. liber & omnipotens. 121. cur hominem crearit. 135. cur Israelitis minetur pestem famem & bellum. 504. in Præsulum electione consulendus. 130. dat gratiam sufficientem ad quodlibet bonum peragendum. 142. dans esse, dat & quæ sequuntur ad esse. 38. variis utitur inuentionibus ad hominem honorandum 206

Deus cur principaliter adorandus. 185. vult eandem inter mortales esse vnionem, quæ est inter personas diuinas. 445. quomodo dicatur peccatores habere à tergo. 422. mulieres cur quandoq; reddat steriles. 462. solus auctor iustificationis peccatoris. 477. humilia eligit, vt fortia quæque confundat. 597. vult omnes passionis suæ insignibus seu votis insigniri. 609. promissis suis fidelis est. 659. Cur sanctos nonnunquam labi permittat. 790. ab Athenienſibus incognitus. 593. cur tenellas Virgines de fide sinat disputare. 736. tria fecit sine secundo, Christum, Mariam & Ioannem Baptistam. 547. cur Moysen calceos exuere iussit. 493

Dei misericordia humiles spectat, superbos iustitia. 121. Voluntas pura, causa prædestinationis. ibid. omnipotentia articulorum symboli fundamentum. 287. dilectio primum legis præceptum. 331. querela de sacerdotibus. 576. vocatio duplex, prouidentia in Ecclesiæ regimine. 635 vnius veritas adstruitur. 736. potentia duplex. 748. signa amoris erga nos 40

Deum cum hominibus habitare mirum 223

Deum non posse facere, vt accidens sine subiecti fulcro subsistat, impium est credere: derogat enim omnipotentiæ diuinæ 285

De Deo homines olim quatuor de causis conquesti 10

De Deo timide & moderate loquendum 215

Deipara, vide Maria.

Diabolus suis vincitur armis. 195. aries est duobus armatus cornibus. 470. lumen animæ excæcat. ibid eius tres bellandi turmæ 54

Diaboli sunt tartarei Iebusæi. 420. Voluntatis diuinæ executores 514

Diaboli & Herodis comparatio 470

Diagoras Melius ad mortem postulatus ob contemptum Deorum Athenienſium 425

Dies natalis sanctorum, cur dies mortis appellanda 547

Dies passionis SS. dictus dies gloriæ 468

Differentia inter claues Christi & sacerdotum. 114. inter oculos & uinos & humanos. 569 inter supplicia damnatorum & electorum in purgatorio 690

Dij terræ fortes eleuati quomodo intelligendum. 164

Dij apud Athenienſes quanto in honore habiti. 670

Deos Gentilium negantium supplicia 622

Dignitates Ecclesiasticæ externis potius, modo dignæ sunt, conferendæ, quam aliis 130

Dilatio pœnitentiæ noxia 475

S. Dionysius Episc. Parisienſis an fuerit olim Areopagita. 618. à Sancto Paulo conuersus & baptizatus. 627. cur tam cito fidem susceperit, gentilitate contempta. ibid. Damarim uxorem conuertit. 621. eius sanctitas à bellua cognita. 631. in eius honorem templum Romæ à S. Stephano ædificatum. 619. conuersionis variæ assignatæ rationes. 621. mors an inciderit in Domitianum Imperat. 631. tituli & epitheta 633

S. Dio-

S. Dionysij Areopagitæ de Deiparæ pulchritudine iudicium. 495. tormenta quam crudelia 631
Disceptatio veterum Philosophorum de eo, quod sit maximum in hoc toto vniuerso 391
Discipuli septuaginta in 70. palmis figurati. 636. cur sine pera & calceis ad prædicandum missi. 639
Discrimen Dei & mundi in ferenda cruce. 652. inter oculos diuinos & humanos. 569. inter humanam & diuinam naturam, quoad Deitatem 1[illegible]5
Docti viri post conuersionem suam, quam sint egregia Ecclesiæ fulcra & oracula 629
Diuini instituti cuiusvis an modus semper necessarius 334
Domesticorum insidiis nihil grauius 243
Dominici matris somnium quid portendat 352
Donorum genera duo. 751. Dei abusus quam noxius 753
Dormientium diuersitas collata cum peccantium diuersitate 414
Duodecim ciuitatis Apocal. fundamenta 12. Apostolorum typus 365
Duplex in Deo potentia. 768. in cœlo motus 769

E.

EBrietas quam noxia p[illegible] sertim mulieri. 413
Ecclesia sine Hierarchia mera confusio. 105. à Christo comparata rebus monarchice regi solitis. 110. gratiam effectiue per claues an conferat. 113. claues denotant duplicem potestatem, ordinis iurisdictionis. 114. cur sanctorum vitas nobis spectandas proponat 505. triumphans ac militans à Christo diuersimode gubernatur. 604. thalamo Salomonis similis. 637. Racheli & Liæ collata 789. persecutione crescit. 291. vineæ similis. 484. eius honos summus est, Deum in venerabili Sacramento habere præsentem. 243. fides de Transubstantiatione 261. figuræ variæ 461
Ecclesia per mare fusile in templo Salomonis adumbrata 384
Ecclesiasticæ dignitates externis potius, modo digni, conferendæ. 100. quam consanguineis indignis ibid.
Educatio filiorum, cur parentibus non onerosa 190.
Electio & vocatio, an pro eodem in Scriptura sumantur 741
Electio magnorum Præsulum qualiter & quomodo instituenda 100
Electio diuina non respicit carnem & sanguinem 441
Eleemosyna iustitia in Euangelio dicta 764
Elephantus, figura Damnatorum 420
Elephantorum forma 695
Elias & Enoch, quando venturi ambigitur 214
Eliæ suos amor & benignitas 333
Elisabeth cur à B. virgine vsitata. 378. & quidem festinanter. ibid. eius prophetica admiratio 385
Elisabethæ Angliæ Reginæ in Catholicos crudelitas. 691. funus ibid.
Emblema mirabile Hieremiæ Prophetæ exhibitum 512
Emunctoria tabernaculi, reprehensionis symbola 374
Episcopus capiti comparatur. 701. cuius verba factis non respondent, variis similitudinibus designatur. 703. eius onus & dignitas 709 dotes. 766. ei verba & opera necessaria. 703
Episcopi soli & columnæ ardenti comparati. 699. sunt lux mundi. ibid. Vinitoribus Euangelicis similes. 703 per animalia Ezechielis designati. 716. mali idolis collati. 766. columnis ferreis. 708. Leonibus. ibid. fortes meritis esse debent. ibid. eorum elogia 769
Epulum Caligulæ Imperatoris 272.
in Epulis solennibus mos antiquorum. 273
Epulum Hestheris Reginæ epulo Eucharistico collatum 301
Error eorum SS. Petrum & Paulum Romæ fuisse negantium 371
Esau ingratitudo Mundanorum figura 261
Ethnici, cur pelles hostibus detractas posteris reliquerint 599
custodiam Angelorum agnouerunt 589
impugnantes virtutes Ecclesiæ, crucis, scarabæis, aliisq; insectis similes 64
eorum superstitio de Deorum simulachris. 276
Ethnici veteres quid de mortuis sentirent. 693
Angeli ab ipsis, cur Dij ordinarij ac vulgares appellati 590

Eua

Euæ ante lapsum dotes & prærogatiuæ 287
Euæ & Mariæ differentia ibid.
Euangelium lex perfecta Rationali Pontificis collatum, quod erat quadrangulum. 153. lex est filialis, vetus seruilis 157
Euangelista quatuor per 4. columnas Tabernaculi Mosaici designati. 151. per 4. scyphos candelabri Tabernaculi. ibid. per 4. fabros Zachariæ Prophetæ. ibid. per Abacuc quadrigam. 153. quot sint. ibid. sunt velut quatuor venti & bases Ecclesiæ. 154. illorum dignitas Moysi & Prophetis maior. 156. Scripta amore plena. 157. animalibus cur oculi tribuantur intus, ante & retro. 209. Consensus quoad institutionem Sacramenti Eucharistici. 249. Eunomij error. 64
S. Eucharistia variis titulis ornata, panis est Vitæ, & Angelorum. 233. varijs figuris in veteri lege significata. 234. ditatur Sacramentum reconciliationis. 238. Sacramentum est supernaturale 241
S. Eucharistia impugnatur à variis Hæreticis. 206 & seq. cur epulum dicta. 269. cur cœna & quidem magna. 171. quibus deneganda. 274. triumphorum Christi figura. 278. puteus videntis & viuentis. 285. opera mortua viuificat. 292. concupiscentiæ ardorem restinguit. 293. domat passiones. ibid. naturæ corruptibilem tollit, gratiam confert. 294. pietatem accendit. 295. dat robur animis ibid. à morbo corpora præseruat. 296. causa immortalitatis. 297. resurrectionis corporum. 298. ros luminis. ibid. vires confert ad peccato egrediendum. 299. sub vna specie à Laicis sumenda, fides Catholica docet. 302. Sacramentum simul & Sacrificium. 303. sub vtraq; tamen datur Sacerdotibus & cur hoc. ibid. collata Seraphino duplicem faciem habenti. 312. Iordani. ibid. per manna fuit adumbrata. 322. naturæ incorruptionem tollit, & gratiam confert. 293. quod sub vna specie sumenda, probata ex facto Christi in Emaus. 326. item ex effectu eius facti. ibid. tum ex SS. Patrum consensu, vsuq; Apostolorum. 328. & seq.
S. Eucharistia institutio libertatis nostræ signum fuit. 236. Sacramentum secundum ordinem Melchisedech, non vero Aaronis. 239. elogia. 240. mirabilia. 244. realitas probatur. 251. veritas quibus rationibus adstruatur. 254. & seq. Sumptionem impedit carnis peccatum. 276. primus effectus iuxta Lutherum, peccatorum remissio. 291. alia effecta recensentur. 293. & seq. figura, aries bicornis. 307. Vsus vtriusque speciei non est in præcepto. 311. Consecratio in sola Ecclesia reperitur. 329. institutio vbi quando & à quo. 326. species vtraq; non est de essentia Sacramenti, sed accidenti. 322. eam negligere stultum est. 273. ad eam indigne accedi, deplorandum. 301. indigne accedens mortaliter peccat. 309. Iudæ similis. 308. Seipsum morti tradit. ibid. ad eam an & qualis præparatio necessaria 345
in Sacramento S. Eucharistiæ perspicitur fidei excellentia. 256. nulla fit annihilatio. 261. gloria Christi manifesta. 273. ab ea tria peccantium genera excluduntur, & quænam illa. 274. Corpus Christi in eo præsens realiter caret dimensionibus, licet extensum localiter. 281. eodem tempore est in pluribus locis. 283. est inuisibile 284. in eo accidentia absq; vllo subiecto inhæsiue, 285 fides supremus Iudex. 287. quantum honorem homo recipiat. 301. Christus integer sub vnaquaq; specie accipitur. 302. Vsu vtriusq; speciei non est in præcepto. 327. caro & sanguis voce sunt diuersa, at reipsa in Christo sunt vnita. 326. in eo homo fœdus cum Deo init. 236. Deus insignem erga hominem ostendit. 324
Eucharistici Sacramenti figura, aries bicornis. 311
Exaltatio S. Crucis Iudaismi & Gentilitatis abominatio 559
Exaltatio spiritualis hominis quam sit necessaria. 115 fit passione & bonis moribus ibid.
Exempla vera bonorum concionatorum 626
Exempla sanctorum maxime effectiua 453
viuentium in aduersis solatium. ibid. & seq.
Exequiæ mortuorum in vrbibus maritimis sunt tormentorum boatus 702
Ezechiæ fletus causa 458

F.

FAba signa mortis lachrymarum 308
Fabula Bellerophontis & Persei exposita. 204
de vulpe, & cui rei applicata. 34. de cantu Sirenum 760

Facere bonum & fugere malum præcipua perfectionis Christianæ capita. 472
Festum S. Petri ad vincula cur institutum. 468
Cathedræ eiusdem 27. *inuentionis S. crucis* 142
Fides basis rerum spiritualium. 256. *Liæ filiæ Labani lippientis similis.* 57. *fax & luminare animæ* ibid.
Fides hoc in mundo, in altero visio est. 788 *à sensu minime dependet* ibid.
Fides nullius meriti, dum rationem consulit. 231. *supremus Iudex in Sacramento Eucharistico.* 287. *eius mysteria in credendo æqualia, sed non in intelligendo.* 242. *imago apud veteres quomodo picta.* 262. *mysteria antiquis Philosophis incognita* 600
Figuræ Mathematicæ mysterium Incarnationis denotans. 141. *Angelorum circa hominis custodiam* 477
Figuræ variæ in Christi natiuitate completæ. 5. *in Deiparæ purificatione.* 96. *annuntiatione.* 141. *Christi amoris in homines.* 318. *Deiparæ natiuitate* 554
Figuræ 12. *Apostolorum numerum denotantes.* 166
Filius Dei incarnatus confertur costæ & ossi Adæ, cur 8
Filij Dei amor in genus humanum quibus figuris depingatur 111
Filius prodigus typus Christi 190
Filij prodigi apostema, luxus 371
Fi ij spirituales quinam. 342. *eorum ingratitudo merito punienda in parentes defunctos in purgatorio existentes.* 690
Filij quomodo à parentibus tractandi & educandi 458
Filiorum Ioseph nomina mystica 28
Flos, dictus filius ante patrem quid sit & denotet 353
Fœdera ineundi ratio apud veteres 238
Fœmina impudica quibus & qualibus vitiis referta. 415. *multorum malorum causa & origo.* 540
Fons admirabilis lachrymis collatus 428
Fontium quorundam proprietates 188
Fortissimum in mundo quid sit, contenditur inter Persicos optimates 92
S. Franciscus Abrahæ & Dauidi collatus. 604. *verus paupertatis amator.* ibid. *cur & quomodo à Christo crucifixus.* 609. *venit vt magnus quidam Philosophus viuendi normam edocturus* 506. *Ecclesiæ Altas assimilatur Eunucho Regis Abdemelechi.* 506. *eius vestes quid designent.* 608. *religiosi Rechabitis collati* 612. *ei quæ mysteria reuelata* 603
Fratres pro cognatis in scriptura quandoque sumuntur 457
Furor grandini comparatus 610

G.

Gabrielis Angeli dignitas 585
Galatarum erga mortuos cultus 595
Gallia veteres Episcopi recensentur 730
Garrulitas in multere quantum malum 416
Generatio Deiparæ opus quam nobile 469
S. Genouefa vbi nata. 72. *anno* 15. *ætatis suæ mundo despecto nomen Christo dedit* 72 *laudatur à S. Germano Antisiodorensi Episcopo.* 79. *Iulitco Episcopo Parisiensi.* ibid. *variis donata virtutibus.* 75. *illius abstinentia.* ibid. *virtutes cæteræ.* ibid. *& seq. miracula* ibid.
Gentilium vocatio signum aduentus Magorum. 83. *secuta est reprobationem Iudæorum.* 120. *de sancta cruce superstitiosa opinio* 177
Gentium vocationis ad Euangelij communionem quodnam signum in Nou. Testam. fuerit. 90
Germani veteres quid nouis nuptis mittere soliti 145
S. Germanus Antisiodorensis Episcopus S. Genouefæ virginis virtutem diuinitus agnoscit 74
Gloria SS. erit inæqualis, quod typis seu figuris ostenditur. 660. *verbis exprimi non potest* 666
Gorgiæ Leontini sententia de mulierum virtutibus 458
Gradus peccati tres 655
Grandinis Ægyptiacæ allegoria 373
Gratia Dei sufficiens ad quodlibet bonum opus peragendum 144
eius hominem votantis egregia expressa figura 578
ijs à Deo sibi datis abuti miserum & noxium 755
signum reprobationis 756
Gregorius Nyssenus quomodo quemdam exdis-

discipulis suis abnegationem suiipsius docuerit. 602

H.

Harpocrates apud Ægyptios qualis Deus 268
Hæresis nostri temporis Apocalyptica meretrici comparata 207
Hæreses diuersæ circa Filij Dei incarnationem 3
Hæretici cur falsi diuini verbi prædicatores. 762. imaginum deuoratores. 250. S. Transubstantiationis blasphematores. 259. virginitatis impugnatores. 261. Sacrificium missæ detestantur 312
Hæreticorum sedes, sedes diaboli. 107. collata cum sede Apocalyptica ibid. cum sedibus Philisthinorum pellibus mollibus conuestitis. 108. Obiecta circa Eucharistiæ institutionem. 329. crudelitas moderni temporis. 691. ignorantia 38
Hederæ natura. 695. ei comparata bona temporalia ibid.
S. Helena Imperatrix Hierosolymam proficiscitur, Crucem quæsitura 105
Hebræorum oblatio ad fabricam tabernaculi 531
Heliogabalicum lapidum factum 208
Heli Sacerdotis sacrificium nostri sacrificij typus 315
Herba cuiusdam natura mirabilis 354
Herodes quot in Sacra Scriptura celebres. 535
Herodes Vulpes à Christo cur vocitatus. 470 comparatus Diabolo. ibid. Neroni & Pharaoni 541
Herodias similis mulieri sanguinariæ Apocalypticæ. 540. eius in Ioannem Baptistam scelus & nequitia ibid.
Hierarchia Ecclesiastica quam necessaria 104. eius confusio hæresum & persecutionum causa. 105. dignitas laudata. ibid.
Hinnulorum proprietas 85
Hispania reliquiis S. Iacobi celebris 448
Historia lepidæ de Rege quodam Siciliæ 79 qua docet honores ab hominibus regendos 110
Historia Inuentionis S. Crucis 284
Historiæ SS. ad quid valeant 507
Homo quando Angelis maior. 349. Apostoli S. Matthæi symbolum. 582. similis urbi in quadrofundata. 590. eius magnificentia in hominis nutritione. 218. ignorantia & cæcitas in rebus terrenis. 395. pulchritudo Angelicæ collata 588
Homo est in manu Dei vt lutum & argilla in manu figuli. 118. cur ab hominibus regendus. 39. a bubus confertur. 212. turbatur sextupliciter 103
Hominis timidi hieroglyphicum. 168. inconstantia 341. imago. 397. rectitudo in tritus sita 578
Honor mundi illustrior quam felicior. 441
fucata seruitus, hominumque certa ruina. 432
belluis ferocitas comparatur 435
vento 438
Honores mundani an indigni dignioribus relictis conferendi. 438. illorum axiomata qua & qualia. 448. consecutio quantum malum 440
M. Horatij Coclitis Romani fortitudo 212
Hostes infensissimi humanæ salutis, caro, mundus & damon 375
Humanitas Christi in Sacramento Eucharistiæ eleuata 232
Humilitas omnium fortissima. 93. Famulapœnitentiæ. 402. eius virtus in quo consistat. ibid. imago, infans 607

I.

Iacob Patriarcha diuinorum beneficiorum memor. 27. afflictus in filium Ioseph 218. gregibus & armentis impeditus hominis mundani imago. 397. quo voto quaue conditione perpetuum Deo obsequium promiserit 218
S. Iacobus Apostol. cur minor dictus. 179. Christum vultum retulit. ibid. & cur frater Domini appellatus ibid. singulariter post Christi resurrectionem vocatus. ibid. cur in primum Hierosolymitanum Episcop. electus. 180. primus Missam celebrauit. 181. eius genua assidua & frequenti oratione indurata. ibid. dictus Zonitrui filius. 444. decus Hispaniæ. 448. in illius reliquiarum translatione insigne contigit miraculum. ibid. elogia & tituli 449
Iaspis martyrum symbolum 482

Idolorum currus à quibus animalibus tractus. 185 falsitas figuris & rationibus variis declaratur. 737. detestatio. 782
Ieremias in lacum missus piscatorum figura 783
Iesus Christus est verus Noe & cur. 1. non nouum est, quoad diuinam Christi naturam. 60 eius blasphematores grauiter puniti 92
Iesu nominis, Exod. 17 mysterium 69
Ignis Concupiscent æ restinguitur virtute Sacramenti Eucharistici 293
Immortalitatis causa, SS. Eucharistiæ Sacramentum 279
Impius vnus sufficit ad vniuersum mundum turbandum 177
Impij Dæmonis instrumentum. 496. moriendo viuunt 781
Impiorum cor mari comparatur. 173. Societas nominus metuenda quam bestiarum 784
Incarnatio Filij Dei ab Hæreticis oppugnata. 3. Mysteriis plena. 10. & seq. varijs ornata figuris ibid ab Angelo nunciata. 140. eius mysterium homines facit Angelis digniores. 718
Indigne accedens ad Euchar. Sacramentum. Iudæ similis. 310. seipsum morti tradit 311
Inferni claues cur S. Petro non sint creditæ. 113
Inferorum verborum quid in sacris litteris significet 64
Ingratitudo quantum malum 68
Ingressus Deiparæ in cœlum collatus cum ingressu Reginæ Saba in Hierusalem 493
Inhumanitas quorundam detestanda 523
Inimicitiarum detestatio 62
Innocentes Bethleem & eius finibus post natum Christum interfecti vere sunt martyres 52
Inuectiua in lasciuientes concionatores, & Præsules 648. in non auscultantes diuinis inspirationibus 746
Inuentionis S. Crucis festum cur institutum. 102
Ioachim & Anna bona sua in tres partes diuiserunt 459
S. Ioannes Baptista lucerna ardens, & Messiæ præcursor. 365. aureo candalabro similis. ibid. plusquam Propheta. 364. eius epitheta. 393. mirabilia passim ab omnibus diuulgata. 392. idem quare stella matutina dictus. 368. in vtero matris existens an vsus rationis ibid. ab Herode in vincula conijcitur. 533. eius elogia. 526. cur lucerna, Angelus dictus. 539. eius in arcerationi an Pharisæi sunt cooperati 533
S. Ioannes Baptista in Angelo Apocal. designatus. 355. non natura Angelus, sed gratia & officio ibi. post Christum & Deiparam honorandus. 356. parentib. sterilib. natus. 358. comparatus veteribus Patriarchis. ibid in vtero matris sanctificatus. 359 similis acui nauticæ, monti & Lynci 361 quinquennis in Eremum concedit. 36. cur anstere Christus communiter vixerit 364
S. Ioannes Euangelista nondum mortuus iuxta quorumdam sententiam. 38. sed mortuum esse probabilius est ibid. quatuor martyrij genera per ulit. 30. disputatur ad longum an mortuus. 210. circa illud opiniones variæ, & rationes pro vtraque parte satis fortes & probabiles. 211. & seq. eius modestia & humilitas ibid. tria priuilegia ibi. Christo carior quam S. Petrus 212 fluuius paradisi dictus, & cur 218 cur desponsus, antequam in feruens oleum iaceretur 219
oleo sospes emergit, neq; in eo mortuus. ibid & cur hoc 210
Iob maledicit diei natali suæ, & cur. 541. eius patientia Beati Lauentij patientiæ collata. 489. eius quæstiones difficiles propositæ 38
Ionathas quatenus typus Christi 22
Ionathæ & Dauidis amor 392
Ionathæ Matathiæ filij sepulchrum, & eius ornamentum quid significarint 672
Iordanus fluuius SS. Eucharistiæ symbolum. 314
Iosephi patriarchæ in Deum benefactorem gratitudo 260
Ioseph ab Arimathia dictus vir bonus 342
Iosue & Caleb duorum Apostol. Petri & Pauli figura 371
S. Iosephus Deiparæ maritus an vsque adeo decrepitus, vti pingitur. 150. quando virginem duxerit. ibid. & cur hoc Deus ita voluerit. 151. similis Patriarchæ Iosepho. 152 præfertur Apostolis 153
S. Iosephus nutricius præ omnibus Sanctis admirabilis. 144. assimilatur cum sua virgine duob. Cherubinis. 147. ingratia confirmatus, & ab vtero matris sanctificatus. ibid. anima & corpore resuscitatus ibid.

S. Ioſephus nutritius pater Domini Ieſu, eadem nocte, qua Angelus ei apparuit, diſceſſit è Iudæa, puerum inſidiis Herodis ſubtracturus, 41. 30. annis ſeruauit Deiparam. 40. Chriſto prædicante mortuus 488
Ioſephi & Virginis in hoc diſceſſu dolor. ibid. inter Ioſephum & Deiparam ſimilitudo. 144
Iris cur admirationis filia 196
Iſraelitarum aduerſus Moyſen & Aaronem in deſerto ſeditio 518
Iudas ſimilis ſiculneæ apud S. Lucam, 122. arbori Nabuchodonoſoris ibid. eius crimina quatuor. 143
vnum Spiritui ſancto contrarium ibid.
Chalaciæ gemmæ ſimilis. 125. vocatus diabolus. ibid. ad Apoſtolatum cur eligatur, cum proditor naſcatur. 126. Caino & Sauli ſimilis. ibid. ei cur loculi commiſſi 534
Iudæorum reprobationem gentilium vocatio ſecuta. 121. de Meſſia nania. 194. mos in conuiuiis. 304. ſacrificia cur in vſu. 316. ingratitudo quanta 785
Iudicia Dei inſcrutabilia. 122. mundi fallacia. 356
Iudicia Dei à iudiciis hominum diuerſa 445
S. Iudas trinominis Ieſu Chriſti conſanguineus. 654
cur frater Domini à Iudæis dictus 655
doctor Eccleſiæ. ibid. quam in re nobilitatem locarit ibid. & ſeq.
Iuſtificatio peccatoris opus quam nobile 420

L.

LAban qua in re figura patris cœleſtis 513
Laboris ſymbolum, cur bos referat 461
Lacedæmoniorum veterum conſuetudo in iuuentute bonis moribus informanda 508
Lachryma pœnitentium ſigna prædeſtinationis, 414. efficaciores. 415. Angelorum delicia. cur dictæ purgatorium peccatorum. ibid. mari rubro, & cur collatæ. ibid. coram Deo loquuntur 424
beneuolentiæ ſigna 420
Laicis cur communio ſub vtraq; ſpecie interdicta. 312
Lapidatio crudeliſſimum in lege Moſaica ſupplicium 18
S. Laurentius Leuita tribus pueris in fornace Babylonica conſtitutis, comparatus. 476. thuri in ignem iniecto. 486. igni examinatur. ibid. eius in ſufferentiis tormentis conſtantia 492. figuris adductis declaratur, ibid. martyrii theatrum mirabilium. 393
Leæna natura, 308. cur non niſi vnicum pariat catulum 453
Legatus in myſterio Incarnationis fuit Angelus. 136
Lex antiqua Iudæorum de primogenitis 97
Legis veteris mandatorum numerus 159
Leo omnium animalium Rex non in cauernis & ſpeluncis, ſed in via publica & agro ſub dio dormire ſolet, viribus ſuis confiſus. 414
Leo typus S. Martini 715
de Leone & cerno, hoc leonum, illo cervorum duce, Chabriæ apophthegma 168
Leontopolis nomen, cur primæ Vrbi ab Alexandro conditæ inditum 164
Liæ, filiæ Labani fides lippienti ſimilis 257
Libertas vera quænam. 425. eius ſymbolum, baculus 638
Libidinis peccatum frequentationem S. Euchariſtiæ impedit 303
Libidinoſus homo beſtiæ ſimilis 304
Lilium virginitatis ſymbolum 482
Lingua vitia tria, & quæ illa 448
Litera bicornis Pythagoræ 311
Locus quatenus corpori debeatur 281
Loca immunda tria 501
Loquela quomodo à quibusdam fiat ſine lingua & verbis 424
Lucas Euangeliſta medicus & pictor egregius, & Virginis Deiparæ ſecretarius, 640. quot annis vixerit. 641. nomen à luce deriuatum ibid. in eius ſymbolo, boue ſcilicet, quatuor notabilia 643
Luciani Poetæ figmentum circa hominis fabricam 609
Lucifer diuinis gratiis abuſus miſere periit. 756
Luna quando deliquium patiatur. 652. eſt noctis domina ibid.
Lutetiæ ciuitatis antiquitas 74
Lutherani quomodo cum mortuis agant 695
eorum error circa Chriſti ſubſiſtentiam in Sacramento Euchariſtiæ 286
fructus ex vtraq; ſpecie manans 327

Luctus Naim viduæ filium suum lugentis 93
Lutum ortus humani principium 710
Luxuriæ symbolum bellua vro similis 534
Lycurgi fidelitas. 361. *de Sparta muris non cingenda* 381
Lystia S. Timothei patria. 286

M.

Macrobiorum mos circa mortuos 702
Magi tres, de quibus Matth. 2 an vere Reges fuerint. 79. *unde venerint.* 77. *quo tempore.* 83. *illorum adventus signum vocationis gentium ad fidem.* 84. *figurate descriptus.* 85. *humilitas.* 86. *& seq. munera.* 88. *in iis tria imitanda* 91
Magistri tres nobis hac in vita dati 230
Magistratus cur Dii terræ appellati 164
Magnetis natura & effectus 635
Magnum quid dicitur tripliciter 702
Mandatum novum cur sic dicatur. 337. *maximum in lege quod sit* 424
Mandatorum legis figura 331
Manichæorum circa matrimonium error 143
Manis Persæ hæresis circa articulum Incarnationis 3
Manna figura Sacramenti Eucharistici. 234. *non cadebat in loca immunda* 308
S. Marcelli Episcopi laudes & prærogativæ 706
S. Marcus dictus filius S. Petri Apostoli, & cur. 152. *quando Evangelium scripserit.* 161. *quo idiomate. ibid. ad Alexandrinos convertendos destinatus. ibid. eius insignia, encomia & epitheta* 163
Marci nomine multi illustres viri ornati 161
Mare fusile in templo Salomonis fuit Ecclesiæ figura 184
B. Maria Magdalena cur peccatrix dicta, & an meretrix publica. 411. *ante conversionem petra scandali, postea exemplar pœnitentiæ.* 424. *an soror Lazari.* 414. *eius peccata numero infinita, & quot modis aggravantia.* 415. *humilitas & pœnitentia* 422
B. Maria Virgo Deipara cur se legi purificationis subiecerit. 87. *quomodo se habuerit cum Angelum Incarnationis mysterium sibi annuntiantem audiret.* 138. *cur Iosepho nupserit.* 147. *similis mari nunquam redundanti.* 378
an coniugata, cum visitaret cognatam suam Elisabeth. 379. *cur visitaverit. ibid. & quidem festinanter.* 384. *Angelos superat gloria.* 470. *an usum rationis habuerit in matris gremio existens.* 463. *throno Salomonis assimilata.* 493. *an una cum filio morte extincta.* 494. *quomodo honoranda.* 504. *nonnisi bis tota vita hominibus locuta.* 505. *quo tempore nata.* 547. *aurora comparata.* 550. *navi lustritoria.* 551. *an concepta in originali peccato.* 577. *negativa sententia displicet, placet affirmativa, idque probatur testimonio S. Scripturæ, aliorumque Patrum authoritate.* 776. *& seq. censura Academiæ Parisiensis, & variis rationibus* 777. *& seq.*
B. Mariæ intacta virginitas figuris è veterum scriniis petitis ostenditur. 97. *similiter introitus in templum Hierosolymitanum.* 95. *oblatio turturis & columbæ pro filio quid.* 98. *annuntiatio ab Angelo, quo pacto facta.* 137. *responsum ad Angeli verba.* 141. *humilitas omnes creaturas antecellit.* 375. *generatio grande opus.* 470. *perfectiones super omnes creaturas. ibid. status ab aliarum mulierum statu longe disparis & inæqualis.* 463. *mors morti Phœnicis collata.* 498. *corpus domus Raab.* 499. *ingressus in cœlum collatus cum ingressu Reginæ Sabæ in Hierusalem.* 501. *nativitas cur tamdiu dilata.* 547. *epitheta.* 580. *pulchritudo præfertur pulchritudini Iuditha.* 494. *de eius pulchritudine iudicium Dionysii Areopagitæ.* 495. *eam quidam putant violenta morte extinctam.* 497. *in ea quæ mirabilia cernere liceat.* 495. *& 760.*
S. Martinus in prima ætate miles fuit, mox Monachus, tandem episcopus evasit. 701. *fuit Proteus quidam & Chamæleon. ibid. novus quidam Trismegistus. ibid. rubus ardens.* 712. *alter Paulus de cœlo delapsus. ibid. pauper fuit & dives.* 719. *eius charitas.* 710. *miracula.* 718. *zelus animarum.* 719. *liberalitas.* 712.
Martyres quibus armis cœlum expugnent. 5. *rosis & malo granatis collati.* 787. *mundi*

Principibus illustriores. 491. quinam vere tales habendi. 493. viuere cur dicantur per mortem. ibid. recta cœlum ingrediuntur. 508. illorum sanguis semen Christianorum. 503. charitas caterorum sanctorum charitate maior. 16. merita, parabola quadam designantur 17

Martyrium celebre apud Patres 15
allegoricè explicatur. 16. gradui ad gloriam cœlestem, 479. primus actus fortitudinis. 484. eius elogia 481
fortiter tolerandi duo media ibid.
summa potentia triumphus 484

Massagetæ mortuorum carnes sibi in edulium parabant. 669. illorum in liberis educandis consuetudo ibid.

Mater filiorum Zebedæi quid petat, & an petitio recta, & legitima 430

Matrum in filios amor, blandus tyrannus. 431

Matrimonium æqualitatem inter coniuges requirit. 99. à Manichæis exploditur 145. ferro simile 714. eius beatitudo inter coniuges religionis est vniformitas 621

S. Matthæus quomodo è telonio ad Apostolatum vocatus, an miraculosè. 58. quomodo & in quibus Christum secutus. 578. cur septimus inter Apostolos numeratus. 575. cur nomine Leui & Publicani vocatus. 574 an Iudæus. 575. pictus figura hominis alati. 612. qualiter conuersus 574

S. Matthias ad Apostolatum electus. 126. amethysto similis. 128. in Apostolum electus à Christo iam glorioso ibid. eius electioni quinam interfuerit. 128. sanctitas è quibus colligenda 110

Maximum in mundo quid sit, inter Philosophos disceptatur 398

Mercator auarus Leoni in cauerna latitanti similis. 568. quid differat à latrone. ibid. varijs periculis expositus. 567. raro sine fraude. ibid.

Messias missus vt prædicator, non vt bellator, 195. armis spiritualibus instructus. ibid. de eius aduentu Iudæorum deliria ibid. cur dictus. 10. illius oculi vino collati. 564

Metrodorus pictor & Philosophus 633

Michael constitutus est princeps super omnes animas suscipiendas. 586. quo ordine sit in cœlo. 584. an primus omnium Seraphinorum. 585. eius effecta & opera. 588. ei varia ab Ecclesia nomina indita ibid.

Miraculum insigne in Virgine Vestali 71

Miracula cur per fulgura significata. 476. dicta splendor armorum Dei ibid.

Missa sacrificium oppugnatur ab hæreticis. 314. est repræsentatio sacrificij in Cruce peracti. 36. substitutum in locum sacerdotij Heli ibid. probatur esse sacrificium variis rationibus. ibid. & seq.

Missa sacrificium & actus latriæ Deo proprie conueniens, 318. nummus aureus Indicam monetam complectens 319. eius figura, sacrificium pacificum. 328 nihil ea in nouo Testamento dignius. 319. sanctorum Patrum de ea testimonium 319

Missionis legitimæ signa 378

Modi quatuor morbos corporales curandi 634

Monarchia quamdiu inter homines steterit 108
an fuerit in esse in statu innocentiæ 109
cur inuenta ibid.
ventis assimilata 435

Mors Absolonis crinibus suspensi Prælatorum luxuriantium figura 763

Mors venatori similis. 495. in mundi initio pedibus, nunc equo quomodo dicatur insidere. 672. eius metus passio tolerabilis. 175. memoria homini maximè necessaria, & vtilis, 673. vncum aduersus superbiam remedium, ibid. aliarum rerum obliuionem generat. ibid.

Mortui iuuandi suffragijs viuentium. 688. de iis veterum Rabinorum opinio. ibid. Turcarum & Christianorum. ibid. Pro mortuis preces fundendas in quodam conuentu Caluinistico statutum 689

Motus primi an sint in hominis potestate 672

Motus an detur in vacuo 664

Motus interni in peccatore ad eum è peccato excitandum 475

Mosis cathedra quid sit. 108. in populum suum amor, 341. legatio ad Ægyptios cur tamdiu dilata 132

Mulier lasciua & impudica. 13. vitijs coronata 416
garrula & ebria abominanda 522

Mulieris honesta dotes & prærogatiua 784

Mulieres an laudibus dignæ, ambigebant veteres.

tu. 459 cur sterilitate aliquando à Deo percutiantur. 48. animalia noxia. 518. earum fallacia & nequitia ibid.
Mundus cur diuersorio comparatus. 674. sine ordine, nonnisi infernus est. 104. cur à Piscatoribus conuersus. 739. trinam habet refectionem. 269. tyranno Adonibezech & Amano Purpurato similis. 271. Regi Amorrhaeorum Sehon. 398. Vagao Principi Holofernis. 474 abutitur gratia à Deo sibi concessa. 786
Mundi status triplex in Scriptura notatus. 632. redemptio assimilata Sodomitarum liberationi per Abrahamum. 740. mira mutatio. 119. amor alienus est ignis. 307. iudicia sinistra. 363 voluptas fallax & inanis 402. eum oppugnare volens mundus sit oportet 599
Mundani ad honores euecti suorum obliui cuntur. 37. mundana & temporalia iniqua lance ponderant. 401. effusi sunt in illicita, in sancta parci. 652. sub hederæ vmbra dormiunt 687
Mysterium Incarnationis variis illustratum figuris. 150. ascensionis 188. & seq.
Mysteria diuina cur non sint curiose indaganda. 226
Mysteria fidei omnia in credendo æqualia, sed non in intelligendo 238

N.

NAbuchodonosori arbor in somnis visa, moraliter exposita, & Prælatis male viuentibus applicata. 761. statua caput aureum, pedes vero luteos habens, est humanæ naturæ, seu essentiæ figura 772
Nain viduæ filium suum lugentis luctus 18
Natalis dies sanctorum cur dies mortis appellatus. 545
Nathanael an inter Apostolos numeratus, 522. & an fuerit S. Bartholomaus ibid.
Natiuitas duplex in Christo 4. variis figuris adumbrata 6
Natiuitas Christi cur primo Pastoribus cognita, incognita magnatibus 696
Natiuitas Deiparæ quibus figuris illustrata. 552
Natiuitas puerorum miraculosa 359
Natura docet magnos minoribus debere succurrere. 37. à paruis exorditur, & in maiora desinit 319
Natura absque vlla subsistentia quomodo insit in mysterio Incarnationis 282
Natura nihil agit frustra. 117. in modo operandi admirabilis 586
Naturæ stupenda prodigia. 494. opera. 320. amor lenis est tyrannus sed potens 338
Nazarenorum impudentia 439
Nero tyrannus cur Herodi assimilatus, & è contra. 537
Nicolaitarum error 65
S. Nicolaus fidelis Dei seruus. 762. puer ter in hebdomade abstinet à matris vberibus 763 contra Arianos mysterium S. Trinitatis defendit. 764. Ecclesiæ Myriensi Episcopus laudabiliter præest. ibid. eius in pauperes liberalitas. 765
Nobilitas virtutibus insignita præclara margarita 649
Noe cur à Poetis bifrons & biceps Ianus appellatur. 1. Deum pro diluuio impediendo, cur non rogauerit. 123. eius ætas 478
Nomina filiorum Ioseph mystica 29
Nomina quatuor Annæ in sacris litteris recensita. 452
Nouum Testamentum onus leue 125
Nubes sunt naturæ humidæ. 10. duplicem habent motum, vti à principio duplici ortæ, 177. cur Apostolis collata. ibid. tonitruum & fulminum origo 178
Nulla creatura ita humiliata, vti B. Virgo. 384
Numerus septenarius vniuersitatis, & perfectionis nota 200
Numerus mandatorum veteris legis 163
Numerus duodenarius Apostolorum egregiis figuris depictus 168. & seq. 369
Nutritionis spiritualis & corporalis discrimen. 354

O.

OCcasiones peccandi cur se plures in vrbibus quam in pagis offerant 415
Oceani maris duo brachia 324
Oculi Dei nunquam absq; misericordia. 568 quam efficaces ibid. & seq
Odium mulieris vitium execrandum 416

Officia

Officia mundana à Deo imploranda, & expectanda 769
Oleum olim in sacrificio pacifico cur adhibitum. 228. sapientiæ symbolum. 225. item diuinitatis & virginitatis 226. eius tres proprietates. 221. eo cur Reges & Prophetæ inuncti ibid.
Olympus mons curuus sit rei figura 981
Oniæ sacerdos vir bonus cur dictus 218
Omnipotentia Dei articulorum symboli fundamentum 285
Opera charitatis & misericordiæ cur cum charitate exercenda 388
Operum bonorum merces demonstratur sacræ scripturæ testimonio. 650. eorum duo genera 651
Oratio sine lachrymis sacrificium sit cum, & sine merito. 410 publica vtilior priuata. 66 viuentium pro mortuis in cœlo constitutis an iuuet. 678
Orandi modus quinam optimus 409
Orandum cur non sit pro iis, qui cœlesti gloria perfruuntur. 414. nec etiam pro damnatis. ibid.
Orosius de Augusto, sub quo Christus natus quid memoriæ prodiderit 72
Ordo rebus omnibus necessarius. 103. Ecclesiam in pace conseruat. 104. eius confusio hæresum & persecutionum causa. 109. in statu innocentiæ vsus 111
Ordo S. Benedicti est velut Christianitatis armamentarium. 403. collatus cum turri Dauid, & fluuio paradisi terrestris ibid.
Ordo S. Francisci quam longe lateque diffusus 602
Originalis culpa an in Deiparam cadere potuerit. 783.

P.

PAn 'ora quomodo à Poetis picta 545
Papa solus supremam habet iurisdictionem. 371
in Papæ electione consuetudo Romanæ Ecclesiæ 674
Papæ omnes Missam celebrarunt 320
Panni, quibus Christus inuolutus, quid notent 10
Parabola de operariis, in vineæ triplici mundi statu applicata. 624.
item de semine. 714
Parentes & filii spirituales quinam 344
Parentes filios ad dignitates euehentes causa sæpe illorum interitus 446
Parentes tria solent postulare. 441. quali in filios frantur amore, necesse est. ibid.
nesciunt quid petunt, dum filiis honores petunt 438
Parentum inordinatus in filios amor à Platone dicitur mania. 33. bonum nomen filiis vtile & honestum 348
Parisiorum conseruatio S. Genouefæ precibus deletur 77
Paruulorum nomine humiles designati 400
Passiones animæ quatuor per quatuor ventos Apocal designatæ 584
Passionum humanarum natura & origo. 168
species tres 169
Patientia S. Iob collata patientiæ S. Laurentii 490
Patientia in aduersus rectum ad cœlum iter. 668
Pauperes voluntarii cum Iobo iusto collati. 662
Paupertas Euangelica vera crux Christi. 395. via prima ad beatitudinem consequendam. 669. eius emblema 710
S. Paulus primus Eremita in deserto à coruo pastus 513
S. Paulus Apostolus cur Mercurius dictus. 352. an peccauerit Petrum socium appellando. 382. eius in Deum & proximum charitas. 381. eruditio ibid.
Pecuniam veteres in zonis cur portauerint 632
Peccata sunt triplicia, & quænam illa. 420. in ciuitatibus commissi solita cur aliis periculosiora. ibid.
publica reliquis grandiora 418
Peccata in Spiritum sanctum commissa cur venia indigna. 108
Crux peccatoris. 186.
Dæmonis vincula. 469.
eorum gradus triplex 558
Peccata carnis impedimenta SS. Eucharistiæ sumendæ. 275. in anima paupere & rebus necessariis destituta rarissime locum tenent 665
Peccatores omnium malorum pestis & ruina. 176. mundi confusionem cur quandoque mea

metuant, de Deo parum soliciti. 419. cur, oporteat coram Deo erubescant. 421. leone & urso truculentiores. 422. illorum conuersio, cur non sit diu differenda. 479. maximum Dei opus 568
Peccatorum status collatus cum Hieremiæ in lacum missi. 604. ingratitudo in Deum & creaturas. 783
Pelles veterum ducum, cur hostibus relictæ 525
Perfectio hominis in quo sita 398
Pestis quando cœperit in orbe grassari. 504. morbus contagiosus. ibid. diuinæ iustitiæ signum. 507. malorum omnium pessimum, 509. curatur à S. Rocho. ibid. eius causa duplex 505
S. Petrus Apostol. dignior Ioanne Baptista. 111. Christo dignitate par. ibid. habet potestatem euellendi & plantandi. 112. assimilatur Ioseph & Regi Nabuchodonosori, quoad externam gloriam. ibid. prima Antiochiæ sacra celebrauit. 114. electus ad Pontificatum æternum. 183. costæ Adæ similis. 372. Iano & cur. 375. à Christo beatus dictus. 376. eius tituli & epitheta. 378. imperfectio in monte Thabor. 442. vincula. 467. ei cur claues inferni non sint commissæ 112
SS. Petrus & Paulus duobus Leonibus comparati. 370. item Iosue & Caleb. ibid. eodem die an mortem subierint, 372. sunt velut Sol & Luna. 378. similes candelabris Apocalypticis, item duabus oliuis Zachariæ Prophetæ. 378
S. Petri cathedræ elogium 114
Pontificatus primo Antiochiæ institutus 42
Petri ad vincula festum cur institutum. 468. eatenus quibus vinctus, quid designent. 473 ad eius custodiam in vinculis quatuor quaterniones adhibiti 474
Pharao Rex cur muscis & ranis à Deo castigatus. 419. eius thronus figura cathedræ Hæreseos. 306. crudelitas aduersus Israelitas. 402
Pharisæi an Ioannis Baptistæ incarcerationi sint cooperati 532
Philippi Macedonis somnium 164
SS. Philippus & Iacobus Apostoli collati cum duabus Synagogæ tubis. 178. Ecclesiæ columnæ. ib. nubes ibid.
S. Philippus gentilium Patronus in Phrygia crucifixus 178
Philosophorum gnomæ de mali consortij fuga. 785
Philosophi quidam duo diuersi ingenij 374
Philosophia mundana Christi doctrinæ contraria. 411
Pictorum error in S. Ioseph Deiparæ marito repræsentando 147
Platonis sententia. 448. de Græcis Philosophis, ibi. de beatitudine rerum publicarum 498
Plinius natalem suum detestatus est, & cum natura expostulauit 546
Plutarchi epistola ad Traianum argumentum. 449
Pœna & culpa duo vincula, quibus peccator ligatur 473
Pœnitentia crux boni latronis. 197. signum spiritualis crucifixionis. ibid. sincera habet quatuor requisita 418
sincera impedimenta, quæ & qualia 476
eius dilatio quam sit res periculosa ibid.
Pompeius Magnus omnes mundi limites armorum suorum terrore concussit 426
Pontificum Roman. inauguratio quo pacto fiat, & qualis in ea vigeat consuetudo 669
Porcus Troianus quid 306
Portæ Romanæ sententia de viduis ad alteras nuptias transeuntibus 461
Prædestinatio fit sine meritorum præuisione, non ita reprobatio. 119 eius tantum causa, pura Dei voluntas ibid.
Prædicatores figurati in Angelis Apocal. 448
sali cur comparentur ibid.
tonitrui, canibus 449
refugiant verba inimica, & ioculatoria ibid.
quinam aulicos potius, quam Euangelistam referant ibid.
Prædicatorum dexteritas in concionando 448
bonorum imago. 616. cum sagittario comparatio. 646. in lasciuientes inuectiua. 648. similiter in illorum irrisores qualis mulcta statuta 741
Prælati mali nubibus aridis collati. 168. quidam puteis & cisternis. 178. bonorum officium. 339. amor in suos filios spirituales. 342. cur dicti cor Ecclesiæ. 634. mali idolis similes. 763. eis quatuor virtutes necessariæ. 764
Præparatoria ad veram & integram pœnitentiam

tium suorum peccatorum instituendam. 418. & seq.
Præsul Ecclesiæ clauibus abutens non cœli, sed tartari claues portat. 112. inobediens seipsum & totum hunc mundum turbat 181
in eius electione oratio adhibenda, & cur. 129.
vigilantis & studiosi dotes quænam ibid.
Primatus in statu innocentiæ, an fuerit in vsu. 108
Primogenitorum in veteri lege qua ratio 94
Principatuum munus 310
Prodigus filius Luc. 15. figura Christi 192
Proditores Regum quomodo & qualiter puniendi 495
Prouidentia diuina cur ab Ethnicis negata. 749
Proximus quo amore à nobis diligendus 346
Publicani quinam tales. 574. cur Iudæis semper ex sit 575. eorum munus, cur & quando culpabile. ibid. dignitas apud Roman. quanta. ibid.
Puerorum mirabiles natiuitates 348
Pulchritudinis decus, superbia & vanitas 726
Purgatorium quid sit 679
asseritur esse authoritate Patriarchæ Constant. ibid.
vbi sit 679
Purgatorij & inferni pœnarum discrimen. ibid.
Pythagoræ litera furcata, seu bicornis 345

Q.

QVadriga Abacuc Prophetæ 4. Euangelistarum symbolum 151
Quæstiones nonnullæ à Salamone propositæ, at eædem ab eodem in medio relictæ 208
Quæstio difficilis qualis Iobo iusto proposita. 101
Quæsita intricata Esdræ Prophetæ ab Angelo data 486
Quatuor Euangelistæ variis figuris designati. 56. & seq.
per quadrigam Abacuc quatuor fabres Zachariæ Prophetæ ibid.
Quatuor ad veram conuersionem faciendam necessaria 263
Quatuor Salomoni inscrutabilia 186
Quatuor passiones animæ per quatuor gressus Apocalypticos designatæ 586
Quatuor enormia Iudæ proditorio crimina. 121
Quatuor prima qualitates causa ruinæ rerum naturalium 115
Quatuor Quaterniones ad S. Petri custodiam in vinculis detenti, deputati 473
Quantitatis & substantiæ differentia 269
Querela quadruplex hominum de Deo 9
Querela arborum de feritate hominum quotidie se amputantium 93
Qui initio summe boni, ad extremum summe mali, & nequam, & è contra 129
Quid sit tollere crucem 401
Qui sint patres & filij spirituales 343
Qui ad altiora euehuntur, in maximo lapsus sunt periculo 443
Qui crucem pœnitentiæ non portat, non meretur nomen Christiani 198

R.

RAab domus corporis Deipara in altum subuecto applicata 498
Radix quæ ad solis aspectum accenditur 296
Raphaelis Angeli dignitas 584
Ratio fides est infidelium 224
Redemptio mundi assimilata Sodomitarum liberationi per Abrahamum 744
Reges olim in sua inauguratione cur inuncti. 216
Olympo monti comparati 77
à Deo stabiliti. 79. difficulter à consuetis vitiis cõuertuntur. 84. in mentito habitu cur quandoq; incedant 87
Regum consuetudo in inauguratione sua diu. 194.
proditores quomodo puniendi 497
Regnum cœlorum cur decem virginibus, non autem coniugatis dicatur simile 718
Religio monti Thabor collata. 406. nulla sine sacrificio fuit vnquam ibid.
Religionis Christianæ dignitas 241
Religionis vniformitas inter coniuges matrimonij beatitudo. 619. econtra inæqualitas, eiusdem reprobatio 620
Regiones in mundo capitales tres, quæ omnes pro mortuis Deo supplicant 684
Religiosus inobediens Ecclesiæ quantum noceat. 176. mundana perfectè non desirens Achamo militi

Similiti collatus, 408. cur perdite & impie sæpe viuat 409
Religiosi ordinis S. Francisci Rechabitis collati. 412.
Religiosorum perditio vnde 408
Remoræ piscium natura stupenda 382
Reprobatio an fiat absq; cauæ cognitione 123
eius signum donorum Dei præscribens abusus. 764
Requisita quatuor vera & sincera pœnitentiæ. 419
Rerum species numerorum rationem imitantur. 396
Resurrectionis corporum nostrorum causa SS. Eucharistiæ Sacramentum 303
Reuelationes cur plures S. Paulo & Ioanni Euquam cæteris Apostolis factæ 724
S. Rochus quo anno vixerit. 516. cur inuocetur à peste infectis. 517. ætate crescens simul & virtute creuit. ibid. corripitur ipse peste, & male habetur. 518. diuinitus è fonte scaturiente reficillatur. 519. alitur à canibus. 520. eius patria 526. abstinentia ibid. in pauperes charitas, & misericordia. 528 illi doctrina quadruplex à patre morienti data ibid.
Romanorum veterum consuetudo in anni primordio. 68. in conuiuiis. 315. in iuramentis proferendis in iudicio 368
Rosæ martyribus comparatæ, & vice versa. 482
Rupes nocte & interdiu flammescentes 741

S.

Sabali piscis natura 742
Sacramenta septem conferuntur septem Planetis 232
similiter septem spicis Pharaonis 233
Sacramenta veteris & nouæ legis in quo differant. 372
Sacrificium pacificum Missæ sacrificij figura. 319
Sacrificia vetera super lapidem oblata, & cur hoc. 374. illorum duo in lege antiqua genera. 19
Sacerdotes Mosaici, cur tintinnabulis similes. 518
Sacerdotes bonorum Christi dispensatores legitimi. 112. cur sub vtraq; communicent 309
Sacerdotium Angelis venerabile 728
Salomonis expensa quotidiana 267
ei quatuor incomprehensibilia 185
Salus in montibus cur dicatur constituta 215
Salus animæ mundi creatione nobilior 593
Sancti nomen quibus conueniat 459
Sancti bases vrbium & regnorum. 74. cur aliquando lapsi 789. illorum historiæ cur in Ecclesia celebrari solitæ 503. generale contra vitia omnigena remedium 503. gloria inæqualis 659
Sanctorum imperfectiones cur nobis repræsententur. 783. notæ, seu signa 784
illos inuocare, quatenus cuilibet sit necessarium. 786. ab ipsis patronos eligere ac præsides, fas est 788
Sanguis martyrium semen est Christianorum. 486
Sapientia conuiuium sacrificio Missæ accommodatum 317
Sapientiæ humanæ egregia descriptio. 594. eius symbolum, oleum 216
Saulis primi Regis Israelitarum elogium 332
Scala Iacob & Angelorum per eam ascendentium & descendentium applicatio 374
Scientia triplex 334
Scientiæ humanæ assimilatæ diuitiis Ægypti. 614. in homine malo periculosæ 616
Schismatis causa olim apud Hebræos quænam. 105
Scytalis serpentis proprietas 768
Scytharum mos in conuiuiis 312
Sensus in propriis obiectis sæpe falluntur 263
Septem Sacramenta septem Planetis collata. 233
Sarapidis numen apud Ægyptios crucis splendore nobile 208
Sermo viri boni placidus ac gratiosus 348
Serpentis in deserto electio vera Christi crucifixi figura 202
Serui cuiusdam Romani in dominum suum amor 64
Serui cur olim pullati incedere debuerint 336
apud Hebræos quomodo & qualiter puniti. ibid.
Sexaginta fortissimi de quibus Cantic. 5. quos deinde auerint 338
Sex sunt, quæ in homine turbari Scriptura notat. 169

Signum spiritualis crucifixionis, dolor intrinsecus de peccatis conceptus 127
SS. Simon & Iudas an patrueles 616
Simeon Episcopus Hierosolymitanus quot annis vixerit 632
S. Simon Apostolus vnde sic dictus. 647. *cur Cananæus & Zelotes. ibid hyacintho collatus ibid. eius virtutes.* 648. *& seq Zelus collatus Zelo Eliæ & Dauidis* 651. *eius nomine multi viri illustres in sacra scriptura fuere.* 646. *figura Angelus in Apocal. depictus* 651
Simplicitas cur Apostolis commendata. 648
Socratis Philosophi apophthegma 632
Societas malorum noxia & euitanda. 785. *bonorum beata* 787
Solonis Philosophi in Græcos dicterium 657
Soror pro cognata accipitur 315
Sors quid sit. 127. *eius vsus Ethnicis quam familiaris & Hebræis* 128
Spartanorum mos in iuuentute ad virtutem excitanda 506
Species vtraq; in venerabili Sacramento non est in præcepto. 123. *vnius speciei vsus varie probatur* 324. *fructus* 325
Species tres passionum humanarum. 169
Spiritualis circumcisio quid sit 602
Statua Iulij Cæsaris quam affabre depicta. 448
Statua Nabuchodonosoris, cuius caput aureum, pedes vero lutei, hominis naturam seu essentiam repræsentat 379
Status mundi triplex in S. scriptura celebris. 634
Status electionem consilium Dei præcedere necesse est 660
S. Stephanus comparatur Rationali Pontificis. 20 *item Ruben filio Iacob. ibid. pro inimicis orat* 25
Stephani verborum (video cœlos apertos, &c) sensus seu expositio. 212. *Visio an vera, an imaginaria.* 221. *de eius visione gloriæ Dei tres sententiæ inter se discrepantes ibid.*
Sterilitas cur quandoq; fiat permittente diuino numine 462
Sterilitas maledictio in lege Euangelica ablata 67
Stratonici Ducis apophthegma 297
Substantia & Quantitatis differentia 251
Succini natura mirabilis 94
Superbia Deo odibilis. 12. *primum fœminarum vitium.* 308. *comes pulchritudinis* 744
Susanna accusatio S. Eucharistiæ confertur 247
Symbolum Cassij post mortem Iulij Cæsaris 78
Clypei Agamemnonis 212
Synagoga quo tempore ad monarchicum imperium redacta 107

T.

Taciti sententia de amorum necessitate 187
Talentorum nomine quid intelligatur in Euangelio 658
Tamerlanis Imperat. consuetudo admirabilis in anni primordio 61
Telonium quid sit 569
Temporalia nonnisi onera & impedimenta. 398 *hedræ comparata & cur* 694
Tempus Christi, tempus est castitatis 726
Tentationes Diabolicæ circa delectationem quam sint graues. 475. *per primam animæ passionem, quæ est gaudium ibid. per secundam, quæ est dolor mundanus ibid. & seq.*
Testamentum nouum onus leue, vetus graue & meticulosum 158
Testamenta debent esse clara 249
Thabor mons vita monastica figura 657
Thau apud Hebræos S. Crucis figura 556
Thomiridis Reginæ in Cyrum feritas 224
S. Thomæ Apostol. ante conuersionem pertinacia. 783. *incredulitas cur à Deo proponatur* 792. *amor intensus in Saluatorem post conuersationem ibid.*
Thracum mos in filiorum natiuitatibus. 545
Thronus Pharaonis figura cathedræ Hæreseos 107
Tigres cur efferascant, rubeo colore viso 258
Tollere crucem quid sit 308
Tonitru origo. 445. *Prædicatorum symbolum. ibid.*
Tonsura Clericalis vbi primo cœpta 116
Transubstantiatio Hæreticis inusa. 258. *SS. Eucharistiæ fundamentum.* 259. *Catholicorum tessera.* 260. *quibus argumentis ab Hæreticis oppugnata.* 261. *signum salutis fidelium. ibid Vera conuersio.* 263. *rationibus variis confirmatur.* 264. *Conciliis ibid.*
Transubstantiationis nomen vetus sit, an nouum nihil refert. 261. *vox nona, sed vetus signi-*

significatio. 264 aequipollentia verba Graecis sunt, γίνεσθαι, μεταβάλλειν, &c. ibid. verbum quinam detestentur. 270. ad eam astruendam rationes ex. 270. contra blasphemiae Haereticorum. 259. de ea quid cedat Ecclesia. 262
Tria loquuntur sine lingua & verbis 424
Tria in recta homine requisita. 649. in loquendo vitia 262
Tria peccantium genera Eucharist. communione exclusa, & qua illa 274
Tria in bono Concionatore necessaria 370
Tria delictorum genera 123
Tres humanarum passionum species 169
Tribulationum vtilitas. 36. vide afflictiones.
Tribulationes lapidi Iacob Patriarchae cur comparatae 422
Triplex mundi status in Ecclesia notatus 634
Triumphus veterum Romanorum quantus olim exstiterit 182
Triumphorum Christi memoria, SS. Eucharistiae Sacramentum 278
Tristitia an semper sit peccatum, & illicita. 170 licita quandoque 171
Troianus Porcus quid 315
Tullij Regis sententia de armorum necessitate. 635
Turca in vnum Deum credunt. 692. pro mortuis preces fundunt. ibid. illorum in mortuis sepeliendis consuetudo 693
Turtures à B. Virgine in Filij praesentatione oblati mystice quid. 99. symbolum castitatis ac continentiae 453
Tyrannus Cornici Aesopicae similis 529
Tyriorum factum quoddam 607

V.

Vacuum an sine motu 673
Vasthi ruina comparatur cum ruina Iudae. 131
Verborum Dei igni & malleo assimilatum. 627 tonitrui 626
Verbum Incarnatum confertur costae & ossi Adae 7
Verba maleuola cur sulphuri assimilata 785
Vestis Summi Sacerdotis apud Iudaeos cur tintinnabulis plena 700
Vestium disruptio blasphemiae ac doloris signum 345
Vestium insolentia quam ingrata Deo & homini noxia 422
Veteris legis mandatorum numerus 331
Veteres Patres beneficiorum Dei memoriam semper conseruabant. 28. pecuniam cur in zonis portauerint 638
Veterum consuetudo in puerperio. 361. in conuiuijs 272
Via virtutis cur festinanter decurrenda 384
Viduae quaenam verae 724
Viduae Naim ploratus in obitu filij an licitus 170
Viduitas, virginitas & coniugium vna de semine parabola significata 724. item ferro, argento & auro 725
Vinculi nomen variis modis in S. Scriptura sumitur 470
Vinum quomodo hominem in belluam commutet. 539
Vinea symbolum Ecclesiae 472 eius mirabile genus 537
Vigilantia virtus necessaria Episcopo 765
Vir bonus quis appellandus. 362. eius apud Ethnicos imago 343
Virga symbolum legis antiquae 533
Virgo Deipara quibus figuris declaretur à peccatis semper immunis vixisse. 773. genealogia. 451
Virgines principes Ecclesiae. 66. liliis assimilatae. 482. nomen agni frontibus in caelo insculptum tenent. 730. cur à Ioanne in montibus conspectae ibid.
Virginitas ab Haereticis impugnata. 67. primitiae redemptionis mundi. 68. species martyrij. ibid. dono miraculorum honorata. 70. verae religionis nota ibid. homines aequat Angelis. 522. Deo. 723. illa coelum, matrimonium terram replet. 725. circumcisionis species. 728. an sit virtus supernaturalis. 727. monti similis 728. admonita tantum, non iussa. ibid. eius vsus in primitiua Ecclesia. 730. ei aureola debita 729
Viri illustres multi Marci nomine ornati 164
Virtus varia significat 73. tripliciter cognoscitur. ibid. eius harmonia ibid.
Virtutes 4. Cardinales per 4. animalia Apocalyp. adumbratae 154
Visio Apocalyp. de sedibus Ioanni Baptistae accommodata 542
Visitatio Deiparae ex parte cognatae Elisabethae

tha cur ita facta. 380 *eius tria effecta.* 385
Vita hominis instar fumi 681
Vita sanctorum cur in Ecclesia celebrari solita. ibid.
Vlyssis prudentia. 254. *fabula moraliter exposita* 753
Vniformitas Religionis, matrimonij felicitas. 629
Vocatio Gentium Iudaorum reprobationem secuta 120
Vocatio S. Matthæi ad Apostolatum an miraculosa 575
Vocatio Diuina amoris indicium. 740. *primus prædestinationis effectus.* 741. *an idem quod electio.* 742. *duplex ibid huic, scilicet diuinæ non respondentes quomodo puniti.* 748
Vocabula à Conciliis inuenta ad Hæreticorum errores detegendos 260
Voluptatis imago 277
Vulturum genus cadauera præsentiscens, antequam emoriantur 359

Z.

Zacharia Prophetæ visio de 4 fabris 4. Euangelistarum symbolum. 152. *de duabus oliuis typus duorum Apostolorũ Petri & Pauli ibid.*
Zebediada à Christo cur & quomodo reprehensi 395. & 434. *matrem patronam adhibent ad dignitates postulandas* 435
Zelus animarum in S. Martino Episc. & Confessore 719
Zenalidis pictoris tabella 698
Zoroastes ridens natus est 146

FINIS.


Th
3313